PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT,

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS VIII.

CONSTANTINI MAGNI, NAZARII, ANONYMI, S. SILVESTRI PAPÆ, S. MARCI PAPÆ, S. JULII PAPÆ, OSII CORDUBENSIS, VICTORINI, CANDIDI ARIANI, LIBERII PAPÆ, ET POTAMII

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de
Vrayet de Surcy, rue de Sèvres, 37, à Paris.

Digitized by Google

OPERA

QUÆ EXSTANT UNIVERSA

CONSTANTINI

MAGNI,

VICTORINI

NECNON ET

NAZARII, ANONYMI, S. SILVESTRI PAPÆ, S. MARCI PAPÆ, S. JULII PAPÆ, OSII CORDUBENSIS, CANDIDI ARIANI, LIBERII PAPÆ, ET POTAMII.

COLLECTIO NUNC PRIMUM REDACTA, JUXTA HÆNELII, LABBÆI, GALLANDII, MAII, CONSTANTII, MABILLONII PRÆSTANTISSIMAS EDITIONES CONCINNATA; PRÆDICTORUM NECNON ET VALESII, BINII, VARIORUMQUE ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Eusebii Pamphili libri quatuor de vita Constantini.	col.	9
Constantini decreta et constitutiones.		93
Constantini magni conciones.		399
Constantini Magni epistolæ.		477
Panegyricus Constantini auctore Nazario.		581
Panegyrici veteres ab aliis Constantino dicti.		609
Monumenta vetera ad historiam donatistarum pertinentia.		673
Anonymi Itinerarium Burdegalense.		783
S. Silvester papa.		795
S. Marcus papa.		849
S. Julius papa I.		857
Victorini liber ad Justinum manichæum.		999
Ejusdem tractatus de verbis : *Factum est vespere et mane dies unus.*		1009
Candidi Ariani liber de generatione divina.		1013
Victorini liber de generatione divini Verbi.		1019
Candidi Ariani epistola ad Victorinum.		1035
Victorini adversus Arium libri quatuor.		1039
Ejusdem tractatus de ΟΜΟΟΥΣΙΩ.		1137
Ejusdem de Trinitate hymni tres.		1139
Ejusdem libri duo in epistolam ad Galatas.		1145
Ejusdem liber in epistolam ad Philippenses.		1197
Ejusdem libri duo in Epistolam ad Ephesios.		1235
Ejusdem liber de Physicis.		1295
Osius cordubensis.		1309
Liberius papa. — Epistolæ, dicta et gesta.		1351
Potamii tractatus de Lazaro.		1411
Ejusdem tractatus de martyrio Isaiæ.		1415
Ejusdem epistola ad Athanasium.		1416

ERRATUM.

Col. 85, lin. 5 : CODE ; leg. COD , pro COD CL.

Digitized by Google

EUSEBII PAMPHILI

DE VITA BEATISSIMI

IMPERATORIS CONSTANTINI

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM. — CAPUT PRIMUM. *Proœmium, de morte imperatoris Constantini.* — II. *De filiis ejus imperatoribus.* — III. *De Deo pios principes honorante, et tyrannos puniente.* — IV. *Quod Deus Constantinum honoraverit.* — V. *Quod* XXX *quidem annis regnavit : vixit autem plusquam* LX. — VI. *Quod Dei quidem famulus, gentium autem victor fuerit.* — VII. *Comparatio ejus cum Cyro Persarum et Alexandro Macedonum rege.* — VIII. *Quod orbem propemodum universum subegerit.* — IX. *Quod pii imperatoris filius imperium filiis reliquit.* — X *Quod historia hæc necessaria et ad formandos mores utilis sit.* — XI. *Quod sola Constantini gesta quæ ad pietatem pertinent narraturus sit.* — XII. *Quod Constantinus in tyrannorum ædibus, sicut Moses, educatus sit.* — XIII. *De patre ejus Constantio, qui Christianos ut Diocletianus et Maximianus persequi noluit.* — XIV. *Quomodo Constantius exprobrata ipsi a Diocletiano vaupertate, ærarium impleverit, et postea collatoribus pecuniam reddiderit.* — XV. *De persecutione ab aliis concitata.* — XVI. *Quomodo Constantius simulans se simulacra colere, eos quidem qui sacrificare parati essent expulerit : illos vero qui se Christianos profiteri maluissent, in palatio retinuerit.* — XVII. *De affectu et amore Constantii erga Christum.* — XVIII. *Quod post abdicationem Diocletiani et Maximiani, Constantius primus Augustus fuit, numerosa prole insignis.* — XIX. *De filio ejus Constantino, qui adhuc adolescens, una cum Diocletiano in Palæstinam venit.* — XX. *Constantinus propter Diocletiani et Galerii insidias ad patrem revertitur.* — XXI. *Mors Constantii Constantinum filium imperatorem relinquentis.* — XXII. *Quomodo elato Constantio Constantinus a militibus Augustus appellatus sit.* — XXIII. *Interitus tyrannorum brevis commemoratio.* — XXIV. *Quod Constantinus imperium Dei arbitrio sit consecutus.* — XXV. *Constantini de Britannis et Barbaris victoriæ.* — XXVI. *Quomodo Romam Maxentii tyrannide liberare decreverit.* — XXVII. *Quod Constantinus Gentilium interitum considerans, Christianismum potius elegit.* — XXVIII. *Quomodo Deus oranti visionem ostenderit in cœlo sub meridiem, crucem videlicet lucidam cum inscriptione, monente ut in hac vinceret.* — XXIX. *Quomodo Christus Constantino in somnis visus, præceperit ut signo ad crucis formam facto uteretur in bellis.* — XXX. *Fabricatio ejus signi ad crucis similitudinem.* — XXXI. *Descriptio signi instar crucis formati, quod Romani labarum vocant.* — XXXII. *Quomodo Constantinus Catechumenus factus, sacras Scripturas legerit.* — XXXIII. *De adulteriis a Maxentio Romæ perpetratis.* — XXXIV. *Quomodo uxor præfecti pudicitiæ servandæ causa mortem sibi conscivit.* — XXXV. *Cædes populi Romani jussu Maxentii.* — XXXVI. *Magicæ artes Maxentii, et alimentorum penuria Romæ.* — XXXVII. *Maxentii exercitus in Italia superati.* — XXXVIII. *Maxentii interitus in ponte Tiberis.* — XXXIX. *Ingressus Constantini in urbem Romam.* — XL. *De Constantini statua crucem tenente, et de ejus inscriptione* — XLI. *Exultatio provinciarum, et largitiones Constantini.* — XLII *Honores episcopis delati, et ecclesiarum extructiones.* — XLIII. *De Constantini in pauperes beneficentia.* — XLIV. *Quomodo synodis episcoporum interfuit.* — XLV. *Quomodo insipientes toleraverit.* — XLVI. *Victoriæ de Barbaris relatæ.* — XLVII. *Mors Maximiani et aliorum quorum insidias Deo revelante Constantinus deprehenderat.* — XLVIII. *Constantini decennalia.* — XLIX. *Quomodo Licinius Orientem afflixerit.* — L. *Quomodo Licinius Constantino insidiatus sit.* — LI. *Licinii insidiæ adversus episcopos, et prohibitio synodorum.* — LII. *Christianorum exilia et proscriptiones.* — LIII. *Edictum Licinii ne mulieres una cum viris in ecclesiam convenirent.* — LIV. *Quomodo eos qui sacrificare renuissent, militia solvit, et carcere inclusos alit vetuit.* — LV. *De iniquitate et avaritia Licinii.* — LVI. *Quomodo persecutionem adversus Christianos tandem excitaverit.* — LVII. *Qualiter Maximianus fistuloso ac verminante ulcere perdomitus pro Christianis legem scripserit.* — LVIII. *Qualiter Maximinus Christianorum persecutor, fugiens servili habitu sese occultaverit.* — LIX. *Quomodo vi morbi excæcatus Maximinus legem pro Christianis dedit.*

CAPUT PRIMUM.

Proœmium de morte imperatoris Constantini.

Nuper quidem universum hominum genus secunda ac tertia magni Imperatoris nostri decennalia certis temporum spatiis redeuntia festivitatibus et conviviis celebravit. Nos quoque ipsi nuper eumdem victorem ac triumphatorem cœtu famulorum Dei circumseptum, laudatione in ejus vicennalibus dicta venerati sumus. Sed et tricennalium orationum coronas ei texentes, nuper in ipso palatio sacrum ejus caput redimivimus. Verum nunc anceps animi hæreo; cupiens quidem aliquid more solito proferre, sed quo me vertam, prorsus ignarus, inusitatæ rei spectaculo perculsus. Nam quocumque mentis oculos intendo, sive ad Ortum Solis, sive ad Occasum, seu universum terrarum orbem, seu cœlum ipsum circumspicio, beatissimum Principem ubique præsentem intueor. Ac liberos quidem ejus quasi nova quædam lumina, terrarum ambitus omnes paternis radiis implere animadverto, A illumque ipsum auctoritate ac potentia etiamnum viventem, resque humanas multo præstantius ac potentius moderantem; quippe qui filiorum successione diffusus sit atque amplificatus. Qui prius quidem honore Cæsarum affecti fuerant : nunc vero totum patrem induti, ob eximiam religionis virtutem imperatores et Augusti renuntiati sunt, cuncta patris ornamenta præ se ferentes.

CAPUT II.

Proœmium de filiis Constantini imperatoribus

Cumque eum qui paulo ante in mortali corpore cernebatur, et nobiscum una versabatur, admirabili quadam ratione etiam post obitum, quo tempore natura quidquid superfluum est, tanquam alienum refutat, iisdem regiis ædibus et honoribus ac laudationibus frui video, incredibili admiratione percellor. Jam vero cum ad ipsos usque cœli fornices mentis meæ aciem extendi, atque illic beatissimam ejus animam cum ipso Deo versari cogito; terrestri quidem ac mortali integumento liberatam, circumdatam vero B

GENERAL BOOKBINDING CO.
79 7OST 53 005 5
QUALITY CONTROL MARK
Digitized by Google
201

splendidissimæ lucis stola : eamque non jam brevi temporis curriculo in his caducis sedibus volutari, sed corona perpetuo virente, et immortali vita ac beato ævo donatam esse intelligo : mutus hæreo, et linguæ rationisque usu penitus destitutus. Ac vocem quidem proferre nullam possum : sed meam ipse tenuitatem ultro condemnans, mihique ipse silentium indicens, cedo potiori has partes, ut pro meritis congruas laudes expromat : illi scilicet qui cum immortalis Deus sit ac Dei sermo, solus sua ipsius dicta firmare et rata facere potest.

CAPUT III.

De Deo pios principes honorante et tyrannos puniente.

Cum enim prædixerit, eos a quibus cultus et honoratus fuisset, maximis præmiis a se vicissim remunerandos esse; illos vero qui se hostes atque inimicos ipsius professi essent, sibimetipsis perniciem creaturos, promissorum ac verborum suorum veritatem jam inde ab hac vita comprobavit. Quippe impiorum quidem Deique adversariorum tyrannorum abominandos exitus nobis ob oculos proposuit : famulo autem suo non vitam solum, verumetiam mortem felicissimam et maximis laudibus dignam præstitit : adeo ut hæc etiam omnium posterorum sermonibus celebrari, nec tantum caducis, sed etiam immortalibus honoribus affici meruerit. Mortalium quidem genus solatio aliquo letiferi interitus excogitato, consecratis imaginibus, tanquam immortalibus honoribus superiorum hominum memorias colere solitum est. Et alii quidem adumbratis encausticæ picturæ coloribus; alii inanimis materiæ sculptura similitudinem hominum exprimentes; quidam in ligneis aut lapideis tabulis litteras altius incidentes, eorum quos colebant virtutem ad æternam posteritatis memoriam consecrare instituerunt. Verum hæc omnia caduca, et temporis longinquitate pereuntia; utpote quæ mortalium corporum figuram, non immortalis animi formam exprimerent. Hæc tamen sufficere iis videbantur, qui post hujus mortalis vitæ exitum nullius spem boni animo conceperant. Deus vero, Deus inquam, communis omnium rerum Servator, qui pietatis amatoribus majora quam quæ cogitatione hominum comprehendi possint, apud se recondidit bona, primitias futurorum præmiorum in anteccessum quasi pignus dat in hoc sæculo; immortalium rerum spem mortalibus oculis quodammodo exhibens ac repræsentans. Hoc vetusta Prophetarum oracula quæ scriptis mandata sunt, aperte prædicunt. Hoc vitæ Deo carorum virorum qui variis virtutibus refulserunt, posterorum memoria etiamnum celebratæ confirmant. Hoc ipsum ætatis nostræ testimonio verissimum esse convincitur, cum Constantinus solus omnium qui Romano unquam imperio præfuerunt, summo omnium Regi Deo acceptus, quasi illustre quoddam religiosæ vitæ exemplum cunctis hominibus est propositus.

CAPUT IV.

Quod Deus Constantinum honoraverit.

Hoc denique Deus ipse quem veneratus est Constantinus, evidenti suffragio comprobavit, dum illi non modo in exordio, sed etiam in progressu et in fine imperii semper propitius benignusque adfuit, quippe quem humano generi ad divini cultus informationem proposuerat. Hunc certe unum ex omnibus quos unquam auditione accepimus imperatoribus, velut clarissimum quoddam jubar, et velut quemdam veræ religionis præconem maxima voce inclamantem, innumeris in eum congestis bonis, designavit.

CAPUT V.

Quod XXX *quidem annis regnavit : vixit autem plusquam* LX.

Ac tempus quidem imperii ipsius, tribus denum annorum circulis absolutis et aliquanto amplius honoravit; totius autem vitæ tempus quam inter homines duxit, duplo majore spatio circumscripsit. Porro cum eumdem velut imaginem monarchiæ suæ proponere vellet, victorem eum omnis tyrannici generis præstitit, et impiorum Gigantum exstinctorem, qui desperatæ mentis audacia impulsi, contra ipsum Deum summum omnium Regem impietatis vexillum sustulerant. Verum hi quidem cum momento temporis extitissent, momento quoque ac dicto citius exstincti sunt. Famulum autem suum Deus qui unus est ac solus, cum solum adversus multos divina armatura munisset, ejusque opera orbem terrarum impiorum hominum multitudine liberatum repurgasset, cultus sui magistrum universis gentibus constituit; clara voce cunctis audientibus testantem, se verum quidem Deum agnoscere, falsorum autem Numinum errorem aversari.

CAPUT VI.

Quod Dei quidem famulus, gentium autem victor fuerit.

Et hic quidem tanquam bonus ac fidelis servus, id egit ac prædicavit; servum se palam nominans, summique Regis famulum se fateri non erubescens. Deus vero protinus ipsum remuneratus, Dominum ac victorem, solumque ex omnibus qui unquam fuerunt imperatoribus, semper invictum atque insuperabilem præstitit : et ob victorias ac tropæa tantum imperatorem eum effecit, quantum nemo unquam superiori memoria ullum extitisse recordatur; adeo felicem et Deo carum, adeo pium ac fortunatum, ut plures quidem gentes ac nationes quampriores imperatores sub ditionem suam redegerit : imperium vero omni molestia vacuum ad extremum usque diem obtinuerit.

CAPUT VII.

Comparatio ejus cum Cyro Persarum et Alexandro Macedonum rege.

Cyrum Persarum regem præ cunctis qui unquam exstiterint enituisse vetus narrat historia. Verum ille nequaquam felicem exitum vitæ, immo turpem potius atque ignominiosum sortitus esse dicitur, utpote a muliere interfectus. Alexandrum Macedonum regem innumerabiles gentes domuisse prædicant Græci; sed priusquam ad virilem ætatem pervenisset, commessationibus et temulentia confectum,

Digitized by Google

immatura morte periisse. Et hic quidem duorum ac triginta annorum spatio totius vitæ cursum absolvit; quorum non plus quam tertiam partem tempus regni illius sibi vindicat. Grassatus autem est per cædes instar fulminis, gentes atque urbes integras absque ullo ætatis discrimine crudeliter servituti subjiciens. Sed cum vix dum in ipso ætatis flore ageret, et amasium suum lugeret, mors repente supervenions, illum improlem; nulla stirpe, nulla fundatum domo; in externo et hostico agro, ne humanum genus diutius vastaret, extinxit. Mox regnum ejus varia in membra divulsum est, singulis ejus ministris partem sibi rapere atque auferre contendentibus. Verum hic quidem ob hujusmodi mala laudibus effertur.

CAPUT VIII.

Quod orbem propemodum universum subegerit.

Noster vero imperator ex eo ætatis anno regnare orsus est, quo Macedo ille decessit. Ac vitæ quidem spatium duplo majus habuit quam ille; regni vero triplo longius. Ceterum cum exercitum suum mansuetis ac modestis religionis præceptis munivisset, in Britanniam quidem et in eos qui in ipso habitabant Oceano ad Solis occasum longe lateque diffuso, signa intulit. Scythiam vero universam quæ sub ipso Septentrione posita, in plurimas gentes et nomine et moribus discrepantes dividitur, suo adjunxit imperio. Jam vero cum ad extremos meridiei fines imperium propagasset, ad ipsos nimirum Blemmyas et Æthiopas: eos quoque qui ad Solis Ortum incolunt, in suam ditionem redigendos putavit. Denique, ad ultimos usque continentis terminos, hoc est, ad extremos Indos et circumsitos undique populos, cunctos mortales qui universum terrarum orbem incolunt, splendidissimis pietatis radiis illustrans, Regulos, Præfectos et Satrapas gentium Barbararum, sibi obnoxios ac subditos habuit: qui sua sponte et cum gaudio ipsum salutabant, et Legatos cum muneribus ad eum mittebant, ejusque notitiam atque amicitiam plurimi æstimabant. Adeo ut eum in sua quisque provincia partim imaginibus, partim statuis publice dedicatis honoraret: solusque ex imperatoribus Constantinus, ubique terrarum notissimus esset ac celeberrimus. Igitur ad has usque gentes regiis allocutionibus Deum suum cum omni libertate prædicavit.

CAPUT IX.

Quod pii imperatoris filius imperium filiis reliquit.

Cæterum non id verbis quidem præstitit, re autem ipsa frustratus est. Sed in omni genere virtutis semet exercens, variis pietatis fructibus abundavit; amicos quidem ingentibus beneficiis sibi devinciens; subditos vero clementiæ legibus moderans, et imperium suum placidum cunctis atque optabile exhibens. Donec post longa annorum curricula, Deus quem coluerat, variis illum certaminibus defessum immortalitatis præmiis remuneratus, ex mortali regno ad immortalem vitam sanctis animis apud se præparatam transtulit; trium liberorum sobole, qui in imperio ei succederent, excitata. In hunc igitur modum imperialis dignitas a patre quidem transmissa ad ipsum pervenit; jure autem naturæ liberis ac nepotibus servata, et in perpetuum deinceps tanquam paterna quædam hæreditas propagata est. Ac Deus quidem ipse qui beatissimum illum Principem adhuc nobiscum in terris agentem divinis honoribus sublimavit, eumdemque morientem eximia quadam prærogativa dignitatis ornavit, solus vitæ illius scriptor fuerit idoneus; quippe qui certamina illius resque præclare gestas in cœlestibus tabulis consecraverit.

CAPUT X.

Quod historia hæc necessaria, et ad formandos mores utilis sit.

Ego vero tametsi tanti quidem viri felicitate dignum quidpiam dicere difficile admodum esse intelligam, silere autem tutum ac periculo vacuum: necessarium nihilominus puto piissimi Principis imaginem, exemplo mortalis picturæ, verborum coloribus expressam ad sempiternam posterorum memoriam consecrare, ut desidiæ atque inertiæ crimen a nobis depellamus. Me enim profecto puderet mei ipsius, nisi omnem meam industriam ac facultatem, licet admodum levis sit atque exigua, in hunc qui divinum Numen summa observantia veneratus est, conferrem. Sed et ad communem hominum vitam utile, mihique imprimis necessarium hoc opus fore confido, quo generosissimi imperatoris res gestæ, summo omnium imperatori Deo acceptæ, comprehenduntur. Quomodo enim turpe non fuerit, Neronis quidem et aliorum impiorum tyrannorum qui longe illo deteriores fuerunt, memoriæ non defuisse diligentissimos scriptores, qui mala argumenta eleganti sermone exornantes, numerosis historiarum voluminibus condiderunt: nos vero silere, quibus Deus ejusmodi imperatorem qualem nulla unquam ætas vidit nancisci, et in ejus conspectum, notitiam ac colloquium pervenire concessit.

CAPUT XI.

Quod sola Constantini gesta quæ ad pietatem pertinent narraturus sit.

Quamobrem si cuiquam alteri, nobis certe præcipue convenit, ut tot ac tanta quæ audivimus bona, iis nuntiemus, quorum mentes bonorum operum exemplo ad amorem Dei excitantur. Quippe alii quidem vitam hominum minime gravium, et res gestas ad morum emendationem prorsus inutiles, aut gratia, aut odio quorumdam, aut ad doctrinæ suæ ostentationem scribere aggressi, turpissimorum flagitiorum narrationem magnifico verborum apparatu aliter quam decuit amplificarunt: iis qui singulari Dei beneficio malorum expertes fuerant, pessimorum operum et quæ oblivione ac tenebris involvi debuerant, magistros se præbentes. At nobis oratio quidem ipsa quamvis suscepti operis magnitudini prorsus impar sit, sola tamen pulcherrimorum facinorum narratione illustrari posse videtur. Ipsa vero operum Deo acceptorum commemoratio, iis utique qui animum recte comparatum habuerint, non inu-

Digitized by Google

tilem sed in primis fructuosam lectionem præbitura est. Itaque quamplurima alia quæ de hoc principe narrari possunt : conflictus et prælia, fortia facinora atque victorias, tropæa ac triumphos de hostibus partos, et quæ præterea ad singulorum utilitatem ab eo constituta sunt : leges ad subditorum et Reipublicæ commodum latas ; alios denique plurimos Principatus labores ab eo exantlatos, qui in omnium ore ac memoria versantur, prætereundos mihi nunc esse arbitror : quippe cum instituti operis argumentum admoneat me, ut ea sola quæ ad Dei cultum pertinent, dicendo ac scribendo persequar. Cæterum cum hæc ipsa numero pene infinita sint ; ex iis quæ ad notitiam nostram pervenerunt opportunissima quæque dumtaxat ; et posterorum memoria dignissima seligens, quam potero brevissime exponam. Si quidem tempus ipsum hanc deinceps licentiam nobis concedit, ut beatissimi Principis laudes quovis orationis genere libere prædicemus (*Eccl.* II). Nam antea quidem id facere nequaquam licebat, propterea quod vetitum est ne quemquam ante obitum ob incertas vitæ mutationes beatum pronuntiemus. Proinde Deum adjutorem invoco, ac cœleste ejus verbum precor, ut in hoc opere aspirare mihi velit. Ordiar autem a prima illius ætate in hunc modum.

CAPUT XII.

Quod Constantinus in tyrannorum ædibus, sicut Moses, educatus sit.

Vetus narrat historia, gentem Hebræorum a sævissimis olim tyrannis oppressam fuisse : Deumque cum oppressos benigno ac propitio vultu respexisset, providisse ut propheta Moses, qui tum adhuc infans erat, in mediis tyrannorum ædibus et in ipso eorum gremio educaretur, omnemque quæ apud illos erat sapientiam perdisceret. Postea vero cum ille progressu temporis ad virilem pervenisset ætatem, et divina justitia quæ oppressis opitulari solet, pœnas ab iniquis tyrannis exposceret ; tunc Dei Propheta ex ipsis tyrannicis profectus ædibus, divinæ voluntati ministerium suum exhibuit. Et ipsos quidem tyrannos a quibus fuerat educatus, re ac verbis aversatus est : eos vero qui revera fratres et cognati erant, amicos ac familiares elegit. Posthæc Deus cum illum totius gentis ducem constituisset, Hebræos quidem acerbissima apud hostes servitute liberavit : tyrannorum autem genus cœlitus inflictis suppliciis ejus opera ultus est. Vetus, inquam, hæc historia, instar fabulæ a multis accepta, omnium aures mortalium implevit. Nunc vero idem nobis Deus majora omnibus fabulis miracula ipsis oculis spectare concessit, quod genus spectaculi apud eos qui recens viderunt, omni auditione fide dignius habetur. Nostra enim ætate tyranni quidem qui adversus Deum summum omnium Regem bellum movere instituerant, ejus Ecclesiam graviter oppresserunt. Constantinus vero qui postea tyrannorum interfector fuit ; dum adhuc adolescens esset et juvenili lanugine decorus, in medio illorum, ut quondam ille Dei famulus Moses, in ipsis tyrannorum ædibus subsedit. Neque tamen eosdem cum impiis mores, tametsi admodum adolescens, sectatus est. Quippe jam inde ab illa ætate, egregia indoles divino Spiritu impulsa, ipsum ad piam Deoque acceptam vitam, incitabat. Sed et patris æmulatio stimulos admovebat, qua ad virtutis et bonorum actuum imitationem juvenis provocabatur. Pater siquidem ei fuit (nam et hujus memoriam opportune renovare congruum est) Constantius : imperatorum nostri temporis nobilissimus. De quo nonnulla quæ ad filii commendationem pertinent, breviter a nobis exponenda sunt.

CAPUT XIII.

De patre ejus Constantio, qui Christianos ut Diocletianus et Maximianus persequi noluit.

Cum imperium Romanum a quatuor Augustis regeretur, hic diversum a collegis suis vitæ institutum æmulatus, solus cum Deo rerum omnium moderatore pacem firmavit. Illi enim ecclesias Dei expugnare adorti, solo æquarunt, et oratoria una cum ipsis fundamentis aboleverunt. Hic vero a nefaria illorum impietate puras manus atque integras servavit, nec se ullatenus eorum similem præstitit. Et illi quidem Dei cultorum tam virorum quam mulierum cædibus, tanquam civili quodam bello provincias sibi subjectas polluerunt. Hic vero animum ab hujusmodi scelere purum atque inviolatum semper servavit. Illi coacervatis impiissimæ superstitionis malis, seipsos primum, ac deinde subditos omnes nequissimorum dæmonum fraudibus manciparunt. Hic profundissimæ pacis intra imperii sui fines auctor ac signifer, subditis suis permisit ut absque ulla molestia divino cultui inservirent. Denique illi cunctos mortales gravissimis exactionibus opprimendo, vitam illis minime vitalem et quavis morte acerbiorem præstiterunt. Solus Constantius placidum ac tranquillum principatum suum subditis exhibens, paterna quadam cura ac sollicitudine eos fovit. Porro cum aliæ quoque innumerabiles hujus viri virtutes ab omnibus prædicentur, uno et altero ejus facinore commemorato, ex quibus conjectura fieri possit de iis quæ silentio prætereuntur, ad propositum nobis scribendi argumentum transgrediemur.

CAPUT XIV.

Quomodo Constantius exprobrata ipsi a Diocletiano paupertate, ærarium impleverit, et postea collatoribus pecuniam reddiderit.

Cum hic princeps crebris hominum sermonibus celebraretur, quod mitis esset ac placidus ; quod optimus Deique amantissimus ; quodque ob incredibilem erga subditos indulgentiam, nullam pecuniam in thesauris reconditam haberet : imperator is qui tunc temporis supremum imperii gradum obtinebat, missis ad eum quibusdam hominibus, objurgavit ejus in republica gerenda negligentiam : et paupertatem ipsi probro vertit ; hoc maxime argumento fidem dictis faciens, quod nihil in thesauris reconditum haberet. At ille eos qui ab imperatore venerant rogavit, ut

Digitized by Google

apud se aliquantisper morari vellent. Deinde ex omnibus provinciis quæ ipsius imperio parebant convocato opulentissimo quoque, se pecunia opus habere ils significavit; hancque occasionem oblatam esse, qua suam quisque erga principem benevolentiam sponte declarare deberet. Illi vero, utpote qui jampridem in votis habuissent, ut suum erga illum studium testificandi aliquando offerretur occasio: hoc audito, confestim auro, argento ac reliquis opibus thesauros ejus compleverunt: ambitiose certantes inter se, ut se invicem in largiendo superarent: idque læto atque hilari vultu omnes præstitere. Posthæc Constantius homines a seniore Augusto ad se missos, thesaurorum suorum spectatores esse jussit, et ea quæ vidissent renuntiare. Se quidem impræsentiarum hæc apud se congregasse: cæterum ea jampridem apud ipsos dominos tanquam apud fidos depositarum opum custodes sibi servari. Et hi quidem admiratione hujus rei perculsi sunt: humanissimus autem princeps post eorum discessum opum dominos accivisse dicitur: et obsequio illorum ac studio erga se magnopere laudato, jussisse ut cunctis opibus suis receptis domum reverterentur. Hoc igitur unum illius principis facinus est, quo singularis ejus humanitas perspicue declaratur. Alterum facinus, illustre ejus erga Deum pietatis indicium præbet.

CAPUT XV.

De persecutione ab aliis concitata.

Præsides provinciarum per universum orbem viros divino cultui deditos imperatorum jussu persequebantur. Primique omnium ex ipsis imperialibus palatiis progressi Dei amantissimi martyres, pro religione certamina obierunt; ignem et gladios marisque altissimos gurgites, et cuncta mortis genera alacri animo perpessi. Adeo ut brevi temporis spatio cuncta imperatorum palatia cultoribus Dei viduata sint. Quo maxime factum est, ut hujus sceleris auctores, Dei præsentia atque auxilio orbati remanerent. Dum enim cultores divini numinis persequuntur, eadem opera precationes pro semetipsis fieri solitas abegerunt.

CAPUT XVI.

Quomodo Constantinus simulans se simulacra colere, eos quidem qui sacrificare parati essent expulerit: illos vero qui se Christianos profiteri maluissent, in palatio retinuerit.

Soli Constantio sapiens quoddam consilium venit in mentem. Acres quidem ipsa quam gessit mirabilis est auditu; factu tamen longe admirabilior. Palatinis omnibus qui in ipsius aula militabant, ad ipsos usque judices in summis potestatibus constitutos, data eligendi utrum mallent facultate, hanc conditionem detulit, ut siquidem dæmonibus sacrificassent, manere ipsis in palatio et consuetis honoribus frui liceret: si vero id facere renuissent, ab ipsius aditu excluderentur, et ab ipsius notitia ac familiaritate remoti discederent. Cum ergo universi bifariam dirempti essent; aliusque in hanc, alius in illam partem discessisset; et uniuscujusque propositum ac sententia explorata fuisset: tunc eximius princeps consilium suum quod hactenus latuerat, detegens, illorum quidem timiditatem ac nimium sui ipsorum amorem condemnavit: hos vero ob devotam divino numini conscientiam magnopere probavit. Ac deinde illos quidem tanquam Dei proditores, ne principis quidem obsequio dignos judicavit. Nam quomodo, inquit, fidem erga principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? Itaque ejusmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos esse censuit. Illos vero quos Deo dignos esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga principem animo futuros esse affirmans, protectores atque imperii ipsius custodes constituit; ejusmodi homines inter præcipuos amicorum et maxime necessarios habendos esse dicens, multoque pluris æstimandos quam maximarum opum thesauros.

CAPUT XVII.

De affectu et amore ejusdem Constantii erga Christum.

Hujusmodi fuit Constantini pater sicut a nobis breviter indicatum est. Qualis autem exitus vitæ illi contigerit, cum se talem erga Deum præstitisset, quantumque discrimen inter illum et reliquos imperii consortes is quem coluerat Deus esse voluerit, quisquis rem ipsam attentius expenderit, facile cognoscet. Postquam enim multa regiæ virtutis indicia diutissime præbuisset, unum quidem summum omnium Deum agnoscens, eorum vero qui plures Deos, colerent impietatem condemnans, et sanctorum hominum precationibus domum suam undique munivisset, reliquum deinceps vitæ tempus expedite ac tranquille summa cum gloria exegisse dicitur: compos ejus felicitatis quam vulgo perhibent in eo positam esse, ut neque ab aliis afficiamur neque alios ipsi afficiamus molestia. Ad hunc igitur modum toto imperii sui tempore, quod æquabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, conjugem scilicet ac liberos cum omnibus ministris, uni omnium Regi Deo consecravit. Adeo ut multitudo eorum qui in ipsius palatio simul versabantur, nulla re ab Ecclesia Dei differret. Inter quos erant etiam ministri Dei, qui continuis precationibus pro salute principis Deum venerabantur: cum tamen vulgo apud alios ne ipsum quidem Dei cultorem nomen proferre fas esset.

CAPUT XVIII.

Quod post abdicationem Diocletiani et Maximiani, Constantius primus Augustus fuit, numerosa prole insignis.

Porro eas ob res non diu posthac mercedem a Deo est consecutus: in tantum ut primum imperii locum obineret. Nam cum seniores Augusti nescio quo pacto imperio se abdicassent, quæ repentina mutatio proximo post ecclesiarum eversionem anno illis contigit; solus exinde Constantius primus Augustus renuntiatus est. Qui initio quidem Cæsarum

Digitized by Google

diademate cum Galerio decoratus priorem gradum obtinuerat: postea vero cum in illa Cæsaris dignitate egregium sui specimen edidisset, summum apud Romanos honoris fastigium adeptus est; inter quatuor qui postmodum designati sunt, primus Augustus appellatus. Sed et numerosæ sobolis præstantia reliquos imperatores superavit, maximo liberorum utriusque sexus choro circumdatus. Denique cum in extrema senectute positus, debitum communi naturæ persoluturus atque ex hac luce migraturus esset, ibi Deus admirabilem potentiam suam ei denuo exhibens, providit ut filiorum ipsius natu maximus Constantinus jamjam morituro ad capessendum imperium præsto esset.

CAPUT XIX.

De filio ejus Constantino, qui adhuc adolescens una cum Diocletiano in Palæstinam venit.

Quippe hic una cum imperatoribus patris sui collegis versabatur, et quemadmodum vetus ille Dei propheta Moses in medio illorum, sicut jam diximus, degebat. Cumque transacta pueritia jam adolescentiæ annos ingressus esset, summo in honore apud supra dictos imperatores erat. Cujusmodi nos quoque eum vidimus, cum per Palæstinam provinciam transiret una cum seniore Augusto. Ad cujus dextram assistens, cunctis qui videndi desiderio tenebantur præstantissimus apparebat, et qui regiæ cujusdam celsitudinis animi jamtum indicia præberet. Nam quod ad pulchritudinem et proceritatem corporis attinet, nemo erat qui cum illo conferri posset. Sed et virium robore adeo inter æquales eminebat, ut ab illis etiam formidaretur. Animi vero virtutibus longe illustrior quam dotibus corporis fuit. Ac primum quidem modestia animum exornavit: deinde humanioribus disciplinis; et tum innata prudentia, tum sapientia divinitus infusa non mediocriter eum excoluit.

CAPUT XX.

Constantinus propter Diocletiani et Galerii insidias ad patrem revertitur.

At imperatores illius temporis, cum adolescentem viderent generosum ac fortem, magnumque et excelso animo præditum, invidia simul ac metu ob id torqueri cœpere. Itaque tempus opportunum captabant, ut malo atque ignominia juvenem afficerent. Id juvenis cum intellexisset (quippe insidiæ semel atque iterum ei comparatæ, Dei nutu detectæ fuerant) fuga salutem sibi quæsivit, magnum illum prophetam Mosem in hoc etiam imitatus. Porro Deus in omnibus illum adjuvit, providentia sua sic cuncta disponens, ut patri ad successionem imperii præsto esset.

CAPUT XXI.

Mors Constantii Constantinum filium imperatorem relinquentis.

Cum ergo evitatis insidiarum dolis, celeri cursu ad patrem profectus esset, ipse quidem post longum temporis spatium in patris conspectum venit. At Constantio sub idem tempus ultimus vitæ dies imminebat. Qui cum filium insperato sibi adesse cerneret, lecto exiliens, ambabus ulnis eum amplexus est: hunecque unum quo angebatur dolorem, ex absentia scilicet filii conceptum, jam ex animo penitus excussum esse affirmans, gratias Deo maximas egit, posthac mortem omni immortalitate potiorem sibi esse testatus. Dispositis deinde ex arbitrio rebus suis, et vale dicto liberis suis utriusque sexus qui instar cujusdam chori ipsum undique cingebant; in palatio et in regio cubili jacens, imperii administratione, ut naturalis ratio postulat, filio natu maximo in manus tradita, ex hac luce migravit.

CAPUT XXII.

Quomodo elato Constantio, Constantinus a militibus Augustus appellatus sit.

Neque tamen idcirco absque imperatore remansit respublica, quippe Constantinus paterna ornatus purpura, et ex paternis ædibus progressus, Constantium patrem tanquam redivivum et in filio adhuc regnantem cunctis exhibuit. Posthæc funus paternum antecedens cum ingenti paternorum amicorum multitudine, quorum alii anteibant, alii subsequebantur, pulcherrimo apparatu exequias Deo devoti principis celebravit. Cuncti beatissimum imperatorem acclamationibus et laudibus prosequebantur; unoque animorum consensu mortuum principatu filii restitui atque in lucem revocari censebant; et faustis acclamationibus novum principem, imperatorem, Augustum, primo statim impetu appellabant. Et hæ quidem filium laudantium voces patri mortuo ornamentum afferebant: filium vero beatum prædicabant, qui tanti patris successor esset renuntiatus. Sed et omnes provinciæ ejus imperio subjectæ, maximo gaudio et inexplicabili lætitia perfusæ sunt; utpote quæ ne minimo quidem temporis momento imperiali providentia destitutas se fuisse sensissent. Hujusmodi piorum ac Dei amantium hominum exitum esse Deus in imperatore Constantio universis nostræ ætatis hominibus declaravit.

CAPUT XXIII.

Interitus tyrannorum brevis commemoratio.

Qualis vero exitus fuerit aliorum qui Ecclesias Dei tanquam indicto bello oppugnarunt, nequaquam hic commemorandum esse duxi, nec bonorum memoriam, malorum attexta commemoratione esse violandam. Sufficiunt certe res ipsæ, ad reprimendos et in officio continendos eos qui scenam omnem calamitatum quæ singulis illorum acciderunt, ipsis oculis atque auribus accepere.

CAPUT XXIV.

Quod Constantinus imperium Dei arbitrio sit consecutus.

In hunc modum universorum auctor et totius mundi moderator Deus Constantinum tali parente genitum, principem atque imperatorem per se ipse provexit: adeo ut, cum cæteri omnes aliorum suf-

Digitized by Google

fragio hunc honorem consecuti sint, solus hic fuerit de cujus promotione nemo mortalium gloriaretur.

CAPUT XXV.

Constantini de Britannis et Barbaris victoriæ.

Postquam igitur in imperio firmatus est, primum quidem imperii partibus sibi a patre transcriptis prospicere cœpit; universas provincias quæ antea sub patris administratione fuerant, cum summa humanitate perlustrans. Sed et Barbaros qui ad Rhenum et occidentalem oceanum positi novos motus concitare ausi essent, cunctos suæ dominationi subjiciens, ex feris mansuetos reddidit. Alios vero reprimere contentus, tanquam feras bestias ab imperii sui finibus absterruit : eos videlicet quorum insanabiles animos ad tranquillam et quietam vivendi rationem traduci nullo modo posse animadverterat. Quibus ex animi sententia confectis, reliquas orbis partes sibi ob oculos proponens, interim quidem adversus Britannicas gentes in intimo oceani recessu sitas trajecit. Eas vero cum subegisset, ad alias mundi partes oculos convertit, ut ea quæ auxilio ipsius indigebant, persanaret.

CAPUT XXVI.

Quomodo Romam Maxentii tyrannide liberare decreverit.

Posthæc universum terrarum orbem instar vasti cujusdam corporis animo complexus, ipsamque totius mundi caput et imperii Romani dominatricem urbem, tyrannica dominatione oppressam conspiciens; primum quidem eam vindicandi ac liberandi partes iis cessit qui reliquas imperii romani portiones obtinebant, utpote ætate potioribus. Sed cum nullus eorum opitulari posset, adeoque ipsi qui id tentare voluerant ignominiosum exitum nacti essent; vitam sibi minime vitalem esse professus, si urbem omnium dominam tanta ægritudine affectam despiceret, ad extinguendam tyrannidem sese adcinxit.

CAPUT XXVII.

Quod Constantinus eorum qui simulacra coluissent interitum considerans Christianismum potius elegit

Jam vero cum intelligeret præter militares copias præstantiore aliquo subsidio sibi opus esse, ob maleficas artes magicasque præstigias quas tyrannus studiose consectabatur : Deum sibi adjutorem quæsivit; armorum quidem apparatum et militum copias secundo loco ducens; auxilium autem divini numinis invictum et inexpugnabile esse sibi persuadens. Igitur cogitare apud se cœpit, quemnam sibi Deum adsciseeret. Quod dum sollicite inquirit, hæc illi subiit cogitatio : ex plurimis qui ante se imperium tenuerant, eos quidem qui in deorum multitudine spem suam collocassent, et qui victimis illos ac donariis coluissent, primum vaticiniis ad assentationem compositis, et oraculis fausta omnia pollicentibus delusos, tandem infausto mortis genere interiisse; nec deorum quemquam præsto illis adfuisse, qui eos invecto divinitus exitio liberaret. Solum ipsius patrem, qui contrariam prioribus illis viam iniisset; et qui eorum quidem errorem condemnasset, unum vero supremum omnium Deum toto vitæ spatio coluisset; eumdem servatorem ac imperii custodem, et omnium bonorum auctorem habuisse. Hæc ille cum apud se expendisset; recteque animadvertisset, illos quidem qui in deorum multitudine fiduciam posuissent, in multitudinem quoque exitiorum esse delapsos; adeo ut nec generis illorum ac sobolis, nec stirpis ac nominis, nec memoriæ ullum inter homines vestigium remanserit : contra vero Deum patris sui, multa eaque illustria potentiæ suæ documenta ipsi præbuisse. Cumque præterea considerasset, eos qui jam antea copias adversus tyrannum duxerant, cum deorum multitudine ad pugnam profectos, turpem exitum habuisse. Alter enim re infecta cum omnibus copiis ignominiose recesserat : alter in medio exercitu jugulatus, tanquam fortuita mortis præda exstiterat. Hæc, inquam, omnia cogitatione sua complexus, deos quidem qui nusquam essent colendo nugari, et post tot ac tanta documenta cæco adhuc errore ferri, summæ dementiæ esse existimavit : solum vero Deum genitoris sui sibi esse colendum censuit.

CAPUT XXVIII.

Quomodo Deus oranti visionem ostenderit in cœlo sub meridiem, crucem videlicet lucidam cum inscriptione, monente ut in hac vinceret.

Hujus ergo opem implorare cœpit, orans atque obsecrans ut se ipsi noscendum præberet, ac præsentibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Hæc precanti ac suppliciter postulanti imperatori, admirabile quoddam signum a Deo missum apparuit. Quod si quidem ab alio quopiam diceretur, haud facile auditores fidem essent habituri. Verum cum ipse Victor Augustus nobis qui hanc historiam scribimus, longo post tempore, cum videlicet in ejus notitiam et familiaritatem pervenimus, id retulerit et sermonem sacramenti religione firmaverit; quis posthac fidem huic narrationi adhibere dubitabit? Præsertim cum id quod subsecutum est tempus, sermonis hujus veritatem testimonio suo confirmaverit. Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis se vidisse affirmavit, cum hujusmodi inscriptione : Hac vince. Eo viso et seipsum et milites omnes, qui ipsum nescio quo iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos.

CAPUT XXIX.

Quomodo Christus Constantino in somnis visus, præceperit ut signo ad crucis formam facto uteretur in bellis.

Interim ipse, ut aiebat, addubitare animo cœpit quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi et diu multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo quod in cœlo ostensum fuerat, præcepitque, ut militari signo ad similitudinem ejus quod in cœlo

Digitized by Google

vidisset fabricato, eo tanquam salutari præsidio in prœliis uteretur.

CAPUT XXX.

Fabricatio ejus signi ad crucis similitudinem.

Ille primo statim diluculo surgens, arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri ac gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro ac lapillis similitudinem ejus exprimerent. Quod et nos aliquoties videre meminimus.

CAPUT XXXI.

Descriptio signi instar crucis formati quod Romani labarum vocant.

Erat autem ejusmodi. Hasta longior auro contecta, transversam habet antennam instar crucis. Supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis et auro contexta. In hac salutaris appellationis signum; duæ videlicet litteræ, nomen Christi primis apicibus designabant, litera, ρ, in medio sui decussata. Quas quidem literas imperator in galea gestare posthæc etiam consuevit. Porro ex antenna quæ oblique per hastam trajecta est, velum quoddam dependebat; textum videlicet purpureum pretiosis lapidibus inter se junctis, et luminis sui fulgore oculos præstringentibus coopertum, multoque intertexto auro inexplicabilem quamdam pulchritudinis speciem intuentibus præbens. Atque hoc velum antennæ affixum, latitudinem longitudini æqualem habuit. Ipsa vero recta hasta ab infima sui parte in magnam longitudinem producta, in superiori parte sub ipso crucis signo ad ipsam veli variis coloribus depicti summitatem, auream Deo cari imperatoris et liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus sublimem gestabat. Hoc igitur salutari signo, tanquam munimento adversus opposita quorumvis hostium copias imperator semper est usus; aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus præferri jussit.

CAPUT XXXII.

Quomodo Constantinus Catechumenus factus sacras Scripturas perlegerit.

Sed hæc postea. Tunc vero admirabili visione obstupefactus, cum nullum alium præter illum quem viderat Deum sibi colendum esse statuisset, Sacerdotes arcanæ illius doctrinæ mysteriis instructos ad se accersivit; et quisnam ille Deus esset interrogavit, quidve signi illius visio sibi vellet. Illi hunc quidem Deum esse dixerunt, unius ac solius Dei unicum Filium : signum vero illud quod ostensum fuisset, immortalitatis symbolum esse, et tropæum victoriæ quam ille in terris olim versatus, de morte retulisset. Simul causas illius adventus eum docuerunt, accuratam incarnationis rationem ei exponentes. At ille hos quidem sermones discendi cupidus auscultabat. Cæterum Dei præsentiæ suis conspectibus exhibitæ admiratione tenebatur. Cumque cœlestem illam visionem et sacerdotalium sermonum interpretationem inter se contulisset, confirmatus est animo, harum rerum cognitionem Dei ipsius magisterio sibi tradi pro certo habens. Exinde ipsemet divinorum librorum lectioni vacare instituit, et cum sacerdotes Dei sibi assessores adscivisset, Deum illum quem viderat, omni observantia colendum esse duxit. Posthæc munitus spe bona quam in illo collocaverat, tyrannici furoris incendium restinguere aggressus est.

CAPUT XXXIII.

De adulteriis a Maxentio Romæ perpetratis.

Quippe ille qui urbem regiam per tyrannidem occupaverat, eo impietatis ac flagitii processerat, ut quodvis nefarium atque impurum facinus audacter susciperet. Etenim uxores per divortium a maritis sejunctas violavit, easdemque violatas ad maritos remisit. Neque vero homines obscuros atque ignobiles, sed ipsos primores senatus Romani, eo contumeliæ genere affecit. Cæterum cum innumeras fere mulieres ingenuas fœde violaret, immoderatam tamen animi sui libidinem nullatenus poterat explere. Sed postquam mulieres christianas sollicitare cœpit, nullis artibus perficere potuit ut earum congressu frueretur. Hæ namque animam leto objicere, quam corpus ei ad stuprum permittere malebant.

CAPUT XXXIV.

Quomodo uxor præfecti, pudicitiæ servandæ causa mortem sibi conscivit.

Quædam ex his, nupta senatorii ordinis viro qui præfecturam administrabat, cum satellites quibus tyrannus hujusmodi flagitiorum ministris utebatur, pro foribus adesse comperisset, et virum suum metu adactum permisisse illis ut se prehensam abducerent (erat autem mulier christiana) breve temporis spatium concedi sibi flagitavit ad corpus solemni cultu exornandum. Et cubiculum ingressa, solam se relictam videns, gladium pectori immersit; statimque exanimata, cadaver quidem perductoribus reliquit. Ipsis vero factis quæ omni voce clarius resonant, cunctis qui nunc sunt et qui posthac erunt mortalibus declaravit, pudicitiam penes solos christianos invictam atque inexpugnabilem, nec morti obnoxiam esse. Atque hæc quidem ita se gessit.

CAPUT XXXV.

Cædes populi Romani jussu Maxentii.

Eum igitur ad ejusmodi facinora cum omni audacia prorumpentem cuncti reformidantes, tam plebei quam magistratus, tam nobiles quam obscuri, gravissima tyrannide opprimebantur. Ac tametsi quiete agerent et acerbissimam servitutem patienter tolerarent, ne sic tamen vitare poterant cruentam tyranni atrocitatem. Denique, quodam die levissimam ob causam populum Romanum prætorianis militibus obtruncandum dedidit. Atque ita innumerabilis multitudo populi Romani, non Scytharum ac Barbarorum, sed civium suorum hastis armisque in media urbe trucidata est. Quantæ porro Senatorum cædes factæ sint, ut in bona uniuscujusque eorum invaderetur, numerari nullo modo potest; cum quotidie plurimi confictis variis criminibus interficerentur.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Magicæ artes Maxentii, et alimentorum penuria Romæ.

Tandem vero tyrannus sceleribus suis quasi quoddam fastigium, magicæ artis præstigias imposuit, nunc mulieres gravidas dissecans, nunc infantum recens in lucem editorum rimans viscera, leones quoque interdum mactans, et quædam nefanda peragens sacra ad dæmones evocandos, et ad bellum quod jam instabat, depellendum. His enim artibus victoriam se adepturum sperabat. Hic igitur dum Romæ tyrannidem exercet, vix dici potest quot quantisque malis subditos oppresserit atque in servitutem redegerit : adeo ut ad extremam trusi sint alimentorum penuriam, qualem antea Romæ unquam fuisse, nulla hominum ætatis nostræ memoria recordatur.

CAPUT XXXVII.

Maxentii exercitus in Italia superati.

Ob hæc cuncta dolore ac miseratione commotus Constantinus, omni bellico apparatu adversus tyrannidem sese instruxit. Cumque summum omnium Deum patronum sibi adscivisset, Christumque ejus Filium servatorem atque auxiliatorem invocasset ; et victoriæ tropæum, salutare scilicet signum ante milites ac stipatores suos statuisset, cum omni exercitu progressus est, eo consilio ut Romanis libertatem quam a majoribus suis acceperant, interventu suo restitueret. Porro cum Maxentius magicarum artium præstigiis magis quam subditorum benevolentia confisus, ne quidem extra urbis portas progredi auderet ; cuncta vero in circuitu urbis Romæ ac totius Italiæ loca, oppida, regiones quas servitutis jugo oppressas tenebat, innumerabili armatorum multitudine et dispositis ad insidiandum exercitibus undique muniisset : divino fretus auxilio imperator, primam, secundam ac tertiam tyranni aggressus aciem, cunctis primo statim impetu fusis ac fugatis, in interiora Italiæ penetravit.

CAPUT XXXVIII.

Maxentii interitus in ponte Tiberis.

Tandemque ad ipsam urbem Romam propius accessit. Verum ne unius tyranni causa Romanos omnes oppugnare necesse haberet, Deus illum quasi vinculis quibusdam constrictum quam longissime extra urbis portas protraxit : simulque prisca illa adversus impios edita miracula, quæ sacris voluminibus continentur, et quibus multi quidem perinde ac fabulis fidem derogant, cum tamen fidelibus fide digna videantur, cunctis tam fidelibus quam infidelibus qui hoc miraculum quod dicturi sumus oculis suis spectaverunt, verissima esse opere ipso comprobavit. Nam quemadmodum Mosis ac religiosæ quondam gentis Hebræorum temporibus, Deus currus et exercitum Pharaonis projecit in mare, lectissimos milites ex curru pugnantes tristatas submersit in mari rubro, et fluctibus operuit ; sic plane Maxentius, et quicumque circa illum erant milites ac stipatores, instar lapidis in altissimum gurgitem ceciderunt. Tunc A videlicet cum divina virtute Constantini partibus auxiliante in fugam actus, fluvium sibi objectum pertransiret : in quo, ponte ex scaphis firmissime contabulato, ipse machinam quamdam in suam ipsius perniciem construxerat, Deo dilectum principem hujusmodi dolo interceptum iri sperans. Verum huic quidem Deus quem colebat, auxilio adfuit. At impius ille, occultas machinas in suum ipsius caput miser comparavit. Proinde et hoc merito dici potuit ; Scrobem aperuit atque effodit, et in foveam quam fecit ipse incidet. Convertetur labor ejus in proprium ipsius caput, et in verticem ipsius injustitia ejus recidet. Sic igitur machinis quæ in ponte constructo fuerant cum occulta decipula tempore minime sperato dissolutis, transitus quidem subsidere cœpit : B navigia vero simul cum ipsis hominibus repente pessumiere. Et infelix ille omnium primus, deinde cuncti quos circa se habebat protectores ac stipatores, sicut divina prædixerunt oracula, instar plumbeæ massæ in altissimum gurgitem cecidere. Adeo ut milites qui tunc ope divini Numinis victoriam adepti sunt, perinde ac olim Israelitæ quos magnus ille Dei famulus Moses ducebat, merito si non verbis, saltem rebus ipsis eadem quæ illi quondam adversus impium illum Pharaonem cantaturi fuerint in hunc modum : Cantemus Domino : magnifice enim glorificatus est. Equum et ascensorem projecit in mare. Adjutor et protector factus est mihi ad salutem. Et iterum : Quis similis tibi inter deos, Domine, quis similis tibi? Glorificatus in sanctis, admirabilis in C gloria, faciens prodigia.

CAPUT XXXIX.

Ingressus Constantini in urbem Romam.

Hæc et alia horum germana cum Constantinus eo tempore magnum Dei famulum Mosem imitatus, in laudem Dei universorum principis et victoriæ auctoris factis ipsis cecinisset, Romam triumphans ingressus est. Omnesque pariter tam ex senatu quam ex equestri ordine, tanquam carceris custodia liberati, cum universo populo Romano, læto vultu faustisque acclamationibus cum inexplebili gaudio ex intimo animorum affectu eum excepere. Et cuncti tam viri quam mulieres cum liberis et infinita famulorum multitudine, illum liberatorem, servatorem ac bonoD rum auctorem, incredibili clamore quem nemo cohibere poterat appellabant. Verum ille pietatem in Deum quasi insitam sibi atque innatam gerens, nec hujusmodi acclamationibus, nec laudibus elatus est. Sed cum Dei auxilium sibi adfuisse probe intelligeret, illico victoriæ auctori gratiarum actionem sup plex rependit.

CAPUT XL.

De Constantini statua crucem tenente, et de ejus inscriptione.

Et clara voce ac titulorum inscriptionibus, salutare signum cunctis hominibus annuntiavit : hoc tropæo in medio urbis regiæ adversus hostes erecto, atque hoc salutari signo quod imperii Romani ac to-

Digitized by Google

tius orbis præsidium est, literarum notis nunquam interiturus inciso. Statim ergo sublimem hastam in modum crucis, sub manum statuæ suæ in celeberrimo urbis loco poni jussit, et hujusmodi inscriptionem latino sermone subjici : *Hoc salutari signo quod veræ virtutis argumentum est, vestram urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi. Senatui populoque Romano in libertatem asserto pristinum decus nobilitatis splendoremque restitui.*

CAPUT XLI.

Exultatio provinciarum, et largitiones Constantini.

In hunc modum Dei amantissimus imperator victricis crucis confessionem præ se ferens, Filium Dei Romanis libere atque ingenue prædicavit. Et cuncti qui urbem incolebant, tam senatus quam populus, utpote acerba et tyrannica dominatione liberati, respirare quodammodo et purioris lucis radiis perfrui sibi videbantur, atque in novam quamdam vitam renasci. Gentes quoque universæ quotquot occidentali oceano terminantur, pristinis malis liberatæ, festos dies cum omni hilaritate celebrabant; Constantinum victorem, Dei amicum, de omnibus bene meritum continuis laudibus prædicantes. Eum cuncti commune quoddam bonum, Dei benignitate humano generi donatum illuxisse, uno ore atque, una voce testabantur. Sed et imperatoris literæ ubique propositæ legebantur : quibus ii qui bonis suis spoliati fuissent, eorum possessionem beneficio principis recuperabant, et qui injuste relegati essent, penatibus suis restituebantur. Vinculis quoque et omni periculo ac metu liberabantur ii, qui per tyrannicam crudelitatem iis vexati fuissent.

CAPUT XLII.

Honores episcopis delati, et ecclesiarum extructiones.

Porro ipse imperator ministros Dei a se convocatos, omni obsequio atque honore prosequebatur; eos utpote Deo quem colebat consecratos, non verbis modo, verum etiam factis humaniter excipiens. Proinde mensæ ipsius adhibebantur homines, externo quidem habitu ac vestitu despicabiles, sed quos ille minime despicabiles judicabat : quippe qui non externam hominis speciem quæ oculis subjecta est, sed Deum ipsum introspiceret. Ad hæc quocumque iter faceret, eos secum deducebat; Deum quem illi colerent, ob id etiam propitium sibi adfore pro certo habens. Quin etiam ecclesiis Dei plurima ex thesauris suis beneficia subministravit; partim sacras ædes amplificans et in sublime erigens, partim augusta ecclesiarum sacraria plurimis donariis exornans.

CAPUT XLIII.

De Constantini in pauperes beneficentia.

Variis denique pecuniarum divisionibus egentium inopiam sublevans. Extraneis præterea qui ipsum adirent, humanum se ac liberalem præbebat. Ac miseris quidem illis et abjectis qui in foro mendicant, non pecunias solum et alimenta ad victum necessaria, sed etiam vestem ad tegendam corporis nuditatem suppeditari jussit. Illis vero qui cum ingenui atque opulenti prius exstitissent, postea mutata sorte in extremas calamitates inciderant, largiora vitæ subsidia commodavit. Prorsusque regio animo magnifica quædam munera in ejusmodi homines conferens, aliis agros donavit, alios variis dignitatibus ornavit. Et eorum quidem qui in orbitatis miserias incidissent, quasi pater curam gerebat : viduarum autem mulierum solitudinem sublevans, eas patrocinio suo fovebat. Quin etiam virgines parentibus suis orbatas ipse hominibus opulentis ac familiaribus suis in matrimonium dedit. Idque agebat, cum prius dedisset nubentibus, quæcumque ipsas viris suis conferre oportebat. Denique quemadmodum sol supra terras exoriens lucis suæ radios cunctis liberaliter impertit; sic plane Constantinus primo diluculo procedens ex palatio, ac cum cœlesti solis jubare quodammodo exoriens, cunctis adeuntibus beneficentiæ suæ radios impertiebat. Nec ullus unquam ad illum propius accessit, qui fructum alicujus beneficii non retulerit : nec spe sua unquam frustrati sunt, qui ab ipso aliquid auxilii exspectassent.

CAPUT XLIV.

Quomodo synodis episcoporum interfuit.

Ac generaliter quidem erga omnes talem se præstitit. Verum Ecclesiæ Dei præcipue curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium episcopus a Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit. Nec dedignatus adesse et considere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit; ea quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans. Porro sedebat in medio tanquam unus e multis; protectores quidem cunctosque corporis custodes procul amovens, Dei autem timore contectus, et amicorum fidelium benevolentia vallatus. Cæterum quoscumque saniori sententiæ acquiescere, et ad quietem et concordiam propensos esse animadverterat, eos maxime probabat; palam indicans unanimi omnium consensu se in primis delectari. Pertinaces vero et immorigeros aversabatur.

CAPUT XLV.

Quomodo insipientes toleraverit.

Quin etiam nonnullos qui adversus ipsum asperius invecti fuerant, patienter tulit; leni ac sedata voce eis præcipiens, ut modestius agere, nec seditiones excitare vellent. Ex his alii admonitiones ejus reveriti, a pervicacia animi desistebant. Alios qui ad sanam mentem nullo remedio revocari poterant, Deo committens relinquebat; nihil adversus quemquam asperius unquam designans. Hanc ob causam, ut credibile est, qui in Africa seditionem commoverant, eo improbitatis proruperunt, ut abrupta quædam facinora tentarent; dæmone ut videtur ob præsentium bonorum copiam invidia percito, et ad gravia quædam et atrocia facinora homines incitante, quo imperatoris animum contra ipsos accenderet. Verum nihil profecit invidia, cum imperator ea quæ fiebant, ridenda esse duceret; et maligni dæmonis impulsio-

Digitized by Google

nem agnoscere se affirmaret. Neque enim sanorum A hominum illa esse facinora, sed vel penitus amentium, vel eorum qui nequissimi dæmonis stimulis agitarentur : cujusmodi homines miseratione potius quam supplicio dignos esse. Non enim tantæ justitiæ est, insurgere ad puniendum furorem hominum amentium, quantum eorumdem vicem dolere, extremæ humanitatis est.

CAPUT XLVI.

Victoriæ de Barbaris relatæ.

Et imperator quidem ad hunc modum in omnibus suis actibus Deo omnium inspectori cultum exhibens, Ecclesiis ejus inconcussa sollicitudine providebat. Deus vero ei vicem rependens, cunctas fere barbaras gentes pedibus illius subjecit; adeo ut tropæa ubique B de hostibus erigeret. Illum victorem apud omnes mortales illustri præconio renuntiavit; illum formidabilem inimicis et hostibus reddidit, quamvis suapte natura minime talis, sed potius mansuetissimus, lenissimus atque humanissimus esset omnium mortalium.

CAPUT XLVII.

Mors Maximiani et aliorum quorum insidias Deo revelante Constantinus deprehenderat.

Hæc dum ab eo geruntur, alter eorum qui se imperio abdicaverant, cum insidias in ejus nece compararet, deprehensus turpissimo mortis genere interiit. Primusque hic est cujus utpote impii ac scelerati hominis imagines omnes et statuæ, cæteraque id genus monumenta quæ honoris causa erigi solent, ubique C terrarum dejecta sunt. Post hunc alii quoque propinquitate generis conjuncti, cum occulte ei insidiarentur, deprehensi sunt; Deo scilicet cuncta illorum consilia mirabili quodam modo per visiones famulo suo detegente. Nam et præsentiam suam ei sæpius exhibere dignatus est, divina scilicet specie per summum miraculum ei apparente, ac futurarum rerum præscientiam ipsi suggerente. Et inexplicabilia quidem illa divinæ gratiæ miracula, quæ Deus ipse famulo suo præstare dignatus est, ne comprehendi quidem dicendo facile possunt. Quibus ille munitus, reliquum tempus ætatis tutissime traduxit; tum ex subditorum benevolentia maximam capiens voluptatem; tum ex eo quod cunctos imperio suo subjectos in summa tranquillitate ac lætitia degere videbat : D tum præcipue ob splendorem Ecclesiarum Dei incredibili gaudio gestiens.

CAPUT XLVIII.

Constantini decennalia.

Dum in hoc statu esset, decimus imperii ejus annus evolutus est. Cujus rei causa festis diebus per universum orbem Romanum celebratis, preces cum gratiarum actione tanquam puras victimas, ignis et aloris expertes, Deo omnium Regi obtulit. Et ex his quidem maximam animo capiebat voluptatem : sed non perinde eum oblectabant nuntii illi, qui de provinciarum Orientis vastatione afferebantur.

CAPUT XLIX.

Quomodo Licinius Orientem afflixerit.

Etenim immanis quædam bellua tum Ecclesiæ Dei, tum reliquis provincialibus illic insidiari nuntiabatur: cum nequissimus dæmon quasi æmulatione succensus, iis quæ ab imperatore Dei amantissimo gerebantur, contraria facere studeret. Adeo ut imperium Romanum duas in partes divisum, nocti ac diei simile esse omnibus videretur. Quippe Orientis quidem incolas caligo noctis premebat : eos vero qui Occidentis partes habitabant, serenissimus illustrabat dies. Qui cum infinitis bonis a Deo sibi conciliatis fruerentur, non tulit id maligni dæmonis invidia bonis omnibus infesta. Sed neque tyrannus qui alteram partem orbis Romani dominatione sua opprimebat, id ferendum putavit. Qui cum res suas prospero cursu ferri videret tantique principis affinitate esset honoratus; religiosi quidem imperatoris exemplum sequi neglexit: impiorum vero instituta atque improbos mores studuit imitari. Et quorum miserabilem vitæ exitum suis ipse oculis conspexisset, eorum consilia sequi maluit, quam in amicitia et concordia cum eo qui præstantior erat ac potior, permanere.

CAPUT L.

Quomodo Licinius Constantino insidiatus sit.

Bellum igitur inexpiabile homini bene de se merito intulit; nec amicitiæ jura, nec sacramentorum religionem, nec generis necessitudinem, nec fœdera in memoriam revocans. Nam Constantinus quidem utpote benignissimus princeps, quo sinceræ benevolentiæ certissimum ei argumentum daret, paternæ stirpis nobilitatem, et imperatorii jam inde a majoribus generis splendorem ei communicaverat, sorore sua in matrimonium data : totiusque imperii Romani consortio eumdem frui permiserat. Licinius vero plane his contraria animo volvens, adversus præstantiorem occultis artibus grassabatur; varia subinde insidiarum genera comminiscens, ut bene meritum malis remuneraretur. Ac principio quidem amicitiam simulans, dolo ac fraude cuncta agebat; sperans fore ut consilia sua laterent. Verum Deus insidias quæ clanculo struebantur, famulo suo detexit. At Licinius in primis conatibus deprehensus, ad secundas fraudes se contulit; nunc amicitiæ fidem prætendens; nunc fœderum ac sacramentorum religione fidem sibi concilians: deinde pacta conventa repente violans, rursusque per legatos veniam poscens : ac denuo mendaciis fœde illudens. Tandem vero bellum palam indixit, et desperata mentis audacia incitatus, adversus Deum ipsum cujus cultui imperatorem Constantinum deditum esse cognoverat, arma deinceps ferre instituit.

CAPUT LI.

Licinii insidiæ adversus Episcopos, et prohibitio Synodorum.

Ac primum quidem Dei ministros sub ditione sua degentes, qui nihil unquam criminis adversus impe-

Digitized by Google

rium ipsius commiserant, obscure et callide circumvenit, varias adversus eos calumnias investigans. Cumque nullum ipsi crimen suppeteret, nec haberet quod viris illis posset objicere, lege lata præcepit ne episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini ecclesiam ventare liceret, et synodos ac concilia de communibus negotiis habere. Verum hæc illi ad nos vexandos occasio quærebatur. Nam si quidem nostri legem violassent, pœnam subire eos oportebat: sin præcepto paruissent, ecclesiasticas leges convelli. Neque enim majoris momenti controversiæ, aliter quam per synodos componi possunt. Et alioqui Deo infestus tyrannus, cum principi Deo amantissimo adversari in omnibus studeret, hæc nostris imperavit. Nam Constantinus quidem sacerdotes Dei, pacis et concordiæ mutuæ causa in unum convocabat: idque in honorem ejus cui sacra faciebant. Licinius vero dum optima quæque convellere molitur, concentum Ecclesiarum turbare tentavit.

CAPUT LII.

Christianorum exilia et proscriptiones.

Et quoniam Deo carus Constantinus famulos Dei in palatium libenter admittebat, hostis Dei Licinius contraria omnia sentiens, cunctos Dei cultores qui sub imperio suo degebant, palatio expulit; et quos in comitatu suo habebat fidissimos ac devotissimos, eos præcipue in exilium relegavit. Quique ob egregia facinora vel honore aliquo, vel dignitate ab ipso antehac fuerant ornati, hos aliis servire, et famulorum ministeria obire mandavit. Cumque omnium bona tanquam lucrum aliquod sibi oblatum rapuisset, ad extremum mortem quoque minatus est iis, qui salutare sibi nomen christianæ religionis assumerent. Porro cum in omnem libidinem ac lasciviam effusus esset, multaque adulteria aliaque detestandæ obscœnitatis flagitia committeret, pudicitiæ et continentiæ honestatem ab hominibus præstari neutiquam posse censuit; de communi hominum natura ex suomet ipsius morbo pessime judicans.

CAPUT LIII.

Edictum Licinii, ne mulieres una cum viris in ecclesiam convenirent.

Idcirco alteram legem tulit, qua jubebat, ne viri orandi causa in ecclesiam Dei simul cum mulieribus convenirent; neve mulieres ad venerandas virtutis scholas discendi causa ventarent, postremo ne episcopi divinæ religionis præcepta mulieribus traderent, sed ut mulieres ad id electæ, docendis mulieribus præficerentur. Quæ cum ab omnibus riderentur, aliud quidpiam commentus est ad ecclesiarum eversionem. Jussit enim ut solemnes populorum conventus extra portas in aperta planicie celebrarentur; asserens liberum extra portas aerem turbis longe commodiorem esse, quam oratoria intra urbem sita.

CAPUT LIV.

Quomodo eos qui sacrificare renuissent, militia sotvit: et carcere inclusos, ali vetuit.

Verum cum ne in hoc quidem obsequi sibi illos videret, tandem rejectis ambagibus, nudo quod aiunt capite, decrevit ut milites qui per singulas urbes apparebant judicibus, nisi dæmonibus sacrificare mallent, ab apparitione præsidialis officii removerentur. Proinde officia magistratuum per singulas provincias viris piis ac religiosis nudabantur. Sed et ipse qui hanc legem tulerat, nudabatur orationibus sanctorum virorum, quibus semet ipse privarat. Quid præterea commemorare attinet, quo pacto præceperit, ne miseris in carcere detentis alimenta quisquam humaniter subministraret; neve quis homines in vinculis fame contabescentes, miseratione prosequeretur: hoc est, ne quis omnino vir bonus existeret; neve li qui ad proximorum miserationem natura ipsa ducuntur, boni quidquam præstarent. Fuit hæc profecto quidem lex palam impudens et immanissima; omnemque morum feritatem facile superavit. Quinetiam legi adjecta erat hæc pœna, ut qui inclusis stipem dedissent, pari cum ipsis supplicio plecterentur; utque in carcerem et vincula conjecti eamdem cum noxiis pœnam subirent, qui humanitatis officia eis præstitissent.

CAPUT LV.

De iniquitate et avaritia Licinii.

Hujusmodi fuere constitutiones Licinii. Quid vero opus est recensere quæ in nuptiis aut circa morientes innovavit; vetustas Romanorum leges recte et sapienter constitutas ausus abolere, et barbaras quasdam atque immanes planeque illegitimas et iniquas leges illarum loco substituere? Mille præterea exactionum genera adversus subditos excogitavit. Quocirca novas agrorum mensiones adinvenit, ut exigui agri majorem imputaret modum, ob inexplebilem cupiditatem nimiarum exactionum. Ideo rusticorum qui superstites amplius non erant, sed jampridem obierant, nomina in censualibus tabulis inscribebat, turpis lucri hinc compendium captans. Neque enim sordida hominis parcimonia ullum habebat modum, nec habendi cupiditatem satietas finiebat. Itaque cum auro et argento et immensa opum copia thesauros suos implesset, gemens de paupertate sua querebatur, Tantalico quodam morbo vexatus. Quid referam exilia quibus viros innocentes damnavit? Quid bonorum publicationes? Quid nobiles ac præcipuæ dignitatis homines in carcerem abductos, quorum uxores sceleratis quibusdam mancipiis constuprandas dabat? Quid mulieres nuptas, quid virgines recenseam, quibus ipse licet affecta jam ætate, vim inferre tentavit? Nihil opus est in his commemorandis diutius immorari, cum postremorum ejus facinorum gravitas, ut priora hæc levia ac prope nulla viderentur, effecerit.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

Quomodo persecutionem adversus Christianos tandem excitaverit.

Denique eo furoris processit, ut Ecclesiis bellum inferret, ipsosque episcopos adoriretur, quos maxime sibi adversos esse intelligebat; pro inimicis habens eos qui maximi Deoque carissimi imperatoris amici essent. Ob quam præcipue causam furorem suum in nos exacuit, a recta ratione desciscens. Nec exemplum eorum qui ante ipsum Christianos fuerant persecuti, in memoriam sibi revocavit; nec illorum quorum ob impia facinora ultor ipse atque extinctor fuerat constitutus. Nec animo et cogitatione recoluit ea quorum ipse spectator exstiterat; tunc cum illum omnium malorum antesignanum, quisquis ille tandem fuit, inflicta divinitus plaga percussum suis ipse oculis conspexit.

CAPUT LVII.

Qualiter Maximianus fistuloso ac verminante ulcere perdomitus, pro Christianis legem scripserit.

Nam cum hic Ecclesias oppugnare exorsus fuisset, primusque justorum ac Dei cultorum cædibus animum suum contaminasset; merito eum divina ultio corripuit, ab ipsis exorsa carnibus, et ad animam usque progressa. Repente enim in medio occultiorum corporis partium abscessus ei nascitur: ulcus deinde in imo fistulosum. Utriusque insanabilis morsus intima viscera depascebatur. Ex his incredibilis vermium multitudo scaturiens, letalem exhalabat fœtorem. Quippe illi tota corporis moles, ob nimiam alimenti copiam in immensam quamdam pinguedinem conversa erat: quæ tunc temporis in tabem soluta, horrendum et intolerabile spectaculum astantibus præbuisse fertur. Tot igitur quassatus malis, tandem intelligere cœpit quæ contra Ecclesiam scelera admisisset. Posthæc errorem suum Deo confessus, persecutionem christianorum cohibere, et regalibus edictis ac legibus emissis, ecclesias eorum quantocius ædificari, ipsosque christianos sacra sua solito more peragere, et pro imperatore preces ad Deum fundere jubet.

CAPUT LVIII.

Qualiter Maximinus christianorum persecutor, fugiens servili habitu sese occultaverit.

Verum hic quidem qui persecutionis auctor fuerat, hujusmodi pœnas luit. Is vero de quo nunc loquimur Licinius, qui horum testis ac spectator extiterat, et qui cuncta accurate experientia ipsa docente cognoverat; repente omnium oblitus, nec supplicium priori huic irrogatum animo reputavit, nec quas divina justitia de posteriore altero sumpserat pœnas. Qui quidem cum priorem illum tanquam in quodam scelerum certamine superare ambitiose contenderet, novorum adversus nostros suppliciorum inventione gloriabatur. Neque enim ignis aut ferrum; non clavorum suffixiones; non bestiarum laniatus, nec maris altissimi gurgites ei suffecerunt. Sed præter hæc omnia novum quoddam supplicii genus ipse commentus, membra quibus lucis usuram percipimus, mutilari lege lata præcepit. Statim igitur conferta agmina non virorum modo, verum etiam puerorum ac mulierum, dextris oculis et junctoris pedum, partim ferro, partim cauterio debilitatis, trusa sunt ad metalla, ut diuturno labore ibidem vexarentur. Ob quam causam et hunc quoque non multo post ulta est divina justitia: tunc cum dæmonum (quos quidem ille deos putabat) fiducia, et innumerabili armatorum multitudine fretus, prælium commisit. Quippe tunc omni spe divini nudatus auxilii, imperialem cultum minime ipsi convenientem abjecit: deinde vulgarium turbæ immixtus, timide prorsus atque ignave fuga salutem sibi quæsivit: et per agros ac vicos sese occultans, sub habitu servili latere se posse existimavit. Verum magnum illum et universa spectantem providentiæ oculum subterfugere non valuit. Cum enim salutem suam in tuto jam locatam esse censeret; ardente Dei percussus telo, pronus in terram cecidit: totumque ejus corpus inflicta cœlitus plaga adeo consumptum est, ut pristinæ formæ species omnis aboleretur: solaque ossa arefacta instar simulacri cujusdam supercssent.

CAPUT LIX.

Quomodo vi morbi excæcatus Maximinus, legem pro Christianis dedit.

Porro sæviente acrius Dei plaga, oculi tandem ei exilierunt, et ex propria sede avulsi, cæcum eum dimiserunt: eadem justissime perpessum supplicia, quæ adversus martyres Dei primus excogitarat. Posthæc nihilominus adhuc spirans, ipse quoque a christianorum Deo veniam poposcit, bellum se divinitati intulisse palam confessus. Nec aliter ac prior ille palinodiam cecinit: legibus et constitutionibus editis, quibus errorem suum in colendis illis quos existimasset deos, ingenue professus est, unumque christianorum Deum expertum se nosse testatus. Hæc cum Licinius non aliorum sermone didicisset, sed factis ipsis percepisset, tamen velut densa quadam caligine animo ejus offusa, eadem quæ illi agere instituit.

LIBER II.

ARGUMENTUM. — I. *Occulta persecutio Licinii, et cædes episcoporum apud Amasiam urbem Ponti.* — II. *Ecclesiæ dirutæ, et episcopi trucidati.* — III. *Quomodo Constantinus Christianorum causa quos Licinius persequi parabat, commotus sit.* — IV. *Quod Constantinus cum precibus, Licinius vero cum vaticiniis, se ad bellum parabat.* — V. *Quid de simulacris et de Christo Licinius dixerit, dum in luco sacrificaret.* — VI. *Spectra in urbibus quæ Licinio parebant visa, Constantini militum Licinianos persequentium.* — VII. *Ubicunque in prælits signum crucis adfuit, partam esse victoriam.* — VIII. *Quod quinquaginta viri electi sunt qui crucem portarent.* — IX. *Quod ex cruciferis is quidem qui fugit interfectus est; qui vero fideliter permanserat, incolumis evasit.* — X. *Variæ pugnæ, et Constantini victoriæ.* — XI. *Fuga et magicæ artes Licinii.*

Digitized by Google

— XII. *Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victoriam adeptus est.* — XIII. *Constantini humanitas in milites captos.* — XIV. *Iterum de oratione in tabernaculo.* — XV. *Licinii simulata amicitia, et idolorum cultus.* — XVI. *Quomodo Licinius militibus præceperit, ne adversus crucis signum impetum facerent.* — XVII. *Constantini victoria.* — XVIII. *Licinii cædes, et triumphi de eo acti.* — XIX. *Publica lætitia ac festivitas.* — XX. *Quomodo pro confessoribus Constantinus leges sanxerit.* — XXI. *Quomodo etiam pro martyribus, et pro ecclesiarum prædiis leges tulit.* — XXII. *Quomodo etiam populos recreaverit.* — XXIII. *Quod Deum bonorum auctorem prædicavit, et de legibus ejusdem.* — XXIV. *Lex Constantini de pietate in Deum, et de Christiana religione.* — XXV. *Exemplum a vetustis temporibus.* — XXVI. *De iis qui persecutionem passi sunt, et de persecutoribus.* — XXVII. *Quod persecutio bellum gerentibus malorum causa extiterit.* — XXVIII. *Quod Deus Constantinum bonorum ministrum elegit.*—XXIX. *Pice in Deum voces Constantini, et laus confessorum.*—XXX. *Lex solvens exilio et curia, et bonorum proscriptione.*—XXXI *Item eos qui in insulas erant relegati.*—XXXII. *Item eos qui ad metalla et ad publica opera ignominiose damnati fuerant.*—XXXIII. *De confessoribus qui militaverunt.*—XXXIV. *De iis qui ad gynæcea, vel in servitutem dati erant liberandis.*—XXXV. *De successione bonorum martyrum et confessorum, et eorum qui relegati fuerant, et quorum bona in fiscum relata.*—XXXVI. *Ut deficientibus cognatis Ecclesia hæreditatem capiat, atque legata firma maneant.*—XXXVII. *Ut qui hujusmodi loca, ædes, hortos occupaverint, restituant : exceptis fructibus.*— XXXVIII. *Quomodo super his libellos dari oporteat.* — XXXIX. *Ut fiscus fundos, ædes et hortos restituat Ecclesiis.* — XL. *Ut martyria et cæmeteria Ecclesiis reddantur.* — XLI. *Ut qui res Ecclesiæ emerunt, aut dono acceperunt, eas restituant.* — XLII. *Sedula exhortatio ad colendum Deum.* — XLIII. *Quomodo Constantinus ea quæ legibus sanxerat, factis ipsis confirmavit.* — XLIV. *Quomodo Christianos ad regendas provincias promoverit, et paganos sacrificare prohibuerit.* — XLV. *De legibus quibus sacrificia quidem prohibebantur ; Ecclesiæ vero construi jubebantur.* — XLVI. *Epistola Constantini ad Eusebium et reliquos episcopos de Ecclesiis præsidum opera ædificandis, atque vetustæ reficiuntur et ampliores exstruantur.*— XLVII. *Quod contra idolorum cultum scripserit.* — XLVIII. *Constantini edictum ad provinciales de falso cultu multorum deorum. Exordium de virtute et vitio.* — XLIX. *De pio ac Dei amantissimo Constantini patre, et de Diocletiano ac Maximiano persecutoribus.* — L. *Quod ex Apollinis oraculo qui ob justos homines responsa amplius edere non poterat, mota sit persecutio.* — LI. *Quomodo Constantinus adhuc adolescens, justos esse Christianos audivit.* — LII. *Quot tormentorum et suppliciorum genera adversus Christianos excogitata.* — LIII. *Quomodo Barbari Christianos experiuntur.* — LIV. *Quomodo divina ultione puniti sint, qui ex oraculo persecutionem commoverant.* — LV. *Constantinus Deo gloriam tribuit, signum crucis confitetur et precatur pro Ecclesia.* — LVI. *Quomodo omnes quidem Christianos esse optavit ; neminem autem coegit.* — LVII. *Gloriam tribuit Deo, qui per filium suum errantes illuminavit.* — LVIII. *Iterum Deo gloriam tribuit ex ministerio totius mundi.* — LIX. *Deum laudat qui semper bona atque honesta docet.* — LX. *Adhortatio sub finem edicti, ut nemo alteri molestiam facessat.* — LXI. *Quomodo ab urbe Alexandria quæstiones commotæ sint propter Arium.* — LXII. *De Ario et de Meletiis.* — LXIII. *Quomodo legatum cum litteris misit, ad pacem componendam.* — LXIV. *Constantini epistola ad Alexandrum episcopum, et Arium presbyterum.* — LXV. *Quod pro pace continue satagebat.* — LXVI. *Quomodo quæstiones in Africa excitatas compressit.* — LXVII. *Quod religio ab Orientis partibus cœperit* — LXVIII. *Quomodo seditionem moleste ferens, pacem suasit.* — LXIX. *Unde nata sit controversia inter Arium et Alexandrum, et quod talia non erant disquirenda.* — LXX. *Exhortatio ad concordiam.* — LXXI. *Quod ob leves quasdam voculas pertinaciter certandum non fuit.* — LXXII. *Quomodo dolore affectus, præ pietate lacrymas effudit ; et iter quod faciurus erat in Orientem, ob hanc causam repressit.* — LXXIII. *Quod post has etiam imperatoris litteras perseveravit contentio.*

CAPUT PRIMUM.

Occulta persecutio Licinii, et cædes episcoporum apud Amasiam urbem Ponti.

Ad hunc modum supradictus Licinius in impiorum barathrum præceps ruit : et quorum ob res impie gestas exitium suis ipse oculis aspexerat, eorum exemplum in suam ipsius perniciem æmulatus, persecutionem Christianorum, quasi flammam quamdam jam sopitam denuo excitavit, et multo gravius quam priores impietatis conflavit incendium. Ac primum quidem tanquam mala bestia, et tortuosus quidam serpens in seipsum convolutus, et furorem atque hostiles adversus Deum minas spirans, Ecclesiis Dei sub imperio suo constitutis bellum palam inferre, ob Constantini metum minime ausus est : sed improbitatis virus abscondens, occultas insidias certis duntaxat in locis adversus episcopos comparavit ; et ex his probatissimum quemque, compositis per provinciarum rectores calumniis interfecit. Porro cædis illorum modus, novus nec unquam antea cognitus fuit. Certe quæ apud Amasiam gesta sunt, omnem crudelitatis modum transcendunt.

CAPUT II.

Ecclesiæ diruæ, et episcopi trucidati.

Qua in urbe Ecclesiæ Dei, aliæ iterum post priorem illam expugnationem æquatæ sunt solo : aliæ clausæ a præsidibus provinciarum ; ne quisquam eorum qui eas adire consueverant, eo conveniret, neve clemnem cultum Deo exhiberet. Neque enim qui æc jubebat, precationes illic pro se fieri opinabatur ; celerum scilicet conscientia in eam opinionem adA ductus. Sed nos pro Constantino cuncta agere, ac divino numini supplicare sibi persuaserat. At præsides utpote assentatores atque adulatores, cum rem gratam imperatori facere se pro certo haberent, optimos quosque Ecclesiarum antistites capitali supplicio addixerunt. Itaque viri qui nihil mali commiserant, absque ulla causa abducebantur, et puniebantur perinde ac sicarii. Nonnulli novum quoddam mortis genus pertulerunt, corpore in multas partes frustatim conciso ; et post atrox illud omnique tragico figmento horribilius spectaculum, ut piscibus cibum præberent, in altissimum mare projecti. Posthæc Dei cultores fugam denuo inire cœperunt. Iterum agri, iterum solitudines famulos Dei suscepere. Quæ dum ad hunc modum tyranno succederent, deinceps B persecutionem adversus omnes Christianos excitare in animum induxit. Ac procul dubio voti sui compos exstitisset, nec ei quicquam obstitisset quominus rem ad exitum perduceret, nisi famulorum suorum propugnator Deus, id quod futurum erat celerrime præveniens, Constantinum famulum suum tanquam splendidum lucis jubar, in profunda caligine et in obscurissima nocte subito ostendisset, eumque quasi manu apprehensum has in partes perduxisset.

CAPUT III.

Quomodo Constantinus Christianorum causa quos Licinius persequi parabat, commotus sit.

Qui cum hujusmodi rerum nuntium ad aures suas perlatum, non amplius dissimulandum esse intelligeret, sobriæ mentis vigorem collegit : et severitatem morum cum innata miscens clementia, iis qui oppri-

Digitized by Google

mebantur auxilium ferre properavit; pium sanctumque faciuus habendum esse judicans, cum uno e medio sublato totum fere hominum genus incolume servatur. Sic enim apud se reputabat; si ipse summa clementia uteretur, et hominis nulla miseratione digni misereretur, illi quidem nihil id profuturum, quippe qui a pravis moribus et institutis nullatenus discederet, quin potius rabiem adversus subditos intenderet: oppressis vero nullam amplius spem salutis relinqui. Hæc imperator cum apud se reputasset, iis qui in extremas calamitates incidissent, absque ulla dilatione salutarem dextram porrigere decrevit. Et militarium quidem copiarum atque armorum ingentem apparatum coegit. Jamque aderant universa tam equitum quam peditum agmina in unum congregata. Cunctis vero præibant insignia fiduciæ in Deum; signum videlicet illud quod supra memoravimus.

CAPUT IV.

Quod Constantinus cum precibus, Licinius vero cum vaticiniis, se ad bellum parabat.

Cumque precationibus, si unquam antea, sese tunc maxime indigere intelligeret, sacerdotes Dei secum duxit: eos velut optimos animæ custodes adesse coram et secum versari debere existimans. Unde cum tyrannus audiisset, Constantinum non aliter quam divino auxiliante numine victoriam de hostibus parare; et eos quos dixi ei perpetuo adesse unaque versari; salutaris quoque passionis signum, et ipsum et universum ejus exercitum antecedere; hæc utpote impius risu digna esse censebat, Constantinum subsannans et contumeliosis appetens verbis. Ipse vero divinos et vates Ægyptiorum, veneficos et impostores; sacrificulos denique ac prophetas falsorum quos colebat deorum sibi adjunxit. Deinde sacrificiis placans illos quos existimabat deos, sciscitabatur ex illis quemnam belli exitum esset habiturus. At illi sine controversia victorem hostium, et superiorem in bello fore responderunt; cunctis ubique oraculis uno consensu hæc illi per prolixa et elegantia carmina promittentibus. Sed et somniorum interpretes per somnia; et aruspices per viscerum motum similia portendi affirmabant. Horum itaque fallacibus pollicitationibus inflatus, cum ingenti fiducia progressus est ad castra, seque ad pugnam ineundam instruxit.

CAPUT V.

Quid de simulacris et de Christo Licinius dixerit, dum in luco sacrificaret.

Cum vero bellum jam orsurus esset, ex protectoribus et honoratioribus amicis lectissimos quosque in quemdam locum qui ab ipsis sacer habebatur, coegit. Locus hic erat irriguus et opacus, in quo plurimæ statuæ eorum quos ille deos putabat, sculptæ ex lapide visebantur. His cum cereos accendisset et solemni ritu sacrificasset, hujusmodi verba habuisse dicitur: Viri amici et commilitones, hi quidem quos colimus et quos ab ultimis usque majoribus colendos accepimus, dii sunt patrii. Iste vero qui adversarum nobis partium copias ducit, moribus institutisque majorum violatis, ad impiam nullos credentium deos opinionem descivit; peregrinum quemdam nescio unde quæsitum temere amplectens Deum. Quin etiam turpissimo ejus signo exercitum suum dehonestat: Eoque confisus, non tam adversus nos quam adversus ipsos quos violavit deos, armatus procedit. Præsens igitur dies manifesto arguet, uter nostrum cæco errore ducatur: et de diis qui apud nos aut qui ab adversarum partium hominibus coluntur, judicium feret. Aut enim concessa nobis victoria, deos nostros vere servatores atque auxiliatores esse jure merito declarabit. Aut si diis nostris qui quamplurimi sunt, et multitudine nunc utique antecellunt, unus ille nescio unde profectus Constantini Deus superior exstiterit, nemo posthæc in dubium revocet quisnam colendus sit Deus: sed ad potiorem accedat, eique victoriæ præmium deferat. Ac si quidem peregrinus ille quem nunc ludibrio habemus, victor esse videbitur, nos quoque illum agnoscere et colere oportebit: procul abire ac valere posthac jussis iis quibus cereos frustra accendimus. Sin vero nostri superiores exstiterint, quod quidem nemini dubium esse potest: post partam hoc loco victoriam impiis deorum contemptoribus bellum inferre aggrediemur. Et Licinius quidem ante exordium pugnæ, ad circumstantes hujusmodi verba fecit: Nobis vero qui hæc scribimus, ipsi illi qui orationi ejus interfuerant, non multo post eam retulerunt. Hujusmodi igitur oratione facta, jussit militibus ut prælium inirent.

CAPUT VI.

Spectra in urbibus quæ Licinio parebant visa. Constantini militum Licinianos persequentium.

Quæ dum geruntur, spectrum quoddam prorsus mirabile in urbibus tyranni illius dominationi subjectis apparuisse ferunt. Varia enim Constantini militum agmina per meridiem visa, quæ tanquam parta victoria per urbes transirent. Atque hæc cernebantur, reipsa quidem nemine usquam comparente: sed divina potentia per visionem illam quæ oculis subjiciebatur, id quod futurum erat præmonstrante. Porro cum exercitus congredi jam pararent, is qui concordiæ fœdera ruperat, primus pugnam exorsus est. Tunc vero Constantinus servatore ac supremo omnium Deo in auxilium vocato, atque hoc signo militibus suis dato; hostes primo prælio fudit. Nec multo post altera commissa pugna, iterum superior discessit, et longe majorem victoriam retulit; cum salutare crucis tropæum exercitum ipsius antecederet.

CAPUT VII.

Ubicumque in prœliis crucis signum adfuit partam esse victoriam.

Certe ubicumque hoc signum conspectum fuerat, continuo fuga hostium, victoribus terga illorum prementibus, sequebatur. Quo imperator comperto, sicubi agmen aliquod exercitus sui premi animadverteret, illico salutare tropæum tanquam efficacissimum quoddam ad parandam victoriam amuletum

Digitized by Google

inferri jubebat. Quo facto, statim victoria sequebatur, divina utique virtute animos viresque pugnantium confirmante.

CAPUT VIII.

Quod quinquaginta viri electi sunt qui crucem portarent.

Itaque lectis ex protectorum numero quotquot corporis viribus et animi fortitudine ac veræ religionis institutis præstare videbantur, unum hoc munus imposuit, ut signi hujus assidue curam gererent. Erant omnes quinquaginta viri; quorum nullum aliud erat officium quam circumstare et satellitio suo custodire signum; quod singuli humeris suis alternatim gestabant. Hæc imperator ipse nobis qui hanc historiam scribimus, dum in otio ageret, narravit, longo post tempore quam hæc contigerant: simulque rem quamdam adjecit memoratu dignissimam.

CAPUT IX.

Quod ex cruciferis is quidem qui fugit interfectus est: qui vero fideliter permanserat, incolumis evasit.

Nam cum forte, inquit, inter pugnandum ingens strepitus exercitum conturbasset, is qui hoc signum humeris ferebat metu perculsus, alteri gestandum tradidit, ut ipse discrimen evaderet. Vix alter ille signum gestandum susceperat, cum ecce is qui se subripiens custodiam signi deseruerat, telo in ventre percussus occubuit. Et hic quidem ignaviæ atque infidelitatis suæ pœnas persolvens, ibidem jacuit exanimis. At salutare crucis tropæum, ei qui ipsum sublime gestabat incolumitatem præstitit. In quem cum tela undique jacerentur, signifer quidem ipse salvus evasit: hasta vero salutaris tropæi, missilia excepit. Erat id spectaculum omni miraculo majus, cum cuncta hostium tela in brevissimum illum hastæ ambitum caderent. Quæ cum in hastam impacta defigerentur, signifer servabatur incolumis: adeo ut nullo unquam jaculo ferirentur, quicumque hoc ministerium obibant. Neque porro hæc nostra est oratio, sed ipsius imperatoris, qui inter reliqua id etiam nobis commemoravit. Qui cum priores victorias Dei omnipotentis auxilio retulisset, posthæc acie instructa exercitum movens, ulterius processit.

CAPUT X.

Variæ pugnæ et Constantini victoriæ.

Porro adversarum partium antesignani cum primum ejus impetum sustinere non potuissent, abjectis armis sese ad imperatoris pedes prostraverunt. At ille cunctos incolumes servavit, magnam ex salute hominum percipiens voluptatem. Alii vero qui sub armis remanserant, sese ad pugnam parabant. Quos imperator ad deditionem invitans, cum amicis compellationibus nullatenus inflecti videret, exercitum in eos immisit. Illi continuo terga dantes, in fugam vertuntur. Quorum alii comprehensi inter fugiendum, jure belli cæsi. Alii in se mutuo impingentes, suismet gladiis obtruncati sunt.

CAPUT XI.

Fuga et magicæ artes Licinii.

Illorum vero princeps, cum se ministrorum suorum auxilio destitutum esse, et quas collegerat copias tam militum quam auxiliarium, omnes evanuisse cerneret; spemque in diis quos colebat prorsus inanem esse res ipsa convinceret, fugam turpissimam iniit. Atque hoc modo elapsus, semet discrimine exemit: cum imperator Dei amantissimus, suos confestim sequi et fugientis terga premere noluisset, quo scilicet fugiens posset evadere. Sperabat enim fore ut Licinius cognito tandem rerum suarum infelicissimo statu, a pristina audacia atque insania discederet, et ad saniorem mentem rediret. Verum Constantinus quidem pro eximia qua præditus erat humanitate, hæc ita existimabat: et injurias patienter ferre, ac licet non merenti veniam dare, in animum induxerat. At Licinius tantum abest ut a pristina improbitate destiterit, quin potius mala malis exaggerans, pejora in dies aggrediebatur. Quin etiam ad magorum detestandas artes denuo confugiens, efferri insolentius cœpit. Ac de illo idem merito dici poterat quod de vetere illo tyranno; cor scilicet ipsius a Deo induratum fuisse.

CAPUT XII.

Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victoriam adeptus est.

Licinius igitur hujusmodi scelerum vinculis sese ipse constringens, in exitii barathrum præcipitem dedit. Constantinus vero cum altero prælio sibi opus esse cerneret, Servatoris sui cultui diligenter vacavit. Et crucis quidem tabernaculum fixit extra castra: ubi pure et caste degens, preces ad Deum fundebat; exemplo veteris illius prophetæ, quem extra castra tabernaculum constituisse divina testantur oracula. Aderant autem assidui una cum ipso pauci quidam, fidei, pietatis ac benevolentiæ probe compertæ. Atque id semper facere consueverat, quotiescumque certamen esset initurus. Neque enim præceps erat, quippe qui tutiora semper eligeret. Ad hæc Dei consilio cuncta gerere solitus erat. Porro cum sedulo atque impense Deo suo supplicaret, semper Deus ei præsentiam suam exhibere dignatus est. Exinde velut diviniore actus impulsu, prosilire ex tabernaculo solebat: et signo ad proficiscendum dato, statim militibus imperabat ut absque mora gladios stringerent. Qui confestim impetu in hostem facto, obvios omnes sine ullo ætatis discrimine obtruncabant; donec exiguo temporis momento parta victoria, tropæa de victis hostibus erexissent.

CAPUT XIII.

Constantini humanitas in milites captos.

Hoc modo imperator ante pugnæ conflictum, et seipsum gerere, et exercitum suum instituere, etiam antea solitus erat: quippe qui Deum vitæ suæ semper anteponeret, cunctaque ejus nutu et consilio agere studeret, et multorum hominum cædem facere religioni duceret. Quocirca non minus hostium quam militum suorum consulebat saluti. Itaque suis victoriam adeptis præcipiebat, ut victis parcerent, utque homines nati communis hominum naturæ meminis

Digitized by Google

sent. Quod si forte militum animos obstinatos ad cædem videret, auri largitione eos reprimebat, jubens ut qui hostem vivum cepisset, certo auri pondere donaretur. Atque hanc illecebram ad salutem hominum conservandam imperatoris excogitavit solertia. Adeo ut plurimi ex ipsis etiam barbaris servati sint, cum imperatoris aurum vitam ipsorum redemisset.

CAPUT XIV.

Iterum de oratione in tabernaculo.

Hæc et alia plurima horum similia imperator etiam alias factitare consueverat. Tunc temporis vero antequam prælium consereret, seorsum in tabernaculo positus, orationibus, ut solebat, vacavit, ab omni quidem joco et delicatiori vitæ cultu abstinens, jejuniis vero aliisque hujusmodi exercitationibus corpus fatigans, et supplicationibus ac precibus ita Deum placans, ut benignum illum ac propitium suarum partium adjutorem haberet, eaque ageret quæ ille menti suæ suggessisset. Et Constantinus quidem Reipublicæ pervigilem curam gerebat, non magis pro suorum quam pro hostium salute vota faciens.

CAPUT XV.

Licinii simulata amicitia et idolorum cultus.

Quoniam vero Licinius qui paulo ante fugam inierat, simulatione utens, iterum amicitiam, ac fœdera renovari poscebat; imperator id e Republica esse, et generi humano conducere ratus, pacem illi sub certis conditionibus indulgere non recusavit. At Licinius, specie quidem ipsa fingebat leges se libenter amplecti, et fidem jurejurando firmabat. Verum occulte militarem apparatum instruebat, atque iterum bellum inferre, iterum pugnam instaurare meditabatur. Sed et Barbarorum auxilia undique conquirebat, et novos circumquaque investigabat deos: utpote a prioribus in fraudem inductus. Nec memoria repetebat, quæ paulo ante de diis in concione dixisset. Nec Deum qui pro Constantino propugnasset, agnoscere volebat: sed multo plures ac recentiores deos non sine risu ac ludibrio cœpit conquirere.

CAPUT XVI.

Quomodo Licinius militibus præceperit, ne adversus crucis signum impetum facerent.

Posthæc, cum reipsa didicisset arcanam quamdam ac divinam potentiam in salutari tropæo inesse, cujus ope Constantini exercitus victoriam referre consuevisset, milites suos admonuit, ne ex adverso illi congrederentur, neve in illud temere ac fortuito oculos conjicerent. Quippe illud signum incredibili vi pollere, ac sibi privatim infestum adversumque esse aiebat, atque idcirco cavendum esse ne adversus ipsum pugna iniretur. His ita compositis, adversus illum, qui pro innata clementia cunctabatur, et qui imminens ipsi exitium differebat, præliari constituit. Et Liciniani quidem deorum multitudine confisi, cum ingentibus copiis progrediebantur; nescio quæ mortuorum simulacra et statuas inanimes præsidii causa præferentes. Constantinus vero pietatis lucida contectus, salutare et vivificum crucis signum, velut terriculamentum quoddam et potentissimum ad depellenda mala munimentum, hostium multitudini objecit. Ac principio quidem sustinebat, parcens interim ferro, ne videretur prior pugnam iniisse, idque ob fœderum quæ pepigerat religionem.

CAPUT XVII.

Constantini victoria.

Sed posteaquam hostes obstinato animo perstare, jamque gladios distringere animadvertit, indignatione commotus, solo clamore ac minimo temporis momento cunctas hostium copias in fugam vertit, et de dæmonibus pariter atque hostibus victoriam reportavit.

CAPUT XVIII.

Licinii cædes et triumphi de illo acti.

Posthæc ipsum Dei hostem ejusque familiares belli jure dijudicatos, congruo supplicio affecit. Abducebantur itaque una cum tyranno, et debitas capitis pœnas dabant quicumque bellum adversus Deum gerere ei suasissent. Et qui paulo ante vana spe elati erant, reipsa Constantini Deum amplectebantur, eumque unum ac verum Deum agnoscere se tunc demum profitebantur.

CAPUT XIX.

Publica lætitia ac festivitas.

Impiis igitur e medio sublatis, puri deinceps ac liquidi solis radii, cernebantur, quasi nubilo tyrannicæ dominationis depulso. Cunctæque imperii Romani partes in unum corpus coaluerunt: orientalibus provinciis cum Occidente conjunctis, unoque omnium principe tanquam capite quodam, totum imperii corpus refulgebat, unius dominatione cunctos homines complectente. Et qui prius in tenebris et in umbra mortis sedebant, iis tunc splendidissimi pietatis radii lætos dies præstabant. Nec præteritorum malorum ulla jam supererat recordatio, cum omnes ubique victorem laudibus celebrarent, ejusque servatorem Deum solum se agnoscere profiterentur. Noster vero omni genere pietatis excellens Constantinus victor (hoc enim convenientissimum sibi cognomen comparavit ob victorias de hostibus et inimicis ipsi a Deo ubique concessas) Orientem recepit, et imperium Romanum solidum sicut olim fuerat, et coadunatum, sub suam unius potestatem redegit. Ac Dei quidem unius dominationem primus omnibus prædicavit: ipse vero singulare quoque imperium orbis Romani tenens, universum genus humanum gubernavit. Omnis jam metus malorum quibus cuncti homines oppressi fuerant, penitus exciderat. Et qui prius mœsti fuissent, tunc hilari vultu lætisque oculis sese mutuo intuebantur. Choris præterea et hymnis, primum quidem Deum omnium Regem, prout instituti fuerant; deinde victorem Augustum, et modestissimos Deoque carissimos ejus liberos Cæsares, sine ulla intermissione celebrabant. Nulla jam præteritarum calamitatum, nulla impietatis memoria suppetebat: sed præsentium bonorum fructus cum futurorum spe atque exspectatione percipiebatur.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Quomodo pro Confessoribus Constantinus leges sanxerit.

Tunc etiam apud nos, sicut antea apud illos qui alteram orbis partem incolunt, proposita sunt imperatoris edicta plena humanitatis : et leges quæ sinceram ac religiosam Dei observantiam spirarent, varia cujusque generis bona haud dubia spe pollicebantur; cum et provincialibus largirentur quæ ad ipsorum utilitatem spectabant; et Ecclesiis Dei congrua et convenientia statuerent. Ac primum quidem eos qui propterea quod idolis sacrificare noluissent, a rectoribus provinciarum relegati, et ex patria migrare compulsi erant, domum revocarunt. Eos deinde qui eamdem ob causam curiis addicti fuerant, publicis functionibus liberarunt : et qui facultatibus spoliati fuissent, iis bona sua restitui præceperunt. Præterea qui persecutionis tempore divina virtute roborati, fortitudinis et constantiæ illustre specimen ediderant, aut ad metalla damnati, ut continuo labore ibi divexarentur, aut in insulam deportati, aut publicis operibus mancipati fuerant, his omnibus subito soluti molestiis libertatem adepti sunt. Sed et quicumque ob egregiam in retinenda religione constantiam honore militiæ spoliati erant, eos imperatoris munificentia ab hac ignominia revocavit; ipsorum arbitrio ac voluntati permittens, ut vel propria recuperarent officia, et pristino honoris gradu fruerentur, vel, si quietam vitam degere mallent, ab omnibus deinceps functionibus immunes permanerent. Denique quotquot ignominiæ causa gynæciis mancipati fuerant, eos imperator perinde ac cæteros libertate donavit.

CAPUT XXI.

Quomodo etiam pro martyribus et pro Ecclesiarum prædiis leges tulit.

Et hæc quidem de iis qui ista perpessi essent, imperator scriptis legibus constituit. De bonis autem eorum, lege imperatoris plenissime cautum est. Nam sanctorum Dei martyrum bona qui in ipsa confessione mortem obiissent, ad proximos eorum devolvi jussit. Quod si nullus genere ipsis conjunctus reperiretur, hæreditatem eorum Ecclesiis deferri; bona item quæ ex fisco vel per venditionem, vel per donationem ad alios translata fuerant, aut quæ penes fiscum remanserant dominis restitui debere, indulgentiæ imperialis epistola præcipiebat. Et hujusmodi quidem beneficia in Ecclesiam Dei contulit benignitas principis, legibus per omnes provincias missis.

CAPUT XXII.

Quomodo etiam populos recreaverit.

Populis vero a fide nostra alienis et universis provinciis, multo plura ac majora donavit principis munificentia. Proinde omnes nostrarum partium incolæ, qui prius audientes ea quæ in altera parte imperii Romani gererentur, beatos prædicabant illos qui tantis afficerentur beneficiis, et qui ardentibus votis optabant, ut iisdem bonis ipsi quoque aliquando fruerentur, hæc oculis suis spectantes, seipsos jam felices prædicare non dubitabant; novum quoddam miraculum et quale nulla unquam sub cœlo vidisset ætas, tantum scilicet imperatorem humano generi affulsisse testantes. Atque hi quidem ita sentiebant.

CAPUT XXIII.

Quod Deum bonorum auctorem prædicavit, et de legibus ejusdem.

Imperator autem ipse, ubi cuncta Dei servatoris virtute sub ditionem suam redegit, eum qui hæc ipsi bona præstitisset omnibus palam fecit, illumque victoriarum auctorem fuisse, non autem seipsum, professus est. Idque litteris tum latino tum græco sermone scriptis et ad omnes provincias missis, prædicavit. Porro orationis vim ac virtutem facile cognoscet quisquis epistolas ipsas perlegerit. Sunt autem duæ : altera ad Ecclesias Dei directa, altera ad singularum urbium populos a nostra religione alienos. Quam quidem utpote præsenti argumento convenientissimam hic inserendam esse duxi, tum ut historiarum monumentis prodita ejus exemplaria apud posteros perpetuo conserventur, tum ut narrationis nostræ fides ac veritas confirmetur. Descripta autem est ex authentico exemplari legis imperialis, quod apud nos servatur. Cui principis manu apposita subscriptio orationis nostræ veritatem tanquam sigillo quodam astruit.

CAPUT XXIV.

Lex Constantini de pietate in Deum, et de christiana religione.

(Hanc legem, quæ ab hoc capite XXIV ad XLIII extenditur, videsis infra, ubi series operum Constantini.)

CAPUT XLIII.

Quomodo Constantinus ea quæ legibus sanxerat factis ipsis confirmavit.

Et hæc quidem prima imperatoris epistola ad nos missa constituit. Cæterum ea quæ lege sancita fuerant continuo executioni mandata sunt : et cuncta iis quæ crudelitas tyrannica præsumpserat contraria gerebantur. Fruebantur imperatoris beneficentia hi quibus id lege concessum erat.

CAPUT XLIV.

Quomodo Christianos ad regendas provincias promoverit, et paganos sacrificare prohibuerit.

Posthæc imperator serio manum operi admovit. Ac primum quidem in singulas provincias eos præsides ut plurimum misit, qui salutari fidei dicati essent. Quod si qui eorum græcæ superstitioni dediti esse viderentur iis vetitum erat sacrificare. Eadem lex illis etiam imposita est qui dignitate præsides antcibant, ilsque adeo qui summum honorum fastigium et præfecturæ prætorianæ potestatem obtinebant. Aut enim siquidem Christiani essent, iis concedebat ut nominis sui appellationi convenientia gererent. Aut si aliter affecti essent, ne simulacris sacrificarent præcipiebat.

CAPUT XLV.

De legibus quibus sacrificia quidem prohibebantur, Ecclesiæ vero construi jubebantur.

Exinde duæ leges uno eodemque tempore sunt

Digitized by Google

emissæ. Altera quæ detestanda idolorum cultus sacrificia, per urbes olim et per agros passim fieri solita, prohibebat; ita ut nullus deinceps nec statuas deorum erigere, nec divinationes et hujusmodi vanas artes attentare nec victimas cædere auderet. Altera lex quæ oratoriorum fabricam in sublime erigi et ecclesias Dei tam latitudine quam longitudine ampliores effici præcipiebat; perinde ac si universi, ut ita dixerim, homines insana multorum deorum observantia e medio sublata, in posterum accessuri essent ad Deum. Hæc imperatorem sentire; hæc ad cujusque provinciæ præsides scribere, religiosa divini Numinis observantia impellebat. Illud præterea lex continebat, ne pecuniis largiendis parcerent; sed ut ex imperialibus thesauris sumptus ad ædium sacrarum extructionem depromerentur. Quin etiam ad cujusque loci ecclesiarum antistites istiusmodi litteræ scribebantur: cujusmodi etiam ad me scribere dignatus est. Easque primas ad me nominatim litteras dedit.

CAPUT XLVI.

Epistola Constantini ad Eusebium et reliquos episcopos de Ecclesiis præsidum opera ædificandis: atque vetustæ reficiantur, et ampliores extruantur.

(Hanc epistolam videsis infra.)

CAPUT XLVII.

Quod contra idolorum cultum scripserit.

Imperator vero suam erga Deum pietatem atque observantiam quotidie adaugens, ad universos provinciales orationem misit de errore cultus simulacrorum, quo imperatores romani ante ipsius ætatem involuti fuissent. Et subditos suos cum admirabili facundia exhortatus est, ut summum omnium Deum agnoscerent, ejusque Filium Christum sibi servatorem adsciscerent. Porro has etiam litteras manu ipsius scriptas, ex latino sermone in græcum transferre, et præsenti operi intexere necessarium duxi, ut ipsum quodam modo imperatorem nobis audire videamur, cunctorum mortalium auribus in hæc verba inclamantem.

CAPUT XLVIII.

Constantini edictum ad Provinciales de falso cultu multorum deorum. Exordium de virtute et vitio.

(Hoc edictum, quod ab hoc capite XLVIII ad LII extenditur, videsis infra.)

CAPUT LXI.

Quomodo ab urbe Alexandria quæstiones commotæ sint propter Arium.

Hæc imperator velut quidam Dei præco maxima præditus voce, cunctis provincialibus per suas litteras inclamavit, dum subditos a dæmonum errore revocare, et ad verum Dei cultum amplectendum incitare conatur. Quas ob res cum singulari gaudio gestiret, nuntius ad eum perlatus est de quodam non mediocri tumultu qui ecclesias occupaverat. Quo audito perculsus, remedium excogitare cœpit. Porro tumultus origo hæc fuit: Florebat populus Dei, et cum alacritate quadam ac tripudio honestis actibus incumbebat. Nullus erat fortis metus, qui perturbationem afferret: quippe cum Dei optimi maximi beneficio, amœna et profundissima pax Ecclesiam undique communiret. Sed enim invidia nostris bonis insidias struens subsederat. Quæ primum quidem intro irrepens, postea in medio Sanctorum cœtu tripudiavit. Tandem vero episcopos inter se commisit; tumultum et altercationem inter eos excitans, divinorum dogmatum obtentu. Exinde, tamquam ex levi quadam scintilla, gravissimum exarsit incendium. Quod quidem ab ecclesia Alexandrina velut a capite exorsum, universam posthæc Ægyptum, et Lybiam, et ulteriorem Thebaidem peragravit. Sed et reliquas urbes ac provincias depastum est, adeo ut non solum ipsos Ecclesiarum Antistites verbis inter se digladiantes, verum etiam plebem ipsam discissam cernere liceret; aliis horum, aliis illorum partes amplectentibus. Porro rerum quæ gerebantur spectaculum eo usque processit indignitatis, ut in mediis infidelium theatris, divinæ prædicationis venerabilis doctrina turpissimo risu ac ludibrio traduceretur.

CAPUT LXII.

De Ario et Melitianis.

Et hi quidem in ipsa urbe Alexandria de sublimissimis rebus pertinaciter dimicabant. Alii vero per totam Ægyptum et superiorem Thebaidem, ob controversiam quamdam quæ prius commota fuerat, interim dissidebant, adeo ut ubique discerptæ essent Ecclesiæ. Cum autem Ecclesiæ corpus hujusmodi morbo laboraret, universa Libya simul etiam ægrotavit, et reliquæ exterarum provinciarum partes eodem morbo correptæ sunt. Nam qui Alexandriæ erant, legatos ad singularum provinciarum episcopos dirigebant. Isti vero in alterutram partem discissi, seditioni quoque adjungebantur.

CAPUT LXIII.

Quomodo Legatum cum litteris misit ad pacem componendam.

His auditis imperator gravissimo dolore perculsus, eamque rem instar domesticæ calamitatis habendam ratus, confestim ex Dei cultoribus quos circa se habebat, quemdam, quem ob modestiam fidei spectatum, et ob religionis confessionem superiori tempore præ cæteris nobilitatum esse cognoverat, Alexandriam dirigit, ut inter eos qui illic dissidebant pacem componeret; eidemque litteras dat ad contentionis auctores utiles imprimis ac necessarias. Quæ cum illustre specimen exhibeant curæ ac sollicitudinis illius quam pro Ecclesiis Dei gerebat, non absurdum fuerit, huic de illo institutæ narrationi ipsas inserere. Sunt autem ejusmodi.

CAPUT LXIV.

Constantini Epistola ad Alexandrum episcopum, et Arium presbyterum.

(Hæc epistola, quæ ab hoc cap. LXIV ad LXXIII producitur; videsis infra.)

Digitized by Google

CAPUT LXXIII.

Quod post has etiam Imperatoris litteras perseveravit contentio.

Et ad hunc quidem modum imperator Deo carus, missa epistola pacem Ecclesiæ Dei reformare studuit. Quinetiam vir bonus et Dei cultor eximius, ut supra dixi, non solum in litteris perferendis, sed etiam in A implenda ejus a quo missus fuerat voluntate, egregiam operam navavit. Verum majus erat negotium quam ut litterarum ministerio sedari posset. Adeo ut contendentium rixa magis in dies aucta sit, et cunctas Orientis provincias vis mali pervaserit. Hæc livor invidiæ, et malignus dæmon Ecclesiæ felicitatem semper ægre ferens, in nostram perniciem machinatus est.

LIBER III.

ARGUMENTUM. — I. *Comparatio pietatis Constantini cum iniquitate persecutorum.* — II. *Rursus de pietate Constantini signum crucis libere profitentis.* — III. *De imagine Constantini, cui crux quidem superposita erat, infra autem draco.* — IV. *Rursus de controversiis in Ægypto excitatis ab Ario.* — V. *De dissensione ob festum Paschæ.* — VI. *Quomodo synodum Nicææ fieri jussit.* — VII. *De universali concilio, ad quod ex omnibus provinciis convenerunt episcopi.* — VIII. *Quod sicut in Actis apostolorum dicitur, ex variis gentibus convenerunt.* — IX. *De virtute et ætate ducentorum quinquaginta episcoporum.* — X. *Synodus habita in palatio, quo ingressus Constantinus, cum episcopis resedit.* — XI. *Silentium concilii, postquam Eusebius episcopus pauca quædam dixisset.* — XII. *Constantini ad synodum oratio de pace.* — XIII. *Quomodo episcopos inter se certantes ad concordiam revocarit.* — XIV. *Concors synodi sententia de fide et de Pascha.* — XV. *Quomodo Constantinus vicenudibus suis episcopos convivio exceperit.*—XVI. *Munera episcopis donata et litteræ ad omnes scriptæ.* — XVII. *Epistola Constantini ad Ecclesias de synodo Nicæna.* — XVIII. *De consensu in celebratione festi paschalis, et contra Judæos.* — XIX. *Hortatio ut maximam partem orbis terrarum sequi velint.* — XX. *Hortatio ut omnes decretis synodi assentiantur.* — XXI. *Episcopis discessuris consilium dat ut concordiam servent.* — XXII. *Quomodo alios quidem hortatus sit, ad alios autem scripserit : et de pecuniarum divisione.* — XXIII. *Quomodo ad Ægyptios scripserit, eosque ad pacem hortatus sit.* — XXIV. *Quomodo episcopis et plebibus religiosas litteras sæpius scripsit.*—XXV. *Quomodo Hierosolymis in sancto Dominicæ resurrectionis loco templum extrui præcepit.* — XXVI. *Quomodo impii sepulcrum Domini ruderibus et simulacris superpositis obtexerant.* — XXVII. *Quomodo Constantinus delubri materiam ac rudera longissime projici mandavit.*—XXVIII. *Manifestatio Sanctissimi Sepulcri.*—XXIX. *Quomodo de construenda ecclesia ad præsides et ad Macarium episcopum litteras dedit.*—XXX. *Constantini ad Macarium epistola de ædificatione Martyrii Servatoris nostri.*—XXXI. *Quod hanc ædem mœnium, columnarum, et marmorum venustate cæteras ecclesias superare voluerit.*—XXXII. *Ut de pulchritudine conchæ et de artificibus ac de Materia Macarius ad præsides scribat.* — XXXIII. *Quomodo ecclesia Servatoris exstructa fuerit, quam prophetæ novam Hierusalem appellaverant.*—XXXIV. *Descriptio ædificii Sancti Sepulcri.* — XXXV. *Descriptio atrii et porticuum.*—XXXVI. *Descriptio parietum tectique, et ornatus atque inaurationis ipsius basilicæ.* — XXXVII. *Descriptio geminarum utrinque porticuum, et trium portarum orientalium.* — XXXVIII. *Descriptio hemisphærii et duodecim columnarum cum crateribus.* — XXXIX. *Descriptio atrii, exhedrarum et vestibulorum.* — XL. *De numero donariorum.* — XLI. *De ædificatione ecclesiæ apud Bethlehem, et in monte Olivarum.* — XLII. *Quomodo Helena Augusta Constantini mater, Bethlehem orandi causa profecta, has ecclesias ædificavit.* — XLIII. *Rursus de ecclesia Bethlehemitica* — XLIV. *De magnitudine animi et beneficentia Helenæ.*— XLV. *Quomodo Helena in ecclesiis religiose versata sit.* — XLVI. *Quomodo octogenaria testamento facto e vita decessit.* — XLVII. *Quomodo Constantinus matrem deposuit : et qualiter illam colerit dum viveret.* — XLVIII. *Quomodo Constantinopoli martyria construxit, omnemque idolorum cultum abolevit.* — XLIX. *Signum crucis in palatio, et imago Danielis in fontibus.* — L. *De ecclesiis quas Nicomediæ et alibi extruxit.* — LI. *Quod in Mambre ecclesiam ædificavit.*— LII. *Constantini epistola ad Eusebium de Mambre.* — LIII. *Quod Servator noster ibidem visus est Abrahæ.* — LIV. *Fana et simulacra ubique diruta.* — LV. *De Basilica extructa apud Antiochiam.* — LVI. *Eversio fani apud Aphaca in Phœnice, et impudicitiæ abolitio.* — LVII. *Destructio templi Æsculapii Ægis.* — LVIII. *Quomodo Gentiles damnatis simulacris Deum agnoverunt.* — LIX. *Quomodo apud Heliopolim destructo Veneris fano, primus Ecclesiam construxit.*—LX. *De tumultu Antiochiæ propter Eustathium excitato.* — LXI. *Constantini epistola ad Antiochenos, ne Eusebium Cæsarea abstraherent, sed ut alium quærerent.* — LXII. *Imperatoris ad nos epistola post repudiatum Antiochiæ episcopatum.* — LXIII. *Constantini epistola ad synodum, ne Eusebius Cæsarea abstrahatur.* — LXIV. *Quomodo hæreses exscindere studuerit.* — LXV. *Constantini Constitutio adversus hæreticos.* — LXVI. *De tollendis conventiculis hæreticorum.* — LXVII. *Quomodo nefariis libris apud hæreticos repertis, plurimi eorum ad Catholicam redierint Ecclesiam.*

CAPUT PRIMUM.

Comparatio pietatis Constantini cum iniquitate persecutorum.

Hoc modo dæmon bonorum omnium inimicus, qui Ecclesiæ felicitati semper invidere solet, pacis ac lætitiæ tempore tumultus et intestina bella in ea excitabat. Interim vero Deo carus imperator, quæ sui officii erant minime neglexit, prorsus contraria iis quæ tyrannica crudelitas paulo ante præsumpserat agere studens. Eaque ratione cunctis hostibus atque inimicis superior fuit. Nam primum quidem illi a veri Dei cultu alieni, cunctos mortales ad falsorum numinum cultum variis modis per vim adigebant. Hic vero deos illos neutiquam esse, tum verbis, tum reipsa convincens, universos ad ejus qui solus est Deus agnitionem hortatus est. Ad hæc illi Christum Dei impiis vocibus deridebant; hic vero illud ipsum quod impii homines maledictis præcipue B incessebant, salutis præsidium esse scripsit; Dominicæ passionis tropæo sese efferens. Illi cultores Christi persequebantur, eosque domo ac penatibus exturbabant; hic cunctos ab exilio revocavit, et domiciliis suis restituit. Illi eos notabant infamia; hic honoribus auxit, et felices ac beatos omnium judicio effecit. Illi Dei cultorum bona injuste publicabant ac diripiebant; hic non solum ipsis bona sua restituit, sed plurimis insuper beneficiis affectos locupletavit. Illi scriptis constitutionibus calumnias adversus Ecclesiarum præsides divulgabant; hic contra eosdem viros extollens et honore afficiens, edictis ac legibus propositis, illustriores quam antea reddidit. Et illi quidem oratoria funditus evertebant, et ab ipsis culminibus usque ad solum disjecta sternebant; hic vero oratoria quæ adhuc superessent altius erigi, et nova magnifico cultu prolatis ex imperiali ærario sumptibus exstrui præcepit. Illi oracula divinitus

Digitized by Google

inspirata flammis aboleri jusserunt; hic sacrorum voluminum exemplaria sumptibus imperialis ærarii propagari, et magnifico apparatu decorari mandavit. Jubebant illi ne episcopi synodos congregare uspiam auderent; hic episcopos ex omnibus provinciis ad se accersivit, nec modo intra palatium et in intimum usque cubiculum admisit, sed etiam mensæ tectique participes esse voluit. Illi dæmones donariis honorabant; hic eorum fraudes aperuit, et materiam ipsam donariorum nullis usibus dicatam, iis qui uti poterant perpetuo est dilargitus. Illi deorum templa magnifice ornari jubebant; hic ea quæ superstitiosis hominibus præcipuo honore colebantur funditus subvertit. Illi Dei servos ignominiosis pœnis afficiebant; hic eos quidem qui ista admiserant persecutus debito affecit supplicio; sanctorum autem Dei martyrum memorias colere nunquam destitit. Illi divino cultui dicatos homines e palatio ejiciebant; hic ejusmodi hominibus præcipue confisus est, quippe quos præ cæteris omnibus benevolos fidosque sibi esse intelligeret. Illi, pecuniæ cogendæ supra modum avidi, Tantalico cuidam affectui animum suum mancipaverant; hic regali magnificentia thesauros omnes recludens, liberali et generosa largitione eos distribuit. Denique illi quidem innumerabiles cædes perpetrabant, ut interfectorum bona diriperent ac publicarent; quamdiu vero imperavit Constantinus, cunctis judicibus gladius otiosus semper atque incruentus pependit: cum in omnibus provinciis populi simul ac decuriones patria quadam potestate potius quam vi ac necessitate regerentur. Quæ si quis attentius consideraverit, merito dicturus est novum quoddam sæculum tandem apparuisse sibi videri; insolito lumine post diuturnas tenebras humano generi repente affulgente. Totumque hoc Dei opus esse fatebitur, qui adversus illam impiorum multitudinem, hunc religiosum imperatorem velut æmulum opposuerit.

CAPUT II.

Rursus de pietate Constantini signum crucis libere profitentis.

Nam cum illi quidem tales exstitissent, quales nulli unquam visi fuerant, eaque adversus Ecclesiam admittere ausi fuissent, quæ nemo unquam ab ultima usque hominum memoria facta esse audierat, merito Deus inusitatum quoddam miraculum, Constantinum scilicet, in medium producens, ea per illum gessit quæ nec auditu unquam accepta, nec oculis visa fuerant. Quod enim miraculum magis novum et inusitatum fuit, quam imperatoris nostri virtus, quem Dei sapientia humano generi donavit. Quippe ille cum omni fiducia ac libertate Christum Dei cunctis perpetuo prædicavit, nec salutari vocabulo censeri erubuit. Verum ob eam rem sese magnopere efferens, omnibus se noscendum exhibuit: dum nunc quidem salutari signo vultum consignat, nunc triumphali gloriatur tropæo.

CAPUT III.

De imagine Constantini, cui crux quidem superposita erat, infra autem draco.

Quinetiam in sublimi quadam tabula ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum: infra vero hostem illum et inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in præceps ruentem. Quippe divina oracula in prophetarum libris, draconem illum et sinuosum serpentem appellarunt. Idcirco imperator draconem telis per medium ventrem confixum, et in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumque liberorum pedibus cera igne resoluta depingi proponique omnibus voluit; hoc videlicet modo designans occultum humani generis hostem, quem salutaris illius tropæi quod capiti ipsius superpositum erat, vi ac potentia in exitii barathrum detrusum esse significabat. Atque hoc quidem imago variis coloribus depicta tacite indicabat. Mihi vero eximiam imperatoris intelligentiam mirari subit, qui divino quodam afflatu impulsus, ea pingendo expressit, quæ prophetarum vocibus de bestia illa multo ante prædicta fuerant: Deum scilicet machæram ingentem et terribilem adacturum esse in draconem serpentemque fugientem, et occisurum esse draconem qui est in mari. Horum igitur figuram expressit imperator, rem ipsam pictura prorsus imitatus.

CAPUT IV.

Rursus de controversiis in Ægypto excitatis ab Ario.

Et hæc quidem ille libenti animo perficiebat. Verum livor invidiæ qui ecclesias Dei in urbe Alexandria etiamtum conturbabat, et Thebæorum atque Ægyptiorum pestilens schisma, non mediocriter animum ipsius angebant. Quippe cum per singulas urbes episcopi adversus episcopos conflictarentur, et populi adversus populos insurgerent, ac mutuis se vulneribus instar Symplegadum collisi conciderent. Adeo ut furore tandem ac desperatione acti, impia quædam admittere, ipsasque imperatoris imagines violare ausi sint. Verum hæc non tam ad iracundiam principem excitare, quam mœstitia animum ejus afficere potuerunt; quippe qui perditorum hominum amentiam magnopere deploraret.

CAPUT V.

De dissensione ob festum Paschæ.

Alius quoque his antiquior suberat morbus longe gravissimus, qui ecclesias jampridem infestabat; dissensio scilicet de salutari festo. Quippe alii consuetudinem Judæorum sequi oportere asserebant: alii tempus ipsum accurate observandum esse aiebant, nec errantibus assentiendum, qui ab Evangelica gratia hac etiam in parte alieni essent. Itaque cum omnes ubique populi jamdudum inter se dissiderent, et sacri religionis nostræ ritus conturbarentur (quippe in uno eodemque festo temporis

Digitized by Google

diversitas maximum discidium inter feriantes excitabat, cum hi jejuniis et ærumnis seipsos atterrerent, illi otio ac lætitiæ indulgerent), mortalium quidem nemo erat, qui huic malo remedium posset adhibere; cum utrinque inter dissentientes velut æquata lance controversia penderet. Soli omnipotenti Deo perfacile erat istis malis mederi. Unus porro in terris extabat Constantinus, qui ad hæc bona perficienda idoneus Dei minister esse videretur. Qui posteaquam hæc quæ modo dixi auditione accepit, et litteris quas ad Alexandrinos miserat nihil se profecisse cognovit, mentis suæ solertiam ipse excitans, novum sibi bellum adversus invisibilem hostem Ecclesiæ statum perturbantem conficiendum esse dixit.

CAPUT VI.

Quomodo synodum Nicææ fieri jussit.

Mox velut divinam quamdam phalangem adversus eum instruens, generalem synodum convocavit; honorificis litteris episcopos undique invitans, ut quantocius adessent. Nec vero simplex ac nuda erat jussio: sed præterea multum ad hoc opus contulit imperatoris benignitas. Qui aliis quidem cursus publici copiam præbuit: aliis vero jumentorum usum abunde subministravit. Quinetiam sedes huic synodo convenientissima assignata est, urbs quæ a victoria nomen habet Nicæa, in Bithynia sita. Perlato igitur in omnes provincias imperatoris præcepto, statim cuncti velut ex transenna emissi, summa cum alacritate advolarunt. Alliciebat scilicet eos spes bonorum, et præsentis pacis opportunitas; novi denique miraculi, tanti nimirum imperatoris spectaculum. Posteaquam in unum convenere, Dei opus esse id quod gerebatur apparuit. Nam qui non modo animis, verum etiam corporibus et regionibus ac locis et provinciis longissime inter se dissiti erant, tunc in unum congregati cernebantur; et velut maximam quamdam sacerdotum coronam ex pulcherrimis floribus contextam, una cunctos civitas capiebat.

CAPUT VII.

De universali Concilio, ad quod ex omnibus provinciis convenerunt Episcopi.

Etenim ex omnibus Ecclesiis quæ universam Europam, Africam atque Asiam impleverant, ii qui inter Dei ministros principem locum obtinebant, simul convenere; unaque ædes sacra, velut Dei nutu dilatata, Syros simul et Cilicas, Phœnices et Arabes et Palæstinos, Ægyptios præterea, Thebæos et Libyas, aliosque ex Mesopotamia advenientes, ambitu suo complexa est. Quidam etiam ex Perside episcopus synodo interfuit: nec vel Scytha abfuit ab hoc choro. Pontus item, Galatia, Pamphylia et Cappadocia, Asia quoque et Phrygia lectissimum quemque ex suis præbuere. Taraces quinetiam, Macedones, Achivi et Epirotæ, et qui longissimo intervallo ultra hos positi sunt, nihilominus adfuere. Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus, una cum reliquis aliis consedit. Aberat quidem regiæ urbis antistes ob senilem ætatem: sed præsto erant presbyteri qui vices ejus implerent. Hujusmodi coronam pacis vinculo consertam et connexam, solus ab omni ævo imperator Constantinus velut divinum grati animi monumentum pro victoriis quas de hostibus et inimicis retulerat, Christo Servatori suo dedicavit: hoc amplissimo cœtu, tanquam imagine quadam apostolici chori, nostris temporibus convocato.

CAPUT VIII.

Quod sicut in Actis Apostolorum dicitur, ex variis gentibus convenerunt.

Siquidem et Apostolorum temporibus viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est, in unum convenisse dicuntur. Inter quos erant Parthi, Medi, Elamitæ et qui habitant Mesopotamiam, Judæam et Cappadociam, Pontum, Asiam et Phrygiam ac Pamphyliam, Ægyptum et partes Libyæ quæ est juxta Cyrenem; advenæ quoque, Romani, Judæi et Proselyti, Cretenses et Arabes. Verum apud istos quidem hoc minus fuit, quod non omnes erant Dei ministri qui convenerant. In præsenti autem choro episcopi quidem supra ducentos et quinquaginta adfuerunt. Presbyterorum vero qui eos comitati sunt, diaconorum, acoluthorum aliorumque complurium numerus iniri vix potest.

CAPUT IX.

De virtute et ætate ducentorum quinquaginta episcoporum.

Porro ex his Dei ministris, alii sermone sapientiæ, alii gravitate vitæ et laborum tolerantia eminebant: alii modestia et comitate morum erant ornati. Ac nonnulli quidem eorum ob provectam ætatem maximo in honore erant: nonnulli et corporis et animi juvenili vigore enitebant. Quidam nuper admodum ministerii sui stadium erant ingressi. Quibus omnibus quotidie annonas copiose præberi imperator mandaverat.

CAPUT X.

Synodus habita in palatio, quo ingressus Constantinus cum episcopis resedit.

Cæterum die concilio constituta, qua controversias dirimi oporteret, cum singuli præsto essent ex quibus Synodus constabat, in ipsa media æde palatii, quæ reliquas omnes amplitudine superare videbatur, plurimis sedilibus ad utrumque ædis latus ordine dispositis, omnes qui accersiti fuerant introgressi, suo quisque loco consedere. Postquam universa synodus cum decenti modestia resedit, omnes primum conticuere, imperatoris processum exspectantes. Mox unus ex proximis imperatoris, deinde alter ac tertius ingreditur. Præcedebant quoque alii, non ut moris est ex militum ac protectorum numero, sed ex amicis ii soli qui fidem Christi profitebantur. Cumque signo dato quo imperatoris introitus nuntiabatur, omnes assurrexissent, tandem ipse medius incedens advenit, velut quidam cœlestis Dei angelus, purpureæ quidem vestis fulgore oculos omnium præstinguens, et flammeis quibusdam radiis collucens, ad hæc auri et lapillorum eximio splen-

Digitized by Google

dore exornatus. Et hujusmodi quidem corporis cultus erat. Quod vero ad animum spectat, satis apparebat eum timore Dei ac religione decoratum esse. Atque id indicabant oculi demissi, rubor in vultu, et motus corporis atque incessus. Sed et reliqua corporis species, proceritas scilicet qua cunctos qui circa ipsum erant longe superabat. Nec statura solum, sed etiam formæ decore, et totius corporis venusta quadam majestate, invicto denique virium robore cæteros anteibat. Quæ quidem omnia admirabili modestia et imperatoria lenitate temperata, eximiam et omni laude majorem mentis illius præstantiam declarabant. Postquam imperator ad caput subselliorum venit, primum medius stetit. Positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta, non prius assedit quam Episcopi ei innuissent. Idem omnes post imperatorem fecere.

CAPUT XI.

Silentium Concilii, postquam Eusebius episcopus pauca quædam dixisset.

Tum ex episcopis is qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens, modica oratione imperatorem allocutus est, propter illum gratias et laudes perhibens omnipotenti Deo. Postquam ille etiam assedit, mox cuncti defixis in imperatorem oculis silentium fecere. Ille lætis oculis et placido vultu universos intuitus, ac deinde mentem suam in se colligens, leni et moderata voce hujusmodi verba fecit.

CAPUT XII.

Constantini ad synodum oratio de pace.

(Hanc orationem videsis infra.)

CAPUT XIII.

Quomodo episcopos inter se certantes ad concordiam revocarit.

Hæc ille cum latino sermone dixisset, quæ alius quispiam græce interpretatus est, deinceps concilii præsidibus sermonem concessit. Tum vero alii proximos insimulare cœperunt, alii accusantibus respondere et vicissim queri. Multis igitur hunc in modum ex utraque parte propositis, magnaque controversia in ipso principio excitata, imperator cuncta patientissime auscultans, intento animo propositas quæstiones excepit; et quæ ab utraque parte dicebantur, vicissim animans atque adjuvans, pertinacius certantes paulatim conciliavit. Cumque omnes placide alloqueretur, et græca uteretur lingua, quippe qui ne hujus quidem linguæ ignarus esset, suavissimus ac jucundissimus fuit: dum alios vi rationum adductos in suam sententiam trahit, alios orat et flectit; eosque qui recte dixissent, laudibus afficit, et universos ad concordiam incitat. Donec tandem eos concordes in omnibus de quibus antea certabatur, et consentientes effecit.

CAPUT XIV.

Concors synodi sententia de fide et de pascha.

Adeo ut non modo unius fidei consonantia apud omnes obtineret, verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Porro ea quæ in commune placuerant, scriptis mandata, et singulorum subscriptione roborata sunt. Quibus ita gestis, imperator alteram hanc victoriam de hoste Ecclesiæ se retulisse testatus, triumphalem festivitatem in honorem Dei celebravit.

CAPUT XV.

Quomodo Constantinus vicennalibus suis episcopos convivio exceperit.

Eodem tempore vicesimus imperii ejus annus complebatur. Cujus rei causa cum in omnibus provinciis publicæ festivitates agerentur, imperator Dei ministros ad convivium vocavit; et cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium per illos obtulit Deo. Neque ullus episcoporum ab hoc imperiali convivio abfuit. Res porro ipsa omnem dicendi copiam longe superabat. Protectores enim et milites in orbem dispositi, strictis gladiis palatii vestibulum custodiebant. Homines autem Dei per medium illorum absque ullo metu transibant, et ad intima usque palatii penetralia ingrediebantur. Ex his deinde alii una cum imperatore accubuerunt: alii in stibadiis utrinque dispositis discubuere. Prorsus imago quædam regni Christi adumbrari, resque ipsa somnio quam veritati propior videbatur.

CAPUT XVI.

Munera Episcopis donata et litteræ ad omnes scriptæ.

Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, imperator cunctos liberaliter excipiens, id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis ac dignitate muneribus honoraret. Eos quoque qui huic synodo minime interfuissent, de rebus in ea gestis certiores fecit per litteras: quas in hoc opere, tanquam in tabula quadam incisas proponam. Sunt autem hujusmodi.

CAPUT XVII.

Epistola Constantini ad Ecclesias de synodo Nicæna.

(Epistolam hanc hoc et tria seq. cap. complectentem videsis infra.)

CAPUT XXI.

Episcopis discessuris consilium dat ut concordiam servent.

Porro cum Synodus jam dissolvenda esset, imperator sermonem cum Episcopis habuit quo ipsis valediceret. Quippe omnes certo die in unum convocavit. Cumque adessent, eos admonuit ut pacis inter se servandæ studiosi essent, et pervicaces contentiones fugerent, nec inviderent si quis inter ipsos Episcopus, sapientiæ et facundiæ laude floreret: sed uniuscujusque virtutem commune omnium bonum esse existimarent; neve ii qui præstantiores sunt, supra inferiores sese efferrent; Dei enim esse, de vera cujusque virtute ac præstantia judicare. Decere potius ut præstantiores infirmioribus sese accommodent cum indulgentia quadam ac lenitate; præsertim cum absolutum omnibus numeris quidpiam reperire prorsus difficillimum sit. Itaque ipsos levis

Digitized by Google

aliorum delicti mutuo veniam indulgere; et quidquid humanitus peccatum sit condonare oportere, magnam semper rationem habentes mutuæ concordiæ; ne forte dum ipsi inter se seditiones agitant, iis qui divinam legem maledictis incessere parati sunt, ridendi præbeatur occasio. Quorum tamen maximam rationem ab ipsis habendam esse, quippe cum facile servari possint, si ea quæ apud nos geruntur illis eximia et admiranda videantur. Neque vero ipsis obscurum esse sermonum copiam haudquaquam omnibus hominibus utilitatem afferre. Alii enim tanquam ad vitam sustentandam commoda sibi suppeditari gaudent; alii ad patrocinium solent confugere. Quidam eos a quibus benigne excipiuntur diligunt; nonnulli munusculis honorati, ad amicitiam ineundam impelluntur. Pauci admodum sunt veri sermonum amatores: nec facile invenitur, qui veritatis studiosus sit. Quam ob causam omnibus sese accommodare oportet, et instar medici cujusdam ea quæ ad uniuscujusque salutem utilia sunt subministrare, ut salutaris doctrina omni ex parte ab omnibus honoretur. Et hæc quidem primo loco imperator eis præcepit. Ad extremum vero adjecit, ut pro se quoque preces ad Deum sedulo facerent. Cum in hunc modum eis valedixisset, cunctis posthæc in patriam redeundi potestatem fecit. Illi igitur summa cum hilaritate domum reversi sunt; ac deinceps una apud omnes valuit opinio, sub ipsius imperatoris præsentia, communi omnium consensu firmata; cum ii qui jamdudum a se mutuo divulsi erant, in unum veluti corpus coaluissent.

CAPUT XXII.

Quomodo alios quidem hortatus sit, ad alios autem scripserit, et de pecuniarum divisione.

Tanto igitur successu imperator exhilaratus, iis qui synodo minime interfuissent, gratissimum fructum per litteras præbuit. Sed et universis populis, tam iis qui per agros quam qui in urbibus habitabant, magnam pecuniæ vim distribui jussit, publicam festivitatem ob vicesimum imperii sui annum hac ratione concelebrans.

CAPUT XXIII.

Quomodo ad Ægyptios scripserit, eosque ad pacem hortatus sit.

Verum cunctis inter se pacem colentibus, apud solos Ægyptios implacabilis contentionis furor ardebat, adeo ut molestiam quidem exhiberent imperatori; non ideo tamen eum ad iracundiam excitarent. Illos enim ut patres, aut potius ut prophetas Dei, omni honore imperator afficiens, iterum ad se vocavit; iterum arbiter eorumdem fuit; iterum eos muneribus ac donis honoravit. Sententiam quoque quam arbiter dixerat, per epistolam significavit, confirmans et sanciens ea quæ a Synodo decreta fuerant, eosque adhortans ut concordiæ studerent, nec Ecclesiæ corpus distrahere ac discerpere vellent, sed futurum Dei judicium animo reputarent. Et hæc quidem imperator speciali epistola eis suggessit.

CAPUT XXIV.

Quomodo episcopis et plebibus religiosas litteras sæpius scripsit.

Sed et alia plurima ejusmodi scripsit, ac pene innumerabiles exaravit epistolas; nunc episcopis præscribens ea, quæ ad ecclesiarum Dei utilitatem spectabant: nunc ipsas plebes per litteras compellans, fratresque et conservos suos nominans Ecclesiæ populos, vir beatissimus. Verum hæc separato volumine colligere, alias fortasse otium fuerit, ne hujus historiæ nostræ series interrumpatur.

CAPUT XXV.

Quomodo Hierosolymis in sancto Dominicæ resurrectionis loco templum exstrui præcepit.

Iis ita gestis, imperator Deo carus aliud quiddam imprimis memorabile aggressus est in Palæstina. Quidnam vero illud est? Beatissimum illum Dominicæ resurrectionis locum qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere, officii sui esse existimavit. Confestim igitur oratorium ibidem exstrui mandavit: non absque Dei nutu eo inductus, sed ipso Servatore ejus animum incitante.

CAPUT XXVI.

Quomodo impii sepulcrum Domini ruderibus et simulacris superpositis obtexerant.

Quippe impii quondam homines, seu potius universum dæmonum genus, impiorum hominum opera, venerandum illud immortalitatis monumentum tenebris atque oblivione penitus involvere studuerant. Illud, inquam, monumentum, ad quod angelus olim e cœlo delapsus admirabili luce radians, saxum revolverat ex animis eorum qui vere saxei erant, et qui viventem Christum inter mortuos adhuc jacere arbitrabantur: felicem nuntium afferens mulieribus, et incredulitatis lapidem a mentibus earum removens, ut opinionem de vita ejus qui ab illis quærebatur adstrueret. Hanc igitur salutarem speluncam, impii quidam ac profani homines funditus abolere in animum induxerant, stulte admodum opinati se hoc modo veritatem esse occultaturos. Itaque non sine summo labore, plurima humo aliunde advecta aggestaque totum locum opplevere. Quem cum mediocri altitudine extulissent et lapide constravissent, sub hac tanta congerie sacram speluncam obtexerunt. Dehinc perinde ac si nihil amplius ipsis superesset, supra illud solum, infaustum prorsus animarum sepulcrum exstruxerunt, obscuram mortuorum simulacrorum cavernam in honorem lascivi dæmonis quem Venerem vocant ædificantes: ubi execranda sacrificia super profanis et impuris altaribus offerebant. Id enim quod instituerant, ita demum se perfecturos esse opinabantur, si impuris hujusmodi sordibus salutarem speluncam obruissent. Miseri enim illud intelligere non poterant, fieri omnino non posse, ut qui de morte victoriam retulisset, hoc ipsorum facinus occultum relinqueret: quemadmodum nec fieri potest, ut sol supra terras radians, et consuetum in cœlo cursum peragens, totius generis humani noti-

Digitized by Google

tiam subterfugiat. Quippe Servatoris nostri potentia longe præstantiori luce resplendens, nec ut sol corpora, sed animos hominum illustrans, totum jam terrarum orbem radiis implebat. Sed nihilominus ea quæ impii ac profani homines adversus veritatem machinati fuerant, longo temporis spatio permanserunt. Nec ullus ex præsidibus, aut ex ducibus, aut ex ipsis etiam imperatoribus, qui ad tantum scelus evertendum idoneus foret, inventus est præter unum Deo omnium regi acceptissimum principem. Qui divino animatus Spiritu, cum supra memoratum locum, omnibus purgamentis ac sordibus ab adversariis fraudulenter obstructum, et oblivioni penitus traditum esse indigne ferret, nec improbitati eorum qui id moliti fuerant cedendum esse arbitraretur, Dei adjutoris sui numine invocato, purgari præcepit : ratus eam maxime soli partem, quam adversarii contaminassent, sua opera ac ministerio divina frui magnificentia oportere. Simul atque hoc ab imperatore præceptum est, continuo opera illa ad fraudem comparata, e sublimi ad solum dejecta sunt, et ædificia ad decipiendos homines constructa, cum ipsis statuis ac dæmonibus diruta sunt ac dissipata.

CAPUT XXVII.

Quomodo Constantinus templi materiam ac rudera longissime projici mandavit.

Neque tamen hic conquievit imperatoris alacritas. Sed præterea tolli ruta cæsa, et quam longissime extra fines regionis projici mandavit. Quod itidem præceptum protinus executioni mandatum est. Hucusque vero progressus imperator, nequaquam sibi satisfecit. Sed, divino quodam æstu incitatus, jussit ut loco altissime effosso, solum ipsum utpote dæmonum piaculis contaminatum, simul cum egesta humo quam longissime exportaretur.

CAPUT XXVIII.

Manifestatio sanctissimi sepulcri.

Nec mora ; istud quoque, ut jussum erat, impletum est. Postquam aliud solum, locus scilicet qui in imo erat, apparuit ; tunc vero ipsum augustum sanctissimumque dominicæ resurrectionis monumentum præter omnium spem refulsit ; et spelunca illa quæ sancta sanctorum vere dici potest, resurrectionis Servatoris nostri quamdam expressit similitudinem, cum post situm ac tenebras quibus obtecta fuerat, rursus in lucem prodiit, et miraculorum quæ ibi quondam gesta fuerant, historiam iis qui ad spectandum confluxerant manifestissime videndam exhibuit ; rebus ipsis quæ omni voce clarius sonant, Servatoris nostri resurrectionem testata.

CAPUT XXIX.

Quomodo de construenda ecclesia ad præsides et ad Macarium episcopum litteras dedit.

His ad hunc modum gestis, confestim imperator emissis constitutionibus et liberali sumptu suppeditato, circa salutarem speluncam Deo dignum templum regali magnificentia exstrui jubet. Quippe jam pridem hoc apud se constituerat, idque quod erat futurum, divina quadam alacritate præviderat. Ac rectoribus quidem provinciarum per Orientem præcepit ut, impensis copiose subministratis, ingens amplumque et magnificum opus illud efficerent. Ad episcopum vero qui tunc temporis Hierosolymorum regebat ecclesiam ejusmodi litteras dedit, quibus salutaris fidei doctrinam apertissimis verbis adstruebat, ita scribens :

CAPUT XXX.

Constantini ad Macarium epistola de ædificatione Martyrii Servatoris nostri.

(Hanc epistolam hoc et duo seq. cap. complectentem videsis infra).

CAPUT XXXIII.

Quomodo ecclesia Servatoris extructa fuerit, quam prophetæ novam Hierusalem appellaverant.

Et hæc quidem ab imperatore scripta sunt. Cæterum effectus verba ipsa statim subsecutus est : et in ipso Servatoris nostri martyrio nova fabricata est Hierusalem, ex adverso veteris illius celeberrimæ, quæ post nefariam Domini cædem ultimam vastitatem experta, pro incolarum impietate pœnas persolverat. Contra hanc igitur imperator tropæum victoriæ, quam Servator noster de morte retulerat, ambitioso cultu erexit. Atque hæc forsitan fuerit recens illa ac nova Hierusalem, prophetarum vaticiniis prædicata, de qua in sacris voluminibus tot præconia ab ipso divino Spiritu pronuntiata leguntur. Primum igitur sacram illam speluncam, utpote totius operis caput, exornavit : divinum scilicet monumentum, juxta quod olim cœlesti luce radians Angelus, regenerationem quæ per Servatorem ostendebatur, omnibus nuntiaverat.

CAPUT XXXIV.

Descriptio fabricæ sancti sepulcri.

Hoc, inquam, monumentum tamquam totius operis caput, imperatoris magnificentia eximiis columnis et maximo cultu primum omnium decoravit, et cujusquemodi ornamentis illustravit.

CAPUT XXXV.

Descriptio atrii et porticuum.

Transgressus inde est ad vastissimum locum libero patentem cœlo. Cujus solum splendido lapide constravit, longissimis undique porticibus ad tria latera additis.

CAPUT XXXVI.

Descriptio parietum tectique et ornatus atque inaurationis ipsius Basilicæ.

Quippe lateri illi quod e regione speluncæ positum solis ortum spectabat, conjuncta erat basilica ; opus plane admirabile, in immensam altitudinem elatum, et longitudine ac latitudine maxima expansum. Cujus interiora quidem versicoloribus marmoris crustis obtecta sunt : exterior vero parietum superficies, politis lapidibus probe inter se vinctis decorata, eximiam quamdam pulchritudinem, nihilo inferiorem marmoris specie, præferebat. Ad culmen

Digitized by Google

vero et cameras quod attinet, exteriora quidem tecta plumbo tamquam firmissimo quodam munimento ad hibernos imbres arcendos obvallavit. Interius autem tectum sculptis lacunaribus consertum, et instar vasti cujusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum, universam basilicam velut quibusdam radiis splendere faciebat.

CAPUT XXXVII.

Descriptio geminarum utrinque porticuum et trium portarum orientalium.

Porro ad utrumque latus geminæ porticus, tam subterraneæ quam supra terram eminentes, totius basilicæ longitudinem æquabant, quarum concamerationes auro perinde variatæ sunt. Ex his quæ in fronte basilicæ erant, ingentibus columnis fulciebantur: quæ vero interiores, pessis magno cultu extrinsecus ornatis sustinebantur. Portæ tres ad orientem solem apte dispositæ introeuntium turbam excepere-runt.

CAPUT XXXVIII.

Descriptio hemispharii et duodecim columnarum cum crateribus.

E regione harum portarum erat hemisphærium, quod totius operis caput est, usque ad culmen ipsius basilicæ protentum. Cingebatur id duodecim columnis, pro numero sanctorum Servatoris nostri apostolorum. Quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata, quos imperator tamquam pulcherrimum donarium Deo suo dicaverat.

CAPUT XXXIX.

Descriptio atrii, exhedrarum et vestibulorum.

Hinc ad eos aditus qui ante templum sunt progredientibus, aream interposuit. Erant autem in eo loco primum atrium, deinde porticus ad utrumque latus, ac postremo portæ atrii. Post has totius operis vestibula in ipsa media platea in qua forum est rerum venalium, ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus, aspectum earum rerum quæ intus cernebantur non sine quodam stupore exhibebant.

CAPUT XL.

De numero donariorum.

Hoc igitur templum tamquam salutiferæ resurrectionis testimonium imperator exstruxit, et magnifico planeque regio apparatu decoravit. Nec dici potest quot quantisque ornamentis ac donariis, partim ex auro et argento, partim ex gemmis, illud diversimode venustavit. Quorum apparatum summo artificio elaboratum, et magnitudine, et numero, et varietate insignem, hic singillatim exponere haud vacat.

CAPUT XLI.

De ædificatione Ecclesiæ apud Bethlehem et in monte Olivarum.

Alia quoque ejusdem regionis loca duabus sacris speluncis nobilitata ambitioso cultu exornare aggressus est. Et speluncam quidem illam in qua Servator noster divinam præsentiam suam primum exhibuit, et in carne nasci sustinuit, imperator convenienti honore affecit. In altera vero spelunca, ascensionis dominicæ quæ in montis vertice olim contigerat, memoriam honoravit. Atque hæc loca magnifico cultu exornans, simul nomen matris suæ, cujus opera ac ministerio tantum bonum humano generi procurabatur, ad æternam posterorum memoriam consecravit.

CAPUT XLII.

Quomodo Helena Augusta Constantini mater, Bethlehem orandi causa profecta, has Ecclesias ædificavit.

Nam, cum illa debitum piæ affectionis munus Deo omnium Regi persolvere decrevisset, et pro filio suo tanto scilicet imperatore, ac pro filiis ejus Cæsaribus Deo carissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset, quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit, mulier singulari prudentia, ut terram veneratione dignam perlustraret, et Orientis provincias, urbesque ac populos cum regali quadam sollicitudine ac providentia inviseret. Postquam vero Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est, prout olim prophetieus sermo prædixerat: Adoremus, inquit, in loco ubi steterunt pedes ejus, continuo pietatis suæ fructum posteris etiam dereliquit.

CAPUT XLIII.

Rursus de Ecclesia Bethlehemitica.

Etenim Deo quem adoraverat duo statim templa dedicavit: alterum ad speluncam in qua natus est Dominus; alterum in eo monte ex quo in cœlum ascenderat. Nam et Emmanuel, quod est nobiscum Deus, sub terra pro nobis nasci sustinuit, et locus nativitatis ipsius Bethlehem ab Hebræis est appellatus. Ideoque Dei amantissima Augusta, deiparæ Virginis partum eximiis monumentis ornavit, sacram illam speluncam omni cultus genere illustrans. Nec multo post imperator eamdem Domini nativitatem regalibus donariis honoravit, variis ex auro et argento monumentis, velisque acu pictis, matris suæ cumulans magnificentiam. Præterea imperatoris quidem mater in memoriam ascensionis Christi omnium Servatoris, in monte Olivarum sublimia exstruxit ædificia, in ipso montis vertice sacram erigens ædem cum templo. Hic porro Servatorem omnium Christum, arcanis mysteriis discipulos suos in ipsa spelunca initiasse verax testatur historia. Imperator vero hoc etiam in loco, variis ornamentis ac donariis summum omnium Regem veneratus est. Atque hæc duo augusta ac pulcherrima monumenta, immortali memoria digna in duabus sacris speluncis, Helena Augusta, religiosi imperatoris mater religiosissima, piæ devotionis argumenta Deo Servatori suo dedicavit, cum filius imperialis potentiæ subsidium ei conferret. Nec multo post grandæva mulier dignum laboribus suis præmium retulit. Nam, cum totum vitæ suæ tempus usque ad prima senectutis limina in summa felicitate traduxisset, et divinorum mandatorum uberes fructus tum verbis tum operibus protu-

Digitized by Google

lisset, ac propterea vitam doloris expertem cum summa mentis et corporis sanitate peregisset, tandem exitum pietati suæ convenientem et mercedem bonorum operum in hac etiam vita a Deo consecuta est.

CAPUT XLIV.

De magnitudine animi et beneficentia Helenæ.

Quippe dum totum Orientem cum regali magnificentia peragrat, tum civitatibus, tum privatis qui ipsam adibant, innumera beneficia acervatim contulit, innumera quoque militaribus numeris liberali manu distribuit. Pauperibus autem ac nudis et omni ope ac solatio destitutis quamplurima donavit, illis pecuniam, his vestem, ad tegendam corporis nuditatem prolixe suppeditans. Alios item vinculis, aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit; quosdam violentia potentiorum oppressos liberavit; nonnullos etiam ab exilio revocavit.

CAPUT XLV.

Quomodo Helena in ecclesiis religiose versata sit.

Hujusmodi operibus cum magnam sibi gloriam comparasset, pietatem erga Deum minime neglexit: nam et assidue, cunctis videntibus, in ecclesiam ventitabat, et sacras ædes eximiis ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem, modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum religionem omni piorum operum genere declarantem.

CAPUT XLVI.

Quomodo octogenaria, testamento facto, e vita decessit.

Jam vero cum satis longo vitæ spatio decurso ad feliciorem sortem vocaretur, annum ætatis agens circiter octogesimum, in ipso mortis confinio posita, testamento facto, ultimam voluntatem declaravit, hæredem relinquens unicum filium, solum imperatorem ac dominum orbis terrarum, cum filiis nobilissimis Cæsaribus nepotibus suis. Quorum singulis, bona quæ per universum orbem possidebat, divisit. In hunc modum, testamento facto, diem ultimum clausit, præsente et adstante ipsi tali tantoque filio, et omni obsequiorum genere matrem fovente, manuque ejus amplectente. Adeo ut nequaquam mori mulier beatissima, sed potius caducam hanc vitam cum immortali vita commutare, recte sentientibus videretur. Anima igitur illius in incorruptibilem et angelicam substantiam reformata, ad Deum Servatorem suum assumpta est.

CAPUT XLVII.

Quomodo Constantinus matrem deposuit et qualiter illam coluit dum viveret.

Cadaver autem ipsius honore haudquaquam vulgari affectum fuit. Nam cum ingenti satellitum numero in regiam urbem pervectum, ibidem in regali monumento depositum est. Hoc modo imperatoris mater vivendi finem fecit; mulier sempiterna memoria dignissima, tum ob religiosos actus quibus enituit, A tum ob præstantissimum illum et admirabilem fœtum qui ex illa ortus est. Quem quidem ob cæteras res, maxime vero ob pietatem in matrem, beatum convenit prædicare. Quippe illam, cum antea Dei cultrix non esset, tam piam ac religiosam præstitit, ut a communi omnium Servatore instituta fuisse videretur. Regalibus autem honoribus ita eamdem ornavit, ut in omnibus provinciis, tum a paganis, tum a militibus Augusta et imperatrix nuncuparetur, et aurei nummi ejus imagine signarentur. Quinetiam thesaurorum regalium potestatem ei Constantinus concesserat, quibus pro arbitrio et ex animi sui sententia, prout libitum esset uteretur. Nam et in hac parte matrem suam conspicuam et beatam omnium judicio reddidit. Quocirca ex iis quæ ad memoriam illius B illustrandam pertinent, non immerito hæc etiam assumpsimus, quæ imperator pro singulari sua pietate in honorem matris suæ gessit, dum divinis obtemperat legibus, quæ filiis debita in parentes officia injungunt. Hujusmodi pulcherrima opera in Palæstina imperator, uti diximus, exstruxit. Sed et in reliquis provinciis novas a fundamentis ædificans ecclesias, multo augustiores quam quæ antea erant effecit.

CAPUT XLVIII.

Quomodo Constantinopoli martyria construxit, omnemque idolorum cultum abolevit.

Cum vero civitatem nominis sui ad summam gloriam extollere instituisset, plurimis eam oratoriis exornavit, amplissimisque martyriis et splendidissimis ædibus, partim in suburbiis, partim in ipsa civi- C tate constructis. Atque hoc modo simul martyrum honoravit memoriam, simul civitatem suam ipsi martyrum Deo consecravit. Totus denique sapientia Dei exæstuans, urbem illam quam appellatione nominis sui insignire decreverat, omni idolorum cultu usque adeo vacuam esse voluit, ut nusquam in illa falsorum numinum simulacra in templis colerentur; ac ne aræ quidem victimarum cruore contaminatæ, nec hostiæ igne consumptæ cernerentur, nec dæmonum festivitates, nec quidquam eorum quæ apud superstitiosos vulgata sunt ibidem ageretur.

CAPUT XLIX.

Signum crucis in palatio, et imago Danielis in fontibus.

Vidisses igitur in fontibus qui sunt in medio foro, D boni pastoris imagines, divinorum oraculorum peritis notissimas, Danielis item effigiem una cum leonibus ære expressam, et auri bracteis refulgentem. Tantus porro divini numinis amor imperatoris animum occupaverat, ut in totius palatii eminentissimo cubiculo, in maxima tabula, quæ in medio lacunaris inaurati expansa est, signum dominicæ passionis ex auro pretiosisque lapidibus elaboratum infixerit. Atque hoc tanquam præsidium ac tutelam imperii piissimus princeps statuisse mihi videtur.

CAPUT L.

De ecclesiis quas Nicomediæ et alibi exstruxit.

His igitur ornamentis civitatem nominis sui deco-

Digitized by Google

ravit. Urbem vero primariam Bithyniæ, pulcherrimæ et magnificentissimæ ecclesiæ monumento exornavit, erectis proprio sumptu in honorem Servatoris sui, eo etiam in loco tropæis victoriæ quam de hostibus et de adversariis Dei retulerat. In reliquis etiam provinciis, præcipuas ac nobilissimas quasque urbes oratoriorum magnificentia illustravit : exempli gratia urbem totius Orientis metropolim, quæ ab Antiocho nomen traxit. In qua tamquam in vertice omnium ejus regionis provinciarum, singulare quoddam opus, seu amplitudinem, seu decorem spectes, Deo consecravit. Quippe universum templum longissimo extrinsecus ambitu circumscripsit. Interius vero basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem ; figura quidem octaedri constructam, plurimis vero circumquaque cubiculis et exhedris, et tam subterraneis locis quam solariis undique circumdatam. Quam quidem basilicam auro plurimo et ære, aliisque pretiosis speciebus copiosissime exornavit.

CAPUT LI.

Quod in loco dicto Mambre ecclesiam ædificavit.

Et hæc quidem sunt præstantissima monumenta, quæ imperator Deo consecravit. Cum autem didicisset illum ipsum Servatorem, qui nuper in terris versatus fuisset, jampridem viris quibusdam Dei amantissimis præsentiam Divinitatis suæ in Palæstina exhibuisse juxta Quercum quæ dicitur Mambre, illic etiam basilicam ædificari præcepit. Proinde ad rectores quidem provinciarum missa est imperatoris auctoritas, datis ad singulos litteris quibus jubebatur ut injunctum sibi opus ad exitum perducere maturarent. Nobis vero qui hanc historiam scribimus, plenam sapientiæ direxit prædicationem. Cujus exemplum, hoc loco mihi inserendum videtur, quo principis Dei amantissimi cura ac diligentia certius possit agnosci. Exprobrans igitur nobis ea quæ in memorato loco geri acceperat, hæc ad verbum scripsit.

CAPUT LII.

Constantini epistola ad Macarium de Mambre.

(Hanc epistolam, hoc et sequenti capite contentam, videsis infra).

CAPUT LIV.

Fana et simulacra ubique diruta.

Hæc omnia imperator ad gloriam salutiferæ Christi virtutis omni studio peragebat, ac Deum quidem Servatorem suum hac ratione colere non cessabat. Gentilium vero superstitiosum errorem omnibus modis studebat convincere. Itaque quorumdam in urbibus fanorum vestibula nudabantur, valvis jussu imperatoris orbata ; aliorum tectum corrumpebatur, tegulis amotis. Nonnullorum veneranda ex ære simulacra, quæ error majorum multis jam annis magnifice jactabat, per fora urbis ab imperatore cognominatæ omnium oculis subjecta sunt. Adeo ut ad ludibrium et contumeliam spectantium paterent expositi, hic Pythius Apollo, illic Sminthius, et in ipso quidem circo tripodes Delphici ; Musæ autem Helliconides in palatio. Denique civitas illa imperatori cognominis, tota passim repleta est signis æneis, quæ eleganti opere elaborata, per singulas provincias olim dedicata fuerant. Quibus cum homines morbo erroris oppressi, longo temporis spatio centenas victimas et holocausta incassum perinde ac diis immolavissent, sero tandem sapere didicerunt, postquam imperator iisdem ad risum et oblectamentum spectantium uti cœpit. Simulacra vero ex auro fabrefacta, alio quodam ultus est modo. Nam, quoniam imperitam hominum multitudinem, infantium instar, hujusmodi erroris larvas ex auro argentoque fabrefactas frustra contremiscere cognoverat, eas e medio tollendas esse censuit ; quippe quæ velut fragmenta quædam lapidum essent, ante pedes hominum in mediis tenebris ambulantium projecta, planumque deinceps et æquabile iter viæ regiæ cunctis esse aperiendum. Quæ cum apud se reputasset, non militari manu, nec exercitu ad hæc reprimenda sibi opus esse existimavit ; sed unus aut alter ex familiaribus, ad hoc munus ei sufficerunt, quos ille solo propemodum nutu in omnes provincias direxit. At illi et imperatoris pietate, et sua ipsorum erga Deum religione confisi, per confertissimam turbam et per numerosam plebem iter facientes, passim per urbes et agros vetustum errorem aboleverunt. Ac primum quidem sacerdotes ipsos, non sine risu ac dedecore ex obscuris quibusdam recessibus deos suos proferre jubebant. Dehinc eosdem deos exteriore nudantes cultu, interiorem deformitatem quæ sub picta latebat effigie, omnium conspectui subjiciebant. Postremo abrasa utiliore materia et in ignem conjecta atque conflata, ipsi quidem id quod commodum ac necessarium esse videbatur, sepositum reservabant. Quidquid vero superfluum ac prorsus inutile erat, ad perpetuam opprobrii memoriam superstitiosis reliquerunt. Aliud etiam præstitit princeps omni admiratione dignus. Eodem enim tempore quo mortuorum simulacra ex pretiosa materia confecta, eo quem diximus modo spoliabantur, cæteraque ex ære fabrefacta erant, convehenda curavit. Itaque dii illi delirantibus Græcorum fabulis celebrati, circumjectis restibus vincti trahebantur.

CAPUT LV.

Eversio fani apud Aphaca in Phœnice, et impudicitiæ abolitio.

Posthæc imperator velut lucidissimam facem ex specula quadam attollens, undique regalibus oculis circumspiciebat, sicubi forte aliquæ adhuc erroris reliquiæ abditæ superessent. Ac veluti Aquila pennis in cœlum usque subvecta, cum acutissimo visu prædita sit, ea quæ in terris longissime distant, ex sublimi facile despicit ; sic ille, dum in pulcherrimæ urbis suæ palatio versatur, perniciosam quamdam animarum decipulam in Phœnice latere, tamquam e specula prospexit. Lucum scilicet ac templum, quod non in media urbe, nec in foro aut plateis positum erat, cujusmodi multa visuntur in civitatibus ornamenti causa ambitiose ædificata ; sed devium, procul a triviis et pu-

Digitized by Google

blico calle, fœdissimo dæmoni quem Venerem appellant, in parte verticis Libani montis apud Aphaca consecratum. Erat illic schola quædam nequitiæ, omnibus impuris hominibus, et qui corpus suum omni licentia corruperant, aperta. Quippe effeminati quidam, et fœminæ potius dicendi quam viri, abdicata sexus sui gravitate, muliebria patientes, dæmonem placabant. Adhæc illegitimi mulierum concubitus et adulteria, fœdaque ac nefaria flagitia in eo templo tamquam in loco ab omni lege ac rectore vacuo, peragebantur. Nec quisquam erat qui ea quæ illic gerebantur observaret, propterea quod nemo vir gravis ac modestus eo accedere audebat. At non etiam imperatorem maximum latere potuerunt quæ ibi perpetrabantur scelera. Sed cum ea ipsemet imperatoriæ providentiæ oculo inspexisset, hujusmodi templum indignum censuit quod solis radiis illustraretur. Proinde illud una cum simulacris ac donariis totum funditus everti jussit. Confestim igitur protervi erroris machinamenta imperatoris præcepto dissipata sunt, militibus ad purgandum locum operam suam præstantibus. Et qui lasciviæ antea dediti fuerant, imperatoris minis conterriti, modeste se gerere didicerunt. Pari modo superstitiosi Gentiles illi, qui sibi multum sapere videntur, modestius agere sunt edocti. Qui quidem etiam ipsi suam stultitiam ac vanitatem reipsa didicerunt.

CAPUT LVI.

Destructio templi Æsculapii Ægis.

Nam cum maximus ac vulgatissimus superstitionis error circa illum Ciliciæ dæmonem vanissimos homines occupasset, ac prope infiniti eum tamquam servatorem ac medicum admirarentur; quippe qui nunc in templo dormientibus appareret, nunc morbos ægrotantium curaret (erat tamen ille revera seductor animarum, utpote qui homines decipi faciles, a vero Servatore abductos ad falsum impietatis errorem pertraheret) imperator pro more atque instituto suo: quippe qui zelatorem ac vere Servatorem Deum sibi colendum proposuerat, hoc etiam templum solo æquari præcepit. Nec mora, ad unum imperatoris nutum humi jacuit manu militari subversum templum, quod nobiles philosophi tantopere suspexerant: et una cum templo ille ipse qui intus latitabat, non dæmon aut Deus, sed deceptor quidam animarum, qui longissimi temporis spatio homines in fraudem induxerat. Sic igitur ille qui malis et calamitatibus alios liberaturum se esse spondebat, nullum ipse sibi remedium reperit quo sese tueretur; non magis quam cum fulmine percussum eum fuisse fabulæ fingunt. At non item fabulosa fuerunt imperatoris nostri facinora Deo imprimis accepta; sed per manifestissimam ipsius Servatoris vim atque virtutem, hoc templum una cum cæteris radicitus eversum est, adeo ut pristinæ insaniæ ne vestigium quidem ullum ibidem remanserit.

CAPUT LVII.

Quomodo gentiles damnatis simulacris Deum agnoverunt.

Itaque quotquot antea superstitioso dæmonum cultui addicti fuerant, cum errorem suum confutatum oculis suis viderent, et omnium ubique templorum ac simulacrorum vastitatem intuerentur, alii ad salutarem Christi doctrinam se conferebant; alii, licet idem facere nollent, majorum tamen cæremonias utpote vanas atque inanes condemnabant; et quos antea pro diis habuissent deridebant. Quidni vero ita sentirent, cum sub externa simulacrorum specie tantam intus latentem spurcitiem cernerent. Nam aut cadaverum ossa, aut aridæ calvariæ suberant, impostorum fraude subreptæ, aut sordidi panni turpi immunditia referti, aut denique fœni ac stipulæ acervus. Quæ cum in penetralibus simulacrorum anima carentium congesta aspicerent, et suam et parentum suorum summam dementiam incusabant: maxime cum animadverterent, in suis illis adytis, atque in ipsis simulacris nullum esse intus habitantem, non dæmonem oracula fundentem, non Deum prædicentem futura, quemadmodum sibi antea persuaserant, immo ne obscurum quidem ac tenebrosum spectrum. Atque idcirco quodvis vel obscurissimum antrum et abditissimi quique recessus, iis qui ab imperatore missi erant facile patuerunt, adita quinetiam et inaccessa prius loca, ipsaque templorum penetralia, militum vestigiis terebantur, ex quo deprehensa et cunctorum oculis exposita est cæcitas mentis, quæ Gentiles omnes jampridem involutos tenebat.

CAPUT LVIII.

Quomodo apud Heliopolim destructo Veneris fano, primus ecclesiam construxit.

Atque hæc inter præclara imperatoris facinora merito recenseantur, sicut et illa quæ singillatim in variis provinciis constituit. Cujusmodi illud est quod in urbe Phœnices Heliopoli ab eo gestum vidimus. Qua in urbe Gentiles quidem qui obscœnam libidinem deæ Veneris vocabulo afficiunt, uxoribus ac filiabus suis stupri impune admittendi licentiam concesserant. Nunc vero nova lex ab imperatore directa est plena modestiæ, qua cavetur ne quidquam eorum quæ prius in more posita erant, in posterum præsumatur. Atque his rursus scriptas misit institutiones, utpote hanc præcipue ob causam a Deo destinatus, ut universos mortales temperantiæ præceptis imbueret. Quocirca ne ad hos quidem concionari per litteras dedignatus est, exhortans ut ad cognitionem Dei celeriter accederent. Statimque facta dictis consentanea ibidem adjecit, constructa eo etiam in loco Christiani cultus ingenti basilica. Adeo ut quod ab ultima usque hominum memoria nullibi fuerat auditum, tunc primum opere ipso completum sit, et civitas hominum superstitioso dæmonum cultui addictorum, Ecclesiam Dei et presbyteros ac diaconos habere meruerit, et episcopus summo omnium Deo consecratus, ejus loci hominibus præfuerit. Ad hæc imperator provida mente

Digitized by Google

prospiciens ut quamplurimi ad fidem Christi accederent, plurima ibidem ad sublevandos pauperes largitus est; hac etiam ratione ad salutarem doctrinam homines alliciens atque invitans, ac tantum non verba ipsa proferens Pauli dicentis, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur.

CAPUT LIX.

De tumultu Antiochiæ propter Eustathium excitato.

Verum enimvero cum ob hæc omnes in summa hilaritate vitam agerent, et Ecclesia Dei apud cunctos ubique gentes omnibus modis extolleretur, rursus dæmonis livor qui bonis semper insidias struit, adversus tantam rerum nostrarum felicitatem cœpit insurgere, ratus imperatorem tumultibus nostris et insolentia exasperatum, alienato tandem erga nos animo fortassis futurum. Maximo igitur incendio conflato, Antiochenorum Ecclesiam tragicis quibusdam calamitatibus implevit, adeo ut parum abfuerit quin tota funditus civitas subverteretur; quippe cum populus quidem Ecclesiæ duas in partes divisus esset, reliqua autem civitas simul cum magistratibus ac militibus, hostili modo inter se dissideret. Ventumque esset ad gladios, nisi divina providentia et imperatoris metus plebis impetum repressissent. Atque hic rursus principis clementia, instar Servatoris et animorum medici, ægris hominibus medicinam orationis adhibuit. Quippe unum ex iis quos circa se spectatos habebat, comitis honore decoratum, hominem fidelissimum, eo misit, plebem quasi legatione blanda compellans. Aliisque super aliis scriptis litteris hortatus est eos ut paci studerent, docens qua ratione divinæ religioni congruentia gererent. Ac tandem iis persuasit, excusavitque eos in suis litteris, asserens se coram audiisse ipsum qui totius seditionis auctor fuisset. Atque has ejus epistolas non vulgari doctrina et utilitate refertas, hoc loco apposuissem, nisi reis ignominiæ notam inurerent. Quocirca has quidem inpræsentia omittam, quippe qui malorum memoriam haudquaquam renovare decreverim; eas vero solas hic inseram quas ille de aliorum pace et concordia gaudens et gratulans conscripsit. Quibus quidem litteris hortatur eos, ut alterius loci antistitem, cujus interventu pacem inter se fecissent, nequaquam sibi vindicare velint; sed potius juxta Ecclesiæ ritum, eum episcopum eligant, quem ipse communis omnium Servator designaverit. Scribit autem tum ad populum, tum ad episcopos hæc quæ sequuntur.

CAPUT LX.

Tres epistolæ Constantini: prima ad Antiochenos ne Eusebium Cæsarea abstraherent; secunda ad Eusebium. Quod Antiochiam recusaverit; tertia ad Synodum Antiochenam, ne Eusebium a Cæsarea abstrahatur.

(Hac epistolas, hoc et duab. seq. capit. contentas, videsis infra).

CAPUT LXIII.

Quomodo hæreses exscindere studuerit.

Hæc imperator præsulibus Ecclesiarum præcipiens, hortabatur eos ut ad laudem divinæ religionis propagandam cuncta agerent. Postquam vero, sublatis e medio dissensionibus, Ecclesiam Dei ad concordiam et unanimem doctrinæ concentum revocavit, inde transgressus, aliud impiorum genus, utpote pestilens humani generis venenum, abolendum esse censuit. Erant hi perniciosi quidam homines qui sub falsa modestiæ et gravitatis specie urbes vastabant. Quos pseudoprophetas et rapaces lupos alicubi Servator appellat his verbis: Cavete a falsis prophetis qui venient ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Igitur, misso ad provinciarum præsides præcepto, hujusmodi hominum genus abegit ac fugavit. Præter ipsam autem legem, imperator salutarem quoque institutionem ad eos nominatim direxit, exhortans homines ut quantocius pœnitentiam agerent, Ecclesiam enim Dei ipsis portum salutis fore. Audi ergo quomodo in suis ad eos litteris concionatur.

CAPUT LXIV.

Constantini constitutio adversus hæreticos.

(Hanc constitutionem, hoc et seq. cap. contentam, videsis infra.)

CAPUT LXVI.

Quomodo nefariis libris apud hæreticos repertis, plurimi eorum ad Catholicam redierint Ecclesiam.

Hoc igitur modo hæreticorum cubilia imperiali præcepto dissipata sunt, et feræ ipsæ, id est impietatis illorum auctores in fugam acti. Eorum vero qui ab istis decepti fuerant, alii quidem imperatoris minis perterriti, spurio quodam et adulterino sensu in Ecclesiam irrepserunt, pro tempore callide dissimulantes. Nam quoniam libros eorum perquiri lex jubebat, quicumque vetitis artibus operam dabant, deprehendebantur. Quam ob causam simulatione utebantur, cuncta agentes ut salutem sibi compararent. Alii vero sincere atque ex animo ad spem meliorum transfugerunt. Porro Ecclesiarum antistites in utrosque sollicita inquisitione facta, eos quidem qui ovium pellibus obtecti simulanter accedere tentarent, procul abigebant. Eos vero qui sincere id agerent, aliquanto tempore exploratos, post idoneam probationem in numerum eorum qui ad sacros conventus admittebantur retuleruut. Et hoc quidem modo cum abominandis hæreticis agebatur. Cæterum ii qui nullam in dogmatibus suis impietatem præferrent, sed quorumdam schismaticorum culpa a communi societate sejuncti essent, sine mora in Ecclesiam sunt admissi. Hi ergo gregatim tamquam ex peregrina regione redeuntes, patriam suam postliminio recuperarunt, matremque Ecclesiam agnoverunt. A qua cum diutissime aberrassent, tandem læti atque hilares post longum temporis spatium ad eam remeabant. Totius ergo corporis membra communi inter se vinculo jungebantur, et una compages coalescebat. Solaque catholica Dei Ecclesia, apte sibi cohærens refulgebat, nullo aut hæreticorum aut schismaticorum collegio usquam gentium relicto. Atque hujus præclari facinoris, solus omnium qui unquam extiterunt imperator noster Deo acceptissimus, auctor fuit.

Digitized by Google

LIBER IV.

ARGUMENTUM. — I. *Qualiter donis ac promotionibus plurimos cohonestavit.* — II. *Remissio quartæ partis censuum.* — III. *Peræquatio et relevatio censuum.* — IV. *Quomodo in pecuniariis causis, iis qui causa ceciderant ipse de suo largiebatur.* — V. *Scytharum per signum crucis devictorum subactio.* — VI. *Sarmatarum subactio, cum servi adversus dominos rebellassent.* — VII. *Variorum barbarorum legationes et munera eis ab imperatore donata.* — VIII. *Quod Persarum regi qui legatos ad ipsum miserat, scripsit in gratiam Christianorum illic agentium.* — IX. *Epistola Constantini ad Saporem Persarum regem, summa cum pietate Deum et Christum confitentis.* — X. *Contra simulacra, et de glorificatione Dei.* — XI. *Contra tyrannos et persecutores, et de captivitate Valeriani.* — XII. *Quod persecutorum ruinam viderit, quodque jam ob Christianorum pacem lætatur.* — XIII. *Exhortatio ut Christianos in Perside agentes complectatur.* — XIV. *Quomodo assiduis Constantini precibus pax data est Christianis.* — XV. *Quod in nummis et imaginibus, precantis habitu effingi se jussit.* — XVI. *Quod imagines suas in templis idolorum poni lege lata prohibuit.* — XVII. *Precationes in palatio, et recitatio sacrarum Scripturarum.* — XVIII. *Ut diem Dominicum et sextam feriam honorari præceperit.* — XIX. *Quomodo etiam gentiles milites diebus dominicis orare docuerit.* — XX. *Forma precationis a Constantino militibus tradita.* — XXI. *In armis militum signum dominicæ crucis exprimi jubet.* — XXII. *Studium precandi, et cultus festi paschalis.* — XXIII. *Quomodo idolorum cultum prohibuit, martyrum autem festa honoravit.* — XXIV. *Quod rerum externarum quasi episcopum se esse dixit.* — XXV. *De prohibitione sacrificiorum et initiationum, et de abolitis gladiatoribus et impuris sacerdotibus Nili.* — XXVI. *Correctio legis adversus orbos, et legis de testamentis.* — XXVII. *Quod legem tulit ne Judæi Christianam mancipium haberent, utque conciliorum decreta rata essent, et cætera.* — XXVIII. *Dona in ecclesias collata, et p. cuidæ virginibus ac pauperibus erogatæ.* — XXIX. *Lucubrationes et declamationes Constantini.* — XXX. *Quod cuidam avaro sepulcri modum delineavit, ut ei pudorem inculeret.* — XXXI. *Quod ob nimiam clementiam irritus est.* — XXXII. *De Constantini oratione quam ad sanctorum cœtum scripsit.* — XXXIII. *Quomodo Eusebii de Servatoris sepulcro panegyricas orationes stans audierit.* — XXXIV. *Quod de Pascha et de sacris codicibus ad Eusebium scripsit.* — XXXV. *Epistola Constantini ad Eusebium, in qua orationem de pascha laudat.* — XXXVI. *Constantini ad Eusebium epistola de conficiendis sacris Codicibus.* — XXXVII. *Quomodo confecti fuerint Codices.* — XXXVIII. *Quomodo Emporium Gazæorum, ob Christianismum urbs facta et Constantia cognominata est.* — XXXIX. *Quod in Phœnice urbe facta est Constantina, et in aliis urbibus idola dirula et Ecclesiæ extructæ.* — XL. *Quod cum tribus decennalibus tres filios Cæsares creavisset, dedicationem martyrii Hierosolymis celebravit.* — XLI. *Quod inter hæc Synodum Tyri haberi constituit ob quasdam in Ægypto controversias.* — XLII. *Epistola Constantini ad Synodum Tyri congregatam.* — XLIII. *Quomodo ad dedicationem ecclesiæ Hierosolymorum, Episcopi ex omnibus provinciis convenere.* — XLIV. *Quomodo per Marianum notarium excepti sint, et pecuniæ pauperibus erogatæ; et de donariis ecclesiæ.* — XLV. *Episcoporum in conventibus sermones, et ipsius qui hæc scripsit Eusebii.* — XLVI. *Quod descriptionem martyrii, et orationem de tricennalibus, coram ipso imperatore postea recitavit.* — XLVII. *Quod Nicæna quidem synodus vicennalibus Constantini; dedicatio vero basilicæ Hierosolymorum contigit tricennalibus.* — XLVIII. *Quomodo immodicas cujusdam laudes ægre tulerit.* — XLIX. *Nuptiæ Constantii Cæsaris, ejus filii.* — L. *Legatio et munera ab Indis missa.* — LI. *Quomodo Constantinus diviso in tres filios imperio, eos regnandi arte et pietatis officiis instituit.* — LII. *Quomodo eos virilem ætatem ingressos, pietatem docuerit.* — LIII. *Quod cum duobus ac triginta annis regnaverit, et plusquam 60 annis vixerit, integra semper fuit valetudine.* — LIV. *De iis qui eximia ejus humanitate ad avaritiam et pietatis simulationem abusi sunt.* — LV. *Qualiter usque ad ultimum vitæ diem orationes scripsit.* — LVI. *Quomodo ad bellum Persicum proficiscens episcopos sibi adjunxit, et tentorium in speciem ecclesiæ paravit.* — LVII. *Quomodo susceptis Persarum legatis, festo paschæ die cum aliis pernoctavit.* — LVIII. *De constructione martyrii apostolorum Constantinopoli.* — LIX. *Descriptio ejusdem martyrii.* — LX. *Quod etiam in eo templo sepulcrum sibi ædificavit.* — LXI. *Imperatoris ægritudo et orationes Helenopoli: item de ejus baptismo.* — LXII. *Quibus verbis Constantinus postulavit ab episcopis, ut baptismum sibi conferrent.* — LXIII. *Quomodo post baptismum Deum laudavit.* — LXIV. *Constantini mors die festo Pentecostes circa meridiem.* — LXV. *Militum et tribunorum planctus.* — LXVI. *Quomodo funus Nicomedia Constantinopolim deductum est in palatium.* — LXVII. *Quomodo etiam post mortem a comitibus et reliquis perinde ac vivus honoratus est.* — LXVIII. *Quomodo exercitus judicio, filii ejus Augusti sunt nuncupati.* — LXIX. *Romæ luctus ob mortem Constantini, et imagines ei decretæ.* — LXX. *Quomodo funus Constantinopoli depositum sit a Constantio.* — LXXI. *Missa in apostolorum martyrio celebrata in exequiis Constantini.* — LXXII. *De Phœnice ave.* — LXXIII. *Quomodo in nummis Constantinum velut in cœlum ascendentem expresserint.* — LXIV. *Quod cum Deum coluisset, merito etiam a Deo honoratus est.* — LXXV. *Quod superiores omnes imperatores pietate superavit.*

CAPUT PRIMUM.

Qualiter donis ac promotionibus plurimos cohonestavit.

Tot tantasque res ad amplificationem et gloriam Ecclesiæ Dei imperator cum ageret, cunctaque eo consilio administraret ut Servatoris nostri doctrina summis omnium laudibus exciperetur, civilia interim negotia haudquaquam neglexit. Verum hac quoque in parte omnium provinciarum incolas variis et cumulatis beneficiis afficere nunquam destitit; nunc quidem publice erga omnes paternam quamdam exhibens sollicitudinem, nunc privatim singulos ex familiaribus suis variis ornans dignitatibus, et profusa animi magnitudine omnia omnibus largiens. Nec eveniebat unquam ut a scopo aberraret qui ab imperatore beneficium petebat; nec ullus qui bonum aliquod ab eo speravisset, spe sua frustratus discesit. Quippe alii pecunias, alii prædia impetrabant. Alii consulari, alii senatoria dignitate ornabantur. Nonnulli consulares, plures præsides designabantur. Comites vero, alii primi ordinis fiebant, alii secundi, A alii tertii. Porro perfectissimatu et aliis plurimis ejusmodi dignitatum titulis innumerabiles alii donabantur. Namque imperator quo plures honore afficeret, varias dignitates excogitaverat.

CAPUT II.

Remissio quartæ partis censuum.

Quantopere vero studuerit ut universo hominum generi hilarem ac tranquillam vitam præstaret, vel ex hoc uno exemplo perspici potest, quod ad vitam hominum imprimis utile, et generaliter ad omnes propagatum, etiamnum communi omnium sermone celebratur. Ex annuis tributis quæ terræ nomine conferebantur, quartam detrahens partem, agrorum possessoribus donavit: adeo ut si hujus annuæ detrac- B tionis rationem inieris, quarto quoque anno fructuum Domini a præstatione tributaria immunes essent. Quod quidem lege sancitum et in futurum tempus confirmatum, non præsentibus modo, verum etiam liberis posterisque eorum, perpetuam nullaque oblivione delendam imperatoris beneficentiam præstitit.

Digitized by Google

CAPUT III.

Perœquatio ac relevatio censuum.

Jam vero cum nonnulli terræ descriptiones et jugationes a superioribus principibus factas reprehenderent, agrosque suos nimium oppressos esse quererentur, hic etiam princeps, justitiæ legibus obtemperans, peræquatores mittebat qui a supplicantibus damnum depellerent.

CAPUT IV.

Quomodo in pecuniariis causis, iis qui causa ceciderant, ipse de suo largiebatur.

Quinetiam quoties inter duos litigantes sententiam pronuntiaverat, ne forte is qui causa ceciderat tristior eo secundum quem lis dicta erat abscederet, ex propriis bonis donabat victis, interdum prædia, nonnumquam pecunias; hac ratione efficiens ut victus non minus quam is qui causam obtinuerat lætus domum rediret, utpote qui in conspectum principis venire meruisset. Neque enim fas esse existimabat ut qui coram tanto principe stetisset, mœstus unquam ac tristis recederet. Proinde uterque litigantium læto ac renidenti vultu ex judicio redibat: et imperatoris animi magnitudo cunctis admirationi erat.

CAPUT V.

Scytharum per signum crucis devictorum subactio.

Quid hic necesse est quasi obiter commemorare, quomodo ille barbaras gentes sub imperii Rom. ditionem redegit, qualiter indominatas antehac, nec ulli unquam parere suetas Scytharum Sarmatarumque nationes primus sub jugum misit, ac per vim eo adegit, ut vel inviti dominos agnoscerent Romanos? Scythis quidem superiores etiam imperatores tributa pendebant, et barbaris Romani reipsa serviebant, annuam solventes pecuniam. Verum imperator hanc indignitatem ferre non potuit, nec victori principi decorum esse existimavit eadem pendere quæ priores principes pependissent. Itaque, Servatoris sui auxilio fretus, triumphali signo ac tropæo in eos etiam illato, brevi cunctos subegit. Ac resistentes quidem et contumaces armis domuit, reliquos prudentibus legationibus mitigans, a ferina legumque experte vita ad humanam civilemque traduxit. Hoc modo Scythæ Romanis tandem parere didicerunt.

CAPUT VI.

Sarmatæ subacti, cum servi adversus dominos rebellassent.

At Sarmatas Deus ipse Constantini pedibus substravit, et homines barbarico fastu intumescentes hoc subegit modo. Nam cum Scythæ bellum eis intulissent, Sarmatæ servos suos ut hostibus resisterent, armaverant. Servi, parta de hostibus victoria, arma in dominos vertere cœperunt, cunctosque patriis sedibus expulerunt. Hi vero nullum alium salutis portum quam Constantinum reperere. Qui servare homines assuetus, universos intra fines imperii Romani recepit. Et eos quidem qui idonei essent militaribus copiis adscripsit, reliquis ad necessaria vitæ subsidia agros colendos assignavit. Adeo ut feliciter sibi cessisse calamitatem suam ipsi faterentur, quippe qui barbaricam feritatem Romana libertate mutassent. Hac ratione Deus plurimas barbarorum gentes ejus adjunxit imperio.

CAPUT VII.

Variorum Barbarorum legationes et munera eis ab Imperatore donata.

Quippe ex omnibus locis legati continue ad eum accedebant, quæcumque apud ipsos pretiosissima habentur dona ei offerentes. Adeo ut nos ipsi pro foribus palatii, varias formas atque habitus Barbarorum ordine stantium aliquando conspexerimus, quorum et vestitus et ornatus dispar erat, coma item et barba longe dissimilis. Torvus aspectus et barbarus ac terrorem incutiens; corporum enormis proceritas. Et aliorum quidem rubicundi vultus, aliorum vero nive ipsa candidiores. Nonnullis media quædam coloris inerat temperatura. Quippe Blemmyes et Indi atque Æthiopes, qui, ut ait Homerus, bifariam divisi in extimo terrarum degunt, inter illos quos dixi barbaros conspiciebantur. Horum singuli quemadmodum in tabulis vulgo pingi videmus, seorsum quisque ea ad imperatorem afferebant, quæ apud ipsos in pretio sunt. Alii coronas aureas, alii diademata gemmis conserta, alii pueros flava cæsarie conspicuos, quidam barbaricas vestes auro et floribus intextas; hi equos, illi clypeos, et hastas longas, et sagittas, et arcus. Atque his donis significabant obsequium ac societatem armorum offerre se imperatori si vellet. Ille vero a singulis oblata accipiens ac seponens, tot tantaque eis vicissim donabat, ut momento temporis ditissimos redderet eos qui dona attulissent. Sed et ex eorum numero nobilissimos quosque Romanis dignitatibus ornabat; adeo ut plerique illorum, obliti reditus in patriam, hic apud nos manere maluerint.

CAPUT VIII.

Quod Persarum Regi qui legatos ad ipsum miserat scripsit in gratiam Christianorum illic agentium.

Jam vero cum rex etiam Persarum per legatos notitiam ambiret Constantini, donaque ad eum misisset, pacis et amicitiæ signa; id agens scilicet ut cum illo fœdus iniret; hic etiam imperator, excellenti quadam animi utens magnitudine, eum qui prior honore ipsum affecerat, munerum magnificentia longe superavit. Cumque apud Persas crebras esse Ecclesias Dei accepisset, et numerosam populorum multitudinem intra Christi ovilia congregari; hoc nuntio magnopere delectatus, utpote communis quidam omnium ubique agentium hominum tutor et curator, ad illa etiam loca providentiam suam pro cunctorum commodis laborantem extendit.

CAPUT IX.

Epistola Constantini ad Saporem Persarum Regem, summa cum pietate Deum et Christum confitentis.

(Hanc epistolam, quam hoc et quatuor seq. cap. continent, videsis infra).

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Quomodo assiduis Constantini precibus pax data est Christianis.

In hunc modum cum omnes ubique gentes instar navis cujusdam, unius gubernatoris regerentur industria, et imperium ac religionem famuli Dei libentissime amplecterentur; nec ullus amplius Romanum imperium perturbaret, cuncti posthac tranquillam et quietam vitam agebant. Imperator vero cum piorum hominum preces ad salutem reipublicæ plurimum conferre existimaret, eas quoque necessario conciliandas sibi putavit. Itaque et ipse supplex Dei opem imploravit, et præsidibus Ecclesiarum præcepit ut pro se preces ad Deum funderent.

CAPUT XV.

Quod in nummis et imaginibus precantis habitu effingi se jussit.

Quanta porro divinæ fidei vis ac virtus in ejus animo insederit, vel ex hoc uno conjici facile potest, quod in aureis nummis exprimi se jussit vultu in cœlum sublato, et manibus expansis instar precantis. Et hujus quidem formæ nummi per universum orbem romanum cucurrerunt. In ipsa vero regia juxta quasdam januas in imaginibus ad ipsum vestibuli fastigium positis depictus est stans, defixis quidem in cœlum oculis, manibus autem expansis precantis in modum.

CAPUT XVI.

Quod imagines suas in templis idolorum poni lege lata prohibuit.

Sic igitur ille se Deo supplicantem etiam in tabulis pictis exhibuit. Quin etiam lege lata vetuit imagines suas in idolorum templis dedicari, ne forte errore vetitæ superstitionis vel inani specie tenus inquinaretur.

CAPUT XVII.

Precationes in palatio, et recitatio sacrarum Scripturarum.

Verum his longe augustiora perspiciet quicumque attendere voluerit qualiter ille in palatio quamdam velut ecclesiam Dei constituit. Ac diligentia quidem et alacritate præibat cunctis qui in ecclesiam illam erant adscripti : et sacros codices in manus sumens oracula a Deo edita attento animo meditabatur. Posthac solemnes preces cum universo aulicorum cœtu recitabat.

CAPUT XVIII.

Diem Dominicum et sextam feriam honorari præcipit.

Diem vero precationibus congruum haberi constituit eum qui primus est et caput cæterorum, et qui revera dominicus est ac salutaris. Præterea diaconos et Deo consecratos ministros, qui vitæ gravitate et reliquis virtutibus ornati essent, totius domus custodes ordinavit. Denique protectores et stipatores ildi, benevolentiæ et fidei armis instructi, imperatorem ipsum pietatis magistrum habebant; et salutarem ac dominicum diem perinde honorabant; eoque die precationes imperatori gratas ad Deum fundebant. Reliquos etiam mortales ad idem faciendum incitavit princeps beatissimus; utpote qui id maxime in votis haberet, ut universos homines paulatim Dei cultores efficeret. Atque ob hanc causam cunctis sub imperio romano degentibus præcepit, ut dominico die feriarentur, utque diem qui est pridie sabbati similiter honorarent, in memoriam, ut videtur, earum rerum quæ a communi omnium Servatore illis diebus gestæ esse perhibentur. Porro cum exercitum omnem ad salutaris diei, qui lucis ac solis appellatur nomine, religiosum cultum institueret, iis quidem qui fidem divinitus inspiratam amplexi erant, exercendi se ex more institutoque Ecclesiæ Dei tempus atque otium indulsit, quo absque ullo impedimento orationibus vacarent.

CAPUT XIX.

Quomodo etiam gentiles milites diebus dominicis orare docuerit.

Reliquis vero qui divinæ fidei doctrinam nondum susceperant, altera lege præcepit ut dominicis diebus in campum purum procederent, et precationem quam antea didicissent, simul omnes signo dato ad Deum funderent. Neque enim hastis et armatura, nec corporis viribus confidere eos oportere, sed summum omnium Deum, auctorem bonorum omnium ipsiusque adeo victoriæ agnoscendum esse, eique solemnes preces persolvi debere, manibus quidem in cœlum sublatis, mentis autem oculis altius ad ipsum usque cœli regem erectis; hunc victoriæ auctorem, hunc servatorem custodemque et adjutorem invocare in precationibus eos debere. Ipse porro precationis formam cunctis militibus tradidit, jubens ut latino sermone omnes pronuntiarent ad hunc modum.

CAPUT XX.

Forma precationis a Constantino militibus tradita.

Te solum agnoscimus Deum; te Regem profitemur; te adjutorem invocamus. Tui muneris est quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, et futura a te speramus. Tibi omnes supplicamus, utque imperatorem nostrum Constantinum, una cum piissimis ejus liberis incolumem et victorem diutissime nobis serves, roganus. Hæc die solis a militaribus numeris fieri, et hæc verba inter precandum ab iis proferri præcepit.

CAPUT XXI.

In armis militum signum dominicæ crucis exprimi jubet.

Quin etiam in ipsis armis salutaris tropæi signum jussit effingi. Utque ante instructum armis exercitum, non aurea signa et simulacra, ut antea moris erat, sed solum crucis tropæum præferretur, mandavit.

CAPUT XXII.

Studium precandi et cultus festi paschalis.

Ipse vero utpote sacrorum mysteriorum particeps, in intimis palatii sui penetralibus quotidie statis

Digitized by Google

horis sese includens, remotis arbitris solus cum solo colloquebatur Deo; et in genua provolutus, ea quibus opus haberet supplici prece postulabat. In ipsis autem salutiferæ festivitatis diebus, disciplinæ atque exercitationum vigorem intendens, cunctis animi et corporis viribus collectis pontificis atque hierophantæ munere fungebatur. Et ipse quidem cæteris omnibus præibat ad festi celebrationem. Sacram autem vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis per eos quibus id operis erat injunctum. Lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant; adeo ut hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur. Simul vero ac dies illuxerat, Servatoris nostri beneficentiam imitari studens, universis gentibus, provinciis ac populis largam manum porrigebat; opulentissima donans omnibus munera.

CAPUT XXIII.

Quomodo idolorum cultum prohibuit, martyrum autem festa honoravit.

Hoc igitur modo ipse Deo suo sacra faciebat. Cæterum cunctis sub romano imperio degentibus, tam plebiis quam militibus, occlusæ erant fores cultus simulacrorum, et quodvis sacrificiorum genus interdictum. Missa quoque lex est ad præsides provinciarum, ut diem dominicum etiam ipsi venerarentur. Iidem festos martyrum dies jussu principis observabant, et ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur. Quæ quidem omnia summo cum imperatoris peragebantur gaudio.

CAPUT XXIV.

Quod rerum externarum quasi episcopum se esse dixit.

Quocirca non absurde, cum episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis præsentibus. Vos quidem, inquit, in iis quæ intra Ecclesiam sunt episcopi estis, ego vero in iis quæ extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus. Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subjectos episcopali sollicitudine gubernabat; et quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem consectarentur, incitabat.

CAPUT XXV.

De prohibitione sacrificiorum et initiationum, et de abolitis gladiatoribus et impuris sacerdotibus Nili.

Hinc est quod crebris legibus et constitutionibus interdixit omnibus, ne simulacris sacrificarent; ne vates curiose consulerent; neve simulacra erigerent, aut arcana sacra peragerent; postremo ne cruentis gladiatorum spectaculis urbes contaminarent. Cumque Ægyptii et Alexandrini fluvium suum ministerio quorumdam hominum effeminatorum colere consuevissent, lex quoque ad eos data est, ut omnis Androgynorum natio tanquam adulterina e medio tolleretur; nec usquam conspicerentur ii qui hujusmodi impudicitiæ morbo laborassent. Sed quoniam superstitiosi homines existimabant Nilum posthac more solito agros suos minime irrigaturum, imperatoris legi favens Deus, contrarium prorsus quam speraverant præstitit. Nam illi quidem qui urbes obscœnitate sua polluebant esse desierunt. Ipse autem fluvius, quasi expiata purgataque ipsi tota regione, uberior quam unquam antea affluxit, et largiore aquarum copia exundans, agros omnes irrigavit: stultos homines reipsa docens atque admonens, impuros quidem aversari oportere; soli autem Deo omnium bonorum auctori prosperos casus esse adscribendos.

CAPUT XXVI.

Correctio legis adversus orbos, et legis de testamentis.

Verum enimvero cum hujusmodi res pene innumerabiles in singulis provinciis ab imperatore gestæ sint, quicumque eas curiosius scribere aggressi fuerint, amplissimam certe materiam habituri sunt. Cujusmodi est quod plurimas leges ad majorem sanctitatem traducens, pro antiquis novas fecit. Atque hujus rei forma uno aut altero exemplo declarari potest. Orbos antiquæ leges hæreditatis patrum ademptione plectebant. Eratque lex hæc sane atrocissima; quippe quæ homines liberis destitutos, tanquam alicujus criminis reos, pœna afficeret; imperator vero, hoc abrogato jure, sanctam ac religiosam legem tulit. Eos enim qui sponte ac dedita opera peccarent congruo supplicio afficiendos esse aiebat. At vero multis natura liberos denegavit; qui cum numerosam sobolem sibi optassent, tamen ob corporis infirmitatem liberis caruerunt. Alii sine liberis ideo vixerunt, non quod successores habere liberos nollent, sed quod muliebrem copulam aversarentur, præ ardentissimo amore philosophiæ id continentiæ genus amplexi. Multæ præterea mulieres divino cultui consecratæ, castitatem atque omnimodam virginitatem coluerunt; et tam animos suos quam corpora purissimæ ac sanctissimæ vitæ mancipaverunt. Quid ergo? utrum hoc supplicio, an potius admiratione et approbatione dignum haberi oportuit? Etenim hujus rei vel conatus ipse maximam laudem meretur: effectus vero naturæ humanæ vires excedit. Eos igitur quibus naturalis infirmitas, licet maxime cupientibus, liberos denegavit, miseratione prosequi potius quam pœna afficere decet. Qui vero sublimioris philosophiæ amore ducitur, is non mulcta, sed admiratione omnium dignus est. Ad hunc modum imperator summa cum æquitate legem illam correxit. Præterea antiquis legibus cautum fuerat, ut morientes et ultimum, ut ita dicam, ducentes spiritum, certis quibusdam verbis testamenta scrupulose componerent; præscriptæque erant formulæ et solemnitates, ac verba quæ addi oporteret. Ex quo plurimæ fraudes admittebantur ad circumscribendam morientium voluntatem. Quod imperator cum animadvertisset, hanc etiam legem emendavit; statuens ut nudis verbis et qualicumque oratione testamentum condere morientibus liceret, et supremam voluntatem quovis

Digitized by Google

scripto declarare; aut si mallent sine scripto testari, id facerent adhibitis duntaxat testibus idoneis, qui fidem servare absque mendacio possent.

CAPUT XXVII.

Quod legem tulit ne Judæi christianum mancipium haberent, utque conciliorum decreta rata essent, et cætera.

Quinetiam legem tulit, ne Christianus ullus serviret Judæis. Neque enim fas esse, ut ii qui a Domino redempti essent, prophetarum ac Domini interfectoribus servitutis jugo subderentur. Quod si quis christianæ religionis, servus penes Judæum deprehenderetur, illum quidem libertate donari, Judæum vero mulctari pecunia jussit. Jam vero episcoporum sententias quæ in conciliis promulgatæ essent, auctoritate sua confirmavit; adeo ut provinciarum rectoribus non liceret episcoporum decreta rescindere. Cuivis enim judici præferendos esse sacerdotes Dei. Hujus modi pene innumeras leges subditis suis promulgavit: quas quidem peculiari volumine tradere, ad perspiciendam hac etiam in parte imperatoris prudentiam, majoris otii fuerit. Quid nunc attinet commemorare, quemadmodum summo omnium Deo sese applicans, a prima luce ad vesperam quos ex omni hominum numero beneficiis afficeret, sollicite inquirebat; seque erga omnes æquum ac civilem, bene de cunctis mereudo, præbebat.

CAPUT XXVIII.

Dona in Ecclesias collata, et pecuniæ virginibus ac pauperibus erogatæ.

Sed præcipue in ecclesias Dei plurima contulit dona, nunc agros, nunc annonas in alimoniam pauperum et viduarum ac pupillorum largiens. Denique etiam vestes nudis hominibus fieri sollicita provisione curavit. Præ cæteris vero eos maxime honorabat, qui se totos divinæ philosophiæ addixissent. Ipsum quidem sanctissimum perpetuarum Dei virginum cœtum tantum non venerabatur, cum ipsum cui se consecraverant Deum, in earum mentibus habitare, pro certo haberet.

CAPUT XXIX.

Lucubrationes et declamationes Constantini.

Quin et totas interdum noctes vigil traducebat, suam ipse mentem divinarum rerum meditatione instruens. Et per otium scribendis orationibus vacans, crebras habebat conciones: quippe qui officii sui esse existimaret, populos sibi subjectos præceptis rationis regere, et principatum suum rationis imperium efficere. Quocirca ipse quidem concionem advocabat. Cæterum innumerabilis accurrebat multitudo, principem philosophantem auditura. Quod si forte inter dicendum, de theologia loquendi aliqua sese obtulisset occasio, stans illico contracto vultu ac demissa voce, cum singulari religione ac modestia divinæ doctrinæ mysteriis initiare auditores videbatur. Cumque universi faustis vocibus ei applauderent, ipse eis innuebat ut sursum oculos attollerent, unumque illum summum omnium Regem præcipuo cultu et admiratione prosequerentur. Porro orationum suarum partitionem ita faciebat, ut primum quidem refutationem erroris gentilium in multis diis colendis, quasi fundamentum substerneret; certis rationibus adstruens, superstitionem illorum meram fraudem esse, et impietatis propugnaculum. Post hæc de singulari imperio Dei disserebat. Tum sermonem faciebat de providentia, qua et universa reguntur et singula. Hinc ad salutarem progrediens dispensationem, hanc quoque necessario et convenienti ratione factam fuisse ostendebat. Inde orationis cursum promovens, disputationem de divino judicio aggrediebatur. Quo in loco auditorum animos gravissime perstringebat; raptores coarguens, et violentos, et eos qui se pecuniarum inexplebili cupiditati mancipassent. Nonnullos etiam e familiaribus suis qui aderant, quodam quasi orationis flagello verberans, conscientiæ stimulis agitatos, demittere oculos cogebat. Quibus clara voce contestans denuntiabat ipsos actorum suorum rationem Deo esse reddituros. Quippe sibi quidem imperium orbis terrarum a Deo traditum esse: se vero divini numinis exemplo, partes imperii regendas ipsis commisisse: cæterum omnes rationem gestorum suorum supremo regi tandem reddituros. Hæc ille contestabatur assidue; hæc suggerebat; his illos documentis imbuebat. Verum ipse quidem sinceritate fidei suæ confisus, talia et sentiebat et prædicabat. Illi autem indociles ac velut obsurdescentes adversus pulcherrima documenta perstabant: lingua quidem ipsa plausuque et acclamationibus dicta comprobantes; sed reipsa ob inexplebilem cupiditatem ea negligentes.

CAPUT XXX.

Quod cuidam avaro sepulcri modum delineavit, ut ei pudorem inculeret.

Proinde quemdam ex familiaribus manu apprehensum his aliquando verbis compellavit. Quousque tandem, heus tu, cupiditatem extendimus? Deinde cum hasta quam præ manibus habebat, humani corporis staturam humi delineasset: Etiamsi, inquit, cunctas hujus sæculi divitias, totumque adeo orbem terrarum tibi comparasses, tamen nihilo plus quam hoc a me descriptum terræ spatium ablaturus es, si modo etiam hoc tibi concessum fuerit. Neque tamen beatissimus princeps, cum hæc et ageret et diceret, quemquam a pristina pravitate revocavit. Verum ipso rerum eventu manifestissime comprobatum est, imperatoris monita divinis oraculis potius, quam nudis sermonibus similia extitisse.

CAPUT XXXI.

Quod ob nimiam clementiam irrisus est.

Porro cum nullus esset extremi supplicii metus, qui malos homines a sceleribus deterreret, imperatore prorsus in clementiam propenso, et ex provinciarum rectoribus nemine crimina coercente, eo factum est, ut publica administratio non mediocrem reprehensionem subierit; utrum jure, an injuria

Digitized by Google

statuat quisque prout videbitur. Mihi interim fas sit rerum veritatem scriptis prodere.

A

CAPUT XXXII.

De Constantini oratione, quam ad Sanctorum cœtum scripsit.

Et imperator quidem latino sermone orationes componebat. Eas vero in græcam postea linguam convertebant interpretes, quibus id munus erat injunctum. Ex his orationibus græco sermone translatis, exempli gratia unam huic operi subjiciam, quam ille ad sanctorum cœtum inscripsit, Ecclesiæ Dei lucubrationem illam nuncupans : ne cui forte nostrum super his rebus testimonium vana atque inanis fabula esse videatur.

CAPUT XXXIII.

Quomodo Eusebii de Servatoris sepulcro panegyricas orationes stans audierit.

Illud vero quod nobis præsentibus gessit princeps mirabilis, nequaquam mihi videtur silentio prætereundum. Nam cum singulari ejus in Deum pietate confisi, rogassemus aliquando ut nos de Servatoris nostri sepulcro dicentes audire vellet, libentissime aures nobis commodavit. Cumque maxima audientium multitudo intus in ipsa regia circumstaret, stans ipse una cum cæteris orationem audivit. Nobisque ab eo postulantibus, ut in regali solio quod juxta positum erat sedere vellet, numquam adduci potuit ut sederet : sed intento animo quæ dicebantur expendens, theologicorum dogmatum veritatem suo testimonio comprobabat. Cum vero multum jam temporis consumpsissemus, et prolixior esset oratio, nos quidem finem dicendi facere volebamus. At ipse hortabatur nos, ut pergeremus donec ad metam perducta esset oratio. Nobis rursus ut sederet supplicantibus, ipse obluctans benigne persuadebat : cum nunc quidem diceret nefas esse, ubi de Deo instituta sit disputatio, remisse ac molliter auscultare : nunc vero id sibi utile et commodum esse affirmaret. Pium enim ac religiosum est, inquit, ut de rebus divinis stantes audiant. His peractis, nos quidem domum reversi consuetis nos studiis et exercitationibus reddimus.

B

C

CAPUT XXXIV.

Quod de Pascha et de sacris codicibus ad Eusebium scripsit.

At ille Ecclesiis Dei provida semper mente consulens, de conficiendis sacris codicibus, et de festo paschali ad nos epistolam scripsit. Nam cum nos librum quemdam quo arcana illius festi ratio erat exposita, ei nuncupassemus, quomodo nos responsionis suæ honore vicissim remuneratus sit, ex his ejus litteris perspici potest.

CAPUT XXXV.

Epistolæ duæ Constantini ad Eusebium, prior in orationem Eusebii de Pascha, altera de conficiendis sacris codicibus.

(Has epistolas quæ hoc et sequenti capite continentur, videsis infra.

CAPUT XXXVII.

Quomodo confecti fuerint codices.

Et hæc quidem imperator præcepit. Cæterum ejus dicta continuo opus ipsum excepit, cum nos in voluminibus magnifice exornatis terniones et quaterniones ad eum misissemus. Quod ipsum altera imperatoris responsio testabitur; in qua, cum forte ei nuntiatum fuisset urbem apud nos Constantiam, quæ antea simulacrorum cultui addicta fuerat, impetu quodam sacrosanctæ religionis impulsam, pristinum superstitionis errorem abjecisse, gaudere se et factum magnopere probare significavit.

CAPUT XXXVIII.

Quomodo Emporium Gazæorum, ob Christianismum urbs facta est et Constantia cognominata.

Jamtum siquidem in Palæstina urbs Constantia salutarem religionem amplexa, tum a Deo, tum ab imperatore summi honoris prærogativa decorabatur. Nam et civitatis nomen accepit, cum antea vicus esset; et pristinum nomen cum præstantiore vocabulo, religiosissimæ videlicet sororis Principis, commutavit.

CAPUT XXXIX.

Quod in Phœnice urbs facta est Constantina, et in aliis urbibus idola diruta et Ecclesiæ exstructa.

Idem quoque pluribus in locis factitatum. Verbi gratia in urbe quadam Phœnices, quæ imperatoris nomine appellatur : cujus incolæ conjectis in ignem innumerabilibus simulacris, salutarem religionem amplexi sunt. Sed et in reliquis provinciis, innumeri confertim ad salutarem Dei cognitionem sese transferentes, per urbes et agros varia simulacra ex omnis generis materia fabrefacta, quæ prius pro sacris habuerant, aboleverunt : templa eorum ac delubra in immensam altitudinem sublata, nullo jubente destruxerunt. Ecclesias vero a fundamentis ædificantes, pristinam suam sententiam aut potius errorem mutaverunt. Verum Deo amabilis imperatoris res gestas singillatim commemorare, non tam nostrum est, quam illorum qui assidue cum eo versari meruerunt. Nos vero quando ea quæ ad nostram notitiam pervenerant, in hoc opere breviter exposuimus, ad extremum ejus vitæ tempus transgrediemur.

D

CAPUT XL.

Quod cum trinis decennalibus tres filios Cæsares creavisset, dedicationem Martyrii Hierosolymis celebravit.

Annus jam imperii illius tricesimus peragebatur. Tres autem ejus filii variis temporibus consortes imperii fuerant renuntiati. Primus qui patri erat cognominis, decimo circiter paterni imperii anno, hunc honorem sortitus. Secundus avi sui nomen referens, circa parentis sui vicennalia Cæsar est declaratus. Tertius Constans, qui præsentiam et stabilitatem suo nomine designat, tricesimo circiter paterni principatus anno ad hoc fastigium est evectus. Ita cum ad quamdam Trinitatis similitudinem tres filios Deo amabiles sustulisset, eosdemque sin-

Digitized by Google

gulis decenniis ad consortium imperii cooptasset, tempus deinceps tricennalium suorum opportunissimum esse existimavit, quo summo omnium Regi gratias ageret. Et ipse quidem optimum factu esse judicabat, si ejus martyrii quod singulari studio ac magnificentia Hierosolymis construxerat, dedicationem celebraret.

CAPUT XLI.

Quod inter hæc synodum Tyri haberi constituit ob quasdam in Ægypto controversias.

Verum invidus dæmon bonorum omnium inimicus, instar densissimæ cujusdam nubis splendidissimis solis radiis sese opponentis, hujus celebritatis nitorem turbare conatus est; Ecclesiarum Ægypti statum contentionibus suis iterum concutiens. Sedenim Deo carus imperator collectam rursus plurimorum antistitum synodum, velut divinum quemdam exercitum in prælium educens, malevolo dæmoni objecit: episcopis ex universa Ægypto, et Libya, Asia item et Europa convenire jussis; primum quidem ad dirimendam controversiam, exinde vero ad supradicti martyrii dedicationem. Proinde mandavit iis ut obiter in civitate quæ totius Phœnices caput est, controversias dissolverent. Neque enim fas esse, ut cum mutua animorum dissensione ad divinum cultum accederent: cum divina lex vetet, ne dissentientes, antequam compositis inter se controversiis pacem atque amicitiam pepigerint, dona sua offerant Deo. Hæc salutaria Servatoris nostri documenta imperator assidua cogitatione volvens, cum omni animorum consensione et concordia propositum opus aggredi monuit, per litteras quæ sic se habent:

CAPUT XLII.

Epistola Constantini ad synodum Tyri congregatam.

(Hanc epistolam, videsis infra.

CAPUT XLIII.

Quomodo ad dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum episcopi ex omnibus provinciis convenere.

Cum hæc præcepta exsecutioni mandarentur, alius ab imperatore nuntius supervenit, qui oblatis imperialibus litteris, synodum hortatus est ut, nulla inposita mora, omnes quamprimum Hierosolyma properarent. Cuncti igitur ex Phœnicum provincia digredientes, publico cursu contendere eo quo jussum erat cœpere. Totusque ille locus maximo Dei cœtu tandem refertus fuit, cum ex universis provinciis insignes episcopi Hierosolymis in unum convenissent. Nam et Macedones primæ apud se sedis episcopum miserant; et Pannonii ac Mœsi ex tyronibus Dei lectissimum florem ac præcipuum gentis suæ decus direxerant. Aderat etiam episcoporum Persidis ornamentum, vir sanctus et in divinis Scripturis apprime exercitatus. Bithyni quoque et Thraces præsentia sua conventum ornabant. Nec deerant ex Ciliciæ episcopis clarissimi quique. Ex Cappadocia item qui doctrina et eloquentia præstabant, in medio consessu enituerunt. Adhæc Syria omnis, Mesopotamia, Phœnice, Arabia et Palæstina ipsa; Ægyptus quoque et Libya, et qui Thebaidem incolunt, omnes in unum congregati magnum illum Dei chorum implebant. Quos ex omnibus provinciis innumerabilis hominum multitudo sequebatur. Aderat porro his omnibus regalis cujusdam apparitionis obsequium; et ex imperii palatio missi quidam spectatæ probitatis viri, qui sumptibus ab imperatore subministratis festivitatem illustrarent.

CAPUT XLIV.

Quomodo per Martianum notarium excepti sint, et pecuniæ pauperibus erogatæ: et de donariis Ecclesiæ.

His autem omnibus præerat vir imperatori comprimis utilis; fide, religione et sacrarum litterarum peritia conspicuus. Qui cum tyrannicis temporibus pro pietatis defensione multis confessionibus inclaruisset, non immerito harum rerum dispositionem sibi commissam accepit. Hic igitur omni cum sinceritate imperatoris jussibus obsecutus, episcoporum quidem cœtum singulari comitate, et magnificentissimis epulis atque conviviis honorifice excepit. Egentibus vero ac nudis, et pauperum utriusque sexus infinitæ multitudini, cibi ac reliquarum rerum inopia laboranti, magnam pecuniæ vim et plurimas vestes distribuit. Postremo basilicam omnem regalibus donariis magnifice exornavit. Et hic quidem hujusmodi functus est ministerio.

CAPUT XLV.

Episcoporum in conventibus sermones, et ipsius qui hæc scripsit Eusebii.

At sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, et martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spiritale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos et mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis et mysticis immolationibus Deum placabant; pro pace communi; pro Ecclesia Dei; pro imperatore tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes. Ibi nos quoque, quibus majora quam pro meritis nostris bona contigerant, variis sermonibus publice habitis solemnitatem decoravimus; nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc propheticorum oraculorum sensus apte et accommodate ad præsentes figuras atque imagines interpretantes. Hoc modo dedicationis solemnitas ipsis imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est.

CAPUT XLVI.

Quod descriptionem Martyrii et orationem de tricennalibus, coram ipso imperatore postea recitavit.

Cæterum qualis forma basilicæ Servatoris; qualis sacræ speluncæ species sit; quanta operis venustas et

Digitized by Google

elegantia; quot denique donaria partim ex auro et argento, partim ex gemmis fabrefacta, peculiari opere executi, librum illum imperatori nuncupavimus. Quem quidem librum opportune ad calcem hujus operis edituri sumus; adjuncta etiam oratione illa de tricennalibus, quam paulo post profecti Constantinopolim, coram ipso imperatore recitavimus; secundo tum in palatio summum omnium Deum ac Dominum laudibus prædicantes. Quam cum audiret Deo amabilis imperator, gestire præ gaudio videbatur. Atque id ipse finita oratione confessus est, cum episcopos qui aderant convivio exciperet, omnique eos genere honoris afficeret.

CAPUT XLVII.

Quod Nicæna quidem synodus vicennalibus Constantini, dedicatio vero basilicæ Hierosolymitanæ contigit tricennalibus.

Hanc secundam synodum, omnium quas quidem novimus maximam, imperator Hierosolymis congregavit, post primam illam quam in urbe Bithyniæ nobilissima collegerat. Sed illa quidem triumphalis erat; in imperii vicennalibus preces ac vota pro victoria de hostibus parta, in urbe victoriæ cognomine persolvens. Hæc vero tricennalium festivitatem ornavit, cum imperator Deo omnium bonorum auctori, martyrium, velut quoddam pacis donarium, in ipso Servatoris nostri monumento dedicaret.

CAPUT XLVIII.

Quomodo immodicas cujusdam laudes ægre tulerit.

His omnibus confectis, cum imperatoris virtus cunctorum sermonibus prædicaretur, quidam ex numero sacerdotum, illum coram beatum pronuntiare non est veritus: quippe qui tum in hac vita summum totius orbis Romani imperium consequi meruisset; tum in futuro ævo una cum Filio Dei esset regnaturus. At ille hujusmodi voces ægre admodum passus, hominem admonuit, ne his verbis uti præsumeret, sed potius supplex Deo vota faceret, ut tam in hac quam in futura vita, censeri inter famulos Dei mereretur.

CAPUT XLIX.

Nuptiæ Constantii Cæsaris, ejus filii.

Absoluto jam tricesimo imperii anno, secundi filii nuptias celebravit, cum majoris natu nuptias dudum antea celebravisset. Epula igitur et convivia præbebantur, imperatore ipso filium sponsum deducente, et magnifico apparatu seorsum virorum, seorsum mulierum cœtum excipiente. Sed et munera splendidissima civitatibus ac populis divisa.

CAPUT L.

Legatio et munera ab Indis missa.

Eodem tempore Indorum qui ad orientem solem incolunt, legati advenere, dona afferentes; varias videlicet gemmas exquisiti fulgoris ac pretii; feras quoque forma atque indole penitus a nostris discrepantes. Quæ omnia imperatori offerentes, testabantur ad ipsum usque Oceanum imperium ejus extendi, gentisque Indorum principes ac regulos pictis tabulis et statuis in honorem ejus erectis, imperatorem ac regem se illum agnoscere profiteri. Ac in ipso quidem principatus ejus exordio, primi omnium Britanni ad occidentalem oceanum positi, sese illius ditioni subjecerunt: nunc vero Indi ad orientem solem incolentes, idem fecere.

CAPUT LI.

Quomodo Constantinus diviso in tres filios imperio, eos et regnandi arte et pietatis officiis instituit.

Cum igitur utrumque terminum orbis terrarum sub potestatem suam redegisset, totius imperii summam, velut paternam quamdam hæreditatem necessitudinibus suis dispertiens, in tres filios divisit. Et avitam quidem sortem maximo natu; alteri vero Orientis imperium; mediam inter has portionem regni, tertio filio tribuit. Jam vero cum optimam liberis suis hæreditatem, et ad animæ salutem imprimis utilem parare vellet, pietatis semina eorum mentibus inspersit; partim divinis documentis ipse eos imbuens; partim magistros eis apponens compertæ religionis viros. Sæcularium quoque disciplinarum peritissimos doctores iisdem præfecit. Alii bellicæ artis scientia; alii civilium rerum præceptis eos informabant; alii denique jurisprudentia. Porro singulis tributus erat regalis apparatus, scutarii, hastati, protectores, et legiones ac numeri militares, eorumque rectores, centuriones, tribuni ac duces, ii quos pater in rebus bellicis exercitatissimos et præcipua erga filios fide ac benevolentia præditos esse cognoverat.

CAPUT LII.

Quomodo eos virilem ætatem ingressos pietatem docuerit.

Porro dum infirma adhuc ætate Cæsares essent, ministri et consiliarii iis adjuncti rempublicam gubernabant. Verum ubi ad virilem ætatem pervenissent, solius patris magisterium eis suffecit. Qui nunc præsentes privatis admonitionibus ad æmulationem sui provocabat, exemplum pietatis suæ ad imitandum ipsis proponens: nunc absentibus imperatoria præcepta per litteras suggerebat. Quorum primum illud et maximum erat, ut Dei summi omnium regis notitiam cultumque, divitiis omnibus ipsique etiam imperio anteferrent. Tandem vero, ut per seipsos quæ utilia essent reipublicæ agerent, eis permisit: et ante omnia id diserte præcepit, ut Ecclesiæ Dei curam gererent, seque palam Christianos profiterentur. Atque hoc quidem modo filios instituebat. Illi vero non tam paternis monitis, quam sua sponte incitati, præcepta parentis sui alacritate animi superarunt, quippe qui divinæ religionis observantiam semper præ oculis haberent, et sanctos Ecclesiæ ritus in ipso palatio cum universis domesticis custodirent. Nam et hoc paternæ providentiæ opus fuerat, ut non alios domesticos et contubernales filiis suis, quam Christianos traderet. Primorum quoque numerorum rectores, quibus reipublicæ cura commissa fuerat, Dei cultores erant. Quippe hominibus fidem in Deum professis, tanquam

Digitized by Google

firmissimis quibusdam muris confidebat. Cum beatissimus princeps hæc quoque ita constituisset, Deus bonorum omnium dispensator, utpote cunctis reipublicæ negotiis optime ab imperatore dispositis, opportunum tempus tandem adesse statuens quoad meliorem sortem transferretur, fatalem ejus vitæ finem imposuit.

CAPUT LIII.

Quod cum duobus ac triginta annis regnaverit, et plusquam sexaginta annis vixerit, integra semper fuit valetudine.

Ac imperii quidem curriculum duobus et triginta annis explevit, exceptis mensibus ac diebus paucis: vitæ vero spatium duplo fere longius fuit. Qua in ætate, corpus ei ab omni morbo et labe vacuum, expers cujuslibet vitii, et quovis juvenili corpore firmius constitit, et tum decorum aspectu, tum ad quidvis agendum viribus pollens. Adeo ut militaribus exercitationibus proluderet, equitaret, ambularet, dimicaret, tropæa de hostibus victis erigeret, et incruentas illas more suo victorias reportaret.

CAPUT LIV.

De iis qui eximia ejus humanitate ad avaritiam et pietatis simulationem abusi sunt.

Animus similiter ad summum humanæ perfectionis culmen pervenerat; quippe qui omnibus præclaris dotibus ornatus esset, præcipue vero humanitate. Quam tamen multi reprehendebant; ob exuberantem malitiam improborum, qui nequitiam suam imperatoris adscribebant patientiæ. Certe hæc duo vitia illis temporibus maxime invaluisse, nos quoque ipsi conspeximus; violentiam scilicet pessimorum hominum et insatiabili cupiditate flagrantium, qui universos fere mortales infestabant, et fraudulentam simulationem eorum qui callide in Ecclesiam irrepebant, et Christianorum nomen falso ac specie tenus præferebant. Verum insita imperatori humanitas ac bonitas, et fidei morumque sinceritas, eo ipsum adduxit, ut crederet fictæ in speciem pietati hominum illorum qui pro Christianis habebantur, et qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant. Quibus ille cum semetipse credidisset, interdum fortasse in ea quæ parum decora essent, impegit; maligni dæmonis invidia hanc velut maculam reliquis ejus laudibus adspergente.

CAPUT LV.

Qualiter ad ultimum usque vitæ diem orationes scripsit.

Verum illos divina justitia non multo post merito supplicio affecit. Imperator vero tanta sermonum scientia animum instruxerat, ut ad ultimum usque diem vitæ, orationes conscriberet more solito, et conciones haberet, et divina documenta auditoribus insinuaret: leges item ferret assidue, nunc de civilibus negotiis, nunc de re militari: cuncta denique ad commodum atque utilitatem humani generis excogitaret. Illud vero haudquaquam silentio prætereundum est, quod cum extremus vitæ dies ipsi jam impenderet, funebrem quamdam orationem in consueto auditorio recitavit. Cumque sermonem longius produxisset, in ea disseruit de animorum immortalitate, deque his qui vitam pie traduxissent, et de bonis quæ amicis Dei apud ipsum Deum recondita essent. Contra vero, quem finem essent habituri illi qui contrariam videndi rationem instituissent, multis rationibus evidenter astruxit; interitum et cladem impiorum describens. Quod quidem cum graviter et serio affirmaret, proximos et familiares suos perstringere videbatur. Adeo ut quemdam ex illis vana sapientiæ opinione inflatis, interrogaverit, quid sentiret de iis quæ dicta essent. At ille verissima esse cuncta testatus est; et quamvis invitus, disputationes adversus multorum numinum cultum magnopere laudavit. Hujusmodi conciones ad familiares suos ante mortem cum habuisset, viam sibi ipse complanare ad meliorem vitam videbatur.

CAPUT LVI.

Quomodo ad bellum Persicum proficiscens, episcopos sibi adjunxit, et tentorium in speciem Ecclesiæ paravit.

Illud quoque neutiquam prætereundum est, quod circa hæc tempora, cum de motu barbarorum ad orientem solem degentium nuntius allatus esset: hanc adhuc de illis victoriam superesse sibi testatus, Persis bellum inferre statuit. Quod cum facere decrevisset, militares copias undique excivit: et cum episcopis quos circa se habebat, de profectione consilium communicavit, provida mente prospiciens, viros ad divinum cultum necessarios secum assidue versari oportere. Illi vero, libenti animo secuturos se esse affirmarunt, nec ab illo discessuros, sed continuis apud Deum supplicationibus militaturos una cum illo et pugnaturos. Quo ille nuntio vehementer delectatus, viam illis qua proficiscerentur, descripsit. Deinde tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad hujus belli usum præparavit; in quo preces ad Deum victoriæ auctorem una cum episcopis fundere decreverat.

CAPUT LVII.

Quomodo susceptis Persarum legatis, festo Paschæ die cum aliis pernoctavit.

Interea Persæ cum imperatorem bellum parare comperissent, et cum illo congredi vehementer reformidarent, missis legatis pacem ab eo postulaverunt. Itaque imperator pacis amantissimus, Persarum legatione benigne suscepta, pacem et amicitiam cum eis libenter pepigit. Aderat jam magna paschalis festi solemnitas: in qua imperator vota Deo persolvens, una cum cæteris pernoctavit.

CAPUT LVIII.

De constructione martyrii apostolorum Constantinopoli.

Posthæc in memoriam apostolorum martyrium ædificare cœpit in urbe sibi cognomine. Cumque templum omne in immensam altitudinem extulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit, a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens. Porro

Digitized by Google

cameram lacunaribus minutissimi operis obducens, totam auro imbracteavit. Et supra quidem, æs tegularum loco impositum, universo ædificio munimentum adversus imbres præbebat. Quod itidem auro plurimo superfusum resplendebat; adeo ut procul spectantium oculos fulgore præstingueret, solis radiis æris objectu repercussis. Totum vero solarium reticulatis quibusdam anaglyphis ex ære et auro fabrefactis erat circumdatum.

CAPUT LIX.

Descriptio ejusdem Martyrii.

Ac templum quidem ipsum maximo imperatoris studio hunc in modum exornabatur. Circa ipsum templum ingens erat area, libero ac patente desuper cœlo. Cujus ad quatuor latera, porticus erant sibi invicem conjunctæ, quæ aream in medio sitam una cum ipso templo circumcingebant. Prætereæ basilicæ; lavacra, diversoria et alia plurima habitacula ad usum eorum qui locum custodiebant, porticibus applicita, earum longitudinem æquabant.

CAPUT LX.

Quod etiam in eo templo sepulcrum sibi ædificavit.

Hæc omnia dedicavit imperator eo consilio, ut apostolorum Servatoris nostri memoriam posteris in perpetuum commendaret. Sed et aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit: quod initio quidem obscurum, tandem vero omnibus sub finem innotuit. Quippe ipse hunc sibi locum post mortem designaverat; incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum apostolis appellationem post obitum sortiretur: quo scilicet precationum quæ in honorem apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam apostolici collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco ubi corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissime providit. His ille diu antea sagaci mente dispositis, ædem apostolis consecravit; pro certo sibi persuadens, horum memoriam non parum utilitatis animæ suæ esse allaturam. Nec vero Deus eum voto atque exspectatione sua frustratus est. Nam cum primas paschalis festi exercitationes obiisset, ipsumque Servatoris nostri diem, tum sibi tum aliis omnibus lætum atque hilarem reddidisset; is illum rebus intentum, et in hujusmodi operibus perstantem usque ad exitum vitæ, Deus cujus auxilio cuncta gerebat, opportune tandem eum ad meliorem sortem transferre dignatus est.

CAPUT LXI.

Imperatoris ægritudo, et orationes Helenopoli. Item de ejus baptismo.

Principio quidem inæqualis corporis intemperies; posthæc morbus eum invasit. Itaque ad aquas calidas civitatis suæ progressus, inde Helenopolim delatus est, urbem matris suæ nomine appellatam: ibique in templo martyrum diu commoratus, supplicationes et preces obtulit Deo. Cumque extremum vitæ diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vitæ delicta expiaret; firmissime credens, quæcumque humanitus peccavisset, arcanorum verborum efficacia et salutari lavacro penitus esse delenda. Hæc cum apud se reputasset, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso Martyrio: quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere. Hinc ad suburbana Nicomediæ digressus; convocatis episcopis, sic ad eos verba fecit.

CAPUT LXII.

Quibus verbis Constantinus postulavit ab episcopis ut baptismum sibi conferrent.

« Hoc erat tempus quod jamdudum sperabam, cum incredibili cupiditate arderem, votisque omnibus desiderarem salutem in Deo consequi. Jam tempus est, ut signum illud quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est, ut salutaris signaculi participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed Deus qui optime novit ea quæ nobis utilia sunt, hoc in loco nobis idipsum exhibere dignatur. Proinde omnis removeatur dubitatio. Nam si quidem Deus vitæ mortisque arbiter, hic me diutius vitam agere voluerit; idque semel decretum est, ut in posterum una cum populo Dei permiscear, et in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo, quæ sint Deo dignæ. »—Hæc cum dixisset, illi solemni ritu divinas cæremonias peregerunt. Injunctisque ei quæcumque necessaria erant, sacrorum mysteriorum participem eum fecere. Solus igitur ex omnibus qui unquam fuerunt imperatoribus Constantinus, in Christi martyriis renatus et consummatus est: et divino donatus signaculo, exultavit spiritu renovatusque est, ac divina luce repletus. Et animo quidem maximam capiebat voluptatem ob fidei excellentiam; evidentissimam autem divinæ potentiæ magnitudinem attonitus mirabatur. Postquam omnia rite impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, et candidissimo in lecto recubuit; nec purpuram contingere amplius voluit.

CAPUT LXIII.

Quomodo post baptismum Deum laudavit.

Posthæc sublata altius voce, precabundus gratias egit Deo: et finita precatione hæc subjecit. « Nunc me revera beatum esse; nunc immortali vita dignum; nunc divinæ compotem lucis factum esse cognosco. » Miseros quoque et infelices esse aiebat, qui tantis bonis privarentur. Cumque tribuni ac duces militarium copiarum introgressi, vicem suam dolerent quod orbos ipsos relinqueret, et longiorem ipsi vitam comprecarentur; his etiam respondens, nunc demum veram se vitam adeptum esse dixit, seque unum optime

Digitized by Google

nosse, quantorum bonorum particeps factus fuisset. Proinde properare se, et profectionem ad Deum suum nulla tergiversatione differre. Singula deinde pro arbitrio suo disposuit. Ac Romanis quidem regiam urbem incolentibus annua quædam munera legavit. Suis autem liberis imperium velut paternam hæreditatem reliquit; cuncta prout ipsi videbatur, constituens.

CAPUT LXIV.

Constantini mors die festo Pentecostes, circa meridiem.

Porro hæc omnia gerebantur in maxima illa solemnitate venerandæ et sacratissimæ Pentecostes : quæ septenario hebdomadum numero decorata, unitate obsignatur. In qua et communis Servatoris ascensum in cœlos, et sancti Spiritus in terras descensum contigisse sacræ litteræ testantur. In ea igitur solemnitate Imperator hæc quæ diximus consecutus, ultima tandem die, quam si quis omnium festivitatum maximam vocet, haudquaquam meo judicio aberraverit, circa meridiem migravit ad Dominum; mortalibus quidem partem sui mortalem relinquens : eam vero animæ partem quæ intelligentia et amore Dei prædita erat, Deo suo conjungens. Hic Constantino exitus vitæ fuit. Sed pergamus ad reliqua.

CAPUT LXV.

Militum et tribunorum planctus.

Et protectores quidem omnisque stipatorum turba, confestim discerptis vestibus pronos se in terram abjicientes caput solo illidebant, ejulatus et lamenta cum planctu et clamoribus edentes; eumque dominum atque Imperatorem, nec ut dominum sed ut parentem piissimi liberi inclamantes. Tribuni vero et centuriones servatorem, præsidem, bene meritum prædicabant. Reliqui exercitus tamquam greges quidam, cum omni modestia ac reverentia optimum pastorem desiderabant. Plebs quoque, per universam civitatem discurrebat, intimum animi sui dolorem vociferatione et clamoribus abunde significans. Multi præ dolore, attonitis similes videbantur; singulis hanc propriam calamitatem reputantibus, seque ipsos plangentibus, ut pote communi omnium bono ex hac vita sublato.

CAPUT LXVI.

Quomodo funus Nicomedia Constantinopolim deductum est in palatium.

Posthæc milites sublatum e lecto corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtectam veste Constantinopolim deportarunt, atque in præcipuo imperialis palatii cubiculo sublimem collocaverunt. Dehinc aurea super candelabra luminibus undique accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebatur, et quale in nullo unquam mortalium ab ipso orbis conditu visum in terris fuerat. Quippe in medio conclavi regalis palatii, funus imperatoris in arca aut area sublime jacens, regiis insignibus, purpura scilicet ac diademate exornatum, multi circumdantes noctu atque interdiu vigiles custodiebant.

CAPUT LXVII.

Quomodo etiam post mortem a comitibus et reliquis, perinde ac vivus, honoratus est.

Cæterum totius exercitus duces, comites quoque et reliqui judices ac magistratus, qui etiam antea imperatorem adorare soliti erant, pristini moris observantiam nullatenus mutantes, statis horis ingrediebantur; et imperatorem in arca depositum, perinde ac vivum et spirantem, genu flexo post obitum salutabant. Post primores autem illos, idem deinceps et senatores et honorati omnes introeuntes fecere. Innumerabilis deinde vulgi multitudo cum pueris ac mulieribus ad hujus rei spectaculum accessit. Atque hæc longi temporis spatio assidue gesta sunt; cum militares funus ad hunc modum jacere et custodiri decrevissent, donec imperatoris filii eo advenientes, ipsi paternum funus honoris causa prosequerentur. Solus denique etiam post mortem imperavit princeps beatissimus : cunctaque more solito administrata sunt, quasi adhuc in vivis esset. Qui honos uni illi post hominum memoriam a Deo concessus est. Quippe cum solus ille præ cæteris imperatoribus, Deum omnium regem Christumque ejus Filium, variis cujusque generis actibus honorasset, jure merito his honoribus solus affectus est : idque illi tribuere dignatus est summus omnium Deus, ut cadaver ejus in terris imperium obtineret. Quo quidem indicio iis qui non plane stupidi atque hebetes essent, perspicue significavit Deus, animam illius perpetuo et immortali imperio frui. Et hæc quidem gesta sunt in hunc modum.

CAPUT LXVIII.

Quomodo exercitus judicio, filii ejus Augusti sunt nuncupati.

Interea tribuni lectos quosdam ex militaribus numeris, qui fidei ac benevolentiæ causa olim principi accepti fuissent, ad Cæsares mittunt, cuncta eis quæ gesta erant nuntiaturos. Et hæc quidem illi tunc egerunt. Omnes vero ubicumque exercitus, quasi divino quodam spiritu incitati, simul atque de imperatoris morte nuntiatum est, uno consensu decreverunt, prorsus quasi maximus imperator adhuc superesset, neminem se præter ejus liberos Imperii Romani principem habituros. Nec multo post, eosdem non Cæsares appellari voluerunt, sed Augustos; quod nomen summi imperii velut quoddam insigne est. Et exercitus quidem suffragia sua atque acclamationes sibi mutuo per litteras significarunt : et unanimis legionum consensus, uno eodemque temporis momento cunctis ubicumque agentibus innotuit.

CAPUT LXIX.

Romæ luctus ob mortem Constantini, et imagines ei decretæ.

At in urbe regia, senatus populusque Romanus comperta imperatoris morte, gravissimum hunc nuntium et quavis calamitate acerbiorem rati, nullum luctui modum fecere. Quippe balnea et fora rerum venalium clausa : publica item spectacula, et quæcumque aliæ vitæ oblectamenta homines in otio degentes

Digitized by Google

consectari solent, remota. Et qui prius deliciis diffluxerant, mœsti tunc per vias incedebant. Omnes imperatorem beatum, Deo carum, et prorsus imperio dignissimum prædicabant. Neque hæc voce tantum nuda declarabant, sed imaginibus dedicatis mortuum perinde ac superstitem honorabant. In quibus cum cœli similitudinem expressissent in tabula, ipsum supra cœlestes fornices, in æthereo domicilio requiescentem pinxere. Quinetiam ipsi liberos ejus, imperatores atque Augustos solos sine cujusquam alterius consortio nuncupabant : magnisque clamoribus postulabant, ut imperatoris sui funus apud se haberent, et in regia urbe deponerent.

CAPUT LXX.

Quomodo funus Constantinopoli depositum sit a Constantio.

Hunc principi a Deo honorato, etiam Romani honorem exhibuerunt. At secundus ex filiis ad patris funus cum advenisset, in urbem patri cognominem illud devexit, ipse exequias præcedens. Præibant per catervas et agmina dispositi numeri militares. Pone sequebatur innumerabilis hominum multitudo. Hastati vero et scutarii ipsum Imperatoris corpus medii cingebant. Postquam ad apostolorum Servatoris nostri ecclesiam perventum est, arcam illic deposuerunt. Hunc in modum novus imperator Constantius, tum adventu suo, tum reliquis officiis patri honorem exhibens, justa ut par erat persolvit.

CAPUT LXXI.

Missa in apostolorum Martyrio celebrata in exequiis Constantini.

Ubi vero ille cum militaribus numeris abcessit, ministri Dei cum turbis et tota fidelium plebe, in medium prodiere, et divini cultus cæremonias precationibus peregerunt. Ac beatus quidem princeps alto in suggestu jacens, laudibus tum celebrabatur. Innumerabilis autem populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio principi officium exhibentes. Porro in hoc etiam Deus prolixam erga famulum suum benevolentiam declaravit : quippe qui carissimis ac germanis ejus filiis paterni imperii successionem tribuerit ; et quod maxime ambierat, locum juxta apostolorum memoriam ei concesserit ; ut scilicet beatissimæ illius animæ tabernaculum apostolici nominis atque honoris consortio frueretur ; et populo Dei in ecclesia sociaretur ; divinisque ceremoniis ac mystico sacrificio, et sanctarum precum communione potiri mereretur : ipse vero etiam post mortem imperium retinens, quasi redivivus universum orbem gubernans, Victor Maximus Augustus, suo adhuc nomine rempublicam regeret.

CAPUT LXXII.

De Phœnice ave.

Non quemadmodum avis illa Ægyptia, quæ cum ejus generis unica sit, super aromatum cumulo emori dicitur, seipsam quasi victimam immolans : moxque ex ipsis favillis renasci, et pennis in altum subvecta, eadem qua prius specie cerni : sed potius exemplo Servatoris sui, qui instar tritici sati, ex uno semine in multa sese diffundens, ope ac benedictione Dei spicam protulit, et universum terrarum orbem fructibus suis implevit. Ad hunc modum beatissimus princeps per successionem liberorum multiplex factus est ex uno : adeo ut passim in omnibus provinciis imagines ei simul cum filiis honoris causa statuantur, et familiare nomen Constantini etiam post ejus obitum usurpetur.

CAPUT LXXIII.

Quomodo in nummis, Constantinum velut in cœlum ascendentem expresserint.

Quinetiam nummi hujusmodi forma signati sunt, anteriore quidem parte beatum principem obtecto capite præferentes : altera vero parte in quadrijugo curru aurigæ instar sedentem; et porrecta ipsi cœlitus dextra ad Superos assumptum.

CAPUT LXXIV.

Quod cum Deum coluisset, merito etiam a Deo honoratus est.

Hæc miracula summus omnium Deus in Constantino, qui solus ex omnibus retro imperatoribus christianum se palam professus fuerat, nostris oculis proponens, satis superque declaravit, quantum interesset inter eos qui ipsum Christumque Filium ipsius colere meruissent, atque inter illos qui contrariam sectam ac sententiam amplexi essent. Qui cum Ecclesiæ Dei bellum intulissent, Deum sibi hostem atque inimicum reddiderunt. Ac profecto uniuscujusque illorum interitus, quantum erga eos esset divini numinis odium, certissimo argumento declaravit : quemadmodum Constantini obitu, Dei erga ipsum benevolentiæ quædam quasi pignora, omnibus manifesto apparuerunt.

CAPUT LXXV.

Quod Constantinus superiores omnes imperatores pietate superavit.

Qui cum solus ex Romanis imperatoribus, Deum omnium Regem excellenti quadam pietate coluisset ; solusque doctrinam Christi universis ore libero prædicasset : cumque Ecclesiam Dei honore et gloria in tantum auxisset quantum antea nemo, et errorem hominum plures colentium deos solus evertisset, omnesque hujusmodi superstitionis ritus ac modos confutasset : solus quoque tum in hac vita, tum post mortem, ea consequi meruit, qualia nullus unquam nec apud Græcos nec apud Barbaros adeptus esse perhibetur. Sed neque apud priscos illos Romanos, ab ultimis usque temporibus quisquam recenseri potest, qui cum hoc nostro sit comparandus.

Digitized by Google

CONSTANTINI MAGNI

SCRIPTORUM OMNIUM

Pars prima,

COMPLECTENS OMNIA QUÆ EXSTANT DECRETA ET CONSTITUTIONES.

(Omnia ex code Theod. optimi ed. Gust. Hænel excerpta sunt, nisi fons diversus expresse notetur.)

Anno Domini 312.

Constantino A. II *et Licinio A.* II *Coss.*

DE REVELATIONIBUS [a].

Imp. Constantinus A. ad Claudium Plautianum Correctorem Lucaniæ et Brittiorum [b]. *Post alia :* Super paucis, quæ juridica [c] sententia decidi non possunt, nostram debes consulere majestatem, ne occupationes nostras interrumpas, cum litigatoribus legitimum remaneat arbitritum a sententia provocandi. *Dat.* VI. *Kal. Jan.* [d] *Treviris* [e]. (312). *Acc.* VIII. *Id. Febr. Regio* [f], *Constantino A.* III. *et Licinio* III. *Coss.* (313).

DE APPELLATIONIBUS ET POENIS EARUM [g] ET CONSULTATIONIBUS [h].

Imp. Constantinus A. ad Claudium Plautianum Correctorem Lucaniæ et Brittiorum [i]. Si in negotio civili, cognitis utrisque [j] actionibus, pronuntiaveris, te ad nostram scientiam relaturum [k], consultationis exemplum litigatoribus intra decem dies edi apud acta jubeas, ut, si cui forte relatio tua minus plena vel contraria [l] videatur, is refutatorias preces similiter tibi [m] apud acta offerat intra dies quinque, quam [n] illi exemplum consultationis tuæ obtuleris. Jam dictionis tuæ est, omnia, quæ apud te vel apud alios gesta fuerint in eo negotio, consultationi tuæ cum refutatoriis [o] litigantis annectere; ita ut scias, et decem dies, intra quos edi consultationem oportet, et quinque, intra quos preces [p] refutatoriæ offerendæ sunt, continuos debere servari. Nam quinque diebus transactis, nec offerentem preces refutatorias litigatorem debebis audire, sed sine his, quoniam intra statutum tempus oblatæ non sunt, gesta omnia ad nostram referre scientiam, etc. *Dat.* III. [a] *Kal. Jan. Treviris* [b], *Constantino A.* III. *et Licinio* III. *Coss.* (313).

Imp. Constantinus A. ad concilium provinciæ Africæ. Maritus citra mandatum in rebus uxoris cum solemni satisdatione, et alia observatione intercedendi liberam habeat facultatem [c]: ne fœminæ, persequendæ litis obtentu in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, et conventibus virorum, vel judiciis interesse cogantur. † Sin autem mandatum susceperit, licet maritus sit, id solum exequi debet, quod procuratio emissa præscripserit. *Dat.* 4 *Id. Mart. Adrumeti*, *Constantino A. et Licinio Cæsare utrisque* II *Coss.* 312. (Ex Cod. Just.)

Imp. Constant. A. ad universos provinciales. Executores a quocunque judice dati ad exigenda debita ea, quæ civiliter poscuntur, servos aratores, aut boves aratorios (aut instrumentum aratorium), pignoris causa de possessionibus non abstrahant, ex quo tributorum illatio retardatur. Si quis igitur intercessor, aut creditor, vel præfectus pagi (vel vici), vel decurio in hac re fuerit detectus: æstimando a judice supplicio subjugetur. *Dat.* III. *Non. Jun. Sirmii*, *Constantino A. et Licinio Coss.* (312). (Ex Cod. Just.)

Anno Domini 313.

Constantino A. III *et Licinio A.* III *Coss.*

DE PETITIONIBUS ET ULTRO DATIS [c].

Imp. Constantinus A. ad populum. Post alia : De delatoribus jam certa statuimus [d]; quibus si quis contra fecerit, pœnam capitalem excipiet. *PP.* XV. *Kal.*

[a] Aur. Lugd. mendose *Realtionibus*.
[b] Cuj. 2, 2° *Bruttiorum*.
[c] Fol. 179 [a] cod. 4.
[d] Aur. Lugd. *Jun.*, err.
[e] Addidi annum auct. Go., qui tamen in Chron. *Dat.* III. *Kal. Jan.* ex c. 1 sq. tit. Utroque loco aut scrib. VI. aut III.
[f] Be. *Regii*.
[g] 4 *appelationibus*. 21, Sich. *appellatione*. Nonn. codd. *eorum*. 32 et Cod. Just. om. *et p. e.*
[h] 6— 8, 12, 17, 20, 21, 33, 36, 38, 40, 42 *consolationibus* aut *consolacionibus*. 44 in ind. rubr. *consulacionibus*. 10, 14, 18, 24 *conlationibus*. Sich. *Collationibus*.
[i] Cuj. 2, 2° *Bruttiorum*.
[j] Go. — Be. *utriusque*. Go. em. *utrinque*. Til. — Cuj. 2° ex 4 *utrisque*, quod reposui.
[k] 4 *relaturam*; ab. ant. manu em. *relaturum*.
[l] Fol. 180[b] cod. 4.
[m] Aur. Lugd. *sibi*. Go. om. *tibi*.
[n] Be. prop. *postquam* aut *quum*. Persto in vulgata scriptura.
[o] 4 *refutatoris*; a librario supra add. *i* (refutatoriis).
[p] Ap. Go. om. est v. *preces*.

[a] Vid. c. 1 super. tit., not.
[b] Plenior est subscr. c. 1 sup. tit.
[c] 20 om. *et* post *Petitionibus*. 15 om. *et Delat.* 39, 43 *et de Delat.* Cod. Just. X, 11, *de Delatoribus*; et X, 12, *de Petitionibus bonorum sublatis*. Multi codd. *dilatoribus*, et hic et in seqq. constt. aut *dilatores*, etc. Nonn. codd. *ultra*. Dirksen l. c. p. 313. Cæterum cum inscript. h. c. incip. fol. 90 [b] cod. 4.
[d] Go. hic significari putat c. 2 h. t. Ego legem deperditam aliquam indicari puto.

Digitized by Google

Febr. [a]*Constantino. A.* III. *et Licinio* III. *Coss.* (313)[b].

DE CENSU SIVE ADSCRIPTIONE [c].

Imp. Constantinus A[d]. *ad Populum.* Quoniam tabularii[e] civitatum per collusionem[f] potentiorum sarcinam[g] ad inferiores transferunt, jubemus, ut, quisquis[h] se gravatum probaverit, suam tantum pristinam professionem agnoscat etc. [i] *PP. i* XV. *Kal. Febr.*[k] *Romæ, Constantino A.* III[l] *et Licinio* III.[m] *Coss.* (313).

INTERPRETATIO. *Si tabularii aut hi, quibus exactionis libri traduntur,*[n] *potentiores voluerint relevare*[o] *et, quod relevaverint, inferioribus addiderint, is qui gravatum se*[p] *probaverit, non amplius dissolvat*[q]*, quam secundum censum se*[r] *ostenderit suscepisse.*

DE ACTORIBUS ET [s] PROCURATORIBUS ET CONDUCTORIBUS REI PRIVATÆ.

Imp. Constantinus A. [t] *ad Philippum Vicarium Ur-*

A *bis.* [a] Si quis ab actore [b] rerum privatarum nostrarum sive a procuratore [c] fuerit vexatus, super ejus calumniis vel deprædationibus deferre querimoniam non dubitat. Quæ [d] res cum fuerit comprobata [e], sancimus, ut idem, qui contra provincialem quicquam [f] moliri fuerit [g] ausus, publice concrematur, quoniam [h] gravior pœna constituenda est in hos, qui nostri juris sunt, et nostra debent [i] custodire mandata j. *Dat.* III. [k] *Non. Mart.* [l] *Heracleæ* [m], *Constantino A.* III. [n] *et Licinio* III. [o] *Coss.* (313).

INTERPRETATIO. *Quicumque ab actore dominico vel procuratore* [p] *fuerit alicujus injuriæ improbitate* [q] *vexatus, de eorum calumniis vel deprædationibus ad principem convolare debebit* [r]. *Quæ res si potuerit approbari* [s]*, eos qui circa provinciales talia* [t] *facere ausi*

B *sunt, placuit incendio concremari quia graviorem pœ-*

[a] Add. *Rom.* ex c. 1 C. Th. de Censu cit. Err. Go. om. III. post *Licinio.* Mox Aur. Lugd. *Cons.*

[b] Vid. C. Th. XIII, 1, not. *b.*

[c] Nonn. codd. *De Censo* aut *Cesso;* alii om. *sive* et 15 *sive adscriptione.* 25 *sive discribcione.* In cod. 4 et ap. Til. deest h. l. rubrica h. t.; translata est enim ad c. 3 h. t. Cf. Cod. Th. not. *s.* Cod. Just. *De Censibus et Censitoribus et Peræquatoribus, et Inspectoribus.*

[d] Nonn. codd. om. *A.*

[e] In cod. 4 v. *Quoniam* est ultimum fol. 321[a] deletur autem punctis, quia fol. 321[b] cum eodem v. incipit. In 11 *Quoniam tabularii civita* om. 20 *Qm oms tab.*

[f] 6, 7, 16, 25 *conlusione.* 10, 11, 18, Go. et Ri[a]. *conclusionem.* 20 supr. lin. *collationem.*

[g] 25 *potentiorem.* 8 *sarcina.* 15 *sarcinas ad inferiore.* Mox 6 *transierunt.*

[h] 10, 18, 21, Sich. *ut qui.* 12 *ut si quis.* 14 *ut qui suis.* 11 *de* pro *se.*

[i] Sich. Cod. Just. om. *etc.*

j 9, 29, 38, 42, 20 supr. lin., L. R. U. Cod. Just. *Dat.*, improb. Go. Cf. Reland. l. c. p. 290. 30, 31 *Accept.* 38 V pro XV. c. 1 C. Th. habet *PP.* XV.

[k] 32 *Sept.* 20 *Roma et Constantino.*

[l] 4 *Constantino aa* IV. Til.— Ri[a]. IV. Go. em. III., quod Be. rec. Vid. Go. ad h. c., not. i, in Chron. p. VI., Aut. Pagium contra Go. disputantem in Crit. ad Ann. Baron. ann. 313 n. 1 et Reland. l. c. Recte Go. emendare, docent cum Br. Al. codd., qui fere omnes habent III, tum c. 1 C. Th. cit. (ubi III. neutiquam IV. est), tum Sich. et Cod. Just., 11 II. 30, 38 IV. In 14 om. *A.* — *Coss.* et in codd. 24, 32 III.

[m] 9, 21, 30, 38 III*aa* s. *ag. Coss.* In codd. 30, 33, 34, 36 om. *et Lic.* III. et in codd. 6, 7, 10, 12, 15, 16, 18, 20, 21, 32, 40, Sich. Cod. Just. om. III.

[n] 20 *tradantur.* 11 *exactiones.*

[o] 9, 11, 43 *revelare*, et mox 9, 11 *revelaverint.*

[p] 11 add. *esse.* Supra *his* pro *is.*

[q] 20 *solvat.*

[r] 6 — 12, 14, 17, 18, 21, 43 om. *se.* Sive legitur *suscepisse*, sive *possedisse*, quod 6 — 8, 11, 20, 21, 36, 38, 40, R. Sich. in m. habent, omitti potest *se.*

[s] Ita 4, Til. — Lugd.; rell. ed. om. *Et.* 14 in ind. rubr. *De A. curatoribus et conductoribus rei nostræ.* 17, 36, 40 *De a. et pr. et c. rei publicæ.* 20 *De a. et pr. et c. rei publicæ et pr.* Etiam Sich. in ind. titul. *republicæ.* Nonn. codd. om. *et*, cod. 15 *proc. et cond.*, 25 *et* et *rei privatæ*, 28 *et conductoribus.* Cod. Just. *De Conductoribus et Procuratoribus, sive Actoribus Prædiorum fiscalium domus Augustæ.*

[t] Cod. Just. *Impp. Valentinianus et Valens AA.*

[a] 32, 39, 43 add. *Romæ*, recte. 9 *Ph. ppm. vcr. orbis.* 38 *pp. urb.* 20 om. *urb.* 10, 18 *virum clarum.* Cæterum multi codd. *Phylippum, fylippum* et ut 4 *filippum.*

[b] 4 *Acto*, sed emend. *actore* a sec. man.

[c] 9 *Procuratoribus.*

[d] 7, 14 *Dubitet et quæ.*

[e] 6—8, 10, 12—14, 16 *probata.*

[f] 4 *Quidqam*, sed rubro col. add. *u.*

[g] 12 *Obfuerit.*

[h] Hæc sententia assuta est c. 1 Cod. Just. cit. *gravior enim p.* etc.

[i] 20 *Et non adhibent*, sed supr. lin. *debent.*

j C. 9 Cod. Just. cit. *Universi fiduciam gerant, ut si quis eorum ab actore — vexatus fuerit injuriis, super ejus contumeliis vel — querimoniam sinceritati tuæ, vel rectori provinciæ non dubitet, et ad publicæ sententiam*

C *vindictæ sine aliqua trepidatione convolare: quæ res cum fuerit certis probationibus declarata, sancimus et edicimus, ut, si in provincialem hanc audaciam quisquam moliri ausus fuerit, publice vivus concremetur.*

[k] 24, 34 IIII.

[l] Cod. Just. *Jul. Heracliæ Valentiniano et Valente AA. Coss.* (365.) Vic. not. sq. L. R. U. *Febr.*

[m] Plerique codd. *Heracliæ* s. *Eraclæ.* 42 *eraclye.* 28, 36, 40 *eraclio a* III et om. *Const.* 8 om. *Heracleæ — et.* Go. h.l. investigat, utrum Heraclea sit oppidum Macedoniæ, vel Thraciæ, vel Ponticæ, quod apud veteres scriptores commemoratur, an Lucaniæ; sed tamen neutrum esse recte statuit, cum Constantinus hoc tempore Mediolani fuerit. Existimat igitur, Heracleam Galliæ civitatem intelligendam esse et aut legendum *Mai.* pro *Mart.* aut rectius ponendos consules anni 315 (*Constantino* IV. *et Licinio* IV. *AA. Coss.*), et in Chron. assignat anno 315, quod partim confirmari

D putarem codd. 24, 32—34, ex quibus 34 *Licinio* IV *Coss.*, reliqui *Const. a* IV habent, nisi numeri illi oscitationi potius librariorum quam C. Th. deberentur. Memorabile est, quod Go. in Chron. a. 315 add.: « Forte etiam recte referatur ad an. 319. Licinio male tribuitur ab Morino in hist. Const. p. 361. »

[n] 16 *V.* 20 *Constacio.* 7 om. *A.* III, et 10, 12, 14, 18 III. In cod. 17 exc. *Const.* — *Coss.* et in cod. 38 *A.* III. — *Coss.*

[o] 4, 8, 16, 20, 24, 28, 30, 36, 40, Til. — Ri[a], om. III. Sich. add. *Cæs.*

[p] 6, 7, 10, 20, 21, 42, 43, alii codd. *vel a proc.*

[q] 6 *probitate.*

[r] 42 *debet.*

[s] Sich. Cuj. 1 — Lugd. *probari.*

[t] 20 *qua re si p. approbare — taliter.* 21 *provincialibus.*

Digitized by Google

nam principes constitui voluerunt in eos, qui sui juris sunt, et sua debent custodire mandata [a].

DE BONIS VACANTIBUS [b].

Imp. Constantinus [c] *A. ad Æmilium* [d] *V. P. Rationalem* [e]. Si quando annotationes nostræ [f] contineant possessionem [g] sive domum, quam donaverimus, « integro statu » donatam, hoc verbo ea vis continebitur, quam antea [h] scribebamus, « cum adjacentibus et mancipiis et pecoribus et fructibus et omni jure suo; » ut [i] ea, quæ ad instructum possessionis vel domus pertinent, tradenda sint. *Dat.* VI. *Id. Mart. Mediolano* [j], *Constantino A.* III *et Licinio* [k] *Coss.* (313).

DE DECURIONIBUS [l].

Imp. Constantinus A. ad Evagrium Pf. P. [m] Nemo [n] judex civilium munerum vacationem [o] cuiquam præ-

[a] Sich. *sunt, ut suaderent custodiri mandata.* Cuj. 1, 2, 2ª *custodiri.*

[b] Cod. Just. *De bonis vacantibus et de incorporatione.*

[c] 4, Til. *Constantius.* Vid. c. 3 h. tit., not. *i.* In inscr. h. c. incipit fol. 87 [a] cod. 4.

[d] Sec Go. Pyrrhus hic legebat *Eumelium* s. *Eumenium*, oratorem Augustodunensem, impr. Go.

[e] Ita Be. auct. Go. et Cod. Just.; nam in edd. Til. — Ri [a], v. *Rationalem* male conjungitur cum ipsa lege (*Rationalem si quando*). Error jam notatus erat in m. Cuj. 1 — Cuj. 2ª, ubi vero pro *V. P.* (i. e. virum perfectissimum) substitutum est *R. P.* (i. e. rei privatæ) hoc recte impr. Go. in comm. Etiam Rein. in m. *i. e. privatarum rerum Rationalem.* In Cod. Just. add. *Rei privatæ* post *Rationalem.*

[f] Zirardin. l. c. p. 242.

[g] Hinc incip. fol. XII, cod. 1, s. totius palimpsesti Taurinensis fol. XXXVI, quod illustrissimus Vesmius in usum editionis meæ humanitate plane singulari et qua nihil supra mecum communicavit: cui optimo viro debitas gratias agere quidem cupio, nunquam tamen potero beneficii accepti pares magnitudini. Desinit hoc folium in vv. *sæpius habita hor* sq. tit. IX, h. lib. c. 2.

nam in principio versus conspicuam. Deest ergo rubrum libri et numerus tituli. A rec. manu apponitur : *Codicis Theodosiani Liber Nonus Tit.* 1. Vid. Summaria Codicis Theod. a me edita p. IV. Quod ad correctiones codicis attinet, de quibus dixi in eadem scriptione pag. VIII, indico eas, quas librarius ipse fecit, librarii nomine; quæ vetustissimæ sunt, vv. : « ant. man. » aut « sec. man.; » notationes atramento imprimis libro XIII — XVI. appictas vv. : « rec. man.; » reliquas denique suo quasque colore, quo scriptæ sunt. 15 *De Inscriptionibus et Actionibus.* Nonn. Codd. *Scriptionibus.* Cæterum Til. *Theodosiani Codicis* et 15 *Lib.* VIII. Vid. C. Th. p. 95, not. *e* et p. 177, not. *q.*
[r] 15 *A Octaviano.* Mox 19 *Spaniæ.* 40 *Spania*; in aliis codd. om. *Hisp.*
[a] 6 — 8, 12, 14 *Quæ.*
[b] 10, 18 *clarissima dignitate.* Cod. Just. *Quic. non illustri, sed clarissima dignitate tantum præditus virg.*
[c] Til. *fures*, sed in meo exempl. ab ant. man. em. *fines.* 20 *fines aliqua culpa inv.*
[d] 19, 20 *in aliquo crimine* et om. *culpa seu.* 16, 17 *aliquam culpam.*
[e] In Cod. Just. om. *statim.* Mox 8 *provincia.*
[f] 20 *suppliciis leg.*, sed em. 9, 13, 25 *subjungitur.* In Cod. Just. om. *neque — referatur.*
[g] Nonn. codd. *perscriptione.*
[h] 15 *reatus excl. hon.* Cod. Just. *Omnem enim hujusmodi honorem* et om. *cum — moveatur.*
[i] *caussa* om. in cod. 19.
[j] 19 om. *res.* 20 *civiles.*
[k] 6, 10, 12, 14, 16 *peculiaria*, impr. Ri. 19, 20 *pecunia.* 15 *res sed pec.* Go. in not. *movetur.*
[l] 20 III. *Id. Dec.* 42 *Non. Nov.*
[m] 15 *Sirmio.* In Cod. Just. om. *Serdicæ — Cordubæ. Serdicæ—et* deest in cod. 8 et *prid.* in cod. 24. 38 *Sirdice a cons. prop. V.* 42 *Serditie.* 20, 43 *Sirdicæ.* 21, Sich. *Serdice.*
[n] 6, 24, Til. om. *V.*
[o] Plerique codd. *Corduba* s. *Cordoba.*
[p] Nonn. codd. *Galligano, Galliano, Galicano.* Aur. Lugd. *Cons.*
[q] 6, 7 *damnabilem.*
[r] 8 *puniendo.* 20 *antiquitus puniendis.* Ri°. *crimen adm.*
[s] Hanc interpr. impr. Go.
[t] 6, 7 *quo.*
[u] 20 add. *publicari vel.*
[v] 4, Til. — Ri°. *Octabianum.*

Digitized by Google

niarum. Illi[a], qui honoris indebiti arripere ipsignia voluerunt, cum in concilium[b] primates municipesque cogantur, assistunt[c], sedentibus his, quibus emeritis omnis honor jure merito debetur. [d] Ideoque sublimitas tua nullum omnino faciet præsidatus prærogativa lætari, nisi qui cunctos in patria gradus egressus[e] per ordinem[f] venerit; ita ut illi etiam, qui præsidatum ante tempus reportarunt, post expletos honores civicos[g] honestamentis præstitis potiantur. *PP. XIV. Kal. Febr. Gallicano et Basso Coss.* [h] (317).

AD SC. CLAUDIAN.

Imp. Constantinus A..... [i] *Dat. V. Kal. Febr.* [j] *Gallicano et Basso Coss.* (317).

INTERPRETATIO. *Septem testibus, civibus Romanis, præsentibus, tertio ex SC. Claudiano denuntiandum.*

AD L. JULIAM MAJESTATIS.

Imp. Constantinus A. ad Bassum Pf. U. Si quis per violentiam alienum fundum invaserit, capite punitur[k]. Et sive quis ex ejus parte, qui violentiam inferre tentaverit, sive ex ejus qui injuriam repulsaverit fuerit occisus, eum [l] pœna adstringat, qui vi dejicere possidentem voluerit. *Dat.* VI. *Id. Mart.* [m] *Romæ, Gallicano et Basso Coss.* (317).

DE HIS QUI SE DEFERUNT.

Imp. Constantinus A. Rationalibus[a] *Hispaniarum.* Is, cujus tacitæ[b] fidei commissa fuerit hæreditas, statim officio gravitatis tuæ nuntiet[c], et gesta prodat, et continuo quod actum fuerit renuntiet, et post hanc fidem tertiam ab[d] omnibus defuncti bonis percipiat portionem. Quod si ab uxore defuncti istud officio[e] devotionis tuæ fuerit revelatum, ipsa[f] etiam[g], quam defunctus esse voluit hæredem, si gesta aperuerit[h], tali præmio mancipetur, ut ex omni patrimonio medium consequatur, et cum [i] fisco nostro celebret divisionem, id etiam habitura privilegium, ut prior eligat portionem[j]; et tunc occultator ille gestorum, fisci et mulieris pariter inimicus, exutus omni patrimonio suo ac fisco vindicato, in insulam deportetur. *Dat. Id. Mart. Gallicano et Basso Coss.* [k] (317).

AD LEGEM JULIAM DE VI [l] PUBLICA ET [m] PRIVATA.

Imp. Constantinus A. ad Catulinum [n] *Proconsulem Africæ.* Qui [o] in judicio manifestum [p] detegitur commisisse violentiam, non jam [q] relegatione aut [r] deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale

[a] 4, Til. — Ri[e]. *Hii.*
[b] Go. in notis: « *et concilium.* »
[c] Be. *cogantur assistunt.* Go. Be. in not. rep. *assistant*, recte, sed et *assistunt* defendi potest.
[d] Fol. 219[b] cod. 4.
[e] Go. in notis: « Et emensus. »
[f] Go. Be. in not. rep. *ordine* (Go. addita forte etiam voce *eo*) pro *ordinem*, quod edd. habent. 4 *præsidatus — egressus per prærogativa lætari nisi qui cunctos in patria gradus egressus per ordine.*, sed *per prærog. — egressus*, quæ bis scripta sunt, delentur punctis ab antiqua manu. Delentur postea denuo rubro colore, simul exstinguitur v. *per* ante *ordine.*; puto errore, qui transiit in edd.; restitui igitur veram scripturam *per ordinem*. Idem ej. Rein.; is enim add.: « *per*: sic l. 75: Qui ad sacerdotium provinciæ et principalis honorem gradatim et per ordinem, muneribus expeditis, et labore pervenerint. »
[g] 4 *civiens*, a sec. manu corr. *civicos.*
[h] Aur. Lugd. *Cons.*
[i] Lex ipsa interiit, neque ex interpr. vera ejus sententia colligi potest. Cæterum de trina denuntiatione et de trina conventione vid. Go. in comm. h. c. W. not. *t*, Zimmern. l. c. T. I, p. 730, not. 5, Hauboldi Opp. T. II, p. 912, not. *c* et Tractatum de Trina Conventione ex schedis meis ap. Hauboldum l. c. p. 910 editum.
[j] Go. — Be. om. *Febr.*, mendose.
[k] Fol. 17[a] cod. 4 inc. cum lit. *niatur.*
[l] Ri[e]. *cum.*
[m] Sententia Go. mensis in mendo cubat, cum auctor Notitiæ Præfectorum urbi hunc Sept. Bassum scribat præfecturam iniisse ex die XIII. Kal. Mai. Go. igitur Ri. em. *Mai.*, quod cum Be. non videatur sufficere, siquidem Anon. Ser. Pff. U. Bassi Præf. urb. ab Idib. demum Maii computet (vid. Corsin. l. c. p. 173), Bassum aut PPf. h. t. fuisse suspicatur aut legem serius emissam esse. Et hanc quidem opinionem jam Tillemont. enuntiaverat l. c. T. IV, p. 131, not. XXXIX, ubi legi vult VI. *Id. Jul.* sive *Aug. Mensis Mart.* sine dubio falsus est, esset enim lex antiquior prima h. tit. lege, neque ferri potest *Mai.*, quia Constantius id temporis adfuit Roma, ubi hæc lex data est; quare jam Go. in not. et in Chron. p. XIII. *Dat.* accepit pro *Reddita* aut *Proposita.* Mihi videtur Tillem. recte de h. l. existimasse, etsi alium mensem non recuso. Et Go. quidem ad c. 7 C. Th. de Appell. (XI, 30) em. *Jun.* Dicit enim subscr. h. c. emendandum esse ex c. 7 cit.; hæc autem data est VIII. *Id. Jun.*
[a] Go. in Chron. Cuj. in Cod. Just. *Rationali.* Cod. Just. *Imp. C. A. Maximo Rationali Hisp*
[b] 4 *tacita*, sed corr. flavo col. *tacitæ*. Aur. Lugd. *tacitæ fideicommissa.*
[c] 4, Cuj. 1 — 2[c]. Ri. Ri[e]. *nuntietur.* Go. *nuntientur* et in not. propter rubricam et ea, quæ sq. ann.: *A se.* Præterea tentat *nuntiet*, *ut et*, etc. Be. ex Cod. Just. em. *nuntiet*, qua em. omnia recte procedunt.
[d] Cod. Just. *ex.* Cum v. *ab* incipit fol. 102 *bis.* cod. 4.
[e] Cod. Just. *istud ad officium*, impr. Go.
[f] 4, edd. ante Be. *ipsam.* Be. auct. Go. ex Cod. Just. rep. *ipsa*, recte.
[g] In Cod. Just. add. *persona.*
[h] Cod. Just. *apparuerint*, impr. Go.; sed nonn. libri mss. Cod. Just. habent *aperuerit*, ut C. Th. Cf. Cuj. Comm. c. 1 Cod. Just. cit. l. c. p. 246 et Dirksen l. c. p. 496.
[i] 4, edd. *eam*, præter Be, qui hortante Go. ex Cod. Just. rep. *cum*, recte.
[j] Cod. Just. *optionem*, impr. Go.
[k] Aur. Lugd. *Cons.*
[l] *via.*
[m] Nonn. codd. et quod Just. *vel.*
[n] Vid. c. 1 C. Th. de jurisd. (II, 1), not. *o.* 4, Til. —Be. *Catullinum.* Nonn. codd. *Catolinum, Catholinum.* 42 *Catellinum.* 45 *Catulino proconsuli Afr.* Dignitas om. in nonn. codd. 4 *pu*, Til. *PV.* Vid. C. Th. XI, 16, 1, not. *m.*
[o] 20 *manifeste.*
[p] 6, 10 *jam non.* 12 om. *non jam.* et 14 *jam.*
[q] 6—8, 10, 12, 14, 18 om. *aut* et scrib. *relegatione deportationis.* 21 *relegationem aut deportationis.* 17 *deportationis.*
[r] Vv. *plectatur qui manifestam det. comm. violentiam* repetuntur in c. 14 C. Th. Quorum appell. (XI, 36) cit.

Digitized by Google

excipiat, nec interposita [a] provocatione sententiam quæ [b] in eum fuerit dicta suspendat, quoniam [c] multa facinora sub uno violentiæ nomine continentur, cum aliis vim inferre tentantibus [d], aliis cum indignatione repugnantibus [e] verbera cædesque crebro deteguntur [f] admissæ. Unde [g] placuit [h], si forte quis vel ex possidentis parte [i] vel ex ejus, qui possessionem [j] temerare tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exseri [k], qui vim facere tentavit [l], et alterutri parti causam [m] malorum præbuit [n]. *Dat.* XV. [o] *kal. Maii Serdicæ* [p], *Gallicano* [q] *et Basso* [r] *Coss.* (317).

INTERPRETATIO. *Convictus in judicio* [s] *de evidenti violentiæ crimine capite puniatur, nec sententiam judicis qui damnatus est, qualibet appellatione suspendat : et si fortasse homicidia ab utraque parte commissa fuerint, in illum* [t] *vindicetur, qui ut alium per cædem expelleret* [u], *violenter ingressus est.*

DE APPELLATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Bassum Pf. U. Litigatoribus copia est, etiam non conscriptis [v] libellis, illico appellare voce, cum res poposcerit judicata [x]. *Dat.* VIII *Id. Jun. Sirmio* [y], *Gallicano et Basso Coss.* (317).

[a] Sich. *nec proposita prov.* 6 *urocatione.* 14 *ne interp.*
[b] 7, 10, 15, 20, 21 *sententia quæ.* Mox 21. Sich. *in eo* et 14 *fuerat dicta.*
[c] Hinc inc. c. 1 Cod. Just. cit. 1, 18 *susp. quo non multa.*
[d] Cod. Just. *certantibus.*
[e] 6—10, 14, 16—18, 21, Cod. Just. Sich. Capit. *resistentibus.* Ita etiam antiquitus 20.
[f] Ita 4, Br. Alr. codd. Cod. Just. et edd. ante Be. præter Sich., qui ex cod. 21 ed. *detegentur.* Concinunt etiam Cap. Be. rest. *detegantur*, quo non opus est, sed tamen etiam Go. in not. *detegantur.* Antiquitus 20 *admisisse.*
[g] *Unde* deest in Cod. Just.
[h] Til.—Ri[a]. add. *ut* ex cod. 4, quod v. Be. recte del. Deest in omnibus Br. Al. codd., ap. Sich. et in Cod. Just.
[i] 6—8, 10, 14, 16—18 *possidentibus partem.* 10, 18 om. *ex* post *vel* et 13 *vel ex p. parte.*
[j] 20 *portionem* (supr. lin. *passionem*) *temere.* Mox 6 *temptavit.*
[k] Sich. *judicium exeri.* Cod. Just. *exerceri.* 14 *exire.* 20 *exuri.*
[l] 20, Cod. Just. *temptaverit.* 4 *temptat it*, duabus erosi litteris. 10, 18 *et ad alterutri.* 20 *et alterutrique.*
[m] Nonn. codd. *caussa.*
[n] Cod. Just. *præbuerit et non jam—suspendat*, translato principio legis in h. l., om. autem vv. *Qui—violentiam.*
[o] 24 XI. 8 om. XV.
[p] Vid. c. 1 antec. tit.
[q] 6, 7, 12, 14, 16 *Gallico*, male. 8 om. *Serd. Gall.*
[r] 6, 7, 10, 14, 16—18 add. II.
[s] Nonn. codd. *judicium* et mox *puniantur.*
[t] Sich. *in illo.* Nonn. codd. *vindicentur.*
[u] 6—8, 12, 14, 16, 18, alii codd. *qui ad alium, ut per cædem pelleret* v. *ingr. est*, sed in 7 a sec. manu em. *expelleret.*
[v] Cod. Just. *non scriptis.*
[x] In Cod. Just. add. *tam in civilibus, quam in criminalibus causeis.*
[y] Be. Cod. Just. *Sirmii.*

DE CÆSARIANIS.

Imp. [a] *Constantinus A. ad Bithynos.* Cæsarianos in actu dumtaxat constitutos ad perfectissimatus vel ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus dignitates non oportet admitti. Sed si inculpate compleverint suum officium, et ab omni vacent ratione fiscali, judicio datam [b] hujus modi dignitatem prodesse eis oportet. *Dat.* XII, *Kal. Aug. Gallicano et Basso Coss.* [c] (317).

DE PRIMIPILARIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Bithynos. Primipilaribus post emeritam militiam perfectissimatus, vel ducenæ, vel centenæ, vel egregiatus dari dignitas potest. *Dat.* XII. *Kal. Aug. Gallicano et Basso Coss.* [d] (317).

DE MURILEGULIS ET GYNÆCIARIIS [e] ET MONETARIIS ET BASTAGARIIS.

Imp. Constantinus [f] *A. ad Bithynos.* Monetarios in sua semper durare conditione oportet [g], nec dignitates eis perfectissimatus tribui vel ducenæ vel centenæ vel egregiatus [h]. *Dat. XII. Kal. Aug. Gallicano et Basso Coss.* (317).

DE DECURIONIBUS.

Constantinus A. ad Bithynos. Eos qui in palatio militarunt, et eos quibus provinciæ commissæ sunt, quique merito [i] amplissimarum administrationum honorem [j] perfectissimatus, vel egregiatus adepti sunt, nec non et illos [k] qui decuriones, vel principales constituti cuncta suæ patriæ munera impleverunt, frui oportet dignitate indulta. Si vero decurio [l] suffragio comparato [m] perfectissimatus vel ducenæ vel centenæ vel egregiatus meruerit [n] dignitatem, declinare suam curiam cupiens, codicillis amissis suæ conditioni reddatur, ut [o] omnium honorum et mune-

[a] Cum inscriptione h. c. incip. fol. 86 [b] eod. 4.
[b] Til. — Cui. 2. *ratione, fiscale judicio datam.*
[c] Vid. c. 3 C. Th. de Cohort. (VIII, 4), not.
[d] Go. in Chron. p. XIII. ad hanc legem et illas, quas supra dixi cum hac c. cohærere, annotat: « Vel *Licinio* hæ leges tribuendæ, qui Bithynia potiebatur: vel ad alios Coss. referendæ eæ, et forte, *ad Gallicanum et Symmachum*, id est, ad A. D. 330. » Si hoc est, add. *Constantinopoli.* Vid. Vat. Fr. § 248.
[e] 4 *gynecciariis* et rubro col. em. *gynecciariis. Til.* —Ri[a]. in ind. rubr. *gynaeciariis* et ita etiam h. l. Til.—Cui. 2[a], pro quo Go.—Ri[a]. *gynaeceiariis.* Cod. Just. *De M. et G., et Procuratoribus Gynæcii, et de Monetariis, et Bastagariis.*
[f] Cui. 2, 2[a] *Constantius*, err. Deinde 4 et Ri[a]. *Bythynos.*
[g] Cod. Just. inverso ordine *semper conditione durare oportet.*
[h] Cod. Just. *nec dignitatis cujuscunque privilegio ab hujusmodi conditione liberari.*
[i] Go. vituperat superiorum edd. scripturam *merito*, recte; nam ita adverbialiter scribitur hoc v.
[j] Male Go. *honore.*
[k] 4 *tamen* pro *non et*; a librario corr. *non et.* Idem nova man. rubro col. repetiit.
[l] In cod. 4 om. *decurio*, sed rest. a librario.
[m] 4 *comparat*, a libr. add. *o* (comparato).
[n] 4 *meruerint*, male.
[o] Go. Be. em. *at*, non falso quidem, sed sine necessitate.

Digitized by Google

rum civilium discussione perfunctus [a] juxta legem municipalem aliquam prærogativam [b] obtineat. Eum quoque, qui originis gratia, vel incolatus, vel ex possidendi conditione vocatur [c] ad curiam perfectissimatus suffragio impetrati dignitas non defendit, qua remota, tradi eum curiæ oportebit. *Dat.* XII. *Kal. Aug. Gallicano et Basso Coss.*[d] (317).

SI QUIS SOLIDI CIRCULUM EXTERIOREM [e] INCIDERIT, VEL ADULTERATUM IN VENDENDO SUBJECERIT.

[f] *Imp. Constantinus A. Leontio* [g] *Tf. P.* Omnes solidi, in [h] quibus nostri vultus ac veneratio una est [i], uno pretio æstimandi sunt atque vendendi, quamquam diversa formæ [j] mensura sit. Nec enim qui majore habitu faciei [k] extenditur [l], majoris est pretii, aut qui angustiore expressione concluditur, minoris valere [m] credendus est, cum pondus idem exsistat. Quod si [n] quis aliter fecerit, aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera [o]. Quod ille [p] etiam patietur, qui mensuram circuli [q] exterioris arraserit [r] ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum solidum adultera imitatione [a] in vendendo subjecerit. *Dat.* VII [b] *Kal. Aug.* [c] *Gallicano et Basso Coss.* (317).

INTERPRETATIO. *Quicumque solidum circumciderit, aut adulterum supposuerit*[d], *aut falsam monetam fecerit, capite puniatur* [e].

DE OFF. RECT. PROV.

Imp. Constantinus A. ad Bassum... [f] Decreta provincialium [g] non prius ad comitatum [h] perferri oportet, quam singuli quique indicantes ea inspexerint atque probaverint suaque adscriptione [i] signaverint. Si quid fiat contrarium, competens ultio exerceatur [j]. PP. VIII. *Kal. Oct. Carali* [k], *Gallicano et Basso Coss.* (317).

DE SERVIS FUGITIVIS.

Imp. Constantinus A. ad Valerianum. Quicumque fugitivum servum in domum, vel in agrum inscio domini ejus suscepit, eum cum alio pari vel viginti solidis reddat. Si vero secundo, vel tertio eum susceperit, præter ipsum duos, vel tres alios, vel prædictam æstimationem pro unoquoque (servo) domino repræsentet. In minorum persona tutoribus, vel curatoribus pœna simili imminente. Quod si ad prædictam pœnam solvendam is qui susceperit minime sufficiat, æstimatione competentis judicis castigatio in eum procedat. Quod si servus fugitivus ingenuum se esse mentitus, sub mercede apud aliquem fuerit: nihil is qui eum habuit poterit incusari. Sane mancipium torqueri oportet, ut manifestet utrum propter lucrum capiendum callide (a domino) ad domum, vel ad agrum ejus qui eum suscepit immissus sit, an non. Quod si maligne factum esse ex servi interrogatione patuerit, servo etiam suo eum, qui hoc fecerit, privari oportet, et ad fiscum pertinere manci-

[a] Cum literis *ctus* incip. fol. 220[a] cod. 4.
[b] 4 *prærogativam*; em. rubro col.
[c] 4 *vocatum*; em. ab ant. manu.
[d] Vid. C. Th. VIII, 4, 3, not.[a]. Go. opinio de restituendis consulibus anni 330 prob. Ri. Quominus ei accedam, impedior legum serie chronologica; esset enim h. c. ponenda post c. 18 h. t. qui locus mihi videtur nimis remotus esse.
[e] Nonn. codd. *Exter. Circ.* et *Excideris.* 15 *Si falsam monetam subjecerit.* 24 *Si qui s. c. circumderint vel adulterando in subdendo vindiderint.* In aliis codd. om. *vel — subjecerit.* 21 *in vendendum.* Olim 20 *veniendo.*
[f] Fol. 35[a] cod. 4.
[g] Multi codd. *Leoncio.* 20 *pfu.* 15 om. *Constantianus.*
[h] 6—8, 13, 14, 16 om. *in.* Mox om. 15 *ac*, convenienter cum Go. cj.
[i] Sich. *veneratio inest.* Mox 20 *existimandi.*
[j] 15, 20, *diversæ formæ.* 12 (om. v. *formæ*) *d. mensura* 13 *d. f. mensuræ.* 20 *ventura*, sed supr. liu. *mensura.*
[k] 15 *ambitu faciei*, 20 *h. faciendi.*
[l] 7, 8, 10, 12—14, 16, 18 *tenditur.* 21, Sich. *tendetur.* 20 *major.*
[m] Til. — Lugd. *habere*, ut cod. 4. Cui. 2 — Be. *haberi*, de cj. Cujacii. Non dubito, quin librarius codicis 4 erraverit. Nam omnes codd. Br. Al. et Sich. *valere*, quod reposui. De codice I. non constat; nam ibi est *mineris .... re.* Cæterum 20 *minoribus.*
[n] 15 om. *Quod* ante *si.* 20 *Quo si q. aliquid defecerit.*
[o] Sich. ad v. *ve* annotat, deesse verbum cujusmodi sit *adfici.* Sane vv. hæc nisi jungantur cum antecc. *puniri debet*, suspecta sunt. Accedunt codicum diversitates; nam 6—8, 12, 14 habent *plena* pro *pœna.* 6—8, 14 *morte ferat, ut ille.* 10 *mortiferat ut ille.* 13, 16 *mortifera ut ille.* 18 *mortiferata ut ille.* 12 om. *mortifera — circuli.* Præterea in 4 scriptum est *Quo ille* pro *Quod ille* et in cod. 20 *quam* supra *quod.* Scrib. *mortis feriatur.*
[p] 15 *etiam ille.*
[q] Ri[a]. *circuculi.*
[r] 1, 4, 20, 21, Til. — Lugd. *adroserit*, i. e. circumciderit. Vid. C. Th., 7, 2. Sich. *arroserit*, 6 — 8, 10, 12—14, 16, 18 *abraserit.* 15 *arraserit.* Cuj. 2 — Be. *adraserit.* Go. quamquam non male positum esse concedit *adroserit*, proprium hac de re verbum, tamen retinere se dicit *adraserit.*

[a] 13 *immutatione.* 21 *adulteræ imitationi.* 20 *adulteræ emendationi.*
[b] 20, 28, 33, 34, 36, 40 VI. I, 6—8, 12—14, 16, alii codd. om. VII. et 8 *et Basso.*
[c] 20 *Iun.* Go. in Chron. p. XIV. notat: « V. et infr. A. 319 l. 1 de Numerariis, quæ dicitur PP. Illirapoli. Quare Licinio hæ leges adscribendæ videantur. »
[d] Nonn. codd. *si quis solidi circulum c. a. a. suppresserit.* 6, 7, 20, 21, alii codd. om. *aut* ante *adulterum.* Sich. *aut alterum s.*
[e] 6, 7, 21, 43, alii codd. *punietur.*
[f] Dignitas Bassi non commemoratur in cod. 5. Cl. W. Septimium Bassum intelligi putant h. a. Pf. Urb., quod mihi propter *decreta prov.* quorum h. l. mentio fit, non videtur admittendum esse. Fortasse est ille Bassus, qui sec. c. un. C. Th. Si quis eum (IX, 8) Vicarius Italiæ fuit, quam c. Go. ad a. 320 revocat.
[g] De his decretis vid. Go. ad tit. et c. 3 C. Th. de Legatis et decretis legationum (XII, 12).
[h] Vid. c. 3 C. Th. de Off. vic. (I, 15).
[i] H. l. codex non distincte scriptus est, neque quod Cl. habet, clarius est, ubi *ad stluccione* (?). Sec. apogr. meum leg. est aut *adstinccione* aut *adstruccione.* Cl. W. *adscriptione*, prob. Schro. Pu. ex cj. Taf. *adstipulatione*, impr. Schro. Videtur *adscriptio* idem significare quod *subscriptio* in c. 15 C. Th. de Legatis (XII, 12).
[j] 5. Pu. *execretur*, quod etiam Taf. videtur admittere, impr. Schro.; Taf. cj. *exsequatur*, ut ad c. 1 C. Th. de Off. præf. aug. (I, 14). Cl. W. em. *exerceatur*, prob. Schro.
[k] 5 Et edd. *Caralis*, sed jam W. in corr. *Carali.*

Digitized by Google

pium. *Dat.* V. *Kal. Jul. Gallicano et Basso Coss.* 317. (*Ex Cod. Just.*)

UBI SENATORES, VEL CLARISSIMI CIVILITER, VEL CRIMINALITER CONVENIANTUR.

Imp. Constantinus A. ad Octavianum comitem Hispan. Quicumque non illustri, sed clarissima dignitate tantum praeditus, virginem rapuerit, vel fines aliquos invaserit, vel in aliqua culpa, seu crimine fuerit deprehensus: intra provinciam, in qua facinus perpetravit, pulficis legibus subjugetur, nec fori praescriptione utatur. Omnem enim hujusmodi honorem reatus excludit. *Dat.* 2. *Non. Decembr. Gallicano et Basso Coss.* (317)

DE USURIS.

Imp. Constantinus A. ad populum. In exercendis litibus eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium. *Dat. Romae*, 12. *kalend. August. Gallicano et Basso Coss.* 317. (Ex cod. Just.)

Anno Domini 318.
Licinio C. et Crispo C. Coss.

DE VETERANIS.

Imp. Constantinus A. Floriano Pf. P. [a] Veteranis, qui ex die V. Nonarum Juliarum, cum prima per Thraciam [b] victoria universo orbi illuxit, et qui postea apud Nicomediam nostram [c] missionem meruerunt, certa per edictum indulsimus, quae scribendi tabulis, vel encausto et cerussa conscribere detur eis licentiam [d]. Edictum autem continens indulgentiam nostram ad devotionem tuam misimus, ut et [e] tua dicatio, et cuncti alii recognoscant, quid praestitimus memoratis. *PP.* IV. *Id. April. Licinio* V. *et Crispo C.* [f] *Coss.* (318).

DE PARRICIDIO [g].

1. *Imp. Constantinus A. ad Verinum* [h] *vicarium Africae* [a]. Si quis in [b] parentis aut filii aut omnino affectionis ejus [c], quae nuncupatione parricidii continetur, fata [d] properaverit, sive clam, sive palam id fuerit enisus [e], neque gladio, neque ignibus, neque ulla alia solenni poena [f] subjugetur, sed [g] insutus culeo [h] et inter ejus [i] ferales angustias comprehensus serpentum [j] contuberniis misceatur, et ut [k] regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omni elementorum usu vivus carere incipiat, ut [l] ei coelum superstiti [m], terra mortuo auferatur. *Dat.* 16 [n] *kal. dec.* [o] *Licinio* V. *et Crispo C. Coss.* [p] (318). *Acc. prid.* [q] *id. mart. Carthagine* [r], *Constantino A.* V. *et Licinio C. Coss.* (319).

INTERPRET. *Si quis patrem, matrem, fratrem* [s], *sororem, filium* [t] *filiam aut alios* [u] *propinquos occiderit, remoto omnium aliorum genere tormentorum, facto de coriis* [v] *sacco, qui culeus nominatur* [x], *in quo cum mis-*

[a] *Pf. P* recepi ex corrig. Cui 2, 2ª. Codex Cui. 1 —Go. *Praes.* sed Go. in not. *Floriacum* pro *Pf. P. Orientis* vel certe Praeside aut Proconsule Asiae habet. Ri. Ri². Be. *Praef.* Caeterum cum rubro h. t. incipit pag. secunda folii 73. codicis.

[b] Codex *Traciam victuria universo urbi inl.* Go. annot.: « Apud Calcedona alii, quod eodem recidit. » Loquitur Go. non de libris Mss. aut h. l. interpretibus, sed de Romanarum rerum scriptoribus.

[c] *nostram* nonnulli ejecerunt. Vid. Go. in Chronol. p. 14. Conjungendum est autem cum *Nicomediam*. Mox Codex *cruerunt* pro *meruer.*

[d] Go. Reinesius et Be. scribi jubent *licentia*, et recte quidem.

[e] Ita emendavit Be. ex MS. Go. recte. Edd. ante Be. inverso ordine *et ut*. Reinesius vult *dignatio* pro *dicatio*.

[f] *PP.* IV. *Id. April. Cysici* s. *Cysico* (*Constantino* III. *et*) *Crispo* III. *Caes. Coss.* (324) reponendum esse, docent Go. in comment. h. c. et in Chronol. p. 14 et p. 24., Petavius Doctrin. Temp. tom. II, lib. XI, cap. 43, Pagius Crit. ad ann. 316, 317, 318, Reinesius in notis l. c. falsam esse vulgatam subscriptionem, etiam Vales. l. c. notavit, addita causa, quia Constantinus Nicomediam non venit nisi post debellatum Licinium. Vid. Go. comment. eique suppositas Ri. annotationes, Reland. p. 300 et Petav. et Pag. 2. cc. Caeterum anni numerus deest apud Go.

[g] 4, Til.—Lugd. *De Parricidiis.* An *De Parricidiis?* Recte Sich. *de parricidio* et infra *paricidii*. Cui. 2, 2ª *patricidii*. 15 *de Sicariis*, rubricis h. et antec. tituli a librario confusis. Vid. tit. antec. ad L. Cornel. de Sicariis, not. *h.* 21 *parrhicidio*. 38 *paracidio*. Cod. Just. *de his, qui parentes vel liberos occiderunt*. 37 om. rubricam.

[h] 15 *Verrinum*. 25 *Virum*. Complures codd. *Virinum*.

[a] 9, 42 om. *Africae*. 10, 18 *viro claro Africae*.

[b] Cod. Just. om. *in*.

[c] 6—8, 10, 18 *parentes* (ita etiam 21) *aut* (8 om. *aut*) *filiis aut omni* (7 *omnia*) *adfectionis istius*. 12, 14 *omni off. istius*. 20 *parentes aut filios*.

[d] 10, 12, 18, 20 *facta*, ut nonn. edd. Cod. Just. Vid. Dirksen. l. c. p. 486.

[e] 6—8, 10, 14, 16, 18 *inuisus*. Sich. *enixus*. Cod. Just. *enisus fuerit* et add. *poena parricidii punitur: et*. 10 *gladium*.

[f] Be. edid. *ulli alii s. poenae subjug.* ex Sich. et Cod. Just. hausisse. Nos ex cod. 4, Br. Al. codd. Til.—Ri P. revocavimus *ulla, alia sol. poena*. 15 *pompa* pro *poena* et 9 *ulla, alia*, err. Sich. om. *alia*. 14 *subjungitur*. 9, 16 *subjungetur*. 21 om. *sed*.

[g] Ad haec Sich. in m.: *Alias insutus culeo cum cane et gallo gallinaceo, et vipera, et simia* ex cod. Just., ubi vv. *cum cane*, etc. add. post *culeo*.

[h] 4, Til. Cui. 1, Cui. 2 — Be. *culleo*. Nonn. codd. *colleo*. 14 om. *et*.

[i] Sich. Cod. Just. *eas*. Aur. Lugd. *feralas*.

[j] 20 *comprehensum serpentem*.

[k] 16 *ut et*. 20 *misc. ut se religionis*. 14 om. *et* — *proficiatur*.

[l] 4, Til.— Ri °. om. *in*, sed add. in cod. 4 a post man. Conferendus est hac de re Cic. pro Rosc. Amer. cap. 26.

[m] 15, Sich. cod. Just. *et ei*. 10, 18, *usui vivus—superstite*. 20 *usu elementorum —superstite*.

[n] 4, Til.—Lugd. cod. Justin. XI, 9, 20, 29, 30, 32 — 34, 38, 42 XV, 13 XIII. Epit. mon. X. L. R. U. XVII.

[o] 15, 44 *Sept.* Mox Aur. Lugd. *Cons.* et deest in cod. Just. *C.* post *Crispo*.

[p] In codd. Br. Al. et ap. Sich. des. consules anni 318, in cod. 4 autem et ap. Til.— Lugd. om. *Acc.*— *Coss.*

[q] 6, 7, 10, 12, 14, 16, 18. III.

[r] Urbis nomen exc. in codd. 13, 20 pro quo nomine 28 habet *Grat.*, Cui. 2 — Ri ʳ. *Carthagine*. In seqq. om. a librariis codicum aut *A.* aut *V.* aut *C.* aut *A. V.* aut *C. Coss.* Caeterum 21 *C. Licinio Coss.* 58 *Licinio comes cons.* 44 *Crispo* pro *Lic.* Nonn. codd. *Lycinio* aut *Licinnio*.

[s] *fratrem* deest in edd.; legitur autem in plerisque codd., probante ut videtur Ri.

[t] Multi codd. add. *vel*.

[u] Ita plerique codd. Nonn. codd. *aut aliquos* et mox *occidit*. Edd. *vel alios*.

[v] 20 *remotis omnium malorum generibus t. f. de coriis*. Edd. *coreis*.

[x] 6 | 8, alii codd. *appellatur*.

Digitized by Google

sus [a] *fuerit, cum* [b] *ipso etiam serpentes claudantur et, si mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite projiciatur, ut tali pœna damnatus nullo tempore obtineat sepulturam.*

UBI CAUSÆ FISCALES VEL DIVINÆ DOMUS.

Idem A. ad Bulephorum rationalem summæ rei. Dominicis colonis et patrimonialibus gravitatem tuam censemus disceptatricem esse debere. Duces enim et præpositos militum, et castrorum, et rectores provinciarum evocandis et arcessendis colonis abstinere oportet. *Dat. 16 kal. Mart. Licinio Cos.* (Ex cod. Just.)

Anno Domini 319.

Constantino A. V. et Licinio C. Coss.

DE ACCUSATIONIBUS.

Constantinus A. ad Januarium [c]... Quicumque ex eo die, quo reus fuerit in judicio petitus, intra anni spatium noluerit adesse judicio, res ejus fisco vindicentur, et si postea repertus nocens fuerit deprehensus, sæviori [d] sententiæ subjugetur; sed et si [e] argumentis evidentibus et probatione dilucida innocentiam suam purgare suffecerit [f], nihilominus [g] facultates ejus penes fiscum remaneant. *Dat. Id. Jan.* [h] *Acc. V. Kal. Aug. Corintho* [i], *Constantino A. V. et Licinio* [j] *C. Coss.* (319.)

DE MALEFICIS [k] ET MATHEMATICIS, ET CÆTERIS SIMILIBUS [l].

Imp. Constantinus A. ad Maximum [m]. Nullus aruspex limen alterius accedat [n], nec ob alteram causam, sed [o] hujusmodi hominum, quamvis vetus [p], amicitia repellatur; concremando illo aruspice, qui ad domum alienam accesserit, et illo qui [q] cum suasionibus vel præmiis evocaverit [a], post ademptionem [b] bonorum in insulam detrudendo. Superstitioni enim suæ servire cupientes poterunt publice ritum proprium exercere. Accusatorem autem hujus criminis non delatorem esse, sed dignum magis præmio arbitramur. *PP. kal. febr.* [c] *Romæ Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE DENUNTIATIONE VEL EDITIONE. [d]

1. *Imp. Constantinus Aug. ad Symmachum.* Si quando minoribus vel adultis [e] inferenda lis erit, vel ab ipsis minoribus vel adultis [f] cuidam [g] quæstio [h] movenda sit, non alias [i] cursus temporis [j] inchoetur, nisi ab universis, quos officii sollicitudo constringit, hoc est tutoribus [k], sive testamento, sive decreto dati sunt [l], vel curatoribus per quos minores [m] defenduntur, vel iisdem [n] omnibus solemni more [o] fuerit intimata. § 1. Quod si [p] divisum [q] administrationis periculum per provincias sit, his tantum [r] omnibus insinuari convenit, et ab ipsis inferri litem [s], qui in ea provincia tutelæ vel curæ officium sustinent, ne [t] de aliis provinciis defensores minorum ad judicia producantur [u]. *Dat. pridie non. febr.* [v]

[a] Codd. *quo missus, commissus.* Turbant hæc ordinem vv. Scrib. *eum in eum m. f.*

[b] *cum* deest in multis codd.

[c] *Januarini* dignitas deest etiam in Cod. Just. Sec. Go. add. *Proc. Achaïæ*, sec. Reinesium *Pr. V.* Sed vid. C. Th. c. 1 de Abol. (IX, 37), not. *n.* In cod. 4 et in edd. est *Januarium*. Reposui *Januarinum*. Vid. C. Th. IX, 21, 2, not. *y*, IX, 34, 3, not. *u*, IX, 37, 1, not. *n.*

[d] Cod. Just. *severiori.*

[e] 4, Go.—Ri[o]. *etsi*; sed Go. in not. *et si.*

[f] Litteræ *it* abscissæ sunt in cod. 4 et inc. fol. 4[b].

[g] Cod. Just. *purgaverit, nihilominus.*

[h] Ita etiam Cod. Just. Go. et Ri. malunt *Jun.*, cum vix verisimile sit, septimo demum mense hanc constitutionem Corinthum venisse.

[i] Be. *Corinthi.* In Cod. Just. om. *Acc.—Cor.*

[j] Til. — Lugd. *Licinnio.*

[k] Multi codd. Til. — Ri[u]. *Maleficiis*, sed jam Go. prob. *maleficis.* In codd. 6, 7, 9, 10, 18, 21, 31, 39, et edd. Sich. (etiam in ind. tit.) Aur. Lugd. om. *et*, in cod. 15 *et—similibus* et in codd. 8, 37, aliis *et mathem.*

[l] 4, Til. — Lugd. et hic et in ind. titul. *et his similibus.* Sich. in ind. titul. etc. et om. *similibus.* Nonn. codd. *suprascr.* pro *et cet. sim.*

[m] Dignitas deest et hic et in Cod. Just. Go. et Be. addi jub. *Pf. U.*

[n] Fol. 22[a] cod. 4.

[o] 4 *se*, sed ab ant. man. rest. *sed.*

[p] *Quamvis vetus* uncis incl. est in edd. Til. — Lugd.

[q] Go, *illo et qui*,

[a] Ri[q], mendose *evacuerit.*

[b] 4 *adoptionem*, err.

[c] Ita etiam Cod. Just. Cum leges ad Maximum Pf. U. datæ demum inde a XVII. Kal. Nov. h. a. reperiantur. (Vid. C. Th. III, 17, 1, not. *y*), Go pro *Febr.* em. *Sept.* vel *Nov.*, Be. *Nov.* vel *Dec.* Utrumque falsum est; nam ita foret hæc c. recentior sequenti. Puto igitur majoris, qualem habuimus in c. 1 antec. tit. subscriptionis fragmenta tantum incuria constitutionariorum superesse. Erat fortasse h. c. data anno 319, proposita autem consulibus seq. anni. Jam dies, quo data erat lex, omissus est et retentus dies, quo proposita erat, servatis tamen consulibus superioris anni. Inde explicatur confusio subscriptionis.

[d] Plerique codd. Sich. *Edictione* s. *Ediccione.* 15 *Indictione.* 10, 18 om. *vel Edit.*

[e] Sich. add. *Barroniatum.* 20, 21 *Barroniacum.* Multi alii codices *Simmacum* aut *Simmachum.* Val. add. *Proconsulem Achuiæ.* Cod. Just. *Imp. Constantinus et Licinius C. ad S.* Vid. c. 1 C. Th. de Tutor. et cur. cr. (III, 17) not. *x* et Reland. l. c. p. 302.

[f] Sich. in corr. prop. *adolescentibus.*

[g] 21 *velut* 15 om. *lis erit et minor. v. adultis.* 16 *inlæserit.*

[h] 15 *cuiquam mov. sit quæstio* 8 *cuiquam lesit.*

[i] 9, Sich. *alius.*

[j] Cui. 1—Cui 2 [c] in m. *temporibus.*

[k] Aur. Lugd. *sine—sine.* 9, 16 *tut. sibi test.*

[l] Ita 5, 7, 10, 14, 16, 21. 8 *dictata sint.* Edd. *sint.* 15 *datis.*

[m] 10, 18 *minoribus.*

[n] 15 *defend. si eis* et om. *omnibus.*

[o] 16 om. *lis.* Mox R. *insinuata.*

[p] In syllaba *si* inc. c. 2 cod. Just. cit.

[q] Go. Ri. Ri[f]. *divisim.*

[r] Sich. *tamen.*

[s] 20, 21, Sich. *inferre l.* 15 *inf. legem.*

[t] 1*a*, Cui. 2, 2[a] in m. *nec.* 6, 7, 10, 14, 16 — 18, R. *ne de alienis.* 5, 15, 19, cod. Just. *de aliis*, 20, 21, edd. *aliis de.*

[u] 8, sed spatio interjecto, om. *produc.* 6, 7, 17—21, R. *perducantur.* 15 *pertrahantur.*

[v] 33 *Dat.* 9 *febr.* 40 *Dat. kl. mart.* 8 *Dat.* 3 *non.* 15 *Dat.* 2 et om. *non.*, alii om. *prid.*

Digitized by Google

Sirmio [a]. *Accepta VIII* [b]. *Id. Mar. Corinthi* [c], *Constantino* [d] *Aug. V et Licinio Cæs.* [e] *Coss.* (319).

INTERPR. *Si quis contra eos qui in annis minoribus constituti sunt litem forte commoverit, aut si a parte ipsorum res aliquis* [f] *arguatur, ex eo tempora computanda sunt, ex quo tutor sive* [g] *curator minoris* [h] *aut* [i] *per judicem aut per curiam intulerit seu exceperit actionem : ita tamen, ut si in diversis provinciis istius officii* [j] *homines sunt, id est, curatores vel tutores, qui minorum causas tueantur* [k], *qui in eadem provincia fuerint* [l], *ubi intentio nata probatur* [m], *ipsi aut ingerant aut excipiant actiones : quia nolumus* [n] *ut ad aliam provinciam defensores minorum pro audientiæ necessitate ducantur* [o]. *Hoc de jure adjectum est.*

DE RELATIONIBUS.

Constantinus A. Profuturo Pf. annonæ. Si quis judicum duxerit esse referendum, nihil pronuntiet [p], sed magis super quo [q] hæsitandum putaverit, nostram consulat scientiam, aut, si tulerit sententiam, minime postea, ne a se provocetur, relatione promissa [r] terreat litigantes [s]. *Dat.* IV. *Id.* [t] *Febr. Sirmio* [u], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE FILIIS MILITARIUM [v] APPARITORUM ET VETERANORUM.

Imp. Constantinus A. ad Optavianum [x]. Veterano-

[a] 20, 21 *Firmo.* Sich. Cui 1. Aur. Lugd. *Firmio.* Cæterum plerique codd. *Sirmio*, ut Til. Cui 2— Ri [b]. (Be. W. *Sirmii*) aut *Syrmio.* 24, 30 om. *prid.* et *Sirm.* ; 26 *Acc.—et* ; cod. *Sirm.—Cor.*

[b] 8, 9, 16, 19—21, Sich. 7.

[c] Edd. ante Be. et multi codd. *Corinthio*, reli. codd. *Chorinto* aut *Corinto.*

[d] 8 *Constantio.*

[e] Edd. ante Be. om. *Cæs.*

[f] 5 om. *aliquis.*

[g] Sich. in m. *vel.*

[h] Nonn. codd. *fortasse—aperte—tempore—minores.*

[i] Sich. Cui. 1. Aur. Lugd. om. *aut* et 20 mox *ut.*

[j] Multi codd., Sich. Cui 1. Aur. Lugd. *istius modi hom.*, sed Sich. Cui. 1 Aur. Lug. in m. *istius officii.*

[k] *cultores—tuentur.*

[l] 20 cum al. codd. et Sich. *fuerit.*

[m] 20 *proturbatur.*

[n] 5 volumus.

[o] Seqq. extant in codd. 5—10, 12—14, 16—19 ; des. in reli. codd. et ap. Sich.

[p] Cod. Just. *Imp. Constantinus A. — nihil inter partes pron.*

[q] 4, edd. ante Be. ex Cod. Just. ed. *quo.*

[r] Cod. Just. *præmissa*, imp. Go., sed recte Hal. *promissa.*

[s] In Cod. Just. ita pergitur : *sciens quod si hoc fecerit, nihilominus jure appellationis res agitabitur. Sed nec ad nos mittatur aliquid, quod plena instructione indigeat. Quoties autem ad nostram scientiam judex se polliceatur relaturum, consultationis exemplum litigatoribus illico edi apud acta jubeat : ut si qui forte relatio minus plena, vel contraria videatur, is refutatorias preces similiter apud acta sine aliqua frustratoria dilatione offerat.* Desumpta sunt hæc, sed mutatis w., ex c. 1 sq. tit.

[t] Cod. Just. *Kal.*

[u] Be. Cod. Just. *Sirmii.* Mox Cod. Just. om. *C.*

[v] Cui. 1 — Ri*. in indice tit. *militarium et apparitorum.* Cod. Just. *De filiis officialium militarium, qui in bello moriuntur.* Cum rubro h. tit. incipit folium 78, codicis.

[x] Go. em. *Octavianum*, qui fuit hoc anno Corrector Lucaniæ et Bruttiorum. Vid. c. 2 C. Th. de Episcopis (XVI, 2).

rum liberos aptos militiæ, quorum quidam ut desides recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignavi sunt, ut cum dispendio corporis militiæ velint necessitatem evadere, jubemus, si ad militiam inutiles resectis digitis judicentur, curialibus sine aliqua ambiguitate muneribus atque obsequiis aggregari. *Dat.* XIV. *Kal. Mart. Sirmio* [a]. *Accepta* VII. *Id. April. Regio* [b], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE BONIS VACANTIBUS.

Constantinus A. ad Priscum Rationalem. Ne principali liberalitate prævenia dominium quis rei alienæ affectet, jubemus, quoties jure suadente aliquorum bona ex officio tuo fuerint occupata, breves eorum plenissimos ad virum perfectissimum comitem et [c] amicum nostrum mitti, ne fraudibus Cæsarianorum minuantur, vel petentibus aliquid abjuretur ; pœna contra rationalem et officium ejus proposita, si petitorem ante possidere permiserit id, quod ei donatum est, priusquam [d] prædicti breves commoverint. *Dat. V. Id.* [e] *Mart. Sirmio, Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE FALSA MONETA.

Imp. Constantinus A. ad Verinum [f]. Quicumque adulterina fecerit numismata [g], pœnam pro discretione sexus et conditionis suæ diversitate sustineat, hoc est ut, si decurio vel decurionis [p] sit filius, exterminatus genitali solo ad quamcumque in longinquo positam civitatem sub perpetui exilii conditione mittatur, ac super facultatibus [h] ejus ad nostram scientiam referatur ; si plebeius, ut rebus amissis perpetuæ damnationi [i] dedatur ; si servilis conditionis, ultimo supplicio subjugetur. *Dat. et* [j] *Acc.* XV. *Kal. April. Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

[a] Ita codex, Cui. 1 — Ri*. Sed Be. *Sirmii.*

[b] Ita codex, Cui. 1 — Ri*. Sed Be. *Regii.* Mox. Aur. Lugd. Go. *Cons.*

[c] I. *comet.*

[d] Til. — Cuj. 2* *prius, quam.* Go. — Ri.* *prius quam.*

[e] Fol. 87 [b] cod. 4. Mox Be. *Sirmii.*

[f] Reinesius add. *Pf. U.* Go. *Vicar. Afr.* Vid. supr. IX, 15, 1.

[g] 1, 4, Til. — Ri*. *nomismata.* [p] I. *vel si decur.*

[h] Til. mendose *facultatibus.*

[i] Recte B. : « scil. in metalla. nec admittenda est Gfr. emend. *deportationi*, » quamquam confirmatur Antiquis Summariis Codicis Theodosiani a me editis Lipsiæ 1834, 8. p. 5, ubi *si plebius, perpetuo exilio muncipetur.*

[j] Ita cod. 4 et edd. ante Be. Hic tria puncta interponit inter *Dat.* et *et*, quod non congruit cum ejus ann. : « *et* delend. videtur. Non enim dat. et acc. eodem esse die potuit, sed dat. dies excidit. » Erat autem hoc tempore Constantinus Sirmii in Pannonia, Verinus Karthagine. Recte igitur a Be. lacuna indicata est ; in qua indicanda imitatus eum essem, si non mallem codicem repræsentare. Vera scriptura videtur latere in cod. I, qui pro *Acc.* XV. *Kal* habet pp. *id.* (Dat. et Prop. Id. Apr.) Puto igitur scrib. esse *Dat.* XV. *Kal. Apr. et Prop.* (s. *Acc.*) *Id. Apr.*

Digitized by Google

DE FAMOSIS LIBELLIS.

Imp. Constantinus A. ad Verinum [a] *Vicarium Africæ.* Si quando famosi libelli [b] reperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hi, quorum de factis vel nominibus [c] aliquid continebunt, sed scriptionis [d] auctor potius requiratur, et repertus cum omni vigore cogatur his de rebus [e], quas proponendas [f] credidit, comprobare; nec tamen supplicio [g], etiamsi aliquid ostenderit, subtrahatur. *PP.* IV. [h] *Kal. April.* [i] *Carthagine* [j], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Qui famosam chartam* [k] *ad cujuscumque injuriam et maculam conscripserit* [l], *in secreto aut* [m] *in publico affixerit inveniendamque projecerit, illi* [n], *contra quem proposita est chartula, non nocebit nec famæ ejus aliquid derogabit. Sed si inveniri potuerit qui hujus modi chartulam fecit* [o], *constringatur, ut probet quæ conscripsit: qui si etiam quæ scripsit probare potuerit* [p], *fustigetur, qui infamare maluit quam accusare.*

DE APPELLATIONIBUS.

Constantinus ad Bassum Pf. U. Manente lege, qua præscriptum est, intra quot [q] dies opinionis sive relationis exemplum privatis [r] judex debeat exhibere, et refutatorii libelli intra quot dies rursum judicibus offerendi sunt [s], tam in privatis quam etiam in fiscalibus causis ex eo die, quo fuerit quæstio terminata, vel ex quo relationem judex per sententiam promiserit, intra vicesimum diem quæcumque [a] ad instructionem pertinent causæ, ad comitatum nostrum properantissime volumus afferri. Quod nisi factum fuerit, ab universo officio, viginti transactis diebus, quos post latam sententiam placuit supputari, intra viginti alios dies qui sequuntur tantum fisco nostro præcipimus inferri, quanti per æstimationem rationalis emolumentum litis, cujus suppressa fuerat instructio, fidelissime potuerit æstimari. Cui capitale supplicium imminebit, si rigorem legis quocumque modo mollire tentaverit. § 1. Eadem pœna officio imminente, si quando appellatione vel consultatione pendente, vel post decisas nostris responsionibus causas ei, quod ullo modo fuerit [b] impetratum, dammabilem voluerit conniventiam commodare. Nam decreta nostra debet ingerere judicanti [c], ut ipso etiam dissimulante judice reluctari et, tanquam manibus injectis, eos de judicio producere, ac rationum officio traditos statuti prioris [d] nexibus obligare, quorum desideriis violari nostras prospexerit sanctiones. *PP.* IV. *Kal. April. Romæ, Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. [e]

Imp. Constantinus A. [f] *ad Lucrium* [g] *Verinum* [h]. Fratres uterini ab inofficiosis actionibus arceantur, et germanis tantummodo fratribus adversus eos [i] dumtaxat institutos hæredes, quibus inustas [j] constiterit [k] esse notas detestabilis [l] turpitudinis, agnatione [m] durante [n], sine auxilio prætoris, petitionis aditus [o] re-

[a] 14, 16, 38, 42 *Virinum*. 20, 32, 39, 43 *Valerianum*, impr. Ri. 26 *Clarianum*. In nonn. codd. om. *Africæ*. Go. *Impp.*

[b] 20 *fabelli*, sed sup. l. rep. *famosi libelli*. Mox 4, Sich. — Ri *. *hil.*

[c] 8 *omnibus*. 20 *et moribus*, prob. Be. 21 *et nomin.* Sich. *atque nom.*

[d] Multi codd. *inscriptionis.*

[e] 20 *his rebus* et om. *de.*

[f] 18, 25 *quas componendas* et 12 *credit.*

[g] 8 *ne tale supplicio.* 15 om. *nec.* 25 *compr. si nec.* Mox 16 *ostenderint.*

[h] 28, 36, 42 *Dat.* 6, 7, 10, 12—16, 18, 20, 31, 32, 34, 38, 39, 43, Cui. 2, 2 *. Go. Ill. In nonn. codd. om. IV. et in sqq. *A.* aut *A. V.* aut *C.* 8 om. *Kerth — et.*

[i] 6—8, 10, 12—14, 16, 18 *Jun.*

[j] 4, Til. — Ri [1]. *Carthag.* Multi codd. *Carth.* (ut Be.) aut *Cartag.* 36 om. *Carth.* Mox alii codd. *constancio* alii *Lycinio* et Aur. Lugd. *Cons.*

[k] Sich. Cui. 1—Lugd. *chartulam.*

[l] 6 — 8, alii codd. *ad c. injuriæ maculam scripserit.* Mox Sich. Cui. 1 — Lugd. *inveniendam* et om. *que.*

[m] Permulti codd. (inter eos 6, 7, 10, 18, 20) *et.* supr. lin. *et in supplicio.*

[n] 6, 8, 20, 21, 42, alii codd. *illum.* Paulo infra 20 *posita* et antiquitus *aliquis.* 21 *composita.* Multi codd. *derogavit.*

[o] 6, 7 *facit.*

[p] 6—8, 10, 18, alii codd. *ut probet quæ scripsit. Si probare non pot.*, om. *conscripsit qui* et *etiam q.*, contra legis sententiam. 20 *qui etiam etsi quæ conscripsit pr. p.*

[q] Vid. c. 1 h. t. 4 *quod* et Aur. Lugd. *opinionis.*

[r] Fol. 182 [a] cod. 4. Repetit deinde 4 *quod* pro *quot.*

[s] Be. em. *sint.*

[a] 4, Til. *quæcumque.* Id e. *quemcumque.* Cæterum 4, edd. ante Go. *vicensimum.*

[b] Fol. 183 [a] cod. 4. Mox 4, Til. — Ri *. *conhibentiam.* Be. *connibentiam.* Vid. supra VI, 50, 17, not. *v.*

[c] 4 *judicantia ut*, sed deletur *a* ante *ut.* Til. *judicantia, ut.* Cui. 1 — Lugd. *judicantia, aut*, quod Be. falso dicit in Cuj. 2 haberi, ubi potius (etiam in Cuj. 1.) est *judicanti, aut*, quod Be. ed. Go. *Judicanti aut.* Ri. Ri *. *Judicanti aut.* Quamquam Be. scriptura commodam sententiam habet, tamen codicem secutus edidi *ut*, h. e. *uti*, secuti, æque atque ipso d. i. reluctari. An illud *ut* errore pro *ul*, h. e. *uel?*

[d] Vid. c, 6 h. t.

[e] In marg. cod. 15 add. *inofficiosum testamentum est quod frustra liberos exheredat contra officio* (l. *officium*) *naturalis pietatis.*

[f] 37 *imp. C. et Theodos. a.*

[g] 10 *Lugrium.* 20 *Lucrinum.* 16 *Lucretio Virino.* 25 *ad Lucricio Verino.* 26 *ad Ducarium Virinum.* 27 *ad Lucritium V.* 38 *ad L. Virinum.* 39, 42 *ad Lucrum V.* 44 *Loerium V.* Sich. in m. *Lucium* Til. in m. *Lucretio Verino.* 33, Cod. Just. om. *Lucr.* et 29 *ad. L. V.* Codd. ap. Go. *Lucretium* s. *Lucritium.*

[h] Add. *Vic. Africæ* Vic. c. 1 C. Th. de Famos. lib. (IX, 34) et Go. ad h. l. et in Prosop. v. *Verinus.* Cod. Just. *Verino.*

[i] 26 *ejus.*

[j] 6—8, 14, 18—20, 33, Sich. Ri *. *injustas.*

[k] 20, 33, Sich. *constituerit*, sed Sich. in m. *inustas constiterit.* 10, 18 *esse const.*

[l] Nonnulli codices *detestabiles*, alii *detestabili turpitudine.*

[m] 20 *hac natione.* 10, 15, 18, 26, 33 *turp. agnitione.* 19 *ac actione.* Sich. *hac notatione.*

[n] Nonn. codd. *durantis*, alii *durantes.*

[o] 9, 15 *auditus reseratur.* 33 *auditus recreatur.* 26 *a. servetur.*

Digitized by Google

seretur[a]. *Dat. Id. April. Sirmio*[b], *Constantino A. V.*[c] *et Licinio*[d] *Cæs.*[e] *Coss.* (319).

[f] INTERPRETATIO. *Fratribus uterinis, id est*[g] *diversis patribus et una matre natis, non liceat de inofficioso contra testamentum fratris agere. Sed germanis fratribus prætermissis, id est uno patre natis, si turpibus personis, id est infamibus fuerit hæreditas derelicta, hoc est aut pro libidine meretricibus, aut pro inhonesto affectus naturalibus aut certe thymelicis*[h], *vel de*[i] *libertis suis, agendi contra testamentum licentia reservatur : si tamen is ipse germanus non pro crimine suo exsilio fuerit deputatus, aut per captivitatem fuerit servus effectus, aut per emancipationem successionis vel actionis jura perdiderit.*

DE PRIVILEGIIS EORUM.

Idem A. *ad Rufinum Pf.* P. [j] De cubiculis nostris vacatione donatos, vel diversis obsequiis palatinis, aut scriniis memoriæ, epistolarum libellorumque, vel officio largitionum comitatensium, singularumve urbium, sed et officio admissionum ad legum nostrarum privilegia volumus pertinere, ut nec ipsi, nec filii, nec nepotes eorum ad curiam vel honores vel onera *vel*[k] munera municipalia devocentur. Meritoque his jungimus[l] largitionales urbium singularum, ne privilegio separarentur, quos dignitas propemodum similis copulavit, (memorati namque palatinorum matriculis attinentur) quippe sub castrensi militant. Quibus omnibus condonamus, ne exactorum vel turmariorum[m], quos capitularios vocant, curam subeant, vel obsequium temonariorum vel prototypiæ[n].

[a] In Cod. Just. h. c. ita legitur : *Fratres vel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris vel sororis penitus arceantur : consanguinei autem durante agnatione, vel non, contra testamentum fratris sui vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt, si scripti hæredes infamiæ vel turpitudinis vel levis notæ macula adspergantur, vel liberti, qui perperam, et non bene merentes maximisque beneficiis suum patronum assecuti, instituti sunt; excepto servo necessario hærede instituto.*

[b] Ita plerique codd. et Til. — Ri*. Nonn. codd. et Sich. *Syrmio.* B. W. *Sirmii.* Cod. Just. *Id. Aug.*

[c] Multi codd. et Sich.—Lugd. om. *V.*

[d] 6—8, 14, 16 *Vicinio.*

[e] Multi codd. *V. C.*, nonn. et Til. om. *Cæs.*

[f] 20, 42, Sich. add. *de.*

[g] 20 *effectu.*

[h] 6, 7, 20 et multi codd., Sich. *temelicis.* Cui. 1. Aur. Lugd. *timelicis.*

[i] Nonn. codd. Sich. Cui. 1. Aur. Lugd. om. *de.*

[j] Codex PPO. Cui. 1 Ri. *Præpositum* Go. abjecta sua ipsius cj. *Præpositum Cubiculi* prop. *Præfectum Prætorio*, quod Be. rec., nec solum Cod. Just. et scriptura codicis Lugd., sed aliæ etiam h. anni leges commendant, et jam ante Go. emend. erat in Corr. Cui. 2, 2. In c. 3 Cod. Just. cit. pro *ad Rufinum Pf.* P. est *ad Numphidium* PP., sine dubio mendose. Cæterum vid. supra c. 1 de Sponsalibus (III, 5), not. *l*, Wenckium ad eamdem c. 1, not. *z*.

[k] Be. ex Cod. Just. add. *vel*, quod deest in codice et in Cui. 1 — Ri. ; Go. in comm. *munerave.*

[l] Ita codex ; edd. *ingerimus*, male (vid. § 3 h. c.). Go. Ri. *Metitoque*, err. Paulo post codex mendose *copulatuit* et incipit pagina secunda fol. 41. in vv. *trensi militant.*

[m] Reinesius cj. *temoniarorum*. Codex *capitularius.*

[n] Cod. Just. *pentaprotiæ.*

Nam beneficiis nostris ita digni sunt, ut, etiamsi quis ad diversas administrationes post obsequia palatina pervenerit, iisdem [a] debeat uti privilegiis, quoniam major dignitas nulla [b] debet præjudicium facere. § 1. Nemo igitur ex filiis prædictorum vel servis castrensi peculio conquisitis [c] professionibus censualibus inseratur, vel numero accrescentium loco vel [d] deficientium subrogetur, si non fuerit innexus voluminibus censualibus[e]. § 2. Personalibus etiam et corporalibus muneribus liberentur, sive adhuc in palatio observent, sive optata quiete donati sint [e]. § 3. Quibus omnibus privilegiis conjungimus agentes in rebus, licet meritis [f] militaribus videantur esse subnixi [g]. *Dat.* V. *Kal. Maii Sirmio* [h], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE ITINERE MUNIENDO[i].

Imp. [j] *Constantinus A. ad Proculum Proconsulem Africæ.* Emphyteuticarii possessores, qui mansuetudinis nostræ beneficio ad extraordinaria minime devocentur, sicut[k] cæteri provinciales obsequium suum muniendis itineribus[l] impendant : nulla enim ratione debent ab hoc, quod [m] in commune omnibus profuturum est, esse sejuncti [n]. *PP. Non. Maii Karthagine, Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

[a] Cui. 1 Ri. *hisdem.* Cæterum Aur. Lugd. *perveverit*, err.

[b] Vv. *major facere* translata sunt in c. 3 Cod. Just. cit., quæ ita efformata est : *Major dignitas nulli debet circa prioris dignitatis, seu militiæ privilegia præjudicium facere* et seq. h. c. subscr.

[c] Codex, Cui. 1 Lugd. *cumquisitis.*

[d] Go, em. *locove*, recte.

[e] Ita Be. ex Cod. Just.; codex, Cuj. 1 Ri. *sunt.*

[f] Supra codex mendose *corpolibus muner.* V *Meritis*, quod excidit in Cuj. 2 Be., neque est in Cod. Just., ex Cui. 1 Lugd. recipiendum esse duxi, in primis cum Cujacius in Comm. l. c. p. 467 hanc Codicis Theor. scripturam afferat, quare Go. ad h. l. sine necess. annot. : « privilegiis scilicet. » Et revera in codice habetur v. *meritis.*

[g] In Cod. Just. h. c. aliis mutt., aliis additis aut resectis ita legitur : *De - palatinis, memoriales etiam, qui in scriniis memoriæ, ep., libellorum, sacrarumque dispositionum referuntur : nec non, et si qui in utroque officio palatinorum comitatensium s. urbium et off. admissionum et castrensis sacri palatii militant : privilegia volumus habere, ut nec ipsi, — eorum ad honores vel mun. m. devocentur* (om. *Meritoque — militant*): *Quibus temonariorum vel pentaprotiæ, aut etiam tyronis præsentationem agnoscant. Nam beneficiis — ut etiam censualibus, vel personalibus vel corporalibus muneribus liberentur, et habeant castrense peculium, sive adhuc palatium observent, sive optata*, etc.

[h] Ita codex, Cui. 1 — Ri*. ; Be. et Cod. Just. *Sirmii.* Mox Aur. Lugd. *Licino.*

[i] Vid. tit. I. hujus libri, not. *aa.*

[j] 4, Til. — Go. Cod. Just. add. *Imp.* Ri. — Be. om. *Imp.*

[k] Cod. Just. *devocantur munera : sicut* ; neque nostram scripturam falsam esse dicit Go. Supra 4 *Enfyteuticarii.*

[l] Cod. Just. *itineribus muniendis.*

[m] 4 *quo*, rubro col. em. *quod.*

[n] Cod. Just. *sejungi* pro *esse sejuncti* et mox *Carthagine.*

Digitized by Google

DE EMENDATIONE SERVORUM.

Imp. Constantinus A. ad Bassum[a] ... Si [b] virgis aut loris servum dominus [c] afflixerit, aut custodiæ causa in vincula [d] confecerit, dierum distinctione sive interpretatione depulsa nullum criminis metum [e] mortuo servo sustineat. Nec vero immoderate suo jure utatur, sed tunc reus homicidii sit, si voluntate eum [f] vel [g] ictu fustis aut lapidis occiderit, vel certe, telo usus, lethale vulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, vel jussione tetra præcipitandum esse mandaverit, aut veneni virus infuderit, vel dilaniaverit pœnis publicis corpus ferarum [h] vestigiis [i] latera persecando vel exurendo admotis [j] ignibus membra, aut tabescentes artus, atro sanguine [k] permixta sanie defluentes, prope in ipsis adegerit cruciatibus vitam linquere [l] sævitia immanium barbarorum [m]. *Dat.* [n] *V. Id. Maii Romæ, Constantino A. V.* [o] *et Licinio Coss.* (319).

DE PACTIS ET TRANSACTIONIBUS [p].

Imp. Constantinus ad Rufinum Pf. P. Post alia: Litigia sententiis vel transactionibus [q] terminata, non æquum est restaurari. *Dat.* IV. *Id. Mai.* [r] *ipso A. V. et* [s] *Licinio Cæs. Coss.* (319).

TIT. V. DE SPONSALIBUS ET ANTE NUPTIAS DONATIONIBUS. [t]

1. *Imp. Constantinus* [u] *A. ad Rufinum Ps. P.* [v] Pater noster [a] nullam voluit liberalitatem [b] valere, si actis inserta non esset. Nos etiam inter sponsos [c] ac sponsas omnesque personas eam solam donationem ex promulgatæ legis tempore valere sancimus[d], quam testificatio actorum secuta est. *Dat.* IV. [e] *Id. Maii* [f] *Simio* [g], *Constantino A.* [h] *V. et Licinio Cæs.* [i] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Ante tempus legis istius donationes etiam sine gestorum testificatione valebant. Nunc vero post hanc legem, nec nuptialis, nec quælibet alia* [j] *inter quascumque personas donatio, de quibuscumque rebus, valere* [k] *potest, si gestis non fuerit allegata* [l].

DE MALEFICIS.

Imp. Constantinus A ad populum. Aruspices et sacerdotes et eos, qui huic ritui assolent ministrare, ad privatam domum prohibemus accedere vel sub prætextu amicitiæ limen alterius ingredi, pœna contra eos proposita, si contempserint legem. Qui vero id vobis existimatis [m] conducere, adite aras publicas atque delubra et consuetudinis vestræ celebrate solemnia: nec enim prohibemus, præteritæ usurpationis officia libera luce tractari [n]. *Dat. id. maii, Constantino A.* [o] *et Licinio* [p] *Coss.* (319).

DE JURE FISCI.

Imp. Constantinus A. | *ad Severum* [q] *Rationa-*

Constantio tribuendæ et ad ann. 352 referendæ. Vid. Reland. p. 369.

[a] 15 add. *Constantinus.*

[b] 9 *libertatem.* 16 om. *voluit.*

[c] 6—8, 10, 14—16, 18—21, Cui. 2 — Ri[k]. add. *quoque*, quod ferri potes. Opponitur enim v. *nullam*, neque obstat *etiam*, cum vv. *Nos etiam* se referant ad vv. *Pater noster.* Nonn. codd. *inter sponsis.*

[d] 10, 18. *sanximus.*

[e] Ita 9, 12, 19—21, 24. 33, 34, 45. Sich.; Til. — W. Ill., sed vid. c. 1 C. Th. de Pactis, quacum hæc lex conjungenda est. 10. 18 om. IV.

[f] Nonn. codd. *Mad.* 32, 36, 40 *Mart.* 10 *Marci.* Sich. *Calend. Maii.*

[g] Ita codd. et edd. Sich. — Ri[e]. etsi nonn. codd. *Sermio*, alii *Syrmio* et *Firmio.* Be. et W. *Sirmii.*

[h] 21, Sich. — Lugd. om. *V.*

[i] 10 *Lic. Clarus.* 14 om. *Cæs. Coss.* 6, 7, 18, 20, 32 et Til. om. *Cæs.* et 38 *et Lic. Cæs.* 33, 34, Sich. *Lic. V. C. Coss.* 24 *Sirmio V. et Constantio a Coss.* et om. *Licinio.*

[j] Nonn. codd. *qualibet alias.* 20 *nuptiales nec quaslibet alias.* 21 *nuptiales nec qualibet alia.*

[k] 20 add. non.

[l] 20 *olligata.* 21, Sich. in m. *alligata*, sed 21 in m. *obligata.*

[m] Correxi *existimatis* pro *extimatis*, quod 4 et Til. — Be. habent. Jam Go. et Be. prop. *æstimatis* vel *existimatis.*

[n] In Cod. Just. c. 1 et 2 h. t. ita sunt conflatæ: (ex c. 2 C. Th.) *Nullus aruspex, nullus sacerdos, nullus eorum qui h. r. a. m. ad* (ex c. 1 C. Th.) *limen alterius accedat — hominum amicitia quamvis vetus repellatur — et illo in insulam deportando post ademptionem bonorum, qui eum advocaverit suasionibus vel præmiis. Accusatorem autem hujusmodi — arbitramur*, et sequitur subsc. c. 1 C. Th.

[o] Fol. 22[b] cod. 4.

[p] Recte Be. add. vult *Cæs.*, ut erat in super. c. Aur. Lugd. *Cons.*

[q] 15 *Severinum.* 25, 38 *Serum.* 20, 32, 39 *Senatum.* Est hic Severus alius atque ille, qui comme-

[a] Add. *Pf. U.*

[b] Peyron. l. c. p. 187 dicit: « Lex. I. Vix legi potest; ea porro, quæ oculis sunt insignia, consonant cum Editione » (Ri[e].).

[c] Cod. Just. *loris dom. serv.*

[d] Ita Be. ex Cod. Just.: 4. Til. — Ri[e]. *vincla.*

[e] Cod. Just. *met. servo mort. s.*

[f] Fol. 18 [d] cod. 4.

[g] *Vel* abest a Cod. Just.

[h] Go. in comm. cj. *ferrearum et ferratarum.*

[i] Cod. Just. *unguibus.*

[j] Cod. Just. *oblatis.*

[k] Petr. Faber Sem. III, 16 delenda esse judicavit vv. *atro sanguine*, quasi in contextum adscita ex interpretatione v. *sanies.* Recte ei obloquitur Go., quem vid. not. r. Cæterum Aur. Lugd. *tabebescentes.*

[l] Cod. Just. *relinquere.*

[m] Aur. Lugd. mendose *barborum.* 4 *varbarorum.* em. rubr. col. *barb.*

[n] Sec. Go. pro *Reddita*, cum Constantinus hoc anno non fuerit Romæ. Vid. Chron. ap. Go. p. 17.

[o] Numerus abest a Cod. Just. et app. ann. 312, impr. Ri.

[p] 1, P. *Transactionibus.* 15 et Cons. Vet. Jcti 1. c. om. *et Transact.* 8 *De* P. *et Translatis actionibus.* Cui. 1 in titl. ind. *transactionibus.*

[q] 1 *Tra. actionibus.* P. *tra(ns)actionibus.*

[r] Fort. add. *Sirmio.* Vid. c. 1 C. Th. de Sponsal. (III, 5).

[s] Seqq.: « *icinio Cæs. Coss.*, quæ abscissa sunt in cod. 1, restituit P.

[t] Multi codd. et Till. *Nuptias*, alii *nuptiis*, at mox *nupt. donationis.* 5 *De — nuptias* | *De Donacionib' sponsolias dederint.* Cod. Just. (V, 1) *de Spe et arris sponsalitiis et proxeneticis.*

[u] 19 add. *et Honorius.* Nonn. codd. *A. Rufino ppo.* 20 *ppo.* 38 om. *ad R. Pf. P.*

[v] H. l. Wenchius gravissimis argumentis oppugnat Go, qui et hic et in Prosopogr. v. *Rufinus* hanc legem et duas alias h. a. (c. 3 C. Th. de Privilegiis eorum, VI, 35, c. un. C. Th. de Bonis dec., V, 2) ad Rufinum PP. datas errore auctorum Codicis Theodosiani ad Constantinum relatas esse putat, cum potius essent

Digitized by Google

lem[a] *Africæ. Post alia:* Possessiones[b] atque mancipia exempta fisci patrimonio quibusdam donavimus. Hæc[c] directo jure[d] atque perpetuo absque omni quæstione[e] volumus obtineri; pœna contra rationales et magistros privatæ rei[f] atque officiales proposita, si quid[g] contra tentaverint, [h] etc. *PP.* XVI. *Kal. Jun.* [i] *Romæ in foro Trajani* [j], *Constantino A. V.* [k] *et Licinio C.* [l] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Quicumque agri atque mancipia quibuscumque personis de fisci nostri jure*[m] *donantur, apud eos, qui donata sunt, sine suspicione aliqua volumus permanere: contra ordinatores domorum dominicarum pœna proposita, si contra præceptionem*[n] *facere cognoscuntur*[o].

DE NAVICULARIIS.

Imp. Constantinus[p] *A. Amabiliano*[q] *præfecto annonæ.* Si quis navicularius per obreptionem vel quacumque ratione immunitatem impetraverit, ad excusationem eum admitti nullo[r] modo volumus. § 1.

moratur in c. 2 C. Th. de Matern. bon. (VIII, 1 8), c. 9 C. Th. de Appell. (XI, 30).

[a] 17, 27, 40 *rationabilem.* Multi codd. *Africæ.* Go., quia hæc c. dicitur proposita Romæ, mavult *rationalem urbis* (Romæ) et in Chron. om. *Africæ.* Mox deest *Post alia.* In codd. 17, 36, 40 his vv. add. *et cit.* s. *eccit.*, i. e. *et cætera.*

[b] 20 *Possessionem.*

[c] 13 *atque excepta mane.* 15 *m. quæ exempta.* 21 om. *exempta.* 12 *don. ita dire.* Sich. *manc. fisci, quas p. q. donavimus, hæc.* Aur. Lugd. *patrimonia, mendose,* 20 *exempla f. patrimonium.*

[d] Vid. C. Th. V, 14, 7, 20 antiquitus ordine.

[e] 4 *omnia quæstione,* sed rubro col. em. *omni.* 20, 21, Sich. *sequestratione,* sed in 20 em. *requisitione.* Mox multi codd. *obtinere.*

[f] In cod. 15 om. *privatæ rei*; in rell. Br. Al. codd. et ap. Sich. *rei*, sed Sich. *privatim et* 20 *privatos.*

[g] 14, 20 *qui.*

[h] In litteris *rint.* incip. fol. 78[b] cod. 4 Sich. om. etc.

[i] Ita 9, 13, 24, 27, 29, 38, 42, 44, Sich.; 4 Til. —Lugd. *PP.* XVI *Kal. Jul.* Prætuli *Jun.* propter c. sq. h. t. Cui 2—Be. *PP.* X. *Kal. Jun.* fortasse propter c. 3 C. Th. de Navicul. (XIII, 5), quæ fere eodem die dicitur proposita esse. 15 XV *K. Jul.* 6—8, 12, 14, 16, Epit. Mon. XIII *K. Jun.* 10, 18. Anian. Reg. ap. Go. XII. *K. Jun.* L. R. U. *Dat.* XV, *Kal. Jul.* 20, 32, 39, 43. *Dat.* XV. *Kal. Jan.* 21. XVII *Kal. Jun.* 17, 28, 36, 40. VI *Kal. Jan.* 33, 34. XI *K. Jun.* 38 *āg.*

[j] Nonn. codd. *Roma.* 20, 24, 28 *Trojani.* 32 *tuajano.* 8 om. *in foro — et*, et in codd. 17, 28, 36, 40 des *Const.—Coss.*

[k] In codd. 12, 16, 18, 20, 24 deest *V.* 34 *Constantinopoli* pro *Constantino.*

[l] Multi codd. om. *C.* aut *C. Coss.* et 38 *et Licinio C.* 24, 32 *Dic.* ꝥ ꝛ *Coss.* Nonn. codd. *Lycinio* et Aur. Lugd. *Licino.*

[m] 21 *nostri pessonis don.*

[n] 20 *perscriptionem* sed supr. lin. *præcipt.*

[o] 9, 20 alii codd. *cognoscantur.*

[p] Vid. not. anteced.

[q] Cui. 2, 2[k] *Ambiliano*, mendose. Vid. not. anteced. Go. *Idem AA.*

[r] 4 *admitti nullo*; edd. ante Be. *admitti in ullo.* Cui 1—2[d] in m.: « γρ *nullo*, » quod etiam Go. prop. et Be. recepit, recte. Ortus est error, non eo quod male disjunctæ erant litteræ, ut B. scribit, verum ex antecedenti littera, quam a librario geminatam esse jam

A Sed et si quis patrimonium navicularío muneri obnoxium possidet, licet altioris sit dignitatis, nihil ei honoris privilegia, in hac parte duntaxat, opitulentur, sed sive pro solido, sive pro proportione huic muneri teneatur [a]. Nec enim æquum est, ut, patrimonio huic functioni obnoxio excusato, commune onus non omnes pro virili sustineant portione. *PP. V*[b]. *kal. Jun. Constantinopoli* [c], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE JURE FISCI.

In p. Constantinus A.[d] *ad Provinciales.* Justa etiam et quæ locum habent fisci actiones præcipimus concremari, ob hoc solum quod suis temporibus prolatæ non sunt [e]. Jam calumniæ privatorum eo saltem [f] arceantur exemplo, quod justas [g] fisci litos silere præcipimus. *Dat.* III. *Kal. Jun. Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE NUMERARIIS, ACTUARIIS.

Imp. Constantinus A. ad Leontium [h]. Dudum sanximus [i], ut nullus ad singula officia administranda ambitione perveniat, vel maxime ad tabularios, nisi qui ex ordine vel corpore officii uniuscujusque est. Hos enim officia sibi injuncta tam diu agere jubemus, quoad idoneos esse manifestum est, aut ætate non impediente complere id posse monstrantur, ut, administratione apud unum jugiter permanente, fides quoque ejus appareat. Si quis ergo ex suffragio ambitionis ad officia fisco obnoxia accesserit, mulctæ nomine [j] denas libras auri exigatur. *PP. V. Id. Jun. Hierapoli* [k], *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319)[l].

DE APPELLATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Severum Vicarium...[m] Ne

Go. vidit. Summ. C. Th. *Navicularium excusationem non mereri.*

[a] Cui. 2 — Ri[k]. *teneantur*, err.

[b] Go. in Chronol. *PP.* X, *kal.*

[c] Delenda est h. v., quæ occasione sequentis nominis hic infarta est; nondum enim Constantinopolis structa erat. Vid. C. Th. XI, 30, 12, not. *i.*

[d] 4 et hic et in seq. lege *Id. āā ad.*

[e] Cod. Just. *sunt: ut jam*, recte impr. Cujac. in Comm. l. c. p. 228 et Go. Vid. Dirksen. l. c. p. 492.

[f] Til. mendose *eos saltem.*

[g] Ri[e] mendose *justa.*

[h] Cod. Just. *De M. a; et chartulariis, et adjutoribus, scrin. et exc. sedis excelsæ cæterorumque judicum, tam militarium quam civilium.* Aur. Lugd. *Scrinariis.*

[i] Dignitas deest in codice et in edd.; Go. prob. Be. ex c. 1 C. Th. Si quis solidi circulum (IX, 22) et ex c. 1 Cod. Just. de Commeatu (XII, 43) addi vult *Pf. P.* Cum rubrica hujus tituli incipit folium 81 codicis.

[j] Hanc sanctionem ad nostram ætatem non pervenisse, jam Go. annotavit.

[k] Be. in not. add. *in* vel *ad.* Sed vid. C. Th. VI, 26, 14, not. *b*, VI, 35, 1, not. *p* et infra X, 20, 2.

[l] Aur. Lugd. om. *Id.* Go. annotat: « Ex hac subscriptione colligi videtur, hanc *legem* a Licinio, non a Constantino latam fuisse: quandoquidem ei hoc tempore Oriens parebat: vide Zosimum *lib.* II. p. 679 » (cap. 20); qua de causa fortasse ap. Ri. Ri[e]. rep. 318 pro 319.

[m] Loci, cujus vicarius fuerit, mentio deest etiam in Cod. Just. Blondellus de Primatu in Eccles. p. 513. Vicarium Illyrici eum fuisse suspicatur, causa non

Digitized by Google

causas, quæ in nostram venerint scientiam, rursus transferri ad judicia necesse sit, instructiones necessarias plene actis inseri præcipimus. Nam cogimur a proferenda sententia temperare, qui sanximus[a], retractari rescripta nostra ad opiniones vel etiam relationes judicum data non oportere[b], quoniam verendum est ne lis incognito negotio dirimatur, adempta copia conquerendi[c]. Quare perennibus inuretur judex notis, si cuncta quæ litigatores instructionis probationisque causa[d] recitaverint, [e] indita actis vel subjecta non potuerit inveniri. *Dat. X. Kal. Jul. Aquileia*[f], *Constantino V. et Licinio C. Coss.* (319).

SINE CENSU VEL RELIQUIS FUNDUM COMPARARI NON POSSE.

Imp. Constantinus A. ad Antonium[h] *Marcellinum Præsidem provinciæ Lugdunensis primæ.* Rei annonariæ emolumenta[i] tractantes, ut cognosceremus[j], quanta reliqua per singulas quasque provincias et per quæ nomina ex hujus modi pensitationibus residissent, cognovimus, hanc esse causam maxime reliquorum, quod nonnulli, captati[k] aliquorum[l] momentarias necessitates, sub hac conditione fundos opimos comparent et electos[m], ut nec reliqua eorum fisco inferant, et immunes eos possideant. Ideoque placuit ut, si quem constiterit[n] hujus modi habuisse contractum, atque hoc genere [o] possessionem esse mercatum, tam pro solitis[p] censibus fundi comparati quam [q] pro reliquis universis ejusdem possessionis obnoxius teneatur[r]. *Dat. kal. Jul. Agrippinæ, Constantino A. V. et Licinio C. Coss.*[a] (319).

DE DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. Patroclo....[b] Nulla præditos dignitate ad sordida descendere connubia servularum etsi[c] videtur indignum, minime tamen legibus prohibetur; sed[d] neque connubium cum personis potest esse servilibus, et ex hujus modi contubernio servi nascuntur. Præcipimus itaque ne decuriones in gremia potentissimarum domorum libidine[e] ducente confugiant. Si enim decurio clam, actoribus atque[f] procuratoribus nescientibus, alienæ fuerit servæ conjunctus, et mulierem in metallum trudi[g] per sententiam[h] judicis jubemus[i], et ipsum decurionem in insulam deportari, bonis ejus mobilibus et urbanis mancipiis confiscandis, prædiis vero et rusticis mancipiis civitati[j], cujus curialis fuerat, mancipandis[k], si patria potestate fuerit liberatus, nullosque habeat liberos vel parentes vel etiam propinquos, qui secundum

---

addita; Go. in Chron. Vicarium Italiæ. In c. 2 C. Th. de Matern. bonis (VIII, 18) appellatur *Julius Severus*. Mirum, quod et in aliis Severo inscriptis legibus dignitas ejus aut plane omittitur aut, si qua commemoratur, suspecta est.

[a] Vid. c. 6 et 8 h. t.

[b] Vv. *qui sanximus — oportere* des. in Cod. Just.

[c] 4 *conquærendi*.

[d] 4 *causas;* rubro colore deletur *s* finale.

[e] Fol. 183[b] cod. 4.

[f] Cod. Just. *Kal.* (deest *Jul.*) *Aquileiæ*. Aur. Lugd. *Aqui.* et mox *Cons.* Cuj. 1 *Licino*. Cod. Just. *CC.*

[g] Permulti codd., etiam 4 *comparare*, sed in cod. 4 em. ab ant. manu. 15 *Sine censu non comparari fundum.* 25 *Sine c. v. r. f. comparare non audeant.*

[h] Rein. em. *Auxonium* Cod. Just. *ad Marcellum*, et des. reliqua. Ri*. om. *Imp.*

[i] Aur. Lugd. *emolumentis*, i. e. *emolumentum.*

[j] In Cod. Just. om. *ut cognosceremus—residissent.*

[k] Cod. Just. *captantes.* Go. nihil mutandum esse dicit, recte. Vid. Salmas. in Solinum p. 39 edit. Trajectinæ. Vat. Fr. § 35 : *alicujus callilatibus adversabili emolumento persuasi.* Quid si leg. *capitali al. momentaria necessitate?*

[l] 4, Til. add. *nomen.*

[m] Cod. Just. *comparant* et om. *opimos* et *et electos*, impr. Go.

[n] 4 *onstiterit*, sed em. a. libr.

[o] Cod. Just. *atque ac lege.*

[p] 4, edd. *solidis.* Go. quod conjecerat *solvendis*, ipse reprobat. Cod. Just. Val. in m. *solitis*, recte. Ita c. 4 C. Th. de Indict. (XI, 5) *devotionis solitæ;* c. 2 C. Th. de Vectig. (IV, 12) *solitæ præstationi*; c. 6 ibid. *octavas solite constitutas;* c. 24 C. Th. de Ann. (XI, 1) *species solitas.*

[q] Cum v. *quam* incip. fol. 134[b] cod. 4.

[r] In Cod. Just. add. *cum necesse sit eum qui comparavit, censum rei comparatæ agnoscere, nec licebat cuiquam rem sine censu comparare vel vendere*, desumpt. ex initio c. 2 C. Th. de Contrah. empt. cit.

[a] Go. — Ri*. om. annum. Cum enim Constantinus hoc anno non in Gallia constiterit, sed in Pannonia aut Dacia, Go. hanc legem refert ad ann. 312 (*Constantino A.* II *et Licinio A.* II *Coss.*) dicens ad Gallias et censum Gallicanum pertinere, eaque Constantinum indulgentias reliquorum concedere Lugdunensi primæ, in qua Augustodinum, cujus nomine Eumenius orator Augustodunensis peculiari ratione gratias egerit anno 312. Contra Bou. monet, consules a Go. propositos non conciliari posse cum vv. subscriptionis : *et Licinio Cæsare*, referendis nonnisi ad Licinium jun., qui anno 317 Cæsar creatus sit; Eumenii panegyricum habitum esse non anno 312, sed 313; neque agi in hac lege de reliquorum remissione. Cum autem Constantinus hoc tempore *Agrippinæ* non fuerit, fortasse reponendum esse *Aquileiæ*. Aliter etiam Pagius scribit in Crit. ad ann. 313, not. 20. Constantinum toto anno 312 in Italia fuisse; orationem Eumenium recitasse non anno 312, sed ann. 311, quo Constantinus Quinquennalia dederit, quorum cap. 13 idem orator meminerit, egisse autem hunc gratias ob speciale tantum beneficium Augustodunensibus concessum, non ob generale, quod hac lege toti provinciæ Lugdunensi detur. Refert igitur hanc legem ad ann. 313 (*Constantio A.* III *et Licinio A.* III *Coss.*) Cf. Reland. l. c. p. 302. Tillem. l. c. T. IV, Notes p. 128, n. 30, servato anno 319, errorem quærit in urbis nomine et pro *Agrippinæ* em. *Aquileiæ*. Quid quod Go. prop. in Chron. anni 319 *Aquileiæ*, quamquam præfert annum 312.

[b] Dignitas deest sine ullo lacunæ indicio in cod. 4, Til. — Cui. 2*. Be. Cod. Just.; ap. Go. et Ri. indicatur lacuna quattuor punctis, ap. Ri*. quinque. Cod. Just. *Imp. Constantinus A.*

[c] Til. *et si.* In cod. 4 semper scribitur *conubium, conubia.* Go. h. l. conversis vv. ita scribi vult : *etsi minime legibus prohibetur, tamen videtur indignum;* concedit autem vulgatam scripturam defendi posse.

[d] Hinc incipit c. 3 Cod. Just. : *Cum ancillis non potest esse connubium : nam ex h. m. c. s. nascuntur : ideoque præcipimus, ne. 4 contubernio.*

[e] Cod. Just. add. *servarum.*

[f] Cod. Just. *et.*

[g] Cod. Just. *detrudi.*

[h] Nescio unde Go. — Ri*. *sententia* pro *per sententiam.*

[i] 4 *juvemus;* rubro col. em. *jubemus.*

[j] Cod. Just. contractiore sententia *deportari : omnibus bonis ejus civitati.*

[k] Fol. 220[b] cod. 4.

Digitized by Google

legum ordinem ad ejus successionem vocantur [a]. Quod si auctores vel procuratores loci, in quo flagitium admissum est, fuerunt [b] conscii, vel compertum facinus prodere noluerunt [c], metallo eos convenit implicari. Si vero dominus [d] hoc fieri permisit vel postea cognitum celavit, si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipiis et pecoribus cæterisque rebus quæ cultui rustico sustinentur [e], fisci viribus vindicetur; si vero in civitate id factum est, dimidiam bonorum omnium partem præcipimus, pœnam augentes, quoniam intra domesticos parietes scelus admissum est, quod noluit mox cognitum publicare [f]. Igitur si legis latæ die reperietur quisquam patrimonium suum alienasse, atque in dominum [g] servulæ contulisse, ordini liceat diligenter inquirere, ut ita rei publicæ civitatis quod de facultatibus supra dicti fuerit deminutum [h], in pecunia sarciatur [i]. *Dat. Kal. Aqui. Jullea, Constantino* j *A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE HIS, QUI A NON DOMINO [k] MANUMISSI SUNT.

Imp. Constantinus A. ad Bassum [l]. Si a non [m] dominis libertas detur mancipio alieno, si quidem ab his [n] judicibus impetrabitur [o], quibus dandi jus est [p], sine ulla trepidatione pœnæ facilis dissolutio est. Si vero jubentibus [q] nobis quicquam lege actum esse doceatur, et non dominus, ut alienum mancipium [r] manumitteretur, petiisse [a], tunc eodem, qui in [b] conspectu nostro libertatem monstrabitur [c] consecutus, ei protinus, ad cujus proprietatem pertinet, restituto [d], is, qui mancipium alienum fallendo principis conscientiam manumisit, mancipia duo cogatur domino ejus dare, cujusmodi [e] sexus; ætatis atque artis [f] constiterit esse manumissum, et alia tria fisco [g] eademque ratione similia. Quæ mulcta non semper imponitur, sed [h] potius conquiescit, si [i] forte manumissus inferentem sibi [j] quæstionem status objecta [k] legitima præscriptione [l] potuerit excludere; cum sibi amissi [m] mancipii damna debeat [n] imputare [o], qui in perniciem suam gesta taciturnitate firmaverit [p]. *Prop. Id.* [q] *Jul., Constantino A. V.* [r] *et Licinio Cæs.* [s] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Si aliquis mancipium manumittere præsumpserit alienum et id sub præsentia principis vel in ecclesia fecerit, hac pœna tenebitur, ut et manumissus a domino revocetur, et alia duo mancipia ejusdem ætatis aut sexus aut certe artificii, quod ille, qui est manumissus, scierit* [t], *dare cogatur. Si vero ille, qui manumissus dicitur, repetentem dominum sub hac præscriptione* [u] *superaverit, ut jam firmitatem* [v] *status sui temporibus tueatur; tunc ille, qui manumisit, non est constringendus ad pœnam, dum ille, qui repetit, præjudicium domini sui incurrerit aut taciturnitate nutrierit* [x].

[a] Cod. Just. *vocentur.*
[b] Cod. Just. *fuerint.*
[c] Cod. Just. *promere noluerint.*
[d] In Cod. Just. add. *loci.*
[e] 4 *sustinetur*, rubro col. supra add. *n* (sustinentur). Cod. Just. *fisci juribus*, recte impr. Go.
[f] In Cod. Just. om. seqq.
[g] In cod. 4 videtur littera i a sec. manu supra addita esse (dominium). Summ. C. Th. *in hospitio servulæ.*
[h] 4 *supradicti* (rubro col. add. *s*, ut leg. sit *supradictis*) *f. diminutum.*
[i] 4 *pecunias* | (incipit fol. 221 a) *arciatur.* Go. *pennuia.*
[j] Aur. Lugd. *Constantinopoli.* A Cod. Just. abest tota subscriptio.
[k] Ita em. Be. et W. ex cod. 6 et cod. Just., quæ em. confirmatur codd. 7, 10, 14, 16, 18. Reliqui codd., Sich. — Ri°. *de His, qui non a domino.* Sec. Go. nonn. codd. habent *non a suo domino*, quod quidem in ipsius Br. Al. codd. non inveni, sed in codd. L. R. U.
[l] Add. *Pf. U.* Cf. infra c. 4 C. Th. de Donatt. (VIII, 12), c. 2 C. Th. ad L. Jul. de Vi (IX, 10) et c. 8 C. Th. de Appellat. (XI, 30). Nonn. codd. et Cod. Just. *Pf. P.*, improbb. Go, Be et W. Cæterum plerique codd. et Sich. Cui. 1—Ri. *de Hiis.*
[m] Ita Be., prob. W., em. ex Cod. Just., quocum præter Bas. concinunt codd. 14, 16 et cod. 40; nam quamquam is textum omittit, tamen post inscriptionem ex textu ponitur *Si N.* i. e. *Si non* quæ prima legis vv. sunt 10, 18. *Si non lib. a dom.* Rell. *Si non ad.*
[n] Sich. Cui. 1—Cui 2° *hiis*, Ri°. *iis.*
[o] Go. cj. *imperabitur*, quamquam ipse præfert *impetrabitur.*
[p] 9 *Quibus damni jus exstet sine.* Sich. in m.: « Forte legendum est, *quibus dandi jus non est.* » Vid. Go. not. *e.*
[q] 10, 18 *jubentur.*
[r] 16 om. *mancipium.*
[a] 12 om. *petiisse.* Cod. Just. add. *probetur.*
[b] 18 om. *in.*
[c] Cod. Just. add. *a non domino.*
[d] 19, 20 *restituta.* lidem paulo post *conscientia* et Go. *manumissit.*
[e] 9 *de re hujusmodi*, 19, 20 *hujusmodi*, 10. 18 *ejusmodi.* Cod. Just. *ejusdem.*
[f] 20 add. *ut* et Cod. Just. *cujus.*
[g] Hanc vocem, quæ in plerisque codd. Br. Al. et in edd. Sich.—Ri°. deest, supplendam esse jam in m. edd. Cui. 1 — Cui. 2° annotatum est, hac tamen differentia, ut in m. Cui. 1 — Lugd. scriptum sit: « deesse videtur *a fisco*, » in m. Cui. 2, 2°: « deesse videtur *fisco.* » Be. et W. eam receperunt e Cod. Just., quod recte factum esse confirmatur codd. 12, 14, 17. Go. tentavit *et alia tria eademque ærario ratione similia.* Cæterum 16 bin. *tria fisco* et in Cod. Just. scriptum est *eadem rat.*
[h] 8 sc 20 supr. lin. *vel sæpius.*
[i] 14 om. *si.*
[j] 8, 10, 12, 14, 16 *man. in parentem sibi.*
[k] 14, 21 *subjecta*, sed 21 in m. *objecta.*
[l] 19, 20 *perscriptione.*
[m] 19, 20 *amissa.*
[n] 16 *debeant.*
[o] Cod. Just. add. *is.*
[p] Cod. Just. *firmavit.*
[q] 13, 20, 24 *Dat. prid. id.* 15, 19, 32 *Dat. id.*
[r] 8, 20 *Constantinopol. A.* 11. 19 *aug.* 11. 31, 32, 39 om. *V.*
[s] Multi codd. et Til. om. *Cæs.*
[t] 20 *Si quis—hæc pœna—ad cum—artificio—manum est* — (etiam 21 *man. est*) *scire cogatur.* 8, Sich. *sciret d. cogatur*, 7 *manum. est.* 6 *artificii—sciret.*
[u] 28 *hac inscriptione*, alii *perscriptione.*
[v] 20 *ut etiam f.* 6, 7 *firmitate.*
[x] 20 *constr. ut impleat pœn. — repetitur — incurrit per taciturnitatem nutr.* Go. mavult *dominii*, quod 6 habet.

Digitized by Google

DE MATERNIS BONIS.

Imp. Constantinus A.[a] *Julio Severo*[b]. Cum ad patrem[c] aliquid ex materna successione interposita cretione [d] pervenerit, et ad liberos maternarum rerum [e] successiones defluxerint, ita eas haberi [f] placet in parentum potestate, ut dominium tantum possessionis [g] usurpent, alienandi vero licentiam [h] facultatemque non habent [i], ut cum ætates legitimæ liberorum ad emancipationem parentes invitaverint [j], et patresfamilias videre liberos [k] suos voluerint, tertiam partem maternorum bonorum eis [l] filii [m] tanquam muneris caussa [n] offerant; quam si suscipiendam patres [o] putaverint, faciendæ divisionis arbitrium permitti oportebit justitiæ bonorum virorum [p], per quos, facta divisione, tertiam partem oblatam [q] parentes ita accipient [r], *ut alienandæ quoque ejus partis* [s] habeant facultatem, *si modo ullus potuerit inveniri*, cui placeat A hanc *amplecti licentiam, cum omni modo* [a] filios conducat [b] adniti, *ut pio sedulitatis affectu* mereantur accipere [c] eam, quam *patribus dederint*, portionem. *Dat.* VII. [d] *Id. Sept. Mediolano* [e]. *Acc. Non. Oct.* [f] *Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Materna bona filiorum, defuncta uxore, pater ita* [g] *possideat, ut usumfructum de his habeat: sed quantum aut* [h] *quamdiu habeat, lex Novella constituit: distrahendi tamen aut donandi ex his* [i] *nullam pater habeat potestatem. Sane si* [j] *filium, mortua matre, emancipaverit, de bonis maternis, id est, de emancipati filii portione ipse filius* [k] *muneris caussa de maternis bonis tertiam offerat* [l] *portionem: quæ* [m] *tamen in ipsius proprietate* [n] *mansura est ita, ut eam pater, viris bonis dividentibus, consequatur. Si tamen* B *tantum patris nomen ad hoc adduci potuerit* [o], *ut rem filiorum impia cupiditate suscipiat, aut aliis derelinquat: studere* [p] *tamen filios decet, ut id, quod parentibus caussa emancipationis obtulerint, servitio et pietate* [q] *recipiant.*

DE DOLO MALO.

Imp. Constantinus A. ad Symmachum V. C. [r] Optimum duximus [s], non ex eo die, quo [t] se quisque admissum dolum didicisse memoraverit [u], neque intra

[a] *A* deest in nonn. codd. In cod. 40 om. *A.* et *Severo.*

[b] 38 *Severo.* Add. sec. Go. *Vic.* Vid. sup. col. 164, de Appell. Severus ille, qui nominatur ininscr. c. 9 C. Th. de Jure fisci (X, 1), alius esse videtur.

[c] 8, 12, 13, 19 male *Cum a patre.*

[d] 20 a sec. m. *creacione*, impr. Ri.

[e] 21, Sich. Til. om. *rerum.*

[f] Multi codd. *habere*, male.

[g] 20 *possessoris.* 10, 18 *usurpant.*

[h] Til. *lecentiam.*

[i] 21, Sich. *habent.*

[j] Omnes codd *ætates* (aut *ætatis*, quod idem est) *legitimæ... invitaverint*, et ita etiam Cuj. 1—Ri[a]. ex Lugd. Reposui igitur hæc verba pro *ætas legitima — invitaverit*, quam scripturam Be. ex Sich. et Til. restituit: quamquam enim non modo non mala est, verum etiam concinnior quam nostra, tamen, cum ne unus quidem codex eam tueatur, ex cj. Sichardi videtur nata esse.

[k] 6—8, 10, 12, 14, 17, 18 *filios*, quod propter v. *filii*, quod sequitur et propter interpretationem recepissem, nisi cod. Lugd. et codd. 9, 13, 19, quos sæpe cum veri C. Th. codicibus concinere dixi, haberent scripturam *liberos.*

[l] 19, 20 *ejus.* 18 *et.*

[m] Male Cuj. 2—Ri[a]. *filiis.*

[n] 15 *muneris loco.*

[o] Cod. Lugd. *suscipiendum.* 19, 20 *partem*, non male quidem, sed aptior est vulg. scr.

[p] Hæc vv. non minus quam illa c. 1: *bonorum rerum arbitrio* Anianismum sapere Go. affirmat; quod miror a Go. dictum esse, cum veri Cod. Theod. exemplum, id est Lugdunense, in hac scriptura non discrepet a Br. Al. codicibus. Cæterum 10, 12, 13, C 16, 18 *justitia.*

[q] Hinc incipit fol. CXXI codicis Lugd., in superiore parte laceratum. Lacunæ codicis, etsi in h. c. ex Br. Al. supplentur; literis inclinatis a me indicatæ sunt.

[r] 10, 12, 18—20. Sich. Til. *accipiant.*

[s] Restitui hanc scripturam a Go. et Be. prop., sed jam a Sich. Til. editam, auctor. codd. 9 (ubi vero *partes*), 15, 19, 21, qui sæpe cum vero C. Th. faciunt et hic quoque cum eo facere videntur; nam in cod. Lugd. licet hic truncato superest sylr. *tis* (*partis.* Sec. Go. *til* scrib., sed corr. Ri.). Rell. *alienandi q. ejus patres*, impedite. Antecedit enim *tertiam partem oblatam parentes ita accipient.* 20 supr. lin. *partes.* Cæterum 18 *alienandi* et 6, 7, 10, 14, 16—18 *jus* pro *ejus.* In cod. 13 om. *ut... facultatem.* Paulo infra 21 *poterit invenire* et 15 *potit* pro *potuerit.*

[a] 15 *modo omni.*

[b] 21 Sich. *condecet.* 15 *amitti.* 10, 18 *admitti.*

[c] Go. in not. *recipere.*

[d] 6—8, 12, 14, 16, 17. Til. III. 10, 18 IIII. 13, 32, VI. 21, 24, 27, 40, 43, Sich. VIII. 42, VIIII. 51, 35 om. VII. Numerum II, quem Go. annotat non inveni.

[e] Go. in Chron. transferri vult *Mediol.* post *Oct.* 8 om. *Med.*—*Oct.* et 15, 19 *Acc. Non. Oct.*

[f] Nonn. codd. VIII pro *Non.* 21 *Constantinopoli A.* In sqq. codd. om. aut *A.* aut *V.* aut, ut ap. Sich. Til. factum est, *C.*, aut denique *C. Coss.* Scribitur etiam *Liciano* s. *Licynio* pro *Licinio*, et *Viro clarissimo* pro *V. C.*, quod in nonn. codd. habetur pro *C.*

[g] Ita plerique et optimi codd. Edd. *ita pater.*

[h] Sic Cuj. 1—Lugd. *et* pro *aut.*

[i] Multi codd. *Distrahendi tamen ex his aut donandi.* 21 *dominandi* (in m. *alienandi*) et om. *his.* In sqq. codd. plerique *mancipaverit, mancipati, mancipationis.*

[j] 21 in m. add. *si.* 10 *filium mortuum.*

[k] 19, 20, alii codd. Sich. Cuj. 1—Lugd. add. *superius emancipatus.* 21 *filius superius ca.*, sed in m. ut D Sich.

[l] 21, Sich. Cuj. 1—Lugd. *offeret*, sed 21 in m. *offerat*

[m] 21 *aut*, sed in m. *quæ.* 6, 7 *tam.*

[n] Sich. Cuj. 1—Lugd. *potestate.* Mox 20 *nomine.*

[o] Ita multi codd. et Sich. Rell. *poterit.*

[p] 6—9 et multi alii codd. *derelinquere studeat.* Sed vulg. scr. accedit ad ipsam legem.

[q] 20 *aut servitio aut gratia et pietate.*

[r] 19, 20, Sich. Cod. Just. *Vicarium*; 6, 7, 16 *vic.*, imp. Go., quem vid. 10, 15, 18, 44 *virum clarum.* Sich. in m. *V. Clariss.* Nonn. codd. om. *V. C.* Cæterum codd. plerumque *Simacum.*

[s] 20, 33 *diximus*, sed 20 corr. *duximus.*

[t] 10, 18 *quod.* Mox 15 *amissum.*

[u] Cod. Just. *commemoraverit.* Cf. Dirksen l. c. p. 390.

Digitized by Google

anni utilis[a] tempus, sed potius ex eo die[b], quo[c] as seritur commissus dolus, intra continuum tempus[d] anni, eis[e] quibus esse[f] decertandi jus invenitur[g], ejusmodi[h] actionem caussa cognita deferri[i]; ita ut, si forte is[j], contra quem res agitur, longius[k] ullo genere discesserit, nec denuntiandi necessitate[l] petitor onerctur[m], nec ejus, qui aberit[n], præsentia postuletur. Nec tamen assistere[o], si velit[p], quisquam prohibeatur examini, contra quem decernenda intentio hujusmodi fuerit expetita : ita ut, impetrata[q] doli actione, lis ad suum judicem translata intra biennii spatium decidatur, ratione[r] temporis custodita, cum legitime fuerit apud suum judicem cœpta[s], exemplo[t] litium cæterarum. Perpetuo[u] vero silentio[v] conquiescat, nisi ex die, quo impetrata fuerit[x] actio, intra[y] continuum biennium[z], quod sequitur, omnis lis fuerit decisa[aa]. Omnes igitur sciant, neque incipiendæ[bb] post biennium[cc], neque ante completum biennium cœptæ, post biennium[dd] finiendæ doli actionis concessam licentiam[a]. *Data* VIII[b] *Kal. Aug. Naisso*[c], *Constantino A.* V.[d] *et Licinio Cæs.*[e] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Dolus malus est, quoties per aliquam scripturam vel fraudem ea, quæ definita sunt, per scripturæ argumenta mutantur. Vel si quis per chartarum suppositionem aut surreptionem*[f] *aliquam id, quod contra se futurum, ut*[g] *consentire videtur, inducitur*[h], *vel cum his similia*[i] *discutiente judice probantur admissa. Et ideo ille, qui queritur dolose*[j] *fuisse gravatum*[k], *intra biennium suas et*[l] *incipiat et definiat actiones : ultra sibi nec ad inchoandum, nec ad definiendum*[m] *tempus noverit esse concessum. Nam si aut*[n] *illum, qui dolum*[o] *admisisse dicitur, aut illum, qui pertulit, absentem esse contigerit, a tempore, quo apud judicem agere cœperit, biennium ad definiendam actionem sciat sibi esse permissum.*

DE PRIVILEGIIS EORUM QUI IN SACRO PALATIO MILITARUNT.

Imp. Constantinus A. ad Proculum[p] *Proconsulem Africæ.* Si ex memorialibus vel ex palatinis nostris aliquis ad agendas curas rei publicæ vel alterius officii fuerit destinatus, minime ab eo repræsentatio postuletur equorum. Qui autem in palatio obsequia non præbuerunt, sed ex alio hominum genere sunt, equos solemnes pro hujus modi actu[q] repræsentent. *Dat.* VI *Kal. Aug. Constantino A.* IV.[r] *et Licinio Coss.* (319).

DE PŒNIS.

Imp. Constantinus A. ad Festum Præsidem Sardiniæ.

[a] Ita Til. Cod. Just. et omnes codd. præter 19, 20, qui *annum utile* et 15, ubi om. *utilis*. Edd. præter Til. *utile*. Cf. Dirksen l. c.

[b] 33 *ex illo die*.

[c] 9 *quod*. Nonn. codd. *adsertor, adsertur*.

[d] Cod. Just. *intra continuum biennium de dolo actionem moveri : sive abfuerit, sive præsto sit is, qui dolum se passum esse conqueritur*. Tum omm. rell. statim sequuntur. vv. *Omnes igitur sciant*, etc. Cf. Dirksen l. c. p. 391.

[e] Ita 15, quo confirmatur cj. Go., qui legi vult *eis*. 9 *rei*. Rell. et edd. *reis*.

[f] 20, Sich. *est* 33 om. *esse*.

[g] 6, 7, 14, 16—18 *imminetur*. 8 *iminetur*, 10 *imminitur*.

[h] Ita Til. et omnes codd., præter 20, qui *hujus modi*, quod Sich. et Cuj. 1—W. habent.

[i] 33 *causam cognitam defferre*. 20, Sich. *differri*, sed Sich. in m. *deferri*. Cæterum Sich. *differri. Ita* Cuj. 1—Ri[a]. *deferri; ita* Til. W. *def., ita*. Be. *def.: ita*. 10, 18 *def. aut si ut forte*. 20 om. *ut*.

[j] 6—8, 16 add. *qui*.

[k] 20, Sich. *longe*, sed Sich. in m. *longius*.

[l] Multi codd. *necessitatem*.

[m] 19, 20 *petere honoretur*, alii *honeretur*.

[n] 19, 20, Sich. Til. *abierit*. 16 *haberet*. 33 *habuerit*.

[o] 6—8, 10, 14, 16—18, Til. Aur. —Cuj. 2[a] in m. *adsentire*. Cuj. 1 *ascentire*.

[p] 16 *vellet*. 15 *ass. quisq. si velit præsenti*.

[q] 20 *f. appetita aut impr.* Sich. *fuerit. Appetita* (in m. *Expetita*). 9, 19 *exp. aut imp.* 15, 33 om. *ita*.

[r] Sich. Til. *sp. decidatur. Ratione*. 20 *sp. decidatur. Ratio*. 6, 7, 9, 10, 18 *spatia*. 33 *sp. de eo dantur*. 19 *spatio d. rationem custodiat*.

[s] 20 *præcepta*.

[t] 15 add. *vero* 16 *litigium*.

[u] 20, Sich. *cet. perpetuum*, sed Sich. in m. *perpetuo*. 15 om. *vero*.

[v] 33 *silentium*.

[x] 9 *fuerat*.

[y] 19, 20, Sich. om. *intra*.

[z] 19, 20 *cottidiano biennio*. Sich. *quotidiano biennio*, sed in m.: « *continuato* forte legendum est. » 33 *continuo biennio*. Noodt cj. *intra continuum tempus anni*. Sed cf. Glück. l. c. T. V, p. 434.

[aa] 33 *concisa*. Sich. Til. *litis f. d.*

[bb] 7 *excipiendæ*. 33 om. *sciant neque* et mox *ante*.

[cc] 20, Sich. *incipiendam p. b. quod sequitur*.

[dd] Cod. Just. add. *vero*. 20 *finiendi* et om. *cœptæ*. *p. bienn.*; eadem vv. om. ap. Sich. ; 9 *finiendi*. Cæterum 8 *cœpta*. Go. *ceptæ*. Ri. *cœptæ*, errore.

[a] 8, 16, 19 *concessa licentia*. Cod. Just. *esse conc. l.*

[b] 26 XIII. 36 IX. 40 *non*.

[c] Ita plerique codd. et Til. Cæterum codd. habent *Narso*, ut Sich., *Naissio, Naisio, Naiso. Nesio, Nesto, Natesso*. Cuj. 1—Ri[a]. *Nasso*. Cod. Just. *Nesso*. 15 om. *Naisso*. Be. W. *Naissi*.

[d] 33 om. *V.* et *et Lic.*

[e] Nonn. codd. *VV. CC.*, alii *VCC.* 36, 40 *CC. SS.*, alii ut 16, Til. om. *Cæs.* aut *Cæs. Coss.*

[f] 6, 7, 10, 18, alii codd. add. *per*. 9 om. *aut surrept.*

[g] 6, 7, 20, 42, 43 om *ut*, alii, ut 44 habent *ne* pro *ut*.

[h] Nonn. codd., Cuj. 1—Lugd. add. *vet*. Mox 44 *inducit*.

[i] 20 in m. *alit. familia* et *s. que* supra v. *similia*. 43 *addiscutiente*. Sich. *vel quæ cum hiis simil.*

[j] 19, 20, Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. add. *se*.

[k] Cuj. 1. Aur. Lugd. *fraudatum*.

[l] 7, 10, 18 *ac*, sed. 7. corr. *et*.

[m] Sich. in m. *diffindendum*.

[n] 43 *ut*, et om. *Nam si*.

[o] 20 om. *dolum*. Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. add. *malum*. Mox 20 *cont. esse*.

[p] Go. *Procoulum*. mendose. Mox codex *merialibus*, sed corr. *memorialibus*.

[q] Go, cj. *curatoricio*. Cf. c. 2 C. Th. de Equor. coll. (XI, 17). Codex *equosollemnes*.

[r] Go. em. V. (319) propter c. 1 C. Th. de Itin. mun. (XV, 3) eodem anno eidem Proculo Proc. Africæ inscriptam. Adde c. 2 C. Th. de Off. proc. (I, 12). Be. prop. aut *V. et L. Cæs.*, quod ad Go. sententiam redit, aut *Lic.* IV. (315), impr. Go. in Chron. an. 319. Illi cj. obstat, quod hæc c. contra concilium conditorum C. Th. recentior fit sequenti, huic, quod Proculus Proc. Africæ ann. 315 non invenitur. Error sine dubio in mense latet.

Digitized by Google

Quicumque cœrelitionem mereri ex caussis) non A gravibus videbuntur, in urbis Romæ pistrina dedantur. Quod ubi tua sinceritas cœperit observare, omnes sciant eos qui, sicut dictum est, ex levioribus caussis hujusmodi merucrint subire sententiam, ergastulis vel pistrinis esse dedendos, atque ad urbem Romam, id est, ad præfectum annonæ sub idonea prosecutione mittendos. *Dat.* IV. [a] *Kal. Aug. Constantino A.* V. *et Licinio Coss.* (319).

DE CONTRAHENDA EMPTIONE [b].

Imp. Constantinus A. [c] *ad Profuturum Pf. annonæ*[d]. Venditionis [e] atque emptionis fidem, nulla circumscriptionis violentia facta, rumpi minime decet [f]. Nec enim [g] sola pretii vilioris querela contractus [h] sine ulla culpa celebratus litigioso [i] strepitu turbandus [j] B est. *PP. Id.* [k] *Aug. Constantino A.* V. [l] *et Licinio Cæs.* [m] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Cum inter ementem et vendentem* [n] *res fuerit definito pretio comparata* [o], *quamvis plus valeat quam ad præsens venditur* [p], *hoc tantummodo requirendum est, si nihil fraudis vel violentiæ egit* [q] *ille qui comparasse probatur. Et si voluerit revocare* [r] *qui vendidit, nullatenus permittatur.*

[a] Go. in Chron. III, sed annotat: « Alias IIII. »
[b] Cod. Just. add. *et venditione.*
[c] Nonn. codd. et edd. Sich. — Ri [*]. om. *A.*
[d] 20 *Profuturam ppu. anno vind.* etc. 42 *Prof. pres.* et om. *annonæ*, quod v. etiam deest in codd. 29, 36, et in codd. 10, 18, 19, 21, ex inscr. in textum (*Annonæ vend.*) transfertur. 37 om. *Pf. ann.*
[e] Sequentia et in codd. et in edd. Sich. — Lugd. corrupte scripta sunt. Nostram lectionem habent codd. 9, 16, 17, 19, 20 et edd. Cuj. 2—W., nisi quod in his edd. *factam* pro *facta* est et in cod. 20 *factarum* pro *facta*, *rumpi*. Codd. 6 — 8, 10, 14, 16, 18 *V. a. e. idem* (7 *fidem*) *n. circuminscriptionis* (8 *circuminscriptionem*) *violentia* (8, 10, 18 *violentiæ*) *facta.* 21 *Annonæ venditiones atq. emptiones idem n. circuminscriptionis v. factam.* Sich. — Ludg. *Venditiones atque emptiones, id est nulla c. violentia factas*, sed in m. Cuj. 1. Aur. Lugd. ad vv. *id est*, etc. : γρ. *Fide nulla circumscriptionis aut violentiæ facta*, et in m. Cuj. 2, 2* : γρ. *Venditiones atque emptiones fide nulla circumscriptionis aut violentiæ facta.* Go. in comm. prop. *circumscriptione aut violentia.*
[f] 17 *nocet.*
[g] 15 add. *pro.* In cod. 20 post *enim* est lacuna 8 literarum.
[h] 17 *contractu.* 9 *viliores querelæ.*
[i] 8 *litigiosos.* 20 *litigiosus.*
[j] 15 *vexandus.* 16 *turbatus.*
[k] 9, 19, 27, 29, 33, 42 *Dat. Id.* 20 *Dat.* II. *Id.* 28, 40 *Dat. prid. Id.* 39, 44 *Dat.* VI. *id.* 10, 18 *est propterea Idem Augustus.* Sich. *est. Pridie Idus.* Til. *PP. est. Pridie Id.*
[l] Nonn. codd. om. *A.*, alii *V.* aut. *A. V.*
[m] 10, 17, 18, 21, 28, 31, 33, 38 et edd. Sich. — Ri [*]. om. *Cæs.* 9, 29, 42 *Lic. aug. Coss.* 20 *vi L.* IIII. *Coss.*
[n] Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *emptorem et venditorem*; sed in m. *ementem et vendentem.* 6, 7, 9, 20, 39, 43, alii codd. *atque vend.*
[o] 20 *quæ fuerit res definita pr. comparata.* Multi codd. *fuerit res.*
[p] 6, 7 *vendita.*
[q] 9 *agit.* 20 *egerit* et mox *comprobatur.*
[r] Sich. add. *ille.* 6, 7 *vol. rev. rem venditam n. p.*

DE PISTORIBUS ET CATABOLENSIBUS [a].

Imp. Constantinus A. ad Profuturum Pf. annonæ. Cunctis [b] pistoribus intimari oportet, quod, si quis forte possessiones suas ideo putaverit in alios transferendas, ut postea se, rebus in abdito [c] collocatis, minus idoneum asseveret, tamquam in locum ejus alio surrogando, nihil ei hæc astutia, nec detestabilia commenta profutura sunt, sed in obsequio pistrini [d] sine ulla excusatione durabit, nec ad ejus jura revocabuntur, si quas emptiones transcripserit. *PP. Id. Aug. Constantino A.* [e] *et Licinio C. Coss.* (319).

DE EXTRAORDINARIIS SIVE SORDIS MUNERIBUS [f].

Imp. Constantinus A. ad Catulinum Proconsulem [g] *Africæ.* Patrimoniales fundos extraordinariis oneribus B vel mediæ aut tertiæ portionis obsequiis fatigari non convenit, cum eosdem et auri speciem et frumenti plurimum modum constet persolvere; ita ut qui violare statuta tentaverit, puniatur. *PP.* VI *Kal. Sept. Karthagini* [h], *Constantino A.* V. *et Licinio* [i] *Coss.* (319).

AD LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA ET PRIVATA.

Imp. Constantinus A. ad Bassum Pf. U. [j] Si quis ad se fundum vel quodcumque [k] aliud asserit pertinere [l] ac restitutionem sibi competere possessionis putat [m], civiliter super possidendo [n] agat, aut impleta [o] so-

[a] In Cod. Just. om. *et Catabolensibus.* Miror, in tribus Cuj. 2 a me inspectis exemplis v. *Pistoribus* male expressum esse.
[b] Ri. Ri [*]. *Cunctis.* In inscript. h. c. Go. *Constantius* et Ri [*]. *ab Profut.*, mendose. C
[c] 4 *addito*, ab ant. manu corr. *abdito.*
[d] Cuj. 2, 2 * *pristini*, Rein. em. *pistrini.*
[e] 4, Til. *Augusto* estque in cod. 4 post hoc v. lacuna quinque circiter literarum. Recte Go. Be. addi jubent *V.*, qui numerus est in c. 1 cit. Mox Aur. Lugd. *Cons.*
[f] In nonn. Br. Al. codd. ut 14, 24 om. *Muneribus.*
[g] 4 *pu.* Til. Cuj. 1 *P. V.* Aur. Lugd. *p. v.* Cuj. 2 tacite corr. *Proc.* Idem error cod. 4 in Catulini dignitate aderat Cod. Theod. IX, 10, 1; 25, 1. Occurrit eorumdem siglorum confusio in eadem re IX, 39, 3; IX, 40, 19; X, 10, 27 et 28; XI, 7, 1. *Cf.* etiam C. Th. VI, 4, 1 not. u. Cod. Just. *ad Ovinium*, inepte; sed jam Russardus rest. *ad Catulinum* et Cuj. *ad Catulinum P. P. Africæ.* Cæterum 4 et edd. *Catullinum.* Vid. C. Th. II, 1, 1, not. o.
[h] Be. *Karthagine.* Cod. Just. *Carthagine.* Cuj. 1 *Kathagini.* Ap. Go. mend. excidit *Constantino.*
[i] Go. Ri. revocant h. c. ad ann. 315 (*Const. A. IV. et Lic. IV.*), hac de caussa, quia ann. 319 Proculus Africæ Proconsul fuit, non Catulinus. D
[j] Vid. C. Th. c. 1 de Tutor. (III, 17), not. y. 6—9, 12, 14, 16, 27, 32, 43 *po. s. ppo.* 10 *præposito.* 15, 29 *ppm.*
[k] Docum. Aret. l. c. p. 466 *quodlibet*, impr. Wittio. 6 *Si q. ad refundum — asseret.*
[l] 20 *pertinuisse.* Sich. *pert. ac ad rest.*
[m] Be. ex Cod. Just. et ex Sich. add. *aut.* Ego delevi *aut*, neque enim hac particula indigemus, neque ea est in codd.; deest etiam ap. Til. — Ri*. An fuerit *aut* in cod. 4, incertum est, cum h. l. in codice nonnullæ litteræ rasura deletæ sint, et pro his nova manus colon rubro colore posuerit.
[n] 20 *possidendam.*
[o] 10, 18, 20 *impleat.* 15 *agat ut impleta.* 20 *solemnitatis.* Ibi paulo post om. *se.*

Digitized by Google

lemnitate juris crimen violentiæ opponat, non ignarus eam se sententiam subiturum, si crimen objectum non potuerit comprobare, quam reus debet excipere [a]. Quod si omissa interpellatione [b] vim possidenti intulerit, ante omnia violentiæ [c] causam examinari præcipimus [d], et in ea requiri quis [e] ad quem venerit [f] possidentem, ut ei, quem constiterit expulsum [g], amissæ possessionis jura reparentur, eademque protinus restituta [h] violentus [i], pœnæ non immerito destinatus, in totius litis terminum differatur [j], ut, agitato negotio principali [k], si contra eum fuerit judicatum, in insulam deportetur [l], bonis omnibus abrogatis [m]. Quod si pro eo, quem claruerit [n] esse violentum [o] sententia proferetur [p], omnium rerum de quibus litigatum est, media pars penes eum resideat, cætera fisci viribus vindicentur [q]. *PP. prid.* [r] *Non. Oct. Romæ, Constantino A. V. et* [s] *Licinio C.* [t] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Si quis adversarium suum ita apud judicem crediderit accusandum* [u], *ut se asserat violentiam pertulisse, ad probationem rei eum convenit attineri* [v]: *quod si probare non potuerit, quem dixerat violentum, eumdem pœnam suscipiat, quam ille, quem impetit* [x], *convictus potuisset excipere. De reliquo hæc lex prætermittenda* [a] *est, quia* [b] *in quarto libro sub titulo Unde vi* [c], *quæ tamen* [d] *temporibus posterior inventa est* [e], *habetur exposita* [f].

DE DONATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Bassum Pf. U [g]. Juxta [h] divi Pii, consultissimi principis, Instituta [i] valere donationes placet inter liberos et parentes, in quocumque solo et cujuslibet rei liberalitas probabitur exstitisse, licet [j] neque mancipatio dicatur, neque traditio subsecuta, sed nuda tantum voluntas claruerit, quæ non dubium concilium teneat, nec incertum, sed judicium animi tale proferat, ut nulla quæstio voluntatis [k] possit irrepere : et [l], collata inter cæteras exceptas Cinciæ legi personas, obtinere propriam firmitatem, sive mancipationis decursa fuerit solemnitas, vel certe res tradita doceatur. Quam legem ad lites volumus pertinere, quocumque tempore jussionis nostræ inveniuntur esse suspensæ, et quæ post futuræ sunt, ne transacta negotia refricentur. *Dat.* [m] *Non. Oct., Constantino A. V. et Licinio C. Coss.* (319).

DE TUTORIBUS ET CURATORIBUS [n] CREANDIS.

Imp. Constantinus [o] *A. et Cæs.* [p] *ad Bassum Pf.*

[a] 15 *compr. eam quam deberet r. exc.* 21 *accipere.* 13 om. *si crimen... reus.*

[b] Docum. Aret. *appellatione*, impr. Witt. l. c. 10, 18 *obmissa.* 20 *quod amissi i. venerit*, sed em. *vim.*

[c] Cum literis *olentiæ* incip. fol. XXII, cod. 1 sive totius palimpsesti Taur. fol. XXX, quod pergit usque ad vv. *quisquis cum militibus vel* c. 3 C. Th. ad L. Cornel. de Sicar. (IX, 14).

[d] 21 *præcepimus.*

[e] Sec. Go. nonn. interpretes Cod. Just. *quid.* 9 *quis atque* 9.

[f] Cod. Just. *pervenerit*, impr. Go.

[g] Sich. *exclusum.* 21 *amissi.*

[h] In Cod. Just. add. *Si criminalis quæstio agitetur*, superflue sec. Go., qui hujus postremæ sententiæ mentionem fieri addit in c. 14 C. Th. Quorum appell. (XI, 36). 8, 10, 18 *eamdemque p. r.*

[i] 6, 7, 10, 12—14, 17, 18 *violator.* 8, 16 *violatus.* 4 *pœna*, sed em. *pœnæ* rubr. col. 13 *non merito.*

[j] 10, 15, 18, 20 *deferatur*, sed 15 *terminos.* Mox 20 *et* pro *si.*

[k] Fol. 17 [b] cod. 4.

[l] 9 *deputetur.* 20 *insula.*

[m] 9 om. *abrogatis*, 18 *abrogatus.* Seqq. des. in Cod. Just.

[n] 9 *claruerint.* Ri. *claruerit*, err.

[o] 6—8, 12, 14, 17 *violatum.*

[p] 1, 7, 9, 16, 20 *proferatur.* 6, 14 *proferitur.* 10 *profertur.* Mox Aur. Lugd. *litigarum*, err.

[q] 10, 16, 18 *vindicetur.*

[r] Aut hic, om. v. *prid.*, scrib. *Dat. Non.*, aut rep. in c. 4 C. Th. de Donatt. *PP. prid. Non.*, ut utraque lex in eumdem diem incidat. Vid. c. 4 cit., not. *rr.* Malo *PP. prid. Non.* scrib. in c. 4 cit. propter codd. fere omnium in h. c. consensum. Tres tantum codd.. 30, 33 et 34 om. *Prid.* 31, 43 III. pro *prid.* 20 *Data* pro *PP.*

[s] 40 om. *Romæ*, 8 *Const.*— *et*, et 33 *A. V.* Nonn. codd. *Lycinio.*

[t] *C.* deest in multis codd. et in Cod. Just. 20 *uc. coss.* 38 *vic. Coss.* Aur. Lugd. *Cons.*

[u] 20 *accusandam*, sed corr.

[v] Sich. Cuj. 1—Lugd. *teneri.*

[x] Nonn. codd. *impetivit aut impetiit.* Sich. *convictum potuisse excipere.*

[a] 6—8, alii *prætermissa.*

[b] Go. *qui*, err.

[c] Vid. C. Th. h. t. c. 2. Unde vi (IV, 22), not *d.* Nonn. codd. *de Vi.* 44 VI *de Vi.* 20 om. *Unde.*

[d] Sich. om. *tamen.*

[e] Sich. *posterioribus est, inventa hab.* 20, 21 *est inventa.*

[f] Go. ann. : « Est qui tentat, *explosa.* »

[g] Be. ex Go. ann.: « Quum notitia Pff. U. Bassum ad Cal. tantum Sept. Pf. urb. functum testetur, hæc lex Non. Oct. data sit, alterutro loco mendum hærere oportet. » Sed. vid. c. 1 C. Th. de Tutor., (III, 17, not. *y.*

[h] Bucch. l. c. p. 200, Hollw. l. c. p. 72, not. 9 hanc legem significari putant in Vat. fr. § 249, vv. : *nuper exceptis personis dicta lex est*, sed tamen cum subscr. in § 249 a Malo restituta aperte falsa sit et potius reponendi consules anni 316 (vid. c. 1 h. t.), vv. illa pertineant necesse est ad legem aliquam incognitam.

[i] Hæc D. Pii instituta non habentur in fontibus. Vid. Wenck. Opp. p. 189, not. *. Cf. Vat. fr. § 314 et Hasse, Rhein. Museum f. Jurispr. I, 220.

[j] Hinc. incipit fol. CXIV codicis.

[k] Aur. Lugd. om. *voluntatis.*

[l] Go. em. *at.* Marcilius ad tit. Inst. de Donat. p. 224 cj. *et collatis inter cæteras... firmitatem sicut mancipationis*, etc., quæ quid sibi velint, nescire se Go. confitetur. Racconerus (sic Go.; Ri. *Racconetus*) legebat *inter exceptas Cincia lege personas.* Cæterum Marcilii verba ab antiqua manu adscripta sunt in m. editionis Cuj. 2*, qua utor.

[m] Aut hic scrib. *PP. prid Non.* pro *Dat. Non.* aut in C. 3 C. Th. ad L. Jul. de Vi publ. cit. *Dat. Non.* Vid. c. 3 cit., not. *r.*

[n] Rubrica exc. in cod. 38, neque vero mutatis numeris titulorum sqq. 24, 44 *Procuratoribus.* 12, 25, 26, 33, 40 om. *Creandis.* Cod. Just. (V, 33) *de tut. vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum.*

[o] Sich. Cuj. 1 — Be. *Constant.*

[p] Cod. Just. add. *et Constantin.* In c. 2 Cod. Just. Si ex plurib. tutt. (V, 40) petita ex c. 1 C. Th. de Denunt. (II, 4) atque eodem anno data add. *Licinius.* Quare W. dubitat quis Cæsar intelligendus sit, *Crispusne* an *Constantinus jun.*, an denique *Licinius.* Go.

Digitized by Google

P.[a] In universis litibus[b] placet non prius puberem jus- A tum habere personam, nisi interposito decreto aut administrandi patrimonii gratia aut ad[c] litem fuerit curator datus; ut[d] justa præcedentia nostræ provisionis[e] statuta legitime initiatæ[f] litis agitatæ[g] in judiciis controversiæ finiantur[h]. *Dat.* IV.[i] *Id. Octob. Aquileiæ, Constantino* I *A.* V. *et Licinio Cæs.*[k] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Si pupillis actio inferatur, quamvis adulti videantur, ad litem venire non possunt, nisi forte ætas eorum curiæ testificatione firmetur, aut certe provisus curator patrimonium*[l] *pupilli vel negotium tueatur.*

DE SPONSALIBUS.

Imp. Constantinus. A. ad Maximum Pf. U.[m] Cum veterum sententia displiceat, quæ donationes in sponsam nuptiis quoque non secutis decrevit valere[n], ea, quæ largiendi animo inter sponsos et sponsas[o] jure celebrantur, redigi ad hujusmodi conditiones jubemus, ut[p], sive in potestate patris[a] degere, sive ullo modo proprii[b] videantur esse juris, et[c] tanquam futuri caussa matrimonii[d] aliquid sibi ipsi vel[e] consensu parentum mutuo largiantur, siquidem sponte vir sortiri noluerit uxorem[f], id, quod[g] ab eo donatum[h] fuerit, nec repetatur traditum, et si quid apud[i] donatorem resediti, ad sponsam[k] summotis[l] ambagibus transferatur. § 1. Quod si matrimonii[m] non[n] contrahendi caussa ab sponsa[o], vel in cujus agit potestate, detegatur extitisse[p], tunc sponso ejusque hæredibus sine aliqua deminutione[q] redhibeatur[r]. § 2. Quæ similiter observari oportet, et si ex parte sponsæ in sponsum[s] donatio facta sit[t]; nullis caussis ulterius requirendis, ne forte mores[u] aut origo dicatur, vel quicquam aliud opponatur, quod sibi quisquam[v] non convenire B existimat[x], cum longe ante, quam sponsalia contrahantur[y], hæc cuncta prospici[z] debuerint. Sola igitur indagetur[aa] voluntas, et mutata[bb] animi sententia ad restitutionem seu repetitionem[cc] rerum donatarum

Crispum intelligi vult. Vid. Reland. p. 303, 8 om. *et Cæs*, 15 *et Cæs. ad.* 33 *et Constpli.*

[a] 15 *Basso.* 33, 34 *Pf. urbis Romæ.* Cod. Just. *Præfectum urbi*, improbb. Go., Corsinio p. 173 et W. cum Maximus jam a Kal. Sept. h. anni Basso in præfectura urbana successerit. Mihi probatur *Pf. U.*, propter totius tituli argumentum, quod ad præf. urb. jurisdictionem pertinet. Videtur ergo Basso urbana præfectura usque ad mensem Octobr. h. a. prorogata esse, præsertim cum leges ad Maximum Pf. U. datæ demum inde a XVII. *kal. Nov.* h. a. reperiantur (cf. c. 2 C. Th. de Spons. III, 5, et non obstet c. 1 C. Th. de Maleficis IX, 16, cujus subscriptio aperte falsa est). Vid c. 4 C. Th. de Donatt. (VIII, 12), c. 3 C. Th. ad L. Jul. de Vi (IX, 10) et Corsinium l. c. p. 174. Confirmatur hæc cj. codd. 33, 34, quorum scriptura *Pf. urbis Romæ* alias non facile potest explicari. Sed nihil mutavi, propter cæteros codd., qui fere omnes habent *ppo.* 40 om. *Pf.* P.

[b] 10, 18 om. *litibus* et paulo post 15 *puberem.*

[c] Cod. Just. *in litem.*

[d] 6—8, 10, 12, 13, 16—18, Til. *aut*, qua scriptura sententia legis mutatur. 21, Sich. om. *ut.*

[e] Cod. Just. *pietatis.* 15 *pr. decreta.* 16 *prov. et.* 9 *statute.*

[f] 6—8, 10, 12, 13, 17 *initiator.* 14 *initiatur.* Ri*. *curator, ut... statuta datus: leg. init.* Cæterum 6, 7 *legitimæ.*

[g] 19 *Nostræ serenitatis statuta leg. initia lit. agitatæ.*

[h] 15, Cod. Just. *agitata... controversia finiatur.* 21 *firmantur*, sed in m. *finiantur.*

[i] 10, 18 *Dat. id.* IV. *O. Aquileia.* 15, 28, 34, 36, 40, Sich. in m. Cod. Just. III. Go. not. *c* et *l* alium mensem poni vult cum propter rationem not. *x* expositam, tum quia Constantinus hoc mense Aquileiæ non constiterit. Sed obstant codd.

[j] 32 *Constantio.* 21 *Const. A.* II. Nonn. codd. om. A.

[k] 30 om. *et Lic. Cæs.* Multi codd. Sich. — Lugd. *et* Cod. Just. om. *Cæs.*

[l] Ita codd. et edd. Sich. Cuj. 1 — Cuj. 2*; Go. Ri. Ri*. *patrimoniorum*, impr. Iti.

[m] Nonn. codd. *Maximo ppo.* 10 *publium.* 28 *Maximum ppo.* 8 om. *Pf. U.* Edd. *Præfectum V. s. U.* Cod. Just. *Præfectum Urbi.*

[n] W. ad h, l, conferri vult Vat. Fr. § 262 et l. 1, v 1 D. de Donatt. (XXXIX, 5).

[o] 20 *in sponsas n.* Multi codd. et Til. *nubtiis* et *infra nubtiæ.* quam scripturam etiam in aliis locis retinent. Mox 20 *animus*, sed supr. lin. *animo.*

[p] Nonn. codd. *eam, quæ — ejusmodi c. i., ut.* Cod. Just. h. l. add. *sive affinitatis coeundæ caussa sive non ita, vel*, quæ vv. W. in annot. *c.* ad h. l. ex Vat. Fr. l. c. repetita esse censet, fuse de hac re disputans.

[a] Be. *paris*, err. typ. 14 *p. redigere.*

[b] 6, 7, 14 *propriis.*

[c] Cod. Just. *degentes, vel ullo modo proprii juris constituti, tanquam*, etc. 15 *esse videantur juris.* 20 *juris esse.*

[d] 6-8, 12, 14, 16, 17, Til. in m. *mancipii.*

[e] 9 om. *vel.* 20 *quid sibi*, sed int. lin. *aliquid.*

[f] 19 *noluerit sortire ux.* 20 *nol. sort. ux.* Cod. Just. *siquidem sponsus, vel parentes ejus sortiri filium noluerint uxorem.* 15 *si quid vir sponte.* Rell. codd. *sponso* pro *sponte* et 6—8, 10, 14, 16, 18 *uxore.*

[g] 9 add. *amplius.*

[h] 6—8, 10, 14, 18, 21, Sich. — Lugd. *datum.*

[i] 16 om. *apud.*

[j] 10, 18 *ne.* Mox nonn. codd. *residet.*

[k] Cod. Just. add. *et hæredes ejus.*

[l] 6 *submortis.* 20 *remotis.* 8 om. *summ. amb.*

[m] 20 *matrimoninm.*

[n] 10, 18 om. *non.*

[o] 6, 7, 12, 14, 17, 20 *tradendi c. ad sponsam*, sed 20 intr. lin. *ab sponso.* 15, 19 *ab sponso.* 10, 18 *ad sponsam.* 8, 16 *trahendi ad sponsam.*

[p] Plerique codd. *potestatem d, e.*, quod non spernendum est. 20 *detegitur.* 16 om. *in* post *vel.* Cod. Just. *Quodsi sponsa, vel is, in cujus agit potestate, causam non contrahendi matrimonii præbuerit: tunc sponso.* Mox 15 *tunc sponsæ.*

[q] 12 *imminutione.* 20 Sich. Cuj. 1 — Ri*. Cod. Just. *diminutione.* Cod. Just. add. *per conditionem, aut per utilem actionem in rem.*

[r] 9 *redebantur.* 12 *redebebantur.* 16 *redebeantur.* 19 *reddantur.* 20 *reddebuntur.* Rell. codd. *redibeantur.* Edd. ante W. et Cod. Just. *redhibeantur.* W. ex Be. cj. D em. *redhibeatur.*

[s] Nonn. codd. *in sponso*, quod defendi potest. 19, 20 *oportet* (om. *et*) *si ex p. s. ejus sponso.*

[t] Hic desinit c. 15 Cod. Just, omissis reliquis, quæ etiam interpres dicit *sequentibus legibus vacuari.*

[u] 20 *requirendis ne f. mortis.* Mox 15 *dicantur.*

[v] 10, 18 *quidquam.* 12 *quod si q.* 21 *sibi quod.* Sich. *quo sibi ea non.* 8 om. *aliud... quisquam.*

[x] Multi codd. *estimat.* 15 *existimet.* 21, Sich. *extimat.*

[y] 6—8, 14, 16, 17 *contradantur.* 20 *trahantur.*

[z] Sich. — Lugd. *perspici.* 9 *prosp. debuerant.*

[aa] Nonn, codd. *indigetur.* 9 *inde agitur.*

[bb] Ita 6—8, 10, 12, 14, 16—21, Sich. — Lugd., sed 20 intr. lin. *immutata*, ut in reliquis codd. et in edd. scriptum est.

[cc] 20 intr. lin. *reparationem*, qui etiam *scintillam*,

Digitized by Google

sufficiat, cum universis cautionibus [a] pulsis, nihil amplius [b] constare debeat, nisi ut appareat, qui sibi contrahendum [c] matrimonium dixerit displicere. § 3. Et quoniam [d] fieri potest, ut moriatur alter adhuc incolumi voluntate prius, quam nuptiæ contrahantur [e], congruum duximus [f], eo [g], in quem fuerat facta donatio, ante matrimonii diem functo [h], quæ sponsaliorum titulo vel data vel ullo [i] genere donata sunt, ad eum, qui donaverat, revocari: eo etiam [j], qui donaverat, ante nuptias mortuo, mox infirmari donationem, et ad ejus hæredes sine aliqua difficultate retrahi [k] res donatas. § 4. Quod beneficium usque ad personam patris aut [l] matris, filiorum etiam, si qui de [m] priore matrimonio fuerint [n], stare decernimus, si quocumque modo ex his persona [o] aliqua defuncto successerit. Quod si ex his nulla persona defuncti hæres habetur [p], sed ex reliquis gradibus quisquam succedat, donationes convenit [q] etiam non insecutis ex caussa mortis nuptiis convalescere, quoniam illis tantum personis credimus [r] consulendum. *Dat.* XVII. [s] *Kal. Novemb. Prop.* VI. [t] *Kalend. Stass.* [u] *Roma* [v], *Constantino A.* V. [x] *et Licinio Cæs.* [y] *Coss.* (319).

14 om. *seu rep.* Mox 19 *sufficit.* Cæterum Sich. *donaturum*, mendose.

[a] Ita 6, 7, 10, 12, 14, 16—20, Til. Aur. Lugd., sed Til. in m. *causationibus*, quod in reli. codd. et edd. est.

[b] 12 om. *nihil amplius.*

[c] 6—8, 10, 14, 16, 18 *quid sibi contradendum.* 15 *quis.*

[d] Nonn. codd. *quod* et mox *incolumis.*

[e] 6—8, 14, 16, 17 *contradantur.*

[f] 9 *diximus.* 14 *duxerimus.*

[g] 10, 18 om. *eo.* 6—8, 14, 20 *eum.* 9 *et in.*

[h] 10 *ante matrimonium d. f.* 15 *ante matrimonium die f.* 18 *aut matrimonium d. f.* 20 *defuncto*, An: *ante matrimonium defuncto?*

[i] 6, 7, 10, 14, 18, 21, Sich. Til. *vel uno g.*

[j] 20 *eum etiam, cui donata sunt ad eum q. d. mortuo ante nupt.*

[k] 6—8, 10, 12, 16—18, Til. — Ri. *detrahi.* 14 *detraheris don.* 20 *detrahere.* Go. cj. *retrahi*, quod codd. 9, 15, 19, 21 et Sich. tuentur.

[l] Plerique codd. et Til. *aut.* Rell. *ac.* Cæterum 6, 7, 10 *persona.*

[m] 10, 18 *si quis.* 20 *etiam ejus si qui de.* 21, Sich. Lugd. *si quidem e pr.*

[n] 9 *proprio m. fuerunt.*

[o] 20 intr. lin. *personis.* Mox nonn. codd. *defuncti*, alii om. *si* post *quod.*

[p] Ita 6—8, 10, 12, 14, 16—18, 20 *habeatur*; sed editiones *erit*, quod 9, 15, 19 21 habent.

[q] 15 *conveniet.* 21 *donationis.*

[r] 9 *credidimus.*

[s] om. XVII. 12, 24 XV. 29 VII. 20, 30, 33, 34, Anianus optimæ notæ ap. Go. et Cod. Just. XVI., sed Hal. XVII. 31 VIII. 44 XVIII.

[t] 8, 12, X. Cod. Just. Sich. in m. *PP.* pro *Prop.*

[u] Ita plerique codd., in quo siglo fortasse vitium subscriptionis, quam edd. proferunt, latet, cum lex prius *proponi* non posset, quam *data* esset. Be. et W. invertenda mensium nomina esse censent: *Data* VI. *Kal. Sept. Prop.* XVII. *Kal. Nov.* 10, 18 *supradictas.* Edd. et Cod. Just. *Septembres.*

[v] Codd. *Roma* aut *Rom.*, sed edd. et Cod. Just. *Romæ.*

[x] 32 XV. 43 X.

[y] 6, 7, 9, 14, 21, Sich. Til. *VC. Coss.* 24, 29 *L VCC.* 19 *Linio aug. Coss.* Cæterum om. *Nov.—Kal.*

INTERPRETATIO. *Quoties inter sponsos et sponsas de futuris nuptiis specialiter fuerit definitum, et donationem sponsalitiæ largitatis vir in sponsam suam aut ex consensu parentum, aut ipse, si sui juris est, propria voluntate conscripserit et omni eam* [a] *scripturarum solemnitate firmaverit* [b], *ita ut et* [c] *gesta legitime facta doceantur, et introductio locorum vel rerum traditio subsequatur: quicquid tali et tam* [d] *solemni donatione ad jus* [e] *dominiumque sponsæ transierit, si vir postea* [f] *sponte eam, quam* [g] *despectus* [h] *est, factis supra scriptis solemnibus chartis, accipere noluerit uxorem, omnia quæ sunt* [i] *tradita, non reposcat* [j]. *Et si quid de nominatis tam solemniter rebus et traditis apud se habere dignoscitur* [k], *ad sponsæ dominium, quam accipere noluit, sine dilatione aliqua transferatur* [l]. *Reliquum legis istius* [m] *opus* [n] *non fuit explanare, quia sequentibus* [o] *legibus vacuatur.*

DE EPISCOPIS [p].

Imp. Constantinus A. [q] *Octaviano* [r] *Correctori Lucaniæ* [s] *et Brittiorum.* [t] Qui divino [u] cultui ministeria religionis impendunt, i. l. est hi qui clerici appellantur, ab [v] omnibus omnino muneribus excusentur [x], ne sacrilego livore quorumdam a [y] divinis obsequiis avocentur [z].

in codd. 9, 33, 42; *Prop.* — *SStas* in codd. 19, 20, 24; *kal. SStas*— *Coss.* in cod. 28; *Romæ* in codd. 16, 31, 32, 44; *V.* in codd. 8, 10, 18, 40; *Cæs.* in codd. 8, 15, 10, 30, 31, 33, 38, 40 et in Cod. Just.

[a] Nonn. codd. *omnia ea.*

[b] 29 *script. firmitate solempniter adstrixerit.* Aur. Lugd. *scripturam.*

[c] 6 *aut et.* 20 om. *et.*

[d] Nonn. codd. *etiam.* Mox 42 om. *don.* et *que.*

[e] 21 in m. *ejus.*

[f] 6—9, 20, 42—44 et multi alii om. *postea*, quod etiam abesse potest. In cod. 21 add. a sec manu.

[g] 20 *de qua.*

[h] Nonn. codd. *despectus, depictus.* Sich. *depactus* et *subscriptis*, sed in m. *suprascr.*

[i] 20 *cartas.* Nonn. codd. *sint.* 42 *prædita*, sed corr. *tradita.*

[j] 6, 7 *tr. reposcuntur.*

[k] 42 *noscetur*, sed corr. *dinoscitur.* Aur. Lugd. *dinocitur.*

[l] Sich. *conferatur.*

[m] Multi codd. *istius legis.*

[n] 6, 7 et alii codd., Sich. Cuj. 1 — Lugd. *necessarium.* Mox multi codd. *explanari.*

[o] 8 *inferioribus.*

[p] In codd. 50, 51 add. in marg. *A muneribus abstinendum clericis.* Ubi repetitur h. c., ita scriptum est: *iteratur hæc sententia.*

[q] Br. Al. codd. *Imp. Constantinus* s. *Constant.* s. *Const.*, ut Sich.; 50, 51, *Imp. Constantinus aaa.*

[r] Cuj. 2 — Ri*. *Octavio*, improb. Go., qui in not. vult rep. ex prioribus editionibus *Octaviano.* 4 *correctore.* Nonn. codd. *ad Octavianum Correctorem.* 28, 42 om. *Corr. Lucaniæ et Brittiorum.*

[s] 11 *luciane.* 16 *Licaniæ.*

[t] Multi codd. *Brutiorum*, ut Sich. 20 *ributorum* pro *et Britt.*; in aliis om. *et Brittiorum.*

[u] 4 *diunio* (sec. man. em. *divino*). 6, 7 *divini.* 8 *divini cultus.* 26 *Si qui divini cultum ministeria legionis — hic qui.*

[v] 25 om. *ab.* 20 *omino* pro *omnino.*

[x] 15 *excusantur nec.* 26, 50, 51 *excusantur.* Go. recte negat *ne* in *nec* mutandum esse.

[y] Ri. om. *a* et 12 *a divinis.*

[z] 20, Sich. *avocentur obsequiis.* 11 *sacrilegio — evocentur.*

Digitized by Google

Dat. XII. [a] *Kal. Nov.* [b] *Constantino A.* V. *et Licinio C. Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Lex hæc speciali* [c] *ordinatione præcipit* [d], *ut de clericis non exactores, non allectos* [e] *facere quicumque sacrilega ordinatione præsumat, quos liberos ab omni munere, id est ab omni officio omnique servitio jubet ecclesiæ deservire* [f].

DE OFFICIO RECTORIS PROVINCIÆ.

Imp. Constantinus A. ad Felicem Præsidem Corsicæ [g]. Cum sex menses transcurrerint, breves omnium negotiorum ab officio tuo descripti commeent ad scrinia eminentissimæ præfecturæ, ut his recensitis [h] et ad scrinia nostra perlatis pandatur, quis judicum et in quibus discingendis causis fidelem operam præstiterit [i], quo vel dignus præmium mereatur, vel negligens [j] coercitionem incurrat: adeundi [k] tuum judicium de negligentia vel avaritia [l] tui officii data provincialibus facultate. De [m] eo sane, qui pretio depravatus aut gratia perperam judicaverit, ei vindicta, quem læserit [n] non solum existimationis dispendiis [o], sed etiam litis discrimine [p], præbeatur. *Dat.* IX. [q] *Kal. Nov. Sirmio* [r], *Constantino A.* V. *et Licinio Cæs.* [s] *Coss.* (319).

DE TEMPORUM CURSU.

Imp. Constantinus A. ad Felicem Præsidem Corsicæ [t]. *Post alia:* Si petitores probaverint, interpellantes [u] sæpius esse dilatos [v] atque ita lapsum temporis incurrisse per negligentiam [a] atque desidiam, gravitate tua [b] audientiam [c] differente [d], indemnitas petitorum pro modo litis [e], quæ in altercationem [f] fuerit adducta [g], de tuis facultatibus [h] sarciatur [i]. *Dat.* IX [j] *Kal. Novemb. Sirmio* [k], *Constantino Aug.* V. [l] *et Licinio* [m] *Cæs.* [n] *Coss.* [o] (319).

DE POSTULANDO.

Imp. Constantinus A. Antioch. Pf. Vigilum. Jussione subversa, qua certus advocatorum numerus singulis tribunalibus præfinitus est, omnes licentiam habeant, ut quisque ad hujus industriæ laudem, in quo voluerit [p] auditorio, pro ingenii sui virtute nitatur. *Dat. Kal. Nov. Serdicæ, Constantino A.* V. *et Licinio Cæs. Coss.* (319).

Imp. Constantinus A. ad Antiochum Pf. Vigilum. Destituuntur negotia et temporibus suis excidunt, dum advocati per multa officia et diversa secretaria rapiuntur; ideoque censuimus, ne hi, qui semel protestati fuerint, quod apud te caussas acturi sunt, apud alium judicem agendi habeant potestatem [q]. *PP. Kal. Serdicæ, Constantino et Licinio Cæs. Coss.* (319).

DE EXACTIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Pacatianum Vicarium Britanniarum [r]. Unusquisque decurio pro ea portione [s] conveniatur, in qua vel ipse vel colonus vel tributarius ejus convenitur et colligit; neque omnino pro alio decurione vel territorio conveniatur. Id enim prohibitum esse manifestum est et observandum deinceps, quo juxta hanc nostram provisionem nullus pro alio pa-

[a] 8, 16 om. XII.
[b] 28, 36, 40, L. R. U. *Dec.* 34 om. *Nov.* 8, 50, 51 om. *Constantino*..... *Coss.* In aliis codd. om. *A.* et *V.* aut *C. Coss.* aut *C.*, ut apud Sich. 12 *Constantinopl. Constantino.* 32 *Constantinopoli A. V.* 43 *Constantino A. vel Licinio.* 15 *nobres iisdem augustis consul.*
[c] 8 *specialiter.*
[d] Multi codd. Aur. Lugd. *præcepit.*
[e] Multi codd. Sich. — Lugd. Lab. *nec exactores nec* (Aur. Lugd. om. *nec*) *adlectos.* Alii codd. *allictos, allectus* et mox *quemcumque.*
[f] 20 *servire.*
[g] Cod. Just. om. *Præs. Coss.*
[h] 5 *Recensetis.*
[i] 5 Et edd. *præstitit* pro *præstitit* i. e. *præstiterit.*
[j] Ita 5, Ba. Pu.; Cl. W. add. *in*, perperam.
[k] 5 *adeundis.*
[l] 5 *Asaria.*
[m] H. l. inc. c. 2 Cod. Just. cit., ubi om. *sane.*
[n] 5 *Judicaverint ei v. q. leserint.*
[o] Cod. Just. *æstimationis* (Hal. G. *existimationis*) *dispendii.*
[p] Cod. Just. *discriminis.* Eadem sententia inest in cod. 5 lectione, si distinguitur, ut nos fecimus. Edd. *q. læserit. non..... discrimine præbeatur.*
[q] Cod. Just. VIII., sed leg. VIIII.
[r] Ita 5 sec. apographum meum. Cl. Pu. W. *Sirmii.* Cod Just. *Constantinopoli* perperam.
[s] 5 *Constantino a.* IIII. *et Licinio* IIII. *cæs. consuli*, qui consules incidunt in a. 315, qua re hæc c. antiquior fit antecedente, quod ferri non potest. Præterea illo a. non *Licinius Cæs.* (de quo Go. in chron. ad a. 317), sed *Licinius A.* consul fuit cum Constantino. Itaque Cl. recte ed. *Constantino A.* V. *et Licinio* (IV.) *C. Coss.* Pu. W. om. IV. post *Lic.* qua cum em congruunt c. 2 Cod. Just. et c. 2 C. Th. de Temp. cursu ciu.
[t] 8 *Cursie.* 25 *Tusciæ.* Nonn. codd. om. *Corsicæ*, alii *Post alia* aut *C. Post alia.*
[u] 15 *se interpellantes.* Sich. *interpellatos se.*
[v] 21 *delatos.*

[a] 10—18 om. *atque*.....*negl.*
[b] Ita 8, 1*a*, 14 15, 17—19, R., quo accedunt sec. Ri. cod. 6 et nonn. codd. ap. Go. 16 *gravitati tuæ.* 9 *desidia gravitate tua.* 7, 20, 21 et edd. *gravitatis tuæ.*
[c] 14 *audientia.*
[d] Ita 6, 7, 9, 10, 14—16, 18, 19 *differente.* 8, 17, 20, 21 *differentem.* Edd. *differentis.*
[e] 20 *lites.*
[f] 6—8, 10, 14, 16—20, 21, Til. *altercatione.*
[g] 8 *addicta.* 19 *fuerint deducta.* 20, 21 *fuerint addictæ.*
[h] 9 add. *detur post fac.* 17 *fac faciendum.*
[i] 8, 10, 14—16 et codd. ap. Go. *sarcietur.* 19 *sarcientur.*
[j] Ita 6 sec. Ri., 8, 10, 14—19, 29, 42, R. Til. et c. 3 C. Th. de Off. rect. prov. cit. 6, 7, 9, 20, 21, 26, 28, 33, 40, 41, Sich. Cuj. 1—W. IV. 24, 27, 30, 31, 35, 38, 44. codd. omnes sec. Go. et in m. Cuj. 1—Cuj. 2 [*] VIII. 36 om. IX.
[k] Sich. in m. *Non Jul. Firmio*, ut 40. Nonn. codd. sec. Go. *Decembr.* Plerique codd. et edd. Sich. Til.—Ri [*]. *Sirmio.* Nonnulli *Sermio, Syrmio.* 30, 33 *Remedio.* 38 *Sironio.* Rell. *Sirmii.*
[l] Multi codd om. *V.*
[m] 8, 26 *Liciniano.* 38 *Linio.*
[n] 24, 30, 33 *V. C.* Multi codd., Sich.—Lugd. om. *Cæs.*
[o] 15 add. *Expl. n. indiget.*
[p] 1 *quæ certa.* | —*omne.* | —*vol.* | *erit.* Literas in fine versuum abscissas P. restituit. Mox 1 *ingeniis virtute.*
[q] 1 *sui.* | —*secretaria ra..* | *untur*—*ap..* | —*potest.* *tem*, literæ absissæ a P. restitutæ sunt.
[r] 4 *Britaniarum.*
[s] Herald. Quæst. quot. I, 9, num. 4, Rein. em. *possessione*, impr. Go.

Digitized by Google

tiatur injuriam. *Dat.* XII. *Kal. Dec. Constantino A.* [a] *et Licinio C. Coss.* (319).

DE ABOLITIONIBUS [b].

Imp. Constantinus A. ad Januarium Pf. U. [c] Si post strepitum accusationis exortæ [d] abolitio postuletur, caussa [e] novæ miserationis debet inquiri, ut, si citra depectionem [f] id fiat, postulata humanitas præbeatur; sin [g] aliquid suspicionis [h] exstiterit, quod [i] manifestus reus depectione [j] celebrata legibus subtrahatur, redemptæ miserationis vox minime admittatur [k], sed adversus nocentem reum, inquisitione facta, pœna competens exseratur [l]. *Dat.* VI. [m] *Kal. Dec. Serdica* [n], *Constantino A.* V. [o] *et Licinio C.* [p] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Si quem pœnituerit accusare criminaliter et inscriptionem fecisse de eo, quod probare non potuerit* [q], *si ei cum accusato innocente convenerit, invicem se absolvant. Si vero judex eum, qui accusatus* [a] *est, criminosum esse cognovit, et inter reum* [b] *et accusatorem per corruptionem* [c] *de absolutione reatus convenerit, is qui reus probatur, remoto colludio, pœnam excipiat* [d] *legibus constitutam.*

DE PETITIONIBUS.

Imp. Constantinus A. [e] *ad Populum.* Comprimatur unum [f] maximum humanæ vitæ malum, delatorum exsecranda [g] pernicies, ut inter primos conatus in ipsis faucibus stranguletur, et amputata radicitus invidiæ lingua vellatur [h], ita ut judices nec calumniam nec vocem [i] prorsus deferentis admittant; sed si quis delator exstiterit, capitali sententiæ [k] subjugetur. *Dat. et PP. in foro* [l] *Trajani* [m] *Kal. Dec., Constantino A.* V. *et Licinio C. Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Delatores dicuntur, qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetierint* [n] *alienum. Quicumque delator cujuslibet rei* [o] *exstiterit, in ipso proditionis initio* [p] *a judice loci correptus continuo stranguletur, et ei* [q] *incisa radicitus lingua tollatur, ut*

[a] Be. de cj. Co. in ann. add. *V.*, recte. Mox Go.—Ri [*]. *Cons.*

[b] In Br. Al. codd. ex titulorum explanatione add. *abolicio est oblivio objecti criminis*, sed notandum est, in nonn. codd. excidisse v. *oblivio*, aut partim mutatam esse hanc clausulam, de qua disseram in ed. Br. Al.

[c] Go. in Chron., probb. Corsinio l. c. p. 175 et Be., quia Maximus h. t. *Pf. U.* erat, non Januarinus, pro *Pf. U.* scribendum esse putat *PPf.* (i. e. Propræf. urb.) s. *Vicar.* u. propter c. 3 C. Th. de Famosis lib. (IX, 34) sequenti anno datam et inscriptam *ad Januarinum agentem vicariam præfecturam.* Contra in not. h. c. et c. 2 C. Th. de Accus. (IX, 1), quæ iisdem coss. atque h. c. data est, Go. Januarium Proconsulem Achaiæ fuisse contendit, quia dicta c. 2 Corinthi accepta esse dicitur. Multi codd. *ppo* s. *ppm*, ut *L.* (?) ap. Be. Reposui ex 4, Til. — Cuj. 2* *Januarinum*; rell. *Januarium*. Vid. C. Th. IX, 1, 2, not. *x*, IX, 21, 2, not, *y*, IX, 34, 3, not. *u*. 26 *Gennarium*. Memorabile est, ejusdem Januarini neque in c. 2 C. Th. de falsa mon. (IX, 21) dignitatem commemorari. Fol. 49 [b] cod. 4.

[d] 15 *exsorte.*

[e] 6, 7, 10, 18, 25 *caussam.*

[f] 20 *secreta despectione.* 25 *depactione.* Sich. *depactionem.* Vid. C. Th. II, 10, 4, not. *f.* Cod. Just. *deceptionem*, sed Cuj. Obs. II, 15 vult *depectionem.*

[g] 10, 18 *in* et mox *manifestos reos.* In cod. 20 om. *sin....subtrahatur.*

[h] 13 *suspectionis.*

[i] 8, 15, Sich. *quo.*

[j] 15 *pactione.* 25, Sich. *depactione.*

[k] 25 om. *redemptæ.....admittatur.*

[l] 20 *exequatur.* In Cod. Just. h. c. ita mutata est: *Abolitio præsentibus partibus causa cognita non a principe, sed a competenti judice postulari debet: id est, si per errorem seu temeritatem, seu calorem ad accusationem prosiluerit: hoc enim accusator explanans, abolitioni locum faciet. Sin autem per deceptionem, vel pecuniis a reo corruptus ad postulandam abolitionem venit: redemptæ—competens ingeratur. Hi autem, qui suam suorumque injuriam defendunt, et qui cognatos suos in accusationem deducunt: omnimodo abolitionem petere non prohibentur.*

[m] 6 III. 31, 33, 34 VII. Cod. Just. XVI. L. R. U. *Kal. Sept.*

[n] Ita plerique codd.; 4, edd. Cod. Just. *Serdicæ.* 32 *Syrditiæ.* 20, 39, 43 *Sirdice.* 42 *Serditie.* 8 om. *Serd.—et.*

[o] In permultis codd. om. *A.* aut *V.*

[p] *C.* deest in cod. 4, Cod. Just. et in multis codd. Br. Al.

[q] 6—8, 10, 18, alii codd. *Si quis..... criminanter.....*

de id..... poterat. Etiam 20 *poterat.* 21 *poterit.* 42 *potuerat.*

[a] 6, 7 *convenerint..... accusator.*

[b] Nonn. codd. *eum.*

[c] 21 *correptionem.* Sich. *correctionem.* 7, 8 *accus. corruptione*, sed in 7 a sec. m. rest. vulg. script.

[d] 6, 7 *suscipiat.* 21 *accipiat.*

[e] Br. Al. codd. Sich. *Imp. Constantinus A.*

[f] 16 *Comprematur* et om. *unum.* 20 *C. u. malum max. h. v. dilatorum.*

[g] 8 om. *exsecranda.* 10 *exsecrandi* et om. *pernicies.* Paulo infra *invidiæ* deest in cod. 20. Ibidem *stranguletur.* 4 *stranguiletur.*

[h] 14, 25 *evellatur.* Rein. vult *tollatur.* Vid. interpr.

[i] 21 *nec linguam nec vocem.* Mox nonn. codd. *deferentes.*

[j] 4, 45 *sed si qui*; sed in cod. 4. rubr. col. corr. *sed si quis*, et ita habent 9, 20, 21, 25, Sich.— Lugd.; 13 *sed quis*; rell. om. *si.*

[k] 6, 7, 10, 18, 20, 21, 25 *sententia.* 20 *subjungetur.*

[l] 6—9, 12, 14, 16, 20, 21, 29, 31—34, 38, 42—44, Sich. L. ap. Be. add. *Divi.* 35 *Marciani* et 40 *Trojani.* Cæterum in nonn. codd. om. *et* post *Dat.*, in aliis infra aut *V.* et *C.* aut alter utrum aut *C. Coss.* In cod. 17 deest *et..... Coss.* L. R. U. *Data kal. Sept.* 21. III *kal.* Multi præterea edd. habent *Constantio.* Go. hanc legem retrahit ad ann. 312, hac de causa, ni fallor, quia ann. 319 Constantinus non Romæ fuit, sed in Pannonia, neque igitur hæc lex potuit Romæ dari, quod et demonstrat c. un. C. Th. de Bonis decur. (V, 2) eodem die *Sirmio* data. Sed quamquam Go. recte videtur de læsa hujus subscriptionis integritate existimasse, tamen ego in reliquis dissentio ab eo. Fit enim hæc c. antiquior prima h. t. lege, quod concedi non potest, nisi ponamus jam in ipsa lege diem corruptum fuisse, quod non probabile est. Verisimile est igitur partem subscr. exc. post *Dat.* in codicibus, ut fortasse eodem anno 319 data sit lex *Sirmio*, *Serdica*, *Sabaria* aut denique *Naisso* et postea proposita *Romæ*. Quod si est, nec in c. 1 h. t. hæc lex indigatur.

[m] In cod. 21 add. III.

[n] 6, 7, 10, 18 *impetit.* 9, 20 (supr. lin.), 21. Alii codd. Sich. *impetunt*, 42 *impetant.*

[o] In nonn. codd. om. *rei.*

[p] Ap. Sich. add. *reus.*

[q] 6, 7 om. *ei* Paulo ante 21 *extranguletur.*

Digitized by Google

si quis [a] *proditor futurus est, nec calumnia nec vox illius* [b] *audiatur.*

DE BONIS DECURIONUM [c].

Imp. Constantinus A. Rufino Pf. P. [d] Si decurio sine liberis intestatus diem vitæ solverit, cui neque voluntas [e] postrema legibus fulta [f], neque alio [g] jure gradu proximo hæres exstiterit, bona ejus curiæ suæ commodis cedant, id est ordinis utilitati proficiant, cujus corpori fatali necessitate exemptus est, nulli [h] præbenda licentia postulandi hæc bona ut [i] vacantia de nostra clementia, etiamsi revera et testamentum et successor deesse legitimus approbetur; omni etiam beneficio [j], si quod [k] fuerit impetratum [l], protinus infirmando. *Dat.* [m] *Kal. Decemb. Sirmio* [n], *Constantino A. V.* [o] *et Licinio Cæs.* [p] *Coss.* (319).

INTERPRETATIO. *Si curialis intestatus moriens* [q] *neque filios neque proximos derelinquat, curia, cujus ordini subducitur* [r] *quicquid reliquerit, vindicabit, ita ut nullus audeat ea quasi bona caduca a principibus postulare. Quod si fecerit, non valebit: nam testamentum faciendi curialibus lex ista tribuit potestatem.*

DE DIVERSIS RESCRIPTIS.

Imp. Constantinus. A. Crepereo [s] *Donatiano* [t]. Rescripta, quibus usi non fuerint [u], qui in fata concedunt, hæredes possunt allegare, ut congrue impetrata successoribus emolumenta conquirantur [a]. *PP.* [b]. *Id. Decemb. Constantino Aug. V. et Licinio V. Cæs.* [c]. *Coss.* 319).

INTERPRETATIO. *Beneficia principum, quæ illi qui meruerunt, interveniente morte, non fuerint consecuti* [d], *successoribus eorum exsequi liceat, ut beneficia hæredes ab auctoribus suis impetrata percipiant.*

DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

Imp. Constantinus A. ad Proculum Proconsulem Africæ [e]. Et publicæ disciplinæ interest, et proconsulari convenit dignitati, ut publicarum exactionum cæterarumque rerum curam et notitiam ad tuam redigas potestatem, ita ut non officialium instructione et voce fraudulenta contentus sis, sed ipsorum judicum curam responsionemque condiscas præfecti annonæ [f] et rationalium, si fidelis est ea instructio [g]: ita enim provincialibus contra iniquas exactiones poterit subveniri. *Dat. VII. Kal. Jan. Constantino A. V. et Licinio Cæs. Coss.* (319).

DE RE JUDICATA.

Imp. Constantinus A. ad Proculum [h]. Impetrata [i] rescripta non placet admitti, si decisæ semel causæ fuerint judiciali [j] sententia, quam provocatio nulla suspendit; sed eos [k], qui tale rescriptum meruerint, etiam limine [l] judiciorum expelli. *Dat. VII.* [m] *Kal. Jan. Constantino A. V. et Licinio* [n] *Coss.* (319).

[a] 6 *ut si qui.* 7, 10, 18, 20, 42—44, alii codd. *ut is qui.*

[b] 6, 7, *ipsius.*

[c] In nonn. codd. om. v. *Bonis* et scribitur *De Curionum* (s. *Decurionum*) *idæ curialum.* Similiter in m. Aur. Lugd. *de bonis curionum, id est, curialium.* Sunt autem vv. *ide.* etc. translata ex interpretatione titulorum, de qua exponam in editione Breviarii Alariciani. 15, Cod. Just. *De Hæreditatibus Dec.*

[d] Vid. c. 1 C. Th. de Spons. (III, 5), not. I.

[e] 15 *voluntate non falsum.*

[f] 9 *juncta,* 16 *leg. sola.*

[g] Cuj. 2 — W. add. *quo* quod 6, 7, 10 — 14, 18, 21, Sich. — Lugd. om. 8 om. *jure.* 9, 15, 19, 20 ex corr. *aliquot.* Mox 21 *cedat.*

[h] Nonn. codd. *exceptus est nulla.* 8 *præbendi.* 9 *privanda.*

[i] 6, 7, 9, 13, 14, 17, 19 — 21, 25, Sich. *aut*, impr. Ri.

[j] 19, 20 *omne etiam beneficium — infirmandum.*

[k] 9 *si cui.* 6, 10, 18 — 20 *sicut.* 15, Sich. *si quid.* 25 *approbatur etiam omnia sicut fuerat.*

[l] Multi codd. *imperatum.*

[m] 36, 40, Sich. add. *V.* et 20, 39 X.

[n] Ita codd.; Sich. — Ri°., sed 21, 40, Sich. in m. *Firmio.* Be. W. corr. *Sirmii.*

[o] Multi codd. om. *A. V.* aut *V.* 10 *C. pfecto A. V.* 15 *A. II.* 40, Sich. in m. VII.

[p] Multi codd. et Til. om. *Cæs.* aut. *Cæs. Coss.*

[q] Nonn. codd. *moriatur.*

[r] 6, 7, 10, 18, 21, alii, Sich. *subducetur.* 8 *subdicitur.* 9, 42, 44 et alii *obducitur.* 20 *subditur.* 43 *submovetur.* Multi codd., Sich. Cuj. 1 — Lugd. *ordini*; rell. *ordine.*

[s] 8, 10, 16, 18, Til. in m. *Crepereio.* 5, 42 *Crepetio.* 19 *Decrepito.* 27 *Creperitio.*

[t] 27 om. *Donatiano.* 29, 42 *Donatiano augg.*

[u] 16 *fuerant.* 29 add. inter lin. *s. parentes.* Mox nonnulli codd. *conciliant.*

[a] 19 *Adquirantur.* 5, 38 *adquirant.* 8 *conquirant.* 20, 21, Sich. Til. *Successoribus eorum exequi liceat*, ex interpr., sed Til. in m. ut nos.

[b] 5 *Datur.* Plerique codd., Sich., Til., Cuj. 1. Aur. Lugd. *Dat.* Til. in m. *PP.*

[c] Ita W. ambiguitatis vitandæ caussa posuit, ne quis *V. C.* interpretetur *Viro Consulari.* Sich. Cuj. 2, 2°. Go. Ri. Ri°. Be. *V. C. Coss.* Cuj. 1. Aur. Lugd. *Lic. C. Coss.* Plerique codd. et Til. om. *V. C.*

[d] Go. γρ. *executi.*

[e] 5 *Ppculu.* Cl. recte ed. *Proculum*, quod etiam c. 2 cit. habet. Item Cl. recte supp. *Proconsulem Africæ*, quod in utraque c. omiss. cum titulus flagitat, tum c. 1 C. Th. de Itinere mun. (XV, 3) et c. 2 C. Th. de Privilegiis eorum (VI, 35) ad eumdem Proculum datæ habent. Fortasse vv. *Proculum Proconsulem* latent in siglo cod. 5.

[f] De Præfecto annonæ v. Go. in Not. Digu. Cod. Th.

[g] W. *si* pro *num* h. l. positum esse contendit, unde cj. *cura, responsioneque.* Schr. *ut fidel. sit.*

[h] 8, 12, 23 add. *preces et.* 11, 14 *preces sit.* 17 *precessit*, in quo latet aut dignitas Proculi, qui Proconsul Africæ fuit (vid. c. 2 C. Th. de Off. proc. 1, 12), aut ita legendum est: *Imp. — Proculum. Preces et impetrata.* Go. Ri. Ri°., ut honorem Proculi deesse significarent, posuerunt puncta post *Proculum.*

[i] 14, 17 *impetrare.*

[j] 8 *judicialia.* 23 *judicialis.* 11 *judiciale.*

[k] 11 *eos vitale.* 23 *eos ut tale.* Cod. Just. *eos qui talia rescripta meruerunt.*

[l] Cod. Just. vulg. *lumine*, impr. W.

[m] 8, 12 om. *VII.* Cod. Just. *VI.*, impr. Go.

[n] 8 om. *V. et Lic.* Ce. post *Lic.* addi vult *Cæs.* Recte. Cf. c. 2 C. Th. de Off. proc. cit. Cod. Just. *Const. et Licinio AA. Coss.* (312), quacum subscr. fere convenit cod. 11, qui add. *A.* post *Lic.*, sed numerus *V.* docet *Cæs.* addendum esse.

Digitized by Google

DE PROCURATORIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Bassum P. Urbi. Procuratoribus institutis, et post contestatam litem dominis effectis, hi, qui mandaverant, non habeant facultatem negotia persequendi, nisi capitales inimicitiæ, vel morbus, vel alia necessaria causa intercesserit: tunc enim etiam invitis his, transferri lis potest. *Dat.* XIII, *kalend. Jul. Constantin. A, et Licinio Cæs.* V, *utrisque Coss.* (319). (*Ex Cod. Just.*)

SI EX PLURIBUS TUTORIBUS VEL CURATORIBUS OMNES VEL UNUS AGERE PRO MINORE VEL CONVENIRI POSSINT.

Imp. Constantinus A. et Licinius C. ad Symmachum. Si divisum administrationis periculum per provincias sit: his tantum omnibus insinuari convenit, et ab ipsis inferri litem, qui in ea provincia tutelæ, vel curæ officium sustinent, ne de aliis provinciis defensores minorum ad judicia perducantur. *Dat. prid. Febr. Constantino A.* V. *et Licinio C. Coss.* (319). (*Ex Cod. Just.*)

DE LIBERTIS ET EORUM LIBERIS.

Imp. Constantinus A. ad Maximum præfectum Urbi. Si manumissus ingratus circa patronum suum exstiterit, et quadam jactantia, vel contumacia cervicem adversus eum erexerit, aut levis offensæ contraxerit culpam: a patrono rursus sub imperium ditionemque mittatur, si in judicio, vel apud pedaneos judices patroni querela extorta ingratum eum ostendat: filiis etiam, qui postea nati fuerint, servituris: quoniam illis delicta parentum non nocent, quos tunc esse ortos constiterit, dum libertate illi potirentur. † Sane si is qui in nostro concilio vindicta liberatus est, post coercitionem [ex] pœnitentia dignum se præstiterit, ut ei civitas Romana reddatur: non prius fruetur beneficio libertatis, quam si hoc patronus ejus oblatis precibus impetraverit. *Dat. Id. April. Romæ, Constant. A.* V, *et Constante C. Coss.* (319). (*Ex Cod. Just.*)

DE MANCIPIIS ET COLONIS PATRIMONIALIUM, SALTUENSIUM ET EMPHYTEUTICORUM FUNDORUM.

Imp. Constantinus A. Emphyteuticarios gravant coloni, agros præter consuetudinem usurpantes, quos nullis culturis erùdierunt: cum solemnitas id eos attrectare permittat, quod eorum labore vel olivetis est insitum, vel vinetis. Sed et irriguas fontium aquas usurpare conantur, quarum fructus solis emphyteuticariis debentur. Ideoque placuit, ut deinceps aquarum jura potestatesque penes emphyteuticarios permaneant: tantumque ex [eis] colonis impertiatur, quantum culturis eorum agrorum sufficere manifestum est, quos ipsi colunt: pro modo autem superfluæ irrigationis, quam ultra culturas suas usurparint, emphyteuticariis possessoribus pensiones accessionesque præbeant. *PP.* VII. *id. Mart. Carthagine, Constant. A.* V. *et Licinio CC. Coss.* (319). (Ex cod. Just.)

Anno Domini 320.

Constantino A. VI *et Constantio C. Coss.*

DE COMMISSORIA RESCINDENDA [a].

Imp. Constantinus A. ad Populum. Quoniam inter alias captiones præcipue commissoriæ [b] legis crescit asperitas, placet infirmari eam, et in posterum omnium ejus memoriam aboleri [c]. Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret [d], quæ cum [e] præteritis præsentia [f] quoque depellit [g] et futura prohibet. Creditores enim, re amissa [h], jubemus recipere [i], quod dederunt. *Dat. pridie* [j] *Kalend. Febr.* [k] *Serdicæ* [l], *Constantino A.* VI. [m] *et Constantino Cæs.* [n] *Coss.* (320).

INTERPRETATIO. *Commissoriæ cautiones dicuntur, in quibus debitor creditori suo rem, ipsi oppigneratam ad tempus, vendere per* [o] *necessitatem conscripta cautione* [p]

[a] Nonn. codd. *De commissuria* aut *commissura rescindenda.* 38 *recedenda.* In inscr. nonn. codd. om. *ad Populum.* Cod. Just. (VIII), 35) *de pactis pignorum et de Lege Commissoria in pignoribus rescindentur.*

[b] Cod. Just. add. *pignorum*, quod v. auct. Go. Be. recepit, uncis inclusum, contra codd. et priorum edd. fidem et obstante rubrica, quæ in universum *De Commissoria rescindenda* loquitur, quare W. v. *pignorum* delevit, prob. Bijdr. p. 321. Præterea W. recte annotat, v. *creditores* per se commissoriam in pignoribus h. l. significari, neque aliter id intellectum esse ab interprete; sanctionem autem ac de caussa h. l. positam esse ab auctoribus Cod. Th., quia lex commissoria pignori adjecta venditionem insolvat. Multi codd. *commissuriæ.* Cæterum Aur. Lugd. *Quoniam.*

[c] 20 *e. o. m. oboleri*, alii *aboliri.* Go. *memoram*, errore.

[d] 20 supr. lin. *fecerit.*

[e] 19, 20 *quecumque.*

[f] 19 *præsentiam.*

[g] Cod. Just. *repellit*, sed nonn. libri mss., ut hic.

[h] 19 *re missa.*

[i] Cod. Just. *recuperare*, sed Hal. *recipere.*

[j] Nonn. codd. et Cod. Just. *II.*

[k] 28, 40, Sich. in m. *Septemb.* 36 om. *Febr.*

[l] 21 om, *Serdicæ*, 28 *Serdicæ — Coss.* 15, Sich. Cuj. 1 — Go. *Sardice.* Ri. Ri°. *Sardicæ.* In codd. legitur etiam *Syrdicie, Serdicie, Syrcidie, Serditiæ, Sirdici, Serdice*, ut etiam Til. Go. supplendum esse putat *PP. Kal. April. Romæ*, ex c. un. C. Th. de Infirm. pœn. cœl. (VIII, 16).

[m] Ita 6—8, 10, 12, 14, 16—21, 36, 40 et edd. Sich. — Ri °. 24, 32 *II.* 27 *XVII.* 33 *VIII.* 39 *XIII.* 43 *III.* Cod. Just., quem Be. et W. secuti sunt, et Sich. in m. *VII*, ut hæc const. ad annum 326 referatur; sed præterquam quod Constantinum h. a. Serdice constitisse nescimus, contra anno 320, lex convenit cum illis constitutionibus, quas conjungendas esse dixi. Vid. etiam not. *k* ad c. un. C. Th. de Hæred. pet. (II, 22).

[n] Ita 9, 21, 24, 31; 6—8, 12, 14—17, 19 *Theud. C. Coss.* 20 *Thed. csul.* 10 *Theod. clarus cons.* et 18 *Theodosius clar. C.*, corrupte. 33 om. *et Const. Cæs.* Itaque pauci tantum codd. et omnes edd. *Constantio*, mendose. 32, 34, 38, 40 om. *Cæs.* Nonn. codd. ponunt *a*, pro *Cæs.*

[o] 20 *pro necessitate.*

[p] Nonn. codd. *conscriptam cautionem* aut *conscriptam cautione.* Cuj. 1 — Lugd. *conscriptæ cautionis.*

Digitized by Google

promittit [a] : *quod factum lex ista revocat, et fieri penitus prohibet* [b] : *ita ut, si quis* [c] *credito rem debitoris sub* [d] *tali occasione visus fuerit comparare, non sibi de instrumentis blandiatur, sed cum primum voluerit ille, qui oppressus debito vendidit* [e], *pecuniam reddat* [f] *et possessionem suam recipiat.*

DE INFIRMANDIS POENIS CÆLIBATUS ET ORBITATIS [g].

Imp. Constantinus [h] *A. ad Populum.* Qui jure veteri cælibes habebantur, imminentibus legum terroribus liberentur, atque ita vivant, ac si numero maritorum matrimonii fœdere fulcirentur, sitque omnibus æqua conditio capessendi, quod [i] quisque meruerit. Nec vero quisquam orbus habeatur : proposita [j] huic nomini damna non noceant. § 1. Quam rem et circa feminas æstimamus [k], earumque cervicibus imposita [l] juris imperia, velut quædam juga solvimus promiscue omnibus. § 2. [m] Verum hujus beneficii maritis et uxoribus inter se usurpatio non patebit, quorum fallaces plerumque blanditiæ vix etiam opposito juris rigore [n] cohibentur, sed maneat inter istas personas legum prisca auctoritas. *Dat. prid. kal. Febr. Serdica* [o]. *PP. kal. April. Romæ, Constantino A.* VI *et Constantio* [p] *C. Coss.* (320).

DE EXACTIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Populum. Nemo carcerem plumbatarumque verbera aut pondera aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus vel a perversis vel ab iratis judicibus expavescat. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est, officialium et, cum denotatione, eorum judicum quorum de officio coerciti citatiores esse debebunt [q], qui contra hanc legem admiserint. Securi juxta eam [r] transeant solutores : vel certe, si quis tam alienus ab humano sensu est, ut hac indulgentia ad contumaciam abutatur, contineatur aperta et libera et in usus hominum constituta [b] custodia militari [c]. Si in obdurata nequitia permanebit, ad res ejus omnemque substantiam cives ejus [d] accedant, solutionis obsequio cum substantiæ proprietate suscepto [e]. Qua facultate præbita [f], omnes fore credimus proniores ad solvenda ea, quæ [s] ad nostri usus [h] exercitus pro communi salute poscuntur. *Dat. Kal. Febr.* [i] *Constantino A.* VI. *et Constantino C. Coss.* (320).

DE OPERIBUS PUBLICIS.

Imp. Constantinus [j] *A. ad Flavianum* [k] *procon-*

---

[a] 21 in m., Sich. *permittit*, sed Sich. in m. *promittit*.

[b] Ita plerique codd.; edd. *penitus fieri pr.*

[c] 6, 7, alii *qui*. 10, 18 *quid*.

[d] 20 *rem a debitore suo sub*.

[e] Sich. *vendendi*.

[f] Ita emendavi auctoritate codd. Edd. *revocet*, quod non aptum est.

[g] Cum rubrica h. t. incipit fol. CXIX cod. Lugd. In Cod. Just. add. *et de decimariis sublatis*.

[h] Cod. Just. *Imppp. Constantinus, Constantius et Constans AAA.*, improbb. Go. et Heineccio ad Leg. Jul. et Pap. Popp. II, 21 (Amstel. 1734, in-4°, p. 345); sed add. Heineccius : *nisi suspicari mecum malis, filios illud patris edictum iisdem pæne verbis, ut solet fieri, firmasse*.

[i] Ita Be. auct. Go. ex Cod. Just.; rell. cum. cod. Lugd. *quo*, male.

[j] Cod. Just. *et prop.*

[k] Cod. Just. *existimamus*, impr. Go.

[l] Aur. Lugd. *i Npositi*, err.

[m] Seqq. des. in Cod. Just.

[n] Go. in comm. *vigore*.

[o] Ita Go.; rell. *Serdicæ*. Go. in Chron. p. XVIII. : Vel, *Sardicæ*.

[p] Sec. Be. rep. *Constantino*, recte; vid. c. 1 C. Th. cit., not. *e*. Cod. Just. *Dat. Kal. Apr. Romæ Constantio* II *et Constante AA. Coss.*, et err. ap. Spangenb. add. 239.

[q] Til. — Cuj. 2° *carcer h. n. est officialium, et cum denotatione eorum judicium, quorum*, etc. Cuj. 2—Ri°. *et cum den. eorum judicum quorum*. Locus impeditus, quem Cuj. frustra tentavit restituere. Cod. Just. *c. h. nox. est et officialium, et—quorum de officio certiores* (al. *correctiores*) *esse debebunt*. Go. em. : *et Officialium* (*cum denotatione eorum* judicum quorum *de officio coercere citatiores esse debebat*) *qui* (Officiales sc.) *contra hanc legem admiserint*. Go. mend. *eorum officio* et Ri. *citatores*). Male hæc a Go. emendata et pejus explicata esse dicens Bynkershoek l. c. tuetur Cod. Just. scripturam, quam constructione potius verborum quam corruptela difficilem ita expedit : « Carcerem esse officialium et cum pœna seu infamia hujusmodi judicum, qui officio suo non functi contra hanc legem admiserint. Vv. enim *de officio debere certiores esse* significare officio suo non fungi » Gutherius l. c. ita hunc locum interpretatur, intactis omnibus : « Quod scil. judicibus existimationis macula seu nota imponatur, de quorum officio refrænati Exactores citatiores esse debuerunt, hoc est velocius ad tribunal citari, ut meritas luerent pœnas : reos enim voce præconis ad tribunal judicium vocatos, unde citatus reus Papin. l. 10 D. de Public. jud. (XLVIII, 1) », qua interpretatione nihil absonum magis fingi potuisse videtur Go. Cf. Dirksen l. c. p. 498 sq. Equidem ex Cod. Just. recipiendum esse duco *noxiorum est esse officialium* et deinde legendum *coercitiones* pro *coerciti citatiores*. Suadent hanc em. libri mss. Cod. Just., ubi *q. de officio cohertiones esse deb.* Venit etiam alia cj. in mentem : *Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum est. Officialium et cum denotatione eorum judicium, quorum de officio* (sc. *sunt officiales*), *coercitiones esse debebunt, qui*, etc. cum v. *coherciti* incip. fol. 138 [a] cod. 4.

[r] Cod. Just. *juxta præsidem*, prob. Bynkersh.; sed impr. Cuj. et Go. Cujacio prob. script. C. Th.; Go : em. *eum*, scil. carcerem. Tenendum *eam*, h. e. juxta legem. Justinianus accommodavit legem ad ætatem suam.

[s] Cod. Just. *usum..... instituta*.

[b] Ita Ri °. Be. auct. Go. ex Cod. Just.; 4, Til. — Ri. *militaris*. Cæterum Cod. Just. *Si quis in* et Til.— Cuj. 2 ° *militaris*, *si* Go. — Ri °. *colon.* ponunt post *milit.*

[c] Aur. Lugd. om. *ejus*. Cod. Just. *subst. exactor accedat* (vid. not. antec.), prob. Bynkersh., sed impr. Cuj. et Go. In sq. c. dicitur : *comparatoribus data firmitate perpetua possidendi*.

[d] Bynkersh. mavult *solutionis obsequio cum substantia pro portione suscepto*, non recte.

[e] In nonn. Cod. Just. editionibus add. *exactori*, recte impr. Cuj. et Go.

[f] 4 *eaq.*

[g] Cod. Just. *usum.*

[h] Recte Go. ex legibus cum hac c. conjungendis repon. *Dat. prid. Kal. Feb. Serdicæ. PP. Kal. April. Romæ.* 4, Til.—Lugd. Cod. Just. male *et Constantio C.*

[i] Go. corr. *Constantius*.

[j] 4 *Flavianum PU. Afric.* Til.— Lugd. *Flavianum P. V. Afric.* Cuj. in Cuj. 2, 2° tacite corr. *Proc. Afric*, recte. Similis error est C. Th. VIII, 5, 10, not. *x*, et XIV, 25, 1. Rein. prop. *ad Ælianum*, etc., recte. Vid. not. sq.

Digitized by Google

sulem Africæ. Nemo propriis ornamentis esse privandas existimet civitates, fas si quidem non est, acceptum a veteribus decus perdere civitatem, veluti ad urbis alterius mœnia transferendum. *Dat.* IV. *non. febr. Mediolano. Acc.* VIII. *Id. Jul. Constantino A. et C. Coss.* [a](320).

DE DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Edictum. Filios decurionum, qui decem et octo annorum ætate vegetantur, per provinciam Carthaginem muneribus civicis aggregari præcipimus. Neque enim [b] operiendum est, ut solvantur familia, et sacris explicentur [c], cum voluntates patrum præjudicare non debeant utilitatibus civitatum. *PP.* X.[d] *Kal. Mart. Constantino A.* VI. *et Constantio* [e] *C. Coss.* (320).

DE FAMOSIS LIBELLIS.

Imp. Constantinus. A. ad Ælianum [f] *Proconsulem Africæ.* Licet serventur in officio tuo et vicarii [g] exemplaria libellorum, qui in Africa oblati sunt, tamen eos, quorum nomina continent, metu absolutos securitate perfrui sinas, solumque moneas, ut ab omni non solum crimine, sed etiam suspicione verisimili alieni esse festinent. Nam qui [h] accusandi fiduciam gerit, oportet comprobare, nec occultare, quæ scierit, quoniam prædicabilis erit ad dicationem publicam [i] merito perventurus. *PP.* V. *Kal. Mart., Carthagine, Constantino A.* VI. *et Constantio* [i] *C. Coss.* (320).

DE VETERANIS.

Imp. Constantinus A... [a] Cum introisset [b] principia, et salutatus esset, a præfectis et tribunis et viris eminentissimis acclamatum est [c], *Auguste Constantine, Dii te nobis servent* [d], *vestra salus nostra salus; vere dicimus, jurati dicimus.* Adunati veterani exclamaverunt : *Constantine Auguste, quo nos veteranos factos, si nullam indulgentiam habemus?* Constantinus A. dixit : *Magis magisque conveteranis meis beatitudinem augere debeo quam minuere.* Victorinus veteranus dixit : *Muneribus et oneribus universis locis conveniri non sinamur.* Constantinus A. dixit : *Apertius indica; quæ sunt maxime* [e] *munera, quæ vos contumaciter gravant?* Universi veterani dixerunt : *Ipse perspicis scilicet* [f]. Constantinus A. dixit : Jam nunc munificentia [g] mea omnibus veteranis id esse concessum perspicuum sit ne quis eorum ullo [h] munere civili, neque in operibus publicis conveniatur, neque in ulla [i] collatione, neque a magistratibus, neque vectigalibus [j]. In quibuscumque nundinis interfuerint, nulla proponenda [k] dare debebunt. Publicani [l] quoque, ut solent [m] agentibus supercompellere [n], ab his [o] veteranis amoveantur; quiete post labores suos perenniter perfruantur.

[a] Go. —Be. om. annum. Go. enim h. c. ad annum 357 *Constantio A. IX* [*et Juliano*] *Cæs. II. Coss.* transfert, quia Flavianus eo fere tempore proconsul Africæ fuit (vid. c. 4 C. Th. de Off. procons. I, 12, not. *t* et c. 10 C. Th. de Cursu publ. VIII, 5), neque vero ante annum 321, cujus anni sequens h. tit. c. est. Go sententiæ adversatur series constitutionum quippe quæ pervertitur et conturbatur. Esset enim h. c. ponenda post c. 6 h. t. Be. eam tribuit anno 320 (*Constantino A.* VI *et Constantino Cæs. Coss.*), recte, modo quod Rein. em., *ad Ælianum*, recte se habeat, quod quin ita sit, non dubito, cum Flaviani eo tempore, quo hæc c. ut referatur, ordo constitutionum suadet, nulla fiat mentio, ad Ælianum vero nonnullæ leges anno 320 datæ sint. Vid. Go. in prosopogr. v. *Ælianus* et c. 3 C. Th. de Off. procons. (I, 12).

[b] Go. in notis : sive *etiam ;* in comm. h. c. ann. : « *neque ENIM opperiendum est*, etc. ubi si vox enim recte habet, tum colligi ex *hac l.* posse videatur filiosfamilias in provincia Karthagine ferme a patribus solutos et patria potestate liberatos, ubi ad majorem ætatem pervenissent. »

[c] Rein. em. *applicentur.* Vat. fr. §. 248 *sacris evoluti.*

[d] Ri. — Be. om. *X.*, err.

[e] Be. in not. *Constantino*, recte. Vid. Rel. l. c. p. 306. Aur. Lugd. *Cons.*

[f] 4 Til. — Ri [*]. *Helianum.*

[g] 4, Til. — Cuj. 2 [*] *vicariis.*

[h] Fol. 45 [a] cod. 4.

[i] Sec. Go. in comm. sunt qui restituant *quoniam prædicabilis erit ad vindicationem publicam.* Inter eos est Reinesius. Sed tamen Go. vulg. defendit scripturam. Vid. c. 7 h. t. *laudem maximam ac præmium ... consequetur.*

[j] Be. et hic et in sq. c. em. *Constantino.* Aur. Lugd. *Cons.* Subscr c. 3 C. Th. Quorum appellationes cit. *PP.* VI. *Kal. Maii Carth. Constantino A.* VII. *et Constantio C. Coss.* (326.) Neque vero c. 2 h. t. propter seriem legum potest trahi ad ann. 326, nisi quis cum Go. in Chron. a. 326 c. 3 cit. revocare malit ad ann. 320, mut. mense et coss.

[a] Lacunæ significandæ caussa addidi punctaque, præter Go. nulla editio habet, Magistratus deest etiam in Cod. Just., qui habet *Imp. Constantinus A.* Nec in codice ullum est lacunæ indicium.

[b] Cod. Just. *introissent*, sed Cuj. *introisset.*

[c] Vid. Gesta de Rec. C. Th. p. 83, not. *y*, Rob Schneiderum in Indice omnium rerum et sententiarum, quæ in corpore juris Justinianei continentur. Vol. I. fasc. I. Lips. 1837, 4. p. 40 v. *Acclamatio* et Indicem Latinitatis, codici Theodosiano subjectum. Præterea acclamationes commemorantur supra. I, 16, 6; VI, 9, 2.

[d] Cod. Just. *Deus te nobis servet.* Codex *serven vestra* et infra *Victurinus.*

[e] Cod. Just. *maxima*, sed Cuj. *magnificentia*, impr. Go.

[f] Cod. Just. om. *scilicet.*

[g] Ita ed. Be. auct. Go. ut nos.

[h] Cod. Just. ex Cod. Just., qui tamen *eorum in ullo.* Codex, Cuj. 1 — Ri [*]. *nullo.* Duplicem tamen negationem exemplo non carere, jam Go. concedit. Vid. §. 1, h. c. *interdiximus, ut nullum ex his omnino inquietaret* et C. Th. VII, 8, 10, not. *o.*

[i] Ita Be. ex Cod. Just. auct. Go. Codex, Cuj. 1 — Ri [*]. *nulla.* Vid. not. antec. In vv. *a magistratib.* incipit folium LXXIV codicis.

[j] Cod. Just. *nec in... conveniatur nec ulla coll. nec a mag. nec vectigalibus.* Cæterum in Cuj. 1 — Cuj. 2 [*] nulla est interpunctio inter v. *vectigalibus* et v. *in*, sed oratio ita procedit *neque vectigalibus inquibuscumque*, etc.

[k] Cod. Just. *interfuerint, ullam* (Cuj. *ulla*) *ob venditionem proponendam dare.*

[l] Ita Be. auct. Go. ex Cod. Just. Codex. Cuj. 1 — Ri [*]. male *publicanis.*

[m] Cod. Just. *adsolent.*

[n] Cod. Just. *supplere*, sed not. Cuj. vetus liber *superpellere.* Go. *super compellere.*

[o] Cod. Just. *eisdem.*

Digitized by Google

§ 1. Fisco nostro quoque [a] eadem epistola interdixi- A mus [b], ut nullum omnino ex his inquietaret [c], sed liceat eis emere et vendere [d], ut integra beneficia eorum sub sæculi nostri otio et pace perfruantur [e], et [f] eorum senectus quiete post labores perfruatur. § 2. Filios quoque eorum defendant decertationes [g], quæ in patris persona fuerunt, quosque [h] optamus florescere sollicitius [i], ne si contumaces secundum eosdem veteranos comprobari potuerint, decimentur his sententiis, cum præsidali officio adjungentur probabilius, jussionem meam [j]. Curabunt ergo stationarii milites cujusque loci cohortis, et parentes eorum desperationem, et [k] ad sanctimoniam conspectus mei sine ulla deliberatione remittere, ut sint salvi, cum senuas [l] consequuntur pœnas indulgentiæ. *Dat. Kal. Mart. in* [m] *civitate Velovocorum* [n], B

Constantino A. VI. *et Constantio* [a] *C. Coss.* (320).

DE PRÆTORIBUS [b] ET QUÆSTORIBUS.

Imp. Constantinus A. Æliano Pf. U.[c] Religiosis vocibus *sena*tus amplissimi persuasi decernimus [d], ut quæsto*res* ea prærogativa utantur, qua consules et prætor*es*, ita ut, si quis intra annum sextum decimum nominatus fuerit absens, cum editio muneris celebratur, condemnationis frumentariæ nexibus minime teneatur, quoniam memoratæ ætati placet hoc privilegium suffragari. *Dat.* VII. *Id. Mart. Sirmio* [e], *Constantino A.* VI. *et Constantio* [f] *C. Coss.* (320).

DE [g] RAPTU [h] VIRGINUM VEL VIDUARUM.

Imp. Constantinus A. ad Populum. Si quis nihil cum parentibus [i] puellæ ante depectus [j] invitam eam rapuerit, vel volentem [k] abduxerit [l], patrocinium ex ejus responsione sperans, quam propter vitium levitatis et sexus [m] mobilitatem atque consilii a postulationibus [n] et testimoniis [o] omnibusque [p] rebus judi-

[a] Cod. Just. *Fisco quoque nostro.*

[b] Cod. Just. *interdicimus*, prob. Go., sed impr. Be. propter sep. v. *inquietaret*. Cuj. *interdiximus*.

[c] Cod. Just. *inquietet*, sed Cuj. ut C. Theod. Mox codex *ejus* pro *eis*. Ibidem supra *prspicis*, sed corr. *perspicis*.

[d] Cod. Just. add. h. l. *optimis negotiis pecuniam tractare et mercimonia agitare nec solum* (om. *ut*) *integra*.

[e] Ita quoque Cod. Just. Quod si ita est, h. v. passiva significatione accipiendum est. Similiter c. 1 C. Th. de Matern. bon. (VIII, 18) *potestas et jus fruendi res liberorum... maneat*. Vid. Juret. ad Symmach. Epist. II, 21. Go. cj. *perferantur*, Be. *permaneant* vel simile quid. Ortum est sine dubio *perfruantur* ex repetit. v. *perfruatur :* olim aliud v. hic fuisse videtur, quod diverso modo conjici potest. An *præstentur?*

[f] Sqq. in Cod. Just. hoc modo amplificata sunt : *sed etiam nullo munere civili id est corporali seu personali vel deportatorio onere eos affici concedimus*, et desunt sqq. usque ad finem.

[g] Go. : « An, inquit, *Filii quoque eorum dependant decertationes?* An, *In filios quoque eorum descendant decertationes?* Nil tale mihi probatur : lectio *hic* retinenda. » Cf. eum hac § pho Vat. fr. 195.

[h] Go. vult vel *eosque* vel *quos et* vel *quasque* (decertationes scil.) vel *ut quos*.

[i] Go. cj. *solito citius* propter sqq. Vid. not. sq.

[j] Ita (*ne si contumaces... jussionem meam*) cdd. omnes et ms. Go. Go. locum obscurum satis audacter ita emendavit : *Nam si contumaces sec. eosd. veter. compr. potuerint, decimo ætatis sextoque* (vid. not. anteced.) *cum Præsidali officio adjungentur probabili jussione mea* s. *probabilius juxta jussionem meam*. Be. vult *per jussionem meam*. Scribendum mihi esse videtur : *ne si... potuerint, eximantur his sententiis eumque præsid. off. adjung. probabilius jussione mea*, hac quidem sententia : veteranorum filii et ipsi militent et efflorescant, ne si militiam detrectare velint contumaciter, privilegiorum beneficiis eximantur et in officiis præsidalibus potius militare jubeantur.

[k] Go. cj. *et parentes eorum et desperationem* vel *explorantes eorum desperationem eos ad*. Be. vult *parentes eorum et desperationem ad*, probabiliter.

[l] Hunc mendosum locum Go. ita emend. : *ut si sint salvi, consonas consequantur pœnas indulgentiæ*. Nescio meliorem emendationem.

[m] Cod. Just. om. *in*.

[n] Cod. Just. *Belovocorum*, impr. Go. Nonnulli viri docti inde fecerunt *Belovacorum*, sed Bou. p. 746 probat, hanc sententiam admitti non posse, quia Constantinus jam. anno 316 Gallia decesserit. Bou. assentitur Go., qui cj. *Velanorum* (in Mœsia superiore). Cæterum vid. Reland. l. c. p. 307.

[a] Be. reponendum censet *Constantino* et hic et in seqq. legibus.

[b] Codex *PÆTORIB.*, mendose. Ibidem mox *um* pro *cum*.

[c] Ælianus Pf. U. h. a. non invenitur. Go. igitur cj. aut scribendum esse : *Juliano pf. U.* et in subsc. *Constantino* A. VIII *et Constantino C.* IV. *Coss.* (329), quo anno Julianus Pf. U. fuit, aut *Æliano Proc. Afr.*, quod rectius esse arbitror et ipse Go. concedere videtur et habent aliæ hujus anni leges : c. 3 C. Th. ed. Off. procons. (I, 12), c. 2 C. Th. de Famosis libell. (IX, 34). Facile etiam commutari poterant a librario sigla *PC.* et *PU.*, præsertim si in inscr. provinciæ nomen omissum erat. Be., præterquam quod non impr. *Æl. Proc. Afr.*, cj. *P. Pf. U.*, quod non intelligo.

[d] Aur. Lugd. mendose *decernus*.

[e] Ita Cuj. 2 — Ri[e]; codex, Cuj. 1 — Lugd. *Sirmi*. Be. *Sirmii*.

[f] Go. et Be. recte rep. volunt *Constantino*. Similis error est in c. 2 C. Th. cit.

[g] Cod. Just. *de R. virginum seu viduarum nec non sanctimonialium*. Conflata est rubrica ex h. et sq. tit. C. Th.

[h] 20 *De rapto*, supr. lin. *Raptibus*. 15 *De R. Feminarum*. Permulti codd. *rapto*.

[i] Go. *parietibus*, mendose. Ri*. *Par. Pu. lente*.

[j] 10, 13, 15, 18, 20, 21, Sich. *depactus*. Cuj. 1 *de pectus*. Go. contra Ulpianum l. III D. de Calumn. (III, 6) annotat : « *Depecti* vox, ut ex hoc loco apparet, non semper turpi pacto denotando inservit : itaque recte interpres vertit, *definiat*. » Vid. etiam c. Valentis et Valentiniani ex Corpore Hermog. a Consultationis auctore cap. 9. receptam (in ed. Berol. p. 1494).

[k] 20 *Violenter eam*.

[l] 16, 20 *Adduxerit*.

[m] 12 *Levitati sexus*. 6—8, 10, 12, 13, 18 *mobilitate* s. *movillitate*. 18 *ex mob*.

[n] 4, 6, 7, 10, 12, 18 *consilia postulationibus*. Til. *mobilitatem, atque consilia, postulationibus*. 20 *consilio postulationibus*. 21, Sich. *consilia postulationis*. 15 *sexus consiliique mobilitatem postulationibus*.

[o] 20 *Testimonio*. Sich. *ex test.*, mendose. In Cod. I. voci *testimoniis* superscriptum est signum ꝯ et legitur in m. : ꝯ *N. mulieres testimoniam dicere n. p'se* (non posse), quæ vv. pro glossa habenda sunt.

[p] 4, 6, 7, 10, 16, 18 om. *que*, sed add. ab ant. man. in cod. 4. Til. *omnibus quæ*.

Digitized by Google

clariis antiqui penitus arcuerunt [a], nihil ei [b] secundum jus vetus prosit puellæ responsio, sed ipsa puella [c] potius societate criminis obligetur [d]. § 1. Et quoniam parentum sæpe custodiæ [e] nutricum fabulis et pravis suasionibus deluduntur [f], his primum, quarum detestabile [g] ministerium fuisse arguitur [h] redemptione discursus, pœna immineat, ut eis meatus oris et faucium, qui nefaria [i] hortamenta protulerit [j], liquentis plumbi ingestione claudatur [k]. § 2. Et si voluntatis [l] assensio detegitur in virgine, eadem, qua raptor, severitate plectatur [m] cum neque his impunitas [n] præstanda sit, quæ rapiuntur invitæ, cum et domi se usque ad conjunctionis diem [o] servare potuerint et, si fores [p] raptoris frangerentur audacia, vicinorum opem clamoribus quærere, seque omnibus tueri constibus [q]. Sed his pœnam leviorem imponimus, solamque eis parentum negari [r] successionem præcipimus. § 3. Raptor autem indubitate [s] convictus si appellare voluerit, minime audiatur. § 4. Si quis vero[t] servus raptus [u] facinus dissimulatione præteritum aut pactione transmissum detulerit [v] in publicum, Latinitate [x] donetur, aut, si Latinus sit, civis fiat Romanus [y] : parentibus, quorum maxime vindicta interierat [a], si patientiam præbuerint ac dolorem compresserint [b], deportatione plectendis [c]. § 5. Participes etiam et ministros raptoris [d] citra discretionem sexus eadem pœna præcipimus subjugari [e], et si quis inter hæc ministeria servilis conditionis fuerit deprehensus, citra sexus discretionem eum [f] concremari jubemus. [g] *Dat.* [h] *kal. April.* [i] *Aquileia, Constantino* [j] A. VI. [k] *et Constantino* [l] C. *Coss.* (320).

INTERPRETATIO. *Si cum parentibus puellæ nihil quisquam ante* [m] *definiat, ut eam suo debeat conjugio* [n] *sociare, et eam vel* [o] *invitam rapuerit, vel volentem* [p], *si raptori puella consentiat, pariter puniantur. Si quis vero ex amicis* [q] *aut familia aut fortasse nutrices puellæ consilium raptus dederint, aut opportunitatem præbuerint rapiendi,* [r] *liquefactum plumbum in ore et in faucibus* [s] *suscipiant, ut merito illa pars corporis concludatur, de qua hortamenta sceleris ministrata* [t] *nos-*

[a] 4, 6, 7, 10, 13, 14, 20, 21, Sich. Til. *arguerunt.*

[b] 10, 18 *Nihil enim.* 20 *n. eis.* I. *nihil eisdem jus.* Mox 10, 18 *puellæ pro sit.*

[c] 15 om. *puella.*

[d] 6—8, 10, 14, 16, 18 *alligetur* s. *adligetur.* 12 *allegetur.*

[e] 15 *Custodiæ sæpe.*

[f] 6—8, 13, 14 *deludentur.* 20 *his qui primum.*

[g] 4, 8 *detestabilem*, sed em. in cod. 4 rubro col. 14 *pr. quam det.*

[h] 4, Til. — Lugd. *arguimus.* 13, 14, 20 *arguitur* et 20 *emtique discussi.* 21 *argui r. discussi p. i.* Sich. *argui possit p. imm.* et om. *red. discursus.* Rell. *arguetur.* Reposui *arguitur*, quod et depravata codicis 4 scriptura videtur innui et nunc cod. I. confirmatur.

[i] 16 *Nefario.* 12 *tormenta.*

[j] I, 6—8, 10, 12, 13, 16, 18, 21 *protulerint*, sed corr. in cod. 21. 20 *protulerunt.*

[k] 6, 7, 10, 12, 13, 16, 18 *claudantur.* 21 *ingessione.*

[l] 8 *Et si forte vol.* 14 *Et si voluntate.* Mox nonn. codd. *in virginem* et *qui raptor.*

[m] Fol. 37 [a] cod. 4.

[n] 20 *Impunitio.* 14 *i. præstanda sunt.* Mox *domi seu usque.*

[o] In litteris *adconjunctionisd* finitur folium X cod. I. a Vesmio inventum. Vid. C. Th. IX, 21, 10. not. *.

[p] 6, 7, 10, 12, 14, 18 *forte.* 15 *d. se servare usque ad conj. diem pot. et si f. audacia frangantur raptoris.* 20 *diem segregare* (quod sec. Rl. glossator intrusit) *potuerint — raptores effrangerent audacia.*

[q] 15 *Omnibusque se tueri conatibus.* Mox 20 *tuere con.* (om. *Sed*) *hiis.*

[r] 20 *Denegari.*

[s] 6, 7, 10, 14, 16, 18 *indubietate.* 20 *indubitanter convinctus.*

[t] Hinc inc. c. 3 Cod. Just. cit., quæ uti et Coll. Can. Ans. ded. om. *vero.*

[u] Cod. Just. Coll. Can. Ans. ded. add. *virginis.*

[v] 15 *Detulit.*

[x] 6, 7, 10, 18, Sich. *latinitati.* Cod. Just. Coll. Can. Ans. ded. *libertate donetur*, et des. seqq.

[y] 14 *l. civis sit fiat R.*

[a] 6—8, 10, 12, 14, 16, 18 *intereant.* 20 antiquitus *intercurrat*, sed supr. lin. *intereat.*

[b] 20 *tribuerint* (sed em. supr. lin.) *hæc dolore comprehenserint.*

[c] Vv. *parentibus, quorum maxime vindictæ intererat... dolorem remiserint, dep. plectendis* relata sunt in c. 1 § 2 Cod. Just. h. t.

[d] 10 *Ministris rectoris.* 20 *raptoris cetera* (sed hoc antiquitus, et paulo infra) *discriptione* (sed em. supr. lin.).

[e] 15 *Subjugari præcipimus.*

[f] 15 Om. *citra — eum* et mox *jubemus.* 20 *discriptione e. cremari.*

[g] Fol. 37 [b] cod. 4. Vv. *Sed et si quis... comprehensus... jubemus* transierunt in c. 1 § ult. Cod. Just. h. t.

[h] In Cod. Just. et in Coll. Can. Ans. ded. add. *prid.* et in L. R. U. II.

[i] 6—8, 12, 16 *Jun.* 10, 18 *Januarii.* 14 *Jul.* Omnino suspicionem movet dies subscr. et hic et in c. un. C. Th. de Mulier., quæ se servis pr. (IX, 9) et in c. un. Cod. Just. de Concubinis (V, 26), quas omnes, cum similis argumenti sint et *ad Populum* datæ, eodem die, et mensis quidem *Jun.*, data esse puto, et si quo die datæ sint, incertum est.

[j] 8, 20 om. *Aquil.* In seqq. nonn. om. *A.* VI. aut VI et *C.*

[k] Nonn. codd. VII, i. e. 326. 21, Sich. *Constante* (Sich. *Constant.*) *A.* II. Nonn. codd. *Constantio.*

[l] Restitui *Constantino* auct. codd. 13, 20, 32 et Be. pro *Constantio*, quod cum multis codd. habent edd. et Cod. Just. 6, 7, 10, 12, 16, 18, 29, 33, 34, 38, 42 *Constante*; alii *Const.* s. *Constant.* In Coll. Can. Ans. ded. om. *A. et Const. C.*

[m] 20 *Aliud.*

[n] Ita plerique codd.; edd. *suo conj. debeat.* Sich. om. *suo.* 20 *sociari.*

[o] 6, 7, 10, 18, alii om. *vel.*

[p] Sich. *voluntate.* 20 *violenter.*

[q] Go. ann. : « Hoc amplius habet Interpres : vix tamen admittam, quod de *amicis* dicit : de familia seu familiaribus facilius admittam. » Permulti codd. *vel familia* et mox *nutricis p. consilio.*

[r] In m. Aur. Lugd. ann. : *remissum plumbum, etc.*, ex Æg.

[s] Ita congrue cum lege edd.; nonn. codd. *in faucibus et in ore.*

[t] Aur. Lugd. *ne qua.* 42, alii codd. *ministrare noscuntur illa — rapitur invita — clamaverit — adjuta — possit (possint) — ei.* In cod. 21 om. *invitæ denegetur.* Mox Cuj. 2, 2* *de rapto reclamaverint.*

Digitized by Google

cuntur. Illæ vero, quæ rapiuntur invitæ, quæ non vo- A *cibus suis de raptore clamaverint, ut vicinorum vel parentum solatio adjutæ liberari possent, parentum suorum eis successio denegetur. Raptori convicto appellare* [a] *non liceat, sed statim inter ipsa discussionis* [b] *initia a judice puniatur. Quod si fortasse raptor cum parentibus puellæ* [c] *paciscatur, et raptus ultio* [d] *parentum silentio fuerit prætermissa, si servus ista detulerit, latinam percipiat libertatem, si Latinus fuerit, civis fiat Romanus. Parentes vero, qui raptori in ea parte consenserint, exilio deputentur. Qui vero raptori solatia præbuerint* [e]*, sive viri sive feminæ sint* [f]*, ignibus concrementur* [g].

SI QUIS EAM CUJUS TUTOR FUERIT [h] CORRUPERIT.

Imp. Constantinus A. ad Bassum. [i] *Vicarium Italiæ. Post alia* : [j] Ubi puella ad annos adultæ ætatis accesserit, et [k] adspirare ad nuptias cœperit [l], tutores necesse habeant comprobare, quod puellæ sit intemerata virginitas, cujus cunjunctio postulatur. Quod ne [m] latius porrigatur, hic solus debet tutorem [n] nexus adstringere, ut se [o] ipsum probet ab injuria læsi pudoris immunem. Quod ubi constiterit, omni metu liber [p] optata conjunctione frui debebit; officio [q] servaturo, ut, si violatæ [r] castitatis apud ipsum faci-

[a] 6, 7, 20 *Appellari.*
[b] 6, 7 *Discursionis* Aur. Lugd. *discutionis.*
[c] Permulti codd. *cum puellæ parentibus.*
[d] Ri. male *ultimo.* Pejus Ri [a] *ultio ultimo par.* Mox nonn. codd. *prætermissa fuerit.*
[e] 20 *Cons. in exilio — solatium præbuerint* et ita multi codd.
[f] Ri. Ri [a]., *præb. sint sive v. s. f. ign.*, male. Sich. *sive vir sive fœmina sit.* Cuj. 2 — Go. om *sint.*
[g] Similiter Summaria C. Th. IX, 29, 2 *concremetur incendio.* Sich. *concremetur.* Ri [a]. *concremeneur.*
[h] Sich. *fuerat* et in ind. titul. *corrupit.* 20 *corripuerit.*
[i] 28, 36, 40 Sich. in m. *Catulinum.* In nonn. codd. om. *Ital.* aut *Vic. Ital.*
[j] *Post alia* om. in multis codd., etiam 4 et ap. Sich. — Lugd. Cod. Just.
[k] 4, Til. om. *et.*
[l] Breviarii Al. codd. Sich. *puellæ... accesserint... cœperint.* 21 *adsp. c. ad. n.* Go. propter vv. *omni metu liber... debebit*, quæ paulo infra leguntur, cj. *et adspirare ad nuptias cœperit tutor, is necesse habeat comprobare*, impr. Ri. Sed tamen non dubito calculum meum Go. sententiæ adjicere. Hoc enim imperator hac lege agit, ut ne tutores corrumpant pupillas easque corrumpendo compellant ad nuptias cum ipsis celebrandas. Hac de caussa infra dicitur : *ut se ipsum probet ab injuria læsi pudoris immunem*, quibus verbis nunc non repugnant, quæ paulo infra leguntur : *omni metu liber optata conjunctione frui debebit.* Fortasse igitur adhibitis Br. Al. Codicibus ita scribendum est : *Ubi... accesserit, et adspirare ad nuptias cœperint tutores, necesse habeant.*
[m] 19, 20 *et ne.* 9 *ne latius.*
[n] 20 *curatorem*, sed em. *tutorem.*
[o] 10, 12, 18 *et se.* 19 om. *ut.*
[p] Ad h. l. vid. Go., not. *i* et in comm.
[q] Go. in not. : « tuo sive judicis. » 15 *debebit amator ut si violatæ*, mira scriptura, quæ probat jam antiquitus hæsitatum esse in legis explicatione. V. *amator* sine dubio librarius de suo adjecit, quod quomodo cum vv. *omni metu* componi possit, non video. 19 *servaturum* (ita etiam 20) *ut si ablatæ castitatis.*
[r] Hinc inc. c. 1 Cod. Just. : *Si tutor pupillam quon-*

nus hæreat, deportatione plectatur [a], atque universæ ejus facultates fisci viribus [b] vindicentur, quamvis [c] eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori [d] leges imponunt. *Dat. prid. Non. April.* [e] *Aquileiæ,* [f] *Constantino A.* VI *et Constantino C. Coss.* (320).

INTERPRETATIO. *Ubi primum* [g] *puellæ sub tutore viventes ad annos pervenerint nuptiales, et quicumque petitor accesserit, non prius puella* [h] *jungatur, nisi virginitas illius, quod a tutore servata sit, fuerit approbata* [i] ; *nam si ab ipso tutore convincitur ejus* [j] *violata virginitas, statim exilio deputetur* [k]*, et res illius omnes fiscus usurpet.*

DE JURE FISCI.

Imp. Constantinus A. ad Dometium Dracontium Magistrum privatæ rei Africæ. Cum fiscus litem patiatur B aut inferat [l], anni spatium ad determinandam caussam spectari oportet, quia hoc ad instruendum satis est, et diutius non oportet privatorum [m] sine fisci emolumenta fatigari. *Dat.* XIV. *Kal. Jun. Serdicæ, Constantino A.* VI. *et Constante* [n] *C. Coss.* (320).

DE CUSTODIA REORUM.

Imp. Constantinus A. ad Florentium Rationalem. In quacumque causa reo exhibito, sive accusator existat, sive publicæ [o] sollicitudinis cura produxerit [p], statim debet quæstio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum præsentia necessaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro C

dam suam violata castitate stupraverit, deportationi subjugetur : atque, etc.
[a] 8, 13, 14, 17 *flectatur.* 20, 21 *plectetur.*
[b] Cod. Just. *juribus.* 9 *adgregentur.* 10, 18 *judicentur.* 25 *addicantur.* Alii codd. *facultatis.*
[c] 10, 18 *quam* et om. *vis.*
[d] 19, 20 *debuerat—raptoribus.*
[e] 9, 42 *aug.* 24 *Mai.* L. R. U. *Dat.* II, *kal. Apr.* In Cuj. 2, 2 [a] om. *Apr.*, sed in Corrig. restit.
[f] Ita plerique codd. et Lich. in m., h. e. ann. 320, quem annum jam Go. rep. voluit, neque rep. *PP.* pro *Dat.*, quod Go. prop. quidem in not. h. c., sed ipse retractavit in comment. Recte igitur a Go. in Chron. relata est ad ann. 320. 6, 7 *Constantio A.* II. 20 *A.* 1, 4, edd. et Cod. Just. VII (326). In cod. 33 ponitur subscr. c. 8 antec. tit. Nonn. codd. *Constantio* pro *Constantino* ; *Constantio* (ita 4. edd. et Cod. Just.) aut *Constante* pro *Constantino*, crebro err. librar. 6, D 7, 20, 21 Sich. om. *C.*
[g] Nonn. codd. *primo.*
[h] 20, 44, *puellæ.*
[i] 6, 7, 9, 20, 21, 43, 44, alii cod. *approbatum*, sed 20 *fuerit sit apr.* et 21 om. *fuerit.*
[j] Fere omnes codd. *ejus.* Edd. *esse*, quod non multum differt.
[k] 6—10, 12, 13, 18 *deportetur.*
[l] Go. in not. : « Pro *patitur aut infert.* »
[m] Go. prop. *privaturum* (Ri. *privatorum*). Voluitne scribere Go. *privatarum*, i. e. rerum privatarum ? Mox Go. err. *emolumenta.*
[n] Rein. Be. em. *Constantino*, recte.
[o] 4 *publice.*
[p] Restituimus ex Cod. Just. *produxerit*, levi medela, cum vulgata scriptura *perduxerit* ex cod. 4 recepta aptam sententiam non habeat. Crebra est siglorum *p.* et *p.* in codd. confusio.

Digitized by Google

exhibito non ferreas [a] manicas et inhærentes ossibus mitti [b] oportet, sed prolixiores catenas [c], ut et cruciatio desit et permaneat fida [d] custodia. Nec vero sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus, sed usurpata luce vegetari [e], et, ubi nox geminaverit custodiam, vestibulis carcerum et salubribus locis recipi, ac revertente iterum die, ad primum solis ortum, illico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur; quod innocentibus miserum noxiis non satis severum esse cognoscitur [f]. § 1. Illud etiam observabitur, ut neque his, qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat [g] crudelitatem suam accusatoribus vendere, et innocentes intra carcerum septa letho dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere. Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus judici [h] imminebit, si aliquem ultra debitum tempus [i] inedia aut quocumque modo aliquis stratorum exhauserit, et non statim eum, penes quem officium [j] custodiæ est, atque ejus ministros capitali pœnæ [k] subjecerit. *Dat. prid. Kal. Jul. Serdicæ, Constantino A.* VI *et Constantio* [l] *C. Coss.* (320).

DE APPELLATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Crispinum [m]... Si quis per absentiam nominatus [n] ad provocationis auxilium cucurrerit, ex eo die interponendæ appellationis duorum mensium [o] tempora ei computanda sunt, ex quo contra se celebratam nominationem didicisse monstraverit. Nam præsenti, qui factam nominationem cognovit, et appellare voluerit, statim debet duorum mensium spatium [a] computari. *Dat.* VIII. [b] *Id. Jul. Constantino A.* VI. *et Constantio* [c] *C. Coss.* (320).

DE CLERICIS.

Imp. Constantinus A. ad Bassum [d] *Pf. P.* Cum constitutio emissa [e] præcipiat nullum deinceps decurionem vel ex decurione progenitum vel etiam instructum idoneis facultatibus atque obeundis publicis muneribus opportunum ad clericorum nomen obsequiumque confugere, sed eos de cætero in defunctorum duntaxat clericorum loca surrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus [f] teneantur obstricti: cognovimus, illos etiam inquietari [g], qui ante legis promulgationem [h] clericorum se consortio sociaverint. Ideoque præcipimus, his ab omni molestia liberatis, illos, qui post legem latam obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore segregatos, curiæ ordinibusque [i] restitui et civilibus obsequiis inservire. *PP.* XV. *Kal. Aug. Constantino A.* VI [j] *et Constantio* [k] *C.* [l] *Coss.* (320).

DE ERRORIBUS ADVOCATORUM [m].

Imp. Constantinus A. Furio [n] *Felici* [o]. Advocatorum errores in [p] competenti judicio litigatoribus non præjudicant. *Dat.* V [q] *kalend. Aug. Constantino* [r] *A.* VI [s] *et Constantino* [t] *Cæs.* [u] *Coss.* (320).

INTERPRETATIO. *Advocatus, si in suscepti* [v] *causa aliquid in præjudicium per errorem dixerit, præjudicare ei, a quo adhibitus est, nullatenus debet: si continuo de ipso errore fuerit reclamatum* [x].

DE METALLIS ET METALLARIIS [y].

Imp. Constantinus A. ad Maximum Rationalem

[a] Cod. Just. *Int. vero reum exhibitum non per ferr.*, impr. Go. et Reinesio. Hic vult *reo* pro *viro*, ex Cod. Just.

[b] Reinesius putat scriptum fuisse in C. Th. *inici*, i. e *intici*.

[c] Cod. Just. ad *si criminis qualitas etiam catenarum acerbitatem postulaverit.*

[d] Cod. Just. *sub fida*, quod sce. Go. minime opus est.

[e] 4 *evegetari*, sed em. *vegetari*. In Cod. Just. add. *ac sublevari*. Ibidem mox *in vest.*

[f] Cod. Just. *dignoscitur.*

[g] Fol. 8. [1] cod. 4. In ima pagina est signum quatern. *B.*

[h] 4, Til. — Ri [*]. *judicii*, sed Bc. jub. Go. ex Cod. Just. recte rest. *judici.*

[i] Aur. Lugd. *tempui*, err. typ.

[j] 4, Til. — Ri [*]. *officii*, sed recte Be. auct. Go. ex Cod. Just. rest. *officium.* Alia Go. cj. *penes quem officii.* (i. e. officialium seu ex officio) *custodia est* minus probabilis est. Etiam Reinesius em. *officium.*

[k] Ita Be. ex Cod. Just.; 4, Til. — Ri [*]. *pœna.*

[l] Bc. in not. recte rep. *Constantino* Vid. Reland. I. c. p. 306. Perperam Ri [*]. om. *A.* VI. *et Constantio.*

[m] Etiam in Cod. Just. (*Imp. Constantin. A. ad Crispinum*) et C. Th. XII, 1, 2 dignitas deest. In Cod. 4, Til. — Cuj. 2* lacunæ nullum est indicium. Go. et Ri. quatuor puncta ponunt, Ri [*]. sex. Bc. ut nos.

[n] In Cod. Just. add.: *vel ad duumviratus aliorumque honorum infulas, vel munus aliquod* (Ms. Veron. *etuocatus*) *evocatus* ex c. 19 h. t., prob. Go.

[o] Ita Be. ex Cod. Just., sed ms. Veron. *mensuum* et 4 *duum mensu.* et edd. ante Be. *duum mensum*, antiqua scriptura. Vid. not. sq.; C. Th. XII, 1, 2; IV, 6, 3, not. *o.* Cod. Just. *mensium spatia ei.*

[a] Cod. Just. *cognoverit — debent duorum mensium* (Ms. Veron. *debet quorum mensuum*) *spatia.* 4, Til. — Ri [*] *mensum.*

[b] Ms. Veron. VII.

[c] Ita etiam Cod. Just.; Bc. em. *Constantino*, recte. Vid. Reland. l. c, p. 306. Ms. Veron. *Const. a. V. (?) et ost. cc. css.*

[d] 15 *Basso.*

[e] Hanc c. periisse Go. affirmat. Mox Til. — Ri [*]. *decetero.*

[f] 4 *civibus*, rec. man. corr. *civilibus.* 15 *civilibus muneribus.*

[g] 15 *cognovimus etiam eos inquietari.*

[h] 15, 50, 51 *legis oblicationem.* Fol. 396 [a] cod. 4 incip. cum v. *clericorum.*

[i] 15, 50, 51 om. *que.*

[j] 15, 50, 51 *V.*

[k] 15 *Constante.* Be. em. *Constantino*, recte.

[l] 50, 51 om. *C.* Aur. Lugd. *Cons.*

[m] Cod. Just. *de Erroribus adv. vel libellos seu preces concipientium.*

[n] 10, 18 *Jorio.* 33 *Rufino.*

[o] 15 *Vicario.* Vid. c. 2 C. Th. de temp. cursu (II, 6).

[p] 6—8, 16, 17, Til. *sine.*

[q] 38 XV.

[r] 20, Sich. *Constantinopoli.* 21, Til. *Constantinop.*

[s] 19, 35, 38 VII. 20, 21, 24, 26, Sich. Til. om. VI. *et*, sed Sich. in m. add. V. et Til. in m. VI.

[t] Fere omnes codd., Cuj. 1 — Ri [*]. Sich. in m. et Til. in m. *Constantio.* Go. in annott. *Constantino.*

[u] *Cæs.* om. in multis codd. et in Cuj. 1. Aur. Lugd.

[v] 20, 21 et alii codd., Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *suscepta.*

[x] Nonn. codd. *proclamatum.*

[y] 25 *De Metallis et cet.* Nonn. Codd. *metaliariis.*

Digitized by Google

Africæ. Secandorum marmorum ex quibuscumque metallis volentibus tribuimus facultatem; ita ut, qui cædere metallum atque ex eo facere quodcumque decreverint, etiam distrahendi habeant liberam potestatem. *Dat. prid. kal. Oct. Constantino A.* VI. *et Constante* [a] *C. Coss.* (320).

DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

Imp. Constantinus. A. Æliano Proconsuli Africæ [b]. Legati non solum civiles, sed et [c] criminales caussas audiant, ita ut, si sententiam in reos ferendam perviderint [d], ad proconsules eos transmittere non morentur [e]: ab omnibus enim judicibus hoc observari oportet, ut, supputato tempore competenti, quo necessaria caussæ criminalis [f] instructio poterit adhiberi, maturam vel nocens pœnam, vel absolutionem innocens consequatur. *Dat. kal. Oct. Constantino A.* VI. *et Constantino Cæs.* [g] *Coss.* (320).

DE VETERANIS.

Imp. Constantinus A. ad universos veteranos. Veterani juxta nostrum præceptum vacantes terras accipiant, easque perpetuo habeant immunes; et [h] ad emenda ruri necessaria pecuniæ in nummo [i] viginti quinque millia follium consequantur, boum quoque par, et frugum promiscuarum modios centum. Qui autem [j] negotii gerendi habuerit voluptatem, huic centum follium summam immunem habere permittimus. Præter hos ergo, qui vel domiciliis vel negotiis detinentur, omnes qui vacatis et nullum negotium geritis, ne inopia laboretis, ad hoc remedium debetis concurrere [k]. *Dat.* III. *Id. Oct. Constantinopoli* [l], *Constantino A.* VI. *et* [a] *Constantio* [b] *C. Coss.* (320).

DE FAMOSIS LIBELLIS.

Imp. Constantinus A. ad Januarinum [c] *Agentem vicariam præfecturam* [d]. Ut accusatoribus patientia præbenda est, si quem persequi in judicio volunt, ita famosis libellis fides habenda non est, nec super his ad nostram scientiam referendum, cum eosdem libellos flammis protinus conducat aboleri, quorum auctor [e] nullus exsistit. *PP. prid. Non. Dec. Romæ, Constantino A.* VI. *et Constantio C. Coss.* (320).

DE PAGANIS, SACRIFICIIS ET TEMPLIS [f].

Imp. Constantinus A. ad Maximum [g]. Si quid [h] de palatio nostro aut cæteris operibus publicis degustatum fulgore [i] esse constiterit, retento more veteris observantiæ, quis portendat, ab haruspicibus [j] requireretur, et diligentissime scriptura [k] collecta ad nostram scientiam referatur: cæteris etiam usurpandæ hujus consuetudinis licentia tribuenda [l], dummodo sacrificiis domesticis abstineant [m], quæ specialiter prohibita sunt § 1. Eam autem denuntiationem atque interpretationem, quæ de tactu amphitheatri scripta est, de qua ad Heraclianum tribunum et magistrum officiorum scripseras, ad nos scias esse perlatum [n]. *Dat.* XVI. *Kal. Jan. Serdicæ* (320). *Acc.* VIII. *ad.*

15 om. *Et Metallariis.* Cod. Just. *De Metallariis et metallis, et procuratoribus metallorum.*

[a] Go. in Chron. et Be. recte em. *Constantino.* Ri. crr. om. *et.*

[b] 5 *Alieno*; sed Cod. Just. *Æliano.* In cod. Pl. 1 om. *Æliano.* De Æliano h. a. Proc. Afr. vid. Go. Prosopogr. v. *Ælianus.*

[c] Cod. Just. *etiam.*

[d] Ita 5, recte. Schr., cj. *præviderint.* Cl. Pu. W. Cod. Just. *providerint.* Russ. in m. *si sententia mox reos feriendos non providerint.*

[e] Post. v. *morentur* omnia des. in Cod. Just.

[f] 5, Cl. Pu. *necessariæ c. criminalis*, impr. Schro.; W. *necessaria* (ex cj. Ba.) *c. criminali.*

[g] Hanc subscr. recte suppl. Cl.; 5 (om. VI.) *et Constancio consul.* Cæterum Cl. in corr. *Constantino* pro *Constantio*, quod ed. Subscr. deest, in Cod. Just.; restitt. eam ex C. Th. Bk. et Herm.

[h] In codice est *eademenda.* Cæterum Go. in comm. propter c. 8 h. cj. *vagantes*; mavult etiam infra legi *pecunias*, sine caussa. Neque rectius Reinesius cj. *in pecunia.*

[i] Aur.—Be. *nummum.* Codex, Cuj. 1 *nummu*, mendose, est autem in codice syllaba *mu* non absimilis syll. *mo.* Go. cj. *in nummis.* Sec. Cuj. 1 et codicis scripturam probabilius est *nummo*, quod recepi. Volebat nescio quis *immunis*, impr. Go. Schultz l. c. p. 617 et 629 em. *pecuniam immunem v. q. m. sive follium c.* Codex *militia* pro *milia.*

[j] Cuj. 1 *aut* i. e. *autem.* Hoc compendium scripturæ Cuj. 4 sæpe habet in c. 4 h. t. In vv. *vel negotiis* incipit pag. secunda folii LXXIV codicis.

[k] Ita Go.—Be. ex ms., recte. Cuj. 1 — Cuj. 2* *recurrere*, impr. Go.

[l] Non recte se habet locus, unde hæc c. data est. Ortum est *Constantinop.*, ut in aliis etiam locis, occasione v. sequentis *Constantino*, et hac de causa expungendum est auct. Go. et Be. Minus probabilis est eorum opinio, qui censent, hujus Codicis auctores hanc legem, quæ Licinii erat in nomen Constantini mutasse atque adeo etiam cum huic legi subscriptum esset nomen *Byzantii*, substituisse *Constantinopol.* Cf. Le Gendre, Episcopale jud. p. 33—35, c. 1 App. C. Th. not. *a*, c. 2 C. Th. Fam. herc. (II, 24), not. *m.*, infra XI, 30, 12, not. *i.*

[a] In Aur. Lugd. bis scriptum est v. *et.*

[b] Ri. cj. *Constantino.* Be. aut *Constantino* scribi jubet aut antea *Constantino A. VII.* Vid. etiam Reland. p. 307. Mox Aur. Lugd. *Cons.*

[c] 4, Aur. Lugd. *Januarinum.* Rell. *Januarium.* Vid. C. Th. IX, 1, 2, not. *x*, IX, 21, 2, not. *y*; IX, 37, 1, not. *n.*

[d] Add. *urb. Rom.*

[e] 4 *actor*, sed em. *auctor.*

[f] Cuj. 1 — Cuj. 2*. Lab. *De paganis sacrificiis, et templis*, impr. Go., qui comma post *Paganis* reposuit, quod jam Til. habet et Cod. Just. Vid. Go. not. ad hunc titulum et Fabrot. l. c.

[g] Go. Be. addi jubent præfecti urb. sigillum.

[h] 4, Til. *qui* et 11 *quis* male; sequitur *aut ceteris operibus publicis degustatum — constiterit.*

[i] Go. Fabr. Be. usitatius esse dicunt *fulgure* (i. e. fulmine), idque rep. Rein.

[j] Fol. 445 [b] cod. 4. 11 *observande* et *portentat ab aruspicibus.*

[k] Go. aliquando cj. *scriptura collectum* vel *strictura collecta*, neque vero asseverabat reponendum. Fabrotus, etsi sanam vulgatam scripturam esse putat, tamen probabilem esse concedit em. *stricturam.* «Stricturas, inquit, et fulminis reliquias summa diligentia colligebant et sepeliebant (haruspices).» Infra *interpretationem, quæ — scripta est.*

[l] Ri. Ri*. *tibuenda*, mendose.

[m] 11 *licentiam — abstineant* (om. *quæ*) — *Ea — eraclianum.* Rein. corr. *Proculianum*, fortasse propter c. 1 C. Th. de Distrahend. pignor. (XI, 9).

[n] Be. vult *perlatam*, etsi Go. nil mutandum existimat.

Digitized by Google

Marl. Crispo II *et Constantino* II [a]. *Cæss. Coss.* (321).

DE CASTRENSI OMNIUM PALATINORUM PECULIO.

Imp. Constantinus A. ad Severum P. U. Omnes Palatinos, quos Edicti nostri jamdudum certa privilegia superfundunt, rem, si quam, dum in Palatio nostro morantur, vel parcimonia propria quæsierint, vel donis nostris fuerint consecuti : ut castrense peculium habere præcipimus. Quid enim tam ex castris est, quam quod nobis consciis, ac prope sub conspectibus nostris aquiritur? Sed nec alieni sunt a pulvere et labore castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præsto sunt semper actibus, quos intentos, et eruditos studiis, itinerum prolixitas, et expeditionum difficultas exercet. Ideoque Palatini nostri, qui privilegiis Edicti uti potuerunt, peculia sua præcipua retineant : quæ dum in palatio nostro constituti sunt, aut labore (ut dictum est) proprio, aut donatione nostra quæsierint. *PP. X. Kal. Jun. Constantino A. VI. et Constantio C. Coss.* 320. (*Ex Cod. Just.*)

Anno Domini 321.

Crispo II *et Constantino* II *Cæss. Coss.*

DE JUDICIIS [b].

Imp. Constantinus A. ad Maximum [c]. Judicantem oportet cuncta rimari et ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adjiciendique [d] patientia prædita ab eo [e] : ut, ubi actio partium [f] limitata [g] sit [h], contentiones non occursu judicis, sed satietate altercantium metas compresserint [i], sæpius requiratur, et crebra interrogatione judicis frequentetur [j], num [k] quid novi [l] resideat, quod annecti allegationibus in judiciaria contentione [m] conveniat? cum ad [n] alterutrum [o] hoc proficiat, sive definienda sit caussa per judicem, sive ad nostram scientiam referenda [p]. Nec ad nos mittatur aliquid, quod plena instructione indigeat [q]. *Dat. prid.* [b] *Id.* [c] *Jan. Sirmio* [d], *Crispo* II. [e] *et Constantino* [f] II. [g] *Coss.* [h] (321).

INTERPRETATIO. *Judex cum caussam audire cœperit, litigatorum assertiones vel responsiones patienter accipiat et omnia plena discussione perquirat. Nec* [i] *prius litigantibus sua sententia velit obviare, nisi quando ipsi* [j], *peractis omnibus, jam* [k] *nihil amplius* [l] *in contentione habuerint, quod proponant : et tam diu actio ventiletur, quo usque rei veritas invenitur* [m], *frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum fortasse remaneat : quia si apud ipsum finienda caussa est, totum debet agnoscere. Sin* [n] *vero ita res exigit* [o], *ut ad principis notitiam deferatur* [p], *plena discussis omnibus data relatione debet esse suggestio* [q], etc.

Imp. Constantinus. A. ad Maximum Pf. Ur [r]. *Ad locum.* Eum, qui sciens judicio adesse neglexerit, ut contumacem index mulctabit. *Dat. X. Kal. Jun. Sirmio, Probiano et Juliano Coss.* (322).

DE APPELLATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Maximum... Post alia : Nemo in refutatione aliquid congerat, quod asserere intentione neglexerit [s]. Quod quidem sæpe fit industria, si, quod quis probari posse desperet, in præsenti disceptatione dissimulet, certus, se esse revincendum, si commentitia et ficta suggesserit. Propter quod cogi etiam singulos oportebit ad proferenda in judicio uni-

[a] 11 *Acæ — Crispoti et Constantiniano* II *a.* Go. — Be. om. annum post *Serdicæ*. Fabr. *Serdicæ. A. CC. VIII* — II. (om. *Cæss.*) *Coss.* Aur. Lugd. *Constantio* pro *Constantino*.

[b] Aur. Lugd. in m. *Judicibus*.

[c] Add. *Pf. U.* Vid. c. 1 C. Th. de Respons. prud. (I, 4) not. *e*.

[d] 10, 18 *aut pr. adhibendique*.

[e] 6, 7, 14 *probita*. 33 om. *ab eo—limitata*.

[f] 19, 20 *ut abjectio p.* Go. Ri. Ri [*]. Ben. Lev. Grat. *ibi*. Go. scribi vult *et ibi*.

[g] Sich. in m. *limata*.

[h] 15 add. *et*, non male. Go. cj. *fuerit, et*. W. prop. *et contentiones non occursus judicis, sed satietas altercantium in metas compresserit*, aut ejiciendum esse putat *metas*. Sed nihil mutandum est.

[i] 20. Sich. add. *vel contempserint*, sed. Sich. in m. *Arrepsit in contextum aliunde*. 19 *compresserit*.

[j] 6—8, 10, 16—18 *requirantur—frequententur*. 14 *requirant*.

[k] 8, 19, 20, 33, Sich. et Cuj. 1. Aur. Lugd. *ne*, probb. Go. et Ri.; sed Cuj. 1. Aur. Lugd. in m. *num*.

[l] 6, 7, 16 *nobis*. 10 *nove*. 18 *novere sedeat*.

[m] 19 *jud. discussione c.* 20, Sich. *cont. vel discussione conv.*

[n] 15 *Ne ad.* — 19, 20, 33 om. *ad*.

[o] 33 *alterutrorum*. Aur. Lugd. *alterum*.

[p] 20 add. *et*. Mox 20 *referendam*.

[q] Go. Ri. Ri [*]. *indiget*. In Cod. Just. hæc c. ita habetur : *Judices oportet inprimis rei qualitatem plena inquis. discut., et tunc utramque partem sæpius interrogare : num quid novi addere desideret? cum hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda caussa per judicem, sive ad majorem potestatem referenda sit*. Cf. Dirksen l. c. p. 408.

[b] 19, 20, Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *IIII*, sed Sich. in m. *II. Prid.* et Cuj. 1. Aur. Lugd. in m. *prid.* 36, 40 om. *Dat. prid. Id.* 26 *III*.

[c] 15, 24, 33 *kal.*

[d] Ita sive *Syrmio* codd. et edd. Sich.—Ri [*]. ; Be. et W. *Sirmii*. 24 *Remedio*. 33 *Rom.*

[e] 10, 18 *Cr. III*.

[f] Multi codd. *Constantio*.

[g] 6, 7, 10, 16, 18, Til. add. *VV. CC.* et 27, 38, 42 *V. C.* 24, 40 *CC. Coss.* pro *II Coss.* Leg. *II. CC. Coss.*

[h] Cod. Just. *Licinio V. et Crispo Coss.*, ut referatur ad ann. 318.

[i] 20 *ne*.

[j] Ita 8, 9, 42, alii, Sich. Cuj. 1—Cuj. 2 [*]. 43 *ipse*. 6, 7, 20, alii codd. et Go. Ri. Ri [*]. *ipsis*.

[k] 20, Sich. *si jam*.

[l] Plerique codd., Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *jam* (om. *nihil amplius*) *cont. non hab. q. proponant* (om. *et tam diu actio ventiletur*) : *quo usque*.

[m] Ita 6, 7; 8 v. *invenietur*. 10, 18 *invenit*, alii *pervenitur*. Multi codd. et edd. *perveniatur*. Cuj. 1. Aur. Lugd. in m. *inquiratur*.

[n] Multi codd. *Si*.

[o] Nonn. codd. *exigitur*, alii *exigerit*.

[p] Nonn. codd., *referatur—datur*.

[q] Sich. *suggessio*, err.

[r] Dignitas deest in Cod. Just. Go. add. vult *P. V.*, prob. Be. Cf. c. 1 C. Th. de Responsis prud. (I, 4), not. *e*. Lacunam indicavi punctis.

[s] Mend. Go. *neglexererit*. Idem. ann. : « Id est *in disceptatione*, ut mox dicitur, seu *in judicio*. »

Digitized by Google

versa, quæ ad substantiam [a] litigii proficere arbitrantur, atque ea ratione urgeri, ut sciant sibi ex auctoritate legis istius non licere refutatoriis tale aliquid ingerere [b], quod apud judicem non ausi fuerint publicare. Nam si plena, ut jubemus, assertio per litigatorem in judiciis exseratur, et integra instructio in consulti [c] ordinem conferatur, stabit ratum ac fidele, quod judicia nostra rescripserint, neque ullus querimoniæ locus dabitur nec [d] occasio supplicandi, ut convelli labefactarique jubeamus, quæ ad relationem ejus sanximus, qui neque vera neque universa suggessit. Omnes igitur partium allegationes, acta universa scripturarumque exempla omnium dirigantur. Quod cum universos judices, tum [e] præcipue sublimitatem tuam, qui cognitionibus nostram vicem repræsentas, servare conveniet. § 1. Sane etiam ex eo querimoniæ litigantium oriuntur, quod a vobis, qui imaginem principalis disceptationis accipitis [f], appellationum adminicula respuuntur. Quod inhiberi necesse est. Quid enim acerbius indigniusque est, quam indulta quempiam potestate ita per jactantiam insolescere, ut despiciatur utilitas provocationis, opinionis editio denegetur, refutandi copia respuatur? Quasi vero appellatio ad contumeliam judicis, non ad privilegium jurgantis inventa sit, vel in hoc non æquitas judicantis, sed litigantis [g] debeat considerari utilitas [h]. *Dat. prid. id. Jun. Sirmio, Crispo* II. *et Constantino* II. *Cæss. Coss.* (321).

DE [k] HONORARIIS CODICILLIS.

Imp. Constantinus A. ad Severum Pf. [l] *U.* Si quis A judicio nostro se adeptum codicillos adstruxerit, et idem vel superna codicillorum impressio vel scriptura adstipuletur interior, tamen, si ad hoc pecuniam constabit speratam [a], nihilominus rejectus in plebem, quo plus extorquere conatus est, abdicetur. Hos enim solos, qui intra palatium versati sunt vel administrationibus functi, ad honores excipi [b] oportebit, cæteris cunctis exemptis et suis restitutis. Si qui tamen bonorum virorum suffragio, nulla data pecunia, vel provinciæ legatione suscepta nostris sunt obtutibus illustrati, hi [c] duumviratus, curas, *testi*monium [d], provinciæ lucrati, cætera munerum publicorum obire non abnuunt. Qui vero coemptis procurationum administrationibus [e] post lucra de fisco captata vacationem meruerunt [f], sive perfectissimi sunt [g], sive inter [h] egregiorum ordinem locumque constiterint [i], decuriones nominentur. Quibus illi quoque addendi sunt, qui neque ex administrationibus [j] sunt, et tamen ut perfectissimi delitescunt. *Dat.* X. *Kal. Febr. Sirmio* [k] *Acc. Non. Apr. Crispo* II, *et Constantino* II [l] *CC. Coss.* (321).

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

Imp. Constantinus A. ad. Claudium Præsidem Daciæ [m]. Licet [n] legum auctoritas filiorum potius [o] quam matrum personis voluit [p] laborem incumbere, ut de inofficioso agentes intra præfinita tempora doceant [q], nullo suo vicio factum, nec [r] offensionem se parentibus præstitisse, sed jugiter obsecutos, ut naturæ ipsius religio flagitabat, disciplinam illæsam inof-

[a] Fol. 184[a] cod. 4.

[b] Go. am.: « Et inserere. »

[c] Cuj. 2, 2° *inconsulti*. Consulti, i. e. consultationis sec. Go.

[d] 4 *querimoniæ l. d. ne*, ab ant. manu em. *nec*.

[e] 4, Til. Cuj. 1. Cuj. 2 — Ri°. *tunc*. Be. jubente Go. recte em. *tum*. quod jam Aur. Lugd. edd. habent.

[f] Fol. 184[b] cod. 4. §. sola transiit in Cod. Just., ubi sic legitur: *Eos etiam, qui imaginem principalis disceptationis accipiunt, appellationum adminicula necesse est accipere.*

[g] Vv. *inventa sit — litigantis* bis scripta sunt in cod. 4, secundo tamen loco deleta punctis.

[h] Go. in comm. h. c. em. *vilitas*, i. e.: « Cum in hac re, spectanda sit æquitas Judicantis, bene an male judicaverit, non vero contemptim habenda seu spernenda ad Judicis potestatem et majestatem comparata litigatoris *vilitas*. » Accidisse scio, ut inter hæc vv. (*vilitas* et *utilitas*) commutatio orta sit: sed h. l. plane falsa est Go. opinio. Sententia hæc est: appellatio non contumeliosa est judici, sed litigantis privilegium, nec ea tam æquitati judicantis diffiditur, quam litigantis utilitati prospicitur.

[i] Be *Sirmii*.

[j] Cod. Just. om. *Cæss.* Aur. Lugd. *Cons.*

[k] Hinc incipit pag. secunda folia XVII codicis.

[l] Severus Pf. U. h. a. non commemoratur, sed Valerius Maximus; demum inde a prid. Non. Ian. ann. 325 Severus dicitur Pf. U. fuisse, quare Go. in subscr. *Crispum* III. *et Constantinum* III. *Coss.* (324) reponi vult in Chron. autem h. a. legi jubet *ad Maximum Pf. U.*, aut h. c. referri ad ann. 320. Sed etiam in c. ult. C. Th. de Privileg. eor. (VI, 35) anno 320 proposita, Severus dicitur Pf. U. et in c. 1 C. Th. de prædiis min. (III, 32), quæ c. incidit in annum 322, dignitas Severi omissa est, ubi tamen argumentum legis, quod ad præfecturam potissimum urb. spectat, videtur postulare, ut in inscr. reponatur. *Pf. U.*: quas ob causas omnis mutatio lubrica est. Be. cj. *PPf.* (Propræf. sive Vicar.), male. In codice periit v. *Imp.*

[a] Go. mendose edid. *separatam*.

[b] Tentaverat aliquando Go. *erigi* vel *evehi* vel *exciri*, sed postea ipse mutavit sententiam.

[c] V. *hi* deest in ed., extat autem. sec. Go. in mss.; recte.

[d] Go. em. *testimonio*, quo facile caremus. Idem primum commata posuit post *duumviratus* et post *curas*, nam in Cuj. 1 — Cuj. 2° vv. *duumviratus — lucrati* continuo scripta sunt.

[e] Go. in not. *procurationib.* vel *administrationibus*, non recte.

[f] Codex *meruerunt*. Edd. *meruerint*.

[g] Be. malvult *sint*.

[h] Go. cj. *intra*; sed vid. infr. c. un. C. Th. de Perfectiss. dign. (VI, 37): *in aliquo negotio constiterint*.

[i] Go. err. *constiterit*. Codex *decoriones* et infra *delitiscunt*.

[j] Sec. Go. pro *administratoribus*, recte si hæc est explicatio.

[k] Be. *Sirmii*, Mox Aur. Lugd. mendose *Crispo* II. (om. *et*) *Constantinop.* II.

[l] Vid. præc. col. not. *l*.

[m] 6, 7 *Dachiæ*. 20 *Daiæ*. 8 *Dacinie*. 10, 18 *Achaiæ* Cod. Just. *Pr. provinciæ D.*

[n] 19 *Liceat*.

[o] 8 om. *potius*.

[p] 26 *laborare i., unde*. 33 *volunt l. i., et de*.

[q] 6—8, 10, 16—18 *in nullo*. 19, 20 *doceantur*.

[r] 10, 18 *ne*.

Digitized by Google

fensamque servasse, ut his probatis[a] removeant parentum voluntatem[b] : tamen si mater[c] contra filii testamentum inofficiosi actionem instituat, inquiri diligenter jubemus, utrum filius nulla ex[d] justa caussa læsus matrem[e] novissima læserit voluntate, nec luctuosam ei nec legitimam[f] reliquerit portionem, ut testamento remoto[g] matri successio deferatur, si tamen defuncto consanguinei agnati[h] non sunt[i] superstites[j] : an mater inhonestis factis atque indecentibus[k] votis[l] filium forte obsedit, insidiisque eum vel clandestinis vel manifestis[m] appetiit, vel inimicis ejus suas amicitias copulavit, atque in aliis sic[n] versata est, ut inimica[o] potius quam mater crederetur : hoc[p] probato, invita etiam acquiescat[q] filii voluntati. *Dat.* VIII[r], *Id. Febr. Serdicæ, Crispo*[s] *Caes.* II *et Constantino*[t] II *C. Coss.* (321).

INTERPRETATIO. *Quamvis leges filiis, si prætermisso testamento fuerint, majorem quam matribus agendi de-*

[a] 20 *servasset ut pro his orbatis.* 33 *illatam offensamque reservasse.*

[b] 9, 15, 19, 20, Sich. Cuj. 1—W. *removeri parentum valeant testamenta.* 6—8, 10, 14, 16—18, Til. *removeant p. voluntatem testamenta*, in quo vera lectio delitescit, sed ejiciendum est cum Bestio p. 41 *testamenta*, præsertim cum lectio vulg. ducta sit ex cod. 20, qui codex non raro glossemata habet. Contra Ri. codicum lectionem defendens interpunctione addita sensum restitui posse putat ita : *illæsam, inoff. servasse ut his probatis removeant parentum voluntatem. Testamenta tamen, si mater*, etc. Vid. Ri. in Præf. t. I, p. XIV.

[c] Hæc sententia ita mutata est in Cod. Just.: *Liberi de inofficioso querelam contra testamentum parentum moventes, probationem debent præstare, quod obsequium debitum jugiter, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint : nisi scripti hæredes ostendere maluerint, ingratos liberos contra parentes exstitisse. Sin autem mater*, etc. Cæterum 6—8, 14, 17 *matrem.*

[d] Ita omnes codd., Sich.—Cuj. 2*, Cod. Just., sed Go.—W. om. *ex.*

[e] Cod. Just. add. *in.*

[f] 9 add. *ut.* Cod. Just. *eo quod neque luct. ei et leg.* Hal. tamen om. vv. *eo quod.*

Imp. Constantinus [e] *A. ad Populum.* Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo catholicæ [f] venerabilique concilio [g] decedens bonorum, quod optavit, relinquere [h]. Non sint cassa indicia [i]. Nihili est, quod magis hominibus debeatur [k], quam ut supremæ voluntatis [l], postquam aliud [m] jam velle non possunt, liber sit stilus, et licens [n], quod iterum non redit, arbitrium. *PP. V. Non. Jul. Romæ, Crispo* II. *et Constantino* II. *Cæss* [o]. *Cæss.* (321).

DE FERIIS P.

Imp. Constantinus Aug. Elpidio [q]. Sicut indignissimum videbatur [r] diem solis [s], veneratione sui [t] celebrem [u], altercantibus jurgiis et noctiis [v] partium contentionibus occupari, ita gratum [a] ac jucundum [b] est, eo die, quæ sunt maxime votiva [c], compleri. Atque ideo [d] emancipandi et [e] manumittendi die festo cuncti [f] licentiam habeant, et [g] super his rebus acta [h] non prohibeantur [i]. *PP.* i *V.* [k] *Non.* [l] *Jul.* [m] *Caralis* [n], *Crispo* II. [o] *et Constantino* [p] II. *Coss* [q]. (321).

INTERPRETATIO. *Quamvis sancta die dominica* [r] *omnes lites ac repetitiones quiescere jusserimus, emancipare tamen ac manumittere minime prohibemus, et de his rebus gesta confici pari ordinatione permittimus.*

DE VECTIGALIBUS ET COMMISSIS.

Imp. Constantinus A. Menandro [s]. Universi provinciales [t] pro his rebus, quas ad usum proprium vel ad fiscum inferunt vel exercendi ruris [u] gratia revehunt, nulla vectigalia a stationariis [v] exigantur. Ea vero, quæ extra prædictas [x] caussas vel negotiationis gratia portantur, solitæ præstationi [y] subjugamus. *Dat.* 3. *Id. Jul. Crispo* II. *et Constantino Coss.* (321).

[a] 6—8, 21, et multi alii codd. *si qui.* 20 *is qui.* 42 *si plus.*

[b] Ita cum codd. 6, 7, 20, 21 plerique codd.; edd. *aut merc. aut.*

[c] 6—8, 21 om. *cæperit*, sed add. in cod. 21 *voluerint.* 20 *gravaverit peric.* 42, Sich. *gravare voluerit.*

[d] Multi codd. *noverint esse damnandos.* Sich. *periculum* (ita etiam Cuj. 1) *capitis se n. subiturum*, sed in m. *damnandum.* 20 *captis.*

[e] Cod. Just. *Imp. Constantinus.*

[f] Cod. Just. *Catholico.* 51 *sanctissimæ. Catholicæ*, sc. fidei s. religionis s. ecclesiæ. Vid. C. Th. XVI, 5, 52, not. *n.*

[g] 50, 51 *venerabilisque concilii.* 15 *Unusquisque decedens habeat licentiam sanctæ catholicæ ecclesiæ venerabilique concilio bonorum*, etc.

[h] Cod. Just. *relinquere, et non.* Go. : « forte et *optabit.* »

[i] 15 *Non sint cassa extrema judicia*, non male. Ri. Ri **. concilio decens bonorum quod optavit relinquere. Non ede sint cassa judicia*, mendose.

[j] In Cod. Just. add. *enim*, quod Be. h. l. excidisse videtur; sed 4, 15, 50, 51 om. *enim.*

[k] Ita 15, 50, 51, Cod. Just.; 4, edd. *debetur*, quod falsum non est.

[l] 15, 50, 51 *quam* (om. *ut*) *suprema voluntas.*

[m] 15 *postquam jam aliud.*

[n] 15, 50 *libens.* Cod. Just. *licitum.*

[o] 15, 50 om. *Cæss.* Til. — Ri*. Lab. *Cæss.*, sed 4, Be. Cod. Just. *Cæss.* Cæterum 51 *pp. a. V. non.*

[p] 28, 40, 41 *De Die Dominico et Feriis.*

[q] Ita plerique codd., alii *Hilpidio, Helidio, Adilpidio, Helydio.* 38 *Hlpidio ag. cons.* 29 om. *Elpidio.* Sich. *Helvidio.* Rell. *Helpidio.* Sed vid. Go. in Prosopogr. Dignitas om. In c. 6 Cod. Just. de Ædif. priv. (VIII, 10), ad eumdem Elpidium eodem a. VI. Kal. Jun. data appellatur *agens vicem Præf. præt.*, quam ob rem eum præsidem Sardiniæ fuisse non puto, quod Go. videtur placuisse, quoniam hæc lex *Caralis proposita* dicitur Sardiniæ oppido.

[r] 20, 21, Sich. *ut diem*, sed in cod. 20 scriptum est *ut* supra lin.

[s] 15 *quem dominicum dicimus.* Vid. Selden de Jur. natur. gent. et civ. III, 19 et Go. ad h. l. not. *d.*

[t] Ita Be. W. ex cj. Go. et 6 (sec. Ri.), 8, 10, 15—19, R.; 6, 7, 14 *venerationem sui.* 9 *venerationi suæ.* 20, 21 Sich. —Ri*. *venerationis suæ.*

[u] 20, 21, Sich. *celebrent.*

[v] 20, 21 *jurg. innoxiis* Sich. *in noxiis*, mox Sich. *occupati.*

[a] Be. *gradum*, mendose.

[b] Edd. ante Be. præter Aur. et Lugd. *jocundum*, ut plerumque codd. Nonn. codd. *et juc.*

[c] De h. v. vid. Go. not. i. ad h. l. 19 *vota impleri.*

[d] In his vv. incipit extrema pars c. 8 Cod. Just. et Coll. Ans. ded. c. 2 citt.: *In his tamen et emancipandi.*

[e] 8 *ac manumittendi.*

[f] 15 *manumitt. cuncti d. f.* Cod. Just. Coll. Ans. ded. om. *die festo.*

[g] 20, 21 om. *et* 16 *et supra his.* Cod. Just. et Coll. Ans. ded. om. *rebus.*

[h] 30, 24 Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. Go. Ri. Ri*. Lab. *actus*, quod Go. in comm. defendit. Cuj. 2, 2* *actu.*

[i] 20, 21 Sich. *prohibeatur.*

[j] 10 *publio.* 19, 31, 26, 28, 40, Sich *Dat.* An. Reg. ap. Go. *publicata* pro *PP.* 20 *ppo.*

[k] Nonn. codd. om. *V.* et mox *Non.* 18 IV. 38 VI.

[l] 8 *id.* 26 *kal.*

[m] Ita omnes fere codd., Sich. in m. Til. et in m. Cuj. 1. Aur. Lugd., ubi *Julii calis* pro *Julii Caralis.* 20, 21, Sich. Cuj. 1—W. *Jun. s. Junii.*

[n] 8 Til. om. *Caralis.* 21, Be. *Carali.*

[o] Nonn. codd. *Crispoli* om. II, aut *Crispoli* II. 38 *Pristo Ulpiano* 20 *Crispio.*

[p] 10, 15, 18, 38 *Constantio.*

[q] Multi codd. om. II. aut *Coss.* 14, 24, 38 II. *CC. Coss.* 19 II. *ces. css.* 31, 35 III. 38 *VC. Coss.* In Cod. Just. prorsus est diversa subscriptio.

[r] 6—8, 20, 42—44 et multi alii codd., Cuj. 2., 2* *sancto d. dominico.* Mox 6 sec. Ri. *jussimus.*

[s] Menandrum, cujus dignitas et hic et in sq. const. etiam in cod. Just. omissa est, Go. putat præf. pr. Italiæ fuisse, sed P. Comitem Africæ, impr. W.

[t] 4 *provincialis.* W., auct. P., monet, vv. *univ. prov.* nominativos absolutos esse. Nolo in lege agnoscere nominativos absolutos, sed potius eamdem verbi *exigendi* constructionem accipio, qua est ap. Gell. Noct. Att. XV. 14 *exigor portorium* i. e. de me exigitur portorium. Aliter etiam Cod. Just. scriptura defendi non potest.

[u] Pu. *juris.*

[v] Ita P., prob. w., et Pu. 4 *nulla vectigal stationariis* et om. *a.* Cod. Just. *nullum vectigal a stat. exigantur.*

[x] 4 *prædictis.*

[y] Cod. Just. add. *vel pensitationi*, et sequuntur, quæ in Cod. Just. ex c. 3 h. t. in c. quintam ex utraque C. Th. constitutione conflatam translata sunt. Deest autem subscr. in Cod. Just.

Digitized by Google

DE VECTIGALIBUS ET COMMISSIS.

Imp. Constantinus. A. Menandro. Rusticanos[a] usibus propriis vel culturæ ruris *neces*saria revehentes, vectigal exigi non sinimus : capitali[b] pœna *pro*posita stationariis et urbanis militibus et Tertiis Augustanis, *quo*rum avaritia id tentari firmatur. Pro cæteris autem *rebus*, quas quæstus gratia comparant vendituri, solitum *oportet*[c] vectigal agnoscere. *Dat. Kal. Aug. Crispo II. et Constantino Coss.* (321).

DE MEDICIS ET PROFESSORIBUS[d].

Imp. Constantinus A. ad Volusianum...[e] Medicos, grammaticos et professores alios litterarum immunes esse cum rebus, quas in civitatibus suis possident, præcipimus, et honoribus fungi[f]; in jus etiam vocari eos vel pati injuriam prohibemus, ita ut, si quis eos vexaverit, centum milia nummorum ærario inferat, a magistratibus vel quinquennalibus exactus[g], ne ipsi hanc pœnam sustineant. § 1. Servus eis si injuriam fecerit, flagellis debeat a suo domino verberari coram eo, cui fecerit injuriam, vel si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat, servo pro pignore, donec summa hæc exsolvitur, retinendo. § 2. Mercedes etiam eorum et salaria reddi præcipimus. § 3. Quoniam[h] gravissimis dignitatibus vel parentes vel domini vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus. *PP.*[a] *Kal. Aug. Sirmio*[b], *Crispo et Constantino*[c] *CC. Coss.*[d] (321).

FAMILIÆ HERCISCUNDÆ[e].

Imp. Constantinus A. ad Verinum[f]. Cum dividendæ[g] res erunt, dubitari non potest, ab hæredibus suis[h] consensum[i] sine ulla controversia commodandum. Quod vero ad hujusmodi spectat[j] scripturas, in quibus talis defunctorum mens fuisse invenitur[k], ut de testamento intelligatur[l] tantummodo cogitatum, etsi repugnare jus videatur, hujusmodi quoque conscriptiones inter[m] suos duntaxat hæredes valere oportet, quemadmodum valent scripturæ simpliciter inchoatæ, quas[n] nulla solemnitatis adminicula

[a] 1 *rusticanousibus*. P. Pu. *Rusticani*, quod W. propter sqq. *exigi non sinimus* improbans, recte em. *Rusticanos*.

[b] Hinc desumpta est in Cod. Just. clausula legis 5 cit. *cap. pœna prop. stat. et urb. mil. et cæteris personis, quor. avar. id tent. firm.*, sed sec. W. inconcinne, cum statim præcedat mentio eorum qui sint vectigalibus subjugandi.

[c] Ad h. v. P. annotat : « Revera prima vocabul. littera est *e*, ita tamen ut ad *o* pendere videatur, quare supplevi *oportet*. »

[d] Cod. Just. *De Professoribus et Medicis*.

[e] Dignitas deest et hic et in Cod. Just. Go. Volusianum hoc anno præfectum prætorio fuisse quidem putat, neque vero ubi fuerit, decernit. Be. fortasse addendum dicit *Pf. P.* Idem antea, m. adscripsit Rein. Nihil apparet in 4, Til. Cuj. 2°. Be. Cod. Just., quo lacuna significetur; ea apud Go. — Ri°. quattuor punctis indicata est. Cod. Montispes. add. *Lib.* XIII *Leg.* Idem mox *Medicos et grammaticos*.

[f] Ita etiam cod. Montispes. In cod. 4 antiquitus videtur scriptum fuisse *fulgi*; rec. man. pro *l* posuit *n*. Til. — Lugd. *præcipimus : et honoribus fungi, in jus*. Cuj. 2 — Ri°. *præcipimus : et honoribus fungi : in* (Go. *in*) *jus*. Be. *præcipimus; et honoribus fungi, in jus*. et ann. Be. : « *et h. f.* conjung. non videntur cum *præcip.*, ad verbum *prohibemus* trahenda, propter ea, quæ in fine leg. occurrunt, nisi diverso sensu honorum voc. usurpatum quis malit, vel male interjecta superiora verba a librario sint. » Recte; nam honor est magistratus municipalis cum dignitatis gradu, cujus modi est duumviratus, ædilitas, quibus volentes tantum fungi vult legislator medicos, etc. Adde hæc vv. a seqq. disjungi non posse propter v. *etiam*, quod illico legitur; nisi fortasse in scriptura *fulgi* latet v. *fulgere*. Tunc scrib. est *præcipimus et honoribus* (i. e. dignitate) *fulgere. In jus*, etc. In cod. Montisp. hæc vv. conjunguntur quidem cum antecedentibus, neque vero quicquam, cum des. seqq. usque ad v. *retinendo*, ex eo duci potest argumenti.

[g] Fol. 299 [b] cod. 4. Til. *exact'* Baron. cj. *exactis*. Cæterum Til. — Cuj. 2°. Be. *inferat a magistratibus, vel q. e.* Go.—Ri°. *inferat, a Magistratibus, vel Q. e.*

[h] Locus desperatus. Be. ann. : « *graves* ins. vult Gfr. nescio quo sensu. Equidem ne conjecturis quidem locum esse puto, quippe justo fundamento plane destitutis. Olim conjeceram : *præcip., quo jam grariss. d. ut p. v. domini deesse non debeant. Et ut tut.*, etc. » Neutrius cj. sanatur locus, quamquam Go. *Quinetiam, quoniam autem, et quoniam* conjicit. Mihi videtur unus alter versus deesse, nisi hæc omnia usque ad v. *debent* pro glossemate habenda sunt, cum neque Cod. Just. neque Cod. Montisp. tale quid in h. c. fuisse indigitent. Dignum est hoc memoratu, etsi in cod. Montisp. multa omissa sunt. In Cod. Just. h. c. ita mutata est : (ex c. 1 et 2 h. t.) *Medicos et maxime archiatros, vel ex archiatris, Grammaticos, et professores alios litterarum, et doctores legum* (improb. Cuj. l. c. pag. 315 et Go.; vid. c. 5 h. t.), *una cum uxoribus et filiis, nec non et rebus — possident* (ex c. 3 h. t.) *ab omni functione, et ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse præcipimus : et neque in provinciis hospites recipere, nec ullo fungi munere* (ex c. 1 h. t.) *nec ad judicium deduci nec eximi, vel exhiberi, vel injuriam pati : ut si quis eos vexaverit, pœna arbitrio judicis plectatur. Mercedes etiam eis, et salaria reddi jubemus* (ex c. 3 h. t.) *quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant.* In cod. Montispes. § 2 h. c. ita se habet : *Mercedes etiam eorum et salaria reddi præcipimus fungi eos honoribus volentes permittimus invitos non cogimus*, et deest subscr.

[a] Go. vult *Dat.*, sed etiam Cod. Just. habet *PP.*

[b] Be. Cod. Just. *Sirmii*.

[c] Ita etiam Cod. Just.; Ri. em. *Crispo Cæs. II et Constantino Cæs. II* et Be. *Constantino II Cæs. Coss.*

[d] 4, Til. — Lugd. *C. Coss.* Cuj. 2 — Ri°. *Cæss. Coss.*, sed Rein. em. *Cæsaribus* et add. ann. 322. Be. *Cæss. Coss.* Cod. Just. *CC. Conss.*

[e] Codd. aut *De Familia Herciscunda*, ut in ind. tit. edd. Sich. Cuj. 1 — Ri°., sive *Erciscunda*, ut edd. ante Be., præter Til., aut *De Familia Erciscunde*, at 20, 24, 25, 39, 42 (in ind.), 43, 44, aut *De Familiæ Erciscunde* sive *Herciscundæ*, ut 5—7, 9, 16, 17, 42, Til. *Familiæ Erciscundæ*. Be. W. Cod. Just. *Familiæ Herciscundæ*.

[f] Vid. tit. de His, qui veniam æt. (II, 17) not. *s.*

[g] Multi codd. *dividundæ*. 9 *dividenti hæres*.

[h] 15 om. *suis*. 6 *ac h. s.*, errore. W. requirit *a suis her.* Bijdr. cj. *hæredibus tis*, i. e. *testamentis*.

[i] 19, 20, Sich. *concessum*.

[j] Plerique codd., Sich. Til. *exspectat*, quæ est vulgaris in veteribus codd. scriptura pro *spectat*.

[k] Omnes codd., præter 9 et 20 *fuisse mens inven.*

[l] 8 om. *ut—intelligatur*. 20 *intelligetur*.

[m] Sich. Til. *inscriptiones, inter*. Cuj. 1. Aur. Lugd. *inscriptio, inter*.

[n] 20 *quos*.

Digitized by Google

defendunt[a], solis nixæ [b] radicibus voluntatis [c]. Licet enim sub testamenti vocabulo cœtæ [d], cum perfectæ non sint, neque appellari aliter ullo modo possint, evanuisse videntur, tamen dispositiones [e] ultimæ, coloratam juris imaginem [f] referentes [g], justius in se legum proclivem [h] favorem debent [i] provocare. Quamobrem, cum, filiis ac nepotibus civili [j] jure vel auxilio prætoris ut [k] suis hæredibus defuncti successio deferatur [l], etiamsi cœptum[m], neque impletum testamentum esse memoretur [n], vel si ab utilitate [o] verborum vel solennitate juris inanis [p] scriptura esse dicatur, considerari specialiter voluntatem placet, et obsecundari protinus, cum res dividentur, nec retineri amplius, quam quod singulorum personis detegetur [q] adscriptum, ut et memoria defuncti non violetur parentis [r], et occasiones litium dirimantur [s]. *Dat.* IV.[t] *Kal. Septemb.*[u] *Crispo* [v] II. *et Constantino* [x] II *Coss.* (321).

DE SENTENTIAM PASSIS ET RESTITUTIS ET LIBERIS EORUM [y].

Imp. Constantinus A. ad Maximum Pf. U. [z] In quæstione testamenti, quod deportati [aa] filius remeante [bb] patre fecisset, remotis Ulpiani atque Pauli A notis Papiniani [a] placet valere sententiam [b], ut in patris sit filius potestate, cui [c] dignitas ac bona restituta sunt. § 1. Ita tamen, ut gesta [d] per filium, cujus consilia [e] legitima ætas firmaverat [f], rata sint [g], eodem in potestatem patriam [h] redeunte, ne [i] eorum rescissio efficiat, quod est maxime absurdum, eodem tempore nec in patris nec in sua quemquam fuisse potestate [j]. § 2. Minores enim ætate jure [k] quicquam [l] agere prohibentur. Quibus si damnato patre tutor datus est, necesse est, ut ab officio recedat [m], regresso eo, quem [n] non solum nomine redire [o], sed etiam officium suum nulla [p] pravitate corruptum liberis præbere oportet, ut eorum bona tueatur et augeat [q]. Nam si patria potestate ad corrumpendi atque effundendi [r] patrimonii licentiam abutetur [s], ut furioso ac dementi, item prodigo [t], B libidinum omnium vitiorumque [u] servo non est [v] eorum pecunia [x] committenda [y] ab [z] administratione fugiat: neque [aa] tutor esse desinat, omniaque [bb] mi-

[a] 20 add. *vel.*
[b] 6, 7. 14, 16, 19, 20 *nexæ.* 10, 18 *nullas solemnitates—noxa.* 15 *nixas.*
[c] 8 *voluntas.*
[d] 20 *cepti.*
[e] Plerique codd. *dispositionis.*
[f] 6, 7 *coloratum* i. *imagine.* 14 *coloratu* i. *imagine.*
[g] 15 *præferentes.*
[h] 20 *legem vel proci.*
[i] 6, 7, 14, 17 *debeat.* Mox 15 om. *cum.*
[j] 6, 7, 14 *civilis.* 10, 18 *civiles.*
[k] 19, 20 *cum.* 15 *suis ut her.*
[l] 6—8, 14, 16, 17 *defunctis accessio deferretur* sive *deferetur.* 9 *deferitur.* 20 *defunctis.* 10, 18 *deferretur.*
[m] Ita 6—10, 14, 16—19, Til. aut *ceptum*, quod idem est. Edd. *inceptum.* 20 *ac si inceptum.*
[n] 15 *completum e. i. memoratur.*
[o] In m. Cuj. 1—Cuj. 2 * ἴσως *vel subtilitate verborum*, quod recepissem, si codd. confirmassent. Go. cj. *a subtilitate* vel *a futilitate.*
[p] Nonn. codd. *inani.* 20 *considerare.*
[q] Ita 6—8, 17, prob. Go. 9, 10, 14—16, 20 *detegitur*, quod eodem ducit. Edd. *detegatur.*
[r] 9 *violenter p.* 10, 20 *violent. parentes.* Sich. *violentur parentes.*
[s] 10, 18 *derimentur.* 19 *derimatur.*
[t] 9, 29, 38, 42 VI. 17, 19, 24 et in m. Sich.—Cuj. D 2 * III.
[u] 28, 36, 40 *Dec.* 33 *Febr.*
[v] Nonn. codd. *Crisponi.* 38 *Crispali*; nonn. om. II.
[x] 8, 15, 29 *Constantio.* Multi codd., Sich. Til. om. II, pro quo numero alii habent I. 6, 7 *Const. C.* pro *C. II. Coss.* 19 II. *clarissimo consulibus.* Cæterum vid. tit. de His, qui ven. æt. (II, 17) not. *s.*
[y] 15 *de Restitutis ab exilio.* 26 *Libertis* et om. *Eorum.* In aliis codd. om. *Restit.* et in Cod. Just. *et L. Eorum* 20 *De sententia* (ut 37) *p. et prestitutis.*
[z] 26 *Maximiniano ppo.* 15 *A. Maximo.* Cuj. 2, 2*. Ri. Ri*. *PF. P.*, impr. Go. et Ri. Go. *PF.* Multi codd. *ppo.* s. *ppm.* Vid. C. Th. I, 4, 1, not. *e.*
[aa] 20 *deportat id.* Sich. *quo dep.*
[bb] 6—8, 12, 14, 16 *remediante.* 20 antiquitus *remanente.* Etiam Go. cj. *remanente*, i. e. in deportatione constituto vel *remorante.* Mox 20 *fecisse.*

[a] 15 *remotis Pauli atque Ulpiani notis Papiniani.* Multi codd. *Papiani* et hic et in interpr. 4 *Papiniani*, sed flavo colore supr. *n* ad. littera *r* (Papiriani. 13 *Ulpiceni*, Vid. c. 1, 3 C. Th. de Resp. prud. (1, 4).
[b] 20 *sententia.*
[c] 6—8, 14, 16 *cujus.*
[d] 10, 18 add. *sunt.*
[e] 6—8, 12, 14, 16 *cujus fidem.* Vat. fr. § 69.
[f] 10, 18 *firmaverit.* 12 *f. irata.*
[g] 6—8, 14 om. *sint* et 16 *rata sint.*
[h] 4, 6—10, 12, 14, 16, 18, 21 *in potestate* (6 *postate*) *patria.* 20 *patris.* 4 *redeuntem*, sed em. rubro colore.
[i] Ita recte Be., auct. Go., ex Sich. et ex Cod. Just.; C 4, 6—8, 10, 12—16, 18, 20, 21, Til. — Ri* *nec.* Mox 9 *recessit officiat.* 20 *recessio.*
[j] 15 *nec in sua nec in patris quemquam f. p.* Nonn. codd. *potestatem.*
[k] In codd. 6—8, 10, 12, 14—16, 18 exc. jure.
[l] Fol. 71[b] cod. 4.
[m] Cod. Just. *officio suo rec.*
[n] Vv. *patre tutor — quem* bis impressa sunt in Aur. Lugd. In cod. 14 deest *est* post *datus* et in cod. 8 *ut* post *est.*
[o] 20 supr. lin. *reddere.*
[p] In vv. *ulla pravitate corruptum* incipit fol. XI. cod. I. s. XXXV. totius palimps. Taur. a clar. Vesmio inventum, et pergitur in eo usque ad vv. *somnum intra temp.* c. 4 C. Th. de His, qui ad eccl. (IX, 45).
[q] 9, 20 *tueantur et augeant.*
[r] 6—8, 12, 14, 16 *fundendi.* 9 *offendendi.* In 20 deest *ad* ante *corrumpendi.*
[s] Ap. Go. et in cod. I. om. *ut* ante *furioso.* 6, 7 *abutitur.* Cod. Just. *abutatur.*
[t] 20 *licentia* (ut I.) *abutentur — dementi id est* (sed hæc supr. lin.) *prod.* Cod. Just. *itemque prodigo.* Mox I. *liuidinum.*
[u] 6, 7 *vitiorumquæ.* Sich. *omniumque vitiorum servo.*
[v] *est* abest a cod. 16. 20 *servum n. est.*
[x] Sich. *comm. pec.*
[y] Be. ex Sich. Cod. Just. add. *quin*, quod deest in edd. Til. — Ri*. et in codd. I, 4, 6—10, 13—16, 18. 20 *qua ab.* 21 *quam.* Sich. in m. *qui.*
[z] 6, 7 *ad* pro *ab*, quod exc. in cod. 16. 8 *ad administrationem.* 20 *ab adm. ut fug.*
[aa] 13 *fug. atque.* 15 om. *neque.* Hæc sententia non bene annectitur.
[bb] 4 *omniaquæ*, sed em. rubro colore. Cæterum hic locus in codd. corrupte scriptus est: 6 *neque tutoris sedes ignati omnia quæ.* 7 *neq. tutoris se designat*

Digitized by Google

noris dispendia suis ipse damnis præstet. Sententia [r] vero deportationis nullo patrem præjudicio deminuat. Quem [b] si comperta integritas ut natura [c], ita officio liberis [d] restituerit, ei [e] gubernacula rerum tradenda sunt, cujus, ad imitationem [f] publici juris, provisa custodia est. Quæ nisi bonis patribus detur, luctuosior erit [s] reditus quam discessus. § 3. Ideoque tantum ad restitutionem indulgentia valeat, quantum ad correctionem [h] sententia valuit [i]. Utique deportationis ipsum [j] per se nomen [k] rerum omnium spoliatio [l] est, ita indulgentia [m] reditus bonorum ac dignitatis [n] uno nomine amisorum [o] omnium sit recuperatio. Et filii emancipationem a patribus officiis petant, ut libertatem non [p] damnationis, sed lenitatis paternæ testem habeant. *Dat.* XVIII [q]. *Kal. Oct. Sirmio* [r], *Crispo* II [s]. *et Constantino* II. *Cæss.* [t] *Coss.* (321).

INTERPRETATIO. *Si quis pater in exsilium missus filium in majore ætate reliquerit, quæcumque* [u] *de bonis propriis gessit* [v] *filius, juxta sententiam Papiniani rata et firma permaneant, nec* [x] *contra aut testamentum, aut omnia quæ. 8 n. tutoris sed signati omnia quæ. 12 tutoris sed designatis.* Paulo infra 20 *præstent.*

[a] 6, 7, 10, 16, 18 *sententiam* et mox 6, 7, 12 *patri* 9, 20 *patre*, sed 20 supr. lin. *paret.* 18 *patris.*

[b] 6 — 8, 12, 16 *dem. quemadmodum.* 10, 18 *dem. admodum.* 14 *diminui quiaadmodum.* 20 *dem. quæ.*

[c] 6 — 8, 10, 12, 14, 16, 18 om. *ut natura.* 15 *naturæ*, ut Cod. Just., impr. Go.

[d] 15, 16 *officio et liberis.* 16 *restituerat.*

[e] 14 om. *ei.*

[f] 6 *hujus ad emendationem.* 12 *hujusmodi ad emendationem.* Etiam 8, 15, 16 *ad emendationem.*

[s] 15 *cust. prov. est — fructuosior erit red.* 20 *reditus.* Cod. Just. *luct. erit filiis reditus*, impr. Go.

[h] 12, 16, 20 *correptionem.* Fol. 72[a] cod. 4.

[i] 4 *voluit*, sed em. a post. manu. 16 *voluit atque.* I. *utique* et 21 *ut quæ.*

[j] Cuj. 2 — Ri[a]. *ipse*, male et impr. Go.; l., 4, Br. Al. codd. Sich. — Ludg. Be. *ipsum.*

[k] 6, 12, 16 om. *nomen.* 7 *rerum nomen omnium.* 10, 18 *omnium rerum.*

[l] 10, 18 om. *spolatio — omnium.* 20 *expoliatio.*

[m] Ita Be. de Go. em. ed. ex cod. 6. Ita etiam habent 7, 8, 10, 12, 14, 15, 17, 18; rell., etiam I, 4 *indulgentiæ*, quod ferri potest. Similiter dicitur *gratiæ reditus.* God. Just. *indulgentiæ restitutio.* Etiam Sich. in m. *restitutio.*

[n] 6, 7 *dignitas.* 15 add. *et.* 29 *dignitatis unum nomen.*

[o] 6 — 8, 12 *missuris* s. *misoris.* 14 *missoris.* 20 *amissarum.*

[p] *non* deest in Cuj. 2, 2[a]. Mox I. *lænitatis.*

[q] 9, 12 — 15, 21, 24, 25, 38, 42, 43, Sich. Cuj. 2, 2[a]. Go. in Chron. XVII. 17, 28, 40, Sich. in m. VI, a quo die paulo differt ille subcriptionis c. 1 C. Th. de Resp. prud. (1, 4). 20, 39 VII. In cod. I. rescissum est XVIII. cum marg.

[r] Nonn. codd. *Sermio*, *Sermii.* Sich. *Syrmio.* 4 Til. — Lugd. *Sirmi.* Be. Cod. Just. *Sirmii.* 8 om. *Sirmio.*

[s] Nonn. codd. *Crispoli et* s. *Crispino et* s. *Crispio et* I. om. II.

[t] Permulti codd. om. II, ut Sich., aut *Cæss.*, ut I, aut II, *Cæss.* 17, 28, 36, 40 *Const. Vincendio Frendino c. s, Coss. Sich. Constant. Cæss. Coss.* 21 *Constant.* s. 2 c. *Coss.* 20 *aug.* pro *Cæss.*

[u] Multi codd. *exilio* (ut 6, 7, 20) *majori a. r. et q.*

[v] 21 *gessit propriis*, sed em. Mox 6 *ratæ firma.*

[x] 7 *ne* 9, 44 *aut contra test.* 42 om. *aut.*

A *transactionem filii reversus* [a] *pater venire permittitur. Sane cum redierit pater, si* [b] *filium vivum invenerit, filium* [c] *in jus suum paterna potestate recipiet* [d]. *Cæterum quod de rebus propriis absente patre filius gessit, reversus pater revocare non poterit. Quicquid vero filii in annis minoribus constituti fecerint, penitus non valebit : qui tamen si pro ætate vel* [e] *absentia patris aut tutores aut curatores acceperint, reversus pater filios* [f], *repulsis curatoribus vel tutoribus, cum omni facultate recipiet* [g] *: ea tamen* [h] *conditione, ut rem filiorum ita administret ac regat, ut non solum detrimenta non sentiant* [i], *sed studio patris res et* [j] *facultas proficiat filiorum. Quod si pater aut prodigus aut negligens aut eversor aut libidini deditus esse convincetur* [k], *et filiorum res impie ac dementer* [l] *vastare ac dilapidare*

B *cognoscetur* [m], *filii talis patris, tanquam eo mortuo, sub tutore aut curatore consistant* [n] *: quia sicut æquum est, ut bonus et utilis* [o] *pater rem filiorum regendam administrandamque recipiat, ita iniquum est, ut in damnum* [p] *filiorum reversus facultates a tutoribus curatoribus reservatas* [q] *dementi subversione dilaceret.*

DE RESPONSIS PRUDENTUM [r].

Imp. Constantinus. A. ad Maximum Pf. P. [s] Per-

C

D

[a] 20 *regressus.*

[b] 6 — 9, 20, alii codd. om. *si.*

[c] In cod. 20 et ap. Sich. deest *filium.* Aur. Lugd. *in ejus suum p. pot.*

[d] 20, 42, 44 *recipiat.* 7, 8 *rec. Certe quod.* Sich. *suum in p. p. recipiat et si iterum quidem de r. pr. quæ absente.* Etiam 42 *quæ absente.*

[e] 6 — 10, 18-20, 21, 42, 44 *vel pro abs. patris* et um. *aut* in 20. Sich. *tutoris aut curatoris.*

[f] 21 *filium.* Sich. *ad filios.* 20 *reverso patre filius rep. tutoribus vel curatoribus.*

[g] 42 *recipiat.* 20 *recipiatur.*

[h] 6 — 8, 10, 18, 20, 21 om. *tamen.*

[i] 20 *sentiat.* 7, 8 om. *non*, sed rest. *non* a sec. manu in cod. 7.

[j] 6 — 8, 21, 43 *vel.*

[k] 6, 7, 20, 21 *convincitur.* 8 om. *convincetur— dilapidare.*

[l] 6, 7, 9 *indecenter.*

[m] 6 — 8, 20, 21, 42 *cognoscitur.* 42 *dilacerare cogn.* Mox nonn. codd. *tales* et *partes.*

[n] Aur. Lugd. *consistent.*

[o] 6 — 20, 18, alii codd. *sicut bonum est æquus* (s. *æcus*) *et utilis.* Etiam 20, 21, 42, 44 *et utilis.* Edd. *ac utilis.*

[p] Nonn. codd. *ut damno.*

[q] 6 — 8, 21 *servatas;* alii cod. *curatoribus* (om. *ve*) *reservatas.* Sich. om. *curatoribusve.*

[r] Nonnulli codd. *prudencium.*

[s] Them. *aug. — Præf. Præt.* Dicit Cl. p. 128, not. 20. inscriptiones annorum 321 et sequentis Maximum modo præfectum prætorio, modo præf. urbis laudare (Gothofredi Prosopogr. v. Maximus in ed. C. Th. T. VI. p. 66), itaque Maximum fortasse utramque præfecturam gessisse (Gothofredi Notit. dignit. p. 7). — Ego puto *Pf. U.* (urbis) legendum esse, quod etiam codd. in. c. un. C. Th. de Sent. pass. (IX, 43) habent et confirmatur a Vetere auctore de Præfect. urbis ap. Cuspinianum. Sæpissime enim a librariis commutantur sigla utriusque dignitatis et Præfecti Prætorio et Præfecti Urbis, cujus erroris centena sunt exempla. Nostrum etiam librarium ejusmodi errorem commisisse apparet ex c. 5 C. Th. de Div. rescr. (1,2), ubi pro *PF.* V. posuit *ppo*, alia infra invenies c. 2, 4—6, 12 de Off. præf. urb. (I, 6.)

Digitized by Google

petuas prudentium, contentiones eruere cupientes Ulpiani ac Pauli in Papinianum notas, qui, dum ingenii laudem sectantur, non tam corrigere [a] eum, quam depravare [b] maluerunt, aboleri præcipimus [c]. *Dat.* IV. [d] *Kal. Oct.* [e] *Constantino* II. *et Crispo* [f] II. *CC. Coss.* (321).

DE FALSA MONETA.

Imp. Constantinus. A. ad Januarinum [g]. Quoniam nonnulli monetarii adulterinam monetam [h] clandestinis sceleribus exercent, cuncti cognoscant, necessitatem sibi incumbere hujus modi homines inquirendi, ut investigati tradantur judiciis [i], facti conscios per tormenta illico prodituri, [j] ac sic dignis suppliciis addicendi. § 1. Accusatoribus etiam eorum immunitatem permittimus [k], cujus modus, quoniam dispar census [l] est, a nobis per singulos statuetur [m]. Servos etiam, qui hoc detulerint [n], civitate Romana donamus, ut eorum Domini pretium a fisco percipiant [o]. § 2. Si quis autem militum hujus modi personam susceptam [p] de custodia exire fecerit, capite puniatur § 3. Appellandi etiam privato licentia denegetur; si vero miles aut promotus [q] hujus modi crimen incurrerit [r], super ejus nomine et gradu ad nos [s] referatur. § 4. [t] Si dominum fundi vel domus conscium esse probabitur, deportari eum in insulam oportebit, cunctis ejus rebus protinus confiscandis; si vero eo ignaro crimen commissum est [a], possessionem aut domum debet amittere, in qua id scelus admissum est. Actor fundi vel servus, vel incola, vel colonus, qui hoc [b] ministerium præbuit, cum eo qui fecit supplicio capitali plectetur, nihilominus fundo vel domo fisci viribus vindicanda. § 5. (Quod si dominus ante ignorans, ut primum reperit, [c] scelus prodidit perpetratum, minime possessio vel domus ipsius proscriptionis [d] injuriæ subjacebit, sed auctorem ac ministrum pœna capitalis excipiet. *Dat.* XII. *Kal. Dec.* [e] *Roma, Crispo* II. *et Constantino* II. *CC. Coss.* (321).

DE JUDEIS.

Imp. Constantinus A. Decurionibus Agrippiniensibus [f]. Cunctis ordinibus generali lege concedimus, Judæos voeare [g] ad curiam. Verum ut aliquid ipsis ad [h] solatium pristinæ observationis [i] relinquatur, binos vel ternos privilegio perpeti patimur [j] nullis nominationibus occupari. *Dat.* III. [k] *Id. Dec. Crispo* II. *et Constantino* II. *Cæss. Coss.* (321).

DE DONATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. Petronio Probino. Res uxoris, quæ vel successione qualibet, vel emptione, vel (etiam) largitione viri in eam ante reatum jure pervenerant, damnato (ac mortuo ex pœna marito, vel in servilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto)

---

[a] 5 *Papianum, ingenti — sectatur — corgere.*
[b] Themis *depravari.*
[c] 5 *præcepimus.*
[d] Themis III.
[e] Add. *Sirmio.*
[f] Pu. *Crispio.* 5 *Octob. et Constantino consul. et Crispo* et des. II. CC. In aliis h. a. constt. legitur *Cr.* II. *et Const.*
[g] Codd. I, 4, *Januarinum*, quod recepi. Edd. *Januarium*, ut Cod. Just. Dignitas deest etiam in utraque Cod. Just. lege et in Coll. Can. Ans. ded. Go. eum anno superiori Agentem vicariam præfecturam appellari in c. 3 C. Th. de Famosis libellis (IX, 34) recte monet, sed nominatur Pf. Urb. in c. 1 C. Th. de Abolitionibus (XIX, 37) ann. 319 data. Be. *PPf. U.* cj.
[h] Ita Be. ex utroque Cod. Just. loco, neque Go. displicuit; 1, 4, Til. — Ri°. *adulterina moneta.* Mox l. *exercet*, mendose.
[i] Cod. Just. *judici.*
[j] Fol. 32 [b] cod. 4. In ima pagina litera indicatur numerus quaternionis. Mox 1. *digni* | .... *liciis.*
[k] Go. vult *promittimus*, speciose quidem neque tamen recte. Est enim *permittimus* pro *remittimus*, id est largimur, donamus, concedimus, ut Go. ipse concedit.
[l] Cod. Just. *patrimonium*, sed nostrum elegantius videtur Go.
[m] Cod. Just. *statuitur*, impr. Go.
[n] 1 *qui de hoc detulerit*, mendose.
[o] Cod. Just. om. *Servos—percipiant*, sed conjecta est hæc sententia in c. 2 Cod. Just. Pro quib. causis servi (VII, 13): *Servi qui monetarios adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes in publicum detulerint, civitate Romana donentur, ut eorum domini pretium a fisco percipiant*, et sq. subscr. h. c.
[p] Cod. Just. *suspectam*, sed nostrum Go. ut legitimum defendit. *Receptarum personarum custodia* supra IX, 3, 5.
[q] Cod. Just. add. *in gradum.*
[r] Go. *incurrit*, err.
[s] Cod. Just. *ad competentes judices ref.*
[t] Seqq. in Cod. Just. partim mutata, partim ex c. 4 h. t. aucta sunt: *Domus vero vel fundus, in quo hæc perpetrata sunt, si dominus in proximo constitutus sit, cujus incuria, vel negligentia punienda est, etsi ignoret, fisco vindicetur: nisi dominus ante ignorans, ut* Coll. Can. Ans. ded. *ita ut primum repererit scelus prodiderit perpetratum: tunc enim possessio, vel domus ipsius, proscriptionis injurie minime subjacebit. Sin vero* (ex c. 4 h. t.) *longissime ab ea domo vel ex possessione abfuerit, nullum sustineat detrimentum:* (ex c. 2 h. t.) *actore videlicet fundi, vel servis, vel incolis, vel colonis, qui ad hoc ministerium præbuerint, cum eo, qui fecit, supplicio capitali plectendis.* = *Viduas-credimus, ut—resideat* (vid. c. 4 h. t.). *Impuberes vero — ætas eorum* (om. *si tamen f. imp.* ex c. 4 h. t.) *quid videat — proximo fuerint, quoniam —rebus pupilli — ut de rebus — quantum a pupillo fuerat inferendum* (impr. Go. in ann. c. 4 h. t.) *Dat.*, et sequitur subscr. c. 2 C. Th.
[a] l. *confiscandisi — crimen admissum est*, ut infra *id scelus admissum est* dicitur.
[b] Go. in not. *in hoc, ad hoc.* Etiam Cod. Just. habet *ad hoc.*
[c] Fol. 33 [a] cod. 4. Mox. 1. *prodiderit perpatratum.*
[d] Ri°. *proscribitionis* l. *injuria.*
[e] *Dat.* Go. habet pro *Reddita* s. *Proposita.* Cod. I. *Dat.— Crispo et Constantino cc.* II *css.* Coll. Can. Ans. ded. *Dat.* XII. *Kal. Romæ Crispo et Constantio Conss.*
[f] 11 *Idem ad Agripiniensium.* Cuj. 2, 2°. *Agrippiniensium.* Go. in Chron. *Agrippinensibus.*
[g] 4, Til. *vocari*, quod recte se habet.
[h] Aur. Lugd. *ac.*
[i] 11 *observationes.*
[j] 11 *privilegio perpetimus nullis* et Cuj. 2, 2° *privilegio perpetimur nullis*, etc., impr. Go., qui interpungit *perpeti, patimur nullis* pro *non patimur ullis.* «Sollicitandum, inquit, hunc locum, ideo nonnulli crediderunt, quia *perpeti* hic pro *pati* accepere.» Omnia h. l. sana sunt. Til.—Lugd. *perpeti patimur, nullis.*
[k] Go. in Chronol. IV., sed ann. : «al. III.» Infra 11 om. *Cæss. Coss.*

Digitized by Google

illibatas esse præcipio, nec alieni criminis infortunio A adstringi uxorem : cum paternis maternisve, ac propriis bonis frui eam integro Legum statuto religiosum sit : et donatio maritalis ante tempus criminis ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, observanda sit, tanquam si maritum ejus natura, non pœna subduxerit. Sin autem aqua et igni ei interdictum erit, vel deportatio illata, non tamen mors ex pœna subsecuta : donationes a viro in uxorem collatæ, adhuc in pendenti maneant : quia nec matrimonium in hujusmodi casibus dissolvitur, ita ut si usque ad vitæ suæ tempus maritus eas non revocarit, ex morte ejus confirmentur : fisco nostro ad easdem res nullam in posterum communionem habituro. *Dat. III. Calend. Mart. Sardiniæ, Crisio* II *et Constantio* II. *Coss.* (321.) (*Ex Cod. Just.*)

DE CONCUBINIS.

Imp. Constantinus A. ad Populum. Nemini licentia concedatur, constante matrimonio concubinam penes se habere. *Dat.* XVIII. *Cal. Jul. Constantinis, patre et filio, Coss.* (321 aut 324.) (*Ex Cod. Just.*)

SI PENDENTE APPELLATIONE.

Imp. Constantinus A. ad Bassum præf. urbi post alia. Si unus ex litigatoribus adhuc pendente appellatione defunctus sit: non residuum tantum temporis hæredes ejus habeant, sed etiam alios quatuor menses. Sin autem ad deliberationem hæreditatis certum tempus indulgetur, post lapsum ejus temporis quatuor mensium numerabitur (spatium) : ne ignorantes negotium, vel etiam superadeunda hæreditate dubitantes, priusquam aliquod commodum sentiant, damnis C affici compellantur. PP. 13. *Cal. Jun. Sirmii Crispo* II. *et Constantino* II. *CC. Coss.* (321.) (*Ex Cod. Just.*)

DE ÆDIFICIIS PRIVATIS.

Imp. Constantinus A. Elpidio agenti vicem PP. Si quis post hanc legem civitate spoliata, ornatum (hoc est marmora, vel columnas) ad rura transtulerit, privetur ea possessione, quam ita ornaverit. Si quis autem ex alia in aliam civitatem labentium parietum marmora vel columnas de propriis domibus in proprias transferre voluerit, quoniam utrobique hæc esse publicum decus est, licenter hoc faciat. Data similiter facultate etiam de possessione ornatum hujusmodi ad possessionem aliam transferendi, quamvis per muros, vel etiam per mediam civitatem ea transferri necesse sit : ita ut ea solummodo, quæ illata fuerint civitatibus, exportentur. *Dat. 6. Calend. Jun. Viminacii, Crispo* II. *et Const.* II. *Coss.* (321).

DE REQUIRENDIS REIS.

Imp. Constantinus A. ad Januarium. Quicumque ex eo die, quo reus fuerit in judicio petitus, intra anni spatium noluerit adesse judicio, res ejus fisco vindicentur. Etsi postea repertus, nocens fuerit deprehensus, severiori sententiæ subjugetur. Sed si argumentis evidentibus et probatione dilucida innocentiam suam purgaverit, nihilominus facultates ejus penes fiscum remaneant. *Dat. Id. Jan. Constantino A. 5. et Licinio CC. Coss.* (321.) (Ex Cod. Just.).

FAMILIÆ ERCISCUNDÆ.

Imp. Constant. A. ad Bassum. PP. Inter omnes duntaxat hæredes suos, qui ex quolibet venientes gradu, tamen pares videntur esse, vel emancipatos, quos Prætor ad successionem vocat : sive cœptum neque impletum testamentum, vel codicillus, seu epistola parentis esse memoretur, sive quocumque alio modo scripturæ quibuscumque verbis, vel indiciis inveniantur relictæ, judicio familiæ erciscundæ (licet ab intestato ad successionem liberi vocentur) servato SC. auxilio, defuncti dispositio custodiatur, etiam si solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. Si vero in hujusmodi voluntate designatis liberis alia sit mixta persona, certum est eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat personam B permixtam, pro nulla haberi. *Dat. Romæ. kal. Crispo* II. *et Constantino Cæs.* II. *Coss.* (321).

In Authent. de trient. et semiss. § et quod sæpe, col. 3. tit. 5. novell. 18. cap. 7.

Si modo subjiciatur huic scripturæ, vel ipsius parentis, vel omnium, inter quos fit partitio, liberorum subscriptio. (Ex cod. Just.)

Anno Domini 322.

Probiano et Juliano Coss.

DE ACCUSATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Agricolanum [a]... Cum [b] jus [c] evidens atque manifestum sit, ut intendendi [d] criminis publici facultatem non nisi ex certis caussis mulieres habeant, hoc est si suam suorumque injuriam persequantur, observari antiquitus statuta oportet. Neque enim fas est, ut passim mulieribus accusandi C permissa facultas sit ; alioquin in publicis olim quæstionibus interdum aut admissa [e] probatio est aut accusantis auctoritas. Patroni etiam caussarum monendi sunt, ne respectu compendii feminas [f] securitate forsitan sexus in actionem [g] illicitam proruentes temere suscipiant. *PP. V. Id.* [h] *Febr. Probiano et Juliano Coss.* [i] (322).

INTERPRETATIO. *Feminis nisi in sua suorumque caus-*

[a] 4, Til. *Africolanum.* 20, 25 *agriculanum.* 42 *agriculam.* An. add. *Recte Prov.?* Vid. Go. in not.

[b] Prior h. c. pars in c. 12 Cod. Just. de His, qui acc. n. p. videtur transiisse; legitur enim ibi ab initio ita : *De crimine quod publicorum fuerit judiciorum, mulieri accusare non permittitur : nisi certis ex causis id est si suam suorumque persequatur injuriam secun-* D *dum antiqui juris statuta tantum*, etc.

[c] 4, Til. om. *jus*, sed in cod. 4 supr. lin. add. ab ant. manu. 12 *ejus.* Paulo post Go. *manifestum.*

[d] Codd. Br. Al. *intentandi* ut Sich., s. *intemptandi, intemtanti* et *indendandi*, quæ omnia diversæ ejusd. v. formæ sunt. Ri. prob. v. *intentandi.* Retin. *intendendi.* Vid. c. 11 h. t. si, *quod intenderit, non probaverit* et c. 13 h. t. *intendendi quidem examinis.*

[e] 9, 19, 20 *amissa.* Impr. Go. in comm. eos, qui em. *probitas* pro *probatio.*

[f] 8—10, 12, 16 *respecti* et 16 *femina.* 20 supr. lin. *severitate* pro *securitate.*

[g] 20 *accessione*, sed. em. *actione.* 15 *in act. publicam pror.* 6 *inclitam.* 19 *inlicita.*

[h] 8 *kl.* pro *id.* 24 *prid.* 40 *pf. feb.* 28, 40 om. *V. Id.* 19 *Id. febr. X. Pr.*

[i] 42 *et Valentiniano c.* Go. consulto adscripsit ann. 325, impr. Ri.

Digitized by Google

sa quemquam accusare non liceat, quia susceptione [a] *alienarum causarum legibus prohibentur. Advocati etiam commonerdi sunt* [b], *ne contra leges suscipiant* [c] *in alienis causis feminas litigare cupientes.*

DE DENUNTIATIONE. VEL. EDICTIONE. RESCRIPTI.

2. *Imp. Constantius Aug. ad Maximum Pf. U.* Denuntiari vel apud provinciarum rectores [d] vel apud eos, quibus actorum conficiendorum [e] jus est, decernimus, ne privata [f] testatio [g], mortuorum aut in [h] diversis terris absentium aut eorum qui nusquam gentium sint [i], scripta nominibus, falsam fidem rebus non [j] gestis affingat [k]. *Dat.* 10 [l] *Kal. jun.* [m] *Sirmio* [n], *Probiano et Juliano* [o] *Coss.* (322).

INTERPRETATIO. *Contestari* [p] *apud rectores provinciæ vel defensores aut omnes apud quos gesta conficiuntur, litem jubemus, ne* [q] *ullus nomen absentis aut mortui vel qui, non potuerit* [r] *inveniri, in litis* [s] *contestatione recipiat* [t], *ne falsitatis* [u] *inveniatur occasio* [v].

DE JUDICIIS.

Imp. Constantinus A. ad Maximum Pf. U. [x] *Ad locum.* Eum, qui sciens judicio adesse neglexerit, ut contumacem judex multabit. [y] *Dat. X. Kal. Jun.* [z] *Sirmio* [aa]), *Probiano et Juliano Coss.* [bb] (322.)

DE LIBERALI CAUSSA [cc].

Imp. Constantinus A. ad Maximum Pf. U. [dd] . . .

[a] 6 *qui a susc.* 21 *quæ a susc.*, alii codd. *susceptionem.*

[b] Multi codd., etiam 6, 7 *advocatos — commonendos ne.* 19, 20 *Advocatus e. commonendus est.*

[c] 6 *lege suscipient.* In nonn. codd. et ap. Sich. om. *in.* Mox nonn. codd. *caussas.*

[d] 6, 7, 14, 16 *rectoribus.* Mox nonnulli codd. *auctorum.* Aur. Lugd. in m. ex interpr. — *litem*, om. signo in textu, quod v. ad *Denuntiari* videtur referendum esse.

[e] 10, 18 *sufficiendorum.*

[f] Aur. Lugd. *et priv. test.*

[g] Sich. *contestatione.*

[h] Nonnulli codd. om. *in.*

[i] 5 sunt.

[j] 19 om. *non.*

[k] Ita W. ex cj. Go. 5 *affigeat.* 6, 7, 14, 16, 19, 21, Cuj. 2 — Cl. *affigat.* 10, 18 *adfigant.* 20 Sich. — Lugd. *affigant*, sed Sich. — Lugd. in m. *affingant.* 8, 9, 15 *adfigat.*

[l] Codd. 26, 33, 35, 38 om. *X*, 24, *XII*, *XI.*

[m] Ita corr. auct. codd. 5 — 8, 10, 14, 17—20, 26, 38, 42, 44, R. et c. 2 C. Th. de Judic. cit., quæ ipsa quoque *Jun.* habet. Rell. codd. et edd. *Jul.* 24, 30, 33 *Jan.*

[n] Ita plerique codd. et edd.; sed Be. W. *Sirmii* et 20 *Sirmia.*

[o] 8 *Jovinano*, om. *Prob. et* 15 *Coss. explanatione non indiget.*

[p] 20, Sich. *Contestaturi.*

[q] Nonn. codd. R., *nec.*

[r] 6, 7 *poterit* alii *potuerint.*

[s] 5 om. *in* 43 *in eo lites.*

[t] Aur. Lugd. *ricipiat.* 7, 20 *recipiant*, sed in cod. 7 sec. man. *recipiat.*

[u] Nonnulli codd., ut 42 *falsi testes.*

[v] Multi codd., ut 9, 42 *accusatio.*

[x] 11 et F. 6 *Imp. Constantinus — P. V.*

[y] 11 *pœnam multatur.*

[z] 11 om. *Jun.*

[aa] Edd. *Sirmii.*

[bb] 11 add. *Ex Corpore Theodosiani.*

[cc] Rubrica desumpta est ex Br. Al., ex quo transit in edd., P. except., ubi : *De Libertatis Causa.*

[dd] Inscriptionem (sed om. *A.*) W. rest. ex Cod. Just., em. autem propter const. sq. *PF. U.*, pro *PF.* P., quod edd. vulg. habent. W. em. tuentur codd. Bg. Montispes. H. 82. P. add. (*Legis* III *Fragmentum*) et .Pu. *Const.* 4. *Fragmentum*).

A . . . . . .
. . . . . .
. . . [a] ixisset, eorum omnium judicio fieret [b] copia. Quod quidem [c] *ita* [d] interpretati sunt, ut, contractis in litem omnibus, et assertionibus jam ordinatis [e] et profligatis, exactisque pœne judicis, si *qui* earum personarum quæ in quæstione sunt, partus accidisse*nt* [f], quasi accessiones absentiæ necessariæ spectatæque personæ, novari tempora juris esse affirment [g]. Sed cum aliud sit abesse, aliud necdum natum esse, placuit [h] eos qui nascuntur, matrum conditionibus et jure [i] uti, quarum mox visceribus exponuntur, neque ideo, quod natus quidam est, tempora judicii renovari [j]. Ante litem vero id nati suo omnes nomine [k] in quæstionem vocentur; quoniam hos solos qui in lite [l] B nati erunt, in omnem fortunam matrum complecti [m] oportet, et [n] aut justis tradi dominis, aut libertate frui cum lucis auctoribus [o] : cum eorum nulla propria veriorve possit esse defensio quam matrum. *Dat. prid. Id. Jun.* [p] *Sirmio* [q], *Probiano et Juliano Coss.* (322.)

DE ALIMENTIS.

Imp. Constantinus A. Menandro [r] ..... Provinciales egestate victus atque alimoniæ inopia laborantes liberos suos vendere vel oppignorare cognovimus. Quisquis igitur hujus modi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos ægre ac

C [a] Hinc incipit sextum folium Taurinense. Quartam autem esse h. t. const. ex eo patet, quod in aversa folii parte constitutioni, quæ hucusque secunda fuit, numerus VI appositus est. Videtur ergo, ut jam Batavi cj., inter quintum et sextum folium Taurinense unum tantum folium periisse; quod præter extremam tituli sexti partem continebat titulum septimum et tres priores h. t. constitutiones una cum exordio h. c. — P. suppleri vult *dixisset*, prob. Bijdr. W. prop. *addixisset.*

[b] P. *fierat*, mendose.

[c] Ita 1, P. Pu., sed P. in not. scribi vult *quidam*, quod a W. receptum est præter necessitatem.

[d] De cj. F.; nam in cod. 1 hoc v. avulsum est.

[e] Pu. *omnibus asser(tio)nibus etiam ordinatis*, contra codicis 1 fidem.

[f] Ita P. Pu. W. de cj.: nam in cod. 1 avulsæ sunt litteræ *qu* in v. qui et *sen* in v. *accidissent*, unde Batavi l. c. p. 334 legi volunt *si cui — partus accidisset.* Sed D necessario v. *accessiones* referendum est ad *partus*, idcoque leg., ut editum est.

[g] 1 P. Pu. *adfirmant*, impr. W., qui em. *affirment*, in notis autem prop. *adfirmarent.*

[h] Hic incipit c. 42 Cod. Just. cit., quam Go. cum c. 5 et 6 h. t. coassandam esse putabat.

[i] *Et jure* deest in Cod. Just.

[j] Verba *neque ideo — renovari* desunt in Cod. Just.

[k] Cod. Just. *Ante v. lit.* et mox *suo nom.*, *omnes.*

[l] 1 *qui in litem*, impr. P.

[m] Ita 1 et W., sed P. Pu. ex Cod. Just. *erunt omnem* et om. *in Complecti* passiva significatione sæpe dictum est.

[n] Copula deest in Cod. Just., quamquam non in omnibus Cod. Just. libr. mss.

[o] Cod. Just. *cum lue. auctor. fuit*, et des. sqq.

[p] Cod. Just. *Dat. prid. Id. Julii*, et des sqq.

[q] 1, P. *Sermio Proviano.* Pu. *Sermii. Proviano.*

[r] Cf. C. Th. VIII, 5, 4, not.

Digitized by Google

difficile sustentet [a], per fiscum nostrum, antequam A
fiat calamitati obnoxius, adjuvetur; ita ut proconsules præsidesque et rationales per universam Africam habeant potestatem, et [b] universis, quos adverterint in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur, [c] atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem. Abhorret enim nostris moribus ut quemquam fame confici vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. *Dat.* [d] *prid. Non. Jul. Romæ, Probiano et Juliano Coss.* (322).

DE LIBERALI CAUSSA.

Imp. Constantinus. A. ad Maximum Pf. U. [e] Si quis [f] libertate utentes [g] ejusque [h] compotes inopinatos [i] in discrimen ingenuitatis adducat [j], si eos [k] forte assertio defecerit, circumductio præbeatur, assertorem quæri [l] titulo per literas indicante [m], ne [n] caussa [o] per silen- B
tium [p] ignoretur [q] vel absurde etiam proclametur [r]: ut, qui copperissent [s]), vellent [t] asserere [u], vel cunctantes etiam cogerentur; neu [v], si assertor defecerit, vincti [x], multis eos scientibus liberos, a domi-

[a] 4, Til. — Lugd. *sustentent*, err. Aur. Lugd. *ad difficile.*

[b] Go. mavult *ut*, non male quidem, sed tamen sine necess.

[c] Fol. 173 [b] cod. 4.

[d] Go. *Dat.* pro. *Redd.* sive *Acc.* habet aut alium locam poni vult. Constantinus enim h. a. in Pannonia constitit. Vid. Go. in Chron. h. a. et ad h. c., not. *k.*

[e] 13, 15, 21, 29, 32, 33, 39, 42, 44 et codd. nonn. sec. Go. pro *Pf. U.* exhibent siglum præfecti præt., perperam. 15 *Maximo.* 25 *Maximo proc.* Cæterum Br. Al. codd. et edd. ante P. *Imp. Constantinus A.* pro C
idem A. Sed nunc ex cod. 1, ubi c. 2 ejusdem imperatoris est, mutanda erat inscriptio.

[f] 15 *Si qui.*

[g] Sich. *utentem.* 6—8, 21 *libertatem ut.*

[h] 1 *cujusq.* 19 *eorumque competes.*

[i] 1, Sich. *inopinatus.*

[j] Ri[e]. *ducat.*

[k] 6—8, 10—14, 18, Til. *si in eos.*

[l] Til. — Cuj. 2[a] *queri.* Sich. *assertoreque tit.*, non. *assertorque*, ut ap. Ri. dicitur. 21 *assertor quæ si tit.* 10, 18 *quærit.*

[m] 1, P. Pu. *indicantes*, impr. W., hic multis vv. contra Go. disputante. 10, 18 *dicante.*

[n] 8, 10, 18 *nec.*

[o] 6 — 10, 14, 17, 18, 21 *causas.* 19 *cause.*

[p] 9 *Per se titigio.* 15 *per sil. cau.*

[q] 8, 12, 14, 17, 19 *ignorentur.* 10, 18 *minoretur.*

[r] Male edd. ante W. *proclametur, ut*, cum seqq.: *ut — cogerentur* pendeant ex v. *proclametur*; sunt enim ipsa absurdæ proclamationis verba, qua nonnulli D
magistratus videntur usi esse. Rectissime igitur etiam W. uncinos sustulit, quibus Be vv. *ne — proclametur* incluserat, cum ita vv. *ut qui*, etc., quæ cum v. *indicante* jungi non possint, non habeant, quo referenda sint.

[s] 6, 7, 10, 13, 16, 19, Til. *comperisse.*

[t] Ita recte P. Pu. W. cum Til. et plerisque codd.; Sich. Cuj. 1 — Be. *velint*, minus apte propter sq. *cogerentur.*

[u] Til. om. *asserere.* 15 *asserere et vel.* 10, 18 *cogeretur.* Go. in not. placet *cunctanter*, displicet Wenckio.

[v] 1, 8, 12, 16, 17, 19 *nisi* 21 et edd. ante P. *ne, si.* W. mutavit scripturam *nisi* in *neu*, *si.* Mihi videtur scribendum esse *nec* aut *neve si.*

[x] Ita 1, 8, 10, 13—18, codd. ap. Go., edd. Sich. — Cuj. 1. P. Pu. W. Infra *clausi* dicuntur. 6 sec. Ri. *sinctus*; potius *vincti.* Aur. Lugd. *vinctis.* Cuj. 2— Be.

nis [a] ducantur [b]. § 1. Ideoque sancimus: si quis assertoris [c] inops atque ignotus [d], circumlustratis provinciæ populis, desertus tradatur [e] ei, qui servum dixerit, non infracta [f], sed dilata libertate, assertore invento vires recolligat [g], et suis renovatis defensionibus resistat in judicio, possessoris jure privilegiisque subnixus [h], quamquam de [i] domo illius processerit. Neque enim [i] illa possessio est in tempus accepti [k], sed exspectatio assertoris in tempore non reperti; ita ut [l], si instaurata lite, restitutisque in sua [m] jura partibus, pro libertate [n] fuerit lata sententia, injuriæ impudentiæque caussa [o] adversarius pari numero servorum [p] mulcetur, quotquot [q] erunt [r] qui in servitutem [s] petiti sunt: iis [t] vero non condemnatur [u], qui in ipsa fuerint [v] lite

victi, quod defendere studet Go. 15 *def. mult. e. s. lib. v.*

[a] 1 *adominos.* 10, 16, 18, 21, Sich.— Lugd. *ad omnes* aut *ad oes*, sed Cuj. 1— Lugd. in m. « γρ. *a dominis desertus*, » quod R. habet. Lez. *a dominis*, non *ad dominos*, quod innuit cod. 1. Cæterum 9 *in dom.*

[b] Revocavi *ducantur.* Cuj. 2 — Be. W. *deducantur.* Præferendum *ducantur*, quod omnes codd. et edd. Sich. — Lugd. P. Pu. exhibent et ea significatione, qua hic ponitur, a Romanis in rebus judiciariis adhiberi solet.

[c] Cj. Go., qui in notis *assertoris* legendum esse demonstrat, confirmatur cod. 1, unde *assertoris* transiit in edd. P. Pu. W., sed etiam 15 præbet veram scripturam, qui sic: *sancimus ut si quis assertoris.* Sec. Go. nonn. tentarunt *ab assertore*, quod exhibent codd. 6, 7, 10, 12, 13, 18 et R.; *ab assertorem* cod. 16; 21 *adsertores.* Rell. codd. et edd. Cuj. 1, Cuj. 2 — Be. *assertore.* Sich. Til. *assertori.* Aur. Lugd. *assertor.*

[d] 1 *Ignatus*, sed corr. posita littera *o* supra *a.* 15 *inops aut ign.* Mox 8 *circumlustrantis.*

[e] 10 *Traditor.* Sich. Til. *assertus trad.*

[f] 12 *Non fracta*, 19 *infractæ et deletæ libertatis.*

[g] 8 *Colligat.* 9 *recolligant.* 15 *vir esse colligat.* 19 *qui res recolligat* et om. *et.*

[h] 6—9 *subnexus.* 10, 18 *subnexu.* 14 *subnexas.* 21 *possessores i. pr. subnexus.*

[i] 1 *Quamqua—. e domo.* P. suppl. (*d*) *e d*, quod Pu. et W. recep., et ita plane cod. 15. Cod. 6 sec. Ri. *quanquam homo illius*, sed 6—8, 10, 13, 16, 18 *q. et homo ill.* In rell. codd. et edd. *q. e domo ill.*

[j] 17 Om. *enim.* Paulo post Pu. *possessio.*

[k] 1, 21 *acceptis.*

[l] 6, 7, 16, 17 *repetiit aut.* 14 *repeti aut.* 10, 18 *ita ut si.*

[m] Pu. *sna;*

[n] 15 om. *pro libertate.*

[o] 10, 18 om. *caussa.*

[p] 15 *pari serv. num.*

[q] Erat in cod. 1 *quod*, sed secunda manus supra scripsit *tquot*, unde P. Pu. W. edidd. *quotquot.* Rell. codd. *quod* aut *quot* quod posterius edd. ante P. habent.

[r] Sich. *habuerint*, non *habuerunt*, ut Ri. refert. 21 *fuerint*, 9 15 *erant qui in.*

[s] 1, 19, P. Pu. *servitute*, improbb. P. et W.

[t] 1, P. Pu. *his.* 21, ut nos; rell. codd. aut *hi*, ut Til. aut *hii*, ut Sich., male.

[u] Ita cod. 1, W., quod jamdudum cj. Go.; 14 *condemnentur.* Rell. codd. et edd. ante W. *condemnantur*, sed in m. Cuj. 2 — Lugd.: « γρ. *contineantur* vel *connumerantur* » et in m. Cuj., 2[a] 2 « γρ. *contineantur* vel *connumerantur* vel *computentur.* » Similiter interpres: *Non annumerandis his.* Be. in not.: « rep. *pro iis — condemnetur* vel *condemnentur.* » W. oppugnat vulg. scripturam *condemnantur*, cum h. v. non habeat, quo referatur; antea autem dicatur *adversarius.*

[v] Ita Sich. Til. P. Pu. W. pro *fuerit*, quod cod. 1

Digitized by Google

progeniti. § 2. Quod si quis ante assertorem repertum vel ante sententiam[a] fuerit mortuus, hæredibus causam status[b] probantibus mulctaticius[c] servus tradetur[d], et hæredes ejus[e] qui libertatem temerabat, si implacabilem[f] animum indicant[g], eadem maneat mancipiorum lex atque conditio; si[h] liberos sinent, quos clausos repererint, occidunt[i] cum personis delicta[j]. § 3. Minorum defensores[k] eadem manebit mancipiorum mulcta: ac judicio bis, quos[l] defenderant, reposcentibus, rei male gestæ dabitur[m] æstimatio. § 4. Cum id[n] proprio periculo fecerit[o] assertor, ut rem salvam[p] fore promittit[q], ita satis accipiat de mulctæ redhibitione. § 5. Libertatem[r] victis hostibus victorum dominatio abstulit; leges vero injuriosos pœna afficiunt[s] et[t] fama spoliant, dictumque[u] in jurgio[v] in adversarium[x] immodestius jactatum petulantiusque[y] fusum pœnam subire cogitur[z]: atque[aa] A non erit impunita labefactatio atque oppugnatio libertatis, quæ[a] in convictis[b] quoque punitur. Injustum est autem, alienum[c] ad servum recepisse[d], et[e] alterius servi abductione[f] condemnatur[g]. *Dat.* [h] XIII. *Kal. Aug. Sirmio*[i], *Probiano*[j] *et Juliano*[k] *Coss.* (322).

Interpretatio. *Si aliquis in libertate positum ad servitium conetur addicere*[l], *jubet pulsatum ex ordinatione judicis per populos et per*[m] *publicum duci, ut defensorem sui status inveniat et inventum assertorem per chartam petat a judice, ne silentio ingenuitas opprimatur*[n]. *Quod si aut ipse sibi adesse aut assertorem non potuerit invenire, tradatur domino repetendi ad servitium, non ad pœnale supplicium: ita ut non per hanc traditionem ex integro*[o] *spem libertatis amittat, nisi cum habuerit locum, invento assertore libertatis suæ statum asserat legibus audiendus. Quod si tali ordine reparata lite, qui pulsantur, ingenuos se esse docuerint*[p], *tunc ille a quo ingenuitas injuste fuerat appetita, tot mancipia his, quos ad servitutem vocabat,*

habet. Cum W. consentiunt 7, 13. Rell. codd. aut *fuer.* aut *fuerunt*, ut edd.

[a] Sich. Cuj. 1 *ante sententia.* 6 ante *assertore.*

[b] 8 *statutus.* 19 *statuti.* 15 om. *status.*

[c] 10 *multa cujus.* 15 *multa* et om. *servus.* 18 *multasitius.* 19 *multati cujus.* Sich. *multaitius.*

[d] Ita P. Pu. W. ex cod. 1, legitur etiam in Aur. Ludg. edd. Rell. codd. et edd. *traditur.* Be. emend. vult *tradatur.*

[e] 15 *tr. Heredes autem ejus.* 1 *ejuscius*, sed deletur alterum *ejus.* 21 *hæredis.*

[f] Quod P. in not. *ajinplacabilem* in cod. 1 esse dicit, non conspicitur in apographo.

[g] Ita luculenter 1, 9, 15, 19, 21 et Sich. — Lugd. P. Pu. W. 16 *inducat.* Rell. codd., in m. Cuj. 2[e] et ap. Be. *inducant*, prob. Go., cui displicet *dicant*, quod ex Cuj. 2 transiit in edd. Go. Ri. Ri[a].

[h] Ita scripsi cum codd.; edd. præter P. Pu. *sin.* 15 *Si vero liberos.*

[i] Ita 1, P. Pu. W. Rell. *occidant.*

[j] Multi codd., Sich. *delecta.* 6 *delictam.* Male Ri. dicit, Sich. habere *electa.* Cæterum Sich. Til. *occidunt, cum pers. del. min. defens.*

[k] 1, P. Pu. *defensorum*, quod certe non falsum est. Cf. P. 14, Sich. *defensoris.*

[l] 1 *judicioquishisdef.*

[m] 8 *debitor.* 12 *debetur.*

[n] 19 *in.*

[o] 1 *fecerint.*

[p] Nonn. codd. *salva* et mox alii *multa redh.* 1 *redhibitionem.* 6 sec. Ri. *ut ita satis.*

[q] Ita plerique codd. etiam 1. Cohærent enim *ut* et *ita.* Vv. autem *Cum — assertor* referenda sunt ad antecedentia. Edd. et rell. codd. *promittat.* Mox 6 *multa.*

[r] Go. addi vult *enim.*

[s] 1 *adfaciunt.* Nonn. codd. *pœne adf.* Mox 6, 7 et alii *legis v. injur. p. adficiant.* 15 *legis v. injuriosus pœne adfigunt.* 10, 18 *injur. teneat aff.* 21 *legis v. i.*

[t] 8 om. *et* 10 *et fame sp.* Go. cj. *qui fama spoliant.* 18 om. *fama.*

[u] 19 *spoliat victusque.*

[v] Ita 1, P. Pu. W. Rell. om. *in* Multi codd. *jurgium.*

[x] Aur. Lugd. *adversarium.*

[y] 9 *petulantibus quæ.* 19 *jactatus p. fusus.*

[z] Ita 1, 16, P. Pu. W. Rell. codd.; Til. et in m. Cuj. 1 — Cuj. 2[e] *cogetur*, præter 6, qui *cogeretur* et 21, qui *cogent*, quod est in edd. Sich. Cuj. 1 — Be. Go. vult *cogunt.*

[aa] Multi codd. *atq.* unde W. in E. L. L. 1824, p. 1905 et in ed. sua em. *atqui*, quod Pu. recepit pro *atque*, quod est in rell. codd. et edd. præter cod. 1 et Til., qui *adque.* Go. tentavit *utique non* vel *æque non*; sed non est cur mutetur *atque*, cum non construatur *atque injustius est — recepisse, ergo non erit — punitur*, sed in v. *atque* continuetur oratio vv. *leges — cogitur.* 9 om. *atque — labefactatio* et 15 *non.* 13 *oppigneratio.*

[a] P. *libertatis. Quod*, de cj.

[b] 1 *convic. . .* | P. Pu. de cj. Go. edd. *conviciis*, probb. Bijdr.; reliquæ editiones *convictis*; similiter plerique codd. *convictis*, sed 8, 10, 18 *convinctis*, quod et *conjunctis* et *convinctis* legi potest, in qua scriptura verum verbum fortasse latet. Mox multi codd. et Pu. *ponitur.* Seqq. in codd. et in edd. mendis deformata sunt.

[c] 1. 6—8, 12, 13, 16, 21 *alienus autem ad s.*; similiter P. Pu. (quamquam Pu. *alienum*), qui tamen *se* inserunt post *ad*, probb. Bijdr. p. 335. 9 *alienus ante serv* 10, 18 *alienos autem servos.* 19 *alienos* et om. *autem.* Go. in not. scribi jubet, prob. Be., *ut servum. Ad servitium* propositum est in m. Cuj. 1 — Cuj. 2[e]. Cæterum Pu. *injustius*, ex cj. Go.

[d] 1, P. *recepisset.* P. totum locum ita interpungit: *libertatis. Quod in conviciis — aut: alienus autem ad se s. recepisset: et alterius*, etc., in quibus totidem syllogismi partes P. minus probabiliter reperisse sibi videtur. Ri. Ri[a] *alienum*; *ad.* Unum alterumve excidit.

[e] 8 *ad.* 15 *ex.* Go. in not.: *Et ideo alterius.*

[f] Ita 1, 6—10, 12, 15—18, 21, Sich. — Lugd. P. Pu. W., sed 8 *abductionem.* Cuj. 2 — Be. *addictione*, quod a Go. defenditur, vituperatur a P. et W.

[g] 6, 7, 13, 14, 16 *condemnatus.* 18 *condemnatos* 9 *condemnatum.*

[h] 8 XI. 10, 15, 16, 18, 24, 39, 43 XIV. 32 — 34, Go. Ri. Ri[a]. XII.

[i] Ita plerique codd. Nonn. *Sermio* aut *Firmio.* 40 *Firmi.* Be. Pu. *Sirmii.* 8 om. *Aug. — et.*

[j] Nonn. codd. et Sich. in m. *Probino.* 1, Pu. *Proviano.*. 16 *Priviano.*

[k] 9 *Juvino.*

[l] 21 *positus* et in m. *cogitur addici.* Sich. *Si aliquis in libertate positus* (in m. *positum*) *ad servitium cogitur adjici* (in m. *conetur addicere*). Alii codd. *positus — addici.* Cuj. 1 — Lugd. *adducere.* Mox multi codd. *pulsato* aut *pulsatus.*

[m] Sich. Cuj. 1 — Lugd. om. *per.*

[n] 21 in m., Sich. Cuj. 1 — Lugd. *supprimatur.*

[o] 21 *et integra*, sed in m. *ex integro.*

[p] Nonn. codd. *pulsatur ingenuus se e. docuerit.*

Digitized by Google

ejus ætatis et sexus dare cogatur[a], *illis in condemnatione*[b] *non annumerandis his, qui, dum caussa protrahitur, in lite*[c] *nati esse probantur. Quod si*[d] *ex his, qui ad servitutem vocantur, dum per assertorem*[e] *requirendum aut alia occasione*[f] *caussa protrahitur, aliqui moriantur*[g], *et hæredes eorum statum ingenuitatis obtinuerint, pro illius persona, quæ in*[h] *lite mortua est, hæredibus suis ejus compensatio, sicut et pro vivis, a pulsante reddenda est. Si vero ille moriatur, qui liberos conabatur addicere*[i], *et filios aut hæredes dimittat, si*[j] *persequi*[k] *voluerint caussam, quam pater aut auctor*[l] *inchoaverat, et victi fuerint, ad supra scriptam satisfactionem tenendi sunt, ut alia*[m] *tot mancipia male pulsatis satisfaciant. Si vero agere noluerint, nec persequi eos tentaverint, sed etiam in custodiam ab auctore redactos*[n] *absolverint*[o], *erunt a*[p] *multæ*[q] *condemnatione securi, quia non in auctoris sui vitio*[r] *perstiterunt*[s]. *Quod si*[t] *forte minores sint, et tutor*[u] *eorum vel curator caussas eorum adversus ingenuitatem prosequi*[v] *velit, et fuerit superatus, ipse de propria facultate ad satisfactionem tenendus est. Si vero post secundam reparationem assertor inventus periculo suo*[x] *addicti*[y] *caussam crediderit replicandam, ut, si vincatur*[z], *peculium aut servitia*[aa] *susceptorum*[bb] *vel ipsos*[cc] *reddere debeat: similiter et ille, qui pulsat, dato fidejussore*[dd] *promittat se prædictum numerum vel meritum*[ee] *mancipiorum*[ff],

[a] 10, 18, 42, alii om. *his — cogatur.*
[b] Sich. Cuj. 1 — Lugd. *ad condemnationem.* 6, 7, 21 *ad serv. vocabant — illis non in c. adnumerandis, quidam caussa trahitur.* Plerique codd. *trahitur.*
[c] Multi codd. *in litem.*
[d] Nonn. codd. *Quod* (om. *si*).
[e] *Vocatur d. pro assertore.*
[f] 6, 7 *aut aliam occasionem.* 44 *per aliam occasionem.*
[g] Plerique codd. *moriuntur.*
[h] Multi codd. om. *in.*
[i] Cuj. 1 — Lugd. *adducere.* In exemplo meo Cuj. 1 a manu rec. corr. *abducere.*
[j] Nonn. codd. *prosequi.*
[k] 44 add. *eos.*
[l] Sich. cum multis codd. *actor.*
[m] Sich. *sunt : aut alia,* sed in m. *ut.*
[n] Multi codd. *in custodia ab actore redactus.*
[o] Hinc iterum incipit cod. 20. Vid. C. Th. tit. de Nuptiis (III, 7), c. 2, not. *p.*
[p] 20 om. *a.*
[q] Nonn. codd. *multa.*
[r] 6, 7, 21, 42, alii *vitium.*
[s] Multi codd. *prestiterunt.*
[t] 6—9, 12, 14, 17, 19 et multi alii *Nisi forte.*
[u] 20 supra lin. *auctor.*
[v] 20 *persequi.*
[x] 6—8 *sui.* 20 *periculi sui.*
[y] Cuj. 1 — Lugd. in m. *adducti.* In exemplo meo Cuj. 1 a man. rec. corr. *abducti.*
[z] Ita 6, 7, 20, 42, 44, alii, Sich. Cuj. 1 — Lugd., prob. Ri. Rell. *vindicatur.*
[aa] Nonn. codd. *servitium.*
[bb] 20 *subscriptorum,* sed a man. sec. corr. *susceptorum.* 21 *susceptarum,* sed in m. *susceptorum.*
[cc] 20 *ipsas.* Sich. *ipsa.* Nonn. codd. *ipsa.*
[dd] Nonn. codd. *datis fidejussoribus.*
[ee] Cuj. 1—Lugd. om. *vel meritum.*
[ff] 12 *servorum.*

A *vel*[a] *quod ab his*[b] *in*[c] *peculio reposcit, satisfaciat, cum fuerit superatus*[d].

DE CONSTITUTIONIBUS[e] PRINCIPUM ET EDICTIS[f].

Imp. Constantinus A. ad Lusitanos[g]. Si qua posthac[h] edicta[i] sive constitutiones sine[j] die et consule fuerint deprehensa[k], auctoritate careant. *Dat.*

[a] Nonnulli codices *aut.*
[b] Multi codd. *iis.*
[c] 20, 21 in m., Sich. Cuj. 1 — Lugd. *de* pro *in,* sed in m. Cuj. 1 — Lugd. *in.*
[d] 44, Sich. Cuj. 1 — Lugd. *reposcit, cum fuerit victus satis faciat.* 6, 7 *reposcit satisfacere cum f. super.*
[e] Huic titulo in Br. Al. præmittitur commonitorium, quod quamquam non ad codicem Theodosianum pertinet, tamen propter interpretationem Visig. in hac editione receptam in annotatione addendum esse putavi ex recensione Caroli de Savigny. *Alarici regis exemplar auctoritatis. In hoc corpore continentur leges sive species juris de Teodosiano et diversis libris electæ et, sicut præceptum est, explanatæ, anno* 22 *regnante domino Alarico rege, ordinante viro inlustri Goiarico Comite. Exemplar auctoritatis. Commonitorium Timotheo V. S. Comiti.*

Utilitates populi nostri propitia divinitate tractantes hoc quoque, quod in legibus videbatur iniquum, meliori deliberatione corrigimus, ut omnis legum Romanarum et antiqui juris obscuritas, adhibitis sacerdotibus ac nobilibus viris, in lucem intelligentiæ melioris deducta resplendeat, et nihil habeatur ambiguum, unde se diuturna aut diversa jurgantium impugnet objectio. Quibus omnibus enucleatis atque in unum librum prudentium electione collectis, hæc quæ excerpta sunt, vel clariori interpretatione, composita venerabilium episcoporum vel electorum provincialium nostrorum roborăvit adsensus. Et ideo subscriptum librum, qui in tabulis habetur collectus, Goiarico comiti pro distringendis negotiis nostra jussit clementia destinari, ut juxta ejus seriem universa causarum sopiatur intentio: nec aliud cuilibet aut de legibus, aut de jure liceat in disceptationem proponere, nisi quod directi libri et subscripti viri spectabilis Aniani manu, sicut jussimus, ordo complectitur. Providere ergo te convenit, ut in foro tuo nulla alia lex neque juris formula proferri vel recipi præsumatur. Quod si factum fortasse constiterit, aut ad periculum capitis tui, aut ad dispendium tuarum noveris facultatum. Hanc vero præreceptionem directis libris jussimus cohærere, ut universos ordinationis nostræ et disciplina teneat et pœna constringat.

Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. Gloriosis. Alarici regis hunc codicem de Theodosiani legibus atque sententiis juris vel diversis libris electum Aduris anno 22 *eo regnante, edidi atque subscripsi. Recognovimus. Dat. sub die* 4. *Non. feb. anno* 22. *Alarici regis Tolosæ. Et iterum anno* 20 *regnante Carolo rege Francorum et Longobardorum et patricio Romanorum.* Plura invenies in editione Breviarii Alariciani a me paranda.

[f] 5 om. rubricam. Cod. Just. *De legibus et cod. et edit.*
[g] 8, 26, 28, *Lusianos*; alii *Lusitanus, Lusetanos.* Sich. *Lusianum,* in ms., *Lusitanos*; cod. Just., *Lysitanos,* quod non displicet Ri. Lib. ms. Pist. Vat., Pl. 1, 2 Bg. ed. Nbg., *Lisitanos.* Cont. in ms. refert, alios inscribere *ad Bassum P. P.* Nonnulli codd. om. *A.*
[h] 19 om. *qua.* Plerique codd. *hæc* aut *hec.* Sich. Til. Cuj. 1 Aur. Lugd. Hincm. *hæc.*
[i] 14, 16, 30 *dicta,* 39, 43 *edita* et om. *sive...* 18 *edita sunt* 32 om. *edicta sive* et 5 *sive consule.*
[j] Cod. Just. *Si qua beneficia personalia sine.*
[k] 8, 9, 19—21, 27, 30, 32, 35, 37 — 39, 44 *deprehensæ.* 14 *comprehensa.*

Digitized by Google

VII [a] *Kalend. aug. Sabariæ*[b], *Probiano* [c] *et Juliano*[d] *VV. CC.*[e] *Coss.* (322).

INTERPRETATIO. *Quæcumque leges sine die et consule fuerint prolatæ* [f], *non valeant.*

DE INDULGENTIIS CRIMINUM.

Imp. Constantinus A. ad Maximum Pf. P. [g] Propter Crispi atque Helenæ partum [h] omnibus indulgemus, præter veneficos, homicidas, adulteros. *Acc. III. Kal. Nov. Romæ, Probiano et Juliano Coss.* (322).

DE HRÆDII MINORUM SINE DECRETO [i].

Imp. Constantinus A. [j] *ad Severum* [k]. Minores, qui intra *viginti quinque* annorum ætatem [l] sunt, prædium vel mancipium rusticum [m] *sine* decreti interpositione alienatum, etiam non petita in *integrum* [n] *restitutione*, poterunt vindicare; ita ut, si, hac lege proposita [o], *tantum temporis* [p] ad metas vicesimi et quinti [q] anni supererit, ut cœpta [r] lis *intra* [s] ejusdem anni finem terminari non possit, inchoata lis [t] possit *protendi*[u]. Sed et hi [v], quos eadem lex, exac-

[a] 10, 14, 41, 44 in Aniano regio (i. e. codice Br. Al. regio Par.) ap. Go., libro ms. Pist. *VI*. 16, Til. in ms. Cuj. 1 Aur. et Lugd., in cod. Just. *V*, sed Hal. Russ. *VII Cal. apr.*, cod. Pist. *Apr.*

[b] 10, 18 *Sabario et Probiano*. 19 *Salariæ*, 38 *Sabine*, 39 *Sabriæ*.

[c] 21 om. *Probiano Coss.* 8 *eque Proviano*. Nonnulli codd. *Proviano*. 28, 36 *Prolatio*. 40 *Problatio*. 20 Sich. *Robiano*, sed Sichardus in m. Problutio.

[d] 6, 10, 16, 18 om. *et Jul. VV. CC.* 14 om. *et Jul.*

[e] Plerique codd. om. *VV. CC.*

[f] Nonnulli codd. *delatæ*.

[g] Go. Be. in notis em. *Pf. U.*, recte. Vid. C. Th. II, 4, 2, not. [e].

[h] Go. magna doctrinæ copia in comm. h. c. em. *propter Crispi, atque Helenæ paratum* vel *apparatum*, id est apparatum itineris ad urbem Romam. Conjecerat etiam *pactum*.

[i] Cod. Just. *de Pr. et aliis rebus min. s. d. n. al. vel obligandis.*

[j] W. om. A, quod 1, P. Pu. habent.

[k] Siglum dignitatis om. in cod. 1, P. W. reponi volunt *Pf.* U. Pu. *Sreverum*, err. typ.

[l] 1 *Ætate.*

[m] Litteræ *cum sine* avulsæ sunt in cod. 1. Rustica tantum prædia et mancipia hic commemorantur. Quatuor annis post cautum est a Constantino M: etiam de urbanis prædiis et mancipiis in c. 3 C. Th. de Admin. et peric. tut. (III, 30).

[n] Litteras inclinatas rest. P.; Bijdr. malunt *integri*, provocantes ad rubr. C. Th. *de Integri restitutione* (II, 16), præter necessitatem et contra cod. 1 fidem, ubi *in* latet in litera *m* verbi *petitam*.

[o] 1 *Præposita.*

[p] Litteras hoc loco de membrana resectas supplet P., quem Pu. secutus est, *ta(men usque)*, improb. W., qui *tale tempus* et in E. L. L. 1824, p. 1084 et in ed. Codicis Th. Sed cum hæc quoque mihi displicerent, prætuli conjecturam Batavorum. Vid. Bijdr. l. c. p. 325 et c. 2 C. Th. de Int. rest. (II, 16).

[q] P. dicit: «In palimpsesto librarius primum scripserat *quingenti*, postea syllabam *gen.* delevit.»

[r] 1 *Cæpta.*

[s] V. *intra* rest. est a P.

[t] 1 *Inquata lis.* Non raro in codd. pro *inchoata* mendose scriptum est *incoata*, *incuata* et similiter.

[u] Ita rectissime P. restituit, quæ avulsa sunt in cod. 1, qui *pos . . . . . di.*

[v] 1. P. Pu. *hii.*

A to vicesimo [a] et quinto *anno*, intra viginti et sex annos deprehenderit, inchoare *petitiones* suas non morentur, quoniam usque ad vicesimum [b] et *sextum* annum ita inchoatæ litis tempora concluduntur. Qui *igitur* [c] post hoc tempus agere tentaverit, expellatur, ut jam *certus* securusque possessor sit. *Dat.* XV. *Kal. Jan. Serdicæ, Probiano* [d] *et Juliano* [e] *Coss.* (322).

Impp. . . . . . [f]. Et-

[a] 1 *Vigesimo.*

[b] 1 *Deprehenderit, incoare — vicensimum.*

[c] In cod. 1 post *Qu* est lacuna circiter quinque litterarum. P. Pu. suppl. (*Qui ergo*). W. ed. *Qui igitur*, quod præfero.

[d] 1 *Proviano.*

[e] 1 *ru.* et des. seqq. P. supp. *liano css.* et in ipsa const. editione *Ju(liano conss.)*.

[f] Dolendum est, et inscriptionem et subscriptionem h. c. periisse, quibus servatis magnæ tollerentur difficultates ex eo natæ, quod duæ Codicis Just. leges, c. 18 de Prædiis minorum (V, 71) et c. 17 de Appell. (VII, 62) ex hac const. videntur depromptæ esse, sed diversis inscriptionibus et subscriptionibus. Etenim c. 18 in ed. Spangenb. hæc inscriptio præponitur: *Impp. Constantinus* A. *et Constantinus* C. *ad Senatum*; contra c. 17 ita inscribitur: *Idem* A. (i. e. Constantinus M.) *ad Julianum Præfectum urbi*. Subscriptiones autem in eo differunt, ut scribatur in c. 18: *Dat. XII. Kal. Januar. Probiano et Juliano Conss.* (322), in c. 17: *Dat. III. Non. August. Heraclæ, Constantino* A. VII. *et Constantio* C. III. *Conss.* (326). Et W. quidem hanc diversitatem subscriptionum ita explicaret, ut c. 17 pro repetita hujus constitutionis forma post aliquot annos emissa haberet, nisi Constantiniani prætoris mentio, hanc constitutionem Orienti datam esse, doceret; posterior autem pars ad præfecturam urbis in c. 17 memoratam pertineret, quam Constantinopoli demum a Constantio a. 360 institutam esse, ex optimorum scriptorum testimoniis constat. Ad quas difficultates id impedimenti accedit, quod Julianus in inscriptione c. 17 commemoratur, quem Romæ præfectum fuisse, Gothofredus et Corsinius l. c. p. 179 demonstrant. Dereliquit igitur W. doctioribus rem decernendam. Alio modo Batavi (Bijdr. pag. 327) difficultatem tollere studuerunt. Negant enim c. 17 ex hac c. desumptam esse, cum utriusque legis sententia diversa sit, et in c. 17 jubeatur, ad præfectum urbis appellari, contra in hac c. id interdicatur, nisi apud utrumque prætorem, dum quæstio ventiletur, ab aliqua parte auxilium provocationis fuerit objectum: quod autem magna sit in utraque lege verborum similitudo, id non tanti esse, ut c. 17 ex c. 2 h. t. hausta videatur, cum non raro priorum et posteriorum legum similes locutiones reperiantur. Quæ conjectura sagacissima illa quidem, primum valde mihi probabatur, qua admissa c. 17 neque huic constitutioni neque c. 18 Cod. Just. adversatur, et quod in c. 17 de præfectura urbana dicitur, non de Constantinopolitana, sed de præfectura urbis Romæ accipiendum est. Simillima vero esse sæpenumero verba legum, cæteroquin argumento inter se differentium docet ipsius constitutionis 18 Cod. Just. ex hac lege desumptæ cum c. 16 Cod. Th. de Prætor. (VI, 4) comparatio, quæ Go. movit, ut c. 18 ex c. 16 desumptam esse putaret, quamquam id falso factum esse, ex Taurinensi membrana cognoscitur. Verum quo minus huic sententiæ adstipulari possim, hoc me impedit, quod, ea admissa, non omnes difficultates removentur. Nam duorum legislatorum nomina præponuntur c. 18, quæ triduo tantum recentior est c. 1 h. tituli, in qua unus tantum imperator commemoratur. Quis vero unquam tantam diversitatem nominum imperatorum admitti posse arbitratur in duabus constitutionibus trium tantum dierum spatio a se distantibus,

Digitized by Google

si [a] minores vel ex patris nomine vel ex suo, debitis dantaxat fiscalibus ingruentibus [b], vel ex privatis contractibus reperientur [c] obnoxii, decreti interpositio [d] a Constantiniano prætore celebranda est, probatis examussim [e] caussis, ut patefacta rerum fide, firma venditio perseveret [f]. Hæc cum *ita sint* [g], etiam suspecti tutores sub ejus debent examine postulari, *contraria* [h] quoque actione tribuenda; scilicet ut tunc demum ad *experientiam* tuam [a], servatis legibus, recurratur, si [b] apud utrumque prætorem dum quæstio ventilatur, ab aliqua parte auxilium *provocationis* fuerit objectum, ut provocationis merita sublimis disceptator expendas. *Dat.* . . . . . [c].

Anno Domini 323.
Severo et Rufino Coss.

DE LIBERALI CAUSSA.

Imp. Constantinus. A. ad Maximum [d] *Pf. U.* Libertatis [e] a majoribus [f] tantum impensum est, ut patribus, quibus jus vitæ in liberos necisque [g] potestas permissa est, eripere libertatem non liceret [h]. § 1. Si quisquam [i] minor venumdatus actum [j] major administravit, quoniam [k] minoris emptio scientiam non obligat, cum ad libertatem venientem [l] emptionis actusque a majore [m] administrati præscriptio [n] non tene-

fortasse nullo, cum non raro a librariis commutentur numeri XII et XV? Puto itaque, omnem difficultatem non in legis verbis, sed in eo sitam esse, quod in utroque codice et inscriptiones et subscriptiones corruptæ sint. Quam quidem corruptelam jam Go. vidit, qui c. 18 Constantio et Juliano C. vindicare et cum c. 16 C. Th. de Prætoribus conjungere studens, inde ab editione Contiana 1571 receptam inscriptionem *ad Senatum* pro eo, quod antea legebatur *ad Severum*, defendit contra fidem librorum mss. Codicis Just., quos inspiciendos mihi concessit amicissimus Herrmannus, Codicis Just. probatissimus editor. Codd. enim Pl. 1, Bg. Vat. et Pist. a Blumio collati, denique etiam Montispes. H. 82 et 83 a me ipso inspecti omnes *ad Severum* habent aut *Severo*, non *ad Senatum*. Corruptas autem esse et inscriptiones et subscriptiones membrana Taurinensis demonstrat, ubi librarius in inscriptione post v. *Impp.* septem litterarum lacunam posuit, quamquam ea non sufficit ad reliquam inscriptionem recipiendam, et in subscriptione post *Dat.* aliam lacunam 18 litterarum, quinque litteris, quæ avulsæ sunt, non computatis, ex quibus patet, jam ipsius Codicis Th. scriptores de vera legis inscriptione et subscriptione dubitasse. Cujus dubitationis fortasse hæc caussa fuit, quod c. 2 ex duabus constitt. conflata est, quarum una a Constantino M. ad Julianum data est, altera a Constantio et Constante. Certe duorum impp. lex indicatur siglo *Imp.* in cod. 1. Cum vero constitutionarii in conscribendo Cod. Th. ambigerent, utrius constitutionis inscriptio aut subscriptio recipienda esset, neutram receperunt; Just. autem Codicis conditores, qui leges illas ad pristinam formam reduxerunt, male utriusque legis inscriptiones et subscriptiones aliunde expleverunt. Fortasse c. 18 tribuenda est subscriptio c. 17, modo facili medela emendatis nominibus imperatorum et consulum reponatur annus 354 et legatur: *Impp. Constantius* A. *et Constans* C. *ad Senatum.* — *Dat.* III. *Non. Aug. Heracleæ* (!) *Constantio* A. VII. *et Constante Cæs.* III. *Coss.* (351). Sed nolo his cj. insistere. Cæterum quod de præfectura urb. in c. 17 dicitur, non obstat, cum emblema sit. — Pu. rest. inscript. ex c. 18 cit., appositis tamen uncis.

[a] Ita 1, quod indicat, hanc constitutionem laciniam majoris legis esse, W. autem accommodatum videtur removendæ dubitationi, quam de magistratuum provinciis ortam hæc lex sopivit. P. Pu. *Si* ex c. 18 Cod. Just.

[b] Cod. Just. *urgentibus*, sunt tamen libri mss., qui *ingruentibus* cum C. Th. exhibent.

[c] Cod. Just. *reperiantur*.

[d] Pu. *interposito*, mendose.

[e] Cod. Just. *examinatisque*.

[f] Hic desinit c. 18 Cod. Just. Quæ sequuntur usque ad v. *si*, debentur codici 1. In superioribus nonnulla in cod. 1 resecta sunt, quæ P. ex c. 18 restituit.

[g] Ita P. supplevit octo literas a cod. 1 avulsas, quod supplementum, a Pu. et W. quoque receptum retinui, quamquam non aptum esse videtur. Tamen non inveni meliora. Antea cj. W. *Hæc* (sc. fides) *cum deerit*. Cramerus cj. *Hæc cum aguntur*.

[h] Hoc supplementum debetur W., qui propter l. 4 D. de Contrar. tut. (XXVII, 4) putat, sermonem esse de contraria actione tutori remoto danda, neque coram prætore Constantiniano, sed coram eo, cui ordinaria jurisdictio competeret, instituenda. P., quem Pu. secutus est, rest. *postul(ari, at tibi)*, impr. W. In not. P. malvult *actio est* pro *actione*.

[a] Litteras *erienti* in cod. 1 avulsas restituit P., provocans ad c. 16 C. Th. de Petitionibus (X, 10) quod an recte fecerit, dubitat W., cum ibi vv. *experientia tua* vera significatione positæ sint, hic formulam hucusque non cognitam exprimant. Vv. *utrumque prætorem* Go. ad c. 13 C. Th. de Appell. (XI, 30) explicat urbanum et peregrinum. Idem facit glossa interl. cod. Pl. 1. Sed utriusque prætoris munera alias neque in Cod. Th. neque in Cod. Just. discerni, W. affirmat. P. cogitat de tutelari prætore, quem M. Antonius instituerat, et Constantiniano eosque junctim de suspectis tutoribus cognovisse putat, quam opinionem W. refutat, interpretans ipse *utrumque* per *alterutrum*, de qua vocabuli significatione disputat Car. de Savigny, Recht des Besitzes p. 345, not. r. Rudorff l. c. T. III, p. 179, not. 2 utrumque prætorem Byzantium a Constantino institutum intelligit proter Lydum de Magistr. II, 30 δύο πραίτορων ἀρχεσθῆναι συνεῖδε.

[b] Hinc incipit c. 17 Cod. Just.. postremis tamen vv. mutatis: *Si — objectum præfecturæ urbis judicium sacrum appellatur observet.*

[c] Hic finitur quarta membrana Taurinensis, in cujus inferiori parte librarius literis uncialibus adjicit: THEOD. LIB. III, ESPL-, unde de fine et de numero titulorum libri tertii constat.

[d] 15, 26 *Maximo*. Nonn. codd. *M. ppo.* aut *ppm.* et c. 3 Cod. Just. cit. *Pf. P.* Ita legi vult Bc. Cæterum 6, 7 *Id. aa.*

[e] 19, 20 *Libertis*. 16 *Liberti*. P. *Libertatis*, err. typ.

[f] 8 *minoribus*. 15 *tantum a major*.

[g] Multi codd. *nec his quæ*. 19, 20 *nec his quibus*. 15 *vitæ necisq. in liberos*.

[h] Cod. Just. *olim erat permissa, libert. erip. non lic*, et desinit in h. v. c. 10 cit. Go. in comm. legi vult *permissa esset*.

[i] 15 *Si ergo q.* 19, 20 *Sed si q.* 17 *Sic quisq.* 6—8, 14 *quicquam*.

[j] 6—8, 14, 20 *actuum*, quod in codd. 6—8, 14 ferri potest propter antecedens *quicquam*, neque displicet Ri. Go. in not. add. *servilem*. 20 *majore*.

[k] Nonn, codd. *quod* et mox, ut Sich. *obliget*. 15 *obligavit* et om. *eum*.

[l] 10, 18 om. *venientem*. 20 *emtionem*.

[m] 10, 18 *actusque major*. 1 *admajore*. 16 *ad majorem*.

[n] Multi codd. *perscriptio* 19, 20 *perscritione*. 1 *præscriptiono... — caturtenebit*, sed deletur *catur* punctis supra positis.

Digitized by Google

bit : § 2. nec vero [a] ille, qui apud quempiam pro servo educatur [b], ac major effectus vendenti [c] veluti domino acquievit actuque administrato jam pœne extremam relegit libertatem [d], (quoniam neque major effectus originem suam noverat [e], neque eam quam ignoraverat [f], venditionem [g] patiens deseruisse judicandus est) minori similis, eadem emptionis atque actus administrati [h] præscriptione non [i] alligabitur [j], sed utrique [k] dabitur assertio. § 3. Paria [l] etiam in libertinis erunt [m], quæstu quodam in eamdem [n] rursus servitutem [o] relabuntur [p]. Sed [q] eorum [r] hac exceptione [s] caussa distinguenda est, ut, qui impuberes [t] intra annum quartum decimum manumissi ac [u] deinceps in servitio retenti ignorata libertate [v] non [x] utantur, majoresque venumdati [y] actum gerant, ab [z] assertione non arceantur : cum illi ætati tributæ libertatis ignoratio aut [aa] oblivio consessa est [a]. Qui [b] vero memoria firma venditioni post factæ [c] non nescius innectitur, hujus legis beneficio carebit. § 4. Et quoniam vicissim etiam ipsis, qui his rem [d] commiserunt, medendum est, si [e] quisquam omnium, qui supra comprehensi [f] sunt, in libertatem proclamaverit [g], id quod apud se esse [h] ejus, qui se dominum dicit, profitebitur, quoniam [i] de eo non dubitatur [k], reddi ac referri judex protinus pronuntiabit [l]. § 5. Quod vero petitur, si id [m] fuerit negotiatione [n] controversum [o], per cautionem assertoris, ut alia lege comprehensum est [p], conservabitur, ac petitio [q] differtur [r], ut, si fuerit approbata propria [s] liber-

[a] Be. propter sq. *non allegabitur* prop. *nec non* vel *nec minus*, aut deleri vult *non* ante *alligabitur*, quod posterius ipse præfert, prob. W., cum Sich. legat *præscriptio non alleg.* Nihil est autem mutandum, modo putemus imperatorem voluisse priorem negationem satis remotam in memoriam revocare. Sich. usque ad Go. interpung. *liceret, si — tenebit Nec vero.*

[b] Ita 1, P. Pu, W.; in rell. codd. et edd. *educatus*, quod æque bonam sententiam præbet et videtur præferendum esse. Vid. C. Th. : *Si q. m. venumdatus.*

[c] 1 *vendendi.* 6 sec. Ri. *eff. ex vendendi*, potius *eff. et vend.* 8, 13, 17, Til. *eff. et vend.* 10, 18 *eff. et venditus.* 14 *eff. et vindendi.* 16 *eff. et venditi.* Mox plerique codd. *velut* aut *velud* et *pœne.*

[d] 9 *elegit.* 10, 18 *religat.* 20 *religit.* 21, Sich. *extr. se redegit lib.*, sed Sich. in m. *servitutem.* Antea 10, 18 om. *jam.*

[e] 6—9, 12—14, 16, 17 *noverit.*

[f] Ita nocte 1, P. Pu. W.; rell. *ignorabat.*

[g] 19, 21, Sich. *venditionis.*

[h] 20 *administrante.*

[i] Be. et W. videtur redundare *non.* Cæterum, multi codd. *perscriptione.*

[j] Multi codd. et Sich. *allegabitur.* 9 *obligabitur.*

[k] Ita 1, 9, 10, 15, 18, Sich. Cuj. 1—W. Similiter 19, 20 *utrisque.* Rell. codd. et Til. *utique.* Sed retin. *utrique*, i. e. cum minori venumdato, tum ei, qui pro servo educatus est. Natum est *utique* ex siglo *uique*, quod a librariis male intellectum est.

[l] 8, 10, 12 — 14, 17 — 19, 20 *Pari.* 15 *Par etiam.*

[m] 8 *eorum* 15 *erit.* Aur. Lugd. om. *in* post *etiam.*

[n] 1, 14 *eadem.*

[o] Ita 10, 13—15, 19, 20, Til. et P. Pu. W. ex cod. 1. Rell. *serv. rursus.* Cæterum nonn. codd. et Til. *rursum* et eod. 14 *servitute.*

[p] 6—8, 12—14, 16 *relabitur.*

[q] 6—8, 12, 13, 16, 17, Til. *Sic.*

[r] 1 *earu.* | etc.

[s] 20 supr. lin. *adsertione.*

[t] 14 *in pueris.* 20 *ut puberis* et om. *qui*, sed supra lin. *impuberes.* Idem paulo post *annos.* 21 *impuberis.*

[u] 12 *aut.* Mox multi codd. *servitium.*

[v] 14, 16, 17 *ignorat libertatem.* 12, 13 *ignorant libertatem.* 21 *ignorata vel lib.* 6, 7 *ignorat.*

[x] 7, 8, 16—18 add. *vi.*

[y] Sich. *majores qui v.* 15 om. *venumdati.* 8, 17 *actum generant.* 15 et Sich. *gerunt.*

[z] 1 *ad*, sed corr. a man. sec. *ab.*

[aa] Ita 9, 10, 15, 18—21 et ex cod. 1 P. Pu. W. Idem cj. Go. Rell. *ut.* Be. legi vult *et.* 6, 7, 13, 17, Til. *ignorat jus* (s. *ignoratius*). Til. add. *ut abolitio.* 8 *ignorationis abolitio.* 12 *ignorant jus abolitio.* 14 *ignorat jus absolutio.* 20 *ignorantibus*, sed supra lin. corr. *ignoratio.* 21, Sich. *cum illis ætate distributæ libertatis ignoratio ut oblivio*, non. impr. Ri. Cæterum Til. *libertati.*

[a] 15 *sit.*

[b] 16 *Quia vero.*

[c] 9 *perfectæ.* 20 *venditione post facta.*

[d] Ita P. Pu. W. ex cod. 1; rell. edd. *rem. his c.* 10, 18 *ipsis his rem. c.* et om. *qui.* 19, 20 *quibus rem comm.* 15 *etiam his q. rem. c.* 6, 7, 12, 14, 16 om. *rem*, quod v. ap. Til. uncinis inclusum est. 10, 18 *commiserint.*

[e] Hinc incipit c. 3 Cod. Just. cit. : *Si quis in libert. proclam. id quod apud se esse*, etc.

[f] 1 *superaconpræh.*

[g] 9, 10, 18—21 *proclamevarint.* Cæterum 6, 7, 10, 13, 16, 18, 21, Sich. Til. *in libertate.*

[h] In syllaba *es* finitur folium Taurinense et desinit hæc c. ap. P. Pu. Pu. *apud se ei.* 15 *esse is qui ejus se dom.* Cuj. 1 — Cuj. 2* *esse ejus qui.*

[i] 21 *profiteretur.* Sich. *profitetur quoniam*, sed in m. *quando.* Ri* *quoniam.* 8 *quid.*

[j] Cod. Just. *non de eo.*

[k] 20 supr. lin. *dicat.*

[l] 6, 7, 10, 12, 14, 16—19 *pronuntiavit.*

[m] 6, 7 *Q. v. petitor.* Cod. Just. om, *id.*

[n] 19 et in m. Sich. Cuj. 1 — Cuj. 2* *negatione.* 20 *adfuerit negationem contraversium.* Cod. Just. *negatione dubium*, cui verbo sec. W. nexus favere videtur, (opponi enim videtur *id quod negatione controversum est* ei, quod quis *apud se esse profitetur*), et in Cod. Just. adstipulantur Basilicorum Scholia (nam in textu ipso liberioribus verbis sententia legis redditur), in quibus t. VI, p. 478 verba hæc sic translata legimus : ὅπερ δὲ ἀπαιτεῖται ἐὰν γένηται τῇ ἀρνήσει ἀμφίβολον, etc. Neque tamen ausus est W. scripturam immutare, cum v. *negotiatione* possit cum Go. intelligi de negotio, cui servus tanquam institor, fuerat a domino præpositus, et cujus nondum reddiderat rationes. Quam interpretationem confirmant sequentia et interpr. Visigothorum. Cæterum codd. 10, 18 *negociatio nec.* 12 *defuerit negotiationem.*

[o] 9, 21 *controversiam.* 15 *quæsitum.* 6 *controvertium.*

[p] 6—8, 10, 13, 14, 17, 18, Til. *ut aliud juste compr. e.* Vv. *assertoris — est* des. in Cod. Just. *Alia lex* est sec. Go. c. 1 h. t., sec. W. antec. § 4.

[q] 21, Sich. *cons. appetitio*, sed non substitutur ap. Sich. *forte* verbo *ac*, quod Ri. dicit. Pertinet potius *forte* ad cj. *negatione*, quam Sich. in m. habet. Ri. *petititio.*

[r] 14 *differatur.* 15 Cod. Just. *differetur*, prob. W. 9, 10, 18, Sich. *defertur* et om. *ut* in codd. 10, 18.

[s] 15 Cod. Just. om. *propria.* 6 sec. Ri *approbat his propriata*, sed 6, 7, 16, Til. *approbata his propriata.* 8, 13, 14, 17 *appr. his propria.* 9 *appr. spoliata lib.* 19, 20 *appr. expoliata lib.* 10 *adpr. liata lib.* 18 *appr. licita lib.* In m. Cuj. 1—Lugd. « *et stipulata*, alias *spoliata*, » quibus vv. inm. Cuj. 2, 2* add. : « alias *his propria*

Digitized by Google

tas, gestarum rerum [a] ab eodem ratio atque [b] omne quod debebitur [c] reposcatur, ut [d] servitute depulsus [e], qui pro domino quondam [f] fuerat, habeat, quod ut servo domini [g] jure largitus est, et [h] quæ ex earum rerum [i] quæstu ac fructibus conciliata [j] sunt, et quæ [k] de furtivis compendiis obscure capta [l] ac parta [m] sunt, cum liberum esse non oporteat, quod apud servum dominus peculii nomine [n] collocaverat. § 6. Ea vero, quæ testamento aut [o] donatione quæsita sunt, aut [p] quæ ex earum rerum emolumentis [q] empta confectaque sunt, eidem ingenuo deputentur. § 7. Quæ tamen universa exacto libertatis judicio [r], quo [s] a supra dictis rebus discernuntur [t], in sequestri [u] esse oportet, ut, his [v] ab utroque deductis [x] atque in medio jure locatis [y], ad eorum proprietatem uterque contendat [z]. *Dat. XV. Kalend.*

A *Mart.*[a] *Dessalonica*[b], *Severo et Rufino Coss.* (323).

Interpretatio. *Minor venditus, si post viginti et quinque ætatis suæ annos, jam major effectus* [c] *servierit aut in rebus emptoris actor aut cujuslibet rei ordinator fuerit constitutus, cum de ingenuitate sua proclamaverit* [d], *sine præjudicio servitii* [e], *quod gesserit, audiatur, nec hoc ei præjudicium generet, quod ejus, a quo emptus est, domum aut utilitates in annis majoribus* [f] *positus visus est ordinasse. Hoc etiam de libertis lex hæc præcepit custodiri, ut, qui intra quatuordecim annos fuerint manumissi* [g] *et actum in majore ætate positi gesserint patronorum, libertati eorum actus non præjudicet servitutis, sed cum voluerint, suas aut* [h] *de ingenuitate aut de* [i] *libertinitate, intra tempora legibus constituta, proferant actiones. Sic* B *etiam, si quis minor ingenuus a quolibet fuerit educatus et, liberum esse se nesciens, fuerit a nutritore distractus* [j] *et actum vel utilitatem illius, a quo emptus est, ut servus gesserit, priusquam, triginta annorum præjudicio teneatur, potestatem habeat reclamandi* [k], *et quasi minor is, priusquam tempora suppleantur, amissam recipiat* [l] *libertatem. Quicquid vero ille eis, a quo empti sunt, vel tradidit vel donavit vel quacumque* [m] *ex rei suæ administratione profecit, totum retinendi ac revocandi habeat potestatem. Si vero hujusmodi personis* [n] *aliquid a quibuscumque aliis, aut testamento aut donatione collatum est, id solum sibi jam liberi vindicent: nam quod de re patroni libertus vel emptoris ingenuus, dum serviret, profecit* [o], *libertati redditus libertus patrono, ingenuus emptori restiC tuat. Hi vero, qui in* [p] *annis majoribus constituti sunt, scientes se esse ingenuos vel* [q] *libertinos, si vendi acquieverint, in ea, ad quam* [r] *scientes sua voluntate transeunt, servitute permaneant.*

ta. » Cæterum Ri°. *libertus.* Hic in Cod. Just. e superioribus add. *quoniam et ipsis, qui his rem commiserunt, medendum est.*

[a] 19 add. *atque.*

[b] 10, 18 add. *hoc.* 6, 7 *omnem.*

[c] 14, 19, 20, Cod. Just. *debetur.*

[d] Go. cj. *et.*

[e] 9, 15, 19, Cod. Just. *depulsa.* Similiter Bas. et Scholiast. 20 *repulsa.* A Go. defenditur *servitute depulsus.* Mihi placet *depulsa*, quod v. aptius est h. l., quam *depulsus.*

[f] 20 *quod fuerat commendatus habeat.*

[g] 6—8, 14, 16, 17, 20, Til. Russ. in m. Cod. Just. *servus*, prob. Spangenb., sed Schol. Bas. ὡς δούλῳ. 9 *servum.* 10, 18 *ut servos dominus.* 13, 15 *ut servo dominus* Cod. Just. *dominii.* Schol. Bas. δικαίῳ δεσποτείας. W. tuetur nostram scripturam.

[h] 10, 18 *largitus est in re atque.* 19 *largitus fuerat hec que.*

[i] Go. Ri. Ri°. om. *rerum*, err. typ., sed add. apud Ri. in corr.

[j] Cod. Just. *congregata.*

[k] Copula deest in omnibus codd. præter 15. Deest etiam in edd. Sich. — Ri°.; Be. rest. *et* ex Cod. Just.; Go. cj. *quæque.*

[l] 10, 18 *cauta.*

[m] 9, 16, 19, 20, Cod. Just. *parata.* 14 *partita.* 20 supr. lin. *pervasa.*

[n] 10 om. *nomine.*

[o] 19, 20, Cod. Just. *vel.*

[p] 9 *ut quæ.*

[q] 8 *aut qui ex earundem rei emol.* 20 *earundem.* 6, 7 *earundem rei.*

[r] 7, 8, 10, 14, 16—18, Til. *exacto liberalique jud.* 6 *e. libertatique jud.* 9 *quod tamen u. exactio liberalitatis jud.* 21 et in m. Cuj. 1 — Cuj. 2° *liberalitatis.* Go. in not. *liberali jud.*

[s] 9 *quod;* item 15, sed om. *a.* 20 *qua supr.* Cod. Just. *quatenus.* W. dicit, *quo* pro *quoad, donec* poni. Go. pro *usque quo* accipit vel poni vult *quoad.*

[t] 15 *discernitur.*

[u] 15, Cod. Just. *in sequestro.* 20 intra lin. *vel ro res*, i. e. *sequestro res oportet.*

[v] Multi codd., Sich. Cuj. 1—Ri. *hiis.* Ri°. *iis.*

[x] Go. cj. *diductis.*

[y] W. ann.: « Vulgata in Cod. Just. *in medio collocatis*, om. voce *jure.* Sed et Schol. Basil. l. c. habet ἐν μέσῳ δικαίῳ et Cujac. Observv. XII, 6 in vett. Cod. Just. libris *in medio jure* legi testatur aliamque affert locum similem. » Mox 20 supr. lin. *ad eade.*

[z] 9 *contendant.* 19, 20 *concedant.* 6—8, 10, 12, 14, 16, 18 *concedat.*

[a] 9, 15, 19, 24, 30, 33, 34, 36, 40, 44, Cuj. 2 — Ri°. et in m. Sich. Cuj. 1 — Lugd. *Jan.* 27—29. 31, 42, c. 10 Cod. Just. cit. Be. *Jun.*; Be. in inscr. reponi vult *Pf. P.* pro *Pf. U.*, impr. W. 35 *Jul.* 21 *Mai.*

[b] Ita plerique codd.; in nonn. om. *Thess.* Rell. *Thess.* aut *Thessal.*, ut edd. ante W., qui ipse cum Cod. Just. *Thessalonicæ.* Paulo post aliquot codd. *Rufo* pro *Rufino.*

[c] 6—9, 19—21, 42, 44, alii add. *si.*

[d] 9, 10, 18 om. *constitutus—proclam.*

[e] Sich. *servitutis.*

[f] 20, 21 in m. *minoribus.*

[g] Nonn. codd. *quam ejus utilitatibus — præcipit* D *custodire aut qui — fuerit manumissus — gesserit* 20 *propositi.* Idem paulo post *patronum* (corr. *patronorum*)—*præjudicent.* Cuj. 2, 2° XIII. pro XIV.

[h] 6—9, 20, 21 om. *aut*, sed. add. in m. cod. 21.

[i] 20 om. *de.*

[j] Nonn. codd. *ingenuus minor — liberum se esse — detractus.*

[k] 20 *proclamandi.* Mox 21 *quasi minoris p.*

[l] 6, 7, 20, 21 *recipiant.*

[m] 6—9, 20, 21, 42, 44 *eis ille—quæcumque.*

[n] 20 *proficer — persona.*

[o] Nonn. codd. *testamentum aut donationem — proficit.* 21 *libertis.*

[p] Ri°. *Ii vero qui* et om. *in.*

[q] 20 add. *vel.* 8—10, 18, alii codices om. *ingenuos vel lib.* 6, 7, 20, 21, Sich. in m. *libertos.*

[r] 20 *vendenti — in eadem adq.* 21 *si vendendi*, sed in m. *se vendi.*

Digitized by Google

DE APPELLATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Florentinum..... [a] Si nominatus magistratus aliquis refragetur, non appellatio, sed querimonia hoc dicetur: appellationis enim verbum in majoribus rebus dici oportet. Similiter et si ad exactionem annonariam nominatus de injustitia queratur, non appellatio, sed querela hoc esse videbitur. Ideoque nectem pora[b] appellationum servanda sunt, sed mox[c] super hujus modi querimoniis disceptandum. *Dat. Id. April. Constantinopoli*[d], *Severo et Rufino Coss.* (323).

DE DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Florentium..... [e] Decuriones ad magistratum [f] vel exactionem annonarum ante tres menses vel amplius nominari debent, ut, si querimonia eorum justa videatur, sine impedimento in absolvendi locum alius surrogetur. *Dat. Id. April. Constantinopoli*[g], *Severo et Rufino Coss.* (323).

DE RE MILITARI. [h]

Imp. Constantinus A. *et Cæsar* [i] ..... Si

[a] Dignitas deest etiam in c. 8 cit., ubi non *Florentinus* appellatur, sed *Florentius*, uti hic scrib. Reinesius; c. 1 C. Th. de Custodia reorum (IX, 3) inscribitur *Florentio Rationali*, c. 1 Cod. Just. de Magistr. munic. (I, 56) ex c. 8 C. Th. cit. desumpta *Florentio P. P.* Go. igitur dubitat, utrum h. l. addendum sit *Rationalem* an *Pf. P.* Illud vult in ann. h. c., quia hic et in c. 8 cit. *de exactione annonaria* dicitur; hoc cum Rein. præferre videtur in Chron. Etiam ad c. 8 cit. Rein. rep. *Pf. P.* Rep. *Rationalem.*

[b] Cuj. 2, 2* err. *tempore.*

[c] Fol. 185[a] cod. 4.

[d] Ita etiam c. 8 C. Th. cit. Hoc anno nondum exstitit *Constantinopolis*, sed urbs erat *Byzantium.* Et quamquam Go. expungit v. *Constantinopoli*, prob. Be., et errorem fuisse dicit cujusdam scriptoris, qui loco Byzantii ab hujus Codicis conditoribus nomen Constantinop. substitutum conjiceret; tamen ego id assentior, et ipsos conditores C. Th. urbis nomen antiquum cum recenti et suo quidem tempore notiori commutavisse suspicor. Certe historiæ ratione spectata Constantinum non incredibile est anno 323 fuisse Byzantii. Neque ab opinione mea alienum, quod me amicissimus Heimbachius edocuit, solitos fuisse Justinianæ et inferioris ætatis scriptores, si quis de Orientis urbe solemni more loqueretur, *Constantinopolin* scribere, contra si qua urbis mentio vulgari sermone fieret, antiquum *Byzantii* nomen pro Constantinopoli ponere; veluti me confero Byzantium. Cf. clar. Heimbachii editionem Athanasii Scholastici p. 11, not. 49 et 56. Non magis Constantinopoleos mentio convenit cum legis anno in c. 2 C. Th. Fam. herc. (II, 24), c. 3 C. Th. de Veter. (VII, 20), c. 8 C. Th. de Decur. (XII, 1), c. 3, C. Th., de Navic. (XIII, 5), c. 1, 17 Sirmond. Vid. c. 2 cit., not. *m*, c. 3 cit., not. *b*, c. 1 cit., not. *a* et c. 17 cit., not. *t.* Aur. Lugd. *Cons.*

[e] Dignitas deest in cod. 4 Till. — Cuj. 2*. Be. sine ullo lacunæ signo. Ap. Go. — Ri*, quinque ponuntur puncta lacunæ indicandæ caussa. Cod. Just. *Imp. Constantinus A. ad Fl. P. P.* Etiam Reines. add. *Pf. P.* Vid. c. 12 C. Th. de Appellat. (XI, 30), not. *g.*

[f] Ri*. *Cagistratum.*

[g] Vid. c. 12 cit., not. *i.* Aur. Lugd. *Cons.*

[h] Nonn. codd. add. *et Deprædationibus*, quod ex titulorum expositione translatum, simul demonstrat, cur in aliis codd., ut 43, et aliquot apud Go. *De Deprædationibus* pro *De Re Militari* scriptum sit; sed tamen in cod. 43 a sec. man. reponitur verus titulus. Go. inde explicat, quod interpretatio hujus legis et tituli sola in Br. Al. recepta est. De interpr. rubricæ in nonn. codd., etiam 5, titulo adscripta vid. ed. meam Br. Al.

[i] Sich. *Constan.* Cuj. 1 — Cuj. 2* *Constantinus* A.*

A quis [a] barbaris [b] scelerata factione [c] facultatem [d] deprædationis [e] in Romanos dederit [f], vel si quis alio [g] modo factam diviserit [h], vivus comburatur [i], *Dat.* IV. *Kal. Maii* [k] *Severo* [l] *et Rufino Coss.* (323).

INTERPRETATIO. *Si quis cum* [m] *quibuslibet hostibus prædas egerit aut prædam cum prædonibus diviserit, incendio concremetur.*

DE COMMEATU.

Imp. [n] *Constantinus* [o] *A. et C.* [p] Ne cui liceat præpositorum vel decurionum [q] vel tribunorum cohortium [r] quocumque genere cuiquam de militibus a [s] castris atque a signis, vel his etiam in locis, quibus [t]

B et om. *et Cæsar*, quæ vv. des. etiam in codd. 15, 25 et sec. Go. in MS. archetypo hujus Codicis. Recte nuntiat Go. Magistratus deest; sed c. 1 Cod. Just. de Commeatu (XII, 43), quæ desumpta est ex c. 1 C. Th. eod. cum hac c. conjungenda, inscripta est *Leontio* PP., quod tamen non prob. Go., et magnam etiam Cod. Just. h. l. esse diversitatem scripturæ, perspicitur ex annot. Spangenb., quam vide. Reinesius add. *ad Proculu.* Go. — Ri *. pro hoc ponunt quinque puncta post. v. *Cæsar*, Be. quattuor tantum.

[a] 9, 15, 16, 19, 20, 25, 42 add. *cum*, quod Ri. ex interpr. desumptum esse existimat, sed ferri potest.

[b] 6—8, 10, 12—14, 17, 18 *barbarus*, impr. Ri.

[c] 42 Ex corr. *actione.* 10, 18 *satisfactione.*

[d] 19, 20 *Facultatum.* 25 *facultate.*

[e] 6, 7, 10, 18 *deprædationi.* 8 *deprædatione.* 13, 19, 20 *deprædatione.*

C [f] 9 *Deferit.* 25 *dederint.* 42 *in romanus fecerit*, sed antiquitus *defecerit.* Go. annotat: « Tentet quis *in Romano* S. id est solo: Quo nil opus. »

[g] 15 *Aliquo.* Sich. Til. *vel si quo alio.*

[h] 21, Cuj. — Lugd. (contra codicis auctorit.) *factum div.* 9 *facta div.* 12 *diviserint.*

[i] Ita 8, 10, 12, 14, 17, 18, 20, 25, Cod. Just. Capit. I. c.; rell. *amburatur*, quod non insolens quidem est, sed tamen minus aptum, quam *comburatur*; et facile nasci poterat *am* ex *com.* Cæterum v. *vivus* a sec. man. adscr. est in cod. 20.

[k] 19, 20 V. impr. Ri.; 13, 40 III. 42 VIII. Nonn. codd. om. num.

[l] 38 *Revero.* Nonn. codd. *Siviro.* 8, 40 om. *Severo — Coss.*

[m] Go. annotat « male. »

[n] Ita codex, Cuj. 1—Go.; sed Ri. Ri*. Be. om. *Imp.*, sine caussa.

[o] Aur. Lugd. mendose *Constantius.*

D [p] Ita Be. auct. Go. et c. 1 de Re milit. cit. Cuj. 1 — Ri*. *A.* etc. (et cætera), quod siglum Go. diductis literis accipit pro et *C.* id est *et Cæsar*, recte, nam codex habet *A ETC.* Est igitur virgula, quæ pro compendio posita est, paululum protracta. Annotat præterea Go. in Chron. h. anni: « Inscriptio hujus l. præfert *Constantinum A Cæs.* » Cod. Just. *Impp. Constantinus et Constans AA. Leontio P. P.* Vid. c. 1 C. Th. cit., not. *i.* Cæterum cum rubrica h. tit. incipit fol. LXII[b]. codicis, in cujus ima pagina legitur numerus quatern. XL.

[q] Cod. Just. om. *vel dec.*

[r] Cod. Just. add. *vel vicariorum et familiarium eorum tempore expeditionis.*

[s] Ita Cod. Just. (prob. G.) et Be. In codice, Cuj. 1 — Ri*. om. *a*, minus apte.

[t] Cod. Just. *atque* (om. *a*) *signis v. h. etiam locis in quibus.*

Digitized by Google

prætendant [a], discedendi [b] commeatum dare. Si quis vero contrà legem facere ausus fuerit, et militem contra indictum [c] commeatu [d] dimiserit, atque id temporis nulla eruptio erit, tunc deportatione cum amissione bonorum afficiatur; sin vero aliqua barbarorum incursio [e] exstiterit, et tunc, cum præsentes in castris atque apud signa milites esse debeant [f], quisquam abfuerit [g] capite vindicetur. *Dat.* IV. *Kal. Maii Severo et Rufino* [h] *Coss.* (323).

DE EXTRAORDINARIIS.

Imp. Constantinus A. ad Ulpium Flavianium Consularem Æmiliæ et Liguriæ. Ab extraordinariis omnibus [i] fundi patrimoniales atque emphyteuticarii [j] per Italiam nostram constituti habeantur [k] immunes, ut canonica tantum et consueta dependant, ad similitudinem per Africam [l] possessorum. *Dat.* XII. *Kal. Jun.* *Lecta apud acta Severo et Rufino Coss.* (323).

DE EPISCOPIS.

Imp. Constantinus A. ad Elpidium... [m] Quoniam comperimus, quosdam ecclesiasticos et cæteros catholicæ sectæ servientes a diversarum religionum hominibus

[a] Codex, Cuj. 1 — Ri[a]. *pertendant.* Sed. Be. auct. Go. ex Cod. Just. rec. *prætendant*, quod etiam Val. habet. Vid. de h. v. longam Go. in comm. disputationem.

[b] Go. *discendi*, err. Mox Cod. Just. *contra hanc legem.*

[c] Cod. Just. *interdictum*, prob. Reinesio sed Go. tuetur *indictum*, id est legem, constitutionem.

[d] Ita MS. prob. Go., quam scr. Be. restituit. Codex *commeatu miserit*, sed ponitur a librario *de* supra *miserit.* Cuj. 1 — Ri[a]. *commeatum* (hoc etiam Cod. Just.) *demiserit*, impr. Go.

[e] Cod. Just. *dimiserit eo tempore, in quo Barbarorum incursio* et des. vv. *nulla eruptio erit — aliqua.*

[f] Aur. Lugd. *arque.* Go. mavult *debebant*, sine caussa.

[g] Codex, edd. ante Be. *afuerit.* Ita etiam et in sq. c. *afuerit.*

[h] Aur. Lugd. *Ruffino.*

[i] In m. Cuj. 1 — 2[a] rest. *oneribus*, impr. Go. Vid. infr. c. 9 h. t. Speciosa quidem est Cujacii cj. neque vero necessaria.

[j] 4 *enfitheuticarii.*

[k] Fol. 150[a] cod. 4 inc. cum syll. *antur* (habeantur).

[l] Vid. C. Th. c. 9 h. t.

[m] 4. edd. *Helpidium* et om. dignitas sine ullo lacunæ signo. Go. eum opinatur fuisse Vicarium Urbis et Italiæ, assent. Be. Vid. C. Th. II, 8, 1 not. *y*, XIII, 5, 4, not. *q.*

A ad lustrorum [a] sacrificia celebranda compelli, hac [b] sanctione sancimus, si quis ad ritum alienæ superstitionis cogendos esse crediderit eos, qui sanctissimæ legi serviunt, si conditio patiatur, publice fustibus verberatur, si vero honoris ratio talem ab eo repellat injuriam, condemnationem sustineat damni gravissimi, quod rebus publicis [c] vindicabitur. *Dat.* VIII. *Kal. Jun.* *Sirmio* [d], *Severo et Rufino Coss.* (323).

DE DISTRAHENDIS PIGNORIBUS, QUÆ TRIBUTORUM CAUSSA TENENTUR [e].

Imp. Constantinus A. [f],... Quoniam decessoris tui litteræ missæ ad Proculianum [g] tribunum et magistrum officiorum continent, quorumdam provincialium mancipia abducta pro pignore sub officio retineri eo, quod [h] vestes canonicas vel equos minime intulerunt, B atque hæc mancipia neque dominos solutis debitis recepisse, neque alios comparasse, veritos ne [i] hæc rescinderetur [j] distractio: jubemus duorum mensium spatium ad solvenda debita mancipiorum [k] dominis indulgeri, quo transactionis [l] debita fuerint persoluta [m], firmiter mancipia [n] comparabunt, quicumque ad emptionem accesserint. *PP. prid. Kal. Jan. Castulone, Severo et Ruffino Coss.* (325).

[a] Fol. 396 [b] cod. 4.

[b] Til. — Cuj. 2 *. Ri *. *conpelli. Hac.* Go. Ri. *conpelli, Hac.* Go. Ri. *conpellit, Hac.*

[c] Edd. *rebus publicis.* Go.: « An intelligit civitates et viros cujusque Reipublicæ, ut conjunctim *Rebuspublicis* hic legamus? An vero res fiscales. Pro illo facit simile exemplum *legis* 2, *supr. de Judiciis* » (II, 18, 5). Scripsi cum codice, qui Go. cj. confirmat. C *rebuspublicis.* Sumpm. C. Th. *fisco.*

[d] 4, Til. — Cuj. 2 *. Lab. *Sirmi.* Go. — Ri *. *Sirmi* I. Be. *Sirmii.*

[e] Cod. Just. *De capiendis et distr. pign. tributorum causa.*

[f] Præsidi Bæticæ, ut sq. ita et h. c. inscrib. esse Go. putat. Lacunæ indicium nec est in cod. 4 nec in Til. — Ludg.; Cuj. 2 — Ri[a]. habent asteriscum.

[g] Supra lit. *li* h. v. in cod. 4 a sec. manu add. *s* (Proculeianum).

[h] Edd. ante Be. *retineri, eo quod.*

[i] Til. — Cuj. 2[a] *comparasse veritos, ne.*

[j] Aur. Lugd. *rescindatur*, mendose.

[k] Cum literis *cipiorum* incip. fol. 144[b] cod. 4.

[l] In m. Cuj. 1 — 2[a] et in not. Go. em. *transacto nisi*, prob. Be., recte.

[m] Cuj. 2, 2[a] mendose *persolvat.*

[n] Mendose Go. *mancipio.*

LEX CONSTANTINI DE PIETATE IN DEUM, ET DE CHRISTIANA RELIGIONE.

Victor Constantinus Maximus Augustus, provincialibus Palæstinæ.

1. Jampridem apud eos qui recte et sapienter de Deo sentiunt, evidenti discrimine, quo omnis dubitatio removetur, apparuit quantum interesset inter studiosos observatores venerandæ christianorum religionis, et inter ejusdem oppugnatores et contemptores. Nunc vero evidentioribus argumentis, et rebus ges-

D Νικήτης Κωνσταντῖνος Μέγιστος, Σεβαστὸς, ἐπαρχειώταις Παλαιστίνης.

1. Ἦν μὲν ἔννωθέν τε καὶ παλαι παρὰ τοῖς ὀρθῶς καὶ σωφρόνως περὶ τοῦ κρείττονος δοξάζουσιν, ἔκδηλος ἡ διαφορὰ πᾶσαν ἐνείργουσα πόρρωθεν ἀμφιβολίαν, ὅσῳ τῷ μέσῳ διήλαττεν ἡ περὶ τὴν σεβασμιωτάτην τοῦ χριστιανισμοῦ θεραπείαν ἀκριβὴς παρατήρησις, παρὰ τοὺς πρὸς αὐτὴν ἐκπεπολεμωμένους τε καὶ καταφρονητικῶς

VALESII NOTÆ.

Ἐπαρχειώταις Παλαιστίνης. In codico Medicæo scriptum inveni ἐπαρχιώταις παλαιστινοῖς. Porro ab his verbis cap. 35 inchoavi, auctoritatem secutus codicis Regii et Fuket. In veteribus etiam schedis legitur ἐπαρχιώταις.

Πᾶσαν ἐνείργουσα. Scribe ex codice Medicæo καὶ πᾶσαν ἐνείργουσα. Et paulo post ex eodem codice legendum est τῶν χριστιανισμοῦ θεραπείαν, ut legitur etiam in schedis Regiis et Codice Fuketiano.

Digitized by Google

ἔχοντας. νυνὶ δὲ καὶ μᾶλλον ἐπιφανεστέραις πράξεσι καὶ κατορθώμασι λαμπροτέροις, τό τε τῆς ἀμφιβολίας ἄλογον ἀποδέδεικται, καὶ ὁπόση τίς ἐστιν ἡ τοῦ μεγάλου Θεοῦ δύναμις, ἡνίκα τοῖς μὲν πιστῶς τὸν σεμνότατον σέβουσι νόμον, καὶ μηδὲν τῶν παραγγελμάτων παραλύειν τολμῶσιν, ἄφθονα τὰ ἀγαθὰ, καὶ πρὸς τὰς ἐγχειρήσεις ἰσχὺς ἀρίστη, καὶ μετ' ἐλπίδων ἀγαθῶν ἀπαντῶσα· τοῖς δὲ τὴν ἀσεβῆ λαβοῦσι γνώμην, πρὸς τὰς προαιρέσεις ἀκόλουθα καὶ τὰ ἀποβαίνοντα. τίς γὰρ ἀγαθοῦ τύχοι τινὸς, τὸν τῶν ἀγαθῶν αἴτιον Θεὸν οὔτε γνωρίζων, οὔτε τὰ προσήκοντα σέβειν ἐθέλων; πίστιν τῷ ῥηθέντι καὶ τὰ ἔργα δίδωσιν.

A tis multo illustrioribus, tum dubitationis ipsius absurditas, tum quanta sit summi Dei potentia, declaratur. Quippe his quidem qui venerandam legem fideliter colunt, nullumque ejus præceptum audent dissolvere, omnium bonorum copia, et ad ea quæ aggressi sunt perficienda vires idoneæ cum bona spe ac fiducia suppetunt. Iis vero qui impiam sententiam amplexi sunt, convenientes rerum eventus contigerunt. Nam quis est, qui cum Deum bonorum auctorem non agnoscat, eumque debito cultu venerari recuset quicquam boni unquam consequatur : res certe ipsæ dictis nostris fidem faciunt.

EXEMPLUM A VETUSTIS TEMPORIBUS.

II. Εἰ γοῦν τις εἰς τοὺς ἄνωθεν καὶ εἰς δεῦρο παρατείναντας χρόνους ἀναδράμοι τῷ νῷ, καὶ τὰς πρότερον γενομένας πράξεις κατίδοι τῷ λογισμῷ, πάντας ἂν εὕροι τοὺς μὲν ὅσοι δικαίαν καὶ ἀγαθὴν προκατεβάλλοντο τῶν πραγμάτων κρηπῖδα, εἰς ἀγαθὸν καὶ προσαγαγόντας τὰς ἐγχειρήσεως πέρας, καὶ οἷον ἀπὸ ῥίζης τινὸς ἡδείας κομισαμένους καὶ τὸν καρπὸν γλυκὺν· τοὺς δ' ἀδίκοις ἐπιχειρήσαντας τόλμαις, καὶ ἡ πρὸς τὸ κρεῖττον ἀνοήτως ἐκμανέντας, ἢ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος λογισμὸν ὅσιον οὐδένα λαβόντας· ἀλλὰ φυγὰς, ἀτιμίας, δημεύσεις, σφαγὰς, τοιαῦτα πολλὰ τολμήσαντας· καὶ οὐδὲ μεταμεληθέντας ποτέ, οὐδὲ τὸν νοῦν ἐπιστρέψαντας πρὸς τὰ καλλίω, ἴσων καὶ τῶν ἀμοιβαίων τυχόντας· καὶ ταῦτά γε οὐκ ἀπεικότως, οὐδ' ἂν ἀπὸ λόγου συμβαίνοι.

II. Quod si quis superiora tempora ad nos usque deducta cogitatione repetat, et res olim gestas contempletur animo, omnino reperiet; eos quidem qui justitiam ac probitatem fundamentum sibi rerum agendarum constituerunt, felicem consiliorum exitum sortitos esse, et tanquam ex dulci quodam radice suavissimum quoque fructum percepisse. Illos vero qui injusta facinora ausu temerario attentarint, et qui adversus Deum ipsum vesania mentis fuerint elati, nullumque pietatis erga genus humanum sensum habuerint; sed exilia, infamiam, bonorum publicationes, cædes et hujusmodi plurima irrogaverint; quique nec pœnitentiam egerint unquam, nec ad meliorem frugem animum suum revocaverint, parem quoque mercedem retulisse. Atque hæc non absurde, nec præter rationem eveniunt.

DE IIS QUI PERSECUTIONEM PASSI SUNT, ET DE PERSECUTORIBUS.

III. Ὅσοι μὲν γὰρ μετὰ δικαίας γνώμης ἐπίτευγας ἔρχονται πράξεις, καὶ τὸν τοῦ κρείττονος φόβον δαψιλῶς ἔχουσιν ἐν νῷ, βεβαίαν τὴν περὶ αὐτὸν φυλάττοντες πίστιν, καὶ τοὺς παρόντας φόβους τε καὶ κινδύνους οὐκ ἄγουσι τῶν μελλουσῶν ἐκείνων ἐλπίδων προτιμοτέρους· κἂν εἰ πρὸς καιρὸν δυσχερῶν τινῶν πειραθεῖεν, τῷ μείζονας ἑαυτοῖς ἀποκεῖσθαι πιστεύειν τιμὰς, οὐδὲ τὰ προσπεσόντα βαρέως ἤνεγκαν, ἀλλὰ τοιούτῳ λαμπροτέρας ἔτυχον εὐπλείας, ὅσῳ καὶ βαρυτέρων τῶν χαλεπῶν ἐπειράθησαν. ὅσοι δὲ τὸ δίκαιον ἀτίμως παρεῖδον, ἡ τὸ κρεῖττον οὐκ ἔγνωσαν, καὶ τοὺς τοῦτο πιστῶς μετιόντας ὕβρεσι καὶ κολάσεσιν ἀνηκίστοις ὑποβαλεῖν ἐτόλμησαν, καὶ οὐχ ἑαυτοὺς μὲν ἀθλίους ἐφ' οἷς διὰ τὰς τοιαύτας ἐκόλαζον προφάσεις ἔφριναν. εὐδαίμονας δὲ καὶ μακαριστοὺς, τοὺς

III. Nam quicumque cum justo animi proposito ad agendum accedunt, et timorem Dei perpetuo præ oculis habent, constantem erga illum retinentes fidem; quique præsentis vitæ minas ac pericula, spei futurorum bonorum minime anteponunt : hi quamvis multa acerba ac molesta brevi temporis spatio experti sint, tamen spe majorum præmiorum quæ sibi recondita esse firmissime credunt, ingruentia mala nequaquam ægro animo pertulerunt. Sed quo graviores experti sunt calamitates, eo clariorem gloriam reportarunt. Qui vero justitiam et æquitatem contempserunt, et qui nec Deum ipsi agnoverunt, nec eos qui Deum fideliter colerent, contumeliis ac suppliciis acerbissimis afficere dubitarunt :

VALESII NOTÆ.

Καταφρονητικῶς ἔχοντας. Codex Medicæus habet ἔχειν ἐθέλοντας, quod rectius mihi videtur.

Καὶ τὰ ἀποβαίνοντα. Longe rectior est codicis Medicæi Scriptura. Sic enim habet : Ἀκόλουθα καὶ τὰ ἀποβαίνοντα ἦν. τίς γὰρ ἂν ἀγαθοῦ τύχοι τινὸς, etc. Et post vocem ἐθέλων habet etiam quæ nota est interrogationis.

Πίστιν τῷ. Longe elegantius codex Medicæus scriptum habet πίστιν δὲ τῷ ῥηθέντι.

Ἄνωθεν καὶ εἰς δεῦρο. Particula καὶ deest in codice Medicæo, nec admodum necessaria est. Mox ubi legitur : καὶ τὰς πρότερον γενομένας, idem codex habet καὶ τὰς πώποτε γ. Ileni pro ἐγχειρήσεως πέρας, scribit τὰς ἐγχειρήσεις πέρας, quomodo etiam in schedis scriptum reperi, et in codice Fuk.

Καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος. Mutilus erat hic locus, qui ex codice Medicæo ita restitui debet : καὶ ἡ πρὸς τὸ κρεῖττον ἀνοήτως ἐκμανέντας, ἢ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος λογισμὸν ὅσιον μηδένα λαβόντας, etc.

Οὐκ ἀπεικότως. In codice Medicæo scribitur οὐκ ἂν ἀπεικότως, οὐδ' ἂν ἀπὸ λόγου συμβαίνοι. Certe codex regius συμβαίνοι quoque scriptum habet.

Ὅσοι μὲν γάρ. Ab his verbis hoc cap. inchoavi ex codice Fuk. et schedis Reg.

Ὅσοι δὲ τὸ δίκαιον ἀτίμως. Rectius in codice Medicæo legitur hoc modo : ὅσοι δὲ ἡ τὸ δίκαιον ἀτίμως παρεῖδον, ἡ τὸ κρεῖττον οὐκ ἔγνωσαν. Hoc est quod supra dixit in cap. 25, ut supra notavi, τοὺς δ' ἀδίκοις ἐπιχειρήσαντας τολμαῖς, καὶ ἡ πρὸς τὸ κρεῖττον ἀνοήτως ἐκμανέντας, ἢ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος λογισμὸν ὅσιον οὐδένα λαβόντας.

Ἐκόλαζον προφάσεις. In codice Medicæo legitur ἐφ' οἷς διὰ τὰς τοιαύτας κολάζοιντο προφάσεις, rectius ni fallor. Mox idem codex habet, ut in supra posito textu, εἰς αἰσχίστην ἕλκειν ἕτταν.

Digitized by Google

et qui seipsos quidem, qui ob hujusmodi causam homines in judicium adductos pœna afficerent, miseros esse non judicarunt ; illos vero qui in tantis malis integram erga Deum pietatem nihilominus conservarent, felices ac beatos esse : horum exercitus partim cæsi, partim in fugam versi. Cunctis denique præliis victi, ipsi tandem succubuerunt.

A καὶ μέχρι τῶν τοιούτων τὴν πρὸς τὸ κρεῖττον διασωζομένους εὐσέβειαν, τούτων πολλαὶ μὲν ἔπεσον στρατιαί, πολλαὶ δ' εἰς φυγὴν ἐτράπησαν, πᾶσα δὲ τούτων πολέμου παράταξις εἰς ἰσχάτην ἔλυξε ῥῆτραν.

QUOD PERSECUTIO BELLUM GERENTIBUS MALORUM CAUSA EXSTITERIT.

IV. Ex hujusmodi sceleribus orta sunt bella gravia, et exitiales vastationes. Hinc rerum quidem ad quotidianum vitæ usum necessariarum penuria ; malorum vero ingruentium copia. Hinc est quod tantæ impietatis auctores in extremas delapsi calamitates, aut funditus infelici exitu perierunt, aut vitam cum summo dedecore ducentes, eam quavis morte acerbiorem esse confessi sunt, et injuste acta paribus quodam modo suppliciis rependerunt. Nam unusquisque eorum eo gravioribus affectus est malis, quo B vehementius divinam expugnare legem, ut quidem sperabat, per summam dementiam instituerat. Adeo ut non solum præsentis vitæ mala eis molesta esse viderentur ; verum etiam suppliciorum quæ apud inferos sunt metus atque exspectatio, multo acerbius ipsos torqueret.

IV. Ἐκ τῶν τοιούτων ἀνεφύοντο πόλεμοι βαρεῖς, ἐκ τῶν τοιούτων πορθήσεις πανώλεθροι· ἐντεῦθεν ἐλαττώσεις μὲν τῶν πρὸς τὰς χρείας ἀναγκαίων, πλῆθος δὲ τῶν ἐπιρτημένων κακῶν· ἐντεῦθεν οἱ τῆς τοσαύτης ἀρχηγοὶ δυσσεβείας, ἢ ἀνατλάντες τὰ ἔσχατα, θάνατον πανώλεθρον ἐδυστύχησαν, ἢ ζωὴν αἰσχίστην διάγοντες, θανάτου τούτην βαρυτέραν ἐπέγνωσαν, καὶ οἷον ἰσομέτρους ταῖς ἀδικίαις τὰς τιμωρίας ἐκομίσαντο· τοσοῦτον γὰρ ἕκαστος εὗρεντο συμφορᾶς, ὅσον τις καὶ καταπολεμῆσαι τὸν θεῖον ὡς ᾤετο νόμον ὑπ' ἀλογίας προήχθη· ὥστ' αὐτοῖς μὴ τὰ περὶ τὴν ζωὴν εἶναι βαρέα μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ὑπὸ γῆς κολαστηρίων χαλεπώτατον προσδοκᾶσθαι τὸν φόβον.

QUOD DEUS CONSTANTINUM BONORUM MINISTRUM ELEGIT.

V. Porro cum tanta tamque gravis impietas humanum genus occuparet, et respublica velut lethali quadam lue grassante, in extremum salutis discrimen esset adducta, atque idcirco magna curatione et salutari ope indigeret ; quodnam solatium, quod remedium excogitavit tum Deus, ut his nos malis liberaret ? Deum vero cum dico, illum intelligi oportet qui solus revera est Deus, et qui perpetuam omni C ævo obtinet potestatem. Neque vero arrogantiæ fuerit, eum qui præstita a Deo beneficia fateatur, magnifice loqui. Revera enim Deus ministerium meum, tanquam idoneum ad voluntatem suam implendam expetiit, nostraque opera uti decrevit. Qui ab oceano illo Britannico, et ab iis regionibus ubi solem mergi fatalis necessitas jubet, initio ducto ; cœlesti quadam virtute, cuncta quæ orbem terrarum occupaverant mala expellens ac dissipans, tum ut humanum genus ministerio nostro institutum atque informatum ad sanctissimæ legis observantiam revocaretur, tum ut beatissima fides Deo manu ducente incrementum acciperet.

V. Τοιαύτης δὲ καὶ οὕτω βαρείας δυσσεβείας τὰ ἀνθρώπινα κατεχούσης, καὶ τῶν κοινῶν οἷον ὑπὸ νόσου λοιμώδους τινὸς ἅρδην διαφθαρῆναι κινδυνευόντων, καὶ θεραπείας σωτηρίου καὶ πολλῆς χρηζόντων, τίνα τὸ θεῖον ἐπινοεῖ κουφισμὸν, τίνων δεινῶν ἀπαλλαγήν ; ἐκεῖνο δὲ πάντως ἐννοητέον θεῖον, ὃ μόνον καὶ ὄντως ἐστὶ, καὶ διαρκῆ κατὰ παντὸς ἔχει τοῦ χρόνου τὴν δύναμιν. πάντως δὲ κόμπος ἂν εἴη, τὸ τὴν παρὰ τοῦ κρείττονος εὐποιΐαν ὁμολογοῦντα σεμνολογεῖσθαι· χάρ τὴν ἐμὴν ὑπηρεσίαν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐπιτηδείαν ἐζήτησέ τε καὶ ἔκρινεν. ὃς ἀπὸ τῆς πρὸς Βρεττανοῖς ἐκείνης θαλάσσης ἀρξάμενος, καὶ τῶν μερῶν ἔνθα δύεσθαι τὸν ἥλιον ἀνάγκη τινὶ τέτακται, κρείττονί τινι δυνάμει ἀπωθούμενος καὶ διασκεδαννὺς τὰ κατέχοντα πάντα δεινά, ἵν' ἅμα μὲν ἀνακαλοῖτο τὸ ἀνθρώπινον γένος εἰς τὴν περὶ τὸν σεμνότατον νόμον θεραπείαν, τῇ παρ' ἐμοῦ παιδευόμενον ὑπουργίᾳ, ἅμα δὲ ἡ μακαριστὴ πίστις αὔξοιτο ὑπὸ χειραγωγῷ τῷ κρείττονι.

VALESII NOTÆ.

Ἐπαρτημένων κακῶν. Codex Medicæus habet ἐπηρ. D dium redigit.
δεινῶν. Et paulo ante in eodem codex legitur ἐκ τῶν τοιούτων ἀναφύονται, etc.

Πανώλεθρον. Codex Medicæus legit ut est in nostro textu : θάνατον πανώλεθρον ἐδυστύχησαν. Paulo post in eodem codice scribitur τοσοῦτον γὰρ ἕκαστος εὗρεντο συμφορῶν, rectius sine dubio.

Τὰ ἀνθρώπινα κατεχούσης. Codex Medicæus τὰ ἀνθρώπεια.. Et paulo post habet θεραπείας σωτηρίου πολλῆς sine conjunctione.

Ἐννοητέον. In codice Medicæo simplex pro composito legitur νοητέον, quod minorem habet asperitatem. Mox idem codex habet ὃ μόνον τε καὶ ὡς ὄντος ἐστί.

Πάντως δὲ κόμπος ἂν εἴη. Rectius in codice Medicæo legitur πάντως δὲ οὐ κόμπος ἂν εἴη τὸ τὴν παρὰ τοῦ, etc. quam emendationem confirmat Sozomenus in lib. I, cap. 8, ubi legem hanc Constantini in compen-

Τὴν γὰρ ἐμὴν ὑπηρεσίαν. In codice Medicæo deest particula γάρ, quæ prorsus superflua mihi videtur.

Κρείττονί τινι δυνάμει. Duæ postremæ voces desunt in codice Medicæo, et vox κρείττονι refertur ad vocem quæ præcessit, ἀνάγκη.

Πάντα δεινά. Post hæc verba codex Fuk. Turnebi ac Savilii duas voces addunt ἐποιήσατο. Atque ita legit Christophorsonus, ut ex versione ejus apparet, quæ in hoc loco valde intricata est. Ego vero verba illa ὃς ἀπὸ τῆς πρὸς βρεττανοῖς ἐκείνοις θαλάσσης ἀρξάμενος, etc., de Constantino ipso dici existimo, non autem de Deo, ut putarunt Musculus et Christophorsonus. Quare nihil opus est verbis illis ἐποιήσατο, quæ nec in Med. nec in Regio codice leguntur, nec in veteribus schedis, præsertim cum sequatur paulo post μέχρι τῶν ἑῴων πρόειμι.

Digitized by Google

PIÆ IN DEUM VOCES CONSTANTINI, ET LAUS CONFESSORUM.

VI. Οὐδὲ γὰρ ἀγνώμων περὶ τὴν ὀφειλομένην γενοίμην χάριν· ταύτην ἀρίστην διακονίαν, τοῦτο κεχαρισμένον ἐμαυτῷ δῶρον πιστεύσας, μέχρι καὶ τῶν ἑῴων πρόειμι χωρίων, ἃ βαρυτέραις κατεχόμενα συμφοραῖς, μείζονα καὶ τὴν παρ' ἡμῶν θεραπείαν ἐπεδοᾶτο. πάντως δὲ καὶ ψυχὴν ὅλην, καὶ πᾶν ὅ, τι περ ἀναπνέω, καὶ ὅλως εἴ τι τῆς διανοίας ἐνδοτάτω στρέφεται, τοῦτο τῷ μεγίστῳ Θεῷ ὀφείλεσθαι παρ' ἡμῶν, ἀσφαλῶς πεπίστευκα. οἶδα μὲν οὖν ἀκριβῶς, ὡς οὐδὲ τῆς παρ' ἀνθρώπων εὐνοίας χρήζοιεν ἂν οἱ τὴν οὐράνιον ὀρθῶς μεταδιώξαντες ἐλπίδα, καὶ ταύτην ἐξαίρετόν τε καὶ ἀσφαλῶς ἐπὶ τῶν θείων καθιδρυσάμενοι τόπων, τοσούτῳ τε τιμῶν ἀπολαύοντες μειζόνων, ὅσῳπερ σφᾶς αὐτοὺς τῶν γηΐνων ἐλαττωμάτων τε καὶ δεινῶν ἐχώρισαν, τὰς ἀνάγκας δὲ ὅμως τὰς πρὸς καιρὸν ἐπενεχθείσας αὐτοῖς, καὶ τὰς οὐ προσηκούσας βασάνους, ἀπὸ τῶν οὐδὲν αἰτίων οὐδ' ὑπευθύνων, νῦν ὡς πορρωτάτω ἀνείργειν ἡμᾶς οἶμαι προσήκειν· ἢ γένοιτ' ἂν ἀτοπώτατον ὑπὸ μὲν τοῖς δικάζουσι τοὺς ἄνδρας προθυμηθεῖσι τῆς περὶ τὸ θεῖον ἕνεκα θεραπείας, τὸ καρτερικὸν καὶ στερρὸν τῆς ψυχῆς αὐτῶν ἱκανῶς διαγνωσθῆναι, ὑπὸ δὲ τῷ θεράποντι τοῦ Θεοῦ, μὴ οὐκ εἰς λαμπρότερόν τι καὶ μακαριστότερον τὴν δόξαν αὐτῶν ἀρθῆναι.

VI. Neque enim ingratus umquam et collati beneficii immemor fuerim: cum hoc præstantissimum ministerium summi muneris loco mihi indultum esse certo crederem, ad Orientis tandem partes perveni. Quæ cum gravioribus calamitatibus vexarentur, maius quoque a nobis remedium postulabant. Prorsus vero animam totam, et omne quod spiro, quicquid denique in intimis mentis recessibus volvitur, id summo Deo a me deberi firmissime credo. Equidem probe scio, eos qui spem rerum cœlestium recte ac sincere consectati sunt, eamque in Dei domicilio firme et peculiariter collocaverunt, hominum benevolentia minime indigere: quippe qui eo majoribus potiantur honoribus, quo se longius a mortalitatis vitiis ac sceleribus subduxerunt. Nihilo tamen minus acerbissimas necessitates ipsis ad tempus impositas, et cruciatus minime convenientes, ab hominibus omni culpa ac reprehensione vacuis quam longissime depellere, nostri officii esse duco. Alioquin absurdissimum fuerit, eorum animi fortitudinem atque constantiam, dum illi quidem qui ob Dei cultum ipsos persequi in animum induxerant regnarent, spectatam et cognitam fuisse: Dei autem famulo imperium administrante, eorumdem gloriam ad illustrius ac beatius fastigium non esse provectam.

LEX SOLVENS EXSILIO ET CURIA, ET BONORUM PROSCRIPTIONE.

VII. Ἅπαντες τοίνυν, εἴ τί τινες μετοικίαν ἀντὶ τῆς ἐνεγκούσης ἠλλάξαντο, ὅτι μὴ τὴν πρὸς τὸ θεῖον παρεῖδον τιμὴν καὶ πίστιν ἧπερ ὅλαις ψυχαῖς, σφᾶς αὐτοὺς καθιέρωσαν, γνώμαις δικαστῶν ἀπηνέσιν ὑποβληθέντες, καθ' οὓς ἔτυχον ἕκαστοι χρόνους· εἴ τέ τινες βουλευτικοῖς συγκατεριθμήθησαν καταλόγοις, τὸν τούτων πρότερον ἀριθμὸν οὐ πληροῦντες, οὗτοι χωρίοις τοῖς πατρῴοις ἀποκαταστάντες, καὶ σχολῇ τῇ συνήθει, τῷ πάντων ἐλευθερωτῇ Θεῷ τὰ χαριστήρια φερόντων· εἴ τέ τινες τῶν ὄντων ἐστέρηνται, καὶ πάσης τῆς ὑπαρχούσης οὐσίας ἀποβολῇ κατακοπηθέντες, κατηφέστατον εἰς δεῦρο δεῖγον βίου, οἰκή-

VII. Omnes igitur, seu qui patriam extraneo solo commutarunt; eo quod Dei cultum ac fidem cui se tota mente dicaverant, prodere noluissent, crudelibus judicium sententiis quocumque tempore damnati: seu qui in album Curiæ relati sunt, cum antea non essent ex numero Curialium; nunc patriis fundis et consueto otio restituti, liberatori omnium Deo gratias referant. Quicumque item bonis spoliati sunt, et omnium facultatum multatione percussi, miserrimam

VALÉSII NOTÆ.

Οὐδὲ γὰρ ἀγνώμων. In codice Medicæo legitur οὐδέ ποτε γὰρ ἂν γνώμων recte, si modo ἀγνώμων rescribas. Porro hæc per parenthesim dicta intelligere oportet. In codice Fuk. et Turnebi legitur οὐδὲ γὰρ ἂν ἀγνώμων.

Τὴν ἀρίστην. Longe rectius in codice Medicæo totus hic locus ita scribitur: Ταύτην ἀρίστην διακονίαν, τοῦτο κεχαρισμένον ἐμαυτῷ δῶρον πιστεύσας, μέχρι καὶ τῶν ἑῴων πρόειμι, etc. Cæterum his verbis concluditur tota periodus, quæ incipit ab illis verbis capituli præcedentis, ὃς ἀπὸ τῆς πρὸς βρεττανοῖς, quod non viderunt Interpretes. Sed neque ipse id unquam deprehendere potuissem absque subsidio codicis Medicæi.

Ἐξαίρετόν τε καὶ ἀσφαλῶς. Codex Medicæus scriptum habet ἐξαίρετόν τε καὶ βασιλίδα ἀσφαλῶς, etc. Spem filiorum Dei, Constantinus imperator vocat reginam, quod omnibus rebus humanis præstet.

Ὅσῳπερ σφᾶς αὐτούς. Antequam Medicæum codicem nactus essem, videram sic legendum esse: quam conjecturam plane confirmavit codex Medicæus. In quo etiam legitur τοσούτῳ τε, ν tamen subscripto.

Εἰς λαμπρότερόν τι. In codice Medicæo scriptum inveni εἰς λαμπρότερον καὶ μακαριστότερον σχῆμα τὴν δόξαν, etc.

Γνώμαις δικαστῶν. Codex Medicæus γνώσεσι et paulo post συνκατηριθμησαν καταλόγοις, ut in textu supra posito. In schedis Regiis legitur συνηριθμήθησαν, sicut et in codice Fuk.

Χωρίοις τοῖς πατρῴοις. In Codice Medicæo rectius legitur χωρίοις τε πατρῴοις ἀποκαταστάντες. Certe in Codice Regio legitur etiam ἀποκαταστάντες. Porro Eusebius πατρῷα χωρία hic appellat fundos paternos. Nam cui curiis addicti erant (solebant autem ditissimi quique in eas adscribi) eorum prædia curiis mancipabantur. Itaque tametsi fuga semet subtraherent, nihil proficiebant, cum fundos curia occuparet. Statuit igitur Constantinus hac constitutione, ut qui ob christianam fidem, curiis addicti essent, dummodo curialis non essent originis prædia paterna quæ curia occupaverat, recuperarent. Male igitur Christophorsonus vertit *patriis sedibus*. Turnebus in suo codice emendavit ἀποκατασταθέντες. In codice autem Fuk. scriptum est ἀποκαταστήσαντες ἑαυτούς, ut et in libro Sav. et Christophors.

Κατακοπηθέντες. In codice Medicæo legitur κατεπληγότες, quod magis placet. Est enim verbum

Digitized by Google

hactenus vitam egerunt : et hi quoque pristinis domiciliis ac familiis et facultatibus restituti, Dei beneficentia læti perfruantur.

A σεσι καὶ οὗτοι ταῖς ἀρχαίαις καὶ γενίσεσι καὶ περιουσίαις ἀποδοθέντες, τὴς παρὰ τοῦ κρείττονος εὐποιΐας χαίροντες ἀπολαύοιεν.

ITEM EOS QUI IN INSULAS ERANT RELEGATI.

VIII. Sed et quotquot inviti in insulis detinentur, hujus provisionis beneficio frui præcipimus : ut qui hactenus montium asperitatibus, et circumfuso mari conclusi fuerunt, tristi tandem et inhumana solitudine liberati, seipsos propinquis et amicis restituant, eorumque vota ac desideria expleant. Et qui in summa egestate ac squalore miserabili diutissime vixerunt, reditu tamquam præda quadam ipsis oblata potiti, curisque in posterum absoluti, absque metu degant nobiscum. Nam cum metu quemquam degere nobis regnantibus, qui famulos Dei nos esse et gloriamur B et credimus, res est vel auditu ipso absurdissima, nedum ut credi possit. Quippe ita comparati sumus, ut aliena delicta emendemus.

VIII. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὅσους οὐ βουλομένους νῆσοι κατέχουσι, τῆς προμηθείας ταύτης ἀπολαῦσαι προστάττομεν· ὅπως οἱ μέχρι νῦν ὄρων τε δυσχωρίαις καὶ περιῤῥύτῳ περικεκλεισμένοι θαλάσσῃ, τῆς σκυθρωπῆς καὶ ἀπανθρώπου ἐρημίας ἐλευθερωθέντες, τοῖς φιλτάτοις σφᾶς αὐτοὺς ἀποδῶσιν, τὸν εὐκταῖον πόθον πληρώσαντες· οἵτε πενιχράν ἐπὶ πολὺν χρόνον ζωὴν μετά τινος ἀποτροπαίου ῥύπου διῆγον, οἷον ἅρπαγμά τι τὴν ἐπάνοδον ποιησάμενοι, καὶ τῶν φροντίδων εἰς τὸ λοιπὸν ἀπηλλαγμένοι, μὴ μετὰ φόβου σὺν ἡμῖν βιῶσιν· μετὰ φόβου γὰρ ὑφ' ἡμῖν βιοῦν, οἳ Θεοῦ θεράποντες εἶναι αὐχοῦμέν τε καὶ πιστεύομεν, καὶ εἰς ἀκοὴν ἐλθεῖν μόνον εἴη τῶν ἀτοπωτάτων, μήτιγε καὶ πιστεῦσαι, οἳ καὶ τὰς ἀλλοτρίας ἁμαρτίας διορθοῦν πεφύκαμεν.

ITEM EOS QUI AD METALLA ET AD PUBLICA OPERA IGNOMINIOSE DAMNATI FUERANT.

IX. Quicumque etiam aut ad laboriosum opus metallorum, aut ad publicorum operum ministeria damnati sunt, hi continuis laboribus cum dulci otio commutatis, leviorem deinceps et ex animi sui sententia vitam agant, et immoderati laboris molestias molli ac placida quiete concludant. Et tametsi nonnulli eorum communi libertate exciderint, et infamia notati sint; pristinam dignitatem velut diuturna peregrinatione ab ipsis sequestratam, eo quo decet gaudio recuperantes in suam patriam redire festinent.

IX. Ὅσοι μὲν οὖν ἡ μοχθηραῖς μεταλλείαις ἐμπονεῖν κατεγνώσθησαν, ἢ τὰς πρὸς τοῖς δημοσίοις ἔργοις ὑπηρεσίας πληροῦν, τῶν διαρκῶν μόχθων τὴν γλύκειον σχολὴν ἀμειψάμενοι, κουφότερον καὶ τῶν μετ' ἐξουσίας ἤδη βιούντων βίον, τὰς ἀμέτρους τῶν πόνων ἀηδίας εἰς πραεῖαν ἄνεσιν καταλύσαντες· εἰ καὶ τῆς κοινῆς παῤῥησίας ἀποπεσόντες ὑπάρχοιέν τινες καὶ δυστυχήσαντες ἀτιμίαν, μετ' εὐφροσύνης τῆς προσηκούσης, οἷον ἀποδημίᾳ τινὶ χρονίῳ χωρισθεῖσαν τὴν προτέραν ἀξίαν ἀναλαβόντες, ἐπὶ τὰς αὐτῶν ἐπειγέσθωσαν πατρίδας.

DE CONFESSORIBUS QUI MILITAVERANT.

X. Illis præterea qui militari dignitate olim decorati, C crudeli quodam atque iniquo prætextu ea exciderunt; ideo scilicet quod cultum Dei profitentes, dignitati suæ anteponerent; liberum sit eligere utrum malint; an militiam repetentes in eodem in quo prius fuerant statu permanere; an cum honesta missione libere agere. Æquum enim et rationi consentaneum fuerit, ut is qui in tormentis quæ ipsi illata sunt perferendis, tantam animi magnitudinem et constantiam declaravit, vel otio vel dignitate pro arbitratu suo potiatur.

X. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐξετασθεῖσι μὲν ἐπὶ στρατιωτικαῖς ἀξίαις ποτέ, τούτων καὶ διὰ τὴν ἀπηνῆ τε καὶ ἄδικον πρόφασιν ἐκπεσοῦσιν, ὅτι τὸ γενώσκειν τὸ κρεῖττον ὁμολογοῦντες, προὐτίμησαν ἧς εἶχον ἀξίας, αἱρετὸν ἔστω πρὸς βούλησιν, ἢ τὰ στρατιωτικὰ στέργουσιν ἐφ' οὗ περ ἦσαν σχήματος μένειν, ἢ μετὰ ἀφέσεως ἐντίμου ἐλευθερίαν ἄγειν· πρέπον γὰρ ἂν εἴη καὶ ἀκόλουθον, τὸν τοσαύτην μεγαλοψυχίαν καὶ καρτερίαν πρὸς τοὺς ἐπενεχθέντας κινδύνους ἐπιδειξάμενον, καὶ σχολῆς εἰ βούλοιτο καὶ τιμῆς πρὸς τὴν αἵρεσιν ἀπολαύειν.

VALESII NOTÆ.

juris civilis. Sic feriri multa passim occurrit in Constitutionibus Imperatorum.

Γενίσεσι. Codex Medicæus γένεσιν. Et paulo post, ut nos, χαίροντες ἀπολαύοιεν. D

Ὅσους οὐ βουλομένους νῆσοι κατέχουσι. Non sine causa dixit οὐ βουλομένους, propter monachos qui in insulis solitariam vitam degebant.

Ὅπως οἱ μέχρι νῦν. Aliter scriptum exhibet codex Medicæus, hoc scilicet modo : ὅπως μόλις ποτε ὄρων τε, etc. Et paulo post αὐτοὺς ἀποδοῖεν. Item οἱ πενιχράν, etc.

Ἀποτροπαίου ῥύπου. In codice Medicæo scriptum inveni προστροπαίου ῥύπου. Quod fortasse rectius est. Id autem significat, cum invidioso quodam squalore.

Μὴ μετὰ φόβου σὺν ἡμῖν. Longe aliter totus hic locus scribitur in codice Medicæo. Punctum enim finale habet post vocem ἀπηλλαγμένοι. Deinde ita scribit : Μετὰ φόβου γὰρ ὑφ' ἡμῖν βιοῦν, οἳ Θεοῦ θεράποντες εἶναι αὐχοῦμέν τε καὶ πιστεύομεν· καὶ εἰς ἀκοὴν ἐλθεῖν μόνον εἴη τῶν ἀτοπωτάτων ἐν μή τί γε μὴν ἡ μοχθηρίας, ἢ τὰς πρὸς τοῖς ἔργοις δημοσίοις ὑπηρεσίας πληροῦν. Id est : *Nam cum metu sub nobis Principibus degere, qui famulos Dei nos esse et gloriamur et confidimus, vel solo auditu absurdissima res fuerit ; nedum ut quisquam aut metallorum, aut publicorum operum ærumnas sustineat.* Quæ lectio sincerior mihi videtur ac planior quam vulgata.

Τὴν γλύκειον σχολήν. Codex Med. habet γλυκείαν. Fuketianus γλυκέα.

Εἰ καὶ τῆς κοινῆς. Scribe ex codice Medicæo εἰ δὲ καὶ. longe rectius. Turnebus in suo codice emendaverat καὶ εἰ τῆς κοινῆς παῤῥησίας, etc. Sed verior est lectio codicis Medicæi, quam confirmat etiam codex Fuketianus.

Ἐπὶ στρατιωτικαῖς ἀξίαις. Codex Medicæus habet ἐν στρατιοτικαῖς ἀξ. Et paulo post διὰ τὴν ἀπηνῆς, etc.

Προὐτίμησαν. In codice Medicæo legitur προτιμότερον ἧς εἶχον ἀξίας ὄγον, ἔστω πρὸς βούλησιν.

Ἐλευθερίαν ἄγειν. Scribendum est ex codice Me-

Digitized by Google

DE IIS QUI AD GYNÆCEA VEL IN SERVITUTEM DATI ERANT, LIBERANDIS.

XI. Καὶ μὴν ὅσοι τῆς εὐγενείας πρὸς βίαν στερόμενοι, τοιουτότροπόν τινα γνῶσιν δικαστῶν ὑπέστησαν, ὥστε καὶ ἢ γυναικείοις ἢ λινοῦφίοις ἐμβληθέντες, ἀπηνῆ τε καὶ ἄθλιον ὑπομένειν κόπον, ἢ οἰκέται νομίζεσθαι τοῦ ταμείου, οὐδὲν αὐτῆς τῆς προτέρας ἐπαρκεσάσης γενέσεως, οὗτοι τιμῶν τε ὧν ἀπήλαυον πρόσθεν, καὶ τοῖς τῆς ἐλευθερίας καλοῖς ἐνευφραινόμενοι, ἀνακαλεσάμενοι τὰς συνήθεις ἀξίας, μετὰ πάσης λοιπὸν εὐφροσύνης βιούντων· καὶ ὁ δουλείαν τῆς ἐλευθερίας ἀλλαξάμενος, ἀθεμίτῳ τινὶ καὶ ἀπανθρώπῳ πολίτου ἀπονοίᾳ, πολλάκις τε τὰς ἀθεῖς διακονίας ἀποδυρόμενος, καὶ οἷον αἰφνίδιον οἰκέτην ἑαυτὸν ἀντ' ἐλευθέρου γνούς, ἐλευθερίας τῆς πρόσθεν καθ' ἡμέτερον λαβόμενος πρόσταγμα, ἀποδιδότω τε τοῖς γεννήτορσιν ἑαυτὸν, καὶ πόνους τοὺς ἐλευθέρῳ πρέποντας μετίτω, ἃς πρότερον ἐμόχθησεν οὐκ οἰκείας διακονίας, ἐκβαλὼν τῆς μνήμης.

A

XI. Quicumque item nobilitate sua per vim spoliati, hujuscemodi judicum sententiam exceperunt, ut in gynæcea aut linyphia contrusi, durum atque ærumnosum laborem perferrent, aut servi fisci haberentur, nihil ipsis proficiente pristino splendore natalium; hi et honorum quibus antea fruebantur, et libertatis prærogativa gaudentes, pristina dignitate recuperata, cum omni deinceps hilaritate vitam traducant. Sed et is qui libertatem servitute mutavit per injustam ac inhumanam venditoris audaciam, et qui sæpenumero insueta sibi ministeria deflevit, velut repentina mutatione servum se ex libero factum intelligens; nunc ex præcepto nostro pristinam recuperans libertatem, seipsum parentibus reddat, et labores homine libero dignos obeat: obsequiorum minime ipsi convenientium quibus antea perfunctus est, memoria penitus ex animo deleta.

B

DE SUCCESSIONE BONORUM MARTYRUM ET CONFESSORUM, ET EORUM QUI RELEGATI FUERANT, ET QUORUM BONA IN FISCUM RELATA.

XII. Παρεατέον δ' οὐδὲ τὸ τῶν οὐσιῶν δι' ἃς ἕκαστοι κατὰ διαφόρους ἐστερήθησαν προφάσεις. ἀλλ' εἴ τέ τινες τὸν ἄριστον ὑποστάντες καὶ θεῖον ἀγῶνα τοῦ μαρτυρίου, ἀφόβῳ τε καὶ θαρσαλέᾳ τῇ γνώμῃ τῶν ὄντων ἐστερήθησαν, καὶ ὁμολογηταὶ καταστάντες, τὴν αἰώνιον ἐλπίδα παρεσκεύασαν ἑαυτοῖς· ὅσοι τε μετοικῆσαι καταναγκασθέντες, ὅτι μὴ τοῖς διώκουσιν εἶξαν προδόντες τὴν πίστιν, τῶν ὄντων ἐστέροντο καὶ αὐτοὶ· ἢ εἴ γέ τινες οὐδὲ κατα-

XII. Sed nec de facultatibus, quibus singuli varias ob causas nudati sunt, silere nos convenit. Proinde si qui egregium ac divinum martyrii certamen intrepido ac fidenti animo subeuntes, bonis suis spoliati sunt: aut confessores effecti, æternorum sibi bonorum spem compararunt: seu qui ex patria migrare compulsi eo quod fidem suam prodendo persecutoribus cedere nollent, facultatibus ipsi quoque exuli

VALESII NOTÆ.

dicæo ἐλευθέραν ἄγειν σχολήν. Quod confirmat Sozomenus in lib. 1 cap. 8, ubi hanc Constantini legem in compendium retulit. In codice Fuk. scriptum inveni ἐντίμως ἐλευθερίαν ἄγειν. Medicæus vero scriptum habet ἔντιμον ἐλευθέραν ἄγειν σχολήν.

C

Καὶ μὴν ὅσοι. Codex Medicæus habet καὶ μὴν καὶ ὅσοι.

Ἀπηνῆ τε καὶ ἄθλιον. In codice Medicæo scriptum inveni λύθη καὶ. ex qua licet corrupta voce veram ac germanam hujus loci scripturam statim odoratus sum. Scribo igitur ἀάθη καὶ ἄθλιον. Quippe hujusmodi ministeria in gynæceis et textrinis, insueta sunt hominibus ingenuis. Idem codex πόνον habet, non κόπον.

Οὐδὲν αὐτῆς ἐπαρκεσάσης. Rectius in codice Medicæo legitur οὐδὲν αὐτοῖς. Et paulo post recte scribitur ex eodem libro καλοῖς ἐνευφραινόμενοι.

Καὶ ὁ δουλείαν τῆς ἐλευθερίας. Codex Medicæus vocem addit hoc modo: καὶ ὁ δουλείαν μὲν ἐλευθερίας ἀλλαξάμενος, recte ni fallor. Duo enim hominum genera distinguit Imperator: quorum alii quidem nobiles gynæceis addicti fuerant, aut fiscalium prædiorum famuli facti, quæ nobilior erat servitus: alii autem viliores, privatis venundati. In codice Fuketiano legitur καὶ ὁ δουλεία τὴν ἐλευθερίαν ἀλλαξ'.

D

Πολίτου ἀπονοίᾳ. In codice Medicæo scribitur δήπου ἀπονοίᾳ. Intelligit autem audaciam et immanitatem judicis, qui hominem liberum ob veri numinis confessionem liberiate spoliasset. In schedis Regiis scriptum reperi πωλήτου. Fuk. habet πωλητοῦ.

Ἀποδυρόμενος. In codice Medicæo rectius legitur ἀποδυράμενος.

Ἃς πρότερον ἐμόχθησεν. Elegantius codex Medicæus ἃς προεμόχθησεν, et paulo post ἐκβαλὼν τῆς μνήμης. Quomodo in Regiis etiam schedis legitur et in Fuket. codice. Porro ex his verbis satis apparet verum esse quod dixi, Constantinum hoc posteriore loco loqui de vilioribus ac plebeis hominibus, qui sententia judicis venundati fuerant. Nam de prioribus quidem qui natalium splendore eminebant, ait Constantinus, pristinam dignitatem recuperare eis jam licere. Posteriores vero ad consueta liberis hominibus ministeria ac labores ablegat.

Δι' ἃς ἕκαστοι. Scribe ex codice Medicæo ὧν ἕκαστοι κατὰ διαφόρους ἐστερήθησαν προφάσεις. Et paulo post τὸν ἄριστόν τε καὶ θεῖον ὑποστάντες ἀγῶνα. Sed neque in schedis Regiis leguntur hæ voces δι' ἃς. Porro initium hujus periodi varie scriptum in libris veteribus inveni. Nam in Medicæo quidem codice legitur παρεαστέον δὲ οὐδὲ τὸ τῶν οὐσιῶν, etc. In schedis vero παρατέον δὲ οὐδὲ τὸ, etc. Turnebus in suo codice emendarat παρετέον. In codice Fuk. scriptum inveni παρεατέον δὲ οὐδὲ τὸ τῶν οὐσιῶν ὧν ἕκαστοι, etc. Sed et Regius codex habet παρεατέον. Quare non dubium quin hæc vera sit lectio, quam nescio cur Rob. Stephanus immutarit.

Καὶ ὁμολογηταὶ καταστάντες. In codice Medicæo legitur εἴ τέ τινες ὁμολογηταὶ καταστάντες, quod rectius esse non dubito. Cum enim antea locutus sit de martyribus, nunc de Confessoribus loquitur. Paulo post scribe ex eodem codice καταναγκασθέντες ὅτι μὴ τοῖς διώξασιν εἶξαν παριδόντες τὴν πίστιν, τῶν ὄντων ἐστέροντο, etc.

Ἢ εἴ γέ τινες οὐδὲ. Omisit hanc περικοπὴν Christophorsonus, eo quod nihil aliud quam superflua priorum repetitio videretur. Sed cum hæc verba etiam in codice Medicæo legantur, non temere expungenda sunt. Postquam enim Imperator locutus est de Martyribus, de Confessoribus, et de exulibus qui metu capitalis sententiæ in se prolatæ, solum verterant, nunc de iis agit, qui cum capitali sententia damnati non fuissent, bonis tamen spoliati fuerant. Illi enim non erant in numero Martyrum nec Confessorum; quippe qui ad judicium adducti non fuissent. Exules item non fuerant, sed in patria manentes, possessionibus suis per vim spoliati fuerant. Certe in hujus capitis titulo quatuor personæ recensentur. Sed Christophorsonus quartos illos omisit. In sequenti tamen capite Imperator tres tantum personas recenset, his ultimis penitus prætermissis.

Digitized by Google

sunt : denique si qui capitali sententia minime damnati, bonorum tamen jacturam sustinuerunt : horum omnium hæreditatem proximis tribui jubemus. Porro, cum leges diserte præcipiant ut ex cognatis proximiores hæreditatem accipiant, facile est dignoscere cuinam hæreditas debeatur. Adhæc rationi consentaneum est ut ii ad successionem veniant, qui propinquiores erant futuri, si illi sua morte obiissent.

A γνωσθέντες θάνατον, στέρησιν ἐδυστύχησαν τῶν ὄντων· τούτων τοῖς πρὸς γένους προσνέμεσθαι τοὺς κλήρους προστάττομεν. πάντως δὲ διαγορευόντων τῶν νόμων τῶν ἀγχιστείων τοὺς ἐγγυτέρους, ῥᾴδιον διαγινώσκειν οἷς προσήκουσιν οἱ κλῆροι, καὶ ὅτι οὗτοι κατὰ λόγον ἐπὶ τὴν διαδοχὴν ἔλθοιεν ἄν, εἴπερ ὧσαν οἰκειότεροι, καὶ αὐτομάτῳ χρησαμένων ἐκείνων τῷ τέλει.

UT DEFICIENTIBUS COGNATIS ECCLESIA HÆREDITATEM CAPIAT, UTQUE LEGATA FIRMA MANEANT.

XIII. Quod si nullus cognatus supersit qui prout rationi consentaneum est hæreditatem capessat eorum quos supra memoravi, martyrum scilicet et confessorum, aut illorum qui ob hujusmodi causam ex patria migraverunt, cujusque loci Ecclesiam hæreditatem adire decernimus, nec defunctis utique molestum erit, si cujus gratia nullum non discrimen subierunt, eam ipsis hæredem habere contingat. Illud B quoque necessario adjiciendum est, ut si qui ex supra memoratis aliquid de bonis suis cuilibet donaverint, ei dominium, prout æquum est, firmum ratumque permaneat.

XIII. Εἰ δὲ τῶν ἀγχιστείων μηδεὶς ὑπολείποιτο μηδενὸς τῶν προειρημένων κατὰ λόγον ἂν γενόμενος κληρονόμος, μήτε τῶν μαρτύρων φημὶ, μήτε τῶν ὁμολογησάντων, μήτε τῶν μετοίκων τῶν ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ μεταστάντων προφάσει, ἢ καθ' ἑκάστους ἀεὶ τόπους ἐκκλησία διαδέχεσθαι τετάχθω τὸν κλῆρον· οὐκ ἔσται δὲ τοῦτο πάντως οὐδὲ τοῖς ἀπελθοῦσι βαρὺ, εἴπερ ἕνεκα πάντας ὑπέστησαν πόνους, κληρονόμον εὐτυχοῖεν ταύτην. προκεῖσθαί γε μὴν ἀναγκαῖον καὶ τόδε, ὡς τῶν προειρημένων εἴ τινες ἐδωρήσαντό τι τῶν ὄντων οἷς ἐβούλοντο, τούτοις τὴν δεσποτείαν εὔλογον κυρίαν μένειν.

UT QUI HUJUSMODI LOCA, ÆDES, HORTOS OCCUPAVERINT, EA RESTITUANT, EXCEPTIS FRUCTIBUS.

XIV. Porro, ut in præcepto nostro nulla ambages appareat, sed cuilibet in promptu sit id quod juris est pernoscere, omnes intelligant, sive fundum, sive ædes, sive hortum, sive aliud quid ex bonis eorum quos supra memoravi detinent, recte atque ordine se esse facturos, si seipsos ultro deferant, et rem C absque ulla dilatione restituant. Ac tametsi nonnulli haudquaquam ex justa possessionis causa magnos fructus earum rerum percepisse videantur, eos tamen fructus ab illis repeti minime æquum arbitramur.

XIV. Ὅπως δὲ μὴ δὲ πλάνη τις ἐμφαίνοιτο τῷ προστάγματι, ἀλλ' ἕτοιμον ᾖ τὸ δίκαιον πᾶσι γινώσκειν, ἰδέτωσαν ἅπαντες, εἴ τε χωρίον, εἴτ' οἰκίαν, εἴτε κῆπον, εἴ τε ἕτερόν τι τῶν προειρημένων κατέχοιεν, καλὸν καὶ λυσιτελὲς αὐτοῖς εἶναι καὶ ὁμολογεῖν αὐτοῖς καὶ ἀποκαθιστάναι σὺν πάσῃ τῇ ταχυτῆτι. διὸ εἰ καὶ τὰ μάλιστα φανεῖεν τινες ἐξ αὐτῶν ἀπὸ τῆς οὐ δικαίας δεσποτείας πολλὰ καρπωσάμενοι, καὶ γενέσθαι τούτων τὴν ἀπαίτησιν ἡμεῖς οὐ δικαίαν κρίνομεν.

QUOMODO SUPER HIS LIBELLOS DARI OPORTEAT.

XV. Verum ipsi unde et quantos fructus collegerint

XVI. Ὅμως γε μὴν αὐτοὶ ὁπόσα τε καὶ ὁπόθεν συνέλεξαν

VALESII NOTÆ.

Διαγορευόντων τῶν νόμων τῶν ἀγχιστέων τοὺς ἐγγυτέρους. In successionibus intestatorum, lex proximum quemque ex agnatis ad hæreditatem vocat, si sui hæredes defuerint, ut docet Gaius in Institutionibus titulo decimo sexto. Hinc agnati legitimi heredes dicuntur in jure, eo quod his solis lex deferret hæreditatem. Cognati enim jure civili hæredes esse non poterant, sed jure tantum prætorio ad hæreditatem vocabantur, uti docent jurisconsulti. Porro in cognatis, is qui proximus erat hæreditatem capiebat, perinde ut in agnatis, sed difficultas est hoc loco, quinam intelligi debeant ἀγχιστέων vocabulo, utrum agnati an cognati. Certe D si legum nomine leges 12 tabularum intelligamus, agnatos necesse erit intelligi. Sozomenus habet τοῖς ἐγγυτέρω γένους.

Καὶ ὅτι. In codice Regio legitur καὶ ἔτι, quam scripturam in interpretatione mea sum secutus. Prius tamen in eo codice scriptum erat ὅτι, ac deinde recentiore manu emendatum est ἔτι.

Οἵπερ ὧσαν καὶ οἰκειότεροι, καὶ αὐτομάτῳ χρησαμένων ἐκείνων τῷ τέλει. In codice Medicæo legitur οἵπερ ὧσαν οἰκειότεροι. Est autem admodum obscurus hujus loci sensus. Christophorsonus quidem ita vertit: *Et quod ratione etiam oportet eos succedere, qui sint domestica consuetudine conjunctiores, constat: præsertim cum illi ipsi martyres, non criminis ullius convicti, sed sua inducti voluntate mortem oppetiverint.* Sed multa sunt in hac interpretatione reprehendenda. Primo enim αὐτόματον τέλος de martyribus dici non potest. Deinde non de solis martyribus hic sermo est, sed etiam de confessoribus et profugis, qui sua morte obierant. Itaque præstat hic vertere *sua et naturali morte*. Sic enim Græci loqui solent, et nominatim Eusebius noster, ni fallor. Denique οἰκειοτέρους pessime interpretatus est *domestica consuetudine conjunctiores*, cum propinquiores significet. Totum igitur locum ita verto: *Rationi consentaneum est, ut hi ad successionem veniant, qui propinquiores erant futuri, si illis sua morte obiissent.* Confirmatur autem nostra interpretatio, tum ex iis quæ supra dixi, tum ex eo quod dicit Imperator οἵπερ ὧσαν οἰκειότεροι, non vero εἰσὶν. Per illos autem, intelligit martyres.

Οὐκ ἔσται πάντως. Scribe ex codice Medicæo, οὐκ ἔσται δὲ πάντως. Paulo ante idem codex scribit μήτε τῶν ὁμολογητῶν, rectius ut in cap. 35. Item μήτε τῶν μετοίκων μέν τοι, τῶν, etc.

Προκεῖσθαι γε μὴν. Mallem scribere προσκεῖσθαι, ut Turnebus et Savilius emendarunt. Atque ita scribitur in codice Fuk. Paulo post in codice Medicæo legitur ὡς εἰ τῶν προειρημένων τινες.

Διὸ εἰ καὶ τὰ μάλιστα. In codice Medicæo legitur εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα φανεῖεν ἐξ αὐτῶν τινες. Et paulo post idem codex habet καρπωσάμενοι, καὶ γίνεσθαι τούτων τὴν ἀπαίτησιν, etc. Optime ut equidem censeo. Est enim hoc secundum membrum periodi. Ultimum autem membrum est ὅμως γε μὴν, etc., quod in vulgatis editionibus male divulsum est, et in sequens caput translatum.

Digitized by Google

ἐπιγνόντες, τῷ ἁμαρτήματι τούτῳ συγχώρησιν γενέσθαι παρ' ἡμῶν δεηθήτωσαν· ὅπως ἅμα μὲν τῇ τοιαύτῃ διορθώσει ἡ φθάσασα λυθείη πλεονεξία. ἅμα δὲ ὁ μέγιστος Θεὸς, οἷον ἀντὶ μεταμελείας τινὸς τοῦτο προσιέμενος, εὐμενὴς ἐπὶ τοῖς ἁμαρτηθεῖσι γένοιτο. ἐροῦσι μὴν γὰρ ἴσως ἀντ' ἀπολογίας προισχόμενοι οἱ τῶν τοιούτων οὐσιῶν κατασταντες δεσπόται, εἴ γε τοῦτο κρατεῖν ἄξιον ἐπ' αὐτῶν ἢ δυνατὸν τὸ πρόσρημα, ὡς οὐκ ἦν οἷόν τε ἀπέχεσθαι τότε, ἡνίκα πολύτροπος ἁπάντων τῶν δεινῶν ἦν θέα, ὠμῶς ἀπελκυνόμενοι, ἀφειδῶς ἀπολλύμενοι, ἀμελῶς ἐρριμμένοι, δημεύσεις τῶν οὐδὲν αἰτίων συχναὶ, διώξεις τ' ἀκόρεστοι καὶ τῶν ὄντων διαπράσεις· εἰ δή τοῖς τοιούτοις διϊσχυρίζοιντο λόγοις τινὲς, καὶ ταῖς ἀπλήστοις ἐπιμένοιεν παραινέσεσιν, οὐκ ἀτιμώρητον ἑαυτοῖς τὸ τοιοῦτον εἰσθήσονται. καὶ μάλισθ' ὁπότε οὕτω τὰ παρ' ἡμῶν τῷ μεγίστῳ διακονεῖται Θεῷ. ὅσα γοῦν πρότερον ἡ ὀλέθριος ἀνάγκη συνηνάγκαζε λαμβάνειν, ταῦτα νῦν κατέχειν ἐπισφαλὲς ὑπάρχει. ἄλλως τε δὲ παντὶ τρόπῳ τὰς ἁπλήστους καὶ λογισμοῖς καὶ παραδείγμασιν ἐλαττοῦν ἀναγκαῖον.

A ingenue profitentes, delicti sui veniam a nobis sibi concedi postulent: ut et pristina avaritia hujusmodi emendatione dissolvatur, et Deus Opt. Max. hanc velut pœnitentiæ cujusdam loco satisfactionem accipiens, erratis benignus ignoscat. Sed fortasse pro defensione sua prætendentes id dicent qui horum bonorum domini constituti sunt (si tamen hoc nomine censeri aut merentur aut possunt), fieri omnino non potuisse ut ab iis rebus tunc abstinerent, cum omnium cujusque generis malorum multiplex spectaculum obversaretur: cum atrociter expellerentur homines, et absque ulla miseratione trucidarentur; cum profligatæ et hac illac temere dispersæ jacerent facultates; cum crebræ innocentum proscriptiones, et insatiabilis persecutionum furor, et B bonorum venditiones cernerentur. Enimvero si qui forte hujusmodi sermonibus nituntur, et in avaritiæ suæ excusationibus perseverant, non impune id sibi fore sentient, præsertim cum hac potissimum ratione operam nostram ac ministerium Deo optimo maximo exhibeamus. Quæcumque igitur exitialis necessitas coegit accipere, ea nunc retinere periculosum est. Adde quod insatiabiles cupiditates partim ratione, partim exemplis omnino minuendæ sunt.

UT FISCUS FUNDOS, ÆDES ET HORTOS RESTITUAT ECCLESIIS.

XVI. Οὐδὲ γὰρ τὸ ταμεῖον εἴ τι κατίχοι τῶν προειρημένων, βεβαίως κατέχειν συγχωρηθήσεται. ἀλλ' οἷον οὐδὲ ἀντιφθέγξασθαι πρὸς τὰς ἱερὰς ἐκκλησίας τολμῶσαν, ὧν ἐπὶ χρόνον οὐ δικαίως κατέσχε, τούτων ἐκστήσεται δικαίως ταῖς ἐκκλησίαις. ἅπαντα δὴ ὅσα ταῖς ἐκκλησίαις προσήκειν ὀρθῶς ἀναφανείη, εἴτ' οἰκίαι τὸ κτῆμα τυγχάνοιεν, εἴτ' ἀγροί τινες καὶ κῆποι, εἴθ' ὁποῖα δή ποτε ἕτερά τινα οὐδενὸς τῶν εἰς τὴν δεσποτείαν ἐλαττουμένου δικαίου, ἀλλ' ἀκεραίων πάντων μενόντων, ἀποκαθίστασθαι προστάττομεν.

C XVI. Neque enim vel fisco concedetur, si quid eorum quæ supra dixi possideat, id firmiter retinere. Verum adversus sacrosanctas ecclesias nihil obloqui ausus, ea quæ aliquandiu injuste detinuit ecclesiis tandem jure restituet. Omnia ergo quæ ad ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcumque alia, nullo jure quod ad dominium pertinet imminuto, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus.

UT MARTYRIA ET COEMETERIA ECCLESIIS REDDANTUR.

XVII. Καὶ μὴν καὶ τοὺς τόπους αὐτοὺς οἱ τοῖς σώμασι τῶν μαρτύρων τετίμηνται, καὶ τῆς ἀναχωρήσεως τῆς ἐνδόξου ὑπομνήματα κάθεστᾶσι, τίς ἂν ἀμφιβάλλοι μὴ οὐχὶ ταῖς ἐκκλησίαις προσήκειν, ἢ οὐχὶ καὶ προστάξειεν ἄν; ἡνίκα

XVII. Sed et loca illa quæ martyrum reliquiis honorata sunt, et quæ gloriosi illorum interitus memoriam servant, quis ambigat ad ecclesias pertinere? Immo vero quis non id præcipiat? quando nec munus ul-

VALESII NOTÆ.

Λυθείη πλεονεξία. Rectius in codice Medicæo legitur ἰαθῇ πλεονεξία.

Ὠμῶς ἀπελαυνόμενοι, ἀφειδῶς ἀπολλύμενοι, ἀμελῶς ἐρριμμένοι, δημεύσεις τῶν οὐδὲν αἰτίων σύχναι, etc. Longe aliter hic locus alibi legebatur: sed magis probanda est codicis Medicæi lectio quæ in hoc textu retenta est: quod primo intuitu percipiet quisquis diversos phrasim contexendi modos tum inter se tum etiam cum antecedentibus et consequentibus contulerit. Medicæo codici consentit Fuketianus.

Ἐπιμένοιεν παραινέσεσι. Hunc locum correxi ope codicis Medicæi, in quo discrte scribitur προαιρέσισιν.

Ὅσα γοῦν πρότερον. Codex Medicæus habet ὡς ἃ πρότερον, etc., et mox ἐπισφαλὲς ὑπάρχειν. Quod magis probo. Hæc enim periodus cum præcedenti jungenda est. Mox ubi legitur ἄλλως τε δέ, rectius in codice Med. abest ultima particula.

Οὐδὲ γὰρ τὸ ταμεῖον. In codice Medicæo deest γὰρ, et paulo post in eodem codice scribitur, ut est in nostro textu, οὐδὲ ἀντιφθέγξασθαι.

Τολμῶσαν. Scribo τολμῆσαν, ut est in codice Fuk. Quod confirmat codex Medicæus, in quo scribitur ἐτόλμησαν. In eodem libro post vocem ταῖς ἐκκλησίαις, additur λείπει, id est, desunt nonnulla.

Ὀρθῶς ἀναφανείη. Rectius in codice Medicæo legitur ὀρθῶς ἂν φανείη.

Εἰς τήνδε τὴν πολιτείαν. Hujus loci emendatio debetur codici Medicæo, in quo diserte scriptum invenimus εἰς τὴν δεσποτείαν optime, vult enim imperator, ut cuncta loca et prædia quæ Christianis erepta fuerant, cum juribus suis bona fide iisdem restituantur. Ita ut si cui prædio vel agro servitus deberetur; puta actus, iter, via, cum eodem jure nulla ex parte imminuto reddatur Christianis. Itaque si quis fundum Christiano homini ereptum oppignerasset, vel in emphyteusim dedisset, aut vendendo onus aliquod ac servitutem ei imposuisset, hæc omnia hoc Constantini edicto rescinduntur. Paulo post ubi legebatur ἀνθίστασθαι προστάττομεν, ex eodem codice emendavimus ἀποκαθίστασθαι. Codex tamen Fuk. Turn. ac Sav. habent ἐξίστασθαι, non male.

Καὶ μὴν καὶ. In Moræi libro ad marginem emendatur καὶ μὴν καὶ quod magis placet.

Digitized by Google

lum præstantius, nec labor ullus jucundior atque utilior esse potest quam, divino Spiritu impellente, harum rerum diligentem curam gerere; ut quæ improbo quodam prætexta ab injustis ac nequissimis hominibus ablata sunt, ea justissime restituta sanctis Dei ecclesiis denuo redhibeantur.

A μήτε δῶρον ἄμεινον, μήτε κάματος χαριέστερος καὶ πολλὴν ἔχων τὴν ὠφέλειαν ἕτερος ἂν γένοιτο, ἢ τοῦ θείου προτρέποντος πνεύματος, τὴν περὶ τούτων ποιεῖσθαι σπουδήν. καὶ ἃ μετὰ πονηρῶν ἀφῃρέθη προφάσεων ὑπὸ τῶν μοχθηροτάτων ἀνδρῶν, ἀποκατασταθέντα δικαίως, ταῖς εὐαγίσιν αὖθις ἐκκλησίαις ἀποσωθῆναι.

UT QUI RES ECCLESIÆ EMERUNT, AUT DONO ACCEPERUNT, EAS RESTITUANT.

XVIII. Quoniam vero perfectæ et absolutæ providentiæ est, ne illos quidem silentio prætereire qui emptionis jure aliquid a fisco comparaverint, aut donationis titulo sibi concessum possederint, frustra ad hujusmodi bona inexplebilem cupiditatem extendentes, sciant omnes hujusmodi, etiamsi ob ea quæ emere sunt ausi, nostram a se clementiam alienare magnopere studuerunt, nostram tamen benignitatem quoad ejus fieri poterit ac decebit sibi non defuturam.

XVIII. Ἐπεὶ δ' ὁλοκλήρου προνοίας ἂν εἴη μὴ δὲ τούτους σιωπῇ παρελθεῖν, ὅσοι περ ἢ ὠνῇ δικαίᾳ ἐπρίαντό τε παρὰ τοῦ ταμείου, ἢ κατὰ δωρεὰν κατίσχον συγχωρηθὲν μάτην, καὶ ἐπὶ τὰ τοιαῦτα τὰς ἀπλήστους ἐπιθυμίας ἐκτείναντες γινωσκέτωσαν, ὡς τοισοῦτοι, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα οἷς ἐτόλμησαν πρίασθαι, ἀλλοτρίαν τὴν παρ' ἡμῶν εἰς αὐτοὺς ἐπειράθησαν καταστῆσαι φιλανθρωπίαν, ὅμως ταύτης εἰς τὸν δυνατὸν καὶ πρέποντα τρόπον οὐκ ἀτυχήσουσι, ταῦτα μὲν οὖν εἰς τοσοῦτον ἀνήχθω. B

SEDULA EXHORTATIO AD COLENDUM DEUM.

XIX. Sed de his hactenus dixisse sufficiat. Porro, cum evidentissimis ac certissimis argumentis declaratum sit, partim omnipotentis Dei vi ac virtute, partim adhortationibus atque adjumentis quæ a me frequenter præstari desiderat, tristitiam et acerbitatem quæ res humanas antea occupabat, nunc ex universo terrarum orbe depulsam esse; cuncti simul et singuli diligenti meditatione perspicitis, quæ et quanta sit potestas et gratia illa, quæ improbissimorum quidem hominum stirpem penitus delevit ac sustulit; bonorum vero hilaritatem ac lætitiam restituens, per omnes regiones longe lateque diffundit; et quæ liberam omnibus facultatem permittit, tum ut divinam legem cum debito cultu iterum venerentur, tum ut C

XIX. Ἐπειδὴ οὖν ἀποδεῖξεσιν ἐναργεστάταις καὶ σαφεστάταις ἐξεφάνη, ἀρετῇ τε τοῦ πάντα δυνατοῦ Θεοῦ, καὶ παρανίσεσιν ἅμα καὶ βοηθείαις ἃς ὑπὲρ ἐμοῦ συχνὰς ἀξιοῖ ποιεῖσθαι, τὴν πρότερον κατέχουσαν πάντα τὰ ἀνθρώπινα δυσχέρειαν ἐκ πάσης ἤδη ἐλελᾶσθαι τῆς ὑφ' ἥλιῳ· οἱ καθένα τε καὶ οἱ σύμπαντες ὁμοῦ ἐσπουδασμέναις καθορᾶται φροντίσι, τίς ἐκείνη καθίστηκεν ἡ ἐξουσία, τίς χάρις, ἥ τῶν μὲν μοχθηροτάτων τὸ, ὡς εἰπεῖν, σπέρμα ἠφάνισέ τε καὶ διέφθειρε, τῶν δ' ἀγαθῶν τὴν εὐφροσύνην ἀνακληθεῖσαν, ἐπὶ πάσας ἐκτείνει τὰς χώρας ἀφθόνως. καὶ αὖθις αὐτὸν τε τὸν θεῖον νόμον τὰ εἰκότα μετὰ παντὸς σεβάσματος θεραπεύεσθαι, τούς τε τούτῳ σφᾶς αὐτοὺς καθιερώσαντας τὰ προσήκοντα σέβειν, ἐξουσίαν δίδωσιν ἅπασαν. οἱ καθάπερ ἐκ τινος σκότους βα-

VALESII NOTÆ.

Πολλὴν ἔχων τὴν ὠφέλειαν. Sensus postulat ut legatur πλείω ἔχων ὠφέλειαν. Post hæc autem verba in codice Medicæo sequuntur hæ voces ἕτερος ἂν γένοιτο, quæ in vulgatis editionibus desiderantur.

Τοῦ θείου προτρέποντος πνεύματος. Codex Medicæus habet πνεύματος, τὴν περὶ τῶν τοιούτων ποιεῖσθαι σπουδήν. Sed et in codice Fuk. Turnebi ac Savilii legitur ποιεῖσθαι.

Ὑπὸ τῶν μοχθηροτάτων. In codice Medicæo legitur τῶν ἀδίκων καὶ πονηροτάτων.

Ἐπὶ δ' ὁλοκλήρου. Ab his verbis novum caput inchoavi, titulum quoque apposui qui in Genevensi et in Parisiensi Rob. Stephani editione deerat. Nos vero, tum ex codice Fuk. tum ex veteribus schedis Bibliothecæ Regiæ eum supplevimus. D

Ἢ ὠνῇ δικαίᾳ. Veram hujus loci scripturam nobis aperuit codex Medicæus in quo legitur ἢ ὠνῆς δικαίων. Scribo ἢ ὠνῆς δικαίῳ, id est, emptionis jure aut titulo. Certe hanc emptionem justam appellare, alienum est a mente Constantini, qui has emptiones injustas ac nefarias præsumptiones appellat.

Μάτην, καὶ ἐπὶ τὰ τοιαῦτα. Dudum conjeceram delendam esse particulam καὶ, quam conjecturam nostram codex Medicæus diserte confirmat. Loquitur autem imperator de iis qui hæc loca ab imperatoribus sibi donari petierant. Quod Christophorsonus non vidit. Mox in eodem codice scribitur γινωσκέτωσαν ὡς τοιοῦτοι, etc., rectius quam in vulgatis editionibus, ὅσοι τοιοῦτοι. In codice Fuk. et Turnebi scribitur ὅσοι τοίνυν τοιοῦτοι pessime.

Ἐπειδὴ οὖν. Codex Medicæus ἐπειδὴ δέ.

Ἐξεφάνη, ἀρετῇτε τοῦ πάντα δυνατοῦ, etc. Legebatur olim ἐξεφάνη ἡ ἀρετὴ, etc. Rectius hic ut in codice Medicæo legitur; scribendum etiam videtur τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ.

Παρανίσεσι δ' ἅμα. In codice Medicæo legitur καὶ παρανίσεσιν ἅμα. Deest etiam in eodem codice δι' ὧν, deest etiam ἤδη συμβαίνει; quæ omnia addita erant ab iis qui hanc orationem non intelligebant. Totus igitur locus ita vertendus est: « Porro, cum certissimis ac evidentissimis argumentis declaratum sit, partim omnipotentis Dei vi ac virtute, partim hortationibus et adjumentis, quæ a me frequenter præstari desiderat, tristitiam et acerbitatem quæ res humanas antea occupabat, nunc ex universo terrarum orbe depulsam esse, etc. » Nihil clarius hac lectione, nihil certius? Pro ἃς ὑπὲρ ἐμοῦ omnino scribendum puto ἃς ὑπ' ἐμοῦ, vel παρ' ἐμοῦ. Intelligit enim Constantinus ministerium suum, quod Deo in hujusmodi rebus perficiendis commodavit. De qua re non immerito gloriatur in principio hujus edicti.

Ἡ ἐξουσία. In codice Medicæo deest articulus, et post hæc verba adduntur hæc voces τίς χάρις. Quæ sine magno totius sententiæ damno abesse non possunt. Nam ἐξουσία quidem est quam supra dixit ἀρετὴν τοῦ Θεοῦ· χάρις vero est beneficium in homines collatum adjumento ac ministerio Constantini.

Ἡ τῶν μὲν μοχθηροτάτων. Codex Medicæus ἢ τῶν μὲν πονηροτάτων καὶ μοχθηροτάτων. Scribendum porro est ἥ, ut legitur in codice Regio, Fuketiano et in schedis.

Σκότους βαθέος. In codice Medicæo legitur βαθυτάτου, et finis hujus edicti ita concipitur θεραπείαν τε τὴν προσήκουσαν τοῦ λοιποῦ περὶ αὐτὸν καὶ τιμὴν σύμφωνον ἐπιδείξονται προτεθήκω ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀνα-

Digitized by Google

θίος ἀνακύψαντες, καὶ λαμπρὰν τῶν γραμμάτων λαβόντες γνῶσιν, τὴν προσήκουσαν τοῦ λοιποῦ περὶ αὐτὸν θεραπείαν τε καὶ τιμὴν εὐσεβῆ καὶ σύμφωνον ἐπιδείξονται. προτεθήτω ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀνατολικοῖς μέρεσιν.

eos qui se hujus legis ministerio consecraverunt congruo honore prosequantur. Qui quidem tanquam ex profunda quadam caligine emergentes, et illustrem rerum notitiam haurientes, debitam deinceps huic legi observantiam, et piam ac consentientem reverentiam exhibebunt. Proponatur in Orientalibus partibus nostris.

CONSTANTINI EDICTUM AD PROVINCIALES DE FALSO CULTU MULTORUM DEORUM. EXORDIUM DE VIRTUTE ET VITIO.
(Ex Euseb. Vit. Const. II, c. 48, 60.)

Νικητὴς Κωνσταντῖνος, Μέγιστος, Σεβαστός, ἐπαρχειώταις ἀνατολικοῖς.

1. Πέφυκε μὲν ὅσα τοῖς κυριωτάτοις τῆς φύσεως περιέχεται νόμοις, τῆς κατὰ τὴν θείαν διάταξιν προνοίας τε καὶ θεωρίας ἱκανὴν αἴσθησιν τοῖς πᾶσι παρίχειν. οὐδέ ἔστι τις ἀμφιβολία οἷς κατ' εὐθεῖαν γνώσεως ὁδὸν ἡ διάνοια ἐπ' ἐκεῖνον ἄγεται τὸν σκοπὸν, ὡς ἡ τοῦ ὑγιοῦς λογισμοῦ καὶ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἡ ἀκριβὴς κατάληψις, μιᾷ ῥοπῇ τῆς ἀληθοῦς ἀρετῆς ἐπὶ τὴν γνῶσιν ἀναφέρει τοῦ Θεοῦ. διόπερ πᾶς συνετὸς ἀνὴρ οὐκ ἄν ποτε ταραχθείη, τοὺς πολλοὺς ὁρῶν ἐναντίαις προαιρέσεσι φερομένους. ἀνόητος γὰρ ἂν ἡ τῆς ἀρετῆς ἐλάνθανε χάρις, εἰ μὴ καταντικρὺ τὸν τῆς διεστραμμένης ἀπονοίας βίον ἡ κακία προυβέβλητο. διὸ τῆς μὲν ἀρετῆς στέφανος πρόκειται, τῆς δὲ κρίσεως αὐθεντεῖ ὁ ὕψιστος Θεός. ἐγὼ δ' ὡς ἔνι μάλιστα φανερῶς, περὶ τῶν κατ' ἐμαυτὸν ἐλπίδων πᾶσιν ὑμῖν ὁμολογῆσαι πειράσομαι.

Victor Constantinus Maximus, Augustus, provincialibus Orientis.

1. Quæcumque firmissimis naturæ legibus continentur divinæ providentiæ atque intelligentiæ in cunctis rebus ordinandis sufficientem notitiam omnibus præbent. Nec ulla existit dubitatio iis quorum mentes recto scientiæ itinere ad eum scopum feruntur, quin sanæ mentis, ipsiusque oculorum visus accurata comprehensio, veræ virtutis eodem vergente atque inclinante natura, ad notitiam Dei perducat. Quocirca nemo unquam vir prudens animo conturbabitur, cum plerosque homines contraria inter se vitæ instituta sectari animadvertit. Nam virtutis gratia prorsus inutilis lateret, nisi improbitas perversam ac desperatam vivendi rationem ex adverso opponeret. Idcirco virtuti quidem corona proposita est, improbitati autem dijudicandæ ac puniendæ præest Deus altissimus. Ego vero de ea spe atque expectatione quam gero rerum futurarum, quoad potero apertissime vobis disserere conabor.

DE PIO AC DEI AMANTISSIMO CONSTANTINI PATRE, ET DE DIOCLETIANO ET MAXIMIANO PERSECUTORIBUS.

II. Ἔσχον ἔγωγε τοὺς πρὸ τούτου γενομένους αὐτοκράτορας, διὰ τὸ τῶν τρόπων ἄγριον ἀποκλήρους· μόνος δ' ὁ πατήρ ὁ ἐμὸς, ἡμερότητος ἔργα μετεχειρίζετο μετὰ θαυμαστῆς εὐλαβείας ἐν πάσαις ταῖς ἑαυτοῦ πράξεσι τὸν πατέρα Θεὸν ἐπικαλούμενος. ὅσοι δὲ λοιποὶ οὐχ' ὑγιαίνοντες τὰς φρένας, ἀγριότητος μᾶλλον ἢ πραότητος ἐπεμελοῦντο, καὶ ταύτην ἔτρεφον ἀφθόνως ἐπὶ τῶν ἰδίων καιρῶν τὸν ἀληθῆ λόγον δικστρέφοντες· τῆς δὲ πονηρίας αὐ-

II. Ac superiores quidem imperatores, ob feritatem atque immanitatem morum, alienos semper atque extraneos habui. Solus pater meus lenitati ac mansuetudini studuit, cum admiranda religione Deum Patrem in omnibus suis actibus invocans. Reliqui vero haudquaquam sana mente præditi, immanitatem potius consectati sunt quam clementiam, eamque mirum in modum aluerunt, toto imperii sui tempore

VALESII NOTÆ.

τολικοῖς μέρεσιν, id est, *proponatur in Orientalibus partibus nostris*. Et hæc est subscriptio quam huic edicto manu ipsius Constantini appositam fuisse testatur Eusebius, cap. 24. Solebant enim imperatores, edictis quæ emittebant manu sua adjicere *proponatur*, idque mandare Præfectis Prætorio, ut apparet ex Novellis Valentiniani et Majoriani. Certe vel una vox ἡμετέροις, satis indicat hanc subscriptionem manu ipsius Constantini additam fuisse. Ipse enim est imperator qui loquitur, et qui partes Orientales suas appellat. Ita enim loqui consueverant imperatores, tunc præcipue cum de provincia recens in ditionem ipsorum redacta loquerentur. Sic Constantinus in Epistola ad Elaflum, et in Epistola ad Probianum Proconsulem Africæ, *Africam nostram* dicit, et in lege prima codice Th. de veteranis *apud Nicomediam nostram*. Sic in lege unica codice Theod. *de his qui sanguinolentos*, etc., *Imperator Constantinus Italis suis*. Denique Constantius Cæsar in Epistola ad Eumenium, quam refert Eumenius in oratione pro scholis. *Merentur Galli nostri*, etc. Porro hoc edictum Constantini in codice Medicæo legitur post libros historiæ Ecclesiasticæ, hoc titulo: Ἀντίγραφον διατάξεως τοῦ θεοφιλοῦς βασιλέως· ἣν τοὺς τυράννους καθελὼν, τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἔθνεσιν ἑλληνικῇ συντάξας φωνῇ διεπέμψατο. Id est, *Exemplum constitutionis, quam Deo charus imperator victis tyrannis græco sermone scriptam ad provinciales suos misit*.

Τῶν γραμμάτων λαβόντες γνῶσιν. Codex Medicæus habet τῶν πραγμάτων. Nec aliter in codice Regio, et in veteribus schedis et in codice Fuk. scriptum inveni. Facessat igitur emendatio R. Stephani.

Μιᾷ ῥοπῇ τῆς ἀληθοῦς ἀρετῆς. Virtus hic pro perfectione sumi videtur, tam ea quæ est in visu quam quæ in intellectu. Utraque enim vis ac perfectio eodem tendit, ad veritatis scilicet notitiam. Sensus quidem ad veritatem rerum sensibilium, intellectus vero ad intelligibilium veritatem ex ipsa rerum sensibilium veritate progreditur: et hinc ad summi Dei notitiam gradatim ascendit. Potest etiam hoc loco ἀρετὴ τοῦ ἀληθοῦς dici vis ac virtus veritatis. Quæ sequuntur tamen, de morali virtute hunc locum accipiendum esse confirmant.

Ἀνόητος. Lego ἀνόητος, ut est in Fuk. Moræi et Gruteri libro. Paulo post scribo διὸ τῇ μὲν ἀρετῇ στέφανος πρόκειται. Sunt autem hæc valde obscura et in ricata: quod partim Constantino ipsi tribuendum est, qui utpote ἐψιμαθὴς, in dicendo erat obscurior; partim Eusebio, seu cui alteri qui ex latinis obscuris græca fecit obscuriora. In manuscripto Fuketii libro ἀνόητος legitur, et διὸ τῆς ἀρετῆς, etc. optime.

Digitized by Google

veram doctrinam subvertentes. Porro, improbitatis ipsorum tantopere furor exarsit, ut cunctis tam divinis quam humanis rebus in summa pace constitutis, ipsi bella civilia excitarent.

A τοῖς ἡ δεινότης εἰς τοσοῦτον ἐξήπτετο, ὡς πάντων ὁμοῦ τῶν θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων εἰρηνευομένων, ἐμφυλίους ὑπ' ἐκείνων πολέμους ἀναῤῥιπίζεσθαι.

QUOD EX APOLLINIS ORACULO, QUI OB JUSTOS HOMINES RESPONSA AMPLIUS EDERE NON POTERAT, MOTA SIT PERSECUTIO.

III. Quippe Apollinem tunc temporis ex antro et tenebroso quodam specu, non ex hominis ore oraculum edidisse ferebatur; quo justos viros in terris degentes obstare sibi aiebat quo minus vera prædiceret; atque idcirco falsa ex tripode oracula reddi. Hanc ob causam ille comam incultam demisit, et, expulsa divinandi arte, tantum inter homines malum lamentabatur. Sed videamus quem ista exitum habuerint.

III. Τὸν Ἀπόλλω τὸ τηνικαῦτα ἔφασαν ἐξ ἄντρου τινὸς καὶ σκοτίου μυχοῦ, οὐχὶ δ' ἐξ ἀνθρώπου χρῆσαι, ὡς ἄρα οἱ ἐπὶ τῆς γῆς δίκαιοι ἐμπόδιον εἶεν τοῦ ἀληθεύειν αὐτὸν, καὶ διὰ τοῦτο, ψευδεῖς τῶν τριπόδων τὰς μαντείας ποιεῖσθαι. τοῦτο αὐτοῦ κατηφεῖς τοὺς πλοκάμους ἀπεῖναι πεποίηκε, τῆς μαντείας τ' ἐλαυνομένης, τὸ ἐν ἀνθρώποις κακὸν ἀπωδύρετο. ἀλλ' ἴδωμεν ταῦτα εἰς ὁποῖον τέλος B ἐξώκειλε.

QUOMODO CONSTANTINUS ADHUC ADOLESCENS JUSTOS ESSE CHRISTIANOS AUDIVIT.

IV. Te nunc testem appello, Deus altissime. Scis qualiter ego tunc temporis admodum adolescens, illum qui inter imperatores Romanos potiorem locum tunc obtinebat, miserum, profecto miserum, falso mentis errore deceptum, ex protectoribus suis curiose scisciantem audierim, quinam illi essent justi in terris degentes; et quemdam ex sacrificulis qui circa illum erant respondisse eos esse Christianos. Ille responso hominis quasi mello quodam avide absorpto, gladios ad punienda crimina paratos adversus sanctitatem omni reprehensione vacuam distrinxit. Statim igitur sanguinolenta edicta cruentis, ut ita dixerim, mucronibus scripsit, et judicibus præcepit ut ingenii solertiam sibi a natura insitam ad acerbiora supplicia excogitanda intenderent.

IV. Σὲ νῦν τὸν ὕψιστον Θεὸν καλῶ, ἡνικα ὠμὴν τότε κομιδῇ παῖς ὑπάρχων, πῶς ὁ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ παρὰ τοῖς Ῥωμαίων αὐτοκράτορσιν ἔχων τὰ πρωτεῖα, δείλαιος ἀληθῶς δείλαιος, πλάνῃ τὴν ψυχὴν ἠπατημένος. παρὰ τῶν δορυφορούντων αὐτὸν, τίνες ἂν εἶεν οἱ πρὸς τῇ γῇ δίκαιοι πολυπραγμονῶν ἐπυνθάνετο. καί τις τῶν περὶ αὐτὸν θυηπόλων ἀποκριθεὶς, χριστιανοί φάπουθεν ἔφη. ὁ δὲ τὴν ἀπόκρισιν ὥσπέρ τι βρόχθάσας μέλι, τὰ κατὰ τῶν ἀδικημάτων εὑρεθέντα ξίφη, κατὰ τῆς ἀνεπιλήπτου ὁσιότητος ἐξέτεινεν. αὐτίκα δὴ οὖν διατάγματα λύθρων μιαιφόνοις ὡς εἰπεῖν ἀκωκαῖς συνέτατε, τοῖς τε δικασταῖς, τὴν κατὰ φύσιν ἀγχίνοιαν εἰς εὕρεσιν κολαστηρίων δεινοτέρων ἐκτείνειν παρεκελεύετο.

C

QUOT TORMENTORUM ET SUPPLICIORUM GENERA ADVERSUS CHRISTIANOS EXCOGITATA SINT.

V. Licuit tunc, inquam, videre quanta cum libertate venerabiles Dei cultores ob continuam crudelitatem gravissimas quotidie contumelias tolerarent. Quippe modestiam, quam nec hostes ipsi ulla unquam affecerunt injuria, efferati cives probris omnibus incessere pro nihilo duxerunt. Quodnam incendium, quod cruciatuum et tormentorum genus cuivis corpori et ætati absque ullo discrimine admotum non fuit? Ea

V. Ἦν τότε, ἦν ἰδεῖν μεθ' ὅσης ἐξουσίας ἡ σεμνότης ἐκείνη τῆς θεοσεβείας, τῇ τῆς ὠμότητος συνεχείᾳ, οὐ τὰς τυχούσας ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας ὕβρεις ὑφίστατο. σωφροσύνη δ' ἣν τῶν πολεμίων οὐδεὶς ἠδίκησε πώποτε, ὀργίλων πολιτῶν παροινίας πάρεργον ἡγίνετο. ποῖον πῦρ, ποῖαι βάσανοι, ποῖον στρεβλωτηρίων εἶδος, οὐχὶ παντὶ σώματι καὶ ἡλικίᾳ πάσῃ ἀδιακρίτως προσήγετο; τὸ τηνικαῦτα ἰδάκρυε μὲν ἀναμφιδόλως ἡ γῆ. ὁ δὲ τὰ σύμπαντα περιέχων

VALESII NOTÆ.

Ἐμφυλίους πολέμους. Civilia bella vocat persecutiones Christianorum. Nihil enim similius civili bello, quam cum Christiani in singulis civitatibus, non hostium aut barbarorum, sed civium suorum incursione fugabantur ac mactabantur.

Τοῦτο αὐτοῦ κατῆφεῖς. Scribendum est τοῦτο αὐτοῦ προφῆτις, vel si mavis ἱερεια κατηφὴς, quam lectionem in interpretatione mea sum secutus. Portesius quoque et Morinus de Pythia seu sacerdote Apollinis hæc intellexerunt. In optimo tamen Fuketii libro totus hic locus ita scribitur: Τοῦτο αὐτοῦ κατηφεῖς τοὺς πλοκάμους ἀπεῖναι πεποίηκε· τῆς μαντείας τ' ἐλαυνομένης, etc., cui consentit codex Savilii. Mox in iisdem codicibus legitur εἰς ὁποῖον τέλος κατέλαξεν.

Κομιδῇ παῖς ὑπάρχων. Rectius scriberetur νέος. Neque enim Constantinus puer tunc erat, cum in aula Diocletiani obsidis loco versaretur. Quippe a patre Constantio traditus est Diocletiano, anno Christi 291, cum Constantius a Diocletiano Cæsar factus fuisset. Quo quidem tempore Constantinus annum ætatis circiter quintum decimum agebat. Mortuus est enim D anno Christi 337 ætatis, suæ secundo ac sexagesimo.

Βροχθάσας μέλι. In manuscriptis codicibus Fuketii et Savilii rectius legitur βροχθίσας· neque aliter scriptum exhibet Regius codex.

Μιαιφόνοις ἀκωκαῖς. Alludit ad mucronem styli. Porro eleganter Constantinus, leges illas de persecutione Christianorum scriptas fuisse dicit cruenti gladiorum mucronibus. Sic Draconis leges, sanguine, non atramento, scriptas fuisse quidam veterum dixerunt.

Ἐκτείνειν παρεκελεύετο. Mallem dicere ἐπιτείνειν, ut loqui solet Eusebius.

Παροινίας πάρεργον ἡγίνετο. Sic, in libro primo de Severo Cæsare dixit Eusebius, πάρεργον ἡγήσατο θανάτου, ubi vide quæ de hac locutione annotavimus. Nam interpretes nihil hic viderunt.

Καὶ ἡλικίᾳ πάσῃ. Codex Fuketii scriptum exhibet οὐχ ἡλικίᾳ πάσῃ. Paulo post in eodem codice et in schedis Regiis scribitur ut in nostro textu, ἡ γε μὴν ἡμέρα αὐτὴ τῷ πένθει τοῦ θ. ἐκπλήττετο.

Digitized by Google

κόσμος, τῷ λύθρῳ χραινόμενος ἀπεκλάετο. ἥ γε μὲν ἡμέρα αὐτὴ, τῷ πένθει τοῦ θαύματος ἐνεκαλύπτετο

A tempestate tellus quidem ipsa procul dubio lacrymas edidit ; cœlum vero quod universa suo ambitu complectitur cruore inquinatum ingemuit. Ipsa quoque diei lux præ luctu atque horrore tanti prodigii obscurata est.

QUOMODO BARBARI CHRISTIANOS EXCEPERUNT.

VI. Ἀλλὰ τί ταῦτα, αὐχοῦσι νῦν ἐπ' ἐκείνοις οἱ Βάρβαροι, οἳ τοὺς κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐξ ἡμῶν φεύγοντας ὑποδεξάμενοι καὶ φιλανθρωποτάτῃ τηρήσαντες αἰχμαλωσίᾳ. ὅτι οὐ μόνον τὴν σωτηρίαν, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς σεμνότητος αὐτοῖς κατέστησαν ἐν ἀσφαλείᾳ ἔχειν. καὶ νῦν τὸ Ῥωμαίων γένος, κηλῖδα ταύτην διηνεκῆ φέρει, ἣν οἱ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῆς Ῥωμαϊκῆς οἰκουμένης ἐλαυνόμενοι χριστιανοί, καὶ Βαρβάροις προσφεύγοντες, προσετρίψαντο.

VI. Sed quid ista commemoro? Gloriantur ob hæc nunc Barbari, qui homines ex nostris regionibus profugos tunc temporis exceperunt, et captivos humaniter habuerunt. Quippe cum illis non modo salutem, verum etiam religionis suæ cultum integrum apud se retinere permiserint. Itaque perpetuam hanc infamiæ notam Romani nunc gestant, quam Christiani ex orbe Romano per id tempus fugati, et ad B Barbaros confugientes, ipsis inusserunt.

QUOMODO DIVINA ULTIONE PUNITI SINT, QUI EX ORACULO PERSECUTIONEM COMMOVERANT.

VII. Ἀλλὰ τί τῶν θρήνων ἐκείνων καὶ τοῦ κοινοῦ τῆς οἰκουμένης πένθους, ἐπὶ πλέον μεμνῆσθαί με δεῖ; οἴχονται λοιπὸν καὶ ἐκεῖνοι οἱ τοῦ μύσους αὐθέναι, πρὸς διηνεκῆ κόλασιν τοῖς Ἀχέροντος βαράθροις ἐκδοθέντες, σὺν αἰσχρῷ τέλει. πολέμοις γὰρ ἐμφυλίοις καταμιγέντες, οὔτ' ὄνομα, οὔτε γένος αὐτῶν καταλελοίπασιν. ὃ δὴ οὐκ ἂν αὐτοῖς συμβεβήκει, εἰ μὴ ὁ ἀσεβὴς ἐκείνη τῶν τοῦ Πυθίου χρηστηρίων μαντεία, κίβδηλον δύναμιν ἐσχήκει.

VII. Sed quid opus est lamenta illa et communem totius orbis luctum pluribus verbis commemorare? Illi tanti sceleris auctores posthæc turpi exitu periere, in Acherontis barathrum ad perpetuos cruciatus detrusi. Nam civilibus inter se collisi bellis, nec nominis, nec generis sui memoriam reliquerunt. Quod profecto nunquam ipsis contigisset, nisi impia illa Apollinis Pythii vaticinatio falsam quamdam et adulterinam vim haberet.

CONSTANTINUS DEO GLORIAM TRIBUIT, SIGNUM CRUCIS CONFITETUR ET PRECATUR PRO ECCLESIIS.

VIII. Σὲ νῦν τὸν μέγιστον Θεὸν παρακαλῶ, εἶης πρᾷός τε καὶ εὐμενὴς τοῖς σοῖς ἀνατολικοῖς, εἶης πᾶσι τοῖς σοῖς ἐπαρχεώταις, ὑπὸ χρονίου συμφορᾶς συντριβεῖσι, δι' ἐμοῦ τοῦ σοῦ θεράποντος ὀρέγων ἵκεσιν. καὶ ταῦτά γε αἰτῶ οὐκ ἀπεικότως, ὦ δέσποτα τῶν ὅλων ἅγιε Θεέ· ταῖς σαῖς γὰρ ὑφηγήσεσιν ἐνεστησάμην σωτηριώδη πράγματα καὶ διήνυσα, τὴν σὴν σφραγῖδα πανταχοῦ προβαλλόμενος, καλλενίκου ἡγησάμην στρατοῦ· κἄν πού τις τῶν δυμοσίων καλῇ χρεία, τοῖς αὐτοῖς τῆς σῆς ἀρετῆς ἑπόμενος συνθήμασιν, ἐπὶ τοὺς πολεμίους πρόειμι. διὰ ταῦτά τοι ἀνέθηκά σοι τὴν ἐμαυτοῦ ψυχήν, ἔρωτι καὶ φόβῳ καθαρῶς ἀνακραθεῖσαν. τὸ μὲν γὰρ ὄνομά σου γνησίως ἀγαπῶ, τὴν δὲ δύναμιν εὐλαβοῦμαι, ἣν πολλοῖς τεκμηρίοις ἔδειξας, καὶ τὴν ἐμὴν πίστιν βεβαιοτέραν εἰργάσω. ἐπείγομαι γοῦν καὶ τοὺς ὤμους αὐτὸς ὑποσχὼν τοὺς ἐμοὺς, τὸν ἁγιώτατόν σοι οἶκον ἀνανεώσασθαι. ὃν οἱ μυσαροὶ ἐκεῖνοι καὶ ἀσεβέστατοι, τῷ ἀτοπήματι τῆς καθαιρέσεως ἐλυμήναντο.

VIII. Nunc te, Deus Opt. Max., oro atque obsecro, sis clemens ac propitius erga tuos Orientales; sis erga cunctos provinciales diuturnis calamitatibus attritos, iisque per me famulum tuum salutem conferre velis. Atque hæc non sine causa abs te postulo, omnium Domine et sancte Deus. Tuo enim ductu atque auspicio res salutares suscepi atque perfeci. Tuum signum ubique præferens victorem exercitum duxi. Et quotiescumque publica exigit necessitas, tuæ virtutis insignia sequens, adversus hostes progredior. Has ob causas tibi animum meum dicavi, amore simul ac timore probe temperatum. Nam nomen quidem tuum sincere diligo ; potentiam autem quam multis documentis declarasti, et qua fidem meam confirmasti, religiose formido. Festino itaque, meos ipse humeros operi supponens, ut sanctissimam domum tuam, quam nefarii illi atque impii scelerate C eversione vastarunt, denuo instaurem.

QUOMODO OMNES QUIDEM CHRISTIANOS ESSE OPTAVIT, NEMINEM AUTEM COEGIT.

IX. Εἰρηνεύειν σου τὸν λαὸν καὶ ἀστασίαστον μένειν ἐπιθυμῶ, ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ τῆς οἰκουμένης καὶ τοῦ πάντων ἀνθρώπων χρησίμου. ὁμοίαν τοῖς πιστεύουσιν οἱ πλανώμενοι χαίροντες λαμβανέτωσαν εἰρήνης τε καὶ ἡσυχίας ἀπόλαυσιν. αὕτη γὰρ ἡ τῆς κοινωνίας ἐπανόρθωσις, καὶ πρὸς τὴν εὐθεῖαν ἀγαγεῖν ὁδὸν ἰσχύει. μηδεὶς τὸν ἕτερον

IX. Equidem populum tuum pacate ac sine ulla seditione degere, pro communi totius orbis et cunctorum mortalium utilitate desidero. Qui autem gentilitatis errore implicati sunt, ipsi quoque eamdem cum fidelibus pacis et quietis oblectationem læti percipiant. Hæc enim communionis ac societatis mutuæ repara-

VALESII NOTÆ.

Τὸν ἁγιώτατόν σοι οἶκον. Ecclesiam Catholicam intelligit, quam cap. 58 domum veritatis appellat. In sacris libris columna et firmamentum veritatis dicitur. Paulo post scribitur ex codice Fuketii, Savilii et ex schedis Regiis ὃν οἱ μυσαροὶ ἐκεῖνοι, etc.

Πρὸς τὴν εὐθεῖαν ἀγαγεῖν ὁδὸν ἰσχύει. In libro Fuketii legitur ἰσχύς. Sed vera lectio est quam in veteribus schedis Bibliothecæ Regiæ inveni ἰσχύσει. Quod profecto longe est elegantius.

Digitized by Google

tio ad homines in rectam viam reducendos plurimum valet. Nemo alteri molestiam facessat. Quod cuique libitum fuerit, id agat. Illud tamen apud eos qui recte sentiunt fixum ratumque esse oportet, solos illos sancte casteque esse victuros, quos tu ipse ad hoc vocavisti, ut sacrosanctis tuis legibus acquiescant. Qui vero seipsos subtrahunt habeant sibi mendaciorum delubra, quando ita volunt. Nos splendidissimam domum veritatis tuæ, quam nascentibus nobis donasti, retinemus. Id ipsum illis quoque optamus, ut scilicet ex communi omnium consensu atque concordia maximam capiant voluptatem.

A παρενοχλείτω. ἕκαστος ὅπερ ἡ ψυχὴ βούλεται, τοῦτο καὶ πραττέτω. τοὺς δ' εὖ φρονοῦντας πεπεῖσθαι χρή, ὡς οὗτοι μόνοι ἁγίως καὶ καθαρῶς βιώσονται, οὓς αὐτὸς καλεῖς ἐπαναπαύεσθαι τοῖς σοῖς ἁγίοις νόμοις. οἱ δ' ἑαυτοὺς ἀφέλκοντες, ἐχόντων βουλόμενοι τὰ τῆς ψευδολογίας τεμένη· ἡμεῖς ἔχομεν τὸν φαιδρότατον τῆς σῆς ἀληθείας οἶκον, ὅπερ κατὰ φύσιν δέδωκας. τοῦτο κἀκείνοις εὐχόμεθα, ἵνα δηλαδὴ διὰ τῆς κοινῆς ὁμονοίας καὶ αὐτοὶ τὴν θυμηδίαν ἀναφέρωνται.

GLORIAM TRIBUIT DEO, QUI PER FILIUM SUUM EARANTES ILLUMINAVIT.

x. Neque enim nova ac recens est nostra religio, sed ex quo hujus mundi fabricam apte dispositam stetisse credimus, tu hanc religionem cum debita tui numinis observantia instituisti. Porro humanum genus variis seductum erroribus impegit. Sed tu, ne hoc malum amplius ingravesceret, per filium tuum splendidissimam attollens facem, cunctos de numinis tui cultu admonuisti.

B x. Οὐ δὲ γάρ ἐστι καινὸν οὐδὲ τι νεώτερον τὸ κατ' ἡμᾶς. ἀλλ' ἐξ οὗπερ τὴν τῶν ὅλων διακόσμησιν παγίως γεγενῆσθαι πεπιστεύκαμεν, μετὰ τοῦ πρέποντός σου σεβάσματος τοῦτο παρεκελεύσω. ἐσφάλη δὲ τὸ ἀνθρώπινον γένος, πλάναις παντοίαις παρηγμένον. ἀλλὰ σύ γε διὰ τοῦ σοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ τὸ κακὸν ἐπὶ πλέον ἐπιβρίσῃ, καθαρὸν φῶς ἀνασχών, ὑπέμνησας περὶ σεαυτοῦ τοὺς πάντας.

ITERUM DEO GLORIAM TRIBUIT EX MINISTERIO TOTIUS MUNDI.

xi. Hujus rei fidem faciunt opera tua. Tua nos potestas innocentes efficit ac fideles. Sol et luna ratis ac definitis cursibus feruntur; nec sine ordine circa mundi totius axem sidera volvuntur. Certa lege recurrunt temporum vices. Tuo verbo stat terræ firma soliditas, et venti præstituto tempore moventur, et aquarum impetus irrequieto fluxu prolabitur. Mare immotis continetur terminis. Et quidquid per terras perque oceanum diffunditur, hoc ad maximos et mirabiles usus fabricatum est. Quod quidem nisi ex voluntatis tuæ arbitrio ita gereretur, procul dubio tanta diversitas, et multiplex divisio potestatis, universo orbi ac rebus humanis perniciem attulisset. Nam qui adversus sese invicem bellum gesserunt, utique gravius adversus humanum genus depugnarent. Quod profecto faciunt, tametsi oculis non cernuntur.

C xi. Αἱ σαὶ πράξεις ταῦτα πιστοῦνται· τὸ σὸν κράτος ἀθώους ἡμᾶς καὶ πιστοὺς ἐργάζεται· ἥλιος καὶ σελήνη ἔννομον ἔχουσι τὴν πορείαν, οὐδὲ τὰ ἄστρα ἄτακτον ἔχει τὴν τοῦ κοσμικοῦ κύκλου περιφοράν· αἱ τῶν καιρῶν ἀμοιβαὶ νομίμως ἀνακυκλοῦνται· ὑ τῆς γῆς ἑδραία στάσις τῷ σῷ λόγῳ συνέστηκε· καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν ἐπαχθέντα καιρὸν ποιεῖται τὴν κίνησιν. ἥ τε τῶν ὑδάτων φορὰ θέουσα πρόσισιν ἀπλέτου ῥεύματος μέτρῳ· ἡ θάλασσα ὅροις ἐμπεριέχεται πεπηγόσι. καὶ ὅ, τι ἂν τῇ γῇ καὶ τῷ ὠκεανῷ συμπαρεκτείνεται, τοῦτο πᾶν θαυμασταῖς τισι καὶ χρησίμοις τεχνάζεται λυσιτελείαις. ὅπερ εἰ μὴ κατὰ κρίσιν τῆς σῆς βουλήσεως ἐπράττετο, ἀναμφιβόλως ἂν ἡ τοσαύτη διαφορά, καὶ ἡ παλλὴ τῆς ἐξουσίας διάκρισις, παντὶ τῷ βίῳ καὶ τοῖς πράγμασιν ἐλυμήνατο. οἱ γὰρ πρὸς ἑαυτοὺς μαχεσθέντες, χαλεπώτερον ἂν τῷ ἀνθρωπίνῳ ἐμαχέσαντο γένει. ὅπερ καὶ μὴ ὁρώμενοι πράττουσι.

DEUM LAUDAT, QUI SEMPER BONA ATQUE HONESTA DOCET.

xii. Gratias tibi plurimas agimus, omnium Domine ac summe Deus. Nam quanto magis ex discrepantibus studiis humana natura cognoscitur, tanto magis apud recte sentientes et veræ virtutis studiosos divinæ religionis disciplina stabilitur. Cæterum, quisquis

xii. Χαρίς σοι πλείστη, δέσποτα τῶν ἁπάντων μέγιστε Θεέ· ὅσον γὰρ διαφόροις σπουδάσμασιν ἡ ἀνθρωπότης γνωρίζεται, τοσοῦτον μᾶλλον τοῖς ὀρθότερον φρονοῦσι καὶ γνησίας ἐπιμελομένοις ἀρετῆς, τὰ τοῦ θείου λόγου μαθήματα συνίσταται. πλὴν ὅς τις αὐτὸν θεραπεύεσθαι κωλύει,

VALESII NOTÆ.

Ἕκαστος ὅπερ ἡ ψυχὴ βούλεται, τοῦτο καὶ πραττέτω. Id est, *quam quisque vult religionem colat*. Quibus verbis Constantinus, integram colendi prout quisque vellet numinis libertatem subditis suis dereliquit. Quippe religiosissimus Princeps omnes quidem mortales ad Christi fidem transire maxime concupivit: neminem tamen ad id unquam coegit. Ac Gentiles quidem pristino errore liberatos voluit: templorum tamen cæremonias et sacrificia non prohibuit, ut ipse testatur infra cap. 59.

D que ita scriptum exhibet codex Fuketii et Savilii.

Οὐδὲ γάρ ἐστι καινόν. De origine et antiquitate religionis Christianæ idem scribit Eusebius in principio Historiæ Ecclesiasticæ, et in libris de Evangelica demonstratione.

Κατὰ τὸν ἐπαχθέντα καιρόν. Lego κατὰ τὸν ἐπισχεθέντα, ut legisse videtur Christophorsonus. At-

Πολλὴ τῆς ἐξουσίας διάκρισις, id est, multiplex divinitas, puta Solis, Lunæ, astrorum et elementorum, de quibus supra dixit. Hæc enim singula, nisi unius Dei nutu ac potestate regerentur, utique Dii essent. ἐξουσία igitur est potestas, nullius dominationi subjecta, quam vulgo independentiam vocamus, quæ solius Dei propria est.

Οἱ γὰρ πρὸς ἑαυτοὺς μαχεσθέντες. Deos Gentilium intelligit, ut supra dixi; Solem scilicet, Lunam et reliqua mundi elementa quæ pro Diis coluit antiquitas. Mox scribe ex codice Fuketiano τὸ ἀνθρώπινον ἐμάχοντο γένος, ut legitur etiam in Regiis schedis.

Γνησίας ἐπιμελομένοις ἀρετῆς. In codice Fuketiano et Savilii legitur γνησίως.

Digitized by Google

ἄλλῳ τοῦτο μὴ λογιζέσθω· ἡ γὰρ ἰατρικὴ τῶν ἰαμάτων προκαθέζεται, ἅπασιν εἰς τοὐμφανὲς προκειμένη. μόνον μή τις καταβλαπτέτω τοῦθ' ὅπερ ἄχραντον εἶναι τὰ πράγματα παρεγγυᾷ. χρησώμεθα τοίνυν ἅπαντες ἄνθρωποι τῇ τοῦ δοθέντος ἀγαθοῦ συγκληρίᾳ, τουτέστι τῷ τῆς εἰρήνης κολῷ, χωρίζοντες δηλαδὴ τὴν συνείδησιν ἀπὸ παντὸς ἐναντίου.

A curari se non sinit, ne id alii imputet. Quippe medicina quæ præest curationi palam omnibus proposita est. Illud tantum cavendum est, ne quis eam religionem violet, quam puram et immaculatam esse res ipsæ testantur. Proinde universi fruamur hujus boni nobis indulti consortio, hoc est, pacis amœnitate; et animi nostri conscientiam ab omnibus quæ illi contraria sunt abducamus.

ADHORTATIO SUB FINEM EDICTI, UT NEMO ALTERI MOLESTIAM FACESSAT.

XIII. Πλὴν ἕκαστος ὅπερ πείσας ἑαυτὸν ἀναδέδεκται, τούτῳ τὸν ἕτερον μὴ καταβλαπτέτω. ὅπερ θάτερος εἶδέ τε καὶ ἐνόησε, τούτῳ τὸν πλησίον, εἰ μὲν γένεσθαι δυνατόν, ὠφελείτω. εἰ δ' ἀδύνατον, παρακεμπέσθω. ἄλλο γάρ ἐστι, τὸν ὑπὲρ ἀθανασίας ἄθλον ἑκουσίως ἐπαναιρεῖσθαι, ἄλλο τὸ μετὰ τιμωρίας ἐπαναγκάζειν. ταῦτ' εἶπον, ταῦτα διεξῆλθον μακρότερον, ἡ ὁ τῆς ἐμῆς ἐπιεικείας ἀπήτει σκοπὸς, ἐπειδὴ τὴν τῆς ἀληθείας ἀποκρύψασθαι πίστιν οὐκ ἐβουλόμην· μᾶλλον δ' ὅτι τινές, ὡς ἀκούω, φασὶ τῶν ναῶν περιῃρῆσθαι τὰ ἔθη καὶ τοῦ σκότους τὴν ἐξουσίαν· ὅπερ συνεβούλευσα ἂν πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰ μὴ τῆς μοχθηρᾶς πλάνης ἡ βίαιος ἐπανάστασις, ἐπὶ βλάβῃ τῆς κοινῆς ἀναστάσεως ἀμέτρως ταῖς ἐνίων ψυχαῖς ἐμπεπήγει.

XIII. Cæterum, nemo ex eo quod ipse animo imbibit alteri noxam pariat. Sed quicumque aliquid intellexerit ac noverit, eo siquidem fieri potest, proximum juvet; sin id fieri non potest, omittat. Aliud est enim certamen pro immortalitate sponte suscipere, aliud suppliciorum vi adigere. Hæc dixi, et uberius ac prolixius quam mansuetudinis nostræ propositum postulabat ideo disserui, quod fidei veritatem celare ac dissimulare nolebam. Præsertim cum nonnulli, ut audio, asserant ritus ac cæremonias templorum et potestatem tenebrarum penitus esse sublatas. Quod profecto suasissem omnibus hominibus, nisi pravi erroris violenta præsumptio in cladem atque in damnum reparationis generis humani quorumdam mentibus nimis insideret.

CONSTANTINI CONSTITUTIO ADVERSUS HÆRETICOS.

(Ex Euseb. Vit. Const. III, c. 64, 65.)

Νοβατῖς Κωνσταντῖνος, Μέγιστος, Σεβαστὸς, αἱρετικοῖς.

I. Ἐπίγνωτε νῦν διὰ τῆς νομοθεσίας ταύτης ὦ Ναυατιανοὶ, Οὐαλεντῖνοι, Μαρκιωνισταὶ, Παυλιανοὶ, εἴτε κατὰ Φρύγας ἐπικεκλημένοι, καὶ πάντες ἁπλῶς οἱ τὰς αἱρέσεις διὰ τῶν οἰκείων πληροῦντες συστημάτων, ὅσοις ψεύδεσιν ἡ παρ' ὑμῖν ματαιότης ἐμπέπλεκται, καὶ ὅπως ἰοβόλοις τισὶ φαρμάκοις ἡ ὑμετέρα συνέχεται διδασκαλία· ὡς τοὺς μὲν ὑγιαίνοντας εἰς ἀσθένειαν, τοὺς δὲ ζῶντας εἰς δεινὴν θάνατον ἀπάγεσθαι δι' ὑμῶν. ὦ τῆς μὲν ἀληθείας ἐχθροί, τῆς δὲ ζωῆς πολέμιοι, καὶ ἀπωλείας σύμβουλοι, πάντα παρ' ὑμῖν τῆς ἀληθείας ἐστὶν ἐναντία, αἰσχροῖς πονηρεύμασι συνᾴδοντα, ἀτοπίαις καὶ δράμασι χρῆμα, δι' ὧν ὑμεῖς τὰ μὲν ψευδῆ κατασκευάζετε, τοὺς δι' ἀναμαρτήτους βλίβετε, τὸ φῶς τοῖς πιστεύουσιν ἀρνεῖσθε, ἐπὶ προσχήματι γοῦν θειότατος ἀεὶ πλημμελοῦντες, πάντα μιαίνετε, τὰς ἀθώους καὶ καθαρὰς συνειδήσεις θανατηφόροις πληγαῖς τραυματίζετε, αὐτὴν δὲ σχεδὸν εἰπεῖν τὴν ἡμέραν, τῶν ἀνθρωπείων ὀφθαλμῶν καθαρπάζετε. καὶ τι δεῖ καθέκαστον λέγειν; ὅπου γε περὶ τῶν ὑμετέρων κακῶν εἰ-

Victor Constantinus Maximus, Augustus, Hæreticis.

I. Agnoscite nunc hujus legis beneficio, o Novatiani, Valentiniani, Marcionistæ, Pauliani, et quibus Cataphrygum nomen est inditum, omnes denique qui hæreses privatis cœtibus instruitis atque impletis, quot mendaciis opinionis vestræ vanitas implicetur, et quam perniciosis venenis imbuta sit vestra doctrina; adeo ut sanis morbus gravissimus, viventibus perpetua mors per vos importetur. O veritatis inimici, hostes vitæ, exitii consiliarii, cuncta apud vos sunt veritati contraria, turpissimis flagitiis congrua, ineptiis et figmentis referta, quibus vos mendacia quidem adstruitis, innocentes autem opprimitis, et credentibus lucem negatis. Ac sub obtentu quidem divinitatis assidue peccantes, cuncta polluitis, puras vero et illibatas hominum conscientias lethalibus plagis vulneratis, atque ipsum propemodum diem mortalium oculis intercipitis. Et quid attinet singula percensere, cum nec brevitas temporis, nec magnitudo occupa-

VALESII NOTÆ.

Ἄλλῳ τοῦτο μὴ λογιζέσθω. Id est, quisquis curari se non sinit, nec morbo idololatriæ liberari, sibi imputet, cum medicina in promptu sit. Male Christophorsonus hunc locum interpretatur hoc modo: *alteri qui sanari vult, non vitio vertat.* Nam de Portesio nihil dico, qui fere ubique a vero sensu deerrat. Musculus certe hæc non infeliciter vertit.

Ὅπερ πείσας ἑαυτὸν ἀναδέδεκται. In codice Regio superscriptum est eadem manu ἀναδέδεκται. Utrumque certe ferri potest.

Τῆς ἀληθείας πίστιν. Id est, veram fidem. Idem enim est, ac si diceret: τὴν ἀλήθειαν τῆς πίστεως. Sic iterum loquitur in cap. 69 infra.

Τοῦ σκότους ἐξουσίαν. Verba sunt desumpta ex Epistola Pauli. Porro ut hic Hellenismum vocat potestatem tenebrarum, sic alibi, Christianismum vocat lucis potestatem et efficaciam.

Ἐπανάστασις. Hæc vox proprie significat conspirationem ac rebellionem: quod quidem de idolorum cultu optime dicitur. Est enim idolorum cultus, defectio a vero Deo.

Τῆς κοινῆς ἀναστάσεως. Scribendum videtur ἀνορθώσεως. Nam vulgata vox ex superiore linea repetita esse videtur. Porro in fine hujus edicti apposita erat sine dubio hæc subscriptio, de qua superius multa dixi, προτεθήτω ἐν τοῖς ὑμετέροις ἀνατολικοῖς μέρεσι. Hæc enim subscriptio proprie convenit huic edicto, utpote quod missum est ad Provinciales Orientis.

Χρῆμα. In Fuk. Sav. et Turnebi codicibus scriptum inveni χαίροντα, prout Scaliger, Christophorsonus aliique in suis libris repererunt.

Digitized by Google

tionum nostrarum patiantur, nos de criminibus vestris pro merito ipsorum verba facere? Quippe tam gravia sunt et immensa scelera vestra, adeo fœda et omni atrocitate exuberantia, ut ne dies quidem integer ad eorum explicationem sufficiat. Et alioqui ab hujusmodi rebus aures amovere et oculos avertere decet, ne pura ac sincera fidei nostræ alacritas particulari earum expositione violetur. Quid est igitur quod hujusmodi mala diutius toleremus? maxime cum diuturna patientia faciat, ut hi quoque qui sani sunt ac valentes hoc velut pestilenti morbo inficiantur. Quidni ergo hujusmodi improbitatis radices publica animadversione confestim excindimus.

A πεῖν τι κατ' ἀξίαν, οὐτε βραχέος ἐστὶ χρόνου, οὔτε τῶν ἡμετέρων ἀσχολιῶν. οὕτω γάρ ἐστι μακρὰ καὶ ἄμετρα τὰ παρ' ὑμῖν ἀτοπήματα, οὕτως εἰδεχθὴ, καὶ πάσης ἀπηνείας πλήρη, ὡς μὴ δ' ὁλόκληρον ἡμέραν πρὸς ἔκφρασιν τούτων ἀρκεῖν· ἄλλως τε καὶ ἐκκλίνειν τῶν τοιούτων προσήκει τὰς ἀκοὰς, τοὺς τ' ὀφθαλμοὺς ἀποστρέφειν, ὑπὲρ τοῦ μὴ χραίνεσθαι τῇ καθέκαστον διαγήσει, τὴν τῆς ἡμετέρας πίστεως εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν προθυμίαν. τί οὖν ἀνεξόμεθα περαιτέρω τῶν τοιούτων κακῶν; ἀλλ' ἡ μακρὰ παρεκθύμησις, ὥσπερ λοιμικῷ νοσήματι καὶ τοὺς ὑγιαίνοντας χραίνεσθαι ποιεῖ, τίνος οὖν ἕνεκεν τὴν ταχίστην τὰς ῥίζας ὡς εἰπεῖν τῆς τοσαύτης κακίας οὐ διὰ δημοσίας ἐπιστρεφείας ἐκκόπτομεν.

DE TOLLENDIS CONVENTICULIS HÆRETICORUM.

II. Quocirca quando hæc vestræ improbitatis pernicies amplius ferri non potest, præsenti lege interdicimus, ne quis vestrum in posterum conventus agere præsumat. Atque idcirco universa loca in quibus ejusmodi cœtus peragitis auferri præcepimus; eo usque procurrente majestatis nostræ sollicitudine, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus ac locis ullis privati juris, superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur. Itaque, quod longe honestius atque præstantius, quicumque vestrum veræ ac sinceræ religionis studiosi sunt, ad Catholicam Ecclesiam accedant, ejusque sanctitati communicent, cujus ope ad veritatem poterunt pervenire. Absit enim no a felicitate temporum nostrorum perversæ mentis vestræ fraudulenta deceptio, hæreticorum scilicet ac schismaticorum scelerata ac perdita amentia. Dignum est enim prosperitate temporum, qua divino beneficio fruimur, ut qui cum bona spe ac fiducia vitam agunt ab omni inordinato errore ad rectum tramitem, a tenebris ad lucem, a vanitate ad veritatem, a morte denique ad vitam traducantur. Atque ut hujus remedii vis ac virtus necessaria sit, cuncta, uti jam diximus, superstitionis vestræ conciliabula, id est, omnium hæreticorum oratoria, si tamen oratoria dici debent, sine ulla contradictione ipsis adempta, catholicæ Ecclesiæ incunctanter tradi præcepimus; reliqua autem loca publice adjudicari, nec ullam deinceps eo conveniendi licentiam vobis relinqui. Adeo ut a præsenti die nullo prorsus in loco tam publico quam privato illegitimi vestri cœtus audeant convenire. Proponatur.

B II. Τοιγάρτοι ἐπειδὴ τὸν ὄλεθρον τοῦτον τῆς ὑμετέρας ἐξωλείας ἐπὶ πλεῖον φέρειν οὐκ ἔστιν οἷόν τε, διὰ τοῦ νόμου τούτου προαγορεύομεν, μή τις ὑμῶν συνάγειν τοῦ λοιποῦ τολμήσῃ. διὸ καὶ πάντας ὑμῶν τοὺς οἴκους ἐν οἷς τὰ συνέδρια ταῦτα πληροῦτε, ἀφαιρεθῆναι προσετάξαμεν, μέχρι τοσούτου τῆς φροντίδος ταύτης προχωρούσης, ὡς μὴ ἐν τῷ δημοσίῳ μόνον, ἀλλὰ μὴ δ' ἐν οἰκίᾳ ἰδιωτικῇ, ἢ τόποις τισὶν ἰδιάζουσι τὰ τῆς δεισιδαίμονος ὑμῶν ἀνοίας συστήματα συντρέχειν. πλὴν ὅσον περ ἐστὶ κάλλιον, ὅσοι τῆς ἀληθινῆς καὶ καθαρᾶς ἐπιμελεῖσθε θρησκείας, εἰς τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν ἔλθετε, καὶ τῇ ταύτης ἁγιότητι κοινωνεῖτε, δι' ἧς καὶ τῆς ἀληθείας ἐφικέσθαι δυνήσεσθε κεχωρήσθω δὲ παντελῶς τῆς τῶν ἡμετέρων καιρῶν εὐκληρίας, ἡ τῆς διεστραμμένης διανοίας ὑμῶν ἀπάτη. λέγω δέ, ἡ τῶν αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν ἐναγῆς τε καὶ C ἐξώλης διχόνοια· πρέπει γὰρ τῇ ἡμετέρᾳ μακαριότητι ἧς ἀπολαύομεν σὺν Θεῷ, τὸ τοὺς ἐπ' ἐλπίσιν ἀγαθαῖς βιοῦντας, ἀπὸ πάσης ἀτάκτου πλάνης εἰς τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν ἀπὸ τοῦ σκότους ἐπὶ τὸ φῶς, ἀπὸ ματαιότητος εἰς τὴν ἀλήθειαν, ἀπὸ θανάτου πρὸς σωτηρίαν ἄγεσθαι. ὑπὲρ δὲ τοῦ τῆς θεραπείας ταύτης καὶ ἀναγκαίαν γενέσθαι τὴν ἰσχὺν προσετάξαμεν καθὼς προείρηται, ὑπὸ πάντα τὰ τῆς δεισιδαιμονίας ὑμῶν συνέδρια, πάντων φημὶ τῶν αἱρετικῶν τοὺς εὐκτηρίους, εἴγε εὐκτηρίους ὀνομάζειν οἴκους προσήκει, ἀφαιρεθέντας ἀναντιῤῥήτως, τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ χωρὶς τινὸς ὑπερθέσεως παραδοθῆναι. τοὺς δὲ λοιποὺς τόπους τοῖς δημοσίοις προσκριθῆναι. καὶ μηδεμίαν ὑμῖν εἰς τὸ ἐξῆς τοῦ συναγαγεῖν εὐμάρειαν περιλειφθῆναι· ὅπως ἐκτὸς ἐνιστώσας ἡμέρας, ἐν μηδενὶ τόπῳ μή τε δημοσίῳ μή τ' ἰδιωτικῷ, τὰ ἀθέμιτα ὑμῶν συστή- D ματα ἀθροισθῆναι τολμήσῃ. προτεθάτω.

VALESII NOTÆ.

Μακρὰ παρεκθύμησις. Forte παρενθύμησις, id est, negligentia et dissimulatio. In codice Fuk., Savil. ac Turnebi ὑπέρθεσις legitur. Paulo post scribo ex codice Fuk. διὰ δημοσίας ἐπιστρεφείας.

Ὑπὸ πάντα τὰ τῆς δεισιδαιμονίας. Prima vox delenda est utpote superflua. In Fuk. Sav. et Turnebi codicibus legitur ἐπὶ πάντα. forte ἐπίκαν τὰ, etc.

Ἀφαιρεθέντας. Male Christophorsonus vertit *diruta*. Neque enim Constantinus basilicas hæreticorum dirui jubet, sed ipsis adimi et Ecclesiæ Catholicæ tradi. Similes sunt Imperatorum Constitutiones in codice Theodosiano, titulo de hæreticis. Porro ab hac Constantini lege excepti prius fuerant Novatiani, ut patet ex lege 2, eodem titulo. Verum hac ultima Constantini sanctione, una cum ceteris hæreticis et schismaticis comprehensi sunt,

Τοῦ συναγαγεῖν. Rectius in codice Fuk. scribitur τοῦ συνάγειν. Nam συνάγειν proprium est hujus rei vocabulum. Latini uno verbo dicunt *colligere*, ut plurimis exemplis probari potest. Unde et *collecta* ab iisdem dicta, quæ Græce σύναξις Optatus in libro 2, ubi de Episcopis Donatistarum in urbe Roma loquitur: *Sed quia quibusdam Afris urbica placuerat commoratio, et hinc a vobis profecta videbantur, ipsi petierunt ut aliquis hinc qui illos colligeret mitteretur.* Et paulo post: *Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, et quod excurrit, basilicas, locum, ubi colligerent non habebant.*

Τολμήσῃ· προτεθάτω. Ultimam vocem non intellexit Christophorsonus, quæ legibus et Constitutio

DE MAGISTRATIBUS MUNICIPALIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Florentinum P. P. Decuriones ad Magistratum, vel exactionem annonarum ante tres menses, vel amplius nominari debent, ut, si querimonia eorum justa videatur, sine impedimento in absolvendi locum aliis subrogetur. *Dat. Id. April. Constantinop., Severo et Rufino Coss.* (323) (*Ex Cod. Just.*).

Anno Domini 324.

Crispo III *et Constantino* III *Cæss. Coss.*

DE HIS QUI NUMERO LIBERORUM [a] VEL PAUPERTATE EXCUSATIONEM MERUERINT [b].

Imp. Constantinus A. Dalmatio Quoniam cognovimus nonnullos vacationem a nobis personalium munerum impetrasse, alienos pro suis liberis [c] nostris conspectibus offerentes, jubemus eos, eum hoc probatum sit [d], indulto beneficio privari, eos autem, qui cujuscumque sexus liberos quinque habeant [e], impetrata semel vacatione potiri [f], ita ut, si in hoc numero filius legitimæ ætatis [g] inveniatur, obeundis [h] statim pro suo patre muneribus applicetur [i]; patribus qui filios vel filias quinque habuerint, promissa legibus [j] immunitate servanda. § 1. Quod si quis propter censum tenuem [k] vacationem meruerit, atque hoc probaverit, beneficio potiatur, si [l] propter rerum angustias ad personalia vocabatur [m] obsequia. *Dat.* XIV. *Kal. Febr. Sirmio* [n], *Crispo* III. *et Constantino* II. [o] *Coss.* (324).

DE NAVICULARIIS.

Imp. Constantinus [p] *A. Elpidio*..... [q] Ex quocumque Hispaniæ littore portum urbis Romæ naviculariі navis [a] intraverit, quæ onus dumtaxat fiscale subvexerit, eamdem sine interpellatione cujusquam [b] abire præcipimus, nec ulli extraordinario oneri deservire, ut facilius injuncta sibi possit implere obsequia. *Dat.* VIII. *Id. Mart. Thessalonicæ, Crispo* III *et Constantino III* [c]. *Coss.* (324).

DE EXORDINARIIS SIVE SORDIDIS MUNERIBUS.

Imp. Constantinus A. ad edictum Chalcedoniensium et Macedoniensium [d]. Quotiescumque aliquam adscriptionem fieri necesse est, rectorum consiliis et dispositione [e] unijuscujusque civitatis fiat adscriptio, ne libidini et commodo potiorum multitudo mediocrium subjecta gravibus et iniquissimis afficiatur injuriis. *Acc.* VIII. *Kal. Maii Crispo* III. *et Constantino* III. [f] *AA. Coss.* (324).

DE INFIRMANDIS HIS QUÆ [g] SUB TYRANNIS AUT [h] BARBARIS GESTA [i] SUNT.

Imp. Constantinus [j] *A. ad Constantium Pf. P.* Remotis Licinii [k] tyranni constitutionibus et legibus, omnes sciant, veteris juris et statutorum nostrorum [l] observari debere sanctionem. *PP.* XVII. *Kal. Jun.* [m] *Crispo* III. *et Constantino* [n] III. *Cæss.* [o] *Coss.* (324).

DE DECURIONIBUS.

Constantinus A. ad Hilarianum Proconsulem Africæ. Si quis decurio vel propriæ rei caussa vel rei publicæ cogatur nostrum adire comitatum, is non ante discedat, quam insinuato judici desiderio proficiscendi licentiam [p] consequatur. Quod si pro sua audacia parvi aliquis hanc fecerit jussionem, deportationis exitum [q] sortiatur. *PP.* VII. [r] *Id. Jul. Karthagine, Crispo* III. *et Constantino* III. [s] *Coss.* (324).

nibus principum addi solebat, idque interdum manu ipsorum. Sic in novella Theodosii de reddito jure armorum legitur: *Et manu divina, Proponatur amantissimo nostri populo Rom.* Et ad latus *Data* 8 *Calend. Julias Romæ Valentiniano et Anatolio Coss.*

[a] 4 *De his qui numero libero liberorum.*

[b] Cod. Just. *meruerunt.*

[c] Go.: « Sustineri potest: malim tamen, *liberos.* »

[d] Go.: « Probatum fuerit. »

[e] 4, Til. *habeat.* Cod. Just. inc., *Eos, qui c. s. l. q. habent.*

[f] 4 *potiris*, sed del. *s.* Cod. Just. *potiri convenit: ita ut.*

[g] Cod. Just. *ætatis legitimæ filius.*

[h] 4 *obeundi*, rubro col. add. *s.*

[i] Apud Go. desunt *applicetur—legibus*, err. typ.

[j] Julia et Papia.

[k] Cod. Just. *tenuiorem.*

[l] Be. cj. *nec*, ut Hal. Cuj. in c. 6 Cod. Just. cit.

[m] Go. cj. in not. *vocabitur*, probb. Be. et Spangenb.; Cod. Just. *vocatur*, Hal. Cuj. *vocetur.* Sed faciendum esse duco cum Go., qui in comment. vulgatam scripturam ita interpretatur: « *Si propter rerum angustias* et pensandis muneribus patrimonialibus *ad personalia hactenus vocabatur obsequia*, id est personalibus muneribus subjectus fuit, vacatione plenissima et *beneficio deinceps potiatur.* »

[n] Be. Cod. Just. *Sirmii.*

[o] Be. rep. vult III. Go. in Chron. h. c. bis profert, ad ann. 321 et 324. Si illud accipitur, numerus III. mutandus est in II., neque vero II. in III. Vid. etiam Reland. l. c. pag. 317. Ri. *Constantino.*

[p] Vid. supra not. *c.*

[q] 4, edd. *Helpidio.* Vid. C. Th. II, 8, 1, not. *y. Vicarium* addi vult. Be. auct. Go. Nec in cod. 4, nec in edd. lacuna ullo modo indicatur.

[a] Fol. 306 [b] cod. 4.

[b] Cf. c. 5 h. t., § 1.

[c] Be. in not. add. *Cæss.*

[d] 4 *Calcedoniensium et Machedoniensum.* Go. in Chron. *Chalcedonensium.* Go. *Macedoniensium* non vult temere mutari in *Nicomediensium*, neque rescribendum esse putat *Edictum ad Chalcedonienses et Macedonienses*, recte. Vid. Wenck. ad C. Th. V, 14, 1, not. *u.* Notatu digna sunt, quæ Reines. annot.: « Legendum, inquit, *ad Ecdicum.* Ἔκδικος, magistratus appellatio. Vide quæ notavi ad Lex. Jur. et Paetr. de mag. munic. c. 9. »

[e] Cuj 2, 2° mend. *dispositione.*

[f] Mendose Go. om. *et Constantino* III.

[g] Nonn. codd. *qui.*

[h] 20 *vel.* Sich. *ac*, sed in ind. tit. *aut.* 5 om. *aut — sunt.*

[i] 12 *distracta sunt.*

[j] Cuj. 2, 2° *Constantius*, err., quem Rein. tollit.

[k] 4, Til. — Ri°. *Licini.* Go.: « *Licinl*, id est Licinii; quæ orthographia *hujus Codicis.* » De eodem et proximas tres leges intelligendas esse, recte Be. dicit. Vid. not. *u* et *a.*

[l] 4 *nostrorum nostrorum*; quorum. v. ultimum del. rubr. col.

[m] Go. in Chron. prop. *Jan.*

[n] Rein. corr. *Constantio.* Aur. Lugd. om. *et Constantino* III. Mox ibi scribitur *Cons.*

[o] Ita 4, Til. — Lugd. et Be.; Cuj. 2 — Ri°. *Cæs.*

[p] In literis *tiam* incip. fol. 221 [b] cod. 4.

[q] Go. em. *exitium* vel *exilium.* c. 1. C. Th. ad L. Juliam de Ambitu (IX, 26) *exilium deportationis.* Cod. Just. *jussionem in dignitationem competentem sortiatur.*

[r] Go. in Chron. VIII.

[s] Ita etiam Cod. Just., sed Cuj. *et Constantino A.* VII. *et Constantio Cæs. Coss.* Be. addi vult CC. Cæte-

Digitized by Google

SI PER VIM, VEL ALIO MODO ABSENTIS PERTURBATA SIT POSSESSIO.

Imp. Constantinus A. Severo. Judices absentium, qui cujuslibet rei possessione privati sunt, suscipiant in jure personas, et auctoritatis suæ formidabile ministerium objiciant: atque ita tueantur absentes, ut id solum diligenter inquirant, an ejus, qui quolibet modo peregrinatur, possessio ablata sit, quam propinquus, vel parens, vel proximus, vel amicus, vel colonus, vel libertus seu servus quolibet titulo retinebat; nec eos, qui dejecti sunt, absentium nomine possidentes, quia minime ipsis decisio causæ mandata sit, ab experiunda re secludant: nec, si servi sint, eorum rejiciant in jure personas, quia hujusmodi conditionis hominibus causas perorare fas non sit. Sed post elapsa quoque spatia recuperandæ possessionis legibus præstituta, litigium eis inferentibus largiri convenit: ut eos momentariæ perinde possessioni (sine ulla cunctatione) restituant, ac si reversus dominus litigasset. Cui tamen (domino) quolibet tempore reverso, actionem possessionis recuperandæ indulgemus; quia fieri potest ut restitutio propter servos infideles, vel negligentes propinquos, vel parentes, vel proximos, vel amicos, vel colonos, vel libertos interea differatur. Absentibus enim officere non debet tempus emensum, quod recuperandæ possessioni legibus præstitutum est: sed reformato statu, qui per injuriam sublatus est, omnia quæ supererunt ad disceptationem litigii immutilata permaneant: judicio servato justis legitimisque (absentibus) personis: cum valde sufficiat possessionem tenentibus absentium nomine contra præsentium violentiam subveniri. *Dat.* 10. *Calend. Novembr. Constantinop. Constantino* VII *et Constante C.* III *Coss.* (324) (*Ex Cod. Just.*).

ANNO Domini 325.
Paulino et Juliano Coss.

DE INFIRMANDIS.

Constantinus A. ad universos Provinciales. Tyranni [a] et judicum ejus gestis infirmatis, nemo per calumniam velit [b] quod sponte ipse [c] fecit evertere [d], nec quod legitime gestum est [e]. *Dat. prid. Id. Febr.* [f] *Paulino et Juliano Coss.* (325.)

DE OFFICIO VICARII.

Imp. Constantinus A. ad Silvium..... [g] *Paullum mag. Italiæ* [a]. *Post alia:* Ne [b] tua gravitas occupationibus aliis districta hujusmodi rescriptorum cumulis oneretur, placuit has solas causas gravitati tuæ injungere, in quibus persona potentior inferiorem aut minorem judicem premere potest, aut tale negotium emergit, quod in præsidiali judicio terminari fas non est, ut, quod [c] per eosdem præsides diu tractatum [d], apud te debeat [e] terminari. *Dat. V. Kal. Mart. Nicomediæ, Paullino et Juliano Coss.* (325).

DE HIS QUÆ [f] EX PUBLICA COLLATIONE ILLATA SUNT NON USURPANDIS.

Imp. Constantinus A..... [g] Nullus judicum id [h], quod a re publica ex collatione susceperit, mutui interventione opposita vel invadat, vel conetur invadere. *Dat. prid. Non. Mart. Treviris* [i], *Paullino* [j] *et Juliano Coss.* (325).

DE POSTULANDO.

Imp. Constantinus A. Helladio. Sæpius clariusque...[k] advocatis existimationi suæ immensa atque illicita compendia prætulisse [l], nomine honorariorum [m], *ex ipsis negotiis, quæ tuenda susceperint, emolumenta sibi certæ partis cum gravi damno litigatoris et deprædatione poscentes* [n]. *Placuit igitur* [o], *ut omnes, qui in hujusmodi conditionis hominibus causas perorare fas non sit. Sed post elapsa quoque spatia recuperandæ possessionis legibus præstituta, litigium eis inferentibus largiri convenit: ut eos momentariæ perinde possessioni (sine ulla cunctatione) restituant, ac si reversus dominus litigasset. Cui tamen (domino) quolibet tempore reverso, actionem possessionis recuperandæ indulgemus; quia fieri potest ut restitutio propter servos infideles, vel negligentes propinquos, vel parentes, vel proximos, vel amicos, vel colonos, vel libertos interea differatur. Absentibus enim officere non debet tempus emensum, quod recuperandæ possessioni legibus præstitutum est: sed reformato statu, qui per injuriam sublatus est, omnia quæ supererunt ad disceptationem litigii immutilata permaneant: judicio servato justis legitimisque (absentibus) personis: cum valde sufficiat possessionem tenentibus absentium nomine contra præsentium violentiam subveniri. Dat. 10. Calend. Novembr. Constantinop. Constantino* VII *et Constante C.* III *Coss.* (324) (*Ex Cod. Just.*).

ANNO Domini 325.
Paulino et Juliano Coss.

DE INFIRMANDIS.

Constantinus A. ad universos Provinciales. Tyranni [a] et judicum ejus gestis infirmatis, nemo per calumniam velit [b] quod sponte ipse [c] fecit evertere [d], nec quod legitime gestum est [e]. *Dat. prid. Id. Febr.* [f] *Paulino et Juliano Coss.* (325.)

DE OFFICIO VICARII.

Imp. Constantinus A. ad Silvium..... [g] *Paullum*

rum Cod. Just. *Carthag.* et Aur. Lugd. *Cons.*

[a] Licinii. Infra Aur. Lugd. *infirmitatis.*

[b] 4 *velid.* Til. — Ri°, *vel id.* Recte Be. de cj. Go. ed. *velit*, quod consentaneum est orthographiæ codicis. Vid. not. *y* sq. et infra XVI, 8, 19, not. *h.*

[c] Ita 4; *ipse sponte* est in Til. — Cuj. 2°. Ri. — Be-; Go. om. *ipse.*

[d] Fol. 389 [a] cod. 4.

[e] In cod. 4 post *est* add. asteriscus rubro col. Eodem loco est asteriscus in edd. Til. — Cuj. 2° (*est.*°). Putabant enim primi editores scriptura *vel id* inducti (vid. not. *uu*), deesse aliquid in extrema lege. Jam oratio absoluta est.

[f] Go. in Chron. h. c. *Nicomediæ* datam esse putat. 4, edd. *Paulino.*

[g] Ita 5. Exciderunt ergo in extremo versu novem literæ post *Silvium*, ex quibus apparet, mendosam esse scripturam. Post Silvium videtur in C. Th. in-

[a] *Mag.* significare potest et *magistrum* quod W. ed., et *magistratum*, quod Pu. habet. Utrumque videtur dubium esse, nam *Magistri Italiæ* nusquam mentio fit, et quod ad *magistratum* attinet, erant sane in partibus Italiæ magistratus, ut consulares, rectores, *magistratum* autem *Italiæ*, pro dignitate ipsa, v. c. consulari, correctoris in inscriptionibus legum poni, non recordor. Cl. *Vicarium Italiæ*, quod nimis a sigio codicis remotum est. Fortasse in codice scriptum erat *pm̃*, ex quo librarius fecit *paulum mag.* Hanc cj. probabilem facit non solum v. *gravitas tua*, sed etiam illud, quod hujus a. nullus alius præfectus prætorio Italiæ cognitus est. Tamen in re dubia acquiescendum esse putavi in ipsa scriptura codicis.

[b] 5 *De.*

[c] 5 *quos.* Pu. *qua.*

[d] Ba. cj. *tractum.* Sed vid. c. 4, 10, 12, 13 C. Th. de Legatis (XII, 12).

[e] 5 *debeant.* Pu. errore typ. *debet*, imp. Schro.

[f] 4 *qui*, rubro col. em. *quæ.*

[g] Deest etiam in Cod. Just. is ad quem h. c. data est. Error igitur videtur ipsi Codici Th. insitus esse. Vid. not. *m.*

[h] Cod. Just. om. *id.*

[i] Cod. Just. *Treveris.* Treviris non fuit hoc anno Constantinus M., verum in Macedonia et in Bithynia. Go. igitur et Bou. l. c. p. 746 habent *Dat.* pro *Reddita* scil. Pf. P. Galliarum.

[j] 4, edd. Cod. Just. *Paulino.* Fol. 285ª cod. 4.

[k] Desunt hoc loco, serie literarum cod. 4 a P. exhibiti spectata quinque litteræ, etsi P. lacunam tribus tantum punctis indicat. P. quem Pu. secutus est, supplet *accidit*, impr. W., qui prop. *noscuntur* s. *inveniuntur advocati*, contra scripturam cod., qui habet *advocatis.* Ego, quoniam nihil inveniri posse videtur, quod conveniat, codicem repræsentavi. Cod. Just. *Si qui advocatorum existimationi.*

[l] Cod. Just. add. *sub.*

[cc] Multi codd. *in fraude.*

[a] 10, 18, Sich. *docentur.* 33 *ducentur.*
[b] Ita nonn. codd. Vid. c. 5. C. Th. de Admin. tut. (III, 30) not. *q.*
[c] Ita plerique codd., Sich.—Ri*.; B. W. *Sirmii.* Mox nonn. codd. VI, 26. 40 om. *Sirmio—Coss.*
[d] 6, 7, 14, 34 om. *Const. C.* IV., 16 om. *et—Coss.*, alii 9, 15, 19, 20, 29 — 31, 42, Sich. *Const.* et IV. 10, 18 om. *Cæs.* IV. Til.—Be. *Constantino*, sed Be. in not. prop. nostram lectionem ex Go. in Chron. h. a.
[e] 9, 42, 44 *et Cæsario* Cod. Just. *Constantio* II. *et Constante CC. Coss.* (339), quæ lectio repugnat subscriptt. reliquarum constitt. cum hac c. conjungendarum et c. 2 h. t., quæ ita fieret antiquior prima constitutione. Vid. Glück:. l. c. T. XXXII, p. 476, not. 26.
[f] In hoc v. desin. fol. 25 cod. 24 exc. proximum fol. cum c. 2 et 3 h. t.
[g] 20 *que si m.*, sed *si* add. supra lin.
[h] 20, Sich. *quicquam*, sed Sich. in m. *quicquid.*
[i] Nonn. codd., ut 9, 44 *tali.*
[l] W. contra eos, qui orationem Severi pro parte servatam l. 1. § 2 D. de Reb. eor., qui sub tut. v cur. s. (XXVII, 9) h. l. intelligunt, producit Hauboldi Diss. Histor. jur. civ. de reb. eor. etc. (Lips. 1798. 4.) cap. 2 § 1, p. 27 — 29 (Opp. T. 2, p. 184—190). Cæterum in sqq. W. annotationes quanquam breviores retinui.
[k] Sine dubio Constantinus scripserat *ante nuptias*, cum nomen *donationis propter nuptias* per Justinianum demum invaluerit.
[l] W., cui hæc in servos, præsertim *malos*, vix quadrare videntur, cj. *observabuntur.*

Digitized by Google

duritia vel inedia atque verberibus eos afficiat. Nec enim A *dominos exsecrantur, sed magis diligunt, ita ut hæc lex per hoc quoque melior antiqua sit. Tunc enim remota servorum custodia, etiam vita minorum sæpius prodebatur. Nec vero domum vendere liceat, in qua defecit pater, minor crevit, in qua majorum imagines aut non videre fixas aut revulsas videre satis est lugubre. Ergo et domus et cætera omnia immobilia in patrimonio minorum permaneant, nullumque ædificii genus, quod integrum hæreditas dabat, collapsum tutoris fraude depereat. Sed et si parens vel ille, cujuscumque hæres est minor, reliquerit deformatum ædificium, tutor testificatione operis ipsius et multorum fide id reficere cogatur : ita enim annui reditus plus minoribus conferent, quam per fraudes pretia diminuta.*[a] *Servi etiam, qui aliqua sunt arte præditi, operas suas commodo minoris inferant, et reliqui,* B *qui in usu minoris domini esse non poterunt, quibusque ars nulla est, partim labore suo, partim alimoniarum taxatione pascantur*[b]. *Lex enim non solum contra tutores, sed etiam contra feminas immoderatas atque intemperantes prospexit minoribus, quæ plerumque novis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt. Huic accedit, quod ipsius pecuniæ, in qua robur omne patrimoniorum veteres posuerunt, fœnerandi usus vix diuturnus, vix continuus et stabilis est ; quo subsecuto, intercidente sæpe pecunia, ad nihilum minorum patrimonia deducuntur. Jam ergo venditio tutoris nulla sit sine interpositione decreti : exceptis his duntaxat vestibus, quæ detritæ usu seu corruptæ servando servari non potuerint,* [c] *etiam tutore* [d] vel curatore sollicito, ut easdem inspiciat frequenti recognitione incolumes Animalia quo- C que supervacua minorum [e] quin veneant, non vetamus. *Dat.* III [f]. *Id. Mart. Sirmii* [g], *Constantino A.* VII. *et Constantio* [h] *Cæs* [i]. *Coss.* (326).

[a] Bas l. c.: κρεῖττον γάρ ἐστι τῷ ἀνάβῳ ἡ πρόστοδος, τῶν τοῦ τιμήματος ἀργυρίων. Rusardus *prædia demolita*, perperam.

[b] Bas. : ἢ διὰ τῶν διαρίων αὐτῶν ἀποτρεφέσθωσαν, i. e. certa singulis diebus, alimenta accipiant. In sequentibus nova periodus incipit : nam vv. *Lex enim* etc. non tantum ad proxime præcedentia, sed ad omne legis argumentum spectant. Bas. καὶ οὐ μόνον,

[c] Hic in Cod. Just. statim sequuntur vv. *Animalia* etc. Sed folium Taurinense, incipiens a v. *vel*, probat, aliquid in Cod. Just. esse omissum. Cum tamen v. *easdem* manifesto ad *vestes* sit referendum, recte Winkius insertis duobus vocabulis, quæ typis distincta sunt, nexum per conjecturam restituit.

[d] Postrema legis pars in c. 4 Cod. Just. Quando decr. D op. non e. (V, 72) sic concepta est : *Et sine interpositione decreti tutores et curatores quarumcumque personarum vestes detritas, et supervacua animalia vendere permittimus.*

[e] Sic cod. 1. Cod. Just. *quamvis minorum*. Fort. leg. *An. min. quominus ven., n. v.*

[f] Ita cod. 1, sed Cod. Just. utroque loco (c. 22 et c. 4 citt.) et c. 1 C. Th. de in int rest. (II, 16) om. 3.

[g] Cod. 1. *Sir.* P. Pu. *Sirmi* W. *Sirmii*, ut c. 1 C. Th. cit., sed Cod. Just. utroque loco *Constantinovoli*, quod W. recte putat errore librariorum e nominibus seqq. ortum esse.

[h] Ita cod. 1 et c. 4 Cod. Just. cit. ; sed c. 22 Cod. Just. cit. *Constantino*, mendose. Cæterum literæ *cogni* (recognitione), *quin v* (eneant), *A VII. e* (t) a membrana Taurinensi avulsæ a P. restitutæ sunt e Cod. Just.

[i] c. 4 Cod. Just. add. *IV.*

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSO.

Imp. Constantinus A. [a] *ad Maximum Pf. U.* Cum in præterito is mos in judiciis servaretur, ut prolatis instrumentis, si ea falsa quis diceret, a sententia judex civilis controversiæ temperaret eoque contingeret, ut imminens accusatio nullis clausa temporibus petitorem [b] possessoremve deluderet, commodum duximus, ut, etsi alteruter litigantium falsi strepitum intulisset, petitori tamen possessorive momentum prolatorum instrumentorum [c] conferet auctoritas ; ut tunc [d], civili Jurgio terminato, secunda falsi actio subderetur § 1. Volumus itaque, ut primum cesset [e] inscriptio. Sed ubi falsi examen inciderit, tunc ad morem pristinum, quæstione civili per sententiam terminata [f], acerrima fiat indago argumentis testi- B bus, scripturarum collatione aliisque vestigiis veritatis. Nec accusatori tantum quæstio incumbat, nec probationis ei tota necessitas indicatur [g], sed inter utramque personam sit judex medius, nec ulla, quæ sentiat, interlocutione divulget [h], sed tanquam ad imitationem relationis, quæ solum audiendi mandat [i] officium, præbeat notionem, postrema sententia, quid sibi liqueat, proditurus. § 2. Ultimum autem finem strepitus criminalis, quem litigantem disceptantemque fas non sit excedere [j], anni spatio limitamus, cujus exordium testatæ apud judicem competentem actionis nascetur auspicium : capitali post probationem supplicio, si id [k] exigat magnitudo commissi, vel deportatione ei, qui falsum commiserit imminente. *PP.* VIII. *Kal. April. in Foro Trajani, Con-* C *stantino A.* VII. *et Constantio* [l] *C. Coss.* (326).

DE SUARIIS PECUARIIS.

Imp. Constantinus A. Lucrio Verino... [m] In arbitrio suo possessor habeat, ne suario pecuniam solvat. Quod ideo permissum est [n], ne in æstimando porcorum

[a] Ex Cod. Just. reponendum *Id. A.*

[b] Fol. 29 [b] cod. 4.

[c] 4 *strumentorum*, sed em. rubr. col.

[d] Be. err. *nunc.*

[e] Hinc inc. *c.* 22 Cod. Just. cit.

[f] Vv. *ad morem—terminata* des. in c. 22 Cod. Just. Recepta sunt in c. 23 Cod. Just. eod. Vid. c, 4 h. t., not. *n.*

[g] 4 *indigatur*, sed em. a rec. man.

[h] 4 *ullaq.*, Cod. Just. *nec ulla interl. div. quæ sentiat.*

[i] Til.—Lugd. *mandato officium præbeat.*

[j] Cod. Just. *criminalis compendioso spatio limitamus quem lit.—excedere, cujus exordium nascetur auspicio* (ita etiam Cuj. 2—Go.) *contestatæ* (prob. Go. in comm.) *accusationis apud judicem competentem : post probationem supplicio capitali, si id.* etc.

[k] Fol. 30 [c] cod. 4.

[l] Go. — Ri°. Cod. Just. om. ann., quia Maximus h. a. Pf. U. non reperitur. In not. rep. vult Go. consules anni 320. Quæ Be. ann. : « VI. *et Constantino Cfr.* vult ; et sane 326. Maximus Pf, P. jam fuit. Quod si recta sit hæc subscr., statuamus necesse est, legem inscrib. esse Pf. P. præterea autem missam quoque ad Pf. U. » ea ego non intelligo. Videtur lex alio anno data, alio in Foro Trajani proposita esse.

[m] Dignitas deest in codd. et in edd. nullo lacunæ indicio. Go. Rein. Be. ad. volunt *Pf.* U. Vid. not. *e.*

[n] Go. : « Permittimus. »

Digitized by Google

pondere licentia suariis præbeatur. Quod si juste porcos suarius æstimaverit, huic pecuniam possessor, cui pensitationis utriusque [a] copia est indulta, numerabit [b]. Ne autem suario in suscipienda pecunia detrimenti [c] aliquid afferatur, singulis quibusque annis ea pretia porcinæ possessor annumeret, quæ usus publicæ conversationis attulerit. Et quoniam non semper, nec in omnibus locis una est forma pretiorum, pro diversitate locorum est [d] temporum in specie [e] pretia danda sunt, nisi ipsa porcina præstetur. Judices autem [f] regionum monendi sunt, ut per singulos annos ad scientiam [g] tuam referant, quæ in quibus locis sunt pretia porcinæ, ut, instructione hac a tua gravitate perpensa, tunc demum [h] suarii per diversa proficiscantur, et pretia suscipiant, quæ in his regionibus versari cognoveris. Queri [i] enim suarii non poterunt, quia nihil interest, carius an vilius comparent, cum quantum [j] pretium daturi sunt, a possessore accipiant; et possessores erunt moderati in specie distrahenda, cum se sciant quanto majora pretia pro carne poposcerint, tanto plus suariis soluturos. *Dat.* III. *Id. April. Constantino A.* VII. *et Constantio C. Coss.* (326).

DE EMENDATIONE SERVORUM.

Idem[k] *A.*[l] *Maximiliano*[m] *Macrobio*[n]... Quoties ver- A bera [a] dominorum talis casus servorum comitabitur, ut moriantur [b], culpa nudi [c] sunt, qui, dum pessima corrigunt, meliora suis acquirere vernulis [d] voluerunt [e]. Nec [f] requiri [g] in hujus modi facto volumus, in quo interest domini [h] incolume juris proprii habere mancipium, utrum voluntate occidendi hominis an vero simpliciter facta castigatio videatur. Toties etenim [i] dominum non placet morte [j] servi reum homicidii pronuntiari, quoties simplicibus quæstionibus domesticam exerceat [k] potestatem. Si quando igitur servi plagarum correctione [l], imminente [m] fatali necessitate, rebus humanis excedunt [n], nullam metuant [o] domini quæstionem. *Dat.* XIV. [p] *Kal. Maii* [q] *Sirmio* [r], *Constantino* [s] *A.* VII. *et Constantio* [t] *C. Coss.* (326).

INTERPRETATIO. *Si servus, dum culpam dominus vin-* B

[a] Go. : « Alterutrius. »

[b] Go. : « Si volet. »

[c] Cuj. 2, 2° *detrimenta*. Rein. corr. *detrimenti*. Go. *deferatur* pro *adferatur*.

[d] In literis *locorummette*.. desinit fol. XXXIX. cod. 4. Vid. c. 18 antec. tit., not. sup. Cuj. 4 *Diversitate*.

[e] Vid. not. sup. h. c. Go. : « Pro specie. »

[f] Fol. 337 [b] cod. 4.

[g] 4 *adscient ad scientiam*, sed rubro col. del. *adscient*.

[h] 4 *tuncdemsuarii*. Ri [a]. *nunc* pro *tunc*.

[i] 4 Til.—Lugd. *Quæri*.

[j] 4 *quatum pretium*.

[k] Aur. Lugd. *Cons.* Go., quia Lucrius Verinus annis 323,324 Pf. U. fuit, anno autem 326 Anicius Julianus illum magistratum gessit, hanc c. ad annum 324 transferri vult. Etiam Be.. Go. secutus, subscriptionem falsam esse putat.

[l] Brevarii codd. et Sich. nomen imperatoris ponunt.

[m] Restitui *Maximiliano*, nam ita habent codd. 1, 4, veri igitur C. Th. quæ supersunt duo exempla; habent ita etiam codd. 13, 15 (et hic cod. sæpe concinit cum viri C. Th. exemplis), 29, 37, 38 (sed hic *ad Maximiliano*), 40, 42, Til. — Lugd. Go. in Chron. ex cod. 4. Similiter 21 *ad Max æmilianum*. Cuj. 2 — Be *Maximiano*. Maximiliano Consulari inscribitur c. 1 C. Th. de Aquæd. (XV, 2), ubi Go. ann. : « An D idem ille, qui *Maximilianus Macrobius* dicitur, cuique inscribitur *lex* 2 *supr. de emend. serv.*? Sed et *Julius Maximilianus Comes* memoratur in *veteri Inscriptione*, quæ in Cœlio monte Romæ, quam ipse in gratiam Helenæ matris Constantini, Aviæ Constantis et Constantii, fecit. Extat ea in *Corpore Inscriptionum Gruteri* CCLXXXIV. 1. » Constat ergo ex his locis liquido, nomen Maximiliani non ignotum fuisse Romanis, et a librariis demum depravatum esse in *Maximiano*, *Maximo*, *ad Maximianum* (ut Sich.) et *ad Maximum*. Cæterum 20, 27, 32, 33, 37, 39, 43 ad *et* (*ad Maximum et Macr.* aut *ad Maximianum et Macrobium*, ut Sich.)

[n] Etiam hoc nomen a librariis depravatum est; nam 6 — 8, 12, 16 habent *Nirotio*; 10, 18 *Nirutio* et 14 *Nirocio*; 25 *Magroino*; 26 *Machoronio*; 40 *Nicrovio*; 1, 20, 32, 38, 43 *Macrouio*; 13 *Macrobii*.

[a] 12 *verba* et mox nonn. codd. *tales*.

[b] 10, 18 *morientur*. 4, 12 *moriatur*.

[c] Sich. *culpandi sunt*.

[d] Ita omnes codd. etiam 4, nam P. ann. : « *Vernu* ***. Erat ergo *vernulis* » etc solus cod. 4 habet *vernullis*, sed rubro em. *vernulis*. Quod nonn codd. *vernolis* habent, id ad orthographiam tantum pertinet. Etiam Sich. — Lugd. *vernulis*. Cuj. 2 — Be. malo *vernaculis*. Invenit tamen Go. rationem, qua explicaret v. *vernaculis*, neque vero eam accipio.

[e] 12 *voluerunt*. 13 *voluerant*. 20 *voluerint*, sed em. *voluerunt*.

[f] Ita codd. (inter eos cod. 1) et Sich., prob. W. Solus cod. 4 *Nam*, quod transiit in edd. Til. — Be. Retento. *Nam* hac lege suppletur c. 1 h. t., recepto *Nec* ea corrigitur. Nam si servus *verberibus* correctionis causa castigatus *imminente fatali necessitate* mortuus sit, non inquirendum esse edicit imperator, utrum voluerit dominus servum occidere an castigare tantum et corrigere. C

[g] 4 *requirere*, sed em. *requiri*. 6 om. *in*.

[h] 12 om. *in quo* et 10, 18 *domini*. 6, 7, 10, 18 *incolumi*. 20 *voluimus* — *incolomis*.

[i] Fol. 19[a] cod. 4.

[j] Sich. *Toties e. n. pl. d. morte*. 15 om. *morte*.

[k] 12 *dominicam exerc*. 9 *exercitata*. 15 *exercet*.

[l] 6 — 8, 10, 12—16, 18 *correptione*.

[m] Sich. *servi, pl. corr. imminente, fatali nec reb*. In Til. — Cuj. 2° h. l. nullum ponitur comma. 20 *imminenter*. 4 *fa tali*, sed videtur una litera erasa esse.

[n] 20 *excluduntur*.

[o] 8 *metuunt*.

[p] 6 — 10, 12, 16, 18, 20, 21, 24, 27, 29 — 31, 33, 34, 38, 39, 42, Epit. Mon om. XIV. 13 XIII. 36, 40 XI. Sich. XII. 35. *Dat.* II. *kal. octob. Agrippinis Valentiniano et Valente Coss.* ex c. un. C. Th. Ne damna prov. (XI, 11). L. R. U. *Dat.* X. In cod. 1 subscriptio legis a Peyrono legi non poterat. Corruptissima est in codd., ut jam Ri. monuit. Vid. hanc et sqq. not.

[q] Ita 4, 6, 7, 10, 13, 15, 18, 43, Til. — Lugd. Go. — Ri* in Chron.; L. R. U. *Mad.* Rell. *Mart.*

[r] Codd. *Sirmio*, *Sermio*, *Syrmio*, non *Sirmii*, ut Be. 21 *fir.* 4. 15, Til. — Lugd. om. *Sirmio* et 8 *Sirmio Constant.*

[s] 6, 7, 10, 12, 14, 16, 18, 21, 24, *Constantio A* (*A.* deest in nonn. codd.) *et Quinto* (*s. et V. s. V.*) *Coss.* et des. rell. 13 VI. Sich. *C. A. V.* 29 om. VII.—*Coss.* 20, 38, 42 VII. — *C.*, 30, 31, 39 A. — *C.*, 33, 34 *et Const. C.*, 40 VII. et *C.* et Sich. *C.*

[t] Nonn. codd., inter eos 4, Til. — Ri*. *Constante*, alii *Constantino*. Recte igitur Ri. auctore Pagio Dissert. Hypat. et in Crit. ad Annal. Baron. ad ann. 326 vituperat illas codicum corruptelas partim apud Ba-

Digitized by Google

dicat, mortuus fuerit [a]. *dominus culpa homicidii non tenetur* [b], *quia* [c] *tunc homicidii reus est, si occidere voluisse convincitur. Nam emendatio non vocatur* [d] *ad crimen.*

AD LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS.

Imp. Constantinus A. ad Evagrium Pf. P.[e] Quamvis adulterii crimen [f] inter publica referatur [g], quorum delatio [h] in commune omnibus sine aliqua legis interpretatione conceditur, tamen, ne volentibus temere liceat fœdare [i] connubia, proximis necessariisque personis solummodo placet deferri copiam accusandi, hoc est patri vel consobrino et consanguineo maxime fratri [j], quos verus [k] dolor ad accusationem impellit [a]. Sed et his personis legem imponimus, ut crimen abolitione compescant. [b] In primis maritum genialis [c] thori vindicem esse oportet, cui quidem ex suspicione [d] etiam ream [e] conjugem facere [f], nec intra [g] certa [h] tempora inscriptionis vinculo contineri [i] veteres retro principes annuerunt [j]. Extraneos autem procul arceri ab hac [k] accusatione censemus. Nam etsi omne genus accusationis necessitas inscriptionis adstringat, nonnulli tamen proterve id faciunt, et falsis contumeliis matrimonia deformant [l]. *PP.* [m] *Nicomediæ* [n] VII. [o] *Kal. Maii, Constantino A.* VII. [p] *et Constantino C.* [q] *Coss.* (326).

INTERPRETATIO. *In adulterio* [r] *extraneam mulierem nullus accuset, sed propinqui, ad quorum notam pertinet, hoc est frater germanus, frater patruelis, patruus et consobrinus, qui tamen ante inscriptionem, si accusata acquieverit, possunt* [s] *per satisfactionem veniam promereri. Reliqui* [t] *ab accusatione prohibentur. Maritis sane etiam* [u] *ex suspicione accusare permissum est.*

QUORUM APPELLATIONES NON RECIPIANTUR.

Imp. Constantinus. A. ad Ælianum Proconsulem Africæ. Cum antehac lege de appellationibus data statutum

ronium repetitas, scrib. jubens *Constantino A.* VII. *et Constantio* I. *Cæs. Coss.*

[a] In cod. 35 fol. 47 desinit cum vv. *mortuus fuerit*, fol. 48 incipit cum vv. *in sui operis utilitatem* interpret c. 1 C. Th. Ne damnq prov. (XI, 11). Perierunt igitur nonn. quaterniones.

[b] Ita plerique et optimi codd.; rell. et edd. *dom. culp. vindicat, m. f., d. non tenetur* (s. *teneatur*, ut Sich. Cuj. 1 — Lugd.) *culpa homicidii.*

[c] Cuj. 1 — Lugd. *qui.*

[d] 21 *provocatur.*

[e] 4, 6 — 10, 13, 15—18, 21, 25, 29, 38—40, 42, 44, Sich. — Lugd. Cod. Just. om. *Pf. P.* 20 *ppo nichomediæ* et add. supra *o* litera V (*Pfum*). 15 *Id. an Evagrio.* 32 *Evagium.*

[f] 4 *crimen in omnibus inter publica*, sed del. rubro colore vv. *in omnibus*, quæ ex sq. versu facile huc transferri poterant.

[g] 6—8, 10, 13, 16—18 *deferatur.*

[h] 20 *diligatio*, sed em. *dilatio.*

[i] Sich. *liceat temere fædare.* 20 *fœdari.*

[j] 4 *patri vel consubrino* etc., sed rubro col. supra lin. add. *vel filio*, ut sit *patri vel filio vel consubr.* Eodem modo est in edd. Til—Lugd., ubi vero, ut in ed. Sich. post *consanguineo* ponitur comma. Br. Al. ejusque codd. Sich. Cuj. 2—Be. *patrueli, consobrino*, sed 19, 20 *patruo consobr.*; *et* deest in codd. 6 — 8, 10, 12, 14, 17, 18. 15 *patrueli — consanguineo et germano fratri.* Cod. Just. *patri, fratri, nec non patruo et avunculo*, quocum et Bas. faciunt. Interpr. *frater germanus, frater patruelis, patruus et consobrinus.* De corrupto loco ita sentio. Sine dubio in Constantini lege descriptæ erant singulæ personæ, relatæ in Lege Julia inter proximas et necessarias personas quibus esset accusandi copia. Prima *pater* erat, ultima *consobrinus*, etc. Jam vero C. Th. conditores primam tantum et ultimam, signo, quo omissæ indicarentur, aliquo inter utramque personam interjecto (*patri — vel consobrino*) nominabant, satis esse arbitrati necessarias personas in universum commemoravisse, cum res ipsa, quæ essent illæ personæ, inter omnes constaret. Factum vero est, ut in cod. 4 et aliis C. Th. exemplis interjectum illud signum a librariis omitteretur. Visigoth. epitomator, cui obscurum esset, cur pater et consobrinus inter se conjungerentur, vitium deprehendisse se opinatus, mutavit *patri vel* in *patrueli*. Certe epitomatorem hæsisse, quid inde faceret, demonstrat interpretatio ejus. Cum nostra cj. congruit Cod. Just., qui singulas personas suo mori et tempori convenienter quidem, sed tamen eo ordine enumerat, ut *pater* primus nominetur. Latet igitur in cod. 4, quem secutus sum, vera codicis Th. scriptura, modo signo illo omissio, significetur. Illud *vel filio*, quod add. in Til. —Lugd. edd., mera est, cj. Tilii. Go. in comm. de h. l. non recte judicavit.

[k] 6—8, 12, 14, 17 *quos vero.* 16 *quod vero.* 9 *viros* et ita em. in cod. 7. Sich. *serus* et infra *hiis.*

[a] 20 *compellit.* 10, 18 om. *Sed.* In aliis om. *et* post *Sed.* Cod. Just. *Sed etiam.*

[b] Fol. 13 [a] cod. 4. 21 *imponemus.* Cod. Just. *imp. ut cr. abol. si voluerint compescant*, impr. Go. in comm.

[c] 12 *genitalis.* Sich. thori.

[d] 6, 8, 10, 12—14, 16—18 om. *ex suspicione.* Cod. Just. *et ex susp.*

[e] 12 *reum.* 20 *rem.* 19 om. *ream.*

[f] Sich. add. *licet* et Cod. Just. *licet; vel eam, si tantum suspicatur, penes se retinere non prohibetur: nec* et om. *intra certa tempora.*

[g] 8 *Ne intra.* 20 *ne ultra.* Mox multi codd. *scriptionis.*

[h] 4 om. *certa*, sed add. ab ant. manu.

[i] Sich. *teneri.* In Cod. Just. add. *cum jure mariti accusaret.*

[j] 19 *abnuerint.*

[k] 20, Cod. Just. om. *hac.*

[l] In Cod. Just. add. *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet*, quod Cujac. Go. et P. Faber ex c. 4 C. Th. Quorum appell. (XI, 36) desumptum seu assutum esse putant, Goldastus autem in omissis notarum ad Valerianum p. 484 hic omissum esse censet, hoc recte imp. Go., quem vid. et h. l. et in notis c. 4 cit.

[m] 9, 19, 20, 29, 42 *Dat.* s. *Data.* 8 *Prope.* In nonn. codd. om. *PP.*

[n] 19, 20 om. *Nicomediæ.* 38, 40 et alii codd. *Nicomedia* s. *Nicomidia.*

[o] Ita 4, 15, 38, 44, Cod. Just. Til.—Lugd.; 33, 34 IV. Rell. III. In 21 et ap. Sich. deest VII.; sed in m. Sich. ann. III. *Id.*, et ita habet cod. 40.

[p] 6, 7, 10, 14, 16, 17, 28, 31, 32, 35, 39, 40 VI. Vid. c. 1 h. t., not. *x.* 12 *A.* III. 19 *Constantinopoli A.* V. 8 om. *A.* — *Coss.*, 13 *A.* VII., 20, 58, 43 VII. et 29 *Constantino.*

[q] In multis codd. om. *C.* aut *C. Coss.* Cod. Just. *et Const. C.* IV. *Coss.*

[r] Nonn. codd. *adulterium.* Paullo infra 20 *nata* et 21 *nota.*

[s] 6—10 et multi alii codd. *potest.*

[t] Delevi auct. plurimorum codd. et edd. Cuj. 2 —Go. v. *vero*, quod rell. edd. habent. Paullo post 21 *excusatione.*

[u] Ap. Sich. Cuj. 1— Lugd. om. *etiam.*

Digitized by Google

sit[a], ne quis a præjudicio vel ab executione[b] interponeret provocationem, neve hujus modi appellatio ab his, qui vice [c] nostra judicant, admittatur ne in perniciem [d] plurimorum, interpositis a præjudicio appellationibus vel moratoriis quibusdam frustrationibus interjectis [e], litigia protrahantur, tamen nunc pœnam addi placuit, ut intelligant universi, principalis negotii disceptatione [f] caussas suas munire debere, et non ab ipsis quodammodo primæ interlocutionis [g] exordiis vel ab executionibus provocare, cum et illis, qui impatienter ab articulo appellandum putaverint [h], post cognitionem totius caussæ liceat appellare, et his, qui sero ab executionibus provocant, facultas appellandi minime fuerit denegata. Si quis igitur tali usus appellatione fuerit in tuo judicio deprehensus, ipsum quidem triginta folium pœna mulctes, causam autem universam, ejus duntaxat, qui [i] a præjudicio vel ab executione temere appellaverit, sine ulla dilatione discingas[j], cum in [k] nostro auditorio dari minime dilationem oporteat, interpositæ appellationis tempore sufficiente litigatoribus ad perferendam instructionem plenissimam [l]. *PP. VI. Kal. Maii Carthagine, Constantino A. VII, et Constantio C. Coss.*[m] (326).

DE DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Evagrium Pf. P. Quoniam curias desolari[n] cognovimus his, qui per originem obnoxii sunt militiam sibi per supplicationem poscentibus, et ad legiones vel diversa officia currentibus, jubemus omnes curias admoneri, ut, quos intra viginti stipendia in officiis deprehenderint[o] vel originem defugisse, vel spreta nominatione [p] militiæ se inseruisse, hos ad curiam retrahant, et de cætero sciant esse servandum. Et[q] qui derelicta curia militaverit, A revocetur ad curiam, non solum si originalis sit, sed et si substantiam muneribus aptam possidens ad militiam [a] confugerit, vel beneficio nostro fuerit liberatus. *Dat.* XVI. *Kal. Jul. Constantino A.* VII. *et Constantio C. Coss.* (326).

DE MEDICIS ET PROFESSORIBUS.

Imp. Constantinus. A. ad Rufinum[b] *Pf. P.* Archiatri omnes et exarchiatris[c] ab universis muneribus curialium, senatorum et comitum perfectissimorumque muneribus et obsequiis, quæ administratione perfunctis sæpe mandantur, a præstationibus quoque publicis liberi immunesque permaneant, nec ad ullam auri et argenti et equorum præstationem vocentur, quæ forte prædictis ordinibus aut dignitatibus adscribuntur. Hujus autem indulgentiam sanctionis ad filios quoque eorum statuimus pervenire. *Dat.* XII. *Kal. Jun. Constantino A.* VII. *et Constantio C. Coss.* (326).

DE ACCUSATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Maximum[d] *Pf. U.* Quodam tempore[e] admissum est, ut non subscriptio, sed professio criminis uno sermone ex ore fugiens[f] tam accusatorem quam reum sub experiendi periculo de patria, de liberis[g], de fortunis, de vita denique dimicare cogeret. Ideoque[h] volumus, ut, remota [i] professionis licentia ac temeritate [j], ad [k] subscriptionis morem ordinemque criminatio referatur [l], ut jure veteri in criminibus deferendis omnes utantur, id est, ut[m], sopita ira, et per hæc spatia[n] mentis tranquillitate recepta, ad supremam actionem cum ratione veniant atque consilio[o]. *Dat.* XI. *Kal. Jun.*[p] *Sirmio*[q].

[a] Go. intelligit c. 1 h. t. et c. 2 C. Th. de Appell. (XI, 30).
[b] 4 *excusatione*, em. a libr. *executione*.
[c] 4 *ce*, sed em. a libr. *vice*.
[d] Mendose Go. *principem*.
[e] Cuj. 1 *interjectis*.
[f] Edd. *disceptationes*. 4 *disceptationis*; a libr. em. *disceptatione* (non *disceptationes*). Etiam Go. em. *disceptatione*. Reposui *disceptatione*. Fortasse in litera *s* latet v. *se*, quod apte hic interponi potest (*disceptatione se causas*).
[g] 4 *interlocutionis*; a libr. add. *n* supra *is*.
[h] Cum literis *verint* incip. fol. 207[b] cod. 4.
[i] Go. ann.: *qui duntaxat*, quo non opus est. Sustuli uncos, quibus Be. vv. *ejus—appellaverit* incluserat.
[j] 4, Til.—Lugd *discinguas*.
[k] Aur. Ludg. om. *in*.
[l] Summ. C. Th. aliquid add., quod in h. c. deest. Ita enim habent: « *Superiori similis, sed hoc hic additum est, ut appellans contra sententiam dictam judicis intra triduum appellare debeat.* »
[m] Annus deest apud Go.—Ri [1]. Go. enim revocat h. c. ad ann. 320 (*Constantino VI.* etc.). Vid. c. 2 cit., not. *t*. Aur. Lugd. *Cons*.
[n] Err. Cuj. 2, 2[a] *desolati*, em. a Rein. *desolari*. Mox Ri. Ri[1]. *orginem*, mendose.
[o] Go. Be. recte cj. *deprehenderint*, curiæ scilicet pro *deprehenderit*, quod edd. habent. Et revera in codd. 4 a libr. sup. syll. *rit* add. est *n* (deprehenderint), quod reposui.
[p] Vid. c. 10 h. t.
[q] Go. vult *servandum, ut*, sed cum in vv. *Et qui*, etc. novum caput incipiat, facile caremus Go. cj. Cum literis *vandum et* incipit fol. 222[b] cod. 4 Sola vv. *Qui derelicta — ad curiam* recepta sunt in Cod. Just., reliquis om. Edd. ante Ri. *decetero*.
[a] Aur. Lugd. *malitiam* et infra *Cons*.
[b] Rufinus h. ann. præfectus prætorio nusquam reperitur, nisi in hac sola lege; qua de caussa videtur Go. in Chron. h. c. ad. ann. 354 revocasse. Neque vero eo anno lex aliqua habetur Rufino inscripta. Præterea Go. cj. repugnat ordini legum.
[c] Til. — Cui. 2[a] *exarchiatris*.
[d] 4, Til. — Lugd. *Maximinum*, impr. Go. 15 *Id. A. Maximo*. Multi codd. *ppo.* pro *Pf. U*.
[e] 20 *Quondam tempr.* Go. ann.: « Antonini rescripto, l. ult. infr. ad leg. Cornel. de fals. Imo et Constantini l. 2. d. t. »
[f] 17 *serm. exponere fug.* 20 *serm. uxor fug.*
[g] 20 *q. eum sub* 9 *experiendo — de libertis*.
[h] 10, 18 *quægerit id.* 9 *fort debitam — cogere. Idemque*.
[i] Sich. *semota*. Mox. 21 *hac* pro *ac*.
[j] In litteris *ritate*. incip. fol. 2[b] cod. 4.
[k] *ad* deest in nonn. codd. 20 *ad susceptionis mortem o. criminatorem*, sed em. Male etiam in Ri[a]. *mortem*.
[l] 15, 50, Vat. 1283, 52 *deferatur*. Multi codd. *ref. aut*. 20 om. *ut*.
[m] In 4 add. *per*, sed deletur ab ant. man. 16, 19 *subita ira*.
[n] 15 *per temporis spatia*. 20 supr. lin. *post h. sp.*
[o] 15 *cum ratione et consilio veniant*.
[p] 20, 28, 32, 38, 40, Sich. in m. *Jul.* 24, 31, 35 *Jan*.
[q] Nonn. cedd. *Syrmio*. Be. *Sirmii*.

Digitized by Google

Acc. Romæ[a], *Constantino A. VII.* [b] *et Constantio* [c] *C.*[d] *Coss.* (326).

INTERPRETATIO. *Si quis iratus crimen aliquod temere*[e] *cuilibet objecerit, convicium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur*[f]. *Quod si fortasse resipiscens post iracundiam, quæ dixit, iterare aut scribere fortasse noluerit,*[g] *non ut reus criminis teneatur.*

DE PRIVILEGIIS EORUM.

[h] *Imp. Constantinus A. ad Severum Pf. U.* Omnes palatinos, quos edicti nostri jam dudum certa privilegia superfundunt, rem, si quam, dum in palatio nostro morantur, vel [i] parcimonia propria quæsiverint, vel donis nostris fuerint consecuti, ut castrense peculium habere præcipimus. Quid enim tam ex castris est, quam quod nobis consciis, ac prope *sub* conspectibus nostris acquiritur? Sed nec alieni sunt a pulvere et labore castrorum, qui signa nostra comitantur, qui præsto sunt semper actibus, quos intentos eruditis [j] studiis itinerum prolixitas et expeditionum difficultas exercet. Ideoque palatini nostri, qui privilegiis edicti uti potuerint [k], peculia sua præcipua retineant, quæ, dum in palatio [l] constituti sunt, aut labore, ut dictum est, proprio aut dignatione [m] nostra quæsiverint. *PP. X. Kal. Iun. Constantino A. VI.* [n] *et Constantio C. Coss.* (326).

[a] Nonn. codd. *Roma.* 20 *acceptum* et om. *Rom.* 52 *accep. ppn. rom.*

[b] Nonn. codd. om. VII.

[c] Nonn. codd. *et Constant.* 4, Til. *Constante.* 50, 52 *Constantino.* Go. om. (etiam Ri. Ri°.) annum et propter Maximum Pf. U. reponi vult consules anni 320 (*Constantino A. VII et Constantino C. Coss.*), prob. Be.; cf. C. Th. c. un. de Hered. petit. (II, 22). not. *k*, sed huic em, repugnat ordo constitutionum; fieret enim hæc lex, quæ quinta h. t. est, antiquior c. 3 et 4 h. t.

[d] Complures codd. et inter eos 4, Til. om. C.

[e] Nonn. codd. *temere aliquod.* 21 *crimen quod.*

[f] 21 *fatetur.*

[g] Plerique codd. *quæ dixit — scribere fortasse nol.* Edd. *quod dix. — fortasse scribere nol.*

[h] Suspectus est locus ubi hæc lex in C. Th. legitur, nam propter consules subscriptos necessario ponenda erat inter c. 4 et 5 h. t., non in extremo titulo. Neque ea quidem ad. h. t. pertinet, quod et argumentum docet et rubrica eidem legi in Cod. Just. præmissa: *De Castrensi Omnium Palatinorum Peculio* (XII, 31). Non dubito igitur, quin hæc rubrica in codice Lugdunensi, etsi hic nullum lacunæ vestigium habet, exciderit, quam recepissem, nisi seqq. tituli suum quisque numerum haberent.

[i] Codex, Cuj. 1 — Ri°. add. *si*, quod Cod. Just. et Be. recte om. et Go, displicet.

[j] Cod. Just. *intentos et eruditos*, sed Go. prob. C. Th. scriptura.

[k] Cod. Just. *potuerunt*, impr. Go.

[l] Cod. Just. add. *nostro.*

[m] Cod. Just. *donatione*, sed Go. præfert scripturam C. Th.

[n] Go., prob. Be., etsi VI. etiam in Codd. Just. habetur, em. VII.: nam *Constantino A.* VI. *et Constantino Cæsare.* h. e. ann. 320 (hunc annum etiam Cod. Just. habet) non Severus Pf. U. fuit, sed Valerius Maximus. Cf. C. Th c. 1. de Honor. codicillis (VI, 22), not. *a.* In Chron. autem anni 320 Go. annotat.: » *Pro præf.* V. sup. A. 319.

A DE MULIERIBUS, QUÆ [a] SE SERVIS PROPRIIS JUNXERUNT [b].

Imp. Constantinus A. ad Populum. Si qua cum servo [c] occulte [d] rem habere detegitur, capitali sententiæ [e] subjugetur [f], tradendo ignibus verberone [g], sitque omnibus facultas crimen publicum arguendi, sit [h] officio copia nuntiandi, sit etiam [i] servo licentia deferendi [j], cui probato crimine libertas dabitur, cum falsæ [k] accusationi pœna immineat. § 1. Ante legem [l] nupta tali [m] consortio segregetur, non solum domo [n], verum etiam provinciæ communione [o] privata, amati abscessum [p] defleat relegati. § 2. Filii [q] etiam, quos ex hac conjunctione habuerit, exuti omnibus dignitatis insignibus, in nuda maneant libertate, neque per se neque [r] per interpositam personam quolibet titulo voluntatis accepturi [s] aliquid ex facultatibus mulieris. § 3. Successio autem [t] mulieris ab intestato vel filiis [u], si erunt legitimi, vel proximis cognatisque deferatur, vel ei quem ratio juris admittit [v], ita [x] ut et [y] quod ille, qui quondam amatus [z]

[a] 6—8, 32, 40, *qui*, sed in 7 em. *quæ.* 15 *De his quæ servis suis nuberet.* Multi codd. et Aur. Lugd. om. se.

[b] Nonn. Codd. *junxerint*, alii *conjunxerunt* aut *conjunxerint.* 21, Sich. *De m. q. s. pr. se junx.* Cod. Just. *De m. q. se. pr. servis junx.*

[c] Cod. Just. add. *suo*, similiter Anthemius l. c. *servorum suorum.* Vid. Go. ad h. l., not. *b.*

[d] 4 *occulta*, sed supra lit. *a* rubro colore ponitur *e*, cui a sec. manu add. flavo colore littera *m*, deleta postea a rec. man. 14 *occultam.* 15 *rem occulte hab. det.* 12 *detegetur.*

[e] Ita 15 et Be. ex Sich. et cod. Just. 14 *sententia.* 21 non distincte scriptus est; rell. omnes *sententia* et 6—8, 13, 16, 17 *sent. capit.* Vid. C. Th. IX, 34, 7 et 11, 30, 1, not. *p.*

[f] 20 *subjungetur*, sed corr. *subdatur*, ut est in cod. 19.

[g] 6, 7 *virverone sit quæ.* 10 *virone.* 18 *ign. vir viro sitque.* 20, 21, *verberoni s.*

[h] Sich. *sitque.* 19 *officium.* 6—8, 10, 18 *copiam.*

[i] 19 *nunt. sed etiam.*

[j] 19 *adferendi.* 20 *afferendi.* 6—8, 14 *differendi* et 7, 17 *licentiam.*

[k] In Cod. Just. om. *cum falsæ — relegati.* 15, 20 *accusationis.*

[l] 15 *Ante hanc autem legem.*

[m] 4, Til. *nuptiali*, sed in cod. 4 ab ant. man. supra *i* add *at*, corr. caussa, quo efficitur *nupta tali.* 9 *nuptam.* 10, 18 *nuptali.* 19, 20 *Ante l. supra tali*, sed 20 supr. liu. *nupta.* 15 post *segr.* add. *et*, optime. Sich. *cosortio.*

[n] 15 *dom'.* 19 *domi.* 21 *virum.*

[o] 6, 7 *communio.*

[p] 4 *abscensum*, sed em. rubro col. *abscessum.* 10, 18, *abscessu.* 19 *defleant* et desinit cum hoc v. codex 19, 20 *se legati.*

[q] 21, Sich. *Filii etiam ex hac quos conj. hab.* Til. — Ri°. *Filii, etiam quos*, etc., male. Mox 12 *dignitatibus* et Go. *neque*, err.

[r] 9 om. *per se neque.* 21 *interposita* et nonn. codd. *quodlibet.*

[s] 6, 7, 16, 17 *acceptaturi.* 14 *acceptaturus.* Paullo infra Sich. *facultibus*, mend.

[t] Fol. 16[a] cod. 4.

[u] 15 *Successio autem ejus vel filiis.*

[v] 6 *amittit.* 21 *amittat.* Sich. *admittat.*

[x] 15, 20, 21, Sich. om. *ita* et 13 *ita ut*, sed Sich. in m. *Id autem* ex Cod. Just.

[y] 6—10, 12, 14, 16, 17 om. *ut.* 20 *ut* (sed supr. lin. *et*) *eo.* Cod. Just. *Id autem et quod ille.*

[z] 21, Sich. Cod. Just. *qui condemnatus est*, impr. Go. 20 *damnatus est.*

Digitized by Google

est, et quod ex eo suscepti filii quolibet casu in sua videntur [a] habuisse substantia, dominio [b] mulieris sociatum a memoratis [c] successoribus vindicetur. § 4. [d] His ita omnibus observandis, et si ante legem decessit [e] mulier vel amatus, quoniàm vel [f] unus auctor vitii censuræ occurrit [g]. § 5. Sin vero jam uterque decessit [h], soboli parcimus [i], ne defunctorum parentum vitiis prægravetur; sint filii, sint potiores [j] fratribus, proximis atque cognatis, sint relictæ successionis hæredes. § 6. Post legem enim hoc committentes morte punimus [k]. Qui vero ex lege disjuncti clam [l] denuo convenerint, congressus vetitos [m] renovantes, hi servorum indicio [n] vel speculantis officii vel etiam proximorum delatione convicti pœnam similem sustinebunt. *Dat.* IV° *Kal. Jun. Serdicæ* [p], *Constantino A.* VII [q] *et Constantio C. Coss.* (326).

Interpretatio. *Si qua ingenua mulier servo proprio se occulte miscuerit, capitaliter puniatur. Servus etiam, qui in adulterio* [r] *dominæ convictus fuerit, ignibus exuratur. In* [s] *potestate habeat hujus modi crimen qui-*

[a] Cod. Just. *videantur. 6 suam.*

[b] 6—8 *substantiam dominum.* 10, 18 *substantiam.* 12, 20, *dominium.* 14 *dominu.* Cod. Just. *mul. dom.*

[c] 10 *sociati.* 18 *sociati a memorati.* 8 *successionibus.* Ri[a] *a me moratis.*

[d] Sich. *Hiis* Seqq. des in Cod. Just.

[e] 6, 7, 10, 12, 14, 17, 18 *recessit.* 15 *decesserit.* 20, 21 *discessit.*

[f] 10 *am. quo non vel.* 20 *vel amatores*, sed supra lin. *aut amatus.*

[g] 6—8, 10, 17, 18 *occurret.* 20 *occurrat* et antea pro *vitii* supr. lin. *vive* 15 *vi cens. occ.*

[h] 20 *discesserint*, sed sec. Ri. *discesserit*, falso.

[i] 20 *parcemus* Sich. *subdi parc.* Multi codd. et Til. — Ri[a] *suboli parc.* In 4 rubr. col repon. *soboli.* Mox multi codd. *nec def.*

[j] 21 *sin filii s.* [p] Sich. *prægraventur; si sint. f., pot.* 8 *potioribus.* 18, 18, *potentiores.* 20 *prægraventur sine filiis*, sed supr. lin. *si* vel *sint.* Mox nonn. codd. *cognati* et *successione.*

[k] 21 *puniuntur.* 6 *committentis.*

[l] 21 *dum denuo.*

[m] 20 *vetatur* (supr. lin. *vetitos*) et paullo infra *speculantes offitio--dilatione.*

[n] 8 *his s. in juditio.*

[o] 12, 20, 21, 24, 28, 30, 32—34, 38, 43, 44, Sich. III, sed Sich. in m. IV. 28, 31, 32, 35, 39, 43, 44, Cuj. 2—lii[a]. *Jul.*

[p] Codd. *Serdice, Sirdice, Syrdicæ Serditiæ, Serdicie.*

[q] Go. anno om. rep. vult consules anni 320 (*Constantino A.* VI). Assentitur Baronius. Contradicunt Pagius, Relandus et Ritterus, cujus vid. contra Go. disputationem in not. r h. c. Reposuissem, si Go. ej. confirmaretur codicibus, annum 320, cum Constantinus his consulibus et hoc mense non Serdicæ sed Mediolani fuerit. Vid. c. 3 C. Th. de Falsa moneta (IX, 21). Quod multi codd. *Constantino* pro *Constantio* habent, id aliquantulum confirmat Go. opinionem, sed non tanti est, ut mutandi anni potestatem nobis tribuat; nam solus 16 habet VI. 30 *Const.* II. 28, 40, Sich. in m. V. 33, 34 *Const.* IX. Epit. Mon. IV. In codd. 20, 38 om. VII et in cod. 8 *Serdice — et.* Reliqui omnes VII. Cæterum vid. C. Th. IX, 25, 1, not. *i.* Præterea in horum imperatorum nominibus eadem menda sunt, quæ alibi a librariis facta esse vidimus. In multis codd. om. *C.* Epit. Mon. *et Const. V. C. Coss.*

[r] Nonn. codd. *in adulterium d. conjunctus f.*

[s] Seqq. ap. Sich. ita scripta sunt: *In pot. habent*

cumque voluerit accusare. Servi etiam aut ancillæ, si de hoc crimine accusationem detulerint, odiantur [a]*: ea tamen ratione, ut si probaverint, libertatem consequantur, si* [b] *fefellerint, puniantur* [c]*. Hæreditas mulieris, quæ se tali crimine maculaverit, vel filiis* [d]*, si sunt ex marito suscepti, vel propinquis ex lege venientibus tribuatur.*

De episcopis.

Imp. Constantinus A. ad Ablavium Pf. P. Neque vulgari consensu, neque quibuslibet petentibus sub specie clericorum a muneribus publicis vacatio deferatur, nec temere et citra modum populi clericis connectantur [e], sed cum defunctus fuerit clericus, ad vicem defuncti alius allegetur [f], cui nulla ex municipibus prosapia fuerit, neque ea est opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat [g] tolerare; ita ut, si inter civitatem et clericos [h] super alicujus nomine dubitetur, si eum æquitas [i] ad publica trahat obsequia, et progenie municeps vel patrimonio idoneus dignoscetur [j], exemptus clericis civitati tradatur. Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes ecclesiarum divitiis sustentari. *PP. Kal. Jun. Constantino A.* VII, *et Constante* [k] *C. Coss.* (326).

De cursu publico.

Imp. Constantinus A Menandro [l]. Certis nuntiis compertum est, quod plures veluti sibi ac necessitatibus propriis petitas angarias [m] taxato pretio distrahunt. Quamvis itaque raro posthac et non nisi merentibus evectiones præbendæ sint, omnes tamen, qui ubique sunt cursus publici observatione destricti [n], inquirant, si quis in hoc genere criminis possit intercipi, ut emptor et venditor in insulam relegetur; illis etiam [o] qui observare jussi sunt, pro dissimulatione vel negligentia idem supplicium luituris [p], § 1. Non

criminis accusationem servi, ut si detulerint audiantur.

[a] Aur. Lugd. add. *quia jubet lex puniri nefarios.* ex Æg. summa.

[b] Ap. Ri. Ri[a]. add. *se.*

[c] Aur. Lugd. add. *Et qui ex tali conjunctione fuerint nati, in mundina tantum maneant libertate, et a matris hæreditate in omnibus fiant extranei* ex Æg. summa.

[d] 20 *fili* et 21 *si sint.*

[e] 4 *conectantur*, rubro col. corr. *connectantur.*

[f] In m. Cuj. l. Cuj. 2, 2[a]: ‹ *alias eligatur* › et in m. Aur. Lugd.: ‹ *alias eligetur.* › Usus est igitur Cuj., cum pararet Cuj. 1, præter codicem, ex quo librum XVI, supplevit, alio codice; qui non dubito quin fuerit cod. 11. Vid. C. Th. Præfationem c. 45 h. t., c. 62 de Hæreticis (XVI, 5), not. *b.* Recte Go. tuetur *allegetur.*

[g] 4 *publica — quæ ad.* Inde a vv. *publicas functiones* nonnulla discerni possunt in cod. 11.

[h] 11 *cleros.*

[i] Fol. 397 [a] cod. 4. 11 *equitas aut.*

[j] 4 *dinoscetus*, corr. rubro col. *dinoscetur.*

[k] Be. requirit *Constantio.* Aur. Lugd. *Cons.*

[l] Codex Lugd. *Id. A. Menandro Certis*, etc. Docet igitur dignitas Menandri. Om. ea etiam in omnibus C. Th. legibus ad Menandrum datis. Vid. C. Th. IV, 12, 2 et 3, infra XI, 27, 2 et XV, 1, 2, quare inter viros doctos de dignitate Menandri disceptatur. Vid. C. Th. IV, 12, 2, not. *a.*

[m] Go. — Ri[a]. *petitas, angarias*, male.

[n] Reinesius ej. *districti.*

[o] Hic incipit pag. secunda folii XCII, codicis Lugd.

[p] Codex *luiturius*, mendose.

Digitized by Google

improbum tamen est, si is, qui angarialem habet copiam, ad tutelam vitæ [a] vel laborem adeundum [b] itineris pro solatio sibi quemdam sociaverit. Namque hoc factum meretur veniam, nec latere poterit explorantes [c]; illud pœna superius dicta plectendum est. Super qua re proconsules, rectores provinciarum [d] præfectos vehiculorum atque omnes qui cursui publico præsunt, admoneri conveniet. *Dat.* X. *Kal. Jul. Constantino* [e] *A.* VII *et Constantio C. Coss.* (326).

DE OPERIBUS PUBLICIS.

Imp. Constantinus. a Secundo Pf. P. Provinciarum judices commoneri præcipimus, ut nihil se novi operis ordinari [f] ante debere cognoscant, quam ea compleverint, quæ a decessoribus inchoata sunt : exceptis duntaxat templorum ædificationibus. *Dat.* 3 *Kal. Jul. Constantino A.* 7 *et Constantio C. Coss.* (326).

DE FALSA MONETA.

Imp. Constantinus. A. ad Tertullum Proconsulem[g] *Africæ.* Si quis nummum[h] falsa fusione formaverit[i], universas ejus facultates fisco[j] addici præcipimus[k], atque ipsum severitate legitima coerceri[l], ut in monetis tantum nostris cudendæ pecuniæ studium frequentetur[m]. *Dat. prid. Non. Jul.* [n] *Mediolano, Constantino* A. VII. *et Constantio C.* [o] *Coss.* (326).

DE INFIRMANDIS HIS QUÆ SUB TYRANNIS AUT BARBARIS GESTA SUNT.

Imp. Constantinus A. Antiocho Præfecto Vigilum[p].

[a] Go. cj. *viæ*, prob. Bondam in Animad. crit. ad loca quædam i. civ. depravata (Œlrichs, Tires. nov. Dissertt. jurid. Vol. II, T. II, p. 221). Speciosa est Go. cj., sed nescio an recipienda.

[b] Go. annotat : « Forte *adimendum* : Sed nil temere muto. » Bondam l. c. cj. *obeundum*. Nihil mutandum est.

[c] Codex *explorante*, sed appon. *s.* supra *e*.

[d] Go. annotat : « Ita locus hic interpungendus. Nam error est viri docti qui *Provinciarum Præfectos*, pro Rectoribus hic somniat : Imo *Præfecti vehiculorum* hic alii sunt. »

[e] Reinesius corr. *Constantio*.

[f] Go. Be. corr. *ordinare*, recte. Fortasse pro *se* scribi potest *a se*. Ri *. om. *debere*. Infra Aur. Lugd. *Cons.*

[g] 4 et edd. sigium Præf. Urb. habent. Go. Be. em. *PC.*, i. e. proconsulem; recte; nam cod. l. *habet pc.* Scripsi igitur *Proconsulem*. Cod. Just. *Præfectum Urbis Africæ*, male et recte imp. Go.

[h] Cod. Just. *numnos*.

[i] 4 *firmaverit*, sed a rec. manu em. *formaverit* rubr. col.

[j] In Cod. Just. add. *nostro*.

[k] 4. *Præcipimus*. Cod. Just. *præc. addici*.

[l] In Cod. Just. om. *atque — coerceri*. Go. conferri vult c. 1 et 2 h. t.

[m] Cod. Just. *In monetis etenim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus* et add. *cujus obnoxii majestatis crimen committunt* (ex c. 9 h. t.) : *et præmio* (ex c. 5 h. t.) — *poterit reperiri vel a quocumque fuerit—mancipetur*, sq. subscr. c. 3 C. Th. Vid. Go. ad c. 5 h. t., not. *a*.

[n] Till. l. c. T. IV, p. 91, not. 1 et Notes, p. 137 em. *Jun.*

[o] In Cod. Just. add. IV., perperam. Esset enim lex recentior sequenti. Cæterum Ri. *Constantino — et Constant.*

[p] Go. mendose *Virgil.*

A Quæ tyrannus[a] contra jus rescripsit, non valere præcipimus : legitimis ejus rescriptis minime impugnandis. *Dat.* VIII. [b] *Id. Jul. Roma, Constantino A.* VII. *et Constantio Cæs. Coss.* (326).

Imp. Constantinus A. ad Senatum. Super his, qui ex senatoribus ad navicularium munus a tyranno[c] dejecti sunt, ac[d] restitui suis natalibus deprecantur, placuit vestræ sanctitati judicium [e] examenque mandare, ut vos eligatis, qui splendori vestro patrimonii viribus et honestate vivendi [f] et natalium dignitate respondent. Incongruum est enim tantæ dignitatis arbitrium alteri potius, quam vestris suffragiis sententiisque committere. Eorum autem, quos ut dignos elegeritis[g], nomina Pf. urbis nobis insinuet, ut vestrum judicium comprobemus. *Dat.* [h] *Id. Jul. Constantino A.* VII. *et* B *Constantio* [i] *C. Coss.* (329).

QUEMADMODUM MUNERA CIVILIA INDICANTUR [j].

Imp. Constantinus A. Tiberiano Comiti per Africam. Hi magistratus, qui sufficiendis duumviris in futurum anni officium nominationes impertiunt, periculi sui contemplatione provideant, ut, quamvis populi quoque suffragiis nominatio in Africa ex consuetudine celebretur, tamen ipsi nitantur pariter ac laborent, quemadmodum possint hi, qui nominati fuerint, idonei reperiri. Nam [k] æquitatis ratio persuadet, nisi idonei fuerint nominati, ipsos, quorum est periculum, attineri. *Dat. Nocomediæ* III. *Kal. Aug., Constantino A.* VII *et Constante C. Coss.* [l] (326).

DE FILIIS MILITARIUM APPARITORUM ET VETERANORUM.

Imp. Constantinus A. ad Severum ...[m] Veteranorum

[a] Go. in comm. probat hanc c. neque a Constantio datam esse, neque de Maxentio tyranno agere : datam esse potius a Constantino contra Licinium.

[b] Etsi h. c. nomen *Antiochi Pf. vigilum* inscriptum est, proxima c. 4 *ad Senatum* data, tamen Go. aut hic deleri vult VIII aut VIII. suppleri in subscr. c. sq., ut utraque c. inter se conjungatur. Id fieri posse, nego.

[c] Licinio.

[d] 4 *hac*, rubro col. del. *h*.

[e] 4 *judicum*, rubro col. emend. *judicium*.

[f] Go. em. *honestate vivendi natalium dignitati respondent*, qua em. opus non est.

[g] Go. err. *elegeretis*.

[h] Vid. supra not. *b*.

[i] Ri. Ri *. *Constantino*, err.

[j] Cod Just. *Q. civilia munera indicuntur*. Aur. Lugd. in ind. tit. *judicantur*. Cum inscript. c. 1 incipit fol. 275 [b] cod. 4.

[k] Edd. *Jam*. Verum Go. cj. *Nam*, recte et consentiente cod. 4, in quo litera *N* pallet quidem, sed perspicue scripta est, a recenti etiam manu rubro col. supra repetitur.

[l] Desiderari aliquid in hac subscriptione Go. putat, neque ego dubito, ea quin mutila sit; prius enim fit urbis mentio, quam diei et mensis. Accedit, quod Constantinus hoc anno non fuit Nicomediæ. Go. igitur in Chron. pag. XXV. et XXVII. assignat h. c. anno 325 (*Dat.—Nicomediæ, Paullino et Juliano VV. CC. Coss. PP.* III. *Kal. Aug.* etc.), in notis autem h. c. anno 325 aut 329. Puto illud verum esse. Vid. c. 4 C. Th. de accusat. (IX, 1). Alterutra cj. recepta scrib. *Constantino*. Aur. Ludg. *Cons.*

[m] Addidi, etsi in codice lacuna non est, puncta, quæ unus solus Go. vult *Pf. P.*, impr. Be., qui Severum jam hoc tempore *Pf. P.* fuisse negans, cj. *Pf. U.*

Digitized by Google

filios propter[a] privilegia parentibus eorum indulta vacare non patimur, sed, programmate per omnes civitates proposito, diligenter quæsitos ad alterutrum compelli jubemus, ut aut decurionatus muneribus obtemperent aut militent; observaturo devotionis tuæ officio, ut qui probantur ab annis viginti usque ad viginti et quinque annos ætatem agant. § 1. Si autem veteranorum filii, qui equestrem militiam toleraverunt, inter equites probari voluerint, habeant facultatem, ita ut cum singulis equis idoneis prædicto aggregentur obsequio. § 2. Quod si quis duos equos habeat, vel unum idoneum, et servum unum, cum circitoria militet dignitate, et binas annonas accipiat, qui gradus præbetur aliis post laborem. § 3. Singularum autem civitatum decurionibus intimetur, ut veteranorum filios, qui prædictæ ætatis sunt, si militare noluerint, vel minus inveniantur idonei, ad curialia vocare non morentur obsequia, si tamen patrimoniis idonei esse noscuntur. § 4. Ex his autem, qui militare voluerint, si qui minus apti sunt equestri militiæ, deficiente [b] calamitate membrorum, et legionariæ congruisse [c] noscuntur, deducendi ad nos protectori, qui ob hoc missus est, consignentur. *Dat.* III. *Kal. Aug.* [d] *Aquileia* [e], *Constantino A. et Constantio C. Coss.* [f] (326).

DE BONIS VACANTIBUS.

Imp. Constantinus A. [g] *ad Severum Pf. U.* [h] Nec interpellatis his [i], quibus pro laboribus suis ac meritis [j] aliquid donaverimus [k], sed in [l] jure suo, hoc est sine molestia [m] litis manentibus, concitatorem judicii [n], qui inquietudinem inferre tentaverit [o], examini tuo

[a] Ri. *propter*, err. Mox codex *programmatæ*.

[b] Go. cj. *id efficiente*, apte ad sententiam. Be. deesse cj. vocabulum. Scribi etiam potest *deficiente alacritate* s. *qualitate* (vel. simile v. *Qualitate* cj. Reinesius) *membrorum*. Cæterum in vv. *idonei esse noscuntur* incipit pag. secunda folii 78. codicis; in ima pagina est numerus quatern. 42.

[c] Go. reponi jubet *congrui esse*, quod non necessarium est.

[d] Go. in Chronol. h. a. cj. *April.*, ut conjungatur cum c. un. C. Th. Si quis eam, cujus, tutor (IX, 8), sed vid. c. un. C. Th. cit., not. *n*.

[e] Ita codex, Cuj. 1 — Cuj. 2*. Sed Go. — Be. *Aquileiæ*.

[f] Aur. Lugd. *Cons.*

[g] Br. Al. codd. *Impr. Constantinus A.* Sich. *Imp. Constantantinus* et om. *A.*

[h] Nonn. codd. *ppo. s. ppm.*

[i] 6, 7, 10, 14, 16, 18: *Nec interpellent hi.* 8 *Ne.* 9 *Nec interpellantes.* 12 *Nec interpellanti avibus.* 13 *Nec interp. nec his.*

[j] Sich. *emeritis* pro *ac meritis*, impr. Go., sed Sich. in m. *et meritis.*

[k] 7 — 10, 12, 14, 16, 18 *donavimus;* restituendum erat ex codd. l., 4, 6, 13, 15, 20, 21, Sich. Til. — Ri*. *donaverimus.* Vid. infra *qui inquietudinem inferre tentaverit* et c. 1 h. t. *quam donaverimus.*

[l] 4 *sine*, sed a rec. manu corr. *sed in.*

[m] 6, 7, 12, 16, 20, 21 *hoc est in mol.*, impr. Ri. 9 *hoc est in molestiam.* Mendose Ri*. *licitis* pro *litis.*

[n] 20 *concitare* et supr. lin. *judices.* Mendose Cuj 1 *judidicii.*

[o] 20 supr. lin. *tentaverint.*

Imp. Constantinus A. Hiereis et Archisynagogis et Patribus synagogarum et cæteris [g], *qui in eodem loco deserviunt.* Hiereos [h] et archisynagogos et patres synagogarum et cæteros, qui synagogis deserviunt, ab omni corporali munere liberos esse præcipimus [i]. *Dat. Kal. Dec., Constantinopoli, Basso et Ablavio Coss.* (331).

DE JURISDICTIONE OMNIUM JUDICUM.

Imp. Constant. A. ad universos provinciales. Nemo post litem contestatam ordinariæ sedis declinet examen: nec (prius) Præfecti prætorio, aut comitis Orientis, vel alterius Spectabilis judicis imploret auxilium, sed appellatione legibus facta ad sacrum auditorium veniat. *Dat. Kalend. Octobr., Basso et Ablabio Coss.* 331 (Ex cod. Just.).

Anno Domini 332.
Pacatiano et Hilariano Coss.

DE FILIIS MILITARIUM.

Imp. Constantinus A. ad Leontium Pf. P. Jam dudum sanximus, ut veteranorum [k] filii, qui post sedecim annos militiæ munus subire non possunt, vel armis gerendis habiles non exstiterint, curiis mancipentur [l]. *Dat. III. Id. April., Pacatiano et Hilariano Coss.* [m] (332.)

DE SPONSALIBUS.

Imp. Constantinus A. [n] *ad Pacatianum Pf. U.* [o] Patri [a] puellæ aut tutori aut [b] curatori aut cuilibet [c] ejus affini non [d] liceat, cum prius militi puellam [e] desponderit [f], eamdem alii in matrimonium tradere. Quod si intra biennium [g], ut perfidiæ reus [h] in insulam relegetur. Quod si pactis [i] uptiis, transcurso biennio, qui puellam desponderit alteri eamdem sociaverit, in culpam sponsi potius quam puellæ referatur, nec quicquam noceat ei, qui post biennium puellam marito alteri tradidit [k]. *Dat. pridie* [l] *Id. April., Martianopoli, Pacatiano et Hilariano* [m] *Coss.* (332).

INTERPRETATIO. *Si quis aut privatus aut militans, postquam sponderit, cum* [n] *patres tutore vel curatore* [o] *puellæ vel propinquis de puellæ conjunctione definierit, debet post definitionem* [p] *intra biennium nuptias celetum V.* aut *Præf. V.* aut *Præf. U.*, præter Til., qui *P. V.* Ceterum 15, 25 *Pacationo* et 34 *agatiano.* Go. hanc. c. Triboniano interpolatam esse dicit, quod W. negat propter verborum dissimilitudinem quam ob rem c. 2 Cod. Just. alio loco in C. Th. positam fuisse putat. Fortasse Tribonianus conflavit c. 2 ex duabus C. Th. constitutionibus. Vv. const. 2 hæc sunt: *Si is qui puellam suis nuptiis pactus est, intra biennium exsequi nuptias in eadem provincia degens supersederit, ejusque spatii fine decurso, in alterius postea conjunctionem puella pervenerit, nihil fraudis ei sit, quæ nuptias maturando vota sua diutius eludi non passa est.*

[a] 38 *Dat.* X. *Kal.* Aniani cod. ap. Go. XI.
[b] 20, 39 om. *Constantinopoli.* 10, 18 *Constantino præfecto B.*
[c] 20, 39, Sich. *Albino*, sed Sich. in m. *Albio.*
[d] In plerisque codd. om. *VV. CC.*
[e] Complures codd. et nonnullæ edd. *nec — occurrentium a. litigantium.*
[f] Permulti codd., Sich. Cuj. 1 — Lugd. *Sed*; in aliis codd., ut 5 transponuntur vv. *quam pauperes* post vv. *sine ullo præmio.*
[g] 4 *ceteros*, rubro col. em. *ceteris.* 11 *Idem aa. hiereis* (om. *et.* Etiam Cuj. 2 — Go. om. *et*) *archesinagogis et patribus sinagogarum.*
[h] Cui. 1—Lugd. *Hieros.* Go. err. *Archisynagos.*
[i] 11 *archesinagogos et patres sinagogarum — sinagogis — corporalium — precipimus.*
[j] Go. de c. 2 C. Th. de Veteranis (VII, 20) cogitat.
[k] Codex *extiterit*; c. 4, quæ excripta est in c. 35 cit., ibi ita legitur: *Iterata lege sancimus ut v. f. si post — possint — non exsistant c. m.*
[m] Aur. Lugd. *Cons.*
[n] Cod. Just. *Imp. Constantius A. et Constans C.*, male.
[o] 9, 15, 29, 42 *ppo.* Cod. Just. *P. P.*, prob. Go. e, W., sed cf. Corsini l. c. p. 184. Be. cj. *PPf. U.* quod non intelligo. 16, 28 om. *Pf. U.* Edd. *Præfec-*

[a] Ita Ri. ex cj. in Præf. Tom. I. Cod. Theod. (p. XV). Codd. 6—9, 12, 14, 16, 17, 21, edd. Sich. — Lugd. *Patri aut Puellæ*, sed jam. Ri. auct. Bestio monet, v. *aut* a librariis alieno loco positum esse. Primum in Cuj. 2, quam posteriores edd. secutæ sunt, editum est *Patri, aut matri puellæ.* Errat igitur Bestius l. c. p. 280, qui v. *matri* a Go. tacite appositum esse existimat. Idem prop. *Patri, avo puellæ*, cum v. *aut* ex *avo* facile oriri potuisset, quæ cj. non congruit cum codicibus. 19 om. *aut.* Ex quibus omnibus apparet et v. *aut* et v. *matri* suspectum, itaque utrumque delendum esse, qua cum re facit interpres, apud quem *matris* nulla est mentio, quam commemorasset, si v. *matri* in ipsa lege exstitisset, quemadmodum fecit in interpr. c. 6 h. t. Non dubitavi ergo jub. Ri. delere *aut matri* et restituere *Patri puellæ*, præsertim cum quinque codices 10, 15, 18—20 hanc lectionem tueantur.
[b] Ita 6—10, 12, 15, 18—21, Til.; Aur. Lugd. om. *aut. cur.* Rell. edd. *vel cur.*
[c] 8 *cujuslibet.*
[d] 6, 7, 14, 16 om. *non.* 21 *affinem non.*
[e] 15 *alicui*, memorabilis lectio.
[f] 6—10, 12, 14, 18 *desponderint*, non male.
[g] Ita plerique codd. et omnes edd. Best., prob. Ri. l. c. (cf. not. n.) h. l. ita m.: *Quod si intra biennium sit perfidiæ reus, in insulam rem.* Co. cj. *fiat* aut *fecerit* (biennium fecerit). *Fecerit* confirmatur tribus codd. 10, 14, 18, qui præterea add. *quis* post *quodsi*, sed vulg. scriptura convenit cum latini sermonis ingenio, haud raro omittentis verbum, quod ex antecedenti membro per se supplendum est. 20 intr. liu. *sit* pro *si* in v. *Quodsi.* Ceterum 12 *infra.*
[h] 15 *reus perfidiæ.*
[i] 15 *Si vero pactis.*
[j] 8, 10, 18 *ne.*
[k] 6—10, 14—18, 20, Til. *tradidit*; in rell. codd. et edd. *tradiderit.*
[l] Nonn. codd. om. *prid.* 10 *Dat.* I. 18, 32, 39, 43 *Dat.* V.
[m] 8, 16 om. *et Hil.* 10, 18 *Apr. Martiano præfect. pac. et. H.* 23 *Martiano ppo Paccatiano et ilariano* 21, Sich. *Apr. Martiano et Hil.Coss.* 33 *Gratiano et Hil.*
[n] 21, edd. h. l. add. *et*, quod orationem turbat.
[o] 20 *procuratore*, 6, 7 *patrem tutorem vel prop.*
[p] 6, 7, 9, 10, 18, 20, 42, 44 et multi ~~alii codd~~.

Digitized by Google

brare. Quod si tarditate aut negligentia[a] *sponsi biennii tempus excesserit, et alio*[b] *viro se puella conjunxerit, absoluta erit a*[c] *calumnia, vel ipsa, vel quicumque suorum*[d] *eam tradiderit : quia culpa est illius, qui differendo conjunctionem suam alteri nubendi locum patefecit. Nam si intra biennium data fuerit, quid observetur, evidentius sequente*[e] *lege cognoscetur*[f].

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

Imp. Constantinus A. ad Concilium Byzacenorum[g]. Servus necessarius hæres instituendus[h] est, quia[i] non magis patrimonium quam infamiam consequi videtur. Unde claret[j] actionem inofficiosi[k] fratribus relaxatam, cum infamiæ[l] aspergitur[m] vitiis is[n], qui hæres ex titit[o], omniaque fratribus tradi, quæ per turpitudinem aut aliquam[p] levem notam capere non potest institutus. Ita[q] in hac quoque parte, si quando libertis hæredibus institutis fratres fuerint alieni[r], inofficiosi actione proposita prævaleant in omnibus occupandis facultatibus[s] defuncti, quas ille perperam[t] ad libertos voluerat[u] pertinere. *Dat.*[v] VII.[x] *Kalend. Aug., Coloniæ Agrippinæ*[y], *Pacatiano*[z] *et Hilariano*[aa] *Coss.* (332).

INTERPRETATIO. *Si servo pro necessitate*[bb] *debiti a domino cum libertate hæreditas fuerit dimissa*[a], *quia hujusmodi persona videtur infamis, germanis fratribus qui prætermissi sunt, agendi contra testamentum datur facultas : ut remota infami persona, salva tamen, quam meruit, libertate, hæreditatem germani fratres ad se debeant revocare. Nam et si prætermissis fratribus liberti per testamentum heredes fuerint instituti, simili modo germani defuncti eos a bonis*[b] *fraternæ hereditatis excludent*[c], *sibique omnia, quæ reliquerit*[d], *vindicabunt.*

DE LIBERTIS ET EORUM LIBERIS[e].

Imp. Constantinus[f] *A. ad Concilium Byzacenorum*[g]. Libertis ingratis[h] in tantum jura adversa sunt, ut, si quadam[i] jactantia vel contumacia cervices erexerint aut levis offensæ[j] contraxerint culpam, a patronis rursus sub imperia[k] ditionemque mittantur. *Dat.* VI. *Kalend. August., Coloniæ Agrippinæ, Pacatiano et Hilariano*[l] *Coss.* (332).

INTERPRETATIO. *Quæcumque persona servilis a domino suo fuerit consecuta libertatem, si*[m] *postea superbire cœperit aut patronum, id est, manumissorem*

Sich. Cuj. 1—Lugd. om. *si ætas permittat*, quod alienum ab ipsa lege in Cuj. 2—Ri*. h. l. additur.

[a] 6, 7 *aut per negligentiam*; alii *tarditatem aut negligentiam*, sed 6 sec. Ri. *Q. si tarditatem per negligentiam.*

[b] Ita codd. impr. Go., sed *alio viro* est ablativus, qui recte pendet a v. *conjunxerit.*

[c] 20 om. *a.*

[d] Nonn. codd. add. *qui.*

[e] Cf. c. 6 h. t.

[f] 6, 7, 20, 21, 44 et multi alii codd. *cognoscitur.*

[g] 20 Sich. *Baianorum*, sed Sich. in m. *Bizantinorum* ut 25, 29 et Til. in m. 19 *Bissacinorum.* 42 *bracianorum.* 18 *Bizancinorum.* 15 *Bizacenorum.* Reliqui codd. plerumque *Bizacinorum*, ut Til.—Ri*. Vid. Go. ad h. l.

[h] 15 *necessario h. institutus* et om. *est quia*, quæ memorabilis lectio est. 33 om. *heres.*

[i] 20, Sich. *qui non.*

[j] 9, Sich. *Ut declaret.* 10, 18 *unde caret.* 33 *unde declaret.*

[k] 20 *inofficiosis.* 40, 41 *inofficiosis actionibus relax.*

[l] 15 *fr. reservatam c. infamia asp.* et om. *vitiis.*

[m] 20, Sich. *respergitur.* 6, 7, 18, 19 *aspergetur.*

[n] 6, 7, 9, 10, 14, 16—18, 28, 33, 40, 41 om. *is.* 20 *his.*

[o] 15 et Go. in not. *existit.* 33 *instituit.*

[p] 6, 7, 10, 14, 17 *aliquem.* 40, 41 *aut.*

[q] 20, Sich. om. *Ita.*

[r] 15 *alienati.*

[s] 15 *fac. occ.*

[t] 41 *pro persona.*

[u] 20, Sich. *voluerit*

[v] Go.: « Id est, *reddita.* » 14 om. *Dat.*

[x] 15, 33, *VI.* Go. in Chronol. « al *VI.* » Cf., c. 1 C. Th. de Libertis (IV, 10) not. *g.*

[y] Go. in comm. ad. h. c. em. *Adrimûtinæ.* 9 *Coloniæ pœne.*

[z] Codd. plerumque *Pagatiano.* 8, 10, 18 *Paccatiano.* 38 *Picatiano.*

[aa] 16 *Elariano.* 38 *Hylariano.* Ri*. *Hilarione.* 20 *Agripino pac. et illariano colonia esul.*

[bb] Multi codd., Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *per necessitatem.*

[a] Aur. Lugd. *demissa.*

[b] 20 *eos ab omni vel a bonis*, sed supra lin.: *glossa*; idem *fraternitate.*

[c] Multi codd. *excludut.* 20, Sich. *excludant.*

[d] 6, 7, 9, 20, 42 *reliquerint.* 43 *requirant.*

[e] 6—8, 10, 12, 16—18, 38, Til. *De L. et eorum moribus*, quod reprehendit Go., defendit Ri. propter harum const. arg. Sed cf. c. 3 h. t. Cuj. 1 — Lugd. *De l. et e. liberis*, alias, *moribus.* 15 *Eorundem.*

[f] Sich.—Be. *Constant.* Cod Just. *Constantius.*

[g] Plerique codd. *Bizacinorum*, ut etiam Til. 8, 10, 18 *Bizazinorum.* 13 *Bizantinum.* 14 *Bizaniorum.* 15 *Bizancenorum.* 16 *Bezazinorum.* 25 *Bitazinorum.* 26 *Bizanorum.* 20, 40, 43 *Bizancinorum.* 21 Sich. *Byzantinorum.* Cuj. 1—Be. *Byzacinorum.* Cod. Just. *ad Maximum Pf. Urb.*

[h] 9 om. *in gratis.*

[i] 12 (om. v. *si*) *quisdam.*

[j] 10, 16, 18—20 *levi offensa.* 21 *leves offensa.* Fornerius ad l. 70 D. de Verb. sign. (L. 16) legendum putat *haud levis offensæ*, perperam, cum lex non de gravi culpa, sed de qualibet *offensa* loquatur, pro qua interpres utitur v. *læserit*, id est: *si libertus aliquid commiserit, egerit contra patronum.* Vid. Go. in comm. h. c. Cod. Just. *Si manumissus ingratus circa patronum suum exstiterit et quadam — cervicem adversus eum erexerit, aut l. o. contraxerit culpam : a patrono rursus sub imperium d. mittatur*, et seqq. multa, quæ huc non pertinentia ex alia c. videntur translata esse, quod etiam inscr. et subscriptio in Cod. Just. discrepantes innuunt.

[k] 19 *imperiali.* 10, 18 *sub imperio dictionemque.*

[l] 20, 24, 28, 40, Sich. in m. *V.* 32, 33 *VII.* 8, 31 om. *VI.* Aut. scrib. *VII*, au.. rep. in c. 3 C. Th. de inoff. test. (II, 19) *VI*, ut idem sit dies. Utrumque tuentur codd. 8 om. *Agr.*, *Pac. et*, 28 *Agr.* et *et Hil.* et 33, 34 *Pacatiano.* Nonn. codd. *Pagatiano* et *elariano.* Ceterum Go. scribi vult *Adrimitinæ* pro *Agrippinæ.* Cod. Just. *Dat. Idib. April. Romæ Constantio A. V. et Constante C. Conss.* (319), quod etsi falsum cohæret cum inscr.

[m] 6, 7 om. *si.* Alii codd. *libertate* et om. *si.* Aur. Lugd. *postea.*

Digitized by Google

suum læserit, amissa [a] *libertate, quam meruit, in servitium* [b] *merito* [c] *revocetur* [d].

DE LIBERALI CAUSSA.

Imp. Constantinus A. . . . [e]. Si post assertionem defensionemque ordinatam alius in judicium acciri [f] petiverit, assertio quidem et defensio inter omnes ordinetur, ipse vero tot mancipia, quot petebat, fisco cogatur inferre. Quod si assertor defecerit vel prædictam mulctam agnoscat, vel si per inopiam id implere non possit, in metallum detrudetur. Eadem circa minorum defensores, cum liberalis caussa agitur, forma servanda, etc. *Dat.* VII. [g] *Kalend. Novemb.*, *Constantinopoli* [h], *Pacatiano et Hilariano Coss.* (332).

INTERPRETATIO. *Si post assertionem defensionemque dispositam alius in judicium, qui se dominum dicit, petierit exhiberi, inter omnes quidem ordinabitur assertio, sed ipse ad certam pœnam tenebitur. Idem et in assertore vel defensoribus minorum.*

DE FUGITIVIS COLONIS, INQUILINIS ET SERVIS [i].

Imp. Constantinus A. ad Provinciales [j]. Apud quemcumque colonus juris alieni fuerit inventus, is non solum eumdem [k] origini suæ restituat, verum super eodem capitationem temporis agnoscat [l].

[a] Aur. Lugd. *missa*. Mox 6, 7 *eruit*.
[b] 6, 7, 20, 43 *servitio*.
[c] 6—8 et multi alii codd. om. *merito*.
[d] Ita plerique codd., quod melius convenit cum tota oratione quam *revocetur*, quod in edd. est.
[e] Go. propter c. 1 C. Th. de Fugitivis col. (V, 9) suppleri vult *ad Provinciales*. In Cuj. 1 — Lugd. post *Idem A.* asteriscus est.
[f] Go. ‹ *γρ. adsciri* i. e. admitti. › In comm. autem rep. vult *adsciri* vel *adscisci*.
[g] Aut scrib. *III.*, ut in c. 1 C. Th. de Fug. col. cit. aut in c. 1 cit. VII., quod præfero. Vid. ibid. not. n. Sec. Go. in Chron. h. a. ‹ alias *Dat.* III. ›
[h] Cuj. 1 — Be. *CP.* W. *Constantinop.*
[i] 15 om. *Et Servis*. In ind. rubr. ap. Sich. Til. om. *Inquil. Et S.* Nonn. codd. *ac s. s. aut s. s. vel s.* Locus L. R. B., ex quo apparet, hunc titulum a Visigothis truncatum esse, ita se habet: *Quodsi servum aut colonum alienum, regionis duntaxat nostræ, sciens in domo vel in agro suo consistentem judicibus non prosecutat, aut admonitus a fugitivi domino eum assignare dissimulat, mulctam relentatoris incurrat,* SICUT ULTIMA THEODOSIANI LEGE : DE FUGITIVIS COLONIS, INQUILINIS ET SERVIS LEGITUR CONSTITUTUM, AD FLORENTIUM COMITEM SACRARUM LARGITIONUM DATA : quam legem frustra hic quærimus. Prima hujus loci mentio est ad c. 2 h. t. in m. Aur. Lugd. Vid. infra not. p. Go., quem Iti, secutus est, ex eo ultimam hujus tituli facit constitutionem addita inscriptione : *Impp. Theodosius et Valentinianus AA. ad Florentium Com. S. L.*; ap. W. in notis legitur, quod jure factum est, cum certus locus huic legi assignari non possit, etsi Florentius C. S. L. commemoratur ad ann. 364—366 et 385, ideoque hæc lex inter c. 1 et 2 h. tit. videtur interponenda esse. Go. conjungi eam vult cum c. 4 C. Just. de Agric. et manc. (XI, 67).
[j] Sich. Cuj. 1 — Cuj 2 *Constant.* In aliquot codd. om. *ad Prov.*
[k] 6—8, 10, 18 *eosdem*. Eodem 21 *his q. in solum— super eosdem capitat*. Mox Sich. *captationem*, impr. Ri.
[l] 6, 7, 10, 12, 13, 14, 16, 17, 21 *agnoscant*. 18 *agnoscunt*. Cæterum 6, 7 *super eosdem*.

§ 1. Ipsos etiam colonos, qui fugam meditantur [a], in [b] servilem conditionem ferro ligari conveniet [c], ut officia, quæ liberis congruunt, merito servilis condemnationis compellantur [d] implere. *Dat.* III [e] *Kal. Novemb.* [f], *Pacatiano* [g] et *Hilariano Coss.*. (332.)

INTERPRETATIO. *Si quis alienum colonum sciens in domo sua retinuerit, ipsum prius domino restituat et tributa ejus, quamdiu apud eum fuerit, cogatur exsolvere : ipse vero, qui noluit* [h] *esse, quod natus est in servitium redigatur.*

DE SERVIS FUGITIVIS ET LIBERTIS.

Imp. Constantinus A. ad Tyberianum comitem Hispaniarum. Cum servum quispiam repetit fugitivum, et alius evitandæ legis gratia, quæ in occultantes mancipia certam pœnam statuit, proprietatem opponit, vel in vocem libertatis eum animaverit, illico nequissimus verbero, super quo ambigitur, tormentis subjiciatur, ut aperta veritate, disceptationis terminus fiat. Quod non solum utrisque jurgantibus proderit, sed etiam servorum animos a fuga poterit deterrere. *Dat.* XV. *Kal. Sept. Pacatiano et Hilariano Coss.*. 332 (*Ex Cod. Just.*).

DE CODICILLIS.

Imp. Constantinus A. ad Maximum PP. Si idem codicilli, quod testamenta possent, cur diversum his instrumentis vocabulum mandaretur, quæ vis ac potestas una sociasset? igitur specialiter codicillis instituendi ac substituendi potestas juris auctoritate data non est. *Dat.* 3 *Jun.*, *Pacatiano et Hilariano Coss.* 332 (*ex Cod. Just.*).

Anno Domini 333.
Dalmatio et Zenophilo Coss.

DE ADMINISTRATIONE ET PERICULO TUTORUM ET CURATORUM.

Imp. Constantinus A. Felici [i]. Quoniam [j] per negligentiam seu proditionem [k] tutorum et curatorum possessiones juris [l] emphyteutici [m], vitio intercedente com-

[a] Go. cj. *meditabantur*.
[b] 10, 18 om. *in*. 19, 20 *in servili conditione*.
[c] W. tacite corr. *convenit*; ita etiam 10, 18, sed rell. codd. omnes et Sich. — Be. *conveniet*, quod revocavi: Mox 20 *et offic.—meritum*.
[d] Sich. *cogantur*, sed in m. *compellantur*. 9, 29 compellatur.
[e] 21, Sich. Cuj. 1—Lugd. VI, sed in m. *III*. 35 et alii codd. *VII*, recte, ut in dicta *c.* 8 cit., quod non multum differt a cod. 21 et ed. Sich. — Lugd. 9 III *id*.
[f] Add. *Constantinopoli*. Vid. c. 8 C. Th. cit.
[g] Codd. aliquot mendose *Pagatiano*, *Pacatio* s. *Pacacio*, *Patiano*, *Pecationo*, *Pasciano*; mox alii *et erario*. 8 om. *Pacatiano et*.
[h] Nonn. codd. *in domum suam — voluit* et mox *in servitio*. Sich. Cuj. 1 — Lugd. et nonn. codd. *noluerit*.
[i] Hic quoque et in sq. const. multa in cod. 1 resecta sunt, quæ cum a P. ex Ritteri ed. suppleta sint, indicare supersedeo. Nonn. codd. *ad Felicem*, quem Go. not. *b*, *PP.* fuisse putat, Proconsulem autem Africæ in Chronologia constitt. h. anni.
[j] 8 *Quod*. Mox nonn codd. *negligencia*.
[k] 10, 18 *prodire*.
[l] Pu. *possesiones suris*. mendose. Aur. Lugd. *possessionis juris*.
[m] Hic et paullo post 1 *enfateutici P. enfileutici*

Digitized by Google

missi, e [a] minorum fortunis avelluntur, placet, ut tutor curatorve, cujus [b] officio manente possessio [c] minoris juris emphyteutici prærogativam [d], commissi offensa, perdiderit [e], tantum de facultatibus propriis, censura imminente, minoribus restituat, quanto [f] rem valere potuisse constabit [g]. *Dat.* XIV. [h] *Kal. Maii* [i], *Constantinopoli*, *Dalmatio et Zenophilo* j *Coss.* (333).

INTERPRETATIO. *Si forte cesserit, ut minores possessionem juris emphyteutici* [k], *hoc est, quod ex fisci bonis parentes eorum habere meruerant, sub qualibet præstatione tenuerint, et hoc per negligentiam sive proditionem* [l] *tutoris* [m] *aut imminutum fuerit aut certe sublatum, quicquid perierit, a tutore vel curatore* [n] *esse reddendum.*

DE DONATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Severum Comitem Hispaniarum. Data jam pridem lege statuimus [o], ut donationes interveniente actorum testificatione confiteantur [p]. Quod vel maxime inter necessarias conjunctissimasque [q] personas convenit custodiri, siquidem clandestinis ac domesticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingi potest, vel id quod vere gestum est, aboleri. Cum igitur ne [r] liberos quidem ac parentes ex nostra ab actorum confectione secernat, id, quod necessario super donationibus apud acta conficiendis jam pridem statuimus, universos teneat [s], salvo tamen juris privilegio, quod liberis et parentibus suffragatur, scilicet ne traditionis vel mancipationis [a] solemnitas sit necessaria. *Dat.* IV [b]. *Non. Maii, Constantinopoli* [c], *Dalmatio et Zenophilo* [d] *Coss.* (333).

DE FIDE TESTIUM ET INSTRUMENTORUM.

Imp. Constantinus A. [e] *et C.* [f] *ad Severum Comitem* [g] *Hispaniarum.* Scripturæ diversæ et [h] fidem sibi invicem derogantes, ab altera parte prolatæ [i], nihil firmitatis habere potuerunt j. *Dat.* IV. *Non. Maii* [k], *Constantinopoli* [l], *Dalmatio* [m] *et Zenophilo* [n] *Coss.* [o] (333).

INTERPRETATIO. *Si quis multiplici scriptura contractum suum munire* [p] *cupiens de una re venditionem et donationem proferat vel quæcumque alia documenta, omnia rescindantur* [q], *quia impugnantes* [r] *se chartulas lex hæc vetat admitti.*

DE NUMERARIIS ACTUARIIS.

Constantinus A. ad Maximum Pf. P. Utilitate suadente, annonarios et actuarios conditionales esse

Sich. *emphiteutici.* Cuj. 1 — Lugd. *emphit.*, ut mox etiam W.

[a] 19 *et.*

[b] 1 *cujusq.*, impr. W., quanquam *cujusque* sententiam legis non turbat.

[c] 1 *possessione.* 15 om. *possessio.* In cod. 21 a sec. m. pro *poss.* ponitur *traditiones.*

[d] Pu. in not. *prærogativam*, mendose.

[e] 1 . . . *diderint.* 9 *perdiderint.* 19 *prærogativa — perdiderint.* W. monuit, pluralem hunc in locum non quadrare; tamen quadrat, si legitur: *possessiones — perdiderint*, quemadmodum initio legis dicitur *possessiones — avelluntur.*

[f] Ita 1, 6, 7, 14, 16, 17, Til. P. Pu. W. Edd. Sich. Cuj. 1 — Be. *quantum.*

[g] 1, 14, *constavit.* Tota const. in Cod. Just. ita depravata est: *Si tutoris vel curatoris culpa vel dolo, eo quod vectigal prædio emphyteutico impositum minime dependere voluissent, minoris prædium fuerit amissum, damnum quod ei contigit ex substantia eorum resarciri necesse est.*

[h] 15, 24, 29, 40, Sich. in m. et Cod. Just. *XIII.* 28, 30, 33, 54 *IV.*

[i] 10, 18 *Martii.* 24, 39, 43 *Mart.* 8 om. *Const. Dalm. et.*

j 6, 7 *Zenopilo.* 10, 18, 42 *Zenofilio.* 14, 15 *Zenofilo.* 38 *Zemopilo.* 1, 38, P. *Genofilo*, sed P. in not. *Zenophilo.* 40, Sich. in m. *Azemopilo.* Cod. Just. *Xenophilo.* Pu. *Genophilo.*

[k] Cuj. 1 — Lugd. *emphiteutici.* Sich. *enphit.*

[l] 6 *proditione.*

[m] 42 inter lin. add. *procuratoris.*

[n]. 42 supra lin *procuratore.*

[o] Go. *Legem*, err. typ. Go. dubitat, utrum intelligenda sit c. 1 an c. 3 h. t., etsi potius hanc intelligi opinatur. Equidem puto c. 1 significari, ad quam cum prior sit, imperator ipse provocat in c. 3 h. t.

[p] Cf. Dirksen l. c. p. 483.

[q] Cod. Just. *conjunctasque.*

[r] Cod. Just. *nec.*

[s] Seqq. des. in Cod. Just., pro quibus extrema c. 8 h. t. pars eo translata est: *Gesta autem confici super rebus etiam alibi collatis, ubicunque sufficit.*

[a] Cuj. 1, Cuj. 2, 2° *mancipantionis.*

[b] Cod. Just. *III.* impr. Ri.

[c] In Cod. Just. om. *Constantinop.*

[d] Codex, Cuj. 1. Ri°. *Zenophilo.*

[e] 7, 14, 20, 38, 42, 43 *Constantinus.* Plerique Br. al. codd. *Constant.* s. *Const.*

[f] 6—8, 10, 16, 18, 20, 21, 37, 43 om. *et C.*, ut c. 5 C. Th. de Donat. cit. Accedit c. 3 h. t., quæ soli Constantino inscribitur et in C. Th. et in Cod. Just. 33 et *con.* Sich. *Imp. Constant. A. et Cæsar.* Be. *Cæss.* ex Cod. Just., jubente Ri., qui ann.: « Imo *CC.* i. e. *Constantinus jun. et Constantius.* Fine enim hujus anni demum *Constans* Cæsar factus est. » Legitur autem in vulg. Cod. Just. edd. *Iidem AA. et CC.*, h. e. Diocletianus et Maximianus, impr. Go. Transiit hæc scriptura ex C. Th. in Cod. Just. Etenim Cod. Just. compilatores non animadverterunt restituendum esse, cum esset prima Constantini lex, nomen imperatoris. Be. in Cod. Just. et inscr. et subscr. ex C. Th. correxit.

[g] 15 *Severo Comiti.* Nonn. codd. *Ispaniarum, Spaniarum.* 36 om. *Hisp.*

[h] Cod. Just. om. *et.* Go. quærit an *et* pro *seu* habendum sit. *Et* cum iis, quæ secuntur, explicat v. *diversæ.*

[i] Cod. Just. *ab una eademque parte prolatæ.* 8. *probatæ.* 32 *pr. nullus f.*

j 6—8, 10, 13, 14, 16—18 *possunt.* 21, 32, Sich. Cod. Just. *poterunt.*

[k] 9, 29, 42 *Jan.* s. *Janr.* 16, 28 *Mar.* 30, 50 *Dat.* III.

[l] 8 om. *Const. — Coss.* et 20 *Const.*

[m] Multi codd. *Dalmacio.* 38 *almatio.* 40 *Dalfagio.*

[n] 4 et fere omnes Br. Al. codd., edd. ante Be. *Zenofilo.* 28, 36, 40 *anelofilo.* Sich. in m. *Anelophilo.* 21 *Zonofilo.* 38 *genofilo.* 42 *Zynofilo.*

[o] Vulg. Cod. Just. edd. *Dat. Kal. Maii Viminacii CC. Conss.*, mendose, in cujus subscriptionis locum auctore Go. Be. veram C. Th. subscriptionem reposuit.

[p] 6—8, alii codd. *multiplicis scripturæ* (6 *scriptura*) *c. s. manere.* 10, 18 *multiplices scripturas.* 9 *contra actum.* 21, Sich. *manere.* Multi codd. *muniri.*

[q] 6, 7 *quicunque — rescinduntur.* 21 *rescinduntur.*

[r] 20 supr. lin. *impulsantes.*

Digitized by Google

præcepimus [a], annonis etiam adjuvari [b], et capitationem eorum, qui censiti [c] sunt, haberi immunem. Ideoque tua solertia competentia monebit [d] officia, ut actuariis binas annonas, annonariis vero singulas protinus subministrent, capitationem quoque, ipsorum tantum, qui ex his censiti sunt, faciat [e] haberi immunem, quod in actu fuerint constituti: nam postea vel laus eos et dignitas honorabit, vel, si in culpa fuerint deprehensi, pœna comitabitur. *Emissa* III. *Non. Mati, Dalmatio et Zenophilo* [f] *Coss.* (333).

DE MEDICIS ET PROFESSORIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Populum. Beneficia divorum retro principium confirmantes, medicos et professores litterarum, uxores etiam et filios eorum ab omni functione et ab omnibus muneribus publicis vacare præcipimus, nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec ullo fungi munere, quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant. *PP. V. Kal. Oct., Constantinopoli, Dalmatio et Zenophilo* [g] *Coss.* (333).

DE DIVERSIS RESPECTIS.

Imp. Constantinus ad Barbarum P. A. [h] *Popeianum Consularem* [i] *Campaniæ.* Etsi non cognitio, sed exsecutio [j] mandatur, de veritate precum inquiri oportet, ut, si fraus intervenit [k], de omni negotio cognoscatur. *Dat.* III [l]. *Id. Novemb., Aquis* [m], *Dalmatio et Zenophilo* [n] *VV. CC.* [o] *Coss.* (333.)

INTERPRETATIO. *Quicquid non vera, sed falsa petitio a Principe obtinuerit,* quia fraus intervenit *non valebit.*

DE FILIIS MILITARIUM.

Imp. Constantinus A. Ablativio Pf. P. Veteranorum filii, vel eorum, qui præpositi vel protectores fuerunt, vel ceteroquemlibet gradum militiæ tenuerunt, si invalidi et imbecilles, tum, qui sint, curiis aggregentur, ita ut rei [a] familiari gaudentes et ineptos [b] militiæ curiarum societati conjungas. Quod etiam nos fecimus sub conspectu nostro his, quos deliciosis nutrimentis enervatos esse perspeximus. Qui igitur ex his patresfamilias sunt, et idonei functionibus publicis, eligantur [c] ad augendum curialium numerum [d]; singularum civitatum ordinibus commonendis [e], ut, quos norunt idoneos, nominare non dubitent, præter eos quos vigor et fortitudo defendendæ rei publicæ idoneos facit. Nam et duces singulorum limitum convenimus, ne deinceps veterani filius inutilis sacramento cingatur. Eos etiam, qui jam probati sunt, diligenter inspiciant, ut qui minus idonei [f] reperiuntur, sacramento soluti ad gravitatem tuam mittantur. *Dat. et PP. Id. Nov., Dalmatio et Zenophilo* [g] *Coss.* (333.)

DE APPELLATIONIBUS ET CONSULTATIONIBUS.

Imp. Constantinus A. Albino. Et in majoribus, et in minoribus negotiis appellandi facultas est. Nec enim judicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quod litigator ad provocationis auxilium convolavit. *Dat.* VII. *Idib. April. Marcellino et Probino Coss. Dat. Kal. Aug., PP. Kal. Septembr., Constantino Basso et Balbino. Coss.* 333 (*Ex Cod. Just.*).

Anno Domini 334.

Optato et Paulino Coss.

DE SUARIIS, PECUARIIS [h] ET SUSCEPTORIBUS VINI CÆTERISQUE CORPORATIS.

Imp. Constantinus A. ad Pacatianum Pf. P. Quoniam suariorum corpus ad paucos devenit, jubemus eos adstante populo Romano dicere, quibus excusatio sit delata, quibus provenerit onus, ut his in medium publicæ rationis edoctis [i] exemplum rei navicularie proponatur. Itaque dignoscant, facultates proprias suariorum esse obnoxias muneri, ac de duobus alterum eligant, aut retineant bona, quæ suariæ functioni destricta sunt, ipsique suario teneantur obsequio, aut idoneos, quos volunt, nominent, qui necessitati iidem [j] satisfaciant. Nullum enim vacare ab

[a] Ita Go. ex codice; rell. *præcipimus.*
[b] Go. mendose *adjuvari.*
[c] Codex et edd. ante Be. *censeti.* Hoc etiam paullo infra. Be auct. Go. em. *censiti.*
[d] Cuj. 1. Cuj. 2, 2* *amonebit*, errore propter antecedentem literam *a.* Aur. Lugd. *admonebit.* Go. ex cod. rest. *monebit*, quod Ri. Ri*. Be. rec.
[e] Ne conjicias *faciant.*
[f] Codex, Cuj. 1 — Lugd. *Zenofilo.*
[g] 4 *Zenofilio* et Aur. Lugd. *Cons.*
[h] Ri* *Rarbarum* mendose. Cod. Just. om. *Barbarum.* 25 om. *Pompeianum*, pro quo in Cod. Just. ms. Pl. 1, Montisp. H. 82. ed. Nbg. *Pontianum.*
[i] 6 *pc.* Til. in m. *Proc.* 9, 10 *prefectum.* 18 *pfectum.* 27, 48 om. *consularem Campaniæ.* 9 *Campaniæ aug.*
[j] 19 (not. interlin.) *excusatio.*
[k] W. cum Cod. Just. *interenerit;* ceteræ edd. et plerique codd. *intervenit.* 5 et — *intervenit.*
[l] 33 *IV.* Nonnulli codd. *kal.*
[m] Ad. v. *Aquis* vid. Go. in Chronol. p. XXIII et ad h. not. *k.*, ubi cj. *Apris*, non tamen improbans lect. vulg. Hal. Russ. om. *Aquis.*
[n] 8 *Genesio.* 19 *signafilo*, reliqui codd. *Zenofilo, Genofilo, Genofilio, Genofalo, Jenufico.* Sich. *Signophilo* 20 *Signofilo*, et post interpr. repetit nomina consulum, mendose scribens *Zenonifilio.*
[o] Plerique codd. et Cod. Just. om. *VV. CC.*, sed 28, 37, 40, 41 *et — Coss.*

[a] Clarum est scrib. esse *re*, ut Go. et Be. voluerunt.
[b] Codex, Cuj. 1 — Ri*. *inaptos.* Supra codex *et* (post *filii*, sed corr. *vel*) — *imbecillis.*
[c] Codex *patrisfamilias s. et idoneis.* Aur. Lugd. *eligatur*, mendose.
[d] Cuj. 1. Aur. Lugd. mend. *munerum.*
[e] Ita Go. — Be., quod aptius mihi videtur quam *commovendis*, quæ est scriptura codicis, Cuj. 1 — Cuj. 2*. Vid. præter alios locos c. 13 de Veteranis (VII, 20). Infra codex *defendende — sungolorum*, sed em. a librario *singulorum.*
[f] Cuj. 2, 2* err. *idoni.* Hinc incipit folium LXXIX. codicis.
[g] Codex, Cuj. 1 — Ri*. *Zenofilo.*
[h] Cod. Just. om. *Pecuariis:* deinde habet *et cæteris.* Aur. Lugd. *Suaris.*
[i] Ita 4, edd. et. cum P. taceat, cod. 1. Go.: « Et eductis. » Be. vult *eductis.* Sustineri potest *edoctis;* antea est *dicere.*
[j] 4, edd. *idem* et multo mendosius 1 *idest*, nisi ibi scriptum est *idem.* Rep. *iidem.* Go. prop. *iidem* aut *eidem*, Be. *iidem* aut *item.* Nostrum propo accedit ad

Digitized by Google

hujus rei munere patimur. Sed sive honoribus evecti, sive quolibet versutiæ genere fugerunt, revocari eos jubemus, idque ipsum teste et audiente populo Romano compleri, ac nos super his consuli, ut animadvertamus [a] in eos qui hac tergiversatione usi sunt; functionis hujus vacatione nulli penitus tribuenda, sed eo, qui surripere potuerit, post beneficium infirmatum, salutis etiam periculum subitur. *Dat.* [b] *VIII. Id. Mart., Roma, Optato et Paullino* [c] *Coss.* (334).

DE MATERNIS BONIS.

Imp. Constantinus A. ad Severum Comitem Hispaniarum. Insinuatum est, quosdam patres principalis conjugii [d] copulatione destitutos in perniciem filiorum ultra misericordiam sanguinis properare, et receptis deinceps aliis matrimoniis, majorem sibi in rebus filiorum vindicare personam: qui, quoniam in his usufructuarii remansisse videntur, usurpare ea ac pervertere confidunt, ut per hoc his, qui in orbitate remanserunt, nulla nec possidendi, nec litigandi tribuatur occasio. Ideoque placet, ne quis pater receptis deinceps matrimoniis earum rerum, quæ prioris conjugis fuerunt, sibi jus defendendum existimet, nisi tutelæ vice [a], donec minores probata ætate esse videantur. His autem moderatio nostra cuncta jubet servari atque restitui. *PP.* [b] III. *Kal. April., Constantinopoli, Optato et Paullino Coss.* (334.)

DE COMMUNI DIVIDUNDO [c].

Imp. Constantinus A. Gerulo [d] *Rationali trium provinciarum* [e]. In Sardinia fundis patrimonialibus, vel emphyteuticariis per diversos nunc dominos distributis, oportuit [f] sic possessionum fieri divisiones, ut integra apud possessorem [g] unumquemque servorum [h] agnatio [i] permaneret [j]. Quis enim ferat [k] liberos a parentibus, a fratribus sorores [l], a viris conjuges segregari? Igitur qui dissociata [m] in jus diversum mancipia traxerunt [n], in unum redigere eadem cogantur [o]: ac [p] si cui [q] propter redintegrationem necessitudinum servi cesserunt [r], vicaria per eum [s], qui eosdem susceperit [t], mancipia reddantur [u]. Et [v] invigilandum, ne [x] per provinciam aliqua [y] posthac [z] querela super divisis mancipiorum affectibus perseveret. *Dat.* III. [aa] *Kal. Maii* [bb] *Proculo et Paullino Coss.* [cc]

utriusque codicis scripturam neque vero nego, *eidem* simplicius esse.

[a] Seqq. corrupta sunt in cod. 4 et in edd., ubi sic se habent: *animadvertamus in eos, qui hac tergiversatione nulli penitus tribuendas* (Cuj. 2 2ª *tribuenda*), *ideo, qui subripere* (Be. de cj. Go. em. *subrepere*) *potuerit, post beneficium infirmatum, salutis etiam periculum subituro.* In m. Aur. Lugd. sanando loco hæc adscripta sunt ad v. *tribuendas*: « *For. tribuenda, se subripere voluerit. p. b. in s. e. p. subituros.* » Go. hac emendatione usus est, ut conjiceret: *ut animadvertamus in eos: Eo qui hac tergiversatione, nulli penitus tribuenda, cæteroqui subrepere potuerit*, etc. et addit: « *Cæteroqui*, loco, *si ideoqui*, id est, in posterum, alioquin. » Jam vero succurrit fol. XXX. cod. 1, cujus hi hoc loco sunt versus:

madu.... amusineosquihactergiversationeu si sunt
derelicofunctionishujussuacationempenitus tribuen
damsedeumquisubripereposueritpostbenef iclum
infirmatumsalutisetiampericulumsubitu . . . . . .

(Pu. quinque puncta habet, W. septem). P. Ita legit: *ut animadvertamus in eos, qui hac tergiversatione usi sunt; de relico functionis hujus vacationem nulli penitus tribuendam; sed eum, qui subripere potuerit, post beneficium infirmatum, salutis etiam periculum subiturum.* W. « Apparet igitur, inquit, vv. *de reliquo—vacationem*, quæ membrana huic loco supplendo exhibet, alias omissa esse propter similem exitum vv. *tergiversatione, vacatione*: contra in palimps., siquidem recte vv. reddidit Peyron., excidisse v. *nulli*, quo carere locus non potest. Cæterum non accusativos cum Peyrono retinendos, sed ablativos absolutos, imperatoribus usitatissimos, restituendos, totumque locum jam ita scribendum arbitror: *ut animadvertamus in eos qui hac tergiversatione usi sunt; de reliquo functionis hujus vacatione nulli penitus tribuenda, sed eo, qui subripere potuerit, post beneficium infirmatum, salutis etiam periculum subituro.* Quæ lectio, ut a palimps. paulnlum recedit, ita confirmatur vulgata: *ideo——subituro.* » Recepi quæ sunt a W. restituta, præsertim cum *tribuendasedeo* insint in cod. 4 scriptura *tribuendasideo*. V. *subrepere* a Go. emendatum et a Be. repositum falsum esse, non dico.

[b] Go. *Dat.* pro *Propos.* vel *Acc.* habet.

[c] 1, 4, edd. *Paulino.*

[d] Cod. Lugd. *conjugi*, sed m. *conjugii*. Ibidem paulo infra *orbita*, sed rest. *orbitate.*

[a] Cod Lugd. *vicem.*

[b] Go. em. *Cordubæ* aut reponi vult *Dat.* pro *PP.* Cæterum codex et edd. *Paulino.*

[c] Multi codd. *De Communi Dividendo*, alii *De Commune Dividendum.* Cod. Just. om. *De.*

[d] 20 *Jerole.* Sich. Til. *Jerulæ*, sed Sich. in m., ut Cod. Just. *Cærulo* et Til. in m. « al. *Gerulo.* » 10, 14, 16, 18, 25 *Gerolo.* 19 *Jerolo.* Seqq. des. in nonn. codd.; alii omnia om. post *A.*

[e] 10, 18, 19, 25 *R. trium provinciarum in Sardinia* (ita etiam *R.*) *Fundis.* Cæterum 20 *rationale.*

[f] 16 *oportet.* Hinc inc. c. 11 Cod. Just. cit. *Poss. divis. ita f. oportet.* Mox 20 *integram.*

[g] Cod. Just. *successorem.*

[h] Cod. Just. add. *vel colonorum adscripticiæ conditionis seu inquilinorum proximorum.*

[i] 16, 20 et Til. in m. *agnitio.*

[j] Cod. Just. *agnatio vel affinitas permaneat.*

[k] 6, 7, 14, 16, 17 *Qui ferat.* 20 *Q. e. referat.* Aur. Lugd. *Quis n. ferat.*

[l] 20 *sororem.*

[m] 20 *quod diss.* Cod. Just. *si qui sic sociata.* Dirksen, l. c. p. 432.

[n] 20 *adtrax.* Sich. *attrax.* Cod. Just. *vel colonos distraxerint.*

[o] 15 *in unum ea red. c.* Cod. Just. *in u. eadem r. c.* et om. seqq.

[p] 15, 16 om. *ac.*

[q] 14 *sicut* 19 *sicubi.* 15 *si cui au. pr.*

[r] 6—8, 10, 15, 16—19, Til. *cesserint.*

[s] 9 *vic. pro ro. eum.* Nonn. codd. *vicario.*

[t] 6—10, 14. 16—18 *susceperint.*]

[u] 19, 20, *reddatur.*

[v] 10, 18 et Go. ex cj. *Sed.* R. *Sed invigila.* 15 om. *et.*

[x] 6, 7, 14 *inviligilante* (om. *ne*) *per.* 9 *et in vigilia.* 10, 18 *invigilans* (om. *ne*)[*per.* 15 *invigilante te per prov. ne aliqua.*

[y] 20, Sich. *aliquam.*

[z] Plerique codd. *posthæc.*

[aa] 20, Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *VII.*, sed in m. *III.* 19 om. III.

[bb] 20, Sich. Cui. 1. Aur. Lugd. *Jul.*, sed 20 ex corr. et in m. edd. citt. *Maii.* 38 *Mar.*

[cc] Ita omnes codd. et Cod. Just. Sed non reperiuntur in fastis hi consules, quam ob caussam alii alia commenti sunt. Go. in not. *Pub. Optato et Paulino Coss.* (334).

Digitized by Google

INTERPRETATIO. *In divisione* [a] *patrimoniorum seu* [b] *fiscalium domorum sive privatorum observari specialiter debet, ut, quia injustum est filios a parentibus vel uxores a maritis, cum ad quemcumque possessio pervenerit, sequestrari, ut* [c] *mancipia, quæ permixta fuerint, id est, uxor cum filiis et* [d] *marito suo datis vicariis, ad unum debeant pertinere, cui necesse fuerit commutare* [e]*, quod sollicitudo ordinantium debet specialiter custodire* [f]*, ut separatio fieri omnino non possit.*

DE NUMERARIIS ACTUARIIS.

Imp. Constantinus A. [g] *ad Veronicianum* [h] *Vicarium Asiæ.* Vorax et fraudulentum numerariorum propositum, qui diversis [i] rectoribus obsequuntur [j], ita inhibendum est, ut et [k] antea sancivimus [l], et nunc itidem sancimus [m], conditioni eos subdi tormentorum [n], et eculeis atque lacerationibus subjacere, nec ultra biennium hoc fungi obsequio, etc. *Dat.* XIV. *Kal. Jun., Optato et Paulino Coss.* (334).

DE IIS QUÆ ADMINISTRANTIBUS DISTRACTA SUNT VEL DONATA.

Imp. Constantinus A. [o] *ad Veronicianum* [p] *Vicarium Asiæ. Post alia*: [q] Damus provincialibus facultatem [r], ut, quicumque sibi a numerariis [s] qui deversis rectoribus [t] obsequuntur, conquesti [a] fuerint aliquas venditiones [b] extortas, irritas [c] inanesque efficiant [d], et male vendita ad venditoris dominium revertantur, amissione etiam pretii [e] illicitis ac detestandis emptoribus puniendis. *Dat.* XIV. [f] *Kal. Jun.* [g], *Optato* [h] *et Paulino* [i] *Coss.* (334).

HÆC LEX *expositione non indiget* [j].

DE OFFICIO JUDICUM OMNIUM.

Imp. Constantinus A. Andronico [k]. Si contra pupillos, viduas vel morbo [l] fatigatos [m] et debiles impetratum fuerit lenitatis nostræ judicium [n], memorati [o] a nullo nostrorum judicum compellantur comitatui nostro sui copiam facere. Quin imo [p] intra provinciam, in qua litigator [q] et testes [r] vel instrumenta [s] sunt, expe-

---

[a] 20 *in* (in m.). *Definicione.* Sich. *In definitione*, sed in m. *divisione.* Nonn. codd. *divisionem.* Go. cj. *patrimonialium.*

[b] Nonn. codd. hic *sive* et mox *seu.* Mox 21 in m., Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *dominorum.*

[c] 6, 7 om. *ut.*

[d] Ita plerique codd., ut 6—10, 14, 16—18, 43, 44; sed 19, 20 edd. *m. s. et fil.*

[e] Nonn. codd. *commutari.*

[f] Ita plerique codd., sed nonn. *custodiri*, alii *superatio.*

[g] Cod. Just. *Imp; Constantinus*, quia est prima h. t. lex.

[h] Be. auct. Go. ex c. 2 cit. (vid. not. sup.) et ex Cod. Just. rest. *Veronicianum* pro *Benoricianum*, quam mendosam scripturam codex et edd. ante Be. habent.

[i] Cod. Just. add. *obsequiis*, sed deest ap. Cujacium.

[j] Cuj. 1 *obsequuntur.*

[k] Cod. Just. om. *et.*

[l] Codex, Cuj. 1—Lugd. *sancxerimus.* Cuj. 2—Ri². *sanxerimus.* Go. in not. em. *sanximus* vel *sanxeramus.* Be. ex Cod. Just. rec. *sancivimus*, sed Cujacius ibi *sanximus.*

[m] Aur. Lugd, *sancximus*,

[n] Codex, edd. ante Be. *subditorum.* Go. annotat: [a] γρ. *subditernum*, id est tormentorum, ut Cod. Just. Be. hanc Go. cj. recte in contextum recepit. Vid. c. 6 h. t. *subjecerint torqueri* et c. 9 h. t. *tormentis esse subjectos.*

[o] Codd. Br. Al. Sich. Til. *Imp. Constantinus A.*

[p] 15 *Feronicianum.* 16 *Verocinum.* 20, 35, 43 *Verocianum.* 25 *Verotiano.* 26 *Vericianum.* 21, Sich. Til. *Veranicianum.* Aur. Lugd. *Veronicinianum.* 27 *Nicianum.* Similiter 10, 18 *ad Vero Nicianum.* 28 *Id. ag. ad Julianum Constantinum.* 36 *Imp. Aug. ad Julianum Constantinum.* 48 *Imp. Theod ad Julianum Constantinum.* Non. codd. *Virum clarum* pro *Vicar.* Al. *Vic.* annotatur *Tusciæ.*

[q] In multis codd. deest *Post alia.*

[r] 20 *potestatem.* Mox nonn. codd. *quæcunque.*

[s] Sich. Til. *nummulariis*, impr. Ri. 21 om. *a.*

[t] 10, 18 *rapioribus.*

[a] Codices Br. Al. *cumquæsti*, sed 20 corr. supr. lin. 6, 7 *conquæstii.*

[b] 32 *donationes.* Nonn. codices *vend. exortas.*

[c] 10, 18 *infitas.* 15 *irrita.* 20 *immeritas*, sed. em.

[d] 15, 20, 25, 27, 31, 33 — 35, 37, 39, 43, 44, Sich. *efficiantur*, impr. Ri. 21 *efficient.* Mox in nonn. codd. om. *et — revertantur.*

[e] Nonn. codd. *præjudicii* pro *pretii* et *et* pro *ac.*

[f] 9, 27, 42. L. R. U. ap. Cauc. (sed cod. Pip. *XVIII.* et S. Gall. ut nos) *XIII.* 17 *XVII.* 30 *IV.* 40 *Dat. titul.* XIV.

[g] 10, 20, 39 *jan.*

[h] Nonn. codd. *Obtata*, alii *Obtoto.*

[i] 21 *Aquilinio.* Sich. *Aquilino.*

[j] Hæc vv. interpretis des. in Cuj. 1 — Cuj. 2*; Go. Ri. Ri*. *interpretatione non indiget*, sed in ed. Go. interpr. negligentia typographi in mediam notam *a* interjecta est. 21, Sich. *Lex ista.* Post interpretationem ap. Sich. apparet novæ legis vestigium: *Imp. Theod. A. ad Julianum Constantinum* * *Interpretatio. Quicunque sibi a nummulariis, qui diversis rectoribus obsequuntur, conquesti fuerint aliquas venditiones extortas, irritas, inanesque efficiantur, et male vendita ad venditoris dominium revertantur: amissione etiam pretii illicitis ac detestandis emptoribus puniendis.* In m. ed. Sich. annotatur: *In Codice Argentoratensi deprehendimus alterius legis initium, cui annexa erat hæc interpretatio, quæ tamen a lege superiore ne quidem verbum mutet.* Jam si quæritur, an incognita lex his vv. lateat, id negandum esse contendo. Fons enim innotuit. Argentoratensis codex est Bernensis (40), in quo hæc ipsa Sichardi vv. cum inscriptione inveni; sed ita ut non alterius legis in reli. exemplis omissæ indicium faciant, verum pro ea ipsa lege, quæ in Br. Al. recepta est, scripta sint. Similiter res se habet in codd. 28, 36. Est igitur hic locus nihil aliud nisi corrupta ipsius legis interpretatio cum mendosa inscriptione (Constantini nomen transpositum est, ut docent codd. 28, 36; ejus in locum librarius cod. 40, qui lacunam post *Imp.* animadvertit; substituit *Theod.*; *Julianum* ortum est ex v. *Veronicianum*). Jam vero Sich., qui non accurate inspexisset cod. 40 inscriptionem pro legis deperditæ argumento habuit.

[k] Nonnulli codd. add. *augg.* 14 *Idem andronico*, et om. *A.* Cod. Just. *ad Andronicum.* 19 *Andromacho.* 20 *anthronico.* 8 *Antronico.* 21 *Adronico.* 5 om. inscript.

[l] Cod. Just. *vel v. vel diuturno morbo.* 9 *et morbo.* 10, 18 *viduæ v. m.*

[m] 8 *fatigatis.* Sich. Cuj. 1 — Cuj. 2* *fatigatas.*

[n] 8 om. *nostræ i.* 14 *nos i.* 20, 21, Sich. Til. *judicio.*

[o] 14 *memoramus.*

[p] 14 *Qui nemo.*

[q] 8, 9, 21, Sich. *litigatur.* 20 *litigat.*

[r] 8, 9, 20 add. *sunt.* 5 *hec testes.* 10, 18, R.

[s] 16 *instructa.*

Digitized by Google

riantur jurgandi fortunam, atque omni [a] cautela servetur [b], ne terminos provinciarum [c] suarum cogantur [d] excedere. Quod si pupilli [e] vel viduæ aliique [f] fortunæ injuria miserabiles [g] judicium nostræ serenitatis [h] oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt [i], cogantur [j] eorum adversarii examini nostro sui copiam facere. *Dat.* XV. [k] *Kal. Jul.* [l], *Constantinopoli* [m], *Optato et Paullino Coss.* (334).

INTERPRETATIO. *Quicumque* [n] *adversus* [o] *pupillos, viduas et ægrotos* [p] *nostra præcepta meruerit* [q], *eos de locis suis commovendi vel extra provinciam suam* [r] *usquam penitus protrahendi licentiam summovemus, ut* [s] *ibi caussam suam dicant, ubi instructiores esse et testimonia possint* [t] *facilius invenire. Sane si ipsi, quorum fatigationi consulimus* [u], *nos crediderint expetendos* [v], *huic voluntati eorum veniendi aditum non negamus* [x]; *ita ut adversarii eorum sub præsentia principis adesse per rectorem provinciæ compellantur.*

DE ADVOCATO FISCI.

Imp. Constantinus A. ad Pacatianum Pf. P. Etsi potior apud nos privatorum caussa est quam fisci tutela, præcipimus tamen, si a nobis plures defensacula fisci meruerint, eum præponi cæteris, qui melior, innocentia potior, litteris pollentior reliquis, examinata fide esse noscetur, etiamsi post alios hoc beneficium a nostra clementia reportavit [y]. *Dat.* III. [z] *Non. Jul., Singenduno* [aa] *Optato et Paullino* [bb] *Coss.* (334).

DE FIDE TESTIUM ET INSTRUMENTORUM.

Imp. Constantinus A. ad Julianum Præsidem [cc]. Ju-

[a] Cod. Just. *omnis.* Dirksen l. c. p. 422.
[b] 9 *servaturum.* 19, 20, 21, Sich. *serventur.* Deinde 20 *nec.*
[c] 5 *provincialem.*
[d] 6 *cogentur.*
[e] 5 *publici.* 8 *pupille.*
[f] 9, 20, 21, Sich. *aliæque.* 10, 18, 19 *aliquæ.*
[g] Nonnulli codd. *injuriam miserabilis.*
[h] 5 *servitutis*, sed corr. *serenitatis.*
[i] Ita 14, 16. 17, 18, Cod. Just.; reliqui codd. et edd. *perhorrescant.*
[j] 18 *cogentur.*
[k] 32 *V.* 19, 21 om. *XV.*
[l] Anian. Rhem. sec. Go. *Jun.*
[m] 8 om. *Opt. et P. Coss.*; plerique codd. om. *Coss.* 14 *Obtatu.* 36, 40 *et Probato Pcc.* Sich. in m. *Probato.*
[n] 8, 10, 18, 42, 44, alii *Si quic.* Sich. in m. *qui.*
[o] Edd. et plerique codices *adversum.*
[p] 20, 36, 40, Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *infirmos*, sed eædem edd. in m. *vel ægrotos.*
[q] Permulti codd. *meruerint.*
[r] Nonn. codd. *nusquam* 20 *n. usq.*
[s] Nonn. codd. *et.* Sich. Cuj. 1. Aur. Lugd. *sed*, prob. Ri.
[t] 5 *testimonio possunt.*
[u] Plerique codd. *consolemus* aut *consulemus.*
[v] 5, 8 *exspectandos*, deinde alii *hunc* aut *huc.*
[x] Multi codd. *negemus.* 5 *compellant.*
[y] 4, edd. *reportabit.* Go. em. *reportavit*, Be. *reportavit*, vel *reportaverit.* Alterutrum necesse erat emendaretur.
[z] Cuj. 2, 2*. Go. *II.*, err.
[aa] Be. *Singinduni* Scrib. *Singiduno.*
[bb] 4, Til. — Ri*. *Paulino.* Aur. Lugd. *Cons.* et hic et in c. 3, 4 h. t.
[cc] 16 *Julium præs.* Rein. in m. *Tarraconensem.*

risjurandi religione [a] testes prius quam perhibeant [b] testimonium, jam dudum arctari [c] præcepimus [d], et ut [e] honestioribus potius fides testibus habeatur [f]. §. 1. Simili more [g] sanximus [h], ut [i] unius testimonium nemo judicum in quacumque [j] caussa facile [k] patiatur admitti. Et nunc [l] manifeste sancimus, ut unius omnino testis responsio non audiatur [m], etiamsi præclaræ [n] curiæ honore præfulgeat [o]. *Dat.* VIII P. *Kal. Sept.* [q], *Naisso* [r], *Optato et Paullino Coss.* (334).

INTERPRETATIO. *Testes priusquam de caussa interrogentur, sacramento debere* [s] *constringi, ut jurent se*

Idem dicit Go. nonneminem putare. Juliano inscribitur c. 23 C. Th. de Decur. (XII, 1) anno 338 data, ubi Go. ann.: « Non dubito, quin *Julianus* hic Rector alicujus provinciæ fuerit, sane ante quadriennium Juliano Præsidi inscribitur *l.* 3. *sub de fide testium.* » In notis h. c. dubitat, utrum ille idem Julianus sit, an potius Cejonius Julianus intelligendus, cujus meminerit Vopiscus in Vita Firmi cap. 1 (2); in Prosopogr. autem cogitat de Juliano exvicario, quem Ammian. Marc. XXII, 11 narrat interfectum esse Mamertino et Nevitta Coss. (362.) Res incerta est; neque tamen temporis ratio permittit, ut eumdem Julianum hic accipiamus, cujus mentionem fecerunt Vopiscus aut Ammianus Marc.; quin autem idem sit atque ille in c. 23 cit., non dubito. Cod. Just. *Imp. Constantinus A.*

[a] 6, 7, 10, 13, 16, 18 *religionem* et nonn. codd. *testis.* 20 *in religione.*
[b] 4 *adhibeant*, a post. man. em. *perhibeant.* 25 *præbeant.*
[c] 20 *adstare*, sed supr. lin. *arctari.*
[d] Ita aut. Go. recte. Be. ex Sich. et nonn. edd. Just.; 4, 6—8, 10, 16—18, 20, 21, 25, 50, Til.—Ri*. Cod. Just. (ed. Spang.) *præcipimus*; rell. codd. *præcepimus.* Go. — Ri*. *præcipimus*: *Et.*
[e] 8 *ut et.*
[f] 20 *adhibeatur.* Cod. Just. *testibus fides adhibeatur.*
[g] Ita 4, 6—8, 10, 13, 14, 16—18, 21, 25, 50, Sich. — Ri*. Coll. Aus. ded.; 12 *similes mores.* Rell. codd. B. ex cod. 20, Cod. Just. *modo.* 15 *sim. s. modo ut.* Restitui *more.* Mos est pro ratione, modo, exemplo. Cæterum Til. — Cuj. 2* *habeatur*, *simili more.*
[h] 6—8, 10, 12—18, 20, 21, Sich *sancimus.*
[i] 4, 6—8, 10, 12—14, 17, 18, 21, Til.—Lugd. *et.* Legitur igitur in Til.—Cuj. 2* *pr., et ut h. p. f. t. habeatur, simili more sanximus, et* (Cuj. 2, 2* *ut.* fortasse leg. et interpung. cum his edd.) *unius*, qua interpunctione v. *sanximus* ad anteced. vv. *et* — *habeatur* refertur. 16, 25 om. *ut.* 18 mendose *injuste* pro *unius.*
[j] 10, 18 *in quocumque.* 20 *in quemcunque* et om. *caussa.*
[k] 4 *fiscale*, rubro col. corr. *fiscali.* Til.—Lugd. *fiscali*, recte impr. Go. in comm. et adversantibus præter v. *quacunque* rell. codd. Sich. Cod. Just.
[l] Go. *At nunc* mavult, *et nunc* defendi posse non negans.
[m] 15 *non admittatur.* Sich. *ne u. o. t. r. a.* 6, 7 *audeatur.* Supr. Coll. Aus. ded. *omni modo testis.*
[n] 15, 50, Sich. in m. *præclaro* et mox nonn. codd. *cure.*
[o] 12 *refulgeat.*
[p] 24, 50, Aur. Lugd. *IX.* 21 om. *VII.* 20 V.
[q] 39 *Dec.*
[r] 34 *Nauso.* 38 *Neso.* 39 *Naissio.* Be. *Naissi.* 8 om. *Naisso* et *et* — *Coss.* 4, alii. codd. edd. *Paulino.*
[s] Hoc omnes fere codd., veluti 6—10, 12, 16—18,

Digitized by Google

nihil falsi esse dicturos. Hoc etiam dicit[a], *ut honestioribus magis quam vilioribus testibus*[b] *fides potius admittatur. Unius autem testimonium, quamlibet splendida*[c] *et idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.*

DE EXCUSATIONIBUS ARTIFICUM.

Imp. Constantinus A. ad felicem.....[d] Architectis quam plurimis opus est; sed quia non sunt, sublimitas tua in provinciis Africanis ad hoc[e] studium eos impellat, qui ad[f] annos ferme duodeviginti nati liberales litteras degustaverint. Quibus ut hoc gratum sit, tam ipsos quam eorum parentes ab his, quæ personis injungi[g] solent, volumus esse immunes, ipsisque, qui discent[h]; salarium competens statui. *PP.* VI. *Kal.* [i] *Sept., Carthagine., Optato et Paulino Coss.* (334).

DE NAVICULARIIS.

Imp. Constantinus A. ad [j] *Felicem* ..... Commoda nobis visa est[k] ea dispositio, quæ expresse navicularios in hunc ordinem formavit, ut non promiscuè, sed per vicissitudines rite servatas juges cursus [l] agnoscerent, et exiguos [m] implerent, quo ita levamentis alternantis auxilii cunctorum fortunæ et tenuiorum potissimum confirmarentur[n], nec necessitas fieret, aliquos semper longiora lustrare, ac plerisque obnoxios casibus fieri. Quod ne ulterius possit accidere, labor omnibus par et justus adjunctus sit, et subsidia pari ratione deferantur, nec tenuiores in querelas infructuosæ complorationis incurrant. *PP.* VII. [a] *Id. Sept. Carthagine, Optato et Paulino* [b] *Coss.* (334).

Imp. Constantinus A. Navicullariis Orientis Pro commoditate urbis, quam æterno nomine, jubente[c] Deo, donavimus, hæc vobis privilegia credidimus deferenda, ut naviculariі omnes a civilibus muneribus et oneribus et obsequiis habeantur immunes, et ne honores quidem civicos, ex quibus aliquod incommodum sentiant, subire cogantur. Ab administratione etiam tutelæ, sive legitimæ, sive ejus[d], quam magistratus aut provinciæ rectores injungunt, habeantur immunes. Et vacatione legis Juliæ et Papiæ potiantur, ut, etiam nullis intervenientibus lucris[e], et viri ex testamento uxorum solidum capiant, et ad uxores integra voluntas perveniat maritorum. De proprietate etiam vel hæreditate vel qualibet alia civili caussa pulsati, ne ex rescripto quidem nostro ad extraordinarium judicium evocentur, sed agentibus in suo foro respondeant, et ad exemplum Alexandrini stoli[f] quaternas in frumento centesimas consequantur, ac per singula millia singulos solidos, ut his omnibus præterea animati, et nihil pene de suis facultatibus expendentes cura sua frequentent maritimos commeatus. *Acc. Kal. Dec., Optato et Paulino*[g] *Coss.* (334).

DE TESTAMENTO MILITIS.

Imp. Constantinus A. ad. Populum. Milites in expeditione degentes, si uxores, aut filios, aut amicos, aut commilitones suos, postremo cujuslibet generis homines, amplecti voluerint supremæ voluntatis affectu: quomodo possint, ac velint, testentur: nec uxorum aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas dignitasve quæratur. Proinde sicut juris rationibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina aut clypeo litteris sanguine suo rutilantibus annotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo, ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, hujusmodi voluntate stabilem esse oportet. *Dat.* III *Id. August., Nicomediæ, Optato et Paulino Coss.* (334) (*ex Cod. Just.*).

20, 21, 42—44, convenienter cum ætatis, qua scripta est interpr., modo dicendi. Edd. *debent.*

[a] 20 *falsa—dico.*

[b] 9 om. *testibus.*

[c] 20 *quamlibet et splendida.* Sich. Cuj. 1 — Lugd. *quamvis.*

[d] Dignitas etiam deest in c. 6. C. Th. de Navicul. cit. et in cod. Montispes., qui *Lib.* XIII *Leg. Idem ad Felicem.* Go. Felicem *sublimitatis tuæ* appellatione hic salutatum præfectum præt. et Italiæ quidem fuisse putat, qua ej. nisus Bo. in not. add. *Pf. P.* Go. — Ri *. ut om. dignitatem indicent, sex puncta ponunt; rell. nihil signi ponunt.

[e] Fol. 304 [b] cod. 4. In cod. Montispes. om. *sublim. t. in pr. Africanis.*

[f] Go.: abundare videtur hæc vox.

[g] 4 *iniugi*, err.

[h] Go. cj. *docent*, motus v. *salarium*, quod docentibus, non discentibus præbatur. Sed totius constitutionis, ut in C. Th. servata est, ea mens est, ut præmiis alliciantur et commodis, qui in architecturæ studium incumbant. *Discent* habet etiam cod. Montispes.

[i] C. 6 cit. *PP. VII. Id.*, qua re hanc c. cum c. 6 cit, nego conjungendam esse. Go. in Chron. VII, sed add.: « Al. VI. » Mox 4 et edd. *Paulino.* In cod. Montispes. deest subscr.

Vid. supra not. *c.*

[j] Go. et Ri. sex punctponunt, Ri [k]. quattuor, rell. non indicant lacunam.

[k] Fol. 307 [a] cod. 4.

[l] 4 *currus*, a libr. corr. *cursus.*

[m] Go. cj. *exagogas* vel *exagogios*, neque vero mutat v. *exiguos.*

[n] 4 *tenuioribus um potissimum confirmen nec.* A rec. man. rubro col. ponitur asteriscus post *um* et post *confirmen* (*tenuioribus um * potissimum confirmen * nec*). Til.—Lugd. *tenuioribus * um potissimum confirmen*, *nec.* Primum in Cuj. 2, 2* editum est *tenuioribus tum potissimum confirment, nec*, quæ cj. Cujacii a seqq. editoribus recepta est, ita tamen, ut

Go. — Ri *. asteriscum post *confirment* servarent. Rectius recepissent alteram Cujacii cj. indicatam illam in ni. Cuj. 1 — Cui 2* et Go. Bo. probatam *tenuiorum potissimum* (in Aur. Lugd. om. *potissimum*) *confirmentur*, quam prætuli quidem, cum manifestus sit error librarii cod. 4, sed mutato præsente in imperfectum.

[a] Ri *. om. *VII.*

[b] 4, edd. *Paulino.*

[c] Go. in not. *lubente;* recte defendit in comm. *jubente.*

[d] 4 *jus*, ab ant. man. corr. *ejus.*

[e] Cuj. in me. Cuj. 1—2*. Go. Bo. recte em. *liberis.*

[f] Supra v. *stoli* ab antiqua manu gilvo col. scriptum est in cod. 4 *cursus*, sine dubio interpretandi stoli caussa. Rec. manus id uncis inclusit rubro col. pictis.

[g] Vid. not. *b* antec.

Digitized by Google

QUANDO IMPERATOR INTER MISERABILES PERSONAS COGNOSCAT.

Imp. Constant. A. ad Andronicum. Si contra pupillos, vel viduas, vel [diuturno] morbo fatigatos et debiles impetratum fuerit lenitatis nostræ judicium, memorati a nullo nostrorum judicum compellantur comitatui nostro sui copiam facere: quinimo intra provinciam, in qua litigator, et testes vel instrumenta sunt, experiantur jurgandi fortunam: atque omnis cautela servetur, ne terminos provinciarum suarum cogantur excedere. † Quod si pupilli, vel viduæ, aliique fortunæ injuria miserabiles, judicium nostræ serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt: cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam facere. *Dat.* XV. *Kal. Jul., Constantinop., Optato et Paulino Coss.* (334) (*Ex Cod. Just.*).

Anno Domini 335.

Constantino et Albino Coss.

DE PETITIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Provinciales. Omnes judices invigilare præcipimus, et [a] delatores [b] pœnis afficere. Apertissimi [c] enim juris est, ut, quod cujuscumque [d] patrimonio ceciderit in casum [e], et legibus et retro [f] juris ordine, fisci advocatis agentibus, vindicetur. Sed quia nonnulli [g] præcipites secundum jus possessa [h] patrimonia deferre non cessant, damus omnibus, qui se læsos [i] existimant, contra delatores severitatem judicum implorare ferro destrictam [j]. Nemo enim potest delatorem plus [k] agnoscere quam ille, qui injuriam per ejus [l] nequitiam sustinuit. *Dat.* XI.[m] *Kal. April., Constantinopoli, Constantio* [n] *et Albino* [o] *Coss.* (335).

INTERPRETATIO. *Custodientes justitiam nomen persequimur* [a] *delatorum, ita ut, cum agniti et convicti fuerint delatores, gladio puniantur.*

DE LUCRIS OFFICIORUM [b].

Imp. Constantinus A. ad Pacatianum [c]. Ordines [d] decuriarum scribarum librariorum [e] et lictoriæ consularis oblatis precibus meruerint, ut in civilibus caussis et editionibus libellorum, officiorum solemnitate fugantur, ita ut vetusta ætate servatum est; eo usque [f] prærogativa veniente, ut militares [g] intercessiones procul usque a liberalibus caussis sese contineant. Rectores itaque, quæ jussimus, observabunt [h]. *Dat.* XV. *Kal. Maii Constantinopoli, Constantio et Albino Coss.* (335).

DD DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Felicem Pf. P. [i] Quoniam Afri curiales conquesti sunt, quosdam in [k] suo corpore post flaminii [l] honorem et sacerdotii vel magistratus decursa insignia præpositos compelli fieri mansionum, quod in singulis curiis sequentis meriti et gradus homines implere consuerunt, jubemus, nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium, ne nostro fieri judicio [m] injuria videatur. *Dat. prid. Non. Aug., Viminacio* [n] *Constantio et Albino Coss.* (335).

DE JUDÆIS.

Imp. Constantinus A. [o] *ad Felicem Pf. P.* [p] *Post alia:* Eum, qui ex Judæo [q] Christianus factus est, inquie-

[a] 10, 18 *ut.* om. *et*, ut Cod. Just.
[b] In Cod. Just. add. *sine fisci advocato denuntiantes.*
[c] 10, 13, 18 *apertissime.*
[d] 20 Cod. Just. *cujusque*
[e] 6, 7, 10, 16, 18, 34 *in casu.* Sich. in m. *in cassum*, prob. Dirksenio l. c. p. 495.
[f] Omnes codd. (præter 8, 14, 16) Sich. *retro*, sed in cod. 4 rubro col. in m. corr. *recto*, ut est in Til.— Be. Cod. Just. Recte se habet *retro*. Similiter c. 16 C. Th. de Medicis (XIII, 3) *retro latarum sanctionum auctoritate.* Vid. Gloss. v. *Retro* et Dirksen. l. c.
[g] 10. 18 om. *nulli*. 20 *nonnullos* (hoc de corr.) *præcipit esse* et paullo infra *differre.*
[h] In litteris *sessa* incip. fol. 91 ° cod. 4.
[i] 4 *læsis*, sed rubro col. em. *læsos*. 10, 18 *lesos æstimant* 15 *damus omnibus qui se lesos æstimant licentiam contra.* Similiter Cod. Just., ubi v. *licentiam* add. post *omnibus*, quo tamen v. Dirksen nos facile carere posse existimat loco supra nominato.
[j] 15 om. *ferro destr.* Multi codb. Sich. Cod. Just. *districtam.* Sqq. des. in Cod. Just.
[k] 12 *prius.*
[l] 10, 18 om. *ejus.* Mox 13 *sustinebit.*
[m] 4. 13, 33, 34, Til.— Lugd. *XI.* 6—10, 12, 16—18, 20, 21, 24, 27—29, 31, 36, 40, 42, 44, Sich. *X.* 15 *XII.* Cuj.—Be. *II.* in rell. codd. om. *XI.* Go. in Chron. *III.* etiam Cod. Just. codd. et edd. inter se differunt.
[n] Permulti codd. Cuj 2, 2° *Constantino;* in nonn. codd. om. *Constantinopoli.*
[o] 17, 28, 40 *et Licinio Coss.* 20 *Abieno Coss.*

[a] 20 *persequitur*, sed supr. lin. *persequantur.* Sich. *nomina persequamur.* 44 *nomina pers.*
[b] Cod. Just. *de lucris advocatorum et concussionibus officiorum seu appar.*, rubrica ex hoc et antec. C. Th. titulo composita.
[c] Go. Reinesius. Be. in not. ad *Pf. P.*
[d] Cod. Lugd. *Ordinis.* Cuj. 1 — 2°. R°. *decuriarum scribarum.* Cod. l. *Scr.....batur.*
[e] Cod. Lugd. *librarorum*, em. *librariorum.* Mox cod. l. *consolaris.*
[f] Codex. Lugd. *utusq.* Edd. *hucusque.* Recepi ex cod. I. *eo usque.* Mox om. cod. I. *a* post *usque.*
[g] Cod. Lugd. *umilitares*, et posita est *t* supra *u.* Infra idem codex *contineat.*
[h] Cod. Lugd. *observabunt*, add. *b.* supra *o.*
[i] 4 *pp.* Scribere solet librarius *ppo.*
[j] 4 *conquæsti.*
[k] Go. em. *e.*
[l] 4, Til. — Lugd. *flamonii.* Summ. C. Th.: « *Flamines* (sec. mann. corr. *flamones*) *diales factos vel sacerdotes præpositos domorum fieri non debere.* »
[m] 4 *dicio.* mendose.
[n] Be. *Viminacii.* Go. Viminacium in Mysia esse putat, unde Constantinus regressus sit Constantinopolin. Pagius autem in Proleg. Dissert. hypat. num. 24, quia Constantinus hoc tempore Constantinopoli fuerit, *Dat.* accipit pro *Redd.*, i. e. *Reddita.* Vera sunt, quæ Ri. monet, legem, quæ ad *Afros* pertineat, in Africa reddi debuisse, non in Servia neque mendum hærere in *Dat.*, sed in *Viminacio*, verbo a librariis corrupto.
[o] Br. Al. codd. Sich. Til. (in Br. Al.) *Imp. Constantinus A.* 11 *Idem AA.* 21 et alii codd. *Constant.*
[p] Nonn. Br. Al. codd. *præpositum*, alii om. *Pf. P.* aut *Post alia*, ad quæ vv. Go.: « Quæ continentur *d. l.* 1. cui hæc subjicienda sunt. » Intelligit c. 1 cit. cum h. c. conjungendam.
[q] 29, 38, 39, 42, 50, 51, L. ap. Be. *Judæis.* 43 *Judæus.*

Digitized by Google

tare [a] Judæos [b] non liceat vel aliqua [c] pulsare [d] injuria : pro qualitate commissi istius modi contumelia punienda [e] etc. *Dat.* XII. [f] *Kal. Nov. Constantinopoli.* (335). *PP.* [g] VIII. [h] *Id.* [i] *Maii Karthagine* [j], *Nepotiano* [k] *et Facundo Coss.* (336.)

HÆC LEX INTERPRETATIONE *non eget* [l].

NE CHRISTIANUM MANCIPIUM JUDÆUS HABEAT [m].

Imp. Constantinus A. ad Felicem Pf. P. [n] Si quis [o]

[a] 25, 33, 34, 37 *inquietari*. 38 add. *a* et L. *eum*, ut corrector cod. 42.

[b] 9, 14, 15 32, 38, 39 *Judæis;* hoc etiam cj. Go., etsi vulg. scripturam non improbat. Primo obtutu locus videtur impeditus esse; quare diverso modo interpungitur in edd. : *inquietare Judæos, non liceat, vel* in Sich.—Cuj. 2ª Lab., *inquietare Judæos non liceat, vel* Go.— Be. : quid quod a Bar. ita explicatur, ac si a Proselytorum injuria Judæi vindicentur. Sed Christiani vindicantur ab injuria, non Judæi. Locus autem sanus est ejusque constructio, etsi insolens videtur, omnibus numeris absoluta : *non liceat Judæos inquietare vel aliqua pulsare injuria eum, qui ex Judæo Christianus factus est.* c. IV. Sirm. *Illud enim hac eadem sanctione præcipimus, ut, si quispiam Judæorum, reserans januam vitæ perpetuæ, sanctis se cultibus mancipaverit, et Christianus esse elegerit, ne quid a Judæis inquietudinis vel molestiæ patiatur. Quod si ex Judæo Christianum factum aliquis Judæorum injuria putaverit esse pulsandum, volumus istiusmodi contumeliæ machinatorem, pro criminis qualitate commissi, pœnis ultricibus subjugari, Felix parens carissime. Quare divinitatis affectu confidimus, ipsum in omni orbe Romano cunctos pro debita veneratione servare : ac volumus, ut excellens sublimitas tua, litteris suis per diœcesin sibi creditam commeantibus, judices moneat instantissime, hujuscemodi debitam reverentiam custodiri.* Valde igitur mutatus est hic locus libidine mutandi a C. Th. compositoribus.

[c] Nonn. Br. Al. codd. *alia* aut *aliquid.*

[d] 11 *pulsari* et *contumelio.* Mox nonn. codd. *commissus.*

[e] 20, 25 add. *est.* 24 *finienda.* Multi codd. *ponienda;* ab aliis abest etc., uti abest a Sich.

[f] 24, 34 *X.* c. IV. Sirm., 38 *XII.*, rell. *XI.* Secutus sum c. IV. cit.

[g] 9, 29, 42, L. ap. Be *accepta.* 10, 18 *præcepta.* Lab. in m. : « i. e. Promulgat. »

[h] 6, 7, 10, 12—14, 17, 18, 20, 21, Sich. Til. in Br. Al. *pridie* s. *prid.* 38 om. *VIII.* c, IV. Sirm. *VII.*

[i] 9, 27, 29 *Kl.* et L. ap. Be. *Kal.* 38 *Non.*

[j] c. IV. Sirm. *Mart.* Nonn. Br. Al. *Mad.* Addidi *Karthagine* ex c. 1 cum h. c. conjungenda et ex c. IV. Sirmond Addidi etiam annum post *Constantinopoli*, quem jam Be. addi vult; exciderunt enim consules anni, quo h. c. data est.

[k] Multi codd. *Neputiano* aut *putiano.* Aur. Lugd. *Neapotiano.* 4 *Facundococoss.* 11 om. *Coss.*

[l] Nonn. codd. *Ista lex* et *indiget*, ut Sich., et *explicatione* pro *interpretatione*, ut Go.— Ri *. in parenthesi notant (*interpretatione* [al. *explicatione*] *non*).

[m] Nonn. codd. *Ne Judæus christianum mancipium habeat.* Cod. Just. *Ne Christianum mancipium hæreticus, vel paganus, vel Judæus habeat, vel possideat, vel circumcidat.*

[n] Sich. in m. *Constantius* pro *Constantinus.* Nonn. Codd. *A. Felici.* 11 *Felice;* alii *præpositum;* alii om. *Pf. P.*, ut 21. 20 *pfu.* Sich. *PF. V.*

[o] c. IV. Sirm. *Jam dudum quidem constitutionis nostræ saluberrima sanctio promulgata est, quam nostræ repetitæ legis veneratione geminamus, ac volumus, ut, si quisquam* A Judæorum Christianum mancipium vel cujuslibet alterius sectæ mercatus circumciderit [a], minime in servitute retineat circumcisum, sed [b] libertatis privilegiis, qui hoc [c] sustinuerit, potiatur [d] etc. *Dat. XII.* [e] *Kal. Nov., Constantinopoli* (335). *PP.* [f] *VIII.* [g] *Id. Maii, Carthagine, Nepotiano* et *Facundo Coss.* (336).

INTERPRETATIO. *Si quis Judæorum servum Christianum vel cujuslibet alterius sectæ emerit et* [h] *circumciderit, a Judæi ipsius potestate sublatus in libertate permaneat.*

DE OFFICIO RECTORIS.

Imp. Constantinus A. ad Periclem Præsidem. In officiales Prætectorum cursum publicum laniantes, vel B prava contra utilitatem publicam molientes, vindicandi tibi dedimus potestatem, ita ut Præfectos de eorum culpa facias certiores. *Dat.* X *Kalend. Nov., Nicopoli, Constantio et Albino Coss.* 335. (*Ex Cod. Just.*)

Anno Domini 336.

Nepotiano et Facundo Coss.

DE NATURALIBUS FILIIS ET MATRIBUS EORUM [i].

Imp. Constantinus A. . . . . . j

. . . . . .

[a] c. IV. cit. *circumcidere non perhorruerit, circumcisus quidem istius statuti mensura libertatis compos effectus ejusdem privilegiis potiatur : non fas Judæo sit, qui circumciderit, mancipium generis memorati in obsequium servitutis retinere.* Nonn. Br. Al. codd. *mercatur* pro *mercatus* et *servitutem.* C

[b] 11 *servitute deserviat circumcisum si.* 20 *privilegiis.*

[c] Sich. *hæc.*

[d] Nonn. codd. *sustinuit potiantur* s. *patiatur.* Sich. om. etc.

[e] c. IV. Sirm., 9, 16, 30, 44 *XIII;* rell. *XI.* Innonn. codd. om. *Dat.* — *Const.*

[f] Nonn. codd. *Dat.*, ut L. R. U. aut *Acc.*, ut L. ap. Be. A nonn. codd. absunt *Dat.* — *Karth.*

[g] c. IV. cit., 20, Sich. *VII.*, sed Sich. in m. *VIII.* Cod. Piper. (L. R. U.) *VIII.* In cod. 9 om. *VIII.* — *Coss.* Mox nonn. codd. *Mad.*, alii om. *Karthag.* Cod. Anic. apud Go. *Mart.*, ut c. IX. Sirm. Præterea scribitur *Nepuciano, Nebuciano, Ebuciano, Epuciano, Pontiano* et in 11, 20 *Carthagine Pociano* et om. *Coss.* in 11.

[h] Nonn. codd. om. *et* et scrib. *a Judæis.* 11 *christianum servum — a judices ipsius.* D

[i] Maximam partem tituli exhibet quintum palimpsesti Taurinensis folium, et quamquam rubrica cum prima parte tituli deest, tamen, quod inter medias constitutio nesea profertur, quæ in edd. ante W. prima hujus tit. erat, ex eo colligi potest, omnes illius folii constitutiones huic titulo tribuendas esse. Cod. Just. add. *et ex quibus causis justi efficiantur.*

[j] Inscriptio deest in cod. 4 P. add. (*Legis Ill a Constantino latæ fragmentum*). Pu. add. (*Const.* 2. *A. Constantino Latæ Fragmentum*). P. Pu. W. de cj. recte supplent nomen imperatoris. Sed magistratus, ad quem lex missa sit, nomen cj. assequi non potui. W. eumdem Gregorium fuisse arbitratur, ad quem eodem anno c. 3 h. t. et c. 3 C. Th. de Ann. et trib. (XI, 1) missæ sunt, quæ cj. mihi probatur, minus quidem propter Gregorii dignitatem, quem W. præfectum prætorio Africæ fuisse ex Go. asseverat; nam etiam ad Felicem Pf. P. eodem anno nonnullæ leges

Digitized by Google

ri fecit[a], vel si ipsorum nomine comparavit, totum legitima soboles recipiat. Quod si non sint filii legitimi nec frater[b] consanguineus aut soror aut pater, totum fisci viribus vindicetur[c]. Itaque Liciniani etiam filio, qui per rescriptum sanctissimum dignitatis culmen adscendit, omnis substantia auferatur, et secundum hanc legem fisco adjudicetur, ipso verberando, compedibus vinciendo, ad suæ originis primordia redigendo[d]. *Lecta* III *Kal. Maii. Carthagine, Nepotiano et Facundo Coss.* (336[e]).

DE NAVICULARIIS.

Imp. Constantinus A. ad Severum[f].... Naviculariios Hispaniarum neque ad extraordinaria teneri officia, neque alicubi retentos moras sustinere oportet, sed relatorias traditarum specierum intra decem dies a susceptoribus percipere; cumque ad aliquas insulas, portus, littora, stationes accesserint, ostensis relatoriis nullam prorsus inquietudinem[g] sustinere. *Dat.* XIV. *Kal. Jun., Nepotiano et Facundo Coss.* (336).

DE SPONSALIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Tiberianum Vicarium Hispaniarum[h]. Si ab[i] sponso rebus sponsæ[j] donatis interveniente osculo ante nuptias hunc vel illam[a] mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem[b] pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti vel defunctæ hæredes, cujuslibet gradus sint, et quocumque[c] jure successerint, ut donatio stare pro[d] parte media et solvi pro parte media[e] videatur: osculo vero non intervenient, sive sponsus sive sponsa obierit, totam infirmari donationem et donatori[f] sponso sive[g] heredibus ejus restitui. § 1. Quod si sponsa, inter venientevel non intervenient[h] osculo, sponsaliorum[i] titulo, quod raro accidit, fuerit aliquid sponso largita, et ante nuptias hunc vel illam mori contigerit, omni donatione infirmata, ad donatricem sponsam sive ejus successores donatarum rerum dominium transferetur. *Dat. Id. Jul., Constantinopolit*[j] *Accepta* XIV[k] *Kal. Maii, Hispali, Nepotiano et Facundo*[l] *Coss.* (336)

missæ et Carthagine propositæ sunt (vid. c. 1 C. Th. Ne Christ. manc. (XVI, 9) et c. 4 Sirmond.), quam propter ejusdem, qui in hac c. nominatur, Liciniani in c. 3 h. t. commemorationem.

[a] In vv. *ri fecit* inc. folium quintum Taurin.; P. suppl.: *Si pater aliquid naturalibus filiis donavit, aut donari fecit*, prob. W. Ceterum W. maximam h. c. partem perisse putat.

[b] Folii Taurinensis versus secundus finitur in syllaba *fra*, tertius, a quo nonnullæ litteræ resectæ sunt, incipit in syllaba *con*, unde P., quem Pu. secutus est, supplet: *fra* [*ter aut*] *consanguineus*. W. improbans v. *aut* in P. supplem. delet, et quod non sit, qui h. l. κατ' ἐξοχήν dicatur *consanguineus*, et quia, quemadmodum fratres consanguineos uterinis in instituenda inofficiosi querela Constantinus prætulit, ita h. l. consanguineum quidem fisco præferri voluit, non uterinum. De *sorore* nihil erat addendum, quam *consanguineam* esse oportuit, cum aliam ad civilem successionem non fuisse admissam constet.

[c] Ad h. l. vid. prolixam W. annotationem de Constantini circa liberos naturales placitis et Batavos in Bijdr. l. c. p. 329.

[d] 1 *verbe. . . . . compedib.—primordiaredi. . . . . lect.* P., quem Pu. secutus est, rest. *verbe* [*ribus et*] *compedibus—primordia redi* [*gatur.*] *Lect.*, impr. W., cui displicet, quod *verberibus vinciri* dicatur aliquis, et quod v. *redigatur* non habeat, quo referatur. W., probb. Bijdr. p. 330, et *ipso verberando, comp. vinciendo et ad — primordia redigendo*, in qua cj. præter necessitatem addita est copula *et*, quæ in cod. 1 inter medium versum, non in extremo deest.

[e] P. 388, err. typ.

[f] Dignitas deest in cod. 4 et in edd. nullo lacunæ indicio. Go. ex c. 5 C. Th. de Donat. (VIII, 12), c. 3 C. Th. de Maternis bonis (VIII, 18), c. 2 C. Th. de Fide test. et instrum. (XI, 39) rep. *Comitem Hispaniarum*, prob. Be.

[g] Cum lit. *tudinem* incip. fol. 308[a] cod. 4.

[h] 6—8, 14, 16—18, Til. *Hispaniæ*. 15 *Hisp. vic.* 10 *viro claro Hisp.* 25 *Vic. Vices Hisp.* Nonn. codd. *Span.* Præterea 8 om. *Vic.* et 42 *Hisp.*

[i] 15 om. *ab*.

[j] 6—10. 12, 14, 17—20 *sponsoribus sponsæ*. 15 *sponsalibus donatis sponsæ interv. osc.*

[a] 17 *vel hunc*. 19 *vel puellam*. 20 *vel puella*.

[b] Aur. Lugd. *susperstitem*.

[c] 12 *quicunque*.

[d] 8 *non*.

[e] Cod. Just. *dimidia et resolvi — dimidia vid.* 8, 12 *dimidia — dimidia vid.* 15 om. *ut donatio — videatur.* 9 *media teneatur*.

[f] Nonn. codd. *donatoris*.

[g] Codd. Just. *vel.* 20 *sive sponso vel her.*

[h] 14 om. *vel. non interv.*

[i] Cod. Just. *donationis*.

[j] Cod. Just. om. *Dat. — Constant.* Be. prob. W., addi vult *Constantio et Albino coss.* (335), quia lex non poterat esse *accepta*, antequam *data* esset, aut legi *Id. Jan.*

[k] Ita fere omnes codd., Sich. — Cuj. 2*; 39, 43, *XVII*. Sich. in m. Go.—W. Cod. Just. *XIII*.

[l] Nonn. codd. om. *Hispali*. 21, Sich. *Spalis*, sed in m. *Hispali*. Multi codd. *Hispalis* aut *Spalis*. 20 *spaniis neposiano*, Cod. Just. *Pacato*, male.

DE NATURALIBUS FILIIS.

Imp. Constantinus A. ad Gregorium[x]. Senatores seu

[m] Ita multi codd., 21, edd. *aliqua—forsitan sponsus*

[n] 20 *potuerit*.

[o] 19, 20, Sich. Cuj. 1 — Lugd. *æquirant*.

[p] 8 *quoscunque per gradus*. 20 *quoc. gradus p. gr.*

[q] 8 *osculo non interveniente*. Nonn. codd. *intervenit*.

[r] Nonn. codd. *potuerit*.

[s] Nonn. codd. add. *forsitan*.

[t] Ita plerique codd. Edd. *aliquid sponso*.

[u] 8, 20, 21 *aut. interc. osc. aut non totum*.

[v] 20 add. *sibi*.

[x] Gregorii dignitas deest et hic et in Cod. Just. et supra in c. 2 C. Th. de Contrah. empt. (III, 1), anno sq. data. Eum præfectum prætorio fuisse, intelligitur ex c. 3 C. Th. de Ann. et trib. (XI, 1). Cf. Go. ad

Digitized by Google

perfectissimos [a], vel quos in civitatibus duumviralitas [b], vel quinquennalitas [c], vel flaminis [d], vel sacerdotii provinciæ ornamenta condecorant, placet maculam subire infamiæ, et peregrinos [e] a Romanis legibus fieri, si ex ancilla vel ancillæ filia, vel liberta vel libertæ filia, sive Romana facta seu Latina [f], vel scenica [g] vel scenicæ filia, vel ex [h] tabernaria vel ex tabernarii filia [i], vel humili vel abjecta [j], vel lenonis aut arenarii filia, vel quæ mercimoniis publicis [k] præfuit, susceptos filios in numero legitimorum habere voluerint, aut proprio judicio [l] aut nostri prærogativa rescripti; ita ut, quicquid talibus liberis pater donaverit, sive [m] illos legitimos seu naturales dixerit [n], totum retractum legitimæ soboli reddatur, aut fratri aut sorori, aut patri aut matri. Sed et si uxori tali quodcumque [o] datum quolibet genere fuerit vel emptione collatum, etiam hoc retractum reddi præcipimus: ipsas etiam, quarum venenis inficiuntur animi perditorum [p], si quid quæritur vel commendatum dicitur, quod his [q] reddendum est, quibus jussimus, aut fisco nostro, tormentis subjici jubemus. Sive itaque per ipsum donatum est, qui pater dicitur, vel per alium [a], sive per suppositam [b] personam, sive ab eo emptum, vel ab alio, sive ipsorum nomine comparatum, statim retractum [c] reddatur, quibus jussimus; aut si non exsistant, fisci viribus [d] vindicetur. Quod si existentes [e] et in præsentia rerum constituti [f] agere noluerint, pacto vel jurejurando exclusi: totum sine mora fiscus invadat. Quibus tacentibus et dissimulantibus, a defensione fiscali [g] duum mensuum [h] tempora limitentur, intra quæ si non retraxerint vel propter [i] retrahendum rectorem provinciæ i interpellaverint, quicquid talibus filiis vel uxoribus liberalitas impura contulerit, fiscus noster invadat, donatas vel commendatas res [k] sub pœna quadrupli severa quæstione perquirens [l]. Liciniani [m] autem filius, qui fugiens comprehensus est [n] compe*dibus vinc*tus ad gynæcei [o] Carthaginis ministerium deputetur. *Lecta* [p] XII [q] *Kal. Augusti, Carthagine, Nepotiano et Facundo Coss.* (336).

c. 3 cit. Præfectus autem fuit Italiæ et Africæ. Cod. Just. *Imp. Constantinus A.*

[a] Hoc v. ab Ital. Cont. in Paris. Russ. Spangemb. ex libr. mss., ut Bg., in Cod. Just. receptum defendit Cujac. ad Ulpiani Fragm. Tit. XIII, §. 2 (ap. Schult. p. 607) contra *præfectos*, quod v. in vulg. edd. est. *Perfectissimos* etiam codd. in Nov. IV Martiani. Plura vid. ap. W. l. c., not. *f*. Ex seqq. multa vv. transierunt in Nov. IV. Martiani.

[b] Cod. Just. *duumviritas*.

[c] Vv. *vel quinquenn.* des. in Nov. Mart. et in Cod. Just. Cf. W., not. *q*.

[d] *Flamines* sec. W. sunt municipiorum sacerdotes unde in Nov. Martiani: *Flamini municipali, sacerdoti provinciæ*. Cod. Just. om. *flaminis* mentione: *duumvir vel sacerdotii, id est, Phœniciarchiæ vel Syriarchiæ, ornam. condec.*, eaque in Nov. Just. LXXXIX. Ita repetuntur, quasi a Constantino ipso sint profecta; ait enim φοινικαρχῶν γὰρ καὶ Συριαρχῶν.... μέμνηται, sc. διάταξις. Putat igitur W., aut nonnulla verba in Taurinensi membrana excidisse, aut Tribonianum potiora et suo tempore sola sacerdotii provincialis exempla de suo addidisse, quod posterius W. recte prætulit.

[e] Cod. Just. *alienos*.

[f] In Cod. Just. om. *sive—Latina* propter c. un. Cod. Just. de Latina libert. toll. (VII, 6). Nov. Martiani (§ 1 et § 3) *civem Romanam vel Latinam factam*.

[g] 1, P. Pu. *scænica* et om. *vel scenicæ*, quod W. e Cod. Just. restituit. Nov. Mart. utroque loco *scenicam vel scenicæ filiam*.

[h] Præpositio *ex* hic et paulo post om. in Cod. Just.

[i] Cod. Just. *tabernariæ filia*. 1, P. Pu. *tabernari*, impr. W., sed Nov. Mart. *tabernariam vel tabernarii filiam*.

[j] Cod. Just. add. *persona*. Hæc imprimis vv., cum ad egenos omnes referrentur, sec. W. videntur Martianum ad edendam Novellam quartam impulisse.

[k] Nov. Mart. utroque loco, Cod. Just. *publice*.

[l] Pu. *judiio*, mendose.

[m] Cod. Just. *seu*.

[n] 1 *di*. . . . . et des. in medio versu nonnullæ litteræ.

[o] *Quocumque*, quod P. em. ex Cod. Just.

[p] 1 *insucientur—perdatorum*, mendose.

[q] 1 *hi*, sed a man. sec. ponitur *s* supra literam *i*.

[a] 1 *Aliam*, mendose.

[b] Similiter L. R. U. *per suppositam quamcumque personam*. Cod. Just. *interpositam*, ut etiam in c. un. §. 2 C. Th. de mulieribus, quæ se s. pr. (IX, 9).

[c] 1 *retractus*, sed corr. a man. sec. *retractum*.

[d] Cod. Just. *juribus*, sed plerique codd., etiam mei *juribus*, i. e. *viribus*. Vid. c. 3 C. Th. de Off. mag. mil. (I, 7), not. *q*.

[e] Cod. Just. *existunt*, improbb. P. et W.

[f] Pu. *constitui*, mendose.

[g] 1 *addefensione fiscali*. Similiter Cod. Just. multi libri mss., veluti mei, Pl. 1 et 2, Bg. *a defensione fiscali* aut, ut Go., *defensione fiscali*, om. præpositione. P. Pu. ex edd. Cod. Just. corr. *ad defensionem fiscalem*, prob. W., cum defensio fiscalis sit, quæ ad fiscum excludendum suscipiatur. Quæ quamquam vera, tamen non impediunt, quominus cum codd. scribatur *a defensione fiscali*.

[h] Ita 1, P. Pu., impr. W. qui *mensum* ed., dicens archaismum esse, in quo nonnunquam sibi placuerint juristi et imperatores, quod exempla ex Ulpiano (D. XXV, 7, 7, § 11), Pandectis Florentinis et ex aliis scriptoribus petita probent. Sed tam crebra est in vetustis codicibus scriptura *mensuum*, ut non videam, cur aliquid mutandum sit. Cod. Just. *duorum mensium*.

[i] *Propter*, quod excidit in cod. 1, recte restitutum est a P. ex Cod. Just.

[j] Cod. Just. add. *non*, præter necess.

[k] 1 *commentas res commendatas res*, sed verba *commendatas res* delentur punctis supra lineam positis.

[l] Seqq. des. in Cod. Just.

[m] 1 *Liciniani*.

[n] 1, P. Pu. *compræhensus*.

[o] 1 *gynecei*. P. Pu. *Gynecei*.

[p] 1 *l* et des. literæ seqq., quæ avulsæ sunt. Cod. Just. *Dat.*, improb. W. Etenim Constantinus hoc anno Carthagine non fuit.

[q] Numerum, qui deest in cod. 1, apud P. et Pu., W. primus restituit ex Cod. Just.

[r] Aur. Lugd. *genitis*. Eadem edd. infra *Cons*.

DE DECURIONIBUS.

Imp. Constantinus A. ad Evagrium. Pf. P. Cum decuriones decurionumque filii deque his geniti [r] ad diversas militias confugiant, jubemus eos, in quibuscumque officiis militantes, exemptos militia restitui curiæ, exceptis his, qui in palatii nostri jam habentur offi-

Digitized by Google

cils. *Dat.* XI. *Kal. Sept.*, *Constantinopoli*, *Nepotiano et Facundo Coss.* (336).

DE ANNONA ET TRIBUTIS.

Imp. Constantinus A. Gregorio Pf. P. Manu propria judices universi periculo suo annonarias species et cætera, quæ indictione penduntur, definitis quantitatibus et comprehensis modis facta adscriptione designent. Cujus observantiæ illa erit commoditas, ut post successionem [a] quoque eorum facile requiratur, an exactores ultra, quam oportuit, de fortunis provincialium [b] aliquid exsculpere [c] voluerunt. *Dat.* VII. *Id. Oct.*, *Nepotiano et Facundo Coss.* (336.)

DE ORDINE JUDICIORUM.

Imp. Constantinus A. ad Calphurnium. Quoniam civili discerptatione intermissa, sæpe fit, ut prius de crimine judicetur; quod, utpote majus, merito minori præfertur, ex quo criminalis quæstio quocumque modo cessaverit, oportet civilem causam velut ex integro in judicium deductam distingui: ut finis criminalis negotii ex eo die, quo inter partes fuerit lata sententia, initum civili quæstioni tribuat. *Dat. Id. Mart. Nepotiano et Facundo Coss.* 336. (Ex cod. Just.)

Anno Domini 337.

Feliciano et Titiano Coss.

DE CONTRAHENDA EMPTIONE.

Imp. Constantinus Aug. ad Gregorium [d]. Qui [e] comparat, censum rei comparatæ cognoscat: neque liceat [a] alicui [b] rem sine censu vel [c] comparare vel vendere. Inspectio autem publica [d] vel fiscalis esse debebit hac lege [e], ut, si aliquid sine [f] censu venierit [g], et id [h] ab alio deferetur [i], venditor quidem possessionem [j], comparator vero id quod dedit pretium [k], fisco vindicante, perdat [l]. § 1. Id etiam placuit, neminem ad venditionem rei cujuslibet accedere [m], nisi eo tempore, quo [n] inter venditorem et emptorem [o] contractus solemniter explicatur [p], certa et vera proprietas a vicinis demonstretur [q]; usque eo legis istius cautione currente [r], ut, etiamsi [s] subsellia [t] vel, ut [u] vulgo aiunt [v], scamna vendantur, ostendendæ proprietatis probatio compleatur [x]. § 2. Nec inter emptorem et venditorem solemnia in exquisitis [y] cuniculis celebrentur, sed [z] fraudulenta venditio penitus sepulta [aa] depe-

[a] Go reprobat cj. *secessionem* pro *successionem*.
[b] Go *provinciarum*, err.
[c] Cuj 2, 2ª *excludere*. sed. em. in corr.
[d] Nonn, codd. *Græg.* Add. *Ps. P.* 38 *Item alia ad Gr.* In Vat. Fr. pro inscr. hæc tantum vv. ponuntur: *A. et Cæs.*, neque magistratus, ad quem data sit, nomine addito, neque imperatoris. Diversa etiam ibi est subscriptio (vid. not. *b* sq.), de qua re disputaverunt Wenckius in edit. C. Th. p. 152 sq., not. *a*, A. de Buchholtz in ed. Vat. Fragm. p. 323 et Schillingius, Bemerk. über rom. Rechtsgesch. p. 392, not. 1090. Mihi videtur lex secunda h. t. Constantinianæ in Vat. Fr. servatæ legis repetitio esse, mutata inscriptione et subscriptione, cujus rei multa sunt apud Romanos exempla.
[e] In Vat. Fr. hæc vv. præcedunt: *Nulla verecundiæ vel quietis mora vel quolibet intervallo cunctandi passim, nunc singuli, modo populi, proruentes in nostros obtutus* (V. *inobtutus*), *tic uniformes querellas iisdem fere sermocinationibus volutarunt, ut nec interpellantium credulitati valeret occurri, nec allegationum qualitas disparari, parens carissime atque amantissime* (V. *p. k. atq. a. a.* Mai. et Buchh. *parens karissime atque augustalis*. Cf. Buchh. et Schill. II. ec.). *Pari* (V. *paris*) *siquidem exemplo vociferationibus consules, multitudines memorarunt* (V. *Memorabunt*), *non juste res suas esse divenditas; aliis possidentibus se fiscalia luere: frequenti denique obsecratione delata remedium cupierunt. His sumus valde permoti, verentes ne alicujus calliditatibus abversabili emolumento persuasi res suas venderent sine censu ac post subsidia nostræ mansuetudinis precarentur; itaque versutiis calliditatis commenta miscentibus, dum insidiarum* (V. *insuarum*) *fallentium non suspicamur arcana, pro innocentiæ nostræ natura ceteros æstimantes, detrimento census nocentes* (V. *nocentis*) *levaremus. Has fraudes, hos dolos, istas argutias* (V. *argutitas*) *lege prohibemus, constitutione excludimus: et idcirco justæ providentiæ consulta deliberatione sancimus, ut omnino, qui* etc. Ill. de Schroeter l. c. p. 349 vult totam §phum ex Vat. Fr. in ipsum Cod. Th. recipi, sed vid. Wenck. in E. L. L. 1826, n. 136, p. 1084 (Opp. p. 439).
[a] Cod. Just. *cum necesse sit eum qui comparavit, censum rei comparatæ agnoscere, nec liceat.* Vat. Fr. *qui comparat rei comparatæ jus cognoscat et censum neque l.*
[b] Cod. Just. *cuiquam.*
[c] Vat. Fr. et Cod. Just. om. *vel.*
[d] V. *publicæ*. Mai. *publice.* 15 *vel publ. f.*
[e] Nonn. codd. *ac legi.* 8 *debit ac l.* 10 *debet.*
[f] 19 et Go. in not. *aliquis sine.* 15 om. *sine.*
[g] Hanc Be. cj. confirmant Vat. Fr. et cod. 15. Similiter 9 *venerit.* Rell. codd. et edd. Sich. — Ri*. *vendiderit*, quod defendi potest.
[h] Vat. Fr. *et post ab aliquo.* 19. *id ad alium.*
[i] V. Mai. Hollw. *deferretur.* 8, 9, 19—21, Sich. *defertur*, non male. 15 *deferatur.*
[j] 8, Sich. add. *amittat* et 21 *amittit*, ex interpr. 18 *poss. perdat.* Mox 20 om. *vero.*
[k] 20 *pretio.* Aur. Lugd. om. *pretium.*
[l] Vat. Fr. *deperdat.*
[m] Vat. Fr. *Id. etiam volumus omnibus intimari, nostræ clementiæ placuisse, neminem debere ad venditionem rei cujuslibet adfectare et accedere, nisi.* 20 *cujuslibet liceat acc.* 21 add. *ut.*
[n] V. *quom.* 8 *quod.*
[o] 19 *vend. et tempore c.*
[p] Ita W. edid. ex. Vat. Fr. Omnes edd. et codd. *ut certa et vera*, sed jam Go. inducendam esse statuit voculam *ut*, ortam ex præcedente v. *explicatur.*
[q] Vat. Fr. *prop.* (om. *a*) *vicinis præsentibus dem.* 10 *demonstratur.*
[r] Ita Vat. Fr., omnes codd. et Sich. — Lugd.; *decurrente* Cui. 2 — W.; ceterum 9 *ratione.*
[s] 6—8, 10, 14, 16, 17, 21 om. *si.*
[t] Nonn. codd. *subsellie.*
[u] 6, 7, 10, 14, 17, 18 om. *ut.*
[v] 10, 18 *agunt.* Mox 21 *vendentur* et 19, 20 *ostendite.*
[x] 10, 18 *impleatur.* V. Mai. *conpletur.*
[y] 20 *adquisitis.*
[z] 10, 18 *celebrantur se.*
[aa] Hæc §phus contracta est, paucis verbis retentis, e longiore et verbosa oratione, quam Vat. Fragmm. nobis servarunt: *Hinc* (V. *Hunc*) *etenim jurgia multa nascuntur, hinc proprietatis jura temerantur, hinc dominiis vetustissimis molestia comparatur, cum cæcitate præpropera, et rei inquisitione neglecta, luce veritatis omissa, nec perpetuitate cogitata dominii, juris ratione postposita, ad rei comparationem accedunt, omissis omnibus, dissimulatis atque neglectis, id properant atque festinant, ut quoquo modo* CUNICULIS NESCIO QUIBUS *inter emtorem et venditorem* SOLEMNIA CELEBRENTUR: *cum longe sit melius, sicuti diximus, ut lucem veritatis fidei testimonio, publica voce, subclamationibus populi ido-*

Digitized by Google

Dat. prid. [a] *Non Febr. Constantinopoli, Feliciano et Titiano Coss.* [b] (337).

INTERPRETATIO. *Quicumque* [c] *villam comparat, tributum rei ipsius, sicuti et jus possessionis* [d] *se comparasse cognoscat, quia non licet ulli* [e] *agrum sine tributo vel solutione fiscali aut comparare aut vendere* [f]. *Quod si, suppressa fiscali solutione, aliquis vendere ausus fuerit vel comparare* [g] *præsumpserit* [h] *noverint, inter quos talis fuerit secreta* [i] *transactione contractus, quod et ille pretium perdat, qui* [j] *emptor accesserit, et venditor possessionem amittat, quia jubetur, ut vicini* [k] *rei quæ venditur, testes esse debeant* [l] *et præsentes, in tantum* [m] *ut etiam de mediocribus rebus si quid in usum venditur* [n], *ostendi* [o] *vicinis* [p] *placeat, et sic comparari, ne* [q] *aliena vendantur.*

QUEMADMODUM MUNERA CIVILIA INDICANTUR.

Imp. Constantinus A. ad Concilium provinciæ Africæ [r]. Sacerdotales et flamines [s] perpetuos atque etiam duumvirales ab annonarum præposituris inferioribusque muneribus immunes [t] esse præcipimus. Quod ut perpetua observatione firmetur, legem hanc [u] incisam æneis tabulis jussimus publicari. *PP. XII. Kal. Jun Karthagini* [a], *Feliciano et Titiano* [b] *Coss.* (337).

DE EXCUSATIONIBUS ARTIFICIUM.

Imp. Constantinus [c] *A. ad Maximum....* [d] Artifices artium brevi subdito comprehensarum, per singulas civitates morantes, ab universis muneribus vacare præcipimus, si quidem ediscendis [e] artibus otium sit accommodandum, quo magis cupiant et ipsi peritiores [f] fieri, et suos filios erudire. *Dat.* IV. *Non. Aug. Feliciano et Titiano Coss.* [g] (337).

DE OMNI AGRO DESERTO, ET QUANDO STERILES FERTILIBUS IMPONUNTUR.

Imp. Constantinus. Si quis ab emphyteuticario seu patrimoniali possessore privati juris quippiam comparaverit, cujus substantia alias possessiones sustentare consueverat, et succisis quasi quarumdam virium nervis, reliqua labuntur; earum possessionum onera subiturus est, quæ penes distractorem (inopem) inutiles permanebunt. *Dat. id. Dec. Thessal. Feliciano et Titiano Coss.* (337) (Ex cod. Just.).

Imp. Constant. A. ad Ursum. Ad fiscum pertinentes causas rationalis decidat, omnibus concussionibus prohibendis. *Dat. Non. Febr. Constantinop. Feliciano et Titiano Coss.* 337. (Ex cod. Just.)

DECRETA SINEANNIS.

(Ex Cod. Just.).

DE DIGNITATIBUS.

Imp. Constantinus A. Volusiano P. P. Neque famosis, et notatis, et quos scelus, aut vitæ turpitudo inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.

DE OMNI AGRO DESERTO. DE COLLATIONE FUNDORUM PATRIMONIALIUM ET EMPHYTEUTICARIORUM.

Imp. Constantinus A. ad Proculum proconsulem Africæ. Emphyteuticarii possessores, qui mansuetudinis nostræ beneficio ad extraordinaria minime devocantur [munera] sicut cæteri Provinciales, obsequium

neus venditor adprobet (V. *atprobetur*), *quo sic felix comparator atque securus ævo diuturno persistat; quod pro quiete totius successionis eloquimur, ne forte aliquis venditor suum esse dicat, quod esse constat alienum: ita comparator, malo venditore deterior, incautus et credulus, cum testificantibus vicinis omnia debeat quærere, ab universorum disquisitione dissimulet, quoniam sic oporteat agere, ut nec illud debeat requiri, quod ex jure dicitur:* SI A DOMINO (V. *si ad omnino*) RES VENDITA SIT (Formulam juris Wenckius esse putat). *Ita ergo venditionum omnium est tractanda sollemnitas, ut fallax illa et* FRAUDULENTA VENDITIO PÆNITUS SEPULTA DEPEREAT. *Cui legi deinceps cuncti parere debebunt, ut omnia diligenti circumspectione quæsita, per universas successiones tuto decurrant: neque aliquem ex improvidentia casum* (ita V. Vid. W. ad. h. l. et in Opp. p. 425. Præterea Hollw. ad Vat. Fr. § 35, not. 54. Bg. cj. *casus* aut *cassum*) *malignæ captiones obruant.*

[a] 42 add. *id.*

[b] 20 *Felice.* 28, 40 om. *Fel. et T. Coss.* et 16 *et Titiano.* Nonn. codd. *Tetiano.* Vat. Fr. *Dat.* IIII. *kal. sept. ap. FF.* (Vid. Hollw. l. c. not. 56) *ad correctorem Piceni. Aquileia. Accepta* XIIII. *kal. Oct. Albæ. Constantino Aug.* III. *conss.* (313).

[c] 6, 7 10, 18 add. *Homo.*

[d] 20 add. *quam.*

[e] 20 *agnoscat.*

[f] 6, 7, 9, 10, 42 *nulli.* 20 *agrum nulli.*

[g] Nonn. codd. *aut vendere aut comp.*

[h] Sich. om. *præs.* — *quod et.*

[i] 20 int. lin. *celebrata.*

[j] 6, 7 *pretium ipsum qui.* 8 *pr. ipsum perdat qui.*

[k] 6, 7, 10, 18 *jubentur vicini.* Sich. om. *qaia jubetur.* 9, 20, 21, 42 et Sich. in m. *quia jubet.* 43 om. *jubetur — præsentes.*

[l] 6, 7 *esse ut debeant.* 20 *debeant esse.*

[m] 6—8 et alii codd. om. *in tantum.*

[n] 7, 42, 43, *vendito.* 6 sec. Ri. *venditor.* 20 *in usum e. venditor.*

[o] 6—8, 10, 18 *ostendit.*

[p] 20 add. *scientibus.*

[q] Nonn. codd. *nec.*

[r] Go. in Chron. *ad concilium provinciarum Africæ.*

[s] 4, Cuj. 1 *flammines.* Til. *flamines.* Ri . *Sacerdotes.*

[t] 4 *immuni esse precipimus;* rubro col. em. *immunes.*

[u] A Ri . abest *hanc.*

[a] Ita 4, Til. — Cuj. 2*. Ri. Ri *.; Be. *Karthagine. Go. Kartagini.* Ri *. *PP.* XIII.

[b] 4, edd. ante Be. *Tatiano.*

[c] Cod. Just. *Imp. Constantinus*, convenit igitur cum C. Th., nec differt in subscr. Cum Constantinus obierit jam XI. Kal. Jun. h. ann., Go. aut inscriptionem mutandam esse putat, aut in subscr. leg. *IV. Non. Apr.* In eamdem sententiam loquitur Rel. l. c. p. 340. Be. dicit: « Aut subscr. mut. aut inscr. *Imppp. Constantinus, Constantius et Constans AAA.* quippe defuncto jam Constantino M. mense Maio. » Non dubito, quin lex facta sit vivo Constantino, da defuncto eo, neque agnosco inscriptionem a Be. propositam, quia V. Id. Sept. demum tres illi Constantini filii in locum ejus Augusti nuncupati sunt teste Idatio.

[d] Dignitas deest in cod. 4, in Cod. Just. et in edd.; Be. auct. Go. in not. add. *Pf. P.* Go. Ri. om. dignitatem indicant sex punctis, Ri *. septem; in rell. nihil indicio est lacunæ.

[e] Cod. Just. *si quidem in discendis.* Recte Go. præfert scripturam Cod. Th.

[f] 4 *peritores:* aut. man. add. *i* supr. lit. *o.*

[g] Cod. Just. *Conss. Et notitia est ista.*

Digitized by Google

suum itineribus muniendis impendant. Nulla enim ratione debent ab hoc, quod in commune omnibus profuturum est, sejungi.

Imp. Constantinus A. Campesi. Cum Divus Aurelianus Parens noster civitatum ordines pro desertis possessionibus jusserit conveniri, et pro his fundis, qui invenire dominos non potuerunt, quos præceperamus earumdem possessionum triennii immunitate percepta de solemnibus satisfacere : servato hoc tenore præcipimus, ut si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones ordines minus idoneos esse; eorumdem agrorum onera possessionibus et territoriis dividandur accepta.

DE SERVIS FUGITIVIS.

Imp. Constantinus A. ad Probum. Si fugitivi servi deprehendantur ad Barbaros transeuntes : aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur.

DE USURIS.

Imp. Constantinus A. ad Populum. Si conventus quis negaverit manum propriam prolatam in libello aut alia charta, si quidem ex comparatione is convincatur, hoc est, alia ejus prolata manu, et comparata cum ea, quæ est in libello, det is pœnæ nomine actori pro mendacio solidos viginti quatuor. Si vero aut tabellio productus fuerit, apud quem instrumentum scriptum est, aut alii quidem testes pro veritate deponentes, tunc ipse præter pœnam viginti quatuor aureorum non possit habere licentiam objiciendæ exceptionis pecuniæ non numeratæ, ut dicat, quamvis instrumentum factum fuerit, ea tamen, quæ in eo scripta sunt, non fuisse data : sed omnimodo condemnetur, etiamsi nihil ipsi revera solutum est. § 1. Hæc quidem obtineant, si conveniatur quis ex proprio contractu. Si vero tutor est, aut curator unius earum, quæ sub cura esse solent personarum, masculus aut fœmina secundum Constitutiones tutelam gerens propriorum liberorum, et manum propriam prolatam in contractu eorum, qui sub tutela aut cura sunt, inficiatus fuerit, tunc si quidem ex sola comparatione convincantur mentiri, præstent ipsi viginti quatuor aureos. Si vero ex productione tabellionis, aut testium, pecuniæ quidem non numeratæ exceptio ne adimatur his qui sub tutela vel cura sunt (neque enim peccarunt illi), sed ipsi tutores aut curatores alios viginti quatuor aureos pœnæ nomine dent actori, habentibus his, qui sub tutela aut cura sunt, salvam sibi pecuniæ non numeratæ exceptionem. Neque enim æquum est ipsos ex alienis peccatis damno affici. § 2. Hæc de reis conventis ubi dixit constitutio, transitum fecit et ad agentium personam. Jubens, ut si actor manum propriam inficietur positam in charta contra ipsum prolata, forte in ea, quæ de suscepta dicitur confessione, et ipse similiter, si quidem ex sola comparatione convincatur, præstet viginti quatuor aureos : si vero ex productione tabellionis aut testium, tunc modis omnibus imputet, et agnoscat contenta in illa charta, etiamsi re vera non sunt accepta ab ipso. Hæc si proprio nomine agat. Si vero tutor est aut curator, dat quidem duplam pœnam viginti quatuor aureorum : Is vero qui sub tutela aut cura est possit objicere probationi exceptionem non numeratæ pecuniæ.

DE EUNUCHIS.

Imp. Constantinus. A Aurelio duci Mesopotamiæ. Si quis post hanc sanctionem in Orbe romano eunuchos fecerit, capite puniatur; mancipio tali, nec non etiam loco, ubi hoc commissum fuerit, domino sciente et dissimulante confiscando.

DE FUNDIS PATRIMONIALIBUS.

Imp. Constantinus. A. ad Dracontium. Patrimonialis fundi pensitationem, seu aurariam, seu frumentariam intra tempus omissam, minorum dominio non nocere præcipimus, nec ad fraudem juris eorum accedere, si quod solemniter debetur, paulo serius inferatur; ita tamen ut, permanente substantia parvulorum, judex tutorem, vel curatorem, per quem differtur illatio, negligentiæ suæ et deserti officii pœnas exigat, et damna deplorare compellat.

DE FUNDIS REI PRIVATÆ ET SALTIBUS DIVINÆ DOMUS.

Imp. Constantinus A. Universi cognoscant has possessiones, quas de fisco nostro comparaverunt, seu comparant, nullo a nobis jure retrahi, sed propria firmitate possessas, etiam ad posteros suos dominii perpetui durabilitate dimitti.

DE SERVIS.

Imp. Constantinus. A ad Bassum PP. Si quando negotium status fuerit exortum [si quidem] ab ejus parte, *qui dicitur servus*, aliquid dicatur dominus abripuisse prius considerari placet, utrum de possessione servitutis in libertatem reclamandum putet, an vero ex possessione libertatis in servitutem vocetur. At si cum de obsequiis servilibus libertatem constiterit flagitare, ante decidi status convenit causam, atque ita præberi direptorum negotiorum (si res exegerit) audientiam. Quod si *ei qui ad servitutem vocatur*, quicquam direptum esse memoretur, universa, quæ constiterit ablata, ita demum reddi convenit ei qui servus esse contenditur, si modo *salvam rem futuram* per idoneos fidejussores promiserit. Nam si tales dare non potuerit, tunc ea convenit, de quibus in judicio tractabitur, sequestrari in eum diem, [in] quo controversia sopiatur, ita ut ex iisdem (si aliqua alia facultas esse non poterit) tantum litis sumptus, et alimonia homini subministretur, quantum moderato judicis arbitrio fuerit æstimatum. Cum autem necdum lite de statu mota res ab aliquo direptæ sint, et sententia de restituenda possessione rerum lata, ille ne [huic] sententiæ satisfieret, de statu controversiam movit, necessitatem habebit et sine satistione easdem res reddere, et tunc causam liberalem secundum juris ordinem excercere.

MANDATI.

Imp. Constantinus A. Volusiano Pf. P. In re

Digitized by Google

mandata non pecuniæ solum, cujus est certissimum mandati judicium, verum etiam existimationis periculum est. Nam suæ quidem quisque rei moderator atque arbiter, non omnia negotia, sed pleraque ex proprio animo facit; aliena vero negotia exacto officio geruntur, nec quicquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpa vacuum est.

DE PATRIBUS QUI FILIOS SUOS DISTRAXERUNT.

Imp. Const. A. Provincialibus, salutem. Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque victus causa filium filiamve sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem. Liceat autem ipsi, qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi præstet.

Imp. Constantinus A. ad Italicum. Si quis adversus conductorem nostrum aliquid agendum crediderit, viro illustri Comiti rerum privatarum referri oportet, ne et judici existimationis et officio ejus salutis discrimen immineat. *Dat. kalend. Februar. Coss.*

DE USURIS.

Imp. Constant. ad populum. Pro auro et argento et veste facto chirographo licitas solvi, vel promitti usuras jussimus.

DE INCESTIS ET INUTILIBUS NUPTIIS.

Imp. Constantinus A. Patracio. Cum ancillis non potest esse connubium: nam ex hujusmodi contubernio servi nascuntur; ideoque præcipimus, ne Decuriones in gremia potentissimarum domorum libidine servarum ducente confugiant. Si enim Decurio clam actoribus, et procuratoribus nescientibus, alienæ fuerit servæ conjunctus, et mulierem in metallum detrudi per sententiam judicis jubemus, et ipsum Decurionem in insulam deportari; omnibus bonis ejus civitati, cujus Curialis fuerat, mancipandis, si patria potestate fuerit liberatus, nullosque habeat liberos, vel parentes, vel etiam propinquos, qui secundum legum ordinem ad ejus successionem vocentur. † Quod si actores vel procuratores loci, in quo flagitium admissum est, fuerint conscii, vel compertum facinus promere noluerint, metallo eos convenit implicari. † Si vero dominus (loci) hoc fieri permisit, vel postea cognitum celavit, si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipiis et pecoribus, cæterisque rebus, quæ cultui rustico sustinentur fisci juribus vindicetur. Sin vero in civitate id factum est, dimidiam bonorum omnium partem præcipimus confiscari, pœnam augentes, quoniam intra domesticos parietes scelus admissum est, quod noluit mox cognitum publicare.

Imp. Constantinus A. Maximo P. P. Apud concilium [nostrum] vel apud consules, prætores, [præsules], præsides, magistratusve earum civitatum, quibus hujusmodi jus est, adipisci potest patronorum judicio sedula servitus libertatem.

Imp. Constantinus et Licinius AA. ad Euthymium præsidem Cappadociæ. Jubemus omnes epistolas actricis, quas ad Ælium *tanquam principalem* fecerat, inanes ac vacuas esse, atque in irritum devocari; ac de ingenuitate ejusdem Ælii requiri, nec mulieri id obesse, *quod ad eum tanquam decurionem ac principalem scripserit*, vel id, quod idem se finxerit decurionem, vel principalem; maxime cum non solum testium professione, et cognationis ejus jugum servile cognoscitur, verum etiam voce propria ejusdem Ælii apud aliud judicium patuerat, quod conditionis servilis videretur.

DE QUADRIENNII PRÆSCRIPTIONE.

Imp. Constantinus A. ad Orphitum P. V. Notum est a fisco quæstionem post quadriennium (continuum) super bonis vacantibus inchoandam non esse. Additum est, et eos, qui nostra largitate nituntur, nulla inquietudine lacessendos, nec his a fisco nostro controversam commovendam, qui quoquo modo aut titulo easdem res possederint.

DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

Imp. Constantinus A. Ælio proconsuli Africæ. Legati non solum civiles, sed etiam criminales causas audiant, ita ut, si sententiam in reos fereudam providerint, ad proconsules eos transmittere non morentur.

DE OFFICIO MAGISTRI OFFICIORUM.

Imp. Constantinus A. ad agentes in rebus. Privilegiis dudum scholæ vestræ indultis [ei], integris reservatis, ad ducenariam, centenariam et biarchiam nemo suffragio, sed labore unusquisque perveniat, Principatum vero adipiscatur matricula decurrente, ita ut ad curas agendas et cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat, et ejus laborum adjutor. Præterea in quo totius scholæ status, et magistri securitas constituta est, idoneus probitate morum ac bonis attributis præditus nostris per magistrum obtutibus offeratur, ut nostro ordinetur arbitrio. *P. P. Romæ, in foro Trajani.*

DE AGRICOLIS ET MANCIPIIS DOMINICIS, VEL FISCALIBUS REI PUBLICÆ VEL PRIVATÆ.

Imp. Constantinus A. ad Constant. P. P. Nullus omnino originalis colonus rei privatæ nostræ ad aliquos honores, vel quælibet alia civitatis munera devocetur. Non enim civitatum ordinibus, et cæteris, ex quibus pro multitudine fieri nominationes oportet, per omnia florentibus ad hæc suprema præsidia injuriosa nominatione descendendum est.

Imp. Constantinus A. Januario. P. P. Colonos nostros, qui privati sunt, vel ad ratiocinia gerenda, vel ad colendos agros idonei, retrahi jubemus, ac tantum colendis nostris rebus addici; quin etiam in posterum observari, ne quis eorum rem privatam cujusquam gerendam, aut aliquid administrandum suscipiat.

Imp. Constantinus A. ad Equitium, Magistrum equitum et peditum. Servi, atque coloni, et eorum filii,

Digitized by Google

vel nepotes, vel quicumque de fundis ac possessionibus nostris clanculo ad officia convolaverint diversa reddantur, etiam si armatæ habuerint sacramenta militiæ. Nos enim etiam eos discingi jubemus, ac reddi, qui protectorum fuerint nomen adepti.

DE SALGAMO HOSPITIBUS NON PRÆSTANDO.

Imp. Constantinus A. Ne quis Comitum, vel Tribunorum, aut Præpositorum, aut militum nomine, salgami gratia, culcitras, lignum, oleum, a suis extorqueat hospitibus, sed nec volentibus hospitibus in prædictis speciebus aliquid auferat; sed sint Provinciales nostri ab hac præbitione securi, Comitibus, Tribunis, vel certe Præpositis militibusque gravi vexationi subjacentibus. *Dat. V. Ibid. Octob.*

IN QUIBUS CAUSIS COLONI CENSITI DOMINOS ACCUSARE POSSINT.

Imp. Constantinus A. ad Maximum Vic. Orient. Quisque colonus plus a domino exigitur, quam ante consueverat, et quam in anterioribus temporibus exactum est, adeat judicem, cujus primum poterit habere præsentiam, et facinus comprobet, ut ille, qui convincitur amplius postulare, quam accipere consueverat, hoc facere in posterum prohibeatur, prius reddito quod superexactione perpetrata noscitur extorsisse.

DE EXCUSATIONIBUS MUNERUM.

Imp. Constantinus A. ad Catullinum Vicarium. Negotiantes vestiarios, linteones, purpurarios et particarios, qui devotioni nostræ deserviunt, visum est secundum veterem consuetudinem ab omni munere immunes esse.

DE NAUFRAGIIS.

Imp. Constantinus A. Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat: Fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?

Pars secunda.

CONCIONES.

(*Ex Euseb. Hist. Eccl.*),

CONSTANTINI AD SYNODUM IN PALATIO HABITAM ORATIO DE PACE.

Εὐχῆς μὲν ἐμοὶ τέλος ἦν, ὦ φίλοι, τῆς ὑμετέρας ἀπολαῦσαι χορείας· τούτου δὲ τυχὼν, εἰδέναι τῷ βασιλεῖ τῶν ὅλων τὴν χάριν ὁμολογῶ, ὅτι μοι πρὸς τοῖς ἄλλοις ἅπασι, καὶ τοῦτο κρεῖττον ἀγαθοῦ παντὸς ἰδεῖν ἐδωρήσατο, φημὶ δὴ τὸ, συναγμένους ὁμοῦ πάντας ἀπολαβεῖν μίαν τε κοινὴν ἁπάντων ὁμόφρονα γνώμην θεάσασθαι. μὴ δ' οὖν βάσκανός τις ἐχθρὸς τοῖς ἡμετέροις καλοῖς λυμαινέσθω. μὴ δὲ τῆς τυράννων θεομαχίας ἐκποδὼν ἀρθείσης Θεοῦ σωτῆρος δυνάμει, ἑτέρως ὁ φιλοπόνηρος δαίμων τὸν θεῖον νόμον βλασφημίαις περιβαλλέτω· ὡς ἔμοιγε παντὸς πολέμου καὶ μάχης δεινὴ καὶ χαλεπωτέρα, ἡ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἐμφύλιος νενόμισται στάσις. καὶ μᾶλλον ταῦτα τῶν ἔξωθεν λυπηρὰ καταφαίνεται. ὅτε γοῦν τὰς κατὰ τῶν πολεμίων νίκας νεύματι καὶ συνεργείᾳ τοῦ κρείττονος ἠράμην, οὐδέν τε λείπειν ἐνόμιζον, ἢ Θεῷ μὲν νομίζειν τὴν χάριν, συγχαίρειν δὲ καὶ τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ δι' ἡμῶν ἠλευθερωμένοις. ἐπειδὴ τὴν ὑμετέραν διάστασιν παρ' ἐλπίδα πᾶσαν ἐπυθόμην, οὐκ ἐν δευτέρῳ τὴν ἀκοὴν ἐθέμην, τυχεῖν δέ καὶ τοῦτο θεραπείας δι' ἐμῆς ἐυξάμενος ὑπηρεσίας, τοὺς πάντας ἀμελλητὶ συμμετεστειλάμην· καὶ χαίρω μὲν ὁρῶν τὴν ὑμετέραν ὁμήγυριν. τότε δὲ μάλιστα κρίνω κατ' εὐχὰς ἐμαυτὸν πράξειν, ἐπειδὰν ταῖς ψυχαῖς ἀνακραθέντας ἴδωμι τοὺς πάντας, μίαντε κοινὴν βραβεύουσαν τοῖς πᾶσιν εἰρηνικὴν συμφωνίαν, ἣν καὶ ἑτέρους ὑμᾶς πρέπον ἂν εἴη πρεσβεύειν τοὺς τῷ Θεῷ καθιερωμένους. μὴ δὴ οὖν μέλλετε, ὦ φίλοι, μὴ δή, λειτουργοὶ Θεοῦ, καὶ τοῦ κοινοῦ πάντων ἡμῶν δεσπότου τε καὶ σωτῆρος ἀγαθοὶ θεράποντες· τὰ τῆς ἐν ὑμῖν διαστάσεως οἴτια ἐντεῦθεν ἤδη φέρειν ἀρξάμενοι, πάντα σύνδεσμον ἀμφιλογίας νόμοις εἰρήνης ἐπιλύσασθε, οὕτω γὰρ καὶ τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ τὰ ἀριστὰ

Hæc erat summa votorum meorum, carissimi, ut cœtus vestri conspectu mihi quandoque frui contingeret. Cujus voti compos nunc factus, Deo omnium Regi gratias ago, qui præter innumera alia beneficia, hoc omnium bonorum maximum mihi spectare concessit, ut scilicet vos in unum omnes congregatos, et conspirantibus animis unum idemque sentientes viderem. Nullus igitur posthac malevolus hostis felicem rerum nostrarum statum perturbet, nec post deletam funditus ac sublatam Dei Servatoris auxilio, tyrannidem eorum qui Deo bellum indixerant, rursus malignus dæmon alia via ac ratione divinam legem maledictis et calumniis exponat. Quippe intestina seditio Ecclesiæ Dei, mihi quidem omni bello et concertatione gravior ac periculosior videtur; nec externæ res tantum animo meo dolorem afferunt, quantum hæc negotia. Et eo quidem tempore quo Dei nutu atque auxilio adjutus victoriam de hostibus retuleram, nihil amplius mihi superesse existimabam, quam ut tum divino Numini gratias agerem, tum una cum iis quos Deus mea opera in libertatem vindicaverat communi gaudio exultarem. Sed ubi de dissensione vestra nuntius ad me insperato perlatus est, equidem eam rem minime negligendam putavi. Quippe optans ut huic malo mea quoque opera remedium adhiberetur, absque ulla cunctatione omnes vos accersivi. Et maximam quidem animo capio voluptatem, cum vos congregatos intueor. Sed me ex voto rem gessisse tunc demum existimabo, cum vestrum omnium animos inter se conjunctos ac permixtos videro, unamque velut omnium arbitram pacem atque concordiam, quam quidem vos, utpote Deo

Digitized by Google

consecrati, aliis suadere ac prædicare debetis. Date igitur operam, o carissimi Dei ministri, et communis omnium vestrum Domini ac Servatoris fideles famuli, ut sublatis quamprimum mutuæ inter vos dissensionis causis, omnes controversiarum nodos pacis legibus sine ulla mora dissolvatis. Hac enim ratione et summo omnium Deo rem gratissimam facturi, et mihi conservo vestro ingens beneficium collaturi estis.

A διακεπραγμένοι εἴητε ἄν, καὶ μοὶ τῷ ὑμετέρῳ συνθεράποντι ὑπερβάλλουσαν δώσετε χάριν.

ORATIO AD SANCTORUM COETUM.

CAPUT PRIMUM. — PROOEMIUM MENTIONEM FACIT PASCHÆ, ET QUOD CHRISTUS CUM MULTA IN OMNES HOMINES BENEFICIA CONTULISSET, AB IISDEM MALE MULCTATUS EST.

Splendidius solito Solis ac diei jubar, primordium quidem resurrectionis; corporum vero jam pridem dissolutorum nova reparatio, fundamentum promissionis; via ducens ad æternam vitam, dies videlicet Passionis nunc agitur, Doctores carissimi et reliqui omnes amici; vosque multo reliquis feliciores credentium populi, qui ipsum religionis auctorem Deum religiose colitis, et tum interiore sensu, tum linguis ac vocibus, juxta sacrorum oraculorum præscripta, ipsum sine intermissione laudatis. Tu vero, natura omnium parens, quid hujusmodi unquam ad hominum utilitatem contulisti? Aut potius quod usquam est opificium tuum? Siquidem ille omnium auctor tuæ substantiæ opifex fuit. Hic enim est, qui te ornavit. Quippe ornamentum naturæ est vita cum natura apte consentiens. Invaluit autem postea id quod prorsus naturæ contrarium est, ut Deum omnium auctorem nemo congruo cultu veneraretur, cunctaque non divini Numinis providentia, sed casu quodam ac temere geri putarentur. Et quamvis pro-

B Τὸ τηλαυγέστερον ἡμέρας τε καὶ ἡλίου φέγγος, προοίμιον μὲν ἀναστάσεως· ἁρμογὴ δὲ νέα τῶν πονησάντων ποτὲ σωμάτων, ὁρμαί θ' ὑποσχίσεως, καὶ ἀτραπὸς ἐπὶ τὴν αἰωνίαν ζωὴν ἄγουσα, ἡ τοῦ παθήματος ἡμέρα πάρεστιν, ὦ προσφιλέστατοι καθηγηταί, φίλοι θ' οἱ λοιποὶ ξύμπαντες ἄνδρες. μακαριώτερα δὲ πολλῷ πλήθη τῶν θρησκευόντων, καὶ αὐτὸν τὸν τῆς θρησκείας Θεὸν, διὰ τῶν ἐντὸς αἰσθήσεων ἑκάστου καὶ δι' ἐκφωνητηρίων ἀδιαλείπτως ὑμνούντων κατὰ τὰ ἐν θεσπίσμασι προσαγορευόμενα. σὺ δ' ὦ παμμήτειρα φύσις, τί τοιοῦτον τῷ κόσμῳ συντετέλεκας πώποτε; ποῖον δ' ὅλως σὸν δημιούργημα; εἴπερ ὁ τῶν πάντων, καὶ τῆς σῆς οὐσίας αἴτιος. οὗτος γάρ σε ἐκόσμησεν, ἐπεὶ κόσμος, ἡ κατὰ φύσιν ζωή· ἐπικεκράτηκε γὰρ οὐ μέτριος ἅ παρὰ φύσιν· τὸν τῶν πάντων Θεὸν καταξίαν σέβειν μηδένα, νομίζεσθαί τε μὴ ἐκ προνοίας, C ἀλλ' ὡς ἔτυχεν ἀτάκτως τε καὶ πλημμελῶς τὰ πάντα συνιστάναι, καὶ ταῦτα ἐξαγγελλούσης καθέκαστα θείας ἐπιπνοίας διὰ προφητῶν, οἷς ἔδει πείθεσθαι, ἀντίστατο παντοίαις μηχαναῖς ἀδικία δυσσεβὴς· διαβεβλημένη μὲν πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας φῶς, ἀσπαζομένη δὲ τὸ δυσέλεγκτον

VALESII NOTÆ.

Oratio ad sanct. cœtum. Post quatuor libros de vita et pietate imperatoris Constantini duas orationes Eusebius subjecerat: alteram Constantini imp. ad Sanctorum cœtum, sive ad Ecclesiam Dei; alteram a seipso conscriptam de fabrica et donariis martyrii Hierosolymitani, ut ipsemet Eusebius testatur in cap. 32 et 46 libri quarti. Sed posterior quidem Eusebii oratio hodie non extat. Prior autem illa tot mendis inquinata est, ut pene satius fuerit eam non exstare. Verum cum hoc eximium sit monumentum religiosi principis, ejusque studiorum et ingenii illustre specimen, operæ pretium facturus mihi videor, si in eo emendando atque explicando curam ac diligentiam adhibuero.

Ὁρμαί θ' ὑποσχίσεως. In libro Morælii, perinde ac in margine editionis Genevensis, emendatur ὅρμαιον, D quod vocabulum nullibi legere memini. At in libro Scaligeri ἕρμαιον corrigebatur, quod propius accedit ad manuscriptorum codicum lectionem. Certe in regio codice ἕρμαί legitur, ex quo conjiciebam scribendum esse ἕρμα, id est, fundamentum. Eleganter resurrectionem Domini vocat fundamentum promissionis. Nec male Christophorsonus *pignus promissionis* vertit, quod idem est. Pignus enim pro firmamento datur; unde ἐνέχυρον dicitur a Græcis. In codice Fuk. et Savilii ἕρματον scriptum inveni.

Μακαριώτερα δὲ πολλῷ πλήθη. Non assentior viris doctis, qui hæc cum præcedentibus continuantes ita legunt: μακάριάτε πολλὰ πλήθη, etc. Nam si hoc modo legamus, inepta fuerit repetitio, cum antea dixerit Constantinus: φίλοι θ' οἱ λοιποὶ ξύμπαντες ἄνδρες. Quibus verbis Constantinus universam plebem Catholicam solitat more concionatorum. Quare verba illa: μακαριώτερα δὲ πολλῷ πλήθη, initium sunt alterius periodi qua Constantinus felicitatem Catholicæ plebis exaggerat. Porro, libentius legerem πλήθη τυγχάνετε, ut plebem ipsam alloquatur Constantinus. In codice tamen Fuk. et Savilii ita legitur hic locus: μακάριά τε πολλὰ πλήθη τῶν θρησκευτῶν, καὶ αὐτὸν τὸν τῆς θρησκείας θεὸν διὰ τῶν ἐντὸς αἰσθήσεων, ἑκάστου καὶ δι' ἐκφωνητηρίων ἀδιαλείπτως ὑμνούντων κατὰ τὰ ἐν θεσπίσμασι προαγορευόμενα.

Τῆς σῆς οὐσίας. Hanc lectionem secutus est Christophorsonus. Ego vero, re attentius examinata, vulgatam scripturam hic retinendam puto. Ait enim Constantinus naturam non esse opificem rerum, cum Deus ipsam condiderit, nec tantum ipsius naturæ auctor sit, sed etiam sanctitatis quæ in illa est. Deus enim est qui naturam exornavit. Quippe ornamentum naturæ est vita juxta legem ac præscriptum Dei. Hic est sensus hujus loci, quem Christophorsonus non animadvertit. Nam de Portesio nihil dico, quem pœne ubique imperitissimum deprehendi. In codice tamen Fuketii, Turnebi ac Savilii, et in schedis regiis scribitur οὐσίας.

Ἡ κατὰ φύσιν ζωή. Scribendum ἡ κατὰ Θεὸν ζωή, ut ex superiori annotatione apparet, uno verbo θεοσέβεια, id est, religio, ornamentum est naturæ. In vulgata autem lectione quis subsit sensus, equidem non video. Sic Eusebius noster libros de vita imp. Constantini inscripsit περὶ τοῦ κατὰ Θεὸν βίου. In regiis schedis scribitur ἡ κατὰ κόσμον ζωή.

Ἐπικεκράτηκε γάρ. Scribendum ἐπικεκράτηκε δὲ οὐμετρίως ὃν παρὰ φύσιν, etc. Certe in codice Fuk. scribitur ἐπικεκράτηκε δ' οὐ μετρίως τὰ παρὰ φύσιν, τὸ τῶν ἁπάντων θεόν, etc.

Digitized by Google

τοῦ σκότους. ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο χωρὶς βίας καὶ ὠμότητος· ἐξαιρέτως ὅτι τῇ τῶν χυδαίων δήμων ἀπροόπτῳ φορᾷ, ἡ τῶν δυναστευόντων γνώμη συνελάμβανε, μᾶλλον δὲ τῆς ἀκαίρου μανίας αὕτη καθηγεῖτο. διὸ δὴ πολλαῖς γενεαῖς ὁ τοιοῦτος βίος κρατυνθείς, μεγίστων γέγονε τοῖς τότε κακῶν αἴτιος· ἐπιλαμψάσης δὲ παραυτίκα τῆς τοῦ σωτῆρος ἐπιφανείας, δίκη μὲν ἐξ ἀδίκων ἔργων, ἐκ δὲ παντοδαποῦ κλύδωνος γαλήνη συνίστατο, καὶ πάνθ' ὅσα διὰ προφητῶν προείρητο, ἐπληροῦτο. τοιγάρτοι μετάρσιος τὴν πατρῴαν ἑστίαν, ἀρθεὶς, αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης ἀγλαΐσμασι τὴν οἰκουμένην περιστήσας, ἱερόν τινα νεὼν ἀρετῆς, τὴν ἐκκλησίαν ἐπὶ τῆς γῆς ἱδρύσατο, ἀΐδιον, ἄφθαρτον, ἐν ᾧ τότε τῷ ἐξοχωτάτῳ πατρὶ Θεῷ δέοντα, τά θ' ἑαυτῷ καθήκοντα, ἐτελεῖτο μετ' εὐσεβείας. τί δὲ μετὰ ταῦτα ἡ ἄφρων τῶν ἐθνῶν ἐμηχανᾶτο πονηρία; ἐπετήδευε τὰς τοῦ Χριστοῦ χάριτας ἐκβάλλουσα, καὶ τὴν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πάντων συσταθεῖσαν ἐκκλησίαν πορθῆσαι, ἀνέτρεπε δὲ τὴν οἰκείαν δεισιδαιμονίαν. ἀνόσιος αὖθις στάσις, πόλεμοι, μάχαι, δυστραπελία, βίου παρασκευή. χρημάτων ἔρως· ὃ καὶ οὐ φυσικῶς ἴδιον πονηρίας, ποτὲ μὲν ἐλπίσι κεκαλλωπισμέναις θέλγοι, ποτὲ δὲ φόβῳ καταπλήττοι. ἀλλ' αὕτη μὲν χαμαὶ κείσθω, ἡττηθεῖσα ὑπ' ἀρετῆς, ᾗ θέμις, διαῤῥηγνυμένη, σπαραττομένητε ὑπὸ μεταμελείας. ἡμῖν δὲ νῦν τὰ προσήκοντα τῷ θείῳ λόγῳ ῥητέον.

A phetæ divino Spiritu afflati id ipsum diserte annuntiarent, quorum sermonibus fides adhiberi debuerat, tamen iniqua impietas modis omnibus repugnabat; ipsam quidem veritatis lucem odio prosequens, impenetrabiles autem tenebras erroris amplectens. Neque vero vis ac sævitia abfuit; præsertim cum temerarium impetum vulgi principum auctoritas adjuvaret, aut, ut verius dicam, ipsi se importuni furoris duces præberent. Itaque hæc vivendi ratio plurium ætatum usu confirmata, illorum temporum hominibus plurimas invexit calamitates. Verum, ubi primum Servatoris nostri præsentia illuxit, statim pro injustitia æquitas; pro gravissima tempestate serenitas oborta est, et quæcumque a prophetis prædicta fuerant impleta sunt. Postquam enim idem B ille Servator noster ad Patris sui sublatus est domicilium, toto terrarum orbe continentiæ ac modestiæ radiis illustrato, Ecclesiam suam quasi sacrum quoddam virtutis templum in terris constituit, idque æternum et incorruptum, in quo tum summo Deo ac Patri debitus, tum ipsi quoque conveniens cultus rite exhiberetur. Sed quid posthæc vesana gentium malitia machinata est? Christi beneficia ac dona projicere, et Ecclesiam Dei ad salutem omnium constitutam evertere studuit, ac suam superstitionem in ejus locum substituere. Iterum seditiones; iterum pugnæ et bella; iterum morositas et luxuriosus vitæ apparatus; et cupiditas divitiarum; quæ quidem præter naturam in hominibus existens (quod proprium est malitiæ) nunc spe fucata oblectat; nunc timore percellit. Sed hæc quidem, ut æquitas postulat, humi jaceat, a virtute devicta, et præ pœnitentia seipsa disrumpens atque dilacerans. Nobis vero ea quæ divinæ doctrinæ conveniunt impræsentiarum dicenda sunt.

CAP. II. — ALLOCUTIO AD ECCLESIAM ET AUDITORES, UT IGNOSCANT ET EMENDENT, SI QUID MINUS RECTE DIXERIT.

Ἄκουε τοίνυν, ἀγνείας παρθενίας τ' ἐπήβολε ναύκληρε, ἐκκλησία τε ἀώρου καὶ ἀδαοῦς ἡλικίας τιθήνη, ᾗ μέλει μὲν ἀληθείας, μέλει δὲ φιλανθρωπίας· ἐξ ἧς ἀενάου πηγῆς ἀποστάζει σωτήριον νᾶμα. ἀκούοιτε δ' ἂν καὶ ὑμεῖς εὐφήμως, οἱ τὸν Θεὸν εἰλικρινῶς σέβοντες, διὸ καὶ μεμέλησθε αὐτῷ, προσέχοντες τὸν νοῦν, μὴ τῇ φράσει μᾶλ- C

Audi ergo, castitatis ac virginitatis compos nauclere; tuque infirmæ ac rudis ætatis nutrix ecclesia, cui veritas et clementia curæ est, ex cujus perenni fonte salutaris defluit rivus. Vos quoque qui sincere Deum colitis, eamque ob causam illi curæ estis, favente audite, nec tam ad verba ipsa, quam ad re-

VALESII NOTÆ.

Δεισιδαιμονίαν. ἀνόσιος. In codice Regio desunt duæ postremæ voces, et vacuum spatium relictum est unius vocabuli capax. Ego non dubito quin legendum sit τὴν οἰκείαν δεισιδαιμονίαν ἀντεισάγειν, expuncto verbo illo ἀνέτρεπε, quod omnino superfluum est. In codice Fuk. ita scribitur hic locus: ἐκκλησίαν πορθῆσαν. ἀνέτρεπέ τε τὴν οἰκείαν δεισιδαιμονίανα. νοτιος αὖθις, etc. In schedis autem Regiis scriptum est νόσος αὖθις, etc, Savilius ad oram libri sui emendavit, ἀνέτρεπε δὲ τὴν D οἰκείαν δεισιδ. Ego re attentius examinata hunc locum ita restituendum esse existimo: ἐκκλησίαν πορθῆσαι. ἀνέτρεπέ δὲ τὴν οἰκείαν εὐδαιμονίαν. νόσος αὖθις, etc. Id est, *Gentiles cum Ecclesiam Christi vastare atque evertere instituissent, suam ipsorum felicitatem subverterunt. Morbi iterum ac seditiones*, etc. Potest etiam retineri vox δεισιδαιμονίαν, ut sensus sit, Gentiles dum Ecclesiam persequerentur, suam ipsorum religionem pessumdedisse. Quippe Ecclesia Dei persecutionibus Gentilium impugnata, superstitionem cultumque falsorum numinum devicit.

Δυστραπελία. Turnebus ad oram libri sui emendavit δυστραπελίαι. Certe in codice Fuk. scribitur δυστραπελίας. In Regiis autem schedis legitur δυστράπελος, deinde aliquot lineæ sunt omissæ. Ac fortasse scribendum est uno ductu δυστράπελος·βίου παρασκευή. Id est, *morosus vitæ apparatus*. Nisi enim ita legamus, quid erit quod sequitur βίου παρασκευή, quam inter res malas numerat Constantinus. Musculus quidem legisse videtur βίαιος βίου παρασκευή. vertit enim *violenta victus astructio*. Mox codex Fuk. habet ὃ καὶ οὐ φυσικῶς, ἴδιον πονηρίας ὄν, ποτέ, etc.

Αὕτη μέν. In libro Moræi perinde, ac in editione Genevensi ad marginem emendatur ἀλλ' αὐτὴ μέν, etc., optime, ut norunt linguæ Græcæ periti. Subauditur autem ἡ πονηρία. In codice quoque Fuk. ac Turnebi legitur ἀλλ' αὕτη.

Τηρητέον. Hujus loci emendatio debetur codici Fuk. in quo diserte legitur ῥητέον. Qua quidem emendatione nihil certius.

Ναύκληρε. Sic Episcopum vocat Constantinus, translatione non minus eleganti, quam cum pastores dicuntur. Cumque Ecclesia navi comparari soleat, recte navicularii dicuntur episcopi qui eam regunt et qui Apostolorum successores sunt, quos Christus ex piscatoribus gubernatores Ecclesiæ fecit. Porro castitate ac virginitate præditum vocat, quia ejusmodi erant Christianorum sacerdotes, ἁγνοὶ καὶ παρθένιαι.

Σωτήριον νᾶμα. Codex Fuk. et schedæ Regiæ cum Turnebi libro scriptum habent πόμα. Mox ubi legitur προσέχοντες τὸν νοῦν, codex Fuk. scribit προσέχεται τοινυν.

Digitized by Google

rum quæ dicuntur veritatem, animum intendite; nec me dicentem, sed devotionis religiosum officium spectate. Quæ enim gratia et utilitas fuerit orationis, nisi dicentis animus antea fuerit exploratus? Magna quidem fortasse præsumo. Verum insitus mihi erga Deum amor audaciæ causa est; quippe qui vim affert pudori. Proinde vos, qui divinorum mysteriorum scientia præ ceteris instructi estis, auxilio mihi adesse velim; ut si quid forte in dicendo peccare contigerit, ipsi mea sectantes vestigia corrigatis; nec consummatam quamdam doctrinam a me exspectetis, sed potius fidei meæ conatum benigne approbetis. Cæterum, Patris ac Filii singulare auxilium nobis in præsentia aspiret, ea dicentibus quæ jusserit ac menti nostræ suggesserit. Si quis enim, aut rhetoricam aut aliam quamcumque artem professus, sperat se absque ope divini numinis opus suum cumulate posse perficere, is cum eo quod suscepit opere rudis atque imperfectus deprehenditur. Quibus vero divini numinis semel aspiravit auxilium, ii neutiquam cessare ac torpere debent. Proinde longioris procœmii veniam a vobis deprecati, caput ac summam instituti nostri aggredi tentabimus.

λον, ἢ τῇ τῶν λεγομένων ἀληθείᾳ, μὴ δ' ἐμοὶ τῷ λέγοντι, ἀλλὰ τῇ τῆς καθοσιώσεως εὐσεβείᾳ. τίς γὰρ ἂν εἴη λόγων χάρις, ἀνεξετάστου καταλειπομένης τῆς τοῦ λέγοντος διαθέσεως· τολμῶ δ' οὖν ἴσως μεγάλα, τῆς δὲ τόλμης, τὴν πρὸς τὸ θεῖον στοργὴν ἔμφυτον αἰτιῶμαι· αὕτη γὰρ καὶ τὴν αἰδὼ βιάζεται· διὸ μάλιστα τοὺς ἐπιστήμονας τῶν θείων μυστηρίων, βοηθοὺς ἐμαυτῷ συνάπτω, ἵν' ἐάν τι πταῖσμα συμβαίνῃ περὶ τοὺς λόγους, συμπαρομαρτοῦντες διορθοῦσθε, τὴν μὲν ἄκραν παιδείαν μὴ ἐπιποθοῦντες, τὸ δὲ πιστὸν τῆς ἐπιχειρήσεως ἀποδεχόμενοι. ἐπίπνοια δ' ἡμῖν μεγίστη τοῦ πατρὸς, παιδός τε κατ' ἔργου παρείη, φθεγγομένῳ ταῦτα ἅπερ ἂν αὐτῷ φράσει καὶ διανοίᾳ προσάψοι. εἰ γάρ τις ἄνευ Θεοῦ ῥητορικὴν, ἢ ἄλλην τινὰ μετιὼν ἐπιστήμην, ἀκριβοῦν τὸ ἔρον ἱκανῶς ὑπείληφεν, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ τὸ σπουδαζόμενον ἐφωράθη. οὐ μέν κατοκνητέον, οὐδ' ἀμελητέον, τοῖς εὐτυχήσασι πώποτε τῆς θείας ἐπιπνοίας· διὸ καὶ ἡμεῖς τὸ μῆκος τῆς ἀναβολῆς παραιτησάμενοι, πειρώμεθα τοῦ σκοποῦ (πρὸς) τὸ τέλειον.

CAP. III.—QUOD DEUS PATER EST VERBI, ET OMNIUM RERUM OPIFEX, ET QUOD NULLO MODO RES POSSENT CONSISTERE, SI DIVERSÆ ESSENT EARUM CAUSÆ.

Bonum illud quod omnia appetunt, cum suapte natura semper Deus sit, ortum non habet, ac proinde nec principium. Ipse vero omnium quæ gignuntur principium est. Qui autem ex ipso processit, rursus cum ipso conjungitur atque unitur; quippe cum disjunctio atque conjunctio non locorum spatiis, sed intellectu duntaxat in illo perficiatur. Neque enim ullo paternorum viscerum damno fœtus ille constitit, sicut ea quæ ex semine nascuntur, sed divinæ providentiæ dispositione editus est Servator, qui huic aspectabili mundo, et cunctis quæ in eo fabricatæ sunt rebus atque operibus præsideret. Omnibus igitur quæ mundi complexu continentur, subsistendi ac vivendi hinc suppetit causa. Hinc anima, hinc sensus omnis, et facultates quibus ea quæ a sensibus significata sunt consummantur. Quidnam

Ἀγαθὸν οὗ πάντα ἐφίεται, οὗπερ τὴν οὐσίαν Θεὸς ὢν ἀεὶ, γένεσιν οὐκ ἔχει, οὐκοῦν οὐδ' ἀρχήν· τῶν δ' ἐν γενέσει πάντων, αὐτὸς ἀρχή. ὁ δὲ ἐξ ἐκείνου ἔχων τὴν ἀναφοράν, εἰς ἐκεῖνον ἑνοῦται πάλιν, ἐκείνῳ τῆς διαστάσεως συγκρίσεώς τε, οὐ τοπικῶς, ἀλλὰ νοερῶς γινομένης· οὐ γὰρ ζημίᾳ τινὶ τῶν πατρῴων σπλάγχνων συνέστη τὸ γεννηθέν, ὥσπερ ἀμέλει τὰ ἐκ σπερμάτων· ἀλλὰ διατάξει προνοίας, ἐπιστάτην Σωτῆρα τῷ τε αἰσθητῷ κόσμῳ καὶ τοῖς ἐν αὐτῷ μηχανωμένοις (ἐξέφηνε). τοι γάρτοι πᾶσιν ὅσα περιείληπται ὑπὸ τοῦ κόσμου, ἡ αἰτία τοῦ εἶναι καὶ ζῆν ἐκεῖθεν· ἐκεῖθεν δὲ καὶ ψυχὴ, καὶ πᾶσα αἴσθησις, καὶ τὰ ὄργανα, δι' ὧν τὰ σημαινόμενα ὑπὸ τῶν αἰσθήσεων ἀποτελεῖται. τί οὖν δηλοῖ ὁ λόγος; τῶν ὄντων ἁπάντων ἕνα εἶναι προστάτην, καὶ πάνθ' ὅσα ὑποτέτακται τῇ ἐκείνου δεσποτείᾳ μόνου, τά τ' οὐράνια, τά τ' ἐπίγεια, καὶ τὰ φυσικὰ καὶ ὀργανικὰ σώματα. εἰ γὰρ ἡ τούτων ἀναριθμή-

VALESI NOTÆ.

Ἅπερ ἂν αὐτῷ φράσει. Scribendum est αὕτη, supple ἡ ἐπίπνοια τοῦ πατρὸς, quemadmodum legit Christophorsonus. Certe in codice Fuk. scribitur φθεγγομένοις ταῦτα, ἅπερ ἂν αὐτὴ φράσοι, καὶ διανοίᾳ προσάψοι.

Τὸ μῆκος τῆς ἀναβολῆς παραιτησάμενοι. Et hanc et præcedentem periodum pessime interpretatus est Christophorsonus. Putavit enim ἀναβολὴν hic significare *moram ac dilationem*; cum tamen ἀναβολὴ hoc loco significet *procœmium*. Excusat enim se Constantinus, quod longiore usus sit procœmio, ἀναβολὴ proprie est exordium cantici quod chorus præcinere solebat. Aristophanes in Irene pag. 685 de dithyrambicis: ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς πετόμεναι, ubi Scholiastes notat ἀναβολὰς esse τὰς ἀρχὰς τῶν ἀσμάτων, et versum Homeri citat. Isocrates in Panathenaico: ἃ μὲν οὖν ἠβουλήθην καὶ περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὥσπερ χορὸς πρὸ τοῦ ἀγῶνος προαναβάλλεσθαι, ταῦτά ἐστιν. A cantoribus igitur ad oratores postea translatum est id vocabulum: et ἀναβάλλεσθαι dixerunt pro σπουδιάζεσθαι, ut testatur Hesychius. Ulpianus in orationem Demosthenis de Chersoneso, ἀναβαλλόμενος δὲ δι' ἑνὸς λάμβα, ἀντὶ τοῦ Προοιμιασάμενος· καὶ ἀναβολὰς, προοίμια. Sic Aristophanes in Irene pagina 717, προαναβάλλεται et ἀναβαλοῦ eodem sensu dixit. Porro ex hoc loco apparet, procœmium hujus orationis ad hæc usque verba protendi.

Οὗπερ τὴν οὐσίαν. Legendum puto ὁ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν θεὸς. Nam summum bonum nihil aliud est quam summus Deus. Sic infra capite nono πρῶτον μὲν θεὸν ὑφηγήσατο τὸν ὑπὲρ τὴν οὐσίαν. In codice Fuk. et Savilii scribitur ὅπερ male.

Ὀργανικὰ σώματα. Christophorsonus *artificialia* interpretatus est, quæ scilicet aliquo instrumento efficiuntur, non autem a natura generantur, in quo tamen ei non assentior. Nam cum in hac tota oratione philosophetur Constantinus, hoc etiam in loco naturalia et organica corpora dixit more philosophorum, quæ organis seu instrumentis ad operandum idoneis prædita sunt. Ita Aristoteles loquitur, cum animam definit actum corporis organici. Plus autem est organicum quam naturale. Sunt enim quædam corpora naturalia quæ organis carent, ut exempli gratia lapides et cætera id genus.

Digitized by Google

τῶν ὄντων κυρεία, οὐχ ἑνὸς, ἀλλὰ πολλῶν οὖσα ἐτύγχανε, κλῆροι ἂν καὶ στοιχείων διανεμήσεις, καὶ μῦθοι παλαιοὶ, καὶ φθόνος, καὶ πλεονεξία κατὰ δύναμιν κατακρατήσαντα, τὴν ἐναρμόνιον τῶν πάντων ὁμόνοιαν διεσάλευε, πολλῶν διαφόρως τὴν λελογχυῖαν ἑκάστῳ μοῖραν διοικονομουμένων. τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτά τε καὶ ὡσαύτως ἔχειν τὸν σύμπαντα κόσμον, (οὐκ) ἀμελῶς ἔχειν (οὐδ' ἀπὸ ταυτομάτου γεγένησθαι τοῦτον παρίστησι)· τίς δ' ἂν ἔγνω τὸν συμπάσης γενέσεως δημιουργὸν; εὐχαὶ δὲ καὶ λιτανεῖαι, πρὸς τίνα πρῶτον, ἢ τελευταῖον; τίνα δὲ θεραπεύων ἐξ αἱρέσεως, οὐκ ἂν περὶ τοὺς λοιποὺς ἀσέβησα; ἢ τάχα δ' ἂν καὶ δεόμενος τῶν βιωτικῶν τινος, τῷ μὲν συναραμένῳ χάριν ἔγνων, τῷ δ' ἀντιπράξαντι ἐμεμψάμην; τίνι δὲ προσευξάμενος τὴν αἰτίαν τῆς περιστάσεως γνῶναι, τῆς τ' ἀπαλλαγῆς τυχεῖν ἠξίουν. θῶμεν δὴ λογίοις καὶ χρησμοῖς ἡμῖν ἀποκρίσθαι, μὴ εἶναι δὲ τῆς ἑαυτῶν ἐξουσίας, ἀλλ' ὥστε ταῦτα ἀνήκειν Θεῷ· τίς οὖν ἔλεος; ποία δὲ Θεοῦ εἰς ἄνθρωπον πρόνοια; εἰ μὴ ἆρα βιαίως ὁ φιλανθρωπότερος πρὸς τὸν μηδεμίαν ἔχοντα σχέσιν διατεθείς, ἐπεκούρησεν· ὀργὴ δὲ καὶ στάσις καὶ ὄνειδος, ὡς μὴ ἰδιοπραγούντων, μὴ δ' ἀρκουμένων τοῖς ἐπιβάλλουσι διὰ πλεονεξίαν, καὶ τὸ τελευταῖον ἡ πάντων σύγχυσις ἐπηκολούθησεν ἄν· τί οὖν τὰ μετὰ ταῦτα; δῆλον ὡς ἡ τῶν οὐρανίων στάσις, τὰ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ ἐπίγεια διελυμήνατο· ἀφανισθείσης μὲν τῆς τῶν ὡρῶν διατάξεως, καιρῶν τε μεταβολῆς, καὶ τῆς κατὰ τοὺς καιροὺς τῶν φυομένων καρπῶν ἀπολαύσεως· ἀφανισθείσης δὲ ἡμέρας καὶ τῆς διαδεχομένης αὐτὴν νυκτερινῆς ἀναπαύσεως. καὶ τούτων μὲν ἅλις· πάλιν δ' ἐπὶ τὸν ἀνεξέλεγκτον ἐπανήκομεν λόγον.

A igitur hæc concludit oratio? Unum scilicet esse omnium præsidem, cunctaque ejus unius dominio subjacere, tam cœlestia quam terrena, naturalia quoque et organica corpora. Nam si harum rerum quæ innumerabiles sunt dominium non penes unum, sed penes multos resideret, sortitio ac divisio elementorum, ut est in veteribus fabulis, invidia ac plus habendi cupiditas, omni virium nisu superare contendens, consonam omnium rerum concordiam perturbaret; singulis videlicet eam quam sortiti essent portionem diversa ratione administrantibus. Verum ex eo quod universus hic mundus uno semper eodemque modo se habet, satis convincitur non sine providentia id geri, nec fortuito casu id contigisse. Quis vero universæ materiæ opificem unquam agnovisset? Cuinam primo, cuinam postremo allegandæ essent preces et supplicationes? Qui fieri posset ut unum eorum colere aggressus, in reliquos impius non essem? An si forte quidpiam ad vitam hanc necessarium postulavero, ei quidem Deo qui mihi opem tulerit gratias acturus sum, illi vero qui mihi adversatus fuerit conviciaturus? Quem vero obsecraturus sum, ut mihi calamitatis causam aperiat, meque ea liberet? Ponamus per oracula ac vaticinia nobis datum esse responsum, hæc vero non esse sita in ipsorum potestate, sed ad alium Deum pertinere. Quæ igitur misericordia, quæ Dei erga hominem providentia? Nisi forte aliquis ex illis paulo humanior, adversus alterum qui nulla erga homines benevolentia affectus est, violentius commotus opem tulerit. Iræ porro et simultates et convicia; omnium denique rerum perturbatio ex eo sequerentur, dum suas quisque partes minime ageret, et præ cupiditate suis rebus non contentus alienas invaderet. Quid postea? Certe hæc cœlestium discordia inferioribus ac terrenis rebus perniciem allatura esset; tempestatum ordine ac vicissitudine, et fructuum qui singulis anni temporibus provenire solent utilitate penitus sublata; sublata etiam die, et quæ diem excipit nocturna quiete. Sed de his satis. Redeamus nunc ad eas rationes quæ refutari nullatenus possunt.

B

C

CAP. IV. — DE ERRORE EORUM QUI SIMULACRA VENERANTUR.

Πᾶν τὸ ἀρχὴν ἔχον, καὶ τέλος ἔχει· ἡ δὲ κατὰ χρόνον ἀρχὴ, γένεσις καλεῖται· τὰ δ' ἐκ γενέσεως, φθαρτὰ

Quidquid principium habuit finem quoque habeat necesse est. Porro, temporale principium gene-

D

VALESII TOTÆ.

Κλῆροι. Alludit ad divisionem mundi inter Jovem, Neptunum ac Plutonem fratres, quam Græcorum Theologi fabulati sunt.

Διοικονουμένων. In codice Fuketii scribitur διοικουμένων.

Οὐκ ἀμελῶς ἔχειν. Negativam particulam addiderunt viri docti, ex conjectura ut opinor, ut et verba quæ proxime sequuntur : οὐδ' ἀπὸ ταυτομάτου γεγενῆσθαι τοῦτον παρίστησι. Quæ in omnia nec in codice Regio nec in veteribus schedis, nec in editione Roberti Stephani leguntur : nec ullo modo cohærent cum præcedentibus. Neque enim de providentia nunc agit Constantinus, sed id tantum adstruit, unum esse omnium rerum principium; quod ita probat. Si plures essent Dii, singuli suas partes regerent : ut autem mundus universus uno semper eodemque ordine se haberet, parum solliciti essent. Atqui contrarium videmus, plures ergo non sunt Dii. Hoc primum est Constantini argumentum adversus Gentilium Theologiam. Lego igitur : Τοῦ δὲ ἀεὶ; κατὰ τὰ αὐτά τε καὶ ὡσαύτως ἔχειν τὸν σύμπαντα κόσμον, ἀμελῶς ἐχόντων. ita sensu est apertissimus. Verum cum in codice Fuketii et in Savilii ac Turnebi libris ea ipsa quæ supra posui verba reperiantur, nihil opus est emendatione nostra.

Θεραπεύων ἐξ αἱρέσεως. Id est pro arbitratu. Posset etiam legi ἐξαιρέτως.

Μὴ εἶναι δὲ τῆς ἑαυτῶν ἐξουσίας. Hic locus valde obscurus mihi videtur. Christophorsonus quidem ita vertit : *Fac responsa nobis per oracula dari; ista tamen fieri non propria ac sua vi, sed ad Deum aliquem pertinere.* Sed quid hæc sibi velint equidem non video. Ego vero cunctis attentius examinatis, verum hujus loci sensum tandem deprehendi. Ait igitur Constantinus : Si plures Dii sint, cum ego in calamitatem incidero, quem eorum adibo, ut causam mali doceat, meque eo liberet. Ponamus, inquit, Apollinem, verbi gratia; mihi respondisse, non esse in sua potestate ut me liberet, sed ad alium Deum id pertinere. Quid hoc sensu manifestius? Scribendum igitur : Ἄλλῳ δὲ ταῦτα ἀνήκειν Θεῷ. Multa hujusmodi oracula in Græcorum leguntur historiis, ubi Apollo consulentibus respondet, placandum ipsis Bacchum aut Saturnum, si malo liberari velint.

Digitized by Google

ratio appellatur. Quæ vero ex generatione oriuntur omnia sunt corruptioni obnoxia. Ad hæc formam ipsam ac speciem delet temporis longinquitas. Quonam igitur modo qui ex corruptibili generatione orti sunt, immortales esse possent. Cæterum, hujusmodi quædam imperitæ multitudinis opinio invaluit, apud superos nuptias fieri solere, et liberos procreari. Quod si qui gignuntur immortales sunt, semperque gignuntur novi, genus illud exuberet necesse est. Hac autem accessione facta, quod tandem cœlum, quæ terra tantorum deorum examen superveniens capere possit? Quid autem dicemus de iis hominibus qui fratres Deos cum sororibus deabus matrimonii fœdere conjungunt, et adulteria atque obscœnitates iisdem objiciunt? Illud quoque fidenter asserimus, honores et cultum qui ipsis ab hominibus tribuitur impudicitia ac libidine plenum esse. Enimvero peritissimus aliquis statuarius, postquam formam futuri operis prius mente complexus est, opus ex præceptis artis excudit, ac paulo post, velut sui oblitus, proprio operi blanditur, idque pro immortali deo colit, cum tamen ipse statuæ illius parens atque artifex se mortalem esse fateatur. Illorum porro immortalium sepulcra et areas ipsimet ostendunt, et mortuos divinis honoribus afficiunt, ignorantes scilicet, id quod revera beatum et immortale est, iis quos mortales tribuunt honoribus non indigere. Nam quod sola intelligentia cerni et cogitatione comprehendi potest, nec formam qua dignoscatur requirit, nec figuram admittit tanquam imaginem et similitudinem. Verum hæc omnia mortuorum causa fiunt. Revera enim homines fuerunt corporibus præditi dum viverent.

A πάντα, μορφὴν δὲ χρόνος ἀμαυροῖ. πῶς οὖν ἂν οἱ ἐκ γενέσεως φθαρτῆς, εἶεν ἀθάνατοι; δόξα δὲ τῶν ἀλογίστων δήμων τοιαύτη τις διαπεφοίτηκεν, ὡς παρὰ τοῖς θεοῖς γάμοι, παιδοσποριαί τε ἐνομίσθησαν. εἰ δ' ἀθάνατοι οἱ γεννώμενοι, γεννῶνται δ' ἀεί, πλημμυρεῖν ἀνάγκη τὸ γένος. προσθήκης δ' ἐπιγενομένης, τίς οὖν οὐρανὸς, ποία δὲ γῆ, τοσοῦτον σμῆνος ἐπιγιγνόμενον Θεῶν ἐχώρησε; τί δ' ἂν εἴποι τις περὶ ἀνδρῶν, οὐρανίους ἀδελφοὺς εἰς γάμου κοινωνίαν συναπτόντων, μοιχείας τε καὶ ἀκολασίας ἐγκαλούντων; λέγομεν δὴ τεθαρρηκότως καὶ τὰς τιμὰς αὐτὰς, τά τε παρ' ἀνθρώπων εἰς αὐτοὺς γέρα, ὕβρεσι καὶ ἀσελγείαις μεμίχθαι. ἤδη γάρ τις ἐν λόγοις ἐξετασθεὶς, ἀγαλματοποιός τε μορφὴν τινα διανοίᾳ προσλαβὼν, ἔντεχνον τεκμαίρεται παιδείαν, καὶ μεταξὺ οἷα δὴ λήθης ἐμπεσούσης, τὸ ἴδιον πλάσμα κολακεύει, σέβων ὡς Θεὸν ἀθάνατον, ὁμολογῶν ἑαυτὸν πατέρα καὶ δημιουργὸν τοῦ ἀγάλματος, θνητὸν εἶναι· τῶν δ' ἀφθάρτων ἐκείνων τάφους τε καὶ θήκας ἐπιδεικνύουσιν αὐτοί, κατοιχομένους τε τιμαῖς ἀθανάτοις γεραίρουσιν, ἀγνοοῦντες τὸ ἀληθῶς μακάριον καὶ ἄφθαρτον, ἀνενδεές ὑπάρχον τῆς παρὰ τῶν φθαρτῶν ἐπιτιμίας· τῷ γάρτοι νῷ θεατὸν, καὶ διανοίᾳ περιληπτὸν, οὔτε μορφὴν ἐπιποθεῖ δι' ἧς γνωρισθείη, οὔτε σχήματος ἀνέχεται, ὡς ἂν εἰκόνος ἢ τύπου. ταῦτα δὲ πάντα γίγνεται, πρὸς χάριν τῶν κατοιχομένων· ἄνθρωποι γὰρ ἦσαν ἡνίκα ἔζων, σώματος μέτοχοι ὄντες.

CAP. V. — QUOD CHRISTUS FILIUS DEI CUNCTA CONDIDIT, ET CERTUM VITÆ SPATIUM SINGULIS CONSTITUIT.

Sed cur verum Deum laudaturus impuris verbis linguam polluo? Prius igitur amaram illam potionem pura obducta potione diluere constitui. Purus autem potus hauritur ex perenni fonte virtutum illius quem celebramus Dei. Equidem mei privati officii esse duco, Christum tum vitæ sanctimonia, tum gratiarum actione, quæ pro multis et maximis beneficiis ei a nobis debetur, prædicare. Hunc ergo hujus universi constituisse principia, et hominum creationem certa lege ac ratione dimensum excogitasse dico. Et illos

C Τί δὴ χραίνω τὴν γλῶτταν λόγοις μεμιασμένοις, μέλλων ὑμνεῖν τὸν ὄντως Θεόν· βούλομαι δὴ πρότερον ἀγνῷ πόματι ὥσπερ ἁλμυρὸν ἀποκλύσασθαι πόμα. τὸ δ' ἁγνὸν πόμα χεῖται διὰ πηγῆς ἀεννάου τῶν ἀρετῶν τοῦ ὑμνουμένου πρὸς ἡμῶν Θεοῦ· ἐμόν τ' ἴδιον ἔργον, τὸν Χριστὸν ὑμνεῖν διὰ βίου, καὶ τῆς ὀφειλομένης ἡμῖν πρὸς αὐτὸν ἀντὶ πολλῶν καὶ μεγίστων εὐεργεσιῶν εὐχαριστίας. φημὶ δὴ τούτων τὰς ἀρχὰς στηρίξαι τοῦδε τοῦ παντὸς, ὑπόθεσίν τε ἀνθρώπων ἀνευρεῖν, καὶ τὸν ταῦτα λόγῳ νομοθετήσαντα. καὶ παραχρῆμα μέν εἰς μακάριόν τινα καὶ εὐανθῆ,

VALESII NOTÆ.

Ἀνάγκη τὸ γένος. In codice Fuk. post primam vocem lacuna est unius vocabuli capax. Scribo igitur Πλημμυρεῖν ἀνάγκη αὐτῶν τὸ γένος.

Τίς οὖν οὐρανός. Scribendum est τίς ἂν οὐρανὸς, ut in libro Moræi ad marginem emendatum inveni. In codice Fuket. legitur τίς οὐρανός absque conjunctione.

Ἤδη γάρ τις. Malim legere ἤδη γοῦν τις, etc. Paulo post ubi legitur διανοίᾳ προσλαβὼν, in libro Moræi ad marginem emendatur προλαβὼν, perinde ac in Gruteri libro.

ἑαυτὸν πατέρα. Rectius in codice Fuk. scribitur ἑαυτὸν τὸν πατέρα καὶ δημιουργὸν, etc.

Καὶ τὸν ταῦτα λόγῳ νομοθετήσαντα. Tres priores voces a viris doctis ex MSS. codicibus additæ sunt. Tamen nec in codice Regio, nec in veteribus schedis leguntur. Post verbum autem νομοθετήσαντα punctum apposui ex fide codicis Regii et Fuk. et ex veteribus schedis. Quod cum non animadvertisset Christophorsonus, hanc periodum cum sequenti connexuit. Hic autem est sensus hujus loci. Aio, inquit, et hominem et reliqua quæ in mundo sunt, opificium esse illius qui hæc omnia ratione constituit, id est, summi Dei. Scribendum est igitur: φημὶ δὴ τοῦτον τὰς ἀρχὰς, etc. ut est in libro Savilii, atque legisse videtur Christophorsonus. Deinde lego τὸν καὶ ταῦτα λόγῳ νομοθετήσαντα, certissima emendatione. In Fuk. codice legitur: καὶ τὸν λόγῳ ταῦτα νομ. Idem igitur est λόγῳ νομοθετήσαντα, quod alibi dicit λόγῳ διατάξαντα.

Εἰς μακάριόν τινα καὶ εὐανθῆ. Hoc loco videtur Constantinus Paradisum illum in quo Adamum Deus collocavit, extra terram ponere. In qua opinione fuerunt plerique veterum. Stephanus Gobarus in capite XI hoc problema tractaverat: Ὡς ὁ παράδεισος οὔτε τῷ οὐρανῷ, οὔτε ἐπὶ τῆς γῆς, ἀλλὰ τούτων μεταξύ. Et capitis XII hic erat titulus, Quod paradisus est superna Hierusalem, et in tertio cœlo: et quod arbores quæ illic sunt, intellectu et scientia sunt præditæ: et quod Adamus post transgressionem illinc in terram dejectus est. Deinde assertio contraria, Paradisum non esse in tertio cœlo, sed in terra. Certe

Digitized by Google

καρπῶν τε διαφόρων βρίθοντα χῶρον ἀποικίσαι τοὺς νεωστὶ τεχθέντας, ἀδαεῖς τ' αὐτοὺς κατ' ἀρχὰς ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἶναι θελῆσαι. τέλος δ' ἀπονεῖμαι μόνην λογικῷ ζώῳ πρέπουσαν τὴν ἐπὶ γῆς ἕδραν, καὶ τότ' ἤδη οἷα δὴ ζώοις λογικοῖς, ἀναπετάσαι τὴν τῶν ἀγαθῶν τε καὶ κακῶν γνῶσιν, τότε δὲ καὶ τὸ γένος αὔξειν ἐκέλευσεν, ὅσον ποτὲ ἄνοσον ὑπὸ τῆς τοῦ ὠκεανοῦ περινοστήσεως διοριζόμενον ᾠκεῖτο. πληθύνοντος δ' οὕτω τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους, τέχναι τε τῷ βίῳ χρησιμεύουσαι ἀνηυρίσκοντο. πληθύει δ' οὐδὲν ἧττον καὶ ἡ τῶν ἀλόγων ζώων γενεά. ἐφ' ἑκάστου γένους, ἐξαιρέτου τινὸς φυσικῆς δυνάμεως εὑρισκομένης· ἡμέρων ζώων, τὸ πρᾷον καὶ ἐπιπειθὲς ἀνθρώπῳ, ἀγρίων δέ, ῥώμη καὶ ταχύτης, καὶ τῆς ἐκ τῶν κινδύνων σωτηρίας φυσική τις πρόνοια. καὶ πάντων μὲν ἡμέρων, κηδεμονίαν τινὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀπέταξε, πρὸς δὲ τὰ ἄγρια ἀμιλλάν τινα νομοθετήσας. μετὰ δὲ ταῦτα τὴν τῶν πετεινῶν γενεὰν συνεστήσατο, πολλὴν μὲν ἀριθμῷ, φύσει δὲ καὶ εἴδεσι διάφορον, ἐκπρεπτὴ μὲν χρωμάτων ποικιλίᾳ, μουσικῆς δ' ἁρμονίας ἐμφύτου μέτοχῇ ἀλλά τε πάντα ὅσα κόσμος περιλαβὼν συνέχει, διευκρινησάμενος, καὶ τούτοις πᾶσιν εἱμαρμένον τοῦ βίου θεσμὸν ὁρίσας, τὴν τελειοτάτην τῶν ὅλων συμπλήρωσιν κατεκόσμησεν.

A quidem recens in lucem editos statim in beatum quemdam locum, et floribus omnique fructuum copia refertum transtulit, et boni malique imperitos initio esse voluit. Tandem vero convenientem animalibus ratione præditis sedem in terra constituit, ac tunc demum bonorum malorumque notitiam iisdem utpote ratione præditis aperuit. Tunc etiam humanum genus jussit augeri, totumque illud spatium, quod salubre et morborum expers oceani ambitu terminatur, habitari cœptum. Cum autem humanum genus ita cresceret, artes ad hujus vitæ usum necessariæ repertæ sunt. Sed et bruta animalia perinde crevere, cum in unoquoque genere propria quædam vis ac virtus a natura insita deprehenderetur. In mansuetis quidem mite ingenium et obse- B quens homini; in feris vero robur ac velocitas, et naturalis quædam providentia qua se ex periculis eripiant. Ac mansuetorum quidem animalium omnium curam ac tutelam Deus hominibus attribuit, adversus feras veluti certamen quoddam instituit. Posthæc avium genus formavit, numero quidem copiosum, natura vero ac specie multiplex; insigni colorum varietate, et naturali quadam musicæ scientia præditum. Cætera item quæ totius mundi ambitu continentur, cum pulcherrime distinxisset, cunctisque fatalem vitæ terminum definiisset, universi fabricam omnibus ornamentis decoratam absolvit.

CAP. VI.—DE FATO, ET QUOD FALSA SUNT QUÆ DE EO DICUNTUR; IDQUE OSTENDITUR TUM EX LEGIBUS HUMANIS, TUM EX REBUS CREATIS, QUÆ NON TEMERE, SED ORDINE MOVENTUR; HOC FACTO DECLARANTES CREATORIS PRÆCEPTUM.

Οἱ δὲ πλεῖστοι ἀνθρώπων ἄφρονες ὄντες, τῆς τῶν πάντων διακοσμήσεως τὴν φύσιν αἰτιῶνται, οἱ δέ τινες αὐτῶν τὴν εἱμαρμένην, ἢ τὸ αὐτόματον, τὴν τούτων ἐξουσίαν τῇ εἱμαρμένῃ λογιζόμενοι, οὐδὲ συνίασιν ὅταν τὴν εἱμαρμένην προσαγορεύουσιν, ὄνομα μὲν φθεγγόμενοι, πρᾶξιν δὲ οὐδεμίαν, οὐ δ' ὑποκειμένην τινὰ δηλοῦντες οὐσίαν. τίς γὰρ ἂν εἴη αὐτή, καθ' ἑαυτὴν ἡ εἱμαρμένη τῆς φύσεως γεννησάσης τὰ πάντα; ἢ τί μὲν εἴη ἡ φύσις, εἴπερ ὁ

C Verum plerique homines minus prudentes hujus rerum omnium distinctionis atque ornatus causam naturæ tribuunt: alii fato vel fortuito eisui assignant, hujusmodi rerum potestatem fato adscribentes. Neque intelligunt se, cum fatum nominant, nomen quidem proferre, sed nullum actum nullamque substantiam designare. Quid enim ipsum per se fatum esse possit, cum natura omnia procreaverit?

VALESII NOTÆ.

Tatianus in oratione contra Græcos, Paradisum in quo Adamus a Deo collocatus est, non in hac quam incolimus terra fuisse dicit, sed in alia multo præstantiore. Verba ejus hæc sunt, quæ procul dubio adduxerat Stephanus Gobarus ad illius sententiæ confirmationem: Μετωκίσθησαν οἱ δαίμονες, ἐξωρίσθησαν οἱ πρωτόπλαστοι· καὶ οἱ μὲν ἀπ' οὐρανοῦ κατεβλήθησαν· οἱ δὲ ἀπὸ γῆς μέν, ἀλλ' οὐκ ἐκ ταύτης. κρείττονος δὲ τῆς ἐνταυθοῖ διακοσμήσεως. Sed et Tertullianus idem sensisse videtur. Sic enim scribit de Adamo in libro de D Patientia: *Innocens erat, et Deo de proximo amicus, et paradisi colonus. At ubi semel succidit impatientiæ, desivit Deo sapere; desivit cœlestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus, et ab oculis Dei dejectus*, etc. Idem elici potest ex lib. ejus II adversus Marcionem cap. II et X, ubi eadem metaphora utitur qua Tatianus: *Quid mirum si redhibitus materiæ suæ, et in ergastulum terræ laborandæ relegatus, ἐξορισθείς*. Quod si liber ille quem de paradiso Tertullianus scripserat, hodie extaret; hanc ejus fuisse sententiam quam dixi, apertius cognoscere liceret. Denique Clemens Alexandrinus in excerptis Theodoti, seu in libris ὑποτυπώσεων, pag. 341, editionis Commelini, Paradisum terrestrem in quo Eva facta est, in quarto cœlo collocat: Ὅθεν ἐν τῷ παραδείσῳ τῷ τετάρτῳ οὐρανῷ δημιουργεῖται, etc. Origenes vero Paradisum, cujus incola fuit Adamus, in tertio cœlo collocaverat, ut docet Methodius in libro de Resurrectione apud Epiphanium pag. 572. Et ante hos omnes Valentinus paradisum in quo Adam diversatus est, supra tertium cœlum posuerat, et intellectualem esse affirmaverat teste Irenæo in lib. I.

Καρπῶν τε διαφόρων βρίθοντα. Grammaticæ leges postulant, ut scribamus καρποῖς τε διαφόροις. Atque ita scribitur in codice Fuk.

Ὅσον ποτὲ ἄνοσον. Scribendum videtur ὅσον τε ἄνοσον ὑπὸ τῆς ὠκεανοῦ περινοστήσεως διοριζόμενον οἰκῆσαι. Scribi etiam posset hoc modo: Τοιγαροῦν ὅσον ποτὲ τὸ ἄνοσον, etc. absque ulla mutatione.

Χρησιμεύουσαι. Post hanc vocem viri docti addiderunt hæc verba καὶ ἐπιστῆμαι, quæ etiam in libro Mœi ad marginem adscripta reperi. Desunt tamen non solum in codice Reg. et in schedis, sed etiam in codice Fuketii et Savilii.

Ἁρμονίας ἐμφύτου μετοχῇ. Scribo μέτοχον, ut legitur in codice Fuk. Paulo ante ubi legitur φύσει δὲ καὶ εἴδεσι διάφορον, rectius idem codex habet καὶ εἴδεσι, quomodo etiam in libro Turnebi scriptum inveni.

Τὴν τούτων ἐξουσίαν. Ante hæc verba Musculus distinctionem apposuit. Sic enim vertit: *Qui potestatem horum fato tribuunt, ne hoc quidem intelligunt*, etc. Musculum secutus est Christophorsonus.

Ἥ τί μὲν εἴη ἡ φύσις. Scribendum videtur ἢ τί ἂν εἶναι φύσις νομίζοιτο. In codice Fuketii et Savilii scribitur: ἢ τί ἂν ἡ φύσις νομ. In schedis autem Regiis scriptum inveni ἢ τί μὲν εἶναι ἡ, etc.

Digitized by Google

aut quid censebimus esse naturam, si lex fati violari non potest? Sed et ex eo quod fatalis lex esse dicitur, cum omnis lex opus sit alicujus legislatoris, satis apparet fatum ipsum, si quidem lex est, Dei opus atque inventum esse. Cuncta igitur Deo subjecta sunt, nec quicquam est ejus potentiæ expers. Cæterum, fatum Dei voluntatem esse ac censeri minime improbamus. Sed quonam modo justitia, temperantia et reliquæ virtutes fato existunt? Undenam vero contraria iisdem vitia, injustitia scilicet atque intemperantia? Nam malitia quidem ex voluntate nascitur; virtus vero nihil aliud est quam recta actio ad mores spectans? Quæ autem ex bono animi proposito recte, vel quæ secus fiunt, si aliunde atque alium exitum sortiuntur, prout fato aut fortunæ visum est, jus omne, et suum cuique tribuere quomodo ex fato erit? Jam vero leges, orationes ad virtutem hortantes et a vitiis deterrentes, laus item ac vituperatio, supplicia quoque et cuncta quibus homines ab improbitate revocantur et ad virtutem incitantur, quomodo ex fortuna ac temerario casu, ac non potius ex justitia, quæ Dei providentis propria est, proficisci dicantur? Etenim ille hominibus ea tribuit, quæ merentur propter hanc aut illam vivendi rationem; ingruente interdum pestilentia, seditione, sterilitate; interdum ubertate frugum succedente; cunctisque his rebus tantum non edita voce diserte significantibus, hujusmodi omnia nostræ vivendi rationi aptissime convenire. Quippe divina substantia hominum quidem probitate delectatur, omnem vero aversatur impietatem. Et sicut animum de se modice sentientem amplectitur, ita audaciam et arrogantiam altius quam animali convenit sese efferentem odio habet. Quarum rerum probationes, licet admodum perspicuæ sint et ante oculos positæ, tunc tamen manifestius elucent, quoties in nosmetipsos

τῆς εἱμαρμένης θεσμὸς ἀπαράβατος ὑπάρχει. ἀλλὰ καὶ τὸ λέγειν εἱμαρμένον τινὰ θεσμον εἶναι, δηλοῖ ὅτι θεσμὸς πᾶς ἔργον ἐστὶ τοῦ θεσμοθετήσαντος· εἰ τοίνυν ἡ εἱμαρμένη, εἴπερ ἐστὶ θεσμὸς, Θεοῦ ἂν εὕρημα εἴη· πάντ' ἄρα ὑποτέτακται τῷ Θεῷ, καὶ οὐδὲν ἄμοιρον τῆς ἐκείνου δυνάμεως. καὶ τὴν γ' εἱμαρμένην Θεοῦ εἶναι καὶ νομίζεσθαι προαίρεσιν, ἀποδεχόμεθα· ἀλλὰ πῶς ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ σωφροσύνη καὶ αἱ λοιπαὶ ἀρεταὶ καθ' εἱμαρμένην; πόθεν δὲ αὐταῖς ἐναντία, ἥ τε ἀδικία καὶ ἡ ἀκολασία. εἴη τε γὰρ πονηρία ἐκ φύσεως, ἀλλ' οὐχ εἱμαρμένης, ἥ τε ἀρετὴ, ἤθους καὶ τρόπων ἐστὶ κατορθώματα. τὰ δὲ τῆς ἀγαθῆς καὶ ὀρθῆς προαιρέσεως ἤτοι πταίσματα, ἡ αὖ πάλιν κατορθώματα, ἄλλοτε ἄλλως ἀποβαίνοντα, ἢ κατὰ τύχην, ἢ κατὰ εἱμαρμένην, πάντα τὸ δίκαιον (ἔχοντα) καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονεμόμενον ἑκάστῳ, πῶς καθ' εἱμαρμένην; νόμοι δὲ καὶ προτροπαὶ ἐπὶ ἀρετὴν, καὶ ἀποτροπαὶ ἀπὸ τῶν μὴ δεόντων, καὶ ἔπαινοι καὶ ψόγοι, τιμωρίαι τε καὶ πάνθ' ὅσα παρακαλεῖ μὲν ἐπὶ ἀρετὴν, ἀγάγει δ' ἀπὸ πονηρίας, πῶς οὐκ ἐκ δικαιοσύνης, ἥ τις ἐστὶν ἰδία Θεοῦ προνοουμένου, ἀλλ' ἐκ τύχης ἢ τοῦ αὐτομάτου συστῆναι λέγεται; διὰ γὰρ τὸν ποῖον τῶν ἀνθρώπων βίον, καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπαντᾷ. λοιμῶν ἔσθ' ὅτε καὶ στάσεων, ἀφορίας τε καὶ εὐφορίας ἐπακολουθούντων, φανερῶς τε καὶ διαρρήδην μονονουχὶ φωνὴν ἀφιέντων, τἰ πάντα τὰ τοιαῦτα τοῖς ἡμετέροις βίοις ἐφήρμοσται. ἡ γάρτοι οὐσία, χαίρει μὲν εὐδοκίαις, ἀποστρέφεται δὲ πᾶσαν δυσσέβειαν· καὶ τὸ μέτριον φρόνημα δεξιοῦται, μισεῖ δὲ τόλμαν, καὶ τὴν ὑπὲρ τὸ ζῶον ἐπῃρμένην ἀλαζονείαν, ὧν εἰ καὶ τὰ μάλιστα σαφεῖς καὶ πρὸ ὀφθαλμῶν κείμεναι εἰσὶν αἱ ἀποδείξεις, τηνικαῦτ μὲν (τοσάκις) φανερώτερον ἐκλάμπουσιν, ὁσάκις ἂν συναγείραντες εἰς ἑαυτοὺς, καὶ οἱονεὶ συστείλαντες τὸν νοῦν, τὴν αἰτίαν αὐτῶν παρ' ἑαυτοῖς λογιζόμεθα. διὸ χρῆναι φημὶ ζῆν μετρίως τε καὶ προσηνῶς, μὴ ὑπὲρ τὴν φύσιν τὸ φρόνημα ἐγείροντας· καὶ ἐννοίας λαμβάνοντας, ἀεὶ παρεῖναι ἡμῖν τὸν ἐπόπτην τῶν πρασσομένων Θέον. ἔτι δὲ καὶ οὕτω βασανιστέον εἰ τὸ λεγόμενον

VALESII NOTÆ.

Εἴη τε γὰρ πονηρία. Lego *εἰ γὰρ ἡ τε πονηρία*, etc. Porro hic locus mutilus est, ut apparet; quem absque libris supplere difficile fuerit. Videtur tamen hæc esse argumentatio Constantini. Si virtutes, inquit, sunt ex fato, ergo et vitia. Atqui vitia non possunt esse ex fato. Nam malitia aut a natura est, aut a voluntate. Non igitur est a fato. Quod si quis dicat virtutem quidem et vitium esse a voluntate; ut autem voluntas recte agat vel secus, id ex fato esse: qua demum ratione justitia, quæ nihil aliud est quam constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, ex fato esse potest? In codice Fuk. legitur *ἥ τε γὰρ πονηρία*. At Savilius ad oram libri sui notat, forte scribendum esse *εἴτε γὰρ*, etc. statimque emendat *ἔσται κατορθώματα*.

Πάντα τὸ δίκαιον ἔχοντα. Ultima vox addita est a viris doctis ex mss. codicibus, quam tamen nullo modo probare possum, licet in codice Fuk. legatur. Scribo igitur *πᾶν τὸ δίκαιον καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονεμόμενον ἑκάστῳ, πῶς καθ' εἱμαρμένην.* Sensus autem is est, quem supra dixi. Potest tamen ferri scripta lectio, ut *πάντα τὸ δίκαιον ἔχοντα* sint ea quæ mox recensentur a Constantino, leges scilicet, præmia, supplicia, exhortationes et reliqua hujusmodi, quæ justitiam in se continent.

Τὸν ποῖον. Scribe *ποιὸν* accentu in ultima, ut in libro Moræi ad marginem annotatum inveni. Mox lego *καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπαντᾷ*, ex mss. codicibus. Certe codex Fuketii sic exhibet: *Διὰ γὰρ τὸν ποιὸν τῶν ἀνθρώπων βίον καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπαντᾷ.*

Τἰ πάντα τὰ τοιαῦτα. Lego *ὅτι πάντα*, ut in libro Moræi ad marginem emendatum inveni. Ita certe codex Fuketianus.

Ὧν εἰ καὶ τὰ μάλιστα. Post primam vocem in codice Fuketii lacuna est unius vocabuli capax. Sic autem videtur supplenda, *ὧν πάντων εἰ καὶ*, etc.

Τηνικαῦτα μὲν τοσάκις. Postrema vox delenda est, quippe quæ nec in codice Regio, nec in schedis, nec in editione Stephani reperitur. Emendandus potius erat hoc modo: *Ὅμως τηνικαῦτα ἡμῖν φανερώτερον ἐκλάμπουσιν.* Id est: Etsi certum est, multisque exemplis comprobatum, famem, pestem et hujusmodi calamitates ad improbitatem hominum puniendam cœlitus immitti; id tamen multo manifestius elucet, quoties eæ calamitates contingunt. Tunc enim ad nos ipsi conversi, causas earum rerum cognoscimus. In codice tamen Fuk. legitur *τηνικαῦτα τοσάκις.*

Ὁσάκις γὰρ. Scribendum puto *τοσάκις*, vel si mavis *τοσαυτάκις*. In codice Fuketii legitur *ὁσάκις ἂν..... συναγείραντες*; et in fine periodi *λογίζομεθα*, optime. Scribendum est igitur *ὁσάκις ἂν ἡμεῖς συναγείραντες.*

Digitized by Google

ἀληθές ἐστιν· ὡς εἰ ἡ πάντων πραγμάτων διάταξις ἐκ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου σύνεστιν, ἆρ' οὖν καὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὰ ἄστρα, γῆ τε καὶ θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ ἄνεμοι, ὕδωρ τε καὶ ἀὴρ, καὶ ἡ τῶν καιρῶν παραλλαγή, θέρους τε καὶ χειμῶνος ὧραι, ταῦτα πάντα ἀλογίστως καὶ ὡς ἔτυχε συμβεβηκέναι μᾶλλον ἢ δημιουργηθῆναι, πείθεσθαι χρή. τὸν νοῦν γὰρ οὐκ ἔχοντές φασί τινες, τὰ πλεῖστα τῶν τοιούτων διὰ τὴν ἑαυτῶν χρείαν τοὺς ἀνθρώπους ἐπινενοηκέναι· ἀφθόνως γὰρ τῆς φύσεως πάντα χρήματα χορηγούσης, ἔστω περὶ τῶν ἐπιγείων καὶ φθαρτῶν, τὴν δόξαν ταύτην λόγου τινὸς μετειληφέναι· ἆρ' οὖν καὶ τὰ ἀθάνατα καὶ τὰ ἀναλλοίωτα; τῶν ἀνθρώπων ἐστὶν εὑρήματα; τούτων γὰρ καὶ τῶν τοιούτων ἁπάντων ὅσα τῆς ὑμετέρας αἰσθήσεως κεχώρισται, νῷ δὲ μόνῳ καταληπτὰ τυγχάνει ὄντα, οὐκ ἔνυλον ζωὴν ἀνθρώπων, ἀλλὰ νοητὴ καὶ αἰώνιος οὐσία Θεοῦ, γεννητριά ἐστιν· ἀλλὰ μὲν καὶ ὁ λόγος τῆς διατάξεως, ἔργον προνοίας· τὸ τὴν ἡμέραν ἐκλάμπειν καταυγαζομένην ὑπὸ τοῦ ἡλίου· τὸ τὴν νύκτα διαδέχεσθαι δύνοντος αὐτοῦ, καὶ διαδεξαμένην, μὴ ἄμοιρον ὅλως αὐτὴν καταλείπεσθαι διὰ τὴν τῶν ἄστρων χορείαν. τί δ' ἂν εἴποι τις περὶ τῆς σελήνης, πληρουμένης μὲν ἐκ τῆς κατὰ ντιαὺ πρὸς τὸν ἥλιον ἀποστάσεως, λεπτυνομένης δὲ διὰ τὴν ἐκ τοῦ σύνεγγυς πρὸς αὐτὸν ὁμιλίαν· ταῦτ' οὐχὶ λόγον ἐνδιάθετον καὶ ἀγχίνοιαν Θεοῦ δηλοῖ; τό τ' ἐπιτήδειον τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος τοὺς καρποὺς πεπαινούσης, ἀνέμων δὲ πνεύματα εὐετηρίαν παρασκευάζοντα, ὄμβρων τε παραψυχὴν, καὶ τὴν τούτων ἁρμονίαν ἁπάντων καθ' ἣν εὐλόγως τε καὶ εὐτάκτως διοικεῖται τὰ πάντα· τό, τ' ἀΐδιον τῆς διατάξεως, εἰς τὸν αὐτὸν ἀποκαθισταμένων τόπον τοῖς δέουσι καὶ νομιζομένοις καιροῖς τῶν πλανητῶν, οὐχὶ φανερὰ τοῦ Θεοῦ πρόσταξις, καὶ τῶν ἀστέρων ἐντελὴς διακονία, πειθομένη τῷ θείῳ νόμῳ; ὕψη δ' ὀρῶν, καὶ κοῖλα βάθη χωρίων, ὁμαλότης δ' ἀναπεπταμένων πεδίων, ἄνευ Θεοῦ προνοίας εἶναι δοκεῖ; ὧν οὐ μόνον ἐπιτερπὴς ἡ θέα, ἀλλὰ καὶ ἡ χρεία ἐπιτερπής. ὕδατος δὲ καὶ γῆς μέτρα καὶ διαστάσεις, ἱκαναὶ πρός τε γεωργίαν καὶ τῆς ἀλλοδαπῆς τῆς ἐν χρείᾳ παρακομιδῆς, τὴν ἀκριβῆ τοῦ Θεοῦ καὶ ἔμμετρον προμήθειαν πῶς οὐ φανερῶς ἀποδεικνύουσιν; ὄρη μὲν γὰρ ὕδωρ ἔχει· διαδεξαμένη δὲ τοῦθ' ὁμαλότης, καὶ ἀρδευσαμένη τὸ ἱκανὸν πρὸς ἀνάκτησιν τῆς γῆς, ἐξωθεῖ τὸ λοιπὸν εἰς τὴν θάλασσαν. ἡ δ' αὖ θάλασσα τῷ ὠκεανῷ παραδίδωσι· καὶ ἔτι τολμῶμεν λέγειν, ταῦτα πάντα αὐτομάτως καὶ ὡς ἔτυχε γίγνεσθαι, οὐ δηλοῦντες ἐν ποίῳ τινὶ σχήματι καὶ μορφῇ

A descendentes, mente in se collecta et quasi congregata, causam eorum expendimus. Quocirca vitam modeste ac placide instituere debemus, nec supra naturæ nostræ conditionem animum attollere, verum id reputare, adesse semper nobis omnium actuum inspectorem Deum. Verum alia quoque ratione expendamus, utrum omnium rerum ordinatio ac dispositio fortuito ac temerario casu constitisse recte dicatur. Num igitur sidera ac cœlestia corpora, terram quoque et aquam, et ignem et aerem, ventos ac temporum vicissitudinem, æstatis atque hiemis tempestivos recursus; num, inquam, hæc omnia temere ac fortuito contigisse potius, quam creata fuisse credendum est? Quidam certe penitus mente capti, pleraque horum ab hominibus ad suum usum B excogitata esse dicunt. Certe cum natura plurimas opes copiose suppeditet, concedamus, si placet, in rebus terrenis et corruptioni obnoxiis hanc sententiam ratione non carere. Quid res immortales atque immutabiles? suntne hominum inventa? Istorum et aliorum ejusmodi omnium, quæ a nostris sensibus semota sola intelligentia comprehendi possunt, non homo animal materia concretum, sed intelligibilis et æterna Dei substantia procreatrix est. Quin etiam ordinationis illius ratio opus est providentiæ; quod dies solis radiis illustratus resplendet, et eodem occidente succedit nox; cumque successerit, non prorsus obscura relinquitur, ob astrorum chorum. Jam quid dicemus de luna, quæ cum a sole plurimum recesserit, ex adverso ipsi opposita pleno orbe completur, minuitur vero, quoties propius C ei conjungitur? An non hæc intelligentiam Dei solertiamque declarant? Ad hæc solis opportunus calor, qui maturitatem fructibus confert; ventorum flatus, qui ad anni temperiem plurimum valent; imbrium refrigeratio et admirabilis concentus quo hæc omnia certa lege ac ratione gubernantur, denique ordo ille perpetuus planetarum, statis temporibus ad eumdem locum recurrentium, numquid non manifeste testantur jussionem Dei, et perfectum obsequium astrorum legi divinæ obtemperantium? Præterea montium supercilia, et vallium concavi recessus, et camporum late patentium æquabilis planities, utrum absque Dei providentia existere videntur?

VALESII NOTÆ.

Ἐκ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου σύνεστιν. Malim συνέστηκεν, vel συνέστη. Porro in codice Fuk. ac Turnebi hic locus ita legitur: Ὡς εἰ ἡ πάντων πρ. . . . . διάταξις ἐκ τύχης, etc. D

Οὐκ ἔνυλον ζωὴν ἀνθρώποις. Scribe οὐκ ἔνυλον ζῶον ὁ ἄνθρωπος. At Christophorsonus legit οὐκ ἔνυλος ζωὴ ἀνθρώπων, quod non damno. Magis tamen placet prior emendatio. Sic Eusebius in fine capitis 7. Optimus tamen codex Fuk. plane subscribit Christophorsono.

Μὴ ἄμοιρον αὐτήν. Supple τοῦ φωτός. Quare nihil opus est conjectura Christophorsoni, et Savilii, qui ἄμαυρον emendat.

Τό τ' ἐπιτήδειον. Lego τὸ δὲ ἐπιτήδειον, ut in libro Moræi ad marginem emendatur. Mox autem scribe ἀνέμων τε πνεύματα. Et rursus infra τό τε ἀΐδιον τῆς διατάξεως εἰς τὸν αὐτὸν ἀποκαθισταμένων τόπον. Atque ita plane in codice Fuk. scriptum reperi, nisi quod habet ἀνέμων δέ.

Ἐπιτερπὴς ἡ θέα. Delenda hic vox ἐπιτερπὴς. Hic ipsos nihil scire convinceret: eosque suis telis, id est, dialecticæ rationibus insectabatur.

Καὶ τῆς ἀλλοδαπῆς τῆς ἐν χρείᾳ παρακομιδῆς. Lego κἂν τῆς ἀλλοδαπῆς τῶν ἐν χρείᾳ παρακομιδήν, etc. quo nihil certius. In Fuk. et Turnebi libro scribitur καὶ τῆς ἀλλοδαπῆς χρείας παρακομιδήν. Porro διαστάσεις discidia verti, secutus auctoritatem Amm. Marcellini, qui alicubi ita loquitur. Recte etiam Christophorsonus divortia terrarum interpretatur.

Ὁμαλότης δέ. Scribendum est ὁμαλότης τε, ut in libro Moræi vir doctus annotaverat. Ita certe legitur in codice Fuk.

Οὐ δηλοῦντες. In codice Fuk. ac Turnebi ita legitur hic locus: οὐ νοοῦντες ἐν ποίῳ τινὶ σχήματι καὶ μορφῇ χαρακτηρίζεται τὸ αὐτόματον.

Digitized by Google

Quarum rerum non aspectus modo pergratus est, sed etiam usus longe jucundissimus. Jam aquarum ac terræ spatia atque discidia, partim ad agriculturam idonea, partim ad ea quibus caremus ex peregrinis regionibus subvehenda, nonne accuratam et exactam divini numinis providentiam apertissime demonstrant? Montes enim aquam in se continent; quam ubi subjecta planities excepit, ejusque irrigatione agros abunde recreavit, id quod residuum est effundit in mare; mare vero transmittit oceano. Et audemus adhuc nihilominus affirmare hæc omnia casu ac temere fieri; cum tamen nullo modo designemus qua specie aut forma præditus sit casus; res quæ nec intelligentia nec sensu subsistit, sed solum est inanis sonus nominis sine re, auribus nostris circumstrepens.

A χαρακτηρίζεται τὸ αὐτόματον, ὑπόστασιν οὐδεμίαν ἔχον, οὔτε νοερῶς, οὔτε αἰσθητῶς, μόνον δ' ὅτι ἦχος ὀνόματος ἀνυποστάτου περὶ τὰ ὦτα βομβεῖ.

CAP. VII.—QUOD IN RÈBUS QUAS INTELLIGENTIA ASSEQUI NON POSSUMUS CREATORIS SAPIENTIAM PRÆDICARE DEBEMUS, NEC CASUM AUT ALIAM PRÆTER DEUM CAUSAM EXISTIMARE.

Est enim revera casus vox ficta ab hominibus nulla ratione ac prudentia præditis; sed qui causam ipsam intelligentia assequi nequeant, præ mentis suæ imbecillitate existimant hæc omnia, quorum rationem afferre non valent, absque ulla ratione esse disposita. Sunt certe quædam admirabili natura prædita, quorum certa veritatis comprehensio in obscuro latet; cujusmodi sunt aquæ suapte natura calidæ. Nam causam quidem tanti ignis nemo facile dixerit. Est autem mirabile, ignem illum aqua frigida undique circumseptum, suum tamen nativum calorem nequaquam amittere. Atque hæc rara admodum et paucissima in toto terrarum orbe reperiuntur; quo scilicet, ut equidem censeo, divinæ providentiæ vis ac virtus ab hominibus facile cognosci possit, quæ duas res maxime inter se contrarias, frigus nimirum et calorem, ex una eademque radice manare præcepit. Sunt quidem multa ac prope innumerabilia, quæ Deus ad solatium et oblectationem hominibus donavit, sed præcipue oleæ fructus ac vitis. Quarum hæc ad animos recreandos atque exhilarandos vim habet. Illa vero non solum ad voluptatem, verum etiam ad corporum curationem apta est. Summam quoque admirationem meretur continuus ac perennis fluminum cursus, diu noctuque perlabentium, et perpetuæ æternæque vitæ quamdam referentium similitudinem. Noctis item ac diei continua vicissitudo est perinde mirabilis.

B Ἔστι γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐπίφθεγμα τὸ αὐτόματον, ἀνθρώπων ὡς ἔτυχε καὶ ἀλογίστως φρονούντων, καὶ τὸν μὲν λόγον αὐτῶν μὴ καταλαμβανόντων. διὰ δὲ τὴν ἀσθένειαν τῆς καταλήψεως, ἀλόγως οἰομένων διατετάχθαι ταῦτα, ὧν τὸν λόγον εἰπεῖν οὐκ ἔχουσιν. ἔστι δ' ὅλως τινά, ὧν ἡ ἀληθὴς κατάληψις τῆς ἀληθείας ἐν βάθει κεῖται, θαυμαστῆς φύσεως τετυχηκότα· ὁποία καὶ ἡ τῶν θερμῶν ὑδάτων φύσις τυγχάνουσα· τὴν μὲν γὰρ αἰτίαν τοῦ τοσούτου πυρὸς οὐδεὶς ἂν προχείρως ἔχοι λέγειν· θαυμαστὸν δὲ ὅτι ψυχρῷ ὕδατι περιστοιχιζόμενον κύκλῳ, οὐκ ἐπὶ ἐξίσταται τῆς ἐμφύτου θερμότητος. ταῦτά τοι σπάνιόν τι χρῆμα εἶναι δοκεῖ καὶ εὐαρίθμητον κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ἵν' ὡς ἐμαυτὸν πείθω, ἡ τῆς προνοίας δύναμις εὐδιάγνωστος παρὰ τοῖς ἀνθρώποις γενέσθαι δύνηται, δύο φύσεις ἐναντιωτάτας, θερμότητα καὶ ψυχρότητα, ἐκ τῆς καὶ μιᾶς C ῥίζης διηθεῖσθαι θεσπίζουσα. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἀναρίθμητα εἰς παραμυθίαν καὶ ἀπόλαυσιν τοῖς ἀνθρώποις παρὰ τοῦ κρείττονος δεδώρηται, ἐξαιρέτως δ' ὁ καρπὸς ἐλαίας τε καὶ ἀμπέλου· τὸ μὲν (γὰρ) ἀνακτήσεως ψυχῆς καὶ φαιδρότητος, ἐπέχειν λόγον, τὸ δ' ἕτερο πρὸς τῇ ἀπολαύσει, καὶ θεραπεία τῶν σωμάτων κατάλληλον. θαῦμα δ' ἐξαίσιον, καὶ ἡ ἐνδελεχῆς καὶ ἀδιάλειπτος ποταμῶν φορά, νύκτωρ τε καὶ μεθημέραν, σύμβολόν ἀεννάου καὶ ἀδιαλείπτου βίου· ἰσοδυναμεῖ δὲ καὶ νυκτερινὴ διαδοχή.

CAP. VIII.—QUOD QUÆ AD USUM NECESSARIA SUNT DEUS COPIOSE SUPPEDITAT HOMINIBUS, QUÆ VERO AD VOLUPTATEM FACIUNT MODICE SUBMINISTRAT, UTRUMQUE AD UTILITATEM NOSTRAM DISPENSANS.

Atque hæc omnia dicta sint a nobis, ut constet nihil absque ratione et intelligentia factum fuisse, ipsam vero rationem ac providentiam Dei opus esse. Qui quidem auri etiam et argenti, ærisque ac reliquorum metallorum diversas species convenienti modo ac mensura produxit. Ea siquidem quorum multiplex ac varius usus erat futurus copiose suppeditari jussit; quæ vero ad oblectationem duntaxat et

D Πάντα δὲ ταῦθ' ἡμῖν εἰρήσθω, πρὸς πίστωσιν τοῦ μηδὲν ἀλόγως μηδ' ἀνοήτως γενέσθαι, τὸν δὲ λόγον καὶ τὴν πρόνοιαν εἶναι θεὸν, ὃς καὶ τὴν τῶν μετάλλων, χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου καὶ χαλκοῦ καὶ τῶν ὑπολοίπων φύσιν ἐταμιεύετο μέτρῳ τῷ προσήκοντι. τὰ μὲν ὧν ἡ χρεία πολλή τε καὶ παντοδαπὴ ἤμελλεν ἔσεσθαι, ἀφθόνως κελεύσας χορηγεῖσθαι, τὰ δὲ πρὸς τέρψιν κόσμου καὶ ἀφθονίαν μόνην, μεγαλοψύχως τε καὶ πεφεισμένως, μεταξὺ φειδω-

VALESII NOTÆ.

Ἐπέχειν λόγον. Viri docti hunc locum ita emendarunt, τὸ μὲν γὰρ ἀνακτήσεως ψυχῆς καὶ φαιδρότητος ἐπέχειν λόγον. Verum cum particula γὰρ nec in codice Regio, nec in editione Stephani legatur, malim legere ἐπέχον, quod sequentia plane confirmant. Sequitur enim τὸ δ' ἕτερον πρὸς τῇ ἀπολαύσει καὶ θεραπεία τῶν σωμάτων κατάλληλον. Codex tamen Fuk. Sav. ac Turnebi plane confirmat emendationem illam doctorum virorum. Idem codex Fuk. post vocem ἀπολαύσει duo puncta notat recte.

Τὴν πρόνοιαν εἶναι Θεὸν. In Moræi libro emendatur τοῦ Θεοῦ, ut legit Christophorsonus. Et sic diserte scribitur in codice Fuk.

Πρὸς τέρψιν κόσμου καὶ ἀφθονίαν. Corrupta est vox ἀφθονίαν, cujus loco malim substituere ἀσωτίαν, id est luxum, vulgata tamen lectio ferri potest.

Digitized by Google

λίας τε καὶ εὐδωρίας. εἰ γὰρ καὶ τῶν πρὸς κόσμον πεποιημένων ἡ αὐτὴ ἀφθονία συνεχωρεῖτο, διὰ πλεονεξίαν οἱ μεταλλεύοντες, τοῦ μὲν εὐχρήστου πρὸς γεωργίαν, οἰκοδομήν τε καὶ ναῶν παρασκευήν, οἷον σιδήρου καὶ χαλκοῦ καταφρονήσαντες, τῆς συναθροίσεως αὐτῶν κατημέλουν. (καὶ) τῶν πρὸς τρυφήν τε καὶ ἄχρηστον πλούτου περιουσίαν προενοοῦντο. διὸ χαλεπώτερον τὴν τοῦ χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου εὕρεσιν, καὶ μείζονος καμάτου τῶν ἄλλων ἁπάντων μετάλλων φασὶν εἶναι, ὅπως τῷ σφοδρῷ τῆς ἐπιθυμίας τὸ τοῦ καμάτου σφοδρὸν ἀντιτάσσηται. τόσα δ' ἄλλα τῆς θείας προνοίας ἔργα ἐστὶ καταριθμήσασθαι, ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἀφθόνως ἡμῖν ἐδωρήσατο, τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον πρὸς σωφροσύνην τε καὶ τὰς ἄλλας πάσας ἀρετὰς προτρεπομένης εἰ ἀῤῥήδην, ἀπαγούσης δ' ἀπὸ τῆς ἀκαίρου πλεονεξίας. ὧν πάντων ἐξιχνεύειν τὸν λόγον μεῖζον ἔργον ἐστὶν ἢ κατὰ ἄνθρωπον. πῶς γὰρ ἄν τις κατὰ ἀκρίβειαν ἀληθείας ἀφίκοιτο, ἢ φθαρτοῦ τε καὶ ἀσθενοῦς ζώου διάνοια; πῶς ἂν τὴν ἐξ ἀρχῆς εἰλικρινῆ Θεοῦ βούλησιν κατανοήσειε;

A luxum faciunt, liberaliter simul ac modice, et medio quodammodo inter parcimoniam et profusam largitionem. Nam si earum rerum quæ ad ornatum factæ sunt eadem copia concessa fuisset, metallarii præ nimia cupiditate, ea quidem quæ ad agriculturam, et ad domorum ac navium constructionem utilia sunt, æs videlicet ac ferrum congerere insuper haberent, ea vero quæ ad delicias et inanem ac superfluum divitiarum luxum pertinent omni studio consectarentur. Ac propterea in auri argentique metallis inveniendis longe plus difficultatis ac laboris esse aiunt, quam in reliquis omnibus, ut vehementissimæ cupiditati labor quoque vehementissimus objiciatur. Quot insuper alia divinæ providentiæ opera licet enumerare, quæ in omnibus rebus quas nobis B copiose largita est vitam hominum ad modestiam cæterasque virtutes manifeste impellit, et ab importunis cupiditatibus abducit. Quarum omnium rerum rationem investigare majus quiddam est, quam quod ab homine perfici possit. Quo enim modo veritatem accurate assequi valeat caduci atque infirmi animalis intelligentia? quo pacto Dei ab initio voluntatem comprehendere?

CAP. IX.—DE PHILOSOPHIS QUI, CUM OMNIA SCIRE VOLUISSENT, OPINIONIBUS LAPSI SUNT, ET NONNULLI DISCRIMEN VITÆ SUBIERUNT. ITEM DE DOCTRINA PLATONIS.

Διὸ χρὴ τοῖς δυνατοῖς ἐγχειρεῖν, καὶ τοῖς κατὰ τὴν ἡμετέραν φύσιν. τὸ γάρτοι πιθανὸν τῶν ἐν τοῖς διαλόγοις γενόμενον, ἀπάγει τὸ πλεῖστον ἡμῶν ἀπὸ τῆς τῶν ὄντων ἀληθείας· ὃ δὴ καὶ πολλοῖς τῶν φιλοσόφων συμβέβηκεν, ἀδολεσχοῦσι περὶ τοὺς λόγους, καὶ τὴν τῆς φύσεως τῶν ὄντων ἐξέτασιν. ὁσάκις γὰρ ἂν τὸ μέγεθος τῶν πραγμάτων τῆς ἐξετάσεως αὐτῶν ἐπικρατήσῃ, διαφόροις τισὶ μεθόδοις τὸ ἀληθὲς ἀποκρύπτονται· συμβαίνει δὴ αὐτοῖς ἐναντία C δοξάζειν, καὶ μάχεσθαι τοῖς ἀλλήλων δόγμασι· καὶ ταῦτα σοφοῖς εἶναι προσποιουμένοις. ὅθεν στάσεις τε δήμων, καὶ δυναστευόντων χαλεπαὶ κρίσεις, οἰομένων τὸ πατρῷον ἔθος διαφθείρεσθαι καὶ αὐτῶν ἐκείνων ὅλεθρος πολλάκις παρηκολούθησε. Σωκράτης γὰρ ὑπὸ διαλεκτικῆς ἐπαρθείς, καὶ τοὺς χείρονας λόγους βελτίους ποιῶν, καὶ παίζων παρ' ἕκαστα περὶ τοὺς ἀντιλογικοὺς λόγους, ὑπὸ τῆς τῶν ὁμοφύλων τε καὶ πολιτῶν βασκανίας ἀνῄρηται· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Πυθαγόρας σωφροσύνην ἀσκεῖν προσποιούμενος ἐξαιρέτως καὶ σιωπὴν, καταψευσάμενός ἑάλω. τὰ γὰρ ὑπὸ τῶν προφητῶν παλαί τότε προλεχθέντα, ἐπιδημήσας.

Quamobrem ea aggredi debemus quæ fieri possint et quæ naturæ nostræ modum non excedant. Etenim probabilitas quæ in dialogis ac disputationibus reperitur plerosque nostrum a veritate abducere solet. Quod quidem multis contigit philosophis, dum in disserendo et in pervestiganda rerum natura ingenium exercent. Nam quoties miraculorum magnitudo inquisitionem ipsorum longe transcendit, variis argumentandi modis veritatem involvunt. Unde fit ut contraria sentiant, et alter alterius dogmata impugnet; idque cum sapientes videri velint. Ex quo populorum gravissimi motus, et principum acerba justitia adversus ipsos exstiterunt, dum mores atque instituta majorum ab illis convelli putant. Ac sæpenumero exitium ipsorum inde est consecutum. Socrates certe disserendi scientia elatus, cum rationes quæ infimiores erant, valentiores efficeret, et in contradicendo assidue luderet, tribulium ac civium suorum invidia interfectus est. Sed et Pythagoras,

VALESII NOTÆ.

ἀληθείας ἀφίκοιτο. Scribendum est ἐφίκοιτο, ut in codice Fuk. scriptum inveni, cum diu ante ita scribendum esse conjecissem. Sed et totum locum ita distinguo, πῶς γὰρ ἂν τῆς κατὰ ἀκρίβειαν ἀληθείας ἐφίκοιτο ἡ, etc. πῶς ἂν τὴν ἐξ ἀρχῆς,

Τῶν ἐν τοῖς διαλόγοις γινόμενον. Rectius in codice Fuk. ac Turnebi scribitur γινομένων. In schedis autem Regiis ea vox omissa est. Malim etiam scribere τό γέ τοι πιθανὸν τῶν ἐν τοῖς, etc.

Ἀδολεσχοῦσι. In sacris libris hoc verbum sumitur pro eo quod est *ingenium suum exercere*, ut dudum notavit Jocobus Tusanus.

Καὶ τοὺς χείρονας λόγους βελτίους ποιῶν. Sensus postulat ut addantur hæc verba: καὶ τοὺς βελτίους χείρονας. Fuit hoc inventum Protagoræ, qui pollicebatur adolescentibus, se rationem illam quæ valentior esset, infirmiorem redditurum; et contra eam quæ infirmior esset, valentiorem: τὸν κρείττονα λόγον ἥττω ποιεῖν, καὶ ἥττονα τὸν κρείττω. Adversus Sophistas D qui hæc spondebant, Socrates assidue disputabat, ut ipsos nihil scire convinceret: eosque suis telis, id est, dialecticæ rationibus insectabatur.

Τὰ γὰρ ὑπὸ τῶν προφητῶν πάλαι τότε προλεχθέντα. Scribendum πάλαι ποτε ex codice Fuk. Eodem errore τόσα scribitur pro πόσα supra in fine capit. 7. Porro quod ait Constantinus, Pythagoram cum in Ægyptum venisset, et quæ a prophetis olim prædicta fuerant accepisset, ea deinde tanquam sibi a Deo revelata per Italiam divulgasse; parum probabile mihi videtur. Pythagoram quidem in Ægyptum venisse, et ibi arcanos ritus ac cæremonias sacrorum a sacerdotibus accepisse, testatur Porphyrius in ejus Vita, et alii complures. Sed et ex libris Mosis Pythagoram multa accepisse tradit Aristobulus, et cum eo Clemens atque Eusebius. Verum Prophetias Judæorum illum in Ægypto didicisse, ac deinde Italis promulgasse, nullus veterum dixit, quod quidem sciam. Ac fortasse hic locus non de Judæorum, sed de Ægy-

Digitized by Google

qui temperantiam ac silentium consectari se præ cæteris profitebatur, mendacii convictus est. Quæ enim ipse olim prædicta a prophetis acceperat, dum in Ægypto versaretur, ea tanquam sibi privatim a Deo patefacta Italis prædixit. Plato denique, qui reliquos omnes morum lenitate superavit, et qui hominum mentes a sensibus ad res intelligibiles eodemque semper in statu permanentes primus abduxit, et ad sublimia oculos attollere assuefecit, primum quidem Deum supra omnem substantiam esse docuit; recte omnino. Huic alterum subjecit, et duas substantias numero distinxit; cum una sit utriusque perfectio, et secundi Dei substantia ex primo profisciscatur Deo. Hic enim Opifex est et moderator universorum; ac proinde omnia transcendit. Ille vero, qui secundus ab eo est, mandatis ejus inserviens, omnium rerum constitutionem ad eum tanquam ad causam refert. Itaque, juxta accuratissimam philosophandi rationem, unus fuerit qui omnium rerum curam gerit, et qui universis consulit; Deus scilicet sermo, a quo exornata sunt cuncta. Qui cum vere sit Deus, idem etiam est Filius Dei. Quod enim aliud nomen præter Filii appellationem ei quispiam imponens, non simul summo scelere sese obstrinxerit? Quippe ille qui est omnium Pater merito etiam sermonis sui Pater existimatur. Et hactenus quidem Plato recte sensit. Verum in his quæ sequuntur multum a vero aberrasse deprehenditur, dum et plures inducit deos, et diversas singulis formas attribuit. Quod quidem majoris adhuc erroris ansam præbuit imperitis hominibus, qui ipsam quidem summi Dei providentiam nequaquam considerant, imagines vero ad hominum et animalium quorumdam similitudinem a seipsis fictas venerantur. Atque ita contigit, ut excellens ingenium, atque doctrina summa omnium laude dignissima, hujusmodi erroribus permixta atque involuta, minus pura sinceraque esset. Idem porro mihi videtur seipsum reprehendens, sermonem illum corrigere, dum diserte affirmat animum ratione præditum Dei spiritum esse. Cuncta enim in duo genera distribuit: intelligibile scilicet ac sensibile, quorum illud simplex atque incompositum, hoc est corporum compage conflatum est. Et illud quidem intellectu percipitur, hoc vero opinione cum sensu conjuncta comprehenditur. Itaque illud divini spiritus particeps, utpote ab omni concretione et materia segregatum, æternum est vitamque obtinet sempiternam. Illud vero

A τῇ Αἰγύπτῳ, ὡς ἴδιά γε αὐτῷ ὑπὸ Θεοῦ ἀναπεταθέντα τοῖς Ἰταλιώταις προηγόρευεν· αὐτὸς τε ὁ ὑπὲρ πάντας τοὺς ἄλλους ἡπιώτατος Πλάτων, καὶ τὰς διανοίας τῶν ἀνθρώπων πρῶτος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἐπὶ τὰ νοητὰ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα ἰθίσας ἀνακύψαι, ἀναβλέψας τ' ἐπὶ τὰ μετάρσια καὶ διδάξας, πρῶτον μὲν Θεὸν ὑφηγήσατο τὸν ὑπὲρ τὴν οὐσίαν· καλῶς ποιῶν· ὑπέταξε δὲ τούτῳ καὶ δεύτερον, καὶ δύο οὐσίας τῷ ἀριθμῷ διεῖλε, μιᾶς οὔσης τῆς ἀμφοτέρων τελειότητος, τῆς τε οὐσίας τοῦ δευτέρου Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἐχούσης ἐκ τοῦ πρώτου· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ δημιουργὸς καὶ διοικητὴς τῶν ὅλων, δηλονότι ὑπεραναβεβηκώς· ὁ δὲ μετ' ἐκεῖνον, ταῖς ἐκείνου προστάξεσιν ὑπουργήσας, τὴν αἰτίαν τῆς τῶν πάντων συστάσεως εἰς ἐκεῖνον ἀναπέμπει. εἷς ἂν οὖν εἴη κατὰ τὸν ἀκριβῆ λόγον, ὁ τὴν πάντων ἐπιμέλειαν ποιούμενος, προνοούB μενός τε αὐτῶν Θεὸς λόγος, κατακοσμήσας τὰ πάντα. ὁ δὲ λόγος αὐτὸς Θεὸς ὤν, αὐτὸς τυγχάνει καὶ Θεοῦ παῖς· ποῖον γὰρ ἄντις ὄνομα αὐτῷ περιτιθεὶς παρὰ τὴν προσηγορίαν τοῦ Παιδὸς, οὐκ ἂν τὰ μέγιστα ἐξαμαρτάνοι; ὁ γάρ τοι τῶν πάντων πατὴρ, καὶ τοῦ ἰδίου λόγου δικαίως ἂν πατὴρ νομίζοιτο. μέχρι μὲν οὖν τούτου, Πλάτων σώφρων ἦν· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς, εὑρίσκεται διαμαρτάνων τῆς ἀληθείας, πλῆθός τε Θεῶν εἰσάγων, καὶ ἑκάστοις ἐπιτιθεὶς μορφάς. ὅπερ καὶ παραίτιον ἐγένετο τῆς μείζονος πλάνης παρὰ τοῖς ἀλογίστοις τῶν ἀνθρώπων, πρὸς μὲν τὴν πρόνοιαν τοῦ ὑψίστου Θεοῦ μὴ ἀφορώντων, τὰς δ' εἰκόνας αὐτῶν ἀνθρωπείοις τε καὶ ἑτέρων ζώων τύποις μεταμορφουμένοις, σεβόντων. συμβέβηκε δὲ μεγίστην τινὰ μεγάλου τ' ἐπαίνου ἀξίαν φύσιν τε καὶ παιδείαν τοιοῖς δέ τισι μεμιγμένην πταίσμασιν, ἀκαθάρτως τε καὶ C μὴ εἰλικρινῶς ἔχειν. δοκεῖ μοι δ' ὁ αὐτὸς ἐπιλαμβανόμενος ἑαυτοῦ διορθοῦν λόγον, τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ σαφῶς δηλῶν λογικὴν ψυχὴν ὑπάρχειν· διῃστῶν δὲ τὰ πάντα εἰς δύο εἴδη νοητῶν τε καὶ αἰσθητῶν, τὸ συγκείμενον ἐκ σώματος ἁρμογῆς, καὶ τὸ μὲν, νῷ καταληπτὸν, τὸ δὲ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως δοξαστὸν· ὧς τε τὸ μὲν τοῦ ἁγίου πνεύματος μετέχον, ἅτε δὴ ἀσύγχυτον καὶ ἄϋλον, αἰώνιόν τε εἶναι, καὶ τὴν ἀΐδιον ζωὴν λελογχέναι. τὸ δὲ αἰσθητὸν, πάντη διαλυόμενον καθ' ὃν καὶ συνέστη λόγον, ἄμοιρον εἶναι τῆς ἀϊδίου ζωῆς. θαυμαστῶς δὲ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς διδάσκει, τοὺς μὲν εὖ βιώσαντας, ψυχὰς δηλαδὴ τῶν ὁσίων τε καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, μετὰ τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀναχώρησιν ἐν τοῖς καλλίστοις τοῦ οὐρανοῦ καθιεροῦσθαι (τοῦτο δὲ οὐ μόνον θαυμαστὸν) ἀλλὰ καὶ βιωφελές· τίς γὰρ οὐκ ἂν πεισθεὶς αὐτῷ, καὶ τὴν εὐτυχίαν D ταύτην προσδοκήσας, τὸν ἄριστον βίον, δικαιοσύνην καὶ σωφροσύνην ἀσκήσει, τὴν δὲ κακίαν ἀποστραφήσεται; ἀκολούθως δὲ τούτοις ἐπήνεγκε, τὰς τῶν πονηρῶν ψυχὰς,

VALESII NOTÆ.

ptiorum prophetis, intelligendus est. Fuerunt enim apud Ægyptios prophetæ, ut notavi ad lib. v Historiæ Ecclesiasticæ; quæ res fortasse Constantinum in errorem induxit, qui cum legisset Pythagoram ab Ægyptiorum prophetis, id est, sacerdotibus, multa arcana didicisse, id de Hebræorum prophetis intellexit.

telligit, cujus maximum ingenium veteres omnes, et jam Christiani admirati sunt.

Καὶ διδάξας. Particula conjunctiva deest in Fuk, ac Savilii libro, et in schedis Regiis. Scribo itaque ἀναβλέψαι τ' ἐπὶ τὰ μετάρσια διδάξας cum Savilio.

Διῃστῶν δὲ τὰ πάντα. Christophorsonus legisse videtur διϊστῶν τε. Porro locus Platonis quem Constantinus designat, legitur in Timæo pag. 28.

Μεγίστου τ' ἐπαίνου ἀξίαν φύσιν. Ptolemæum ipsum in

Ἀλλὰ καὶ βιωφελές. Ante hæc verba post vocem καθιεροῦσθαι, in editione Genevensi hæc leguntur: τοῦτο δὲ οὐ μόνον θαυμαστὸν: quæ a Christophorsono, Scaligero, Bongarsio, Grutero suppleta sunt, ut ad oram editionis illius annotatur. Eamdem quoque emendationem reperi in libro Moræi, Turnebi et Savilii et in codice Fuk. qui etiam βιωφελὲς habent.

Digitized by Google

Ἀχέροντός τε καὶ Πυριφλεγέθοντος ῥεύματι, ναυαγίων τρόπον φερομένας πλανᾶσθαι.

quod sensibile est, cum eadem omnino ratione dissolvatur qua fuerat ante compactum, expers est sempiternæ vitæ. Sunt vero prorsus admiratione digna quæ idem postea docet : eos qui recte vixerint, id est, animos bonorum ac sanctorum virorum, simul atque ex corpore discesserint, in pulcherrimis cœli regionibus consecrari. Quæ quidem non solum admiratione digna, sed etiam utilia sunt imprimis. Quis enim ejus sermonibus fidem adhibens, et hujusmodi felicitatem expectans, vitam non optime instituat, et justitiam quidem ac temperantiam non consectetur, improbitatem vero aversetur? Consequenter etiam his subjungit, improborum hominum animos Acherontis ac Pyriphlegetontis fluctibus jactatos, velut fractæ navis reliquias hac et illac ferri.

CAP. X. — DE IIS QUI NON SOLUM SACRÆ SCRIPTURÆ, SED ETIAM PHILOSOPHORUM DOGMATA RESPUUNT, ET QUOD VEL IN OMNIBUS FIDES POETIS ADHIBENDA EST, VEL IN NULLO.

Εἶσι μέντοι γέ τινες ἐπὶ τοσοῦτον τὴν διάνοιαν βεβλυμμένοι, ὥσθ' ὅταν τούτοις αὐτοῖς ἐντυγχάνωσι, μήτ' ἐπιστρέφεσθαι μήτε διεδοκιέναι, καταφρονεῖν δὲ καὶ ἐγγελᾶν, ὡς πεπλασμένων τινῶν μύθων ἀκούοντες· καὶ τὸ μὲν ποικίλον τῆς εὐγλωττίας, ἐγκωμιάζουσι. τὸ δὲ στερρὸν τοῦ δόγματος ἀποστρέφονται, μύθοις τε πιστεύουσι ποιητικοῖς, καὶ πᾶσαν μὲν Ἑλλάδα, πᾶσαν δὲ Βάρβαρον, ἰώλοις τε καὶ ψευδέσι φήμαις διαβοῶσιν. οἱ γάρ τοι ποιηταί, παῖδας Θεῶν ἀνθρώπους μετὰ τὴν τελευτὴν φασι κρίνειν τὰς ψυχὰς, κρίσεις τε καὶ δικαιωτήρια ὑμνοῦντες, καὶ τῶν κατοιχομένων ἐπιόπτας ἐφιστάντες· οἱ δ' αὐτοὶ ποιηταί, μάχας δαιμόνων, καὶ πολεμικούς τινας ἐξαγγέλλουσι νόμους, εἱμαρμένας τε αὐτῶν διαφημίζουσι· καὶ τοὺς μέν τινας φύσει πικροὺς, τοὺς δὲ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἐπιμελείας ἀλλοτρίους, τοὺς δέ τινας δυσχερεῖς ἀποφαίνονται· εἰσάγουσι δὲ καὶ ὀδυρομένους τὰς τῶν ἀκείων παίδων σφαγὰς, ὡς μὴ δυνατὸν αὐτοῖς, οὐχ ὅτι γ' ἀλλοτρίοις, ἀλλὰ μὴ δὲ τοῖς φιλτάτοις ἐπαρκεῖν. ἀνθρωποπαθεῖς τ' αὐτοὺς εἰσάγουσι. πολέμους καὶ τρώσεις, χαράς τε καὶ ὀδυρμοὺς ἄδοντες· καὶ εἰσὶν ἀξιόπιστοι, λέγοντες. εἰ γὰρ ἐπιπνοίᾳ θείᾳ μετέρχονται τὴν ποιητικὴν, πιστεύειν αὐτοῖς καὶ πείθεσθαι προσῆκε, περὶ ὧν λέγουσιν ἐνθουσιάζοντες· λέγουσι δὲ παθήματα Θεῶν τε καὶ δαιμόνων· τὰ ἄρα παθήματα τούτων, παντοίας ἀληθείας ἐφάπτονται. ἀλλ' ἐρεῖ τις, ἔξεινάι ποιηταῖς ψεύδεσθαι· θέλγειν γὰρ τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχὰς, ἴδιον εἶναι ποιητικῆς, τὸ δ' ἀληθὲς εἶναι, ἵνικα ἂν τὰ λεγόμενα μὴ ἄλλως ἔχῃ, ἀλλ' ὡς λέγεται. ἔστω τοῦτο ἴδιον ποιήσεως, τὸ τὴν ἀλήθειαν ἔσθ' ὅτε ἀφαρπάζειν· ἀλλ' οἱ τὰ ψευδῆ λέγοντες, οὐ μάτην ψεύδονται· ἢ γὰρ κέρδους καὶ ὠφελείας χάριν τοῦτο ποιοῦσιν, ἢ κακήν τινα πρᾶξιν, ὡς ἔοικε, συνειδότες ἑαυτοῖς, διὰ τὸν ἐφεστηκότα ἐκ τῶν νόμων κίνδυνον ἐπικαλύπτονται, ἢν γὰρ δυνατὸν, οἶμαι, μηδὲν παρὰ τὴν ἀλήθειαν περὶ τῆς κρείττονος φύσεως ἱστοροῦντας, μὴ ψεύδεσθαι μηδὲ δυσσεβεῖν.

Sunt tamen nonnulli adeo mente capti atque corrupti, ut cum hæc legerint, nec curent, nec timore ullo percellantur, sed perinde ac si fabulas quasdam audirent, spernant ac derideant. Ac sermonis quidem ornatum et ubertatem laudibus prosequuntur, dogmatum vero aversantur severitatem. Iidem tamen poetarum fabulis fidem habent, et omnem Græciam atque Barbariam vanis fictisque sermonibus replent. Nam poetæ quidem aiunt homines quosdam deorum filios post mortem animas judicare, eosque quasi inspectores ac censores apud inferos constituunt, judicia eorum ac severitatem celebrantes. Iidem vero poetæ deorum pugnas, et quædam inter eos belli jura commemorant. Fata quoque eorumdem canunt. Et alios quidem natura acerbos; alios vero ab omni rerum humanarum cura alienos esse; quosdam etiam ex illis morosos affirmant. Quin etiam deos inducunt filiorum suorum cædem lamentantes; quippe qui non solum extraneis, sed ne suis quidem suppetias ferre possint. Sed et humanis perturbationibus obnoxios eosdem fingunt, dum prælia eorum et vulnera, gaudia item ac gemitus narrant. Hæc illi cum dicunt, videntur fide digni. Cum enim divino quodam motu impulsi versus facere aggrediantur, par est ut illis fidem adhibeamus, in iis quæ divino spiritu incitati pronuntiant. Sed et deorum ac dæmonum calamitates referunt. Certe illorum calamitates omnino cum veritate consentiunt. Atenim dicet aliquis poetis mentiri licere : id enim proprium esse poeticæ, ut audientium animos demulceat, veritatem vero esse, quoties ea, quæ dicuntur, non alio se habent quam quo dicuntur modo. Sit hoc proprium poeticæ, interdum veritatem abscondere. Hi vero qui mentiuntur, nunquam frustra et gratis id faciunt. Aut enim quæstus et cupiditatis causa mentiuntur, aut cujuspiam criminis sibi conscii; metu periculi quod leges ipsis intentant, veritatem obtegunt. At qui facile poterant, meo quidem judicio, nihil de divina natura præter veritatem dicentes, ab impio mendacio abstinere.

VALESII NOTÆ.

Ναυαγίων τρόπον. Navis fractæ reliquias interpretatus sum, id est armamenta. Hæc enim nave fracta hac illac jactantur in mari. At Christophorsonus *merces* vertit, quod huic loco non videtur convenire. Merces enim, nave fracta, ut plurimum submerguntur.

Μύθοις τε πιστεύουσι. Lego μύθοις δὲ.

Ψευδέσι φήμαις Male Christophorsonus vertit *præconiis celebrant.* cum φῆμαι hoc loco nihil aliud sit quam fabulæ, quibus Poetæ totum orbem repleverunt. Sic paulo post de iisdem poetis dicit, εἱμαρμένας τε αὐτῶν διαφημίζουσι, et in capite 11, initio, ubi adversus blasphemiam seu impietatem invehitur.

Παντοίας ἀληθείας ἐφάπτονται. Scribendum puto παντοίως quod in versione mea secutus sum.

ἢν γὰρ δυνατὸν. Mallem legere ἢν δὲ ἄρα δυνατὸν.

Digitized by Google

CAP. XI. — DE CORPORALI DOMINI ADVENTU, QUALIS ET CUR FUERIT.

Porro, quisquis optima vivendi ratione ac disciplina indignus est, sibique ipse conscius vitæ male et nequiter transactæ, is tandem resipiscat, et perpurgata mentis acie ad divinum respiciat numen, pristinam vivendi rationem detestatus. Contentus tamen esse debet, si vel provecta jam ætate sapientiam assequatur. At nobis nulla quidem ab hominibus profecta doctrina adjumento unquam fuit. Sed quæcumque in hominum vita ac moribus laudem merentur judicio sapientum, Dei dona sunt ac munera. Cæterum, adversus venenata illa tela quæ a malo dæmone fabricantur non infirmum habeo scutum quod opponam; scientiam videlicet earum rerum quæ acceptæ sunt Deo. Qua quidem ex scientia ac disciplina, ea seligens quæ ad præsentem sermonem accommodata sunt, summum omnium parentem laudare aggrediar. Tu vero devotionis nostræ proposito favens, adesto, Servator omnium Christe, et sermonem de potentia tua institutum exorna, laudandi nobis modum rationemque præscribens. Nemo porro existimet auditurum se orationem, eximia quadam verborum elegantia excultam. Quippe compertum habeo eam orationem, quæ mollis sit et ad voluptatem ac lenocinium comparata, prudentibus viris displicere, cum is qui dicit plausum potius quam modestam disserendi rationem consectatur. Quidam impii ac dementes homines, aiunt Christum nostrum merito supplicio damnatum fuisse, et cum qui vitæ auctor est viventibus vita esse privatum. Ac eos qui-

A Οὐκοῦν εἴ τίς ἐστιν ἀνάξιος χρηστοῦ βίου, σύνοιδέ τε τῷ πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως τὸν βίον βεβιωκότι, ἐὰν μετάθηται καὶ πρὸς τὸ θεῖον ἀπίδῃ, τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα καθαρθείς, καὶ ἀλλότριος γενόμενος τῆς πάλαι κακίστης διαίτης. ἀλλ' ὅμως ἀγαπητόν, εἰ κἂν ἐν τῇ τῆς ἀκμῆς ἡλικίᾳ τὴν σοφίαν εὐτυχῶσιν· ἡμῖν δὲ παιδεία μὲν ἡ ἐξ ἀνθρώπων οὐδεμία πώποτε συνήρατο. Θεοῦ δέ ἐστιν ἅπαντα τὰ δωρήματα, ὅσα ἐν ἤθεσι καὶ τρόποις εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς νοῦν ἔχουσιν· ἔχω δὲ καὶ οἷον προβέβλημαι δηλητηρίων ἄντικρυς ὑπόσα τεκταίνεται ὁ πονηρὸς, οὐ μετρίαν ἀσπίδα, τὴν γνῶσιν τῶν ἀρεσκόντων τῷ Θεῷ. ἐξιστᾷ πρὸς τὸν προκείμενον λόγον χρήσιμα ἐκλεξάμενος, ὑμνήσω τὸν πατέρα πάντων. αὐτοῦ τε συναιρόμενος τῇ τῆς καθοσιώσεως σπουδῇ, πάρθι, Χριστέ, σῶτερ ἁπάντων, καὶ τὸν περὶ τῆς ἀρετῆς κατακόσμει λόγον, τὸν τρόπον

B τῆς σεμνολογίας ὑφηγούμενος. καὶ μηδεὶς προσδοκάτω, κομψείᾳ τινὶ κεκαλλωπισμένων ὀνομάτων τε καὶ ῥημάτων ἀκούσεσθαι· οἶδα γὰρ ἀκριβῶς τὴν ἔκλυτον καὶ πρὸς ἡδονὴν ἀπειργασμένην δημηγορίαν τοῖς εὐφρονοῦσιν ἀπαρέσκειν· ὅταν οἱ λέγοντες, κρότου μᾶλλον, ἢ σώφρονος διαλέξεως ἐπιμελῶνται. φασί δή τινες ἀνόητοι καὶ δυσσεβεῖς ἄνθρωποι, δικαιωθῆναι τὸν Χριστὸν ἡμῶν. καὶ τὸν παραίτιον τοῦ βίου τοῖς ζῶσιν, αὐτὸν τοῦ ζῆν ἐστερῆσθαι. τοὺς δ' ἀσεβεῖν ἅπαξ τολμήσαντας, καὶ μή τε δεδιέναι, μή τ' ἐγκαλύπτεσθαι τὴν ἑαυτῶν πονηρίαν κατανοοῦντας, οὐδὲν θαυμαστὸν τοῦτο λέγειν· ἐκεῖνο δὲ πᾶσαν ὑπερβέβηκεν εὐήθειαν, τὸ δοκεῖν πεπεικέναι ἑαυτοὺς, ὑπ' ἀνθρώπου Θεὸν ἄφθαρτον βεβιῶσθαι καὶ οὐχ ὑπὸ μόνης τῆς φιλανθρωπίας· μὴ δ' ἐννοεῖν, ὅτι τὸ μεγαλόψυχον, οὗδ'

VALESII NOTÆ.

Σύνοιδέ τε τῷ. Scribendum est, σύνοιδέ τε ἑαυτῷ, C quod miror viris doctis in mentem non venisse. Porro initium hujus periodi, id est, hæc verba οὐκ οὖν εἴ τίς ἐστιν ἀνάξιος, ad capitulum præcedens pertinent: nos posuimus ut in schedis, et in codice Fuk. Et in codice quidem Fuk. in quo tituli singulis capitibus præponuntur, hæc est hujus capitis inscriptio: Περὶ τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Κυρίου παρουσίας, τίς καὶ ἐπὶ τίσι γεγένηται· καὶ περὶ τῶν μὴ γνόντων τὸ μυστήριον, etc. In schedis autem Regiis et in editione Rob. Stephani quam secutus est Christophorsonus, hoc caput in duo divisum est, et περὶ τῶν μὴ γνόντων novi capitis titulus est.

Τὴν σοφίαν εὐτυχῶσιν. Scribendum procul dubio εὐτυχήσῃ, vel εὐτυχήσειεν, quod miror nec a Christophorsono, nec a Scaligero aliisque animadversum fuisse, qui emendarunt τῆς σοφίας εὐτυχήσωσιν. Atqui Græce non dicitur εὐτυχεῖν τῆς σοφίας, sed εὐτυχεῖν τὴν σοφίαν. In codice tamen Fuk. scribitur τῆς σοφίας εὐτυχήσωσι.

Δηλητηρίων ἄντικρυς. Scribendum omnino est δηλητηρίων ἀντικρυς, id est, contra venenata spicula. Ubi ἄνταικρυς præpositio est, quod non viderunt Scaliger, Bongarsius, Gruterus, aliique, scribentes δηλητήριον. Sic infra cap. 15 loquitur Constantinus, πίστιν τε καὶ δικαιοσύνην αὐτοὺς ἐκδιδάξας, ἀντικρὺ τοῦ ἐκ τῆς ἀντικειμένης φύσεως φθόνου. Codex tamen Fuk. ac Turnebi habent, ut nos, ὡς κατὰ δηλητηρίων ἀντικρύς.

Ἐξιστᾷ πρὸς τὸν προκείμενον. Quis non miretur Scaligerum, Bongarsium, et cæteros, ex quorum libris emendationes ad oram editionis Genevensis annotantur, hujus loci veram emendationem non vidisse, quæ tamen obvia et in proclivi est. Diductis enim vocibus quæ in unam coaluerant, scribendum est ἐξ ἧς τὰ πρὸς τὸν, etc. Subauditur autem γνώσεως, quod vocabulum paulo ante præcessit. At Christophorsonus hunc locum ita interpretatur: *Hæc igitur commode ad eum sermonem qui a me institutus est, delegi.* Ex quo apparet, aut illum secutum esse emendationem quæ in libris Scaligeri, Bongarsii et Gruteri legitur; quam etiam reperi in libro Moræi: aut certe Scaligerum et cæteros interpretationem Christophorsoni secutos, ait emendasse; quod quidem verius puto. Verum emendatio ista ferri non potest. Primum enim nimis discedit a vestigiis vulgatæ lectionis, si pro ἐξιστᾷ scribas τὰ τοίνυν. Codex tamen Fuk. et Sav. scriptum habet τὰ τοίνυν, etc.

Αὐτοῦ τε συναιρόμενος. In libro Moræi vir doctus ad marginem emendavit αὐτὸς. Ego totum locum uno ductu ita legendum puto. Αὐτὸς δὲ συναιρόμενος τῇ τῆς καθοσιώσεως σπουδῇ πάρθι, Χριστέ, etc. Quam emendationem confirmat Regius codex, in quo punctum prænotatur ante vocem αὐτοῦ. Ab iis igitur verbis inchoandum est caput 12, licet in codice Regio et in editione Stephani novum caput inchoetur a voce πάρθι. Conjecturam nostram plane confirmat codex D Fuk. in quo legitur αὐτός τε συναιρόμενος τῇ τῆς καθοσιώσεως σπουδῇ, πάρθι, etc. In schedis autem Regiis scriptum inveni αὐτοῦ τε συναιρομένου, ut legit Christophorsonus. In iisdem schedis novum caput inchoatur ab iis verbis quæ proxime sequuntur, φασί δή τινες, etc. Sed nihil necesse est hic novum caput instituere, cum paulo ante inchoatum fuerit οὐκοῦν εἴ τίς ἐστιν ἀνάξιος, tum in schedis, tum in codice Fuketii.

Τοὺς ἀσεβεῖν ἅπαξ τολμήσαντας. Scribendum est omnino τοὺς δ' ἀσεβεῖν ἅπαξ τολμήσαντας, καὶ μή τε δεδιέναι, μήτ' ἐγκαλύπτεσθαι τὴν ἑαυτῶν πονηρίαν κατανοοῦντας, οὐδὲν θαυμαστὸν, τοῦτο λέγειν, ut scribitur in optimo codice Fuk. cui subscribunt Sav. et Christophorsoni exemplaria.

Digitized by Google

ὑπο ὕβρεως διατρέπεται. οὔθ' ὑπὸ προπηλακισμοῦ, τῆς φυσικῆς στερρότητος ἐξίσταται. ἀλλ' ἀεί γίγνεται, τῶν ἐπεμβαινόντων τὴν ἀγριότητα, λογισμοῦ τε καὶ μεγαλοψυχίας φρονήματι θραῦον καὶ διωθούμενον. προῄρητο μὲν ἡ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπία, ἀδικίαν μὲν ἐξαλεῖψαι, κοσμιότητα δὲ καὶ δίκην ἐπᾶραι· διὸ καὶ τοὺς σοφωτάτους τῶν ἀνδρῶν συναθροίσας, καλλίστην καὶ βιωφελεστάτην διδασκαλίαν συνεστήσατο, ζηλοῦσα τοὺς ἀγαθούς τε καὶ εὐδαίμονας τὴν ἑαυτοῦ περὶ τὰ κόσμια πρόνοιαν· οὗ μεῖζον ἀγαθὸν τί ἂν τις εἴποι. Θεοῦ δικαιοσύνην βραβεύοντος, καὶ ἐξομοιοῦντος ἑαυτῷ τοὺς ἀξίους τῆς αὐτοῦ παιδεύσεως. ὅπως διαδοθείσης εἰς πάντας τῆς ἀγαθότητος, τὸ εὐτυχεῖν τοῖς ἀνθρώποις εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα περιγένηται. αὕτη ἐστὶν ἡ σεμνὴ νίκη. τόδ' ἐλπιδὸς κράτος. τὸ μέγιστον ἔργον ἁρμόζον, ὁ τῶν συμπάντων δήμων σωφρονισμός· καὶ τούτων μέν τοι τὰ νικητήρια δίδομεν εὐφημοῦντες, ὦ σῶτερ τῶν ὅλων· σὺ δ' ὦ πονηρὰ καὶ ἐπονείδιστε βλασφημία, ψεύδεσιν ἐπαιρομένη, φήμαις τε καὶ διαδοήσεσιν, ἐξαπατᾷς μὲν νέους, πείθεις δὲ μειράκια, καὶ τῶν ἀνδρῶν τοὺς μειρακιώδη τινὰ τρόπον ἔχοντας. ἀπάγουσα μὲν αὐτοὺς ἀπὸ τῆς θρησκείας τοῦ ὄντος Θεοῦ. συνιστάνουσα δ' ἀγαλμάτων πλάσματα, οἷς εὔχοιντο καὶ προσκυνοῖεν· ὥστε ἐξαπατηθέντας, μένειν τὰ ἐπίχειρα τῆς αὐτῶν ἀναισθησίας. αἰτιῶνται γὰρ τὸν τῶν ἀγαθῶν παραίτιον πάντων, Χριστὸν, Θεόν τε καὶ Θεοῦ παῖδα. ἆρ' οὖν οὐχ ὑπὸ σωφρονεστάτων καὶ φρονιμωτάτων ἐθνῶν τε καὶ δήμων οὗτος ὁ Θεὸς καταξίαν σέβεται· παντοίας μὲν δυνάμεως ἐπειλημμένος. αὐτὸς δ' ἐν τῇ οἰκείᾳ προαιρέσει μένων, οὐδοτιοῦν τῆς ἐμφύτου φιλανθρωπίας ἐμείωσεν. ἅπιτε δὴ δυσσεβεῖς. ἐφεῖται γὰρ ὑμῖν διὰ τὴν ἀτιμώρητον ἁμαρτίαν, ἐπὶ τὰς τῶν ἱερείων σφαγὰς, θοίνας τε καὶ ἑορτὰς καὶ μέθας· προσποιούμενοι μὲν θρησκείαν, ἐπιτηδεύοντες δὲ ἡδονὰς καὶ ἀκολασίας· καὶ θυσίας μὲν ἐπιτελεῖν σκηπτόμενοι. ταῖς δ' αὐτῶν ἡδοναῖς δουλεύοντες. οὐ γὰρ ἴστε ἀγαθὸν οὐδέν, οὐδὲ τὸ πρῶτον τοῦ μεγάλου Θεοῦ πρόσταγμα, διατάσσοντός τε τῷ τῶν ἀνθρώ-

dem qui semel pietati nuntium remiserunt, nec timore ullo aut pudore scelerum suorum affici decreverunt, ita sentire minime mirandum est. Illud vero omnem excedit amentiam, quod sibi ipsis persuasisse videntur Deum immortalem vim ab hominibus passum esse, non autem a sua ipsius benignitate, et erga homines benevolentia. Nec animadvertunt magnitudinem animi ac patientiam nec contumelia mutari, nec conviciis de statu suo dimoveri, sed furorem eorum qui ipsam hostiliter invadunt consilio et celsitudine animi frangere. Statuerat quidem divina clementia injustitiam e medio tollere; modestiam vero et æquitatem promovere. Ac propterea sapientissimis hominibus in unum congregatis, pulcherrimam atque utilissimam humano generi doctrinam instituit, ut viri boni ac beati providentiam ipsius in hujus mundi rebus administrandis æmularentur. Quo quidem bono quodnam majus dici potest, ubi Deus justitiæ leges præscribit, eosque qui discipuli ipsius esse meruerint, similes efficit sibi, ut tradita ac diffusa in omnes virtute, sempiterna felicitas hominibus comparetur. Hæc est præclara victoria; hæc vera potentia; hoc opus maximum Deoque convenientissimum, omnium scilicet populorum correctio atque ad meliorem frugem conversio. Ac nos quidem hujus triumphi gloriam, cum laudibus et acclamationibus, tibi, o Servator omnium, deferimus. Tu vero, improba ac detestanda blasphemia, quæ mendaciis et fama pervulgatisque sermonibus efferri et gloriari soles, tu, inquam, juvenes decipis; adolescentes et viros qui puerili quodam ingenio præditi sunt blanda persuasione in fraudem inducis, a veri numinis cultu eos abducens, et simulacra constituens, quæ adorent, et quibus preces allegent; adeo ut decepti suæ ipsorum vecordiæ mercedem recipiant. Christum enim omnium bonorum auctorem, qui et Deus est et Dei Filius,

VALESII NOTÆ.

Ἡ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπία. Grut. add. καὶ ἀνεξίκακον τοῦ Θεοῦ, quæ etiam in Moræi libro ad marginem adscripta leguntur. Sed cum nec in codice Regio et Fuk. nec in editione Stephani legantur, nihil est, quod nos cogat ea hic addere. Ac fortasse scribendum est τὸ ἀνεξίκακον τῆς φιλανθρωπίας. Porro hæc Constantini disputatio, instituta mihi videtur adversus Porphyrium, seu quosdam alios Græcorum Philosophos; qui id Christianis objiciebant, quod dicerent Christum ab hominibus crucifixum et necatum esse. Sic enim argumentabantur adversus christianos. Si Christus Deus est, quomodo illi vis afferri potuit ab hominibus cum constet homines adversus Deum nihil posse.

Τοὺς σοφωτάτους τῶν ἀνδρῶν. Sic Apostolos vocat Constantinus, quos tamen illitteratos atque imperito fuisse constat. Ita quoque in cap. 12 eosdem Apostolos εὖ πεφυκότας appellat, id est, præstanti ingenio præditos. Scilicet Constantinus de Apostolis quos tantopere veneratur Ecclesia, honorifice sentiendum esse existimavit. Verum sancti Patres longe aliter de Apostolis loquuntur, ac præcipue Joannes Chrysostomus: qui Apostolos plane rudes atque imperitos fuisse fatetur; et ex eo validissimum argumentum sumit ad Christianæ fidei confirmationem; quod homines illitterati philosophos, vilissimi e Judæa piscatores, Romanos rerum dominos ad crucifixi cultum pertraxerint. Idem repetit Constantinus in capite decimo quinto initio.

Ζηλοῦσα. Positum videtur hoc verbum pro ζηλῶσαι ποιοῦσα. Sensus autem hujus loci peti debet ex capit. 12, ubi Constantinus ita loquitur: Τὸ δὲ τῆς φιλανθρωπίας ἐξαίρετον, ἐν τῷ τοὺς εὖ πεφυκότας τῶν ἀνθρώπων, θεοῦ καὶ μακαρίου ζηλωτὰς ποιῆσαι βίου. Hi enim duo loci lucem sibi mutuo fenerantur. In codice Fuk. Turnebi ac Savilii scribitur ζηλῶσαι, non ζηλοῦσα.

Σὺ δ' ὦ πονηρὰ. Ab his verbis novum caput inchoatur in editione Rob. Stephani et in codice Regio, in quibus hæc verba modico intervallo a præcedentibus separantur. In optimo tamen codice Fuk. nulla hic notatur distinctio: quem secuti sumus.

Τοῦ ὄντος Θεοῦ. Malim scribere adverbialiter τοῦ ὄντως. Atque ita plane in codice Fuk. scriptum inveni.

Μένειν τὰ ἐπίχειρα. Hoc loco μένειν sumitur ut apud Latinos *manet*, ut cum dicitur, *te manet capitolina palmata*, id est, tibi parata est. Græci eodem modo sumunt verbum μένειν. Sic in Epistola Constantii ad Alexandrinos quam refert Athanasius in Apologetico ad imperatorem Constantium. ἀλλ' ὁ γενναῖος καὶ λαμπρὸς, οὐδὲ κρίσιν ἔμεινε κατ' αὐτοῦ. Tamen viri docti ex suis codicibus jampridem emendarunt ἀναμένειν, quam emendationem in libris etiam Turnebi ac Savilii reperi. Codex Fuketianus habet ἀναβαίνειν.

Digitized by Google

calumniantur. An non, quæso, hic Deus a modestissimis ac sapientissimis gentibus ac populis jure merito colitur? qui cum omnem potentiam nactus sit, propositi sui semper tenax, de insita sibi clementia nihil imminuit. Abite igitur, impii, id enim vobis licet, quandoquidem sceleri vestro nulla nunc pœna irrogatur, abite, inquam, ad victimarum cædes et convivia, festosque dies et compotationes. In quibus religionis specie voluptatibus et intemperantiæ indulgetis. Et sacra quidem a vobis celebrari simulatis, re autem vera libidines vestras expletis. Neque enim quicquam boni nostis; ac ne primum quidem summi Dei mandatum, qui et humano generi leges vivendi præscribit, filioque in mandatis dedit, ut vitam hominum moresque formaret; quo videlicet hi qui recte ac modeste vixerint, alteram vitam beatam ac felicem Filii sui judicio consequantur. Exposui decretum Dei de hominum vita, idque non ignoratione aberrans, ut multi, nec opinione aut conjectura ductus. Sed fortasse dixerit aliquis: Undenam hæc Filii appellatio, aut quæ ratio gignendi, siquidem unus ac solus est Deus, idemque ab omni commixtione et coitu prorsus alienus? Sciendum vero est duplicem esse gignendi rationem: alteram ex partu, quæ omnibus nota est; alteram ex causa sempiterna. Cujus quidem generationis modum ac rationem, divina favente providentia, is inter homines videt, qui Deo carus fuerit. Sapiens enim quivis ordinationis universi causam intelligit. Porro, cum nihil sit quod causam non habeat, ante omnia quæ existunt, causa eorum substiterit necesse est. Cum igitur mundus et cuncta

A πων γένει, καὶ ἐπισκήπτοντος τῷ παιδὶ, τὸν τούτων διακυβερνᾶν βίον. ὅπως οἱ δεξιῶς καὶ σωφρόνως βιώσαντες, κατὰ τὴν τοῦ παιδὸς κρίσιν, δεύτερον βίον μακάριόν τε καὶ εὐδαίμονα λαγχάνωσιν. ἐγὼ μὲν οὖν τὸ τοῦ Θεοῦ δόγμα περὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων βιώσεως διεξῆλθον, οὐ μὴν ἀγνοῶν, καθάπερ οἱ πολλοὶ, οὐδὲ ἐξ εἰκασίας, οὐδὲ στοχασμοῦ. τάχα δ' ἄν τις εἴποι, Πόθεν ἡ προσηγορία τοῦ Παιδὸς. ποία δὲ γένεσις, εἴπερ εἷς μόνος ὢν Θεὸς τυγχάνει, πάσης δὴ μίξεως οὗτός ἐστιν ἀλλότριος. ἀλλὰ τὴν γένεσιν διπλῆν τινα νοεῖσθαι χρὴ· τὴν μὲν ἐξ ἀποκυήσεως, τὴν συνεγνωσμένην ταύτην· ἑτέραν δὲ τὴν ἐξ ἀϊδίου αἰτίας, ἧς τὸν λόγον Θεοῦ πρόνοια θεᾶται, καὶ ἀνδρῶν ὃς ἐκείνῳ φίλος ὑπάρχει· σοφὸς γάρ τις τὴν αἰτίαν τῆς τῶν ὅλων διακοσμήσεως εἴσεται. ὄντος τοίνυν ἀναιτίου μηδενὸς, προϋπάρχειν τῶν ὄντων τὴν αἰτίαν αὐτῶν ἀνάγκη.

B ὄντος ἄρα κόσμου καὶ τῶν ἐν αὐτῷ, οὔσης τε αὐτῶν σωτηρίας, τὸν σωτῆρα τῶν ὄντων προϋπάρχειν ἀνάγκη· ὡς εἶναι τὸν μὲν Χριστὸν, τῆς σωτηρίας αἰτίαν· τὴν δὲ σωτηρίαν, τῶν ὄντων τὸ αἴτιον· καθάπερ αἰτία μὲν υἱοῦ ὁ πατήρ. αἰτιατὸν δ' ὁ υἱὸς. καὶ τὸ μὲν προϋπάρχειν αὐτὸν, ἱκανῶς ἤδη δεδήλωται· πῶς δ' εἰς ἀνθρώπους καὶ γὴν κατῆλθεν; ἡ μὲν προαίρεσις τῆς καθόλου, καθὼς οἱ προφῆται προεθέσπισαν, κηδεμονίας τῶν ὅλων ἐστὶν· ἀνάγκη γὰρ τὸν δημιουργὸν, τῶν ἔργων αὐτοῦ κήδεσθαι. ἐπεὶ δὲ κοσμικῷ σώματι πλησιάζειν, ἓν τε γῇ χρονίζειν ἔμελλε, τῆς χρείας τοῦτο ἀπαιτούσης, νόθην τινὰ γένεσιν ἑαυτοῦ ἐμηχανήσατο· χωρὶς γάρ τοι γάμων, σύλληψις· καὶ ἀγνῆς παρθενίας εἰλείθυια· καὶ Θεοῦ μήτηρ κόρη. καὶ αἰωνίας φύσεως ἀρχὴ χρόνιος. καὶ νοητῆς οὐσίας αἴσθησις. καὶ ἀσωμάτου φανότατος ὕλη· ἀκόλουθα τοιγαροῦν καὶ τὰ

C λοιπὰ τοῦ φάσματος· αἰγλήεσσα περιστερὰ ἐκ τῆς Νῶε

VALESII NOTÆ.

Ἐγὼ μὲν οὖν τὸ τοῦ Θεοῦ δόγμα. Intelligit decretum Dei de hominis assumptione, seu de Incarnatione, per quam hominum vita reparata est. Apparet igitur capita recte a nobis digesta esse. Nisi quis fortasse ad hæc usque verba caput 10 extendere voluerit, quod libens concesserim.

Ὃς ἐκείνῳ φίλος ὑπάρχει. Rob. Stephanus in variis lectionibus, quas ad calcem editionis suæ annotavit, monet hunc locum in quibusdam codicibus ita legi. Quæ sine dubio vera scriptura est. Ait enim Constantinus, naturalis quidem generationis modum omnibus notum esse: generationis autem divinæ rationem paucos admodum cognoscere, quos Deus peculiari benevolentia prosecutus fuerit. Certe in codice Regio legitur φίλος. In schedis autem scribitur ὃς ἐκείνων φίλος. Sed codex Fuk., Turnebi ac Savilii veram lectionem exhibent.

D

Οὔσης τε αὐτῶν τῆς σωτηρίας. Malo consilio Genevenses legunt τὴν αἰτίαν αὐτῶν τῆς σωτηρίας, ex conjectura Scaligeri, ut ad marginem annotatur. Sed eas rejiciendas esse satis apparet. Nam et sensum omnem hujus loci perturbant, et in scriptis codicibus non leguntur.

Τὴν δὲ σωτηρίαν τὸ αἴτιον. Nihil hoc loco vidit Christophorsonus. Atqui facillimum erat animadvertere, hic legendum esse τὸ αἰτιατὸν. Comparat enim hic Constantinus Filium cum conservatione, et Patrem cum Servatore. Quemadmodum igitur Pater quidem est causa Filii, Filius vero effectus seu τὸ αἰτιατὸν; sic Servator quidem causa est salutis omnium rerum, salus vero est effectus seu τὸ αἰτιατὸν Servatoris.

Αἰτία μὲν υἱοῦ ὁ πατήρ, αἰτιατὸν δὲ ὁ υἱὸς. Veteres Theologi præsertim apud Græcos, unam in Trinitate personam, Deum scilicet Patrem, causam esse dicebant; duo vero causata, Filium nempe et Spiritum sanctum. Sic Athanasius in quæstionibus secundis cap. 11 et 12, Ὁ δὲ υἱὸς οὐκ ἔστιν αἴτιος, ἀλλ' αἰτιατός. Ita etiam Joannes Damascenus, in libro 1 de Imaginibus non longe ab initio: *Imago*, inquit, *Dei invisibilis est ipse Filius, qui in seipso Patrem gerit, et in omnibus idem cum illo est, præter unum id quod ab eo tanquam a causa est. Naturalis enim causa est Pater, ex qua Filius proficiscitur.* Sed et Gregorius Naz. in oratione 29, quæ est de dogmate, Patrem causam esse Filii et Spiritus sancti diserte asserit. Ex Latinis vero Marius Victorinus in libro primo adversus Arium perinde locutus est. *Sed major*, inquit, *Pater: quod ipse dedit Filio omnia, et causa est ipsi Filio ut sit, et isto modo sit.* Supra autem idem Victorinus dixerat, Filium quidem causam esse principalem omnium rerum, sed Patrem præcausam esse, eo quod Filii causa sit.

Ἡ μὲν προαίρεσις τῆς καθόλου. Nihil hic mutant codices nostri. Ego tamen libentius legerem τῆς καθόδου. Id est, adventus Dominici.

Ἀσωμάτου φανότατος ὕλη. Scribendum videtur φανότητος, ut legit Christophorsonus. Alludit enim Constantinus ad locum Pauli Apostoli, in quo Christus splendor gloriæ Dei Patris appellatur. Certe in Fuk. et Savilii libro φανότητος scribitur.

Αἰγλήεσσα περιστερά. In codice Regio ad marginem adscribitur λαμπρά, quod scholion est vocis αἰγλήεσσα. Frustra igitur et Scaliger et cæteri emendatores legunt αἰθρήεσσα. Porro hæc Constantini narratio sumpta est ex libris apocryphis, qui Spiritum sanctum sub columbæ specie in Mariæ sinum descendisse

Digitized by Google

λάρνακος ἀποπταμένη, ἐπὶ τοὺς τῆς παρθένου κόλπους κατᾶρεν· ἀκόλουθα δὲ καὶ μετὰ τὸν ἀναφῆ, πάσης τε ἁγνείας καθαρώτερον, καὶ αὐτῆς ἐγκρατείας κρεῖσσονα ὑμέναιον. ἡ ἐκ σπαργάνων σοφία τοῦ Θεοῦ· ἐντρεπόμενός τε αὐτὸν μετὰ αἰδοῦς ὁ τῶν λουτρῶν πάροχος Ἰορδάνης. πρὸς τούτῳ τε βασιλικὸν χρίσμα ὁμόψυχον τῆς πάντων συνέσεως. παιδεία δὲ καὶ δύναμις παράδοξα κατορθοῦσα, καὶ τὰ ἀνίατα ἰωμένη. καὶ εὐχῶν ἀνθρωπίνων ταχεῖα καὶ ἀναμπόδιστος βεβαίωσις. καὶ ὅλως ὁ σύμπας ὑπὲρ ἀνθρώπων βίος· διδασκαλία δὲ οὐ φρόνησιν, ἀλλὰ σοφίαν διδάσκουσα. τῶν φοιτητῶν οὐ τὰς πολιτικὰς λογομένας ἀρετὰς μανθανόντων, ἀλλὰ τὰς εἰς τὸν νοητὸν κόσμον ἀτραπούς ἀναλυούσας, τήν τε τοῦ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχοντος γένους ἐποπτίαν ποιούντων, καὶ τὴν τοῦ μεγίστου πατρὸς ἔννοιαν ἀσκουμένων. τὰ γάρτοι τῶν εὐεργετημάτων οὐ μέτρια· ἀντὶ μὲν τῆς ῥώσεως, ὄρασις, ἀντὶ δὲ παρίσεως, εὐεξία. ἀντὶ δὲ θανάτου πάλιν εἰς τὸ ζῆν ἀποκατάστασις. παρίημι γὰρ ἄφθονον τῶν ἀναγκαίων παρασκευὴν ἐν ἐρημίᾳ, καὶ ἐν ὀλίγοις εὐθέσμασι παντοδαπὴν μεγάλοις πλήθεσι πολλοῦ χρόνου περιουσίαν. ταύτην σοι τὴν εὐχαριστίαν κατὰ τὸ δυνατὸν ἀποδίδομεν, Χριστὲ ὁ Θεὸς καὶ Σωτήρ, μεγάλου πατρὸς μεγίστη πρόνοια. σώζοντί τ' ἐκ τῶν κακῶν, καὶ τὴν μακαριωτάτην διδασκαλίαν διδάσκοντι. οὐ γὰρ ἐγκωμιάζων ταῦτα, ἀλλ' εὐχαριστῶν λέγω. τίς γὰρ ἂν σε κατ' ἀξίαν ὑμνήσοι ἐν ἀνθρώποις; σὲ μὲν γὰρ λόγος ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα γεννῆσαι, τό τε φῶς αὐτοῖς ἀνάψαι. καὶ τὴν ἄτακτον τῶν στοιχείων σύγχυσιν κατακοσμῆσαι τάξει καὶ μέτρῳ· τὸ δὲ φιλανθρωπίας ἐξαίρετον, ἐν τῷ τοὺς εὖ πεφυκότας τῶν ἀνθρώπων, θείου καὶ μακαρίου ζηλωτὰς ποιῆσαι βίου. κατανοεῖν θ' ὅπως τῶν ὄντως ἀγαθῶν ἔμποροι γεγενημένοι, πλείοσι τῆς ἑαυτῶν σοφίας τε καὶ συντυχίας μεταδιδοῖεν, αὐτοί τ' ἀρετῆς καρπὸν αἰώνιον κομίζοιντο. ἀπηλλαγμένοι μὲν ἀσχολασίας, μετέχοντες δὲ φιλανθρωπίας. οἷκτον μὲν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, πίστιεως δὲ προσδοκίαν ἐλπίζοντες. αἰδὼ δὲ καὶ παντοίαν ἀρετὴν ἀσπαζόμενοι, ἣν ὁ προτοῦ βίος ἀνθρωπίνων ἠθῶν ἐκβεβλήκει, τὴν ὑπὲρ πάντων

quæ in mundo sunt existant, cumque eorum exstet conservatio, necesse est ut ante omnia quæ sunt Servator exstiterit. Adeo ut Christus ipse omnium rerum causa sit, et conservatio sit effectus, quemadmodum Pater quidem Filii causa est, Filius vero est causatum. Et ipsum quidem Christum ante omnia extitisse jam abunde probavimus. At quomodo in terras descendit et ad homines venit? Consilium quidem ipsum, sicut prophetæ prædixerant, profectum est ex cura ac sollicitudine quam pro universis rebus gerebat. Opifex enim operum suorum curam gerat necesse est. Cum vero ad terrenum corpus accessurus esset, et inter homines, necessitate sic exigente, aliquandiu moraturus, novam quamdam nascendi rationem commentus est sibi. Nam absque nuptiis fuit conceptio, et castæ virginitatis puerperium; et puella Dei mater; et æternæ naturæ temporale principium; et intelligibilis substantiæ sensus; et in corporei splendoris materia. Cuncta igitur quæ tunc visa sunt his fuere consentanea. Splendidissima columba ex area Noe devolans in sinum Virginis descendit. Consentanea item sunt reliqua quæ illibatum illum et omni castitate puriorem, ipsaque adeo continentia præstantiorem hymenæum sunt consecuta. Mirabilis ab ipsis incunabilis Sapientia Dei, et Jordanis, qui aquas ad Baptismum præbebat, cum reverentia illum suscipiens. Adhæc regalis unctio cum omnium rerum scientia conjuncta. Doctrina item ac potentia quæ res admirabiles perpetravit, et insanabiles morbos curavit. Mira denique celeritas in hominum precibus exaudiendis. Et generaliter tota ejus vita hominum utilitati inserviens. Prædicatio vero quæ non prudentiam, sed sapientiam insinuaret; auditoribus non civiles virtutes, sed viam quæ ad intelligibilem mundum perducit, addiscentibus; ejusque naturæ quæ semper uno eodemque in statu permanet, contemplationem et summi patris notionem assidua

VALESII NOTÆ.

referebant, pront Angelus ei prædixerat. Ac fortasse in Evangelio Hebræorum hæc ita narrabantur. Sed Christophorsonus columbam hic intellexit, quam Noe olim ex arca dimiserat, eamque figuram fuisse Spiritus sancti, qui in Mariam virginem quandoque erat illapsurus. Ego vero mallem hic legere αἰγλήεσσα περιστερὰ οἵα ἡ πάλαι ἐκ τῆς Νῶε λάρνακος ἀποπταμένη, etc. Ita sensus erit apertus et elegans.

Ἰμέναιον. Post hanc vocem punctum apposui ex auctoritate codicis Regii; quod cum non animadvertisset Christophorsonus, totam hujus loci sententiam corrupit, vocibus aliquot adjectis. Sic enim legit ὑμέναιον, οἰκονομοῦσα ἡ ἐκ σπαργάνων σοφία τοῦ Θεοῦ θαυματουργεῖ. Codex tamen Fuk. hanc Christophorsoni lectionem ac distinctionem plane confirmat; nisi quod habet τοῦ Θεοῦ σοφία. Sicut et liber Turnebi.

Τὰς πολιτικὰς ἀρετάς. Philosophi duas virtutum species faciunt; alias πρακτικάς, quas hoc loco πολιτικὰς appellat Constantinus; alias θεωρητικάς, quæ scilicet animum nostrum perducunt ad Dei contemplationem. Unde ex discipulis Pythagoræ, alii πολιτικοί, alii θεαστικοὶ dicti, ut docet vetus auctor de vita Pythagoræ in bibliotheca Photii cap. 259. Porro in codice Fuk. hic locus ita legitur, διδάσκουσα τοὺς φοιτητὰς. οὐ τὰς πολιτικὰς λεγομένας ἀρετὰς διδοῦσα ἐκμανθάνειν, ἀλλὰ τὰς εἰς τὸν νοητὸν κόσμον ἀτραποὺς ἀγούσας τῶν τε τὴν τοῦ ἀεὶ καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντος, etc. Ita etiam legitur in libris Turnebi ac Savilii. Verum assentior Savilio, qui cum hanc lectionem ad oram libri sui adscripsisset, eam postea delevit hac annotatione subjecta: *Lectio vulgata retineri potest paucis immutatis.*

Ἀντὶ μὲν τῆς ῥώσεως. Scribendum est procul dubio τῆς πωρώσεως. Mox emendavi ex codice Regio ἀντὶ δὲ παρίσεως. Atque ita codex Savilii. Paulo ante mallem scribere τὰ γέ τοι τῶν εὐεργετημάτων, etc.

τὸ δὲ φῶς αὐτοῖς ἀνάψαι. Lego τό τε φῶς. In schedis Regiis et in libro Savilii legitur σὲ δὲ φῶς, etc. Sed Fuk. codex habet σέ τε.

Κατανοεῖν τε. Christophorsonus hic ἀπὸ κοινοῦ subaudit verbum ποιῆσαι. Quod licet non damno, tamen necessarium non videtur. In codice Fuk. ita legitur hic locus ἀρετὴν ἀσπαζόμενοι, ἣν ὁ προτοῦ βίος ἀνθρωπίνων ἠθῶν ἐκβεβλήκει· οὐδὲν γάρ, etc. absque illis vocibus τὴν ὑπὲρ πάντων ποιουμένω πρόνοιαν.

Ἀσπαζόμενοι. Post hoc verbum deesse videntur nonnulla. Neque enim sensus constare potest, nisi addideris hæc verba ἀντὶ τῆς ἀδικίας ἣν ὁ προτοῦ βίος, etc. Quam scripturam in interpretatione mea sum secutus.—Aut hallucinatur doctissimus vir, aut diversum a nostro textum habuit: patet enim sensus cum verbo ἐκβεβλήκει, locumque, ut optime, sic facillime nobis interpretari videmur: *Omnem virtutem amplectentes quam prior vita moribus humanis ejecerat.* Edd.

Digitized by Google

exercitatione scrutantibus. Jam beneficia haudquaquam mediocria. Pro cæcitate, visus; pro virium ac nervorum resolutione, firma corporis valetudo; pro morte denique, vita iterum restituta. Prætereo res ad victum necessarias in solitudine large suppeditatas, et paucissimos cibos maximæ hominum multitudini longo temporis spatio sufficientes. Hanc tibi gratiarum actionem, prout possumus, persolvimus, Christe, Deus ac Servator, magni Patris summa Providentia, qui et a malis liberas, et doctrinam beatissimam tradis. Neque enim hæc a me dicuntur ut laudes tuas celebrem, sed ut gratias agam. Nam quis unquam inter homines te pro dignitate laudaverit? Tu quippe es qui ex nihilo res creasse diceris, et lucem eis accendisse, et confusam elementorum molem ordine ac ratione distinxisse. Tuæ clementiæ hoc præcipuum munus est, quod homines bona indole præditos divinæ ac beatæ vitæ æmulatores reddidisti, ac providisti ut illi optimarum rerum mercatores effecti, sapientiam ac felicitatem suam pluribus aliis impertirent, ipsique immortalem fructum virtutis perciperent; liberati quidem intemperantia, clementiæ vero participes: et misericordiam quidem præ oculis habentes, fidei vero promissa sperantes; verecundiam denique et omne genus virtutis amplectentes, loco injustitiæ quam prior mortalium vita moribus humanis infuderat, ut ab eo qui omnium rerum curam ac providentiam gerit exscinderetur. Nullus enim alius tantorum malorum et injustitiæ quæ illa ætate invaluerat medicus idoneus inveniri potuisset. Igitur providentia, ad terras usque pervenienus, cuncta quæ per contumeliam et intemperantiam incomposita erant nullo negotio restituit, idque non clam et occulte. Sciebat enim quosdam esse homines qui virtutem ipsius ac potentiam mentis acie contemplarentur, alios vero, utpote brutis animantibus persimiles, magis sensibus inhærere. Ideo palam et aperte, ne quis sive bonus, sive improbus dubitare posset, beatitudinem et admirabilem curationem omnium oculis subjecit: mortuis quidem vitam denuo restituens, eos vero qui sensibus orbati essent pristinum usum sensuum recuperare præcipiens. Mare vero solidum reddidisse, et in media tempestate tranquillitatem oriri jussisse; ac postremo cum admiranda opera edidisset, et homines ab incredulitate ad robustissimam fidem traduxisset, in cœlum evolavisse; cujus tandem nisi Dei et supremæ cujusdam potentiæ opus fuit. Sed neque tempus illud quod passioni proximum fuit, admirandis illis spectaculis caruit; tunc cum noctis caligo diurnum splendorem obscurans, solem penitus abscondit. Quippe omnes ubique populos terror pervaserat, mundi exitum advenisse jam credentes, et in pristinum chaos cujusmodi ante orbem conditum fuit cuncta rediturna esse. Requirebatur causa tantæ calamitatis, et quod tantum scelus adversus Dei numen ab hominibus admissum fuisset. Donec Deus placida animi magnitudine contumelias impiorum despiciens, cuncta restituisset, et consueto siderum cursu cœlum omne exornavisset. Itaque totius mundi facies, quæ luctu ac mœrore quodammodo confusa fuerat, pristinum denuo splendorem recuperavit.

A ποιουμένῳ πρόνοιαν· οὐδεὶς γὰρ ἂν τῶν τοσούτων κακῶν, καὶ τῆς ἐπικρατησάσης κατ' ἐκεῖνον τὸν βίον ἀδικίας, ἰατρὸς ἀξιόχρεως εὑρέθη. ἡ γοῦν πρόνοια μέχρι τῶν τῇδε διήκουσα, πάνθ' ὅσα ὑφ' ὕβρεως καὶ ἀκολασίας ἀκόσμητα ἦν, κατεκόσμησε ῥᾷστα. καὶ οὐδὲ τοῦτο ἀποκρύφως. ᾔδει γὰρ τοὺς μὲν τῶν ἀνθρώπων, φρονήσει καὶ νῷ τὴν ἑαυτῶν δύναμιν θεωροῦντας· τοὺς δέ, ἅτε τοῖς ἀλόγοις τῶν ζώων ἀπεικασμένους τὴν φύσιν, μᾶλλον ταῖς αἰσθήσεσιν ἐπιβάλλοντας· διὰ φανέρωσιν, ἃ μηδεὶς ἀμφιβάλλοι. μὴ σπουδαῖος, μὴ φαῦλος, τὴν εὐδαιμονίαν καὶ θαυμαστὴν θεραπείαν ὑπ' ὄψιν ἤγε. τοῖς μὲν παυσαμένοις τοῦ βίου, ἀποκαθιστὰς τὸ ζῆν ἐκ δευτέρου, τοὺς δὲ ἐστερημένους τῶν αἰσθήσεων, ὑγιῶς κελεύων πάλιν αἰσθάνεσθαι· στηρίξαι δὲ θάλασσαν, καὶ νηνεμίαν ἐπιτάξαι ἐκ χειμῶνος. καὶ τέλος θαυμαστοῖς ἔργοις ἐπιχειρήσαντα, καὶ ἐξ ἀπιστίας τοὺς ἀνθρώπους εἰς πίστιν ἰσχυρὰν προκαλλεσάμενον, εἰς οὐρανὸν ἀναπτῆναι, τίνος ἄλλου, πλὴν τοῦ Θεοῦ, τῆς τε ἐξοχωτάτης δυνάμεως ἔργον τοῦτο; οὐ μὴν οὐδὲ ὁ προσηχὴς τοῦ παθήματος καιρὸς, τῶν θαυμαστῶν ἐκείνων θεαμάτων ἀλλότριος ἦν. ἡνίκα νύκτες ἡμερινὸν φῶς ἐπικαλύπτουσαι, τὸν ἥλιον ἠφάνιζον. κατειλήφει γὰρ δέος τοὺς πανταχοῦ δήμους, τὴν τῶν πάντων πραγμάτων συντέλειαν ἥκειν, καὶ χάος αὖθις, οἷον τὸ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου διατάξεως ἐπικρατήσειν· ἐζητεῖτο δὲ καὶ τὸ αἴτιον τοῦ τηλικούτου κακοῦ, καὶ εἴ τι πλημμελὲς ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ θεῖον γένοιτο· ἕως ὅτε ἠπίως μεγαλοψυχίᾳ τῆς τῶν ἀσεβῶν ὕβρεως ὑπερφρονήσας, ἀποκαθίστη τὸν οὐρανὸν σύμπαντα τῇ τῶν ἄστρων κατακοσμῶν χορείᾳ. τοιγάρτοι ποσῷ καὶ ἡ τοῦ κόσμου πρόσοψις σκυθρωπῶσα, εἰς τὴν οἰκείαν αὖθις ἀποκαθίστατο φαιδρότητα.

B

C

VALESII NOTÆ.

Τὴν ἑαυτῶν θεωροῦντας δύναμιν. Non dubito quin legendum sit τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν. Quod ex sequentibus manifeste convincitur. Causam enim affert Constantinus, cur Christus, qui morbos ac vitia hominum curaturus advenerat, et beatam ac felicem in cœlo vitam nuntiaturus, tot miracula in terris patrare, cæcis oculos, ægris salutem, mortuis vitam restituere voluerit. Id igitur ab illo factum esse dicit in gratiam eorum qui sunt tardioris ingenii; ne dubitare possent de ipsius virtute atque potentia, cum tot miracula patrari cernerent. Hi sunt quos paulo post φαύλους nominat.

Διὰ φανέρωσιν ἃ μηδεὶς. Hunc locum feliciter mihi D videor restituisse, cum Scaliger, Bongarsius aliique, quorum emendationes ad marginem editionis Genevensis leguntur, nihil in eo viderint. Ego vero nulla propemodum mutatione, locum pristino nitori ita restitui: Διὸ φανερῶς, ἵνα μηδεὶς ἀμφιβάλλοι. Qua lectione nihil verius. Codex quidem Fuk. cum Scaligeri et Bongarsii lectione consentit. Verum jam multis ex locis deprehendi, hujus codicis fidem interdum vacillare. Idque vel unus hic locus satis evincit.

Ἕως ὅτε ἠπίως. Scribo ἕως ὅτε ἠπίῳ μεγαλοψυχίᾳ, etc.

Τοιγάρτοι ποσῷ. Nihil opus erat emendatione doctorum virorum, qui corrigunt ποσῶς; cum ποσῷ etiam

Digitized by Google

CAP. XII. — DE HIS QUI HOC MYSTERIUM NON COGNOVERUNT, ET QUOD VOLUNTARIA EORUM IGNORATIO EST; ET QUANTA BONA EOS MANEANT QUI ILLUD COGNOVERUNT, AC PRÆSERTIM EOS QUI IN CONFESSIONE MORTUI SUNT.

Ἀλλ' ἐρεῖ τις, ᾧ φίλον ἐστὶ βλασφημεῖν, Θεὸν ὄντα δεδυνῆσθαι κρείσσονα καὶ ἡπιωτέραν τὴν προαίρεσιν τῶν ἀνθρώπων ἀπεργάσασθαι. τίς οὖν κρείσσων μέθοδος; ποία δ' ἐπιχείρησις ἀνυτικωτέρα πρὸς τὸ τοὺς κακοὺς σωφρονισθῆναι, τῆς ἑαυτοῦ προσρήσεως; οὐκ αὐτὸς παρὼν καὶ ὁρώμενος ἐδίδασκε τὸν κόσμιον βίον; εἰ οὖν ἡ τοῦ Θεοῦ παραγγελία παρόντος οὐδὲν ἤνυσε, τί ἂν ἀπόντος, καὶ μὴ ἀκουομένου ὠφέλησε; τί οὖν ἐγίνετο ἐμπόδιον τῆς μακαριωτάτης διδασκαλίας; ἡ τῶν ἀνθρώπων σκαιότης· ὅταν γὰρ τὰ καλῶς τε καὶ προσηκόντως παραγγελλόμενα, πρὸς ὀργὴν λαμβάνωμεν, τηνικάδε τὸ νῆφον τῆς διανοίας ἀμαυροῦται. τί δέ, ὅτι προσφιλὲς ἦν ἐκείνοις ἀμελεῖν τῶν προστάξεων, καὶ ἀνορέκτους παρέχειν τὰς ἀκοὰς τῷ τεθέντι νόμῳ· εἰ μὴ γὰρ κατημέλουν, ἔσχον ἂν ἄξια τὰ ἐπίχειρα τῆς ἀκροάσεως, οὐ μόνον εἰς τὸ παραχρῆμα, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν μετέπειτα βίον, ὃς ἐστιν ὡς ἀληθῶς βίος· ὁ γάρτοι μισθὸς τοῦ τῷ Θεῷ πείθεσθαι, ὁ ἄφθαρτος καὶ ἀΐδιος βίος. οὗ δυνατὸν ἀντιποιεῖσθαι τοῖς εἰδόσι τὸν Θεὸν, καὶ τοῖς τὸν ἑαυτῶν βίον ζηλωτὸν παρεχομένοις, καὶ οἷον παράδειγμα αἰώνιον τοῖς πρὸς ἄμιλλαν ζῆν προῃρημένοις. διὰ τοῦτο οὖν ἡ διδασκαλία παρεδόθη τοῖς σοφοῖς, ἵν' ὅπερ ἂν ἐκεῖνοι παραγγέλλωσι, τοῦτο μετ' ἐπιμελείας ὑπὸ τῶν οἰκείων παραφυλάσσηται καθαρὰ ψυχή, ἀληθής τε ᾖ καὶ βεβαία ἡ φυλακὴ τῆς κελεύσεως τοῦ Θεοῦ· ἐκ γάρτοι αὐτῆς καὶ τὸ πρὸς τὸν θάνατον ἀδεές, ὑπὸ καθαρᾶς πίστεως καὶ εἰλικρινοῦς περὶ τὸν Θεὸν καθοσιώσεως φύεται· ἀνθίσταται δὲ ζάλαις κοσμικαῖς, ἀνανταγωνίστῳ θείας ἀρετῆς πεφραγμένη πρὸς τὸ μαρτύριον· νικήσασα γοῦν ὑπὸ μεγαλοψυχίας τοὺς μεγίστους φόβους, ἀξιοῦται στεφάνου παρ' αὐτοῦ, ὃς γενναίως ἐμαρτύρησε. καὶ οὐδὲν σεμνύνεται· ἐπίσταται γάρ, οἶμαι, καὶ τοῦτο θεόθεν δεδόσθαι, πρὸς τὸ ὑποστῆναι, καὶ πληρῶσαι προθύμως τὰ θεῖα προστάγματα· δικαίως δὴ τόνδε τὸν βίον μνήμη διαρκὴς, καὶ αἰώνιος δόξα, μᾶλα εἰκότως· εἴπερ ὅ τε βίος σώφρων τοῦ μάρτυρος, καὶ τῶν παραγγελμάτων μνήμων ἡ τελευτὴ, πλήρης εὑρίσκεται μεγαλοψυχίας τε καὶ εὐγενείας· ὕμνοι δὴ μετὰ ταῦτα καὶ ψαλτήρια καὶ εὐφημίαι· καὶ πρὸς τὸν πάντων ἐπόπτην ἔπαινος. καὶ τοιαύτη τις εὐχαριστίας θυσία τοῖς ἀνδράσιν ἀποτελεῖται· ἁγνὴ μὲν αἵματος,

A Sed dicet aliquis ex iis quibus solemne est impie loqui, Deum voluntatem hominum meliorem ac placidiorem facere potuisse. Quænam, rogo, melior via, quæ ratio efficacior ad improbos homines emendandos, quam ut Deus ipse eos coram compelleret? An non ille præsens et omnium conspectui subjectus, eos ad modestiam informavit? Quod si Dei præsentis præceptio nihil profuit, quid absentis et inaudita prodesse potuisset? Quod igitur obstaculum fuit beatissimæ illius prædicationi? Hominum feritas atque sævitia. Quoties enim ea quæ recte utiliterque præcepta sunt infenso animo excipimus, tunc mentis nostræ acies quibusdam quasi tenebris obscuratur. Quid quod voluptati illis erat præcepta negligere, et legi quæ ferebatur fastidiosas aures præbere. Nisi B enim neglexissent, dignam certe audientia sua mercedem erant relaturi, non in hac tantum, verum etiam in futura vita; quæ vere vita est existimanda. Eorum enim qui præceptis Dei parnerunt merces est immortalis et æterna vita. Ad quam ii demum aspirare possunt, qui Deum cognoverint; et qui suam ipsorum vitam velut perpetuum quoddam exemplar, ad imitandum proposuerint iis, qui ad optimi cujusque æmulationem vitam suam formare instituerunt. Quippe idcirco doctrina sapientibus tradita est, ut quod isti præceperint a sodalibus pura mente sedulo custodiatur, atque ita sincera ac firma mandati divini observatio perseveret. Ex hujusmodi enim observatione, et ex intemerata fide sinceraque erga Deum pietate nascitur mortis con- C temptus. Stat ergo hujusmodi animus omnixe contra sæculi procellas, invicto divinæ virtutis robore munitus ad martyrium. Cumque gravissimos terrores generose superaverit, corona donatur ab eo ipso cui testimonium constanter perhibuit. Nec tamen propterea gloriatur. Novit enim Dei munus esse, quod et tormenta sustinuerit, et divina præcepta alacriter impleverit. Porro hujusmodi vitam excipit immortalis memoria et gloria sempiterna; idque jure optimo. Siquidem martyris tum vita ipsa plena modestiæ ac

VALESII NOTÆ.

dici possit adverbialiter pro ἐπὶ ποσὸν. In codice tamen Fuk. ac Turnebi scribitur ποσῶς.

Ἀλλ' ἐρεῖ τις. Ab his verbis inchoandum est cap. 12: *De his qui hoc mysterium non cognoverunt, et quod voluntaria eorum ignoratio*, etc. Nam hactenus egit Constantinus de Domini adventu, et cujus rei causa Christus in terras descenderit. Nunc vero agit de iis qui hoc mysterium ignorarunt.

Τί δέ ὅτι προσφιλὲς ἦν. Malim scribere ἔτι δὲ ὅτι, etc. Affert enim Constantinus duas causas cur Gentiles prædicationem Christi non susceperunt.

Τοῖς πρὸς ἄμιλλαν ζῆν προῃρημένοις. Eleganter Græci dicunt πρὸς ἄμιλλαν ζῆν, de iis qui vitam suam ad optimi cujusque imitationem instituunt. Nam qui in virtute magnos progressus facere voluerint, aliquem sibi ob oculos proponere debent, quem imitentur. Ita Julianus Imperator ad æmulationem Principis Marci actus suos effingebat et mores, ut loquitur Amm. Marcellinus.

Παραφυλάσσηται καθαρὰ ψυχή. Scribendum est καθαρᾶ ψυχῇ, ut legitur in codice Fuk. In quo etiam scribitur ἀληθής τε ᾖ optime.

Πεφραγμένη πρὸς τὸ μαρτύριον. In libris Scaligeri, D Bongarsii et Grateri, hic locus ita legebatur ἀνανταγωνίστῳ θείας ἀρετῆς μάχῃ φερομένη πρὸς τὸ μαρτύριον. Quam scripturam etiam in codice Fuk. reperi. Savilius vero in libro suo ita emendavit: ἀνανταγωνίστῳ τε θείας ἀρετῆς μάχῃ φέρεται πρὸς, etc. Atque ita legit Christophorsonius. Sed vulgata lectio, quæ in codice Regio et in schedis habetur, meo judicio longe præstat.

Ὃς γενναίως ἐμαρτύρησε. Non dubito quin scribendum sit ὃν γενναίως ἐμαρτύρησε, quod miror a Christophorsono aliisque animadversum non fuisse.

Ἡ τελευτὴ πλήρης. Procul dubio scribendum est ἥ τε τελευτὴ πλήρης, ut sensus sit absolutus. Porro hic locus de martyribus elegantissimus est.

Εὐχαριστίας θυσία. Et hic locus imprimis notandus est de Missæ sacrificio, quod in memoriam atque honorem martyrum offerebatur Deo. Sic enim explicanda

Digitized by Google

religiosæ divinorum mandatorum observantiæ deprehenditur, tum mors plena fortitudinis ac generosæ indolis. Proinde hymni psalmique et laudes inspectori omnium Deo posthæc canuntur. Et ejusmodi quoddam gratiarum actionis sacrificium in memoriam illorum peragitur, quod ab omni sanguine et violentia vacuum est. Sed nec odor thuris requiritur, nec accensus rogus, sed purum duntaxat lumen, quantum satis sit ad eos qui Deum precantur illustrandos. Sobria quoque convivia celebrantur a multis, tum ad mendicorum, tum ad eorum qui patria et bonis exciderunt, inopiam sublevandam. Quæ si quis importuna esse existimet, is contra divinam et sacrosanctam disciplinam sapere videtur.

A ἀγνὴ δὲ πάσης βίας· οὐδὲ μὴν ὀσμὴ λιβάνων ἐπιποθεῖται, οὐδὲ πυρκαϊὰ. καθαρὸν δὲ φῶς, ὅσον ἐξαρκέσαι πρὸς ἔκλαμψιν τοῖς εὐχομένοις· σωφρονέστατα δὲ πολλῶν καὶ τὰ συμπόσια, πρὸς ἔλεον καὶ ἀνάκτησιν τῶν δεομένων ποιούμενα, καὶ πρὸς βοήθειαν τῶν ἐκπεσόντων. ἅπερ ἂν τις φορτικὰ εἶναι νομίζῃ, (σὺ) κατὰ τὴν θείαν καὶ μακαριωτάτην διδασκαλίαν φρονεῖ.

CAP. XIII. — QUOD NECESSARIA SIT DIFFERENTIA IN REBUS CREATIS, ET QUOD AD BONUM MALUMQUE PROPENSIO EX VOLUNTATE HOMINUM ORITUR, IDEOQUE NECESSARIUM EST JUDICIUM DEI.

Quidam vero etiam in hoc Deum reprehendere juvenili audacia præsumunt. Qua de causa, inquiunt, non unam eamdemque omnium naturam atque indolem fabricavit, sed multa diversa, adeoque contraria indole prædita nasci voluit? ex quo dissimilitudo morum ac voluntatum inter homines orta est. Satius quidem fortassis fuisset, ut quod spectat ad observationem mandatorum Dei, et accuratam ejus contemplationem, et ad confirmationem fidei singulorum, omnes homines unius atque ejusdem moris fuissent. Verum absurdum plane ac ridiculum est id optare, ut omnes homines iisdem sint moribus præditi; neque animadvertere, aliam mundi totius, aliam earum rerum quæ in mundo sunt, ordinationem esse; nec res naturales ejusdem substantiæ esse ac morales; nec corporis affectus eosdem esse cum affectibus animi. Etenim universum hunc mundum longo intervallo superat anima rationalis; tanto beatior terrenis et corruptioni obnoxiis animantibus, quanto augustior est atque divinior, necnon divinæ bonitatis particeps hominum genus. Nec tamen omnes homines promiscue ac sine ullo discrimine participes sunt divinæ bonitatis, sed ii soli qui divinam naturam scrutati sunt, et qui hoc præcipuum vitæ institutum ac studium sibi proposuerunt, rerum divinarum cognitionem.

B Ἤδη δέ τινες καὶ ἐν τῷ μέμφεσθαι τὸν Θεὸν νεανιεύονται, τί δὴ ποτε βουληθεὶς, οὐ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῶν ὄντων φύσιν ἐτεκτήνατο. ἀλλὰ διάφορα καὶ τὰ πλεῖστα ἐναντία τὴν φύσιν ἐκέλευσεν ἀπογεννᾶν. ὅθεν καὶ ἡ διαφορὰ τῶν ἡμετέρων ἠθῶν τε καὶ προαιρέσεων. ἦν γὰρ ἴσως ἄμεινον καὶ πρὸς τὸ πειθαρχεῖν τοῖς κελεύσμασι τοῦ Θεοῦ, καὶ πρὸς τὴν ἀκριβῆ κατάληψιν αὐτοῦ, καὶ πρὸς τὸ βεβαιοῦσθαι κατὰ τὴν ἑκάστου πίστιν, ὁμοτρόπους εἶναι πάντας ἀνθρώπους. τὸ δὲ τοὺς ἀνθρώπους πάντας ὁμοιοτρόπους εἶναι ἀξιοῦν, κομιδῇ γελοῖον· μὴ δ' ἐννοεῖν, ὅτι οὐχ ἡ περὶ τοῦ κόσμου διάταξις, αὕτη καὶ τῶν κοσμικῶν. οὐδὲ τὰ φυσικὰ τοῖς ἠθικοῖς ὁμοούσια, οὐδὲ τὰ τοῦ σώματος παθήματα, τοῖς τῆς ψυχῆς πάθεσι τὰ αὐτά. τὸν μὲν γὰρ σύμπαντα κόσμον φθαρτῶν καὶ ἐπιγείων ζώων μακαριότητι, ὅσῳ σεμνοτέρατε καὶ θειοτέρα τυγχάνουσα· καὶ τῆς θείας ἀγαθότητος οὐκ ἄμοιρον τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς πάντων, οὐδ' ὡς ἔτυχε. μόνων δὲ τῶν τὴν θείαν φύσιν ἰξιχνευσάντων, καὶ τὸ προηγούμενον ἐπιτήδευμα τοῦ βίου προελομένων, τὴν τῶν θείων ἐπίγνωσιν.

C

CAP. XIV. — QUOD CREATURÆ IMMENSO SPATIO DISTAT A SUBSTANTIA INCREATA, ET QUOD HOMO PER VIRTUTEM PROXIME AD DEUM ACCEDIT.

Porro ea quæ orta sunt cum æternis comparare summæ profecto dementiæ est. Hæc enim neque

Τά γε μὴν ἐκ γενεᾶς τοῖς ἀϊδίοις συγκρίνειν, μανίας ἐστὶν ὡς ἀληθῶς τῆς τελεωτάτης· τῶν μὲν γὰρ οὔτ' ἀρχὴ

D

VALESII NOTÆ.

sunt hæc verba : Θυσια τοῖς ἀνδράσιν ἀποτελεῖται, quæ non intellexit Christophorsonus. Neque enim Christiani sacrificium martyribus offerebant : sed soli Deo; gratias ei agentes, quod illos martyrii corona donasset, ut scribit Augustinus in libro VIII de Civitate Dei capite ultimo. Et hæc est quam Constantinus hoc loco θυσίαν τῆς εὐχαριστίας appellat. Verum quia ad memorias et sepulcra martyrum Christiani incruentum hoc sacrificium Deo offerebant, ut ob martyrum præmia et coronas atque victorias ei gratias agerent; ideo Constantinus honorem hunc martyribus habitum esse dicit.

Καὶ τὰ συμπόσια. De his Christianorum conviviis, quæ ad sepulcra martyrum fiebant, loquitur idem Augustinus in loco citato his verbis : *Quicumque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo, tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum*, etc. Porro hæc convivia initio quidem sobria fuere ac modesta. Postea vero in pejus proficiente licentia, ad ebrietatem et lasciviam discivere. Atque idcirco plerisque in locis penitus extincta sunt teste Augustino in Epistola 64. In codice Fuk. scriptum est σωφρονέστατα δὲ πολλῷ καὶ συμπόσια, etc., non πολλῶν ut habent vulgatæ editiones.

Καὶ ἐν τῷ μέμφεσθαι. Malim scribere ἐν τούτῳ, ut in libro Moræi ad marginem emendatum inveni. Atque ita scribitur in codice Fuk.

Κατὰ τὴν ἑκάστου πίστιν. Scribendum videtur τὴν καθ' ἑκάστου πίστιν.

οὐχ ἡ περὶ τοῦ κόσμου διάταξις. Malim scribere οὐχ ἡ περ ἡ τοῦ κόσμου διάταξις, αὕτη καὶ τῶν κοσμικῶν.

Τὸν μὲν γὰρ σύμπαντα κόσμον. Post has voces, multa desunt, ut patet ex titulo capitis. Nos ex corrupto ac mutilo loco qualemcumque sensum elicere maluimus, quam cum Christophorsono totum expungere. Savilius quoque in libro suo totam hanc periodum usque ad illa verba τῆς δὲ θείας ἀγαθότητος, delevit. Certe in codice Fuk. tota illa periodus non habetur.

Digitized by Google

τις, οὔτε τέλος· τὰ δέ, ἅτε φύτα καὶ γενόμενα, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ τε εἶναι καὶ ζῆν ἐν χρόνῳ τινὶ λαβόντα, ἀκολούθως καὶ τελευτὴν ἐξ ἀνάγκης ἔχει· τὰ δὲ γενόμενα, τῷ κελευσάντι γενηθῆναι αὐτὰ, πῶς ἂν ἐξισάζοιτο; εἰ γὰρ μανίᾳ ταῦτα ἐκείνῳ, οὐδὲ πρόσταξις τοῦ γενάσθαι προσκαίντως ἂν ἐκείνῳ ἁρμόζοιτο. ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν οὐ δ' ἂν τὰ οὐράνια συγκριθείη. ὥσπερ οὐ δ' ὁ αἰσθητὸς κόσμος τῷ νοητῷ, οὐ δ' αἱ εἰκόνες τοῖς παραδείγμασιν, ἡ δὲ σύγχυσις τῶν πάντων, πῶς οὐ γελοῖον. ἀποκρυπτομένης τῆς τοῦ θείου τιμιότητος (τῇ) πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, εἰ τάγε θηρία συγκρίσει· ἅψεσι δὲ δυναστείας, ἀντίῤῥοπος Θεοῦ δυνάστεια, πῶς οὐ μαινομένων ἀνθρώπων ἐστὶν, ἀπεστραμμένων τε τὸν σώφρονα καὶ ἀνάριστον βίον; εἰ γὰρ ὅλως τῆς θείας εὐτυχίας ἀντιποιούμεθα, χρὴ τὸν βίον διέγειν κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ κέλευσιν· οὕτω γὰρ μοναῖς ἀθανάτοις καὶ ἀγήρασι. κρείσσους πάσης εἱμαρμένης διάξομεν τὸν βίον, κατὰ τὸν ὑπὸ Θεοῦ νόμον ὁρισθέντα μώσαντες· μόνη γὰρ ἀντίῤῥοπος Θεοῦ δυνάμεως ἀνθρωπίνη δύναμις, ἡ εἰλικρινὴς καὶ ἄδολος πρὸς τὸν Θεὸν λατρεία. καὶ ἡ εἰς αὐτὸν ἐπιστροφή. θεωρία τε καὶ μάθησις τῶν ἀρεσκόντων τῷ πρείττονι. καὶ τὸ μὴ εἰς γῆν νενευκέναι. ἀλλ' ὅση δύναμις, τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὰ ὄρθια τε καὶ ὑψηλὰ ἀναβιβάζειν· ἐκ γάρτοι τῆς ἐπιτηδεύσεως ταύτης, τὸ νικᾶν ἀντὶ πολλῶν ἀγαθῶν, φησὶ, περιγίγνεται. ἡ τοιγοῦν αἰτία τῆς τῶν ὄντων διαφορᾶς, κατά τε τὴν ἀξίαν καὶ ἐν τῇ τοῦ δύνασθαι παραλλαγῇ, τοῦτον ἔχει τὸν λόγον· ᾧ πείθονται μὲν οἱ εὖ φρονοῦντες, καὶ εὐχαριστοῦσιν ἐξαισίως· οἱ δ' ἀχαριστοῦντες, ἠλιθίοι, καὶ τὴν ἀξίαν τῆς ὑπερηφανίας κομίζονται τιμωρίαν.

principium habent, neque finem. Illa vero cum orta sint et genita, cumque existendi ac vivendi certo tempore principium acceperint, exitum quoque habeant necesse est. Ea vero quæ genita sunt quomodo comparari unquam possint cum eo qui ipsa gigni præcepit? Nam si hæc illi æqualia sunt, præceptum quo ea gigni jussit non posset ipsi merito convenire. Sed ne cœlestia quidem jure cum illo conferantur; quemadmodum nec sensibilis mundus cum intelligibili; nec imagines cum exemplari. At confusio et permixtio omnium rerum, nonne prorsus ridicula res est cum divinæ naturæ dignitas obtegatur, si homines ac bestiæ comparentur cum Deo? Cupiditas vero potentiæ quæ æmula sit et æqualis potentiæ divinæ, an non est hominum prorsus amentium, et a modesta ac proba vivendi ratione alienorum? Nam si quidem ad divinam beatitudinem omnino aspiramus, vitam juxta Dei mandata instituere debemus. Sic enim postquam juxta legem a Deo constitutam vixerimus, fato superiores in immortalibus æternisque sedibus ævum degemus. Quippe hæc sola in homine vis est par divinæ potentiæ; sincerus ac minime fucatus Dei cultus; et conversio ad ipsum; et eorum quæ Deo accepta sunt, contemplatio atque meditatio; nec in terram pronum atque abjectum esse: sed ad sublimia ac cœlestia, quoad fieri potest, mentem nostram erigere. Ex hujusmodi enim studio victoria nobis paratur instar multorum bonorum. Causa igitur dissimilitudinis rerum, tum in dignitatis, tum in potentiæ distantia posita, hanc habet rationem. Cui libenter quidem acquiescunt quicumque sapiunt; et maximas gratias agunt. Stulti vero ingratos sese exhibentes debitum arrogantiæ suæ supplicium ferunt.

A

B

C

CAP. XV. — QUÆ PRÆCEPTA TRADIDERIT, ET QUÆ MIRACULA PATRAVERIT, ET QUANTOPERE SUBDITIS PROFUERIT SERVATOR.

Καὶ μὴν ὁ τοῦ Θεοῦ παρακαλεῖ Παῖς πρὸς τὴν ἀρετὴν ἅπαντας, διδάσκαλον ἑαυτὸν τοῖς εὖ φρονοῦσι τῶν τοῦ σωτῆρος παραγγελμάτων καθιστάς· εἰ μὴ ἄρα λανθάνομεν

Cæterum, Dei Filius omnes homines ad virtutem cohortatur, Patris mandatorum doctorem se præbens prudentibus. Nisi forte per summam imprudentiam

D

VALESII NOTÆ.

Τὰ δὲ γενόμενα. Christophorsonus legisse videtur γεννώμενα, quod magis placet.

Εἰ γὰρ μανίᾳ. Hunc locum ita corrigendum puto: εἰ γὰρ ὅμοια ταῦτα ἐκείνῳ, οὐδὲ πρόσταξις τοῦ γενάσθαι, προσκαίντως ἂν ἐκείνῳ ἁρμόζοιτο. Id est: *Si res quæ generantur æquales sunt Deo, præceptum quo eas gigni jussit, ipsi utique non conveniret. Æqualis enim in æqualem jus imperiumque habere non potest.* Facessat igitur emendatio doctorum virorum, quam etiam in codice Fuk. et in libro Moræi reperi: Εἰ γὰρ μανίᾳ ταῦτα ἐκείνῳ παρεξισάζειν ἡ πρόσταξις τοῦ γενάσθαι. etc. Verum si ita legeris, nullus est sensus: nec sequentia cum antecedentibus cohærebunt. Christophorsonus quidem in suis libris ita reperierat, ut ex versione ejus apparet. Sed vulgata lectio Regii codicis et veterum schedarum auctoritate fulcitur.

Ἡ δὲ σύγχυσις πάντων. Musculus legisse videtur σύγκρισις, quod valde probo, vertit enim: *Quomodo autem omnium comparatio non ridicula est*, etc. Certe aut ita legendum est, aut ita intelligendum. Constantinus enim exæquationem illam omnium rerum vocat confusionem.

Εἰ τά γε θηρία συγκρίσει. Scribendum procul dubio συγκρίνοιτο. Sic enim argumentatur Constantinus. Ne cœlestia quidem, inquit, conferri possunt cum Deo. Quanto minus terrestria et bruta animalia. Hic est sensus hujus loci. Scripti tamen codices Christophorsoni, Savilii, Gruteri et Fuk. hunc locum ita exhibent: Ἀποκρυπτομένης τῆς τοῦ θείου τιμιότητος τῇ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους καὶ τά γε θηρία συγκρίσει. Quæ lectio melior mihi videtur et elegantior.

Τὸ νικᾶν ἀντὶ πολλῶν ἀγαθῶν φησι. Alludere videtur ad ea quæ leguntur in Apocalypsi cap. II et III ubi Deus dicit: *Vincenti dabo coronam*, etc. Certe Christiani hominis vita athletis comparari solet, ut passim occurrit in Epistolis Pauli. Vox autem φησὶ abundat more græco, ut norunt Græci sermonis periti.

Τὴν ἀξίαν. In codice Regio scribitur τὴν εὐξίαν, quemadmodum etiam Rob. Stephanus in variis lectionibus annotavit. Lego itaque τὴν ἀξίαν cum Christophorsono, Scaligero, Grutero et aliis; vel τὴν ἐπαξίαν, quod ad vestigia scriptæ lectionis propius accedit. In codice Fuk. scribitur καὶ τὴν ἀξίαν.

Τῶν τοῦ Σωτῆρος παραγγελμάτων. Scribendum videtur τῶν τῆς σωτηρίας π. ut in margine editionis Genevensis annotatum est. Possis etiam scribere τῶν τοῦ πατρὸς. Error enim ex compendiosa scribendi ratione ortus videtur. Certe in codice Regio Fuk. et in schedis hoc loco scribitur σρς.

Digitized by Google

ignoramus, eum utilitatis nostræ causa, id est, propter omnium felicitatem, terras peragrasse; et optimis illius temporis viris ad se convocatis, utilissimam doctrinam, velut quoddam modestiæ vitæ pharmacum tradidisse, fidem atque justitiam eos docendo, adversus infesti dæmonis invidiam, qui rudes atque imperitos allicere ac decipere solet. Igitur ille ægros quidem invisit; infirmos vero malis quibus oppressi erant levavit. Iis etiam qui ad summam inopiam atque egestatem redacti essent solatium præbuit. Idem modestiam ac civilitatem animi cum ratione conjunctam præcipue laudavit, jussitque ut omnem injuriam et contumeliam forti ac patienti animo ferremus, docens nos hujusmodi esse Patris sui visitationem, adeo ut qui casus omnes generose perferrent, ii semper victoriam reportarent. Hoc enim summum robur esse affirmabat; constantiam animi conjunctam cum philosophia, quæ nihil aliud est quam veritatis bonique cognitio, assuefaciens homines qui divitias bonis artibus comparatas possident, eas ut pauperibus humaniter impertiant. Dominationem vero omnino prohibet; palam denuntians se, sicut ad humiles juvandos advenit, ita et iis qui humiles despexerint gratificari desiturum. Hujusmodi igitur experimento cum subditorum sibi populorum fidem explorasset, eos non modo contemptores gravissimarum ac formidabilium rerum, sed etiam spei in ipsum ac fiduciæ genuinos discipulos effecit. Quin etiam unum ex sodalibus suis, qui iracundia vehementius exarserat, verbis objurgans repressit. Invaserat tum ille districto gladio nescio quem, ut Servatori opem ferret. At Servator quiescere illum et gladium dimittere præcepit, graviter hominem objurgans, quod ipsius præsidio ac patrocinio diffidisset. Hancque diserte legem tulit: eum qui ferire alterum esset aggressus, aut qui ferientem lædere conatus fuisset, et generaliter quicumque gladio uteretur, violenta morte esse perituram. Hæc est revera cœlestis sapientia: injuriam

ἑαυτοὺς, κακῶς ἀγνοοῦντες, ὅτι διὰ τὸ ἡμῖν συμφέρον, τουτέστι διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων μακαριότητα, τὴν γῆν περιενόστησε· καὶ καλέσας ὡς ἑαυτὸν τοὺς ἀρίστους τῶν τηνικαῦτα βιωφελῶν, παιδείαν ἐπαίδευσε, σώφρονος βίου φάρμακον· πίστιν καὶ δικαιοσύνην αὐτοὺς ἐκδιδάξας, ἀντιρρὺ τοῦ ἐκ τῆς ἀντικειμένης φύσεως φθόνου, ᾧ δελεάζειν καὶ ἐξαπατᾶν τοὺς ἀπείρους προσφιλές· τοιγαροῦν νοσοῦντας μὲν ἐπεσκέπτετο. ἀρρώστους δέ, τῶν περιεχόντων κακῶν ἐκούφιζε. παρεμυθεῖτο δὲ καὶ τοὺς εἰς τοὐσχατον πενίας τε καὶ ἀπορίας προβεβηκότας· ἐπῄνει δὲ τὸ μετὰ λόγου τῆς φρονήσεως μέτρον. φέρειν τε γενναίως καὶ ἀνεξικάκως παντοίαν μὲν ὕβριν, παντοίαν δὲ καταφρόνησιν προσέταξε. διδάσκων ἐπίσκηψίν τινα τοῦ πατρὸς εἶναι τοιαύτην· ὥστ' ἀεὶ νικᾶν, τοὺς μεγαλοψύχως φέροντας τὰ προσπίπτοντα· ταύτην γὰρ ὑπερφυῶς ἐξοχωτάτην ἰσχὺν εἶναι διεβεβαιοῦτο, στερρότητα διανοίας μετὰ φιλοσοφίας· ἥτις ἐστὶ τοῦ ἀληθοῦς καὶ τοῦ ἀγαθοῦ γνῶσις, ἐθίζουσα καὶ τοὺς μετὰ δικαιοσύνης πλουτοῦντας, κοινωνεῖν τῶν παρόντων τοῖς πενιχροτέροις φιλανθρώπῳ διανεμήσει. δυναστείαν παντὶ τρόπῳ κωλύων. δεικνύς τε, ὅτι ὥσπερ μετρίοις προσῆλθεν, οὕτω μετρίους καταλείψει τοὺς ἀφέντας χαριζόμενος. τοιαύτῃ δὴ καὶ τοσαύτῃ πείρᾳ δοκιμάσας τὴν πίστιν τῶν ὑπηκόων δήμων, παρεσκεύαζεν αὐτοὺς, οὐ μόνον τῶν δεινῶν τε καὶ φοβερῶν καταφρονητὰς, ἀλλὰ καὶ τῆς εἰς αὐτὸν ἐλπίδος γνησιωτάτους μαθητάς. καὶ δή ποτε λίαν ἐξαντα (τῷ) θυμῷ τινα τῶν ἑταίρων καθαπτόμενος, λόγοις κατέστειλεν· ἐτύγχανε δ' ἐκεῖνος ξιφήρης τινὶ ἐπιφοιτῶν, τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν τῆς τοῦ σωτῆρος ἀπογυμνώσας ἐπικουρίας· τοῦτον δὴ μένειν κατὰ σχολὴν ἐκέλευσε, καὶ μεθιέναι τὸ ξίφος. ἐγκαλῶν ὡς ἀπελπίσαντι τὴς πρὸς αὐτὸν καταφυγῆς. νομοθετῶν δὲ διαῤῥήδην, πάντα τὸν ἀδίκων χειρῶν κατάρξαντα, ἢ πρὸς τὸν καταρξάμενον ἀδικεῖν ἐπιχειρήσαντα, ξίφει τε χρησάμενον, ἀπολεῖσθαι βιαίως· ἡ δέ ἐστιν ὡς ἀληθῶς ἡ οὐράνιος σοφία, αἱρεῖσθαι τὸ ἀδικεῖσθαι πρὸ τοῦ ἀδικεῖν. καὶ γενομένης ἀνάγκης, ἑτοίμως ἔχειν κακῶς πάσχειν μᾶλλον, ἢ ποιεῖν. μεγίστου γὰρ ὄντος τοῦ ἀδικεῖν κακοῦ, οὐχ' ὁ ἀδικούμενος, ἀλλ' ὁ ἀδικῶν τῇ μεγίστῃ περιβέβληται τιμωρίᾳ. τῷ δ' ὑπηκόῳ

VALESII NOTÆ.

Τῶν τηνικαῦτα βιωφελῶν. Christophorsonus hunc locum ita vertit: *Et ex illis qui id temporis hominum vitæ adjumento fuerunt, longe optimos adsocasse ad se.* Sed quis unquam ita locutus est, τοὺς ἀρίστους τῶν βιωφελῶν. Quare non dubito quin locus ita distinguendus et corrigendus sit, καὶ καλέσας ὡς ἑαυτὸν τοὺς ἀρίστους τῶν τηνικαῦτα, βιωφελῆ παιδείαν ἐπαίδευσε. Id est, *et optimis illius temporis viris ad se convocatis, utilissimam doctrinam tradidit.* In libro Fuketii ac Turnebi legitur τῶν τηνικάδε.

Ὧ δελεάζειν μέν. In libro Turnebi ac Moræi emendatur δελεάζειν καὶ ἐξαπατᾶν, etc. Codex autem Fuk. ᾧ δελεάζειν καὶ ἐξαπατᾶν rectius scriptum habet.

Τὸ μετὰ λόγου. Sic in editione R. Stephani excusum est, quam scripturam confirmat etiam Regius codex et Fuk. et schedæ. Sed in libro Moræi emendatum inveni μετ' εὐλόγου. quam emendationem nescio cur Genevenses in textum admiserunt τῆς φρονήσεως μέτριον, idem est quod μετριοφρονεῖν. Paulus Apostolus dicit *sapere ad sobrietatem.*

Ἐπίσκηψίν τινα τοῦ πατρὸς. Malim scribere ἐπίσκεψιν, ut in margine editionis Genevensis annotatum est. Hujusmodi enim calamitates, quæ viris bonis interdum contingunt, visitationes Dei vulgo vocare consuevimus. Christophorsonus tamen vulgatam scripturam secutus, *mandatum* vertit.

Τοῦ ἀληθοῦς καὶ τοῦ ἀγαθοῦ. In libro Moræi vir doctus ad marginem emendavit τἀγαθοῦ, quod non displicet. Multa enim in hac oratione sunt Platonica.

Ξιφήρης τινὶ ἐπιφοιτῶν. Sic in cod. Fuk. Alibi male legebatur ξιφέρη τινὰ ἐπιφοιτῶν.

Πάντα τῶν ἀδίκων χειρῶν κατάρξαντα. Hic locus ex Fuk. ac Turnebi libro ita restituendus est, νομοθετῶν διαῤῥήδην, πάντα τὸν ἀδίκων χειρῶν κατάρξαντα, etc. Quod autem sequitur ἢ πρὸς τὸν καταρξάμενον ἀδικεῖν ἐπιχειρήσαντα, mallem equidem scribere ἀνταδικεῖν ἐπιχειρήσαντα.

Μεγίστου γὰρ ὄντος τοῦ ἀδικεῖν κακοῦ. In libro Moræi vir doctus ad marginem annotavit hæc verba, Σωκρατικὸν περὶ ἀδικίας. Multa certe in hac oratione ex Platonis Philosophia desumpta sunt, quæ eruditus lector per se ipse poterit agnoscere.

Digitized by Google

τοῦ Θεοῦ ἐξῆν μήτε ἀδικεῖν μήτε ἀδικεῖσθαι, θαῤῥήσαντι τῇ προστασίᾳ τοῦ παρόντος καὶ ἐπικουροῦντος αὐτῷ Θεοῦ, πρὸς τὸ μηδένα τῶν ὑπηκόων αὐτοῦ βλαβῆναι. πῶς δ' ἂν αὐτὸς ἑαυτῷ βοηθεῖν, Θεῷ θαῤῥῶν; μάχη δ' ἦν μεταξὺ δυοῖν, καὶ ἀμφίβολον τὸ τῆς νίκης· οὐδεὶς δ' εὖ φρονῶν, τὰ ἀμφίβολα πρὸ τῶν ἀραρότων προαιρεῖται. πῶς δὲ ἔμελλε περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ παρουσίας καὶ βοηθείας ἀμφιβάλλειν, ὁ τοσούτων μὲν ἐν πείρᾳ γενόμενος κινδύνων, ἀεὶ δ' εὐχερῶς ῥυσθεὶς ἀπὸ τῶν δεινῶν, μόνῳ Θεοῦ νεύματι· ὁ διὰ θαλάσσης ὁδοιπορήσας παραγγέλματι τοῦ σωτῆρος καταστορεσθείσης, καὶ στερεὰν παρασχόμενος ὁδὸν τοῖς διαπεντίοις δήμοις. αὕτη γάρ, οἶμαι, προφανὴς ὑποδάθρα πίστεως, καὶ θεμέλιος οὗτος πεποιθήσεως, ἡνίκα ἂν τὰ θαυμαστὰ ταῦτα καὶ ἄπιστα, γενόμενα καὶ ἐπιτελούμενα ἱστορῶμεν τῇ τοῦ προνοοῦντος κελεύσει· ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὸ μὴ μεταμέλειν ἐπὶ τῇ πίστει παραγίνεται, ἡνίκα ἄν τις προσπίπτοι πεῖρα κακῶν, καὶ τὸ ἄτρεπτον ἔχοι τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἐλπίδα· ταύτης γὰρ τῆς ἕξεως ἐγγενομένης τῇ ψυχῇ, ἵδρυται κατὰ τὴν διάνοιαν ὁ Θεός· ἀήττητος δ' οὗτος· οὐδὲ ἡ ψυχὴ ἄρα τὸ ἀήττητον (ἔχουσα) κατὰ τὴν ἑαυτῆς διάνοιαν, ὑπὸ τῶν περιεστώτων δεινῶν κρατηθήσεται· παρὰ δὲ τοῦτο μεμαθήκαμεν ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ νίκης, ὃς τὴν ὑπὲρ τῶν πάντων πρόνοιαν ποιούμενος, ὑπὸ τῆς τῶν ἀσεβούντων ἀδικίας ἐμπαροινηθείς, μηδεμίαν ἐκ τοῦ παθήματος καρπωσάμενος βλάβην, μέγιστα νικητήρια καὶ ἀΐδιόν τινα στέφανον κατὰ τῆς πονηρίας ἀνεδήσατο. ἐπὶ τέλος μὲν ἀγαγὼν τὴν προαίρεσιν τῆς αὐτοῦ προνοίας καὶ στοργῆς τῆς περὶ τοὺς δικαίους. συντρίψας δὲ τὴν τῶν ἀδίκων τε καὶ ἀσεβῶν ὠμότητα.

pati malle quam facere, et quoties necessitas exegerit eo animo esse, ut damnum accipiamus potius quam inferamus. Cum enim maximum malum sit injuriam facere, non is qui patitur, sed is potius qui facit injuriam, gravissimo afficitur supplicio. Ei porro qui Deo subjectus sit, integrum est, nec facere injuriam, nec pati, dummodo confidat patrocinio Dei, qui præsens ipsi adest, et auxilium affert, ne quis eorum qui ipsi parent ullo afficiatur incommodo. Quomodo vero ipse sibi succurrere conaretur? Prælium enim futurum esset inter duos, anceps vero atque incerta victoria. Atqui nemo unquam sana mente præditus res incertas certis anteponit. Quoniam autem modo de præsentia et auxilio Dei dubitaturus sit is, qui tot pericula expertus est, et qui ex omnibus semper discriminibus solo Dei nutu facillime evasit; qui per mare quod servatoris mandato constratum erat, et transeuntibus populis solidam præbebat viam, ambulavit? Hæc enim certissima ac firmissima, ut opinor, basis est fidei; hoc fundamentum fiduciæ, cum admirabiles hasce res et incredibiles Dei providentis jussu perfici videmus. Hinc etiam fit, ut cum quis in periculum calamitatis inciderit, nequaquam illum pœniteat fidei suæ, atque spem in Deo firmam atque inconcussam retineat. Qui quidem habitus, ubi semel animo inhæsit, Deus in interiori cogitatione sedem habet. Hic autem cum invictus sit, animus quoque ille qui invictum in interiori cogitatione possidet, ab ingruentibus periculis nunquam vinci poterit. Præterea istud ipsum ex Dei victoria didicimus: qui omnes homines providentia sua complexus, cum ab impiis et iniquis contumeliose acceptus fuisset, nullo ex passione percepto damno, triumphum maximum et immortalem coronam devicta improbitate est assecutus: quippe qui et propositum providentiæ suæ ac benevolentiæ erga justos, ad exitum perduxerit; et impiorum injustorumque hominum crudelitatem conculcaverit.

CAP. XVI. — QUOD CHRISTI ADVENTUS PRÆDICTUS SIT A PROPHETIS, ET QUOD AD SIMULACRORUM ET URBIUM SIMULACRA COLENTIUM EVERSIONEM ORDINATUS FUERIT.

Ἀλλὰ τὸ μὲν πάθημα ἐκείνου ὑπὸ τῶν προφητῶν ἤδη προεκήρυκτο. προεκήρυκτο δὲ καὶ ἡ σωματικὴ γέννησις αὐτοῦ. προείρητο δὲ καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐνσωματώσεως, καὶ

Cæterum et passio illius jamdudum prænuntiata fuerat a prophetis, et corporalis ejusdem nativitas. Prædictum quoque fuerat tempus ipsum incarnatio-

VALESII NOTÆ.

Τῷ δ' ὑπηκόῳ τοῦ θεοῦ ἐξῆν. In codice Fuk. ac Turnebi legitur ἐξόν.

Αὐτὸς ἑαυτῷ βοηθεῖν. Scaliger, Gruterus aliique emendarunt βοηθεῖν θεῷ θαῤῥῶν, quam emendationem etiam in libro Moræi scriptam reperi. Posset etiam scribi βοηθεῖν ἔμελλε, rejectis duabus ultimis vocibus, quas parum necessarias hic esse nemo non videt. Sed codex Fuk. plane consentit cum libris illis Scaligeri et Gruteri.

Μάχη δ' ἦν. Non dubito quin scribendum sit οὕτως γὰρ μάχη μὲν ἦν μεταξὺ δυοῖν, ubi ἦν positum est pro εἶη, vel pro ἔμελλεν εἶναι. Verum interpres qui hanc Constantini orationem græce vertit, parum peritus fuit linguæ græcæ, nec satis diligens, ut ex pluribus locis apparet. Reddit hic rationem Constantinus, cur cultores summi Dei nunquam velint seipsos ultisci, et vim vi repellere. Nam si id facerent, inquit, pugnarent quidem cum adversario, verum incerti essent de victoria. At si se minime defenderint, tunc certissimam habent victoriam; Deo scilicet pro ipsis pugnante. Hic est sensus hujus loci, quem miror a Christophorsono perceptum non fuisse, nec a Musculo.

Μόνου θεοῦ νεύματι. Scribendum μόνῳ, ut in libro Moræi emendatum inveni. Et paulo post lego παρασχομένης ὁδὸν, ut est in eodem libro. Subauditur enim θαλάσσης. In codice Fuketii et in veteribus schedis legitur μόνῳ θεοῦ νεύματι.

Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὸ μὴ μεταμέλειν ἐπὶ τῇ πίστει. In codice Fuk. scribitur μὴ μεταμέλεσθαι.

Ἡνίκα ἄν τις προσπίπτοι πεῖρα κακῶν. Malim scribere πεῖρα in nominativo. Id enim multo elegantius mihi videtur. Mox legendum est procul dubio καὶ τὸ ἄτρεπτον ἔχειν, etc. subauditur enim verbum παραγίνεται, quod paulo ante præcessit. In codice Fuk. et in schedis scribitur ἡνίκα ἄν τις προσπίπτῃ πεῖρα κακῶν, καὶ τὸ ἄτρεπτον ἔχῃ, etc.

Τὸ ἀήττητον. Ad oram codicis Morænni emendatur τὸν ἀήττητον ἔχουσα. Quam lectionem secutus est Christophorsonus. Atque ita scribitur in codice Fuketii.

Παρὰ δέ. Lego πρὸς δέ, τοῦτο μεμαθήκαμεν, ubi πρὸς adverbialiter sumitur pro προσέτι.

Digitized by Google

nis, quo injustitiæ et intemperantiæ exorta germina, quæ justis actibus et moribus nocent, e medio tollerentur; utque universus orbis prudentiæ ac modestiæ particeps fieret, lege scilicet quæ a Servatore promulgata est in omnium fere mortalium mentibus prævalente, ac divini quidem numinis cultu confirmato, dæmonum vero superstitione deleta. Quæ quidem superstitio, non modo brutorum animalium, verum etiam humanorum corporum immolationes invexerat, et scelerata ararum piacula; quippe cum juxta leges Assyriorum et Ægyptiorum, æreis ac figlinis simulacris innocentes homines mactaren'ur. Unde et mercedem tali religione dignam retulerunt. Memphis, inquit, et Babylon vastabitur; et utraque deserta relinquetur cum diis patriis. Atque hæc ego non auditione accepta commemoro, sed quæ ipsemet præsens vidi, miserandæ harum urbium sortis spectator factus. Jacet deserta Memphis, illa potentissimi quondam regis Pharaonis sedes, quem superbia elatum Moses jussu Dei percussit, et exercitum illius multarum et maximarum gentium victorem, armis probe instructum ac munitum; non telorum ac jaculorum missilibus, sed pura duntaxat precatione et quieta supplicatione delevit.

A ὡς τῆς ἀδικίας τε καὶ ἀκολασίας ἐκφύοντα γεννήματα, λυμαινόμενα τοῖς δικαίοις ἔργοις καὶ τρόποις, ἀναιρεθείη. πᾶσα δὲ ἡ οἰκουμένη φρονήσεώς τε καὶ σωφροσύνης μετάσχοι, ἐπικρατήσαντος σχεδὸν ταῖς πάντων ψυχαῖς τοῦ θεσπισθέντος ὑπὸ τοῦ Σωτῆρος νόμου. καὶ θεοσεβείας μὲν ῥωσθείσης, δεισιδαιμονίας δὲ ἐξαλειφθείσης· δι' ἣν οὐ μόνων ἀλόγων ζώων σφαγαί, ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπίνων ἱερυμάτων θυσίαι, καὶ ἐναγῆ μιάσματα βωμῶν ἐπενοήθη, κατά τε Ἀσσυρίους καὶ Αἰγυπτίους νόμους, χαλκηλάτοις ἢ καὶ πλαστοῖς ἐνδάλμασι σφαγιαζόντων ψυχὰς δικαίας· τοιγάρτοι καρπὸν ἤραντο τὸν προσήκοντα τοιαύτῃ θρησκείᾳ· Μέμφις καὶ Βαβυλὼν ἐρημωθήσεται, καὶ ἀοίκητοι καταλειφθήσονται μετὰ τῶν πατρῴων Θεῶν. καὶ ταῦτ' οὐκ ἐξ ἀκοῆς λέγω, ἀλλ' αὐτός τε παρὼν καὶ ἱστορήσας, ἐπόπτης τε γενόμενος τῆς οἰκτρᾶς τῶν πόλεων τύχης. Μέμφις ἠρήμωται, ἢ Μωσῆς κατὰ τὴν θείαν πρόσταξιν τὴν τοῦ B δυνατωτάτου τότε Φαραὼ. ὃν ὑπεροψίᾳ κατέθρυπτε· τόν τε στρατὸν αὐτοῦ πολλῶν καὶ μεγίστων ἐθνῶν νικηφόρον, πεφραγμένον τε καὶ καθωπλισμένον, οὐ βελῶν τυξεύμασιν, οὐδ' ἀκοντίων ῥιπαῖς, μόνῃ δ' ὁσίᾳ προσευχῇ καὶ ἡμέρῳ λιτανείᾳ καθεῖλεν.

CAP. XVII. — DE SAPIENTIA MOSIS, QUAM GENTILIUM SAPIENTES ÆMULATI SUNT; ITEM DE DANIELE ET DE TRIBUS PUERIS.

Nullus porro beatior unquam illo populo fuit aut futurus esset, nisi mentes suas a divino spiritu abstravisset. Mosem vero quis est qui pro merito laudare possit? Qui cum confusam antea Judæorum multitudinem in certos ordines digessisset, eorum-

Οὐδεὶς δ' ἂν ἐκείνου τοῦ δήμου μακαριώτερος γέγονε πώποτε, ἢ γένοιτο, εἰ μὴ τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἐκόντες τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀπεκήρυξαν. τί δ' ἂν εἴποι τις ἄξιον περὶ Μωϋσέως· ὃς ἄτακτον δῆμον εἰς τάξιν ἀγαγὼν πειθοῖτε καὶ αἰδοῖ τὰς ψυχὰς αὐτῶν κατακοσμήσας, ἀντὶ μὲν αἰχμα-

VALESII NOTÆ.

Καὶ ὡς τῆς ἀδικίας. In libro Moræi ad marginem emendatur καὶ ὡς τὰ τῆς ἀδικίας, etc., quam scripturam in interpretatione sua expressit Christophorsonus. Mihi hæc locutio parum græca videtur. Itaque malim scribere ἐν ᾧ τὰ τῆς ἀδικίας. Codex tamen Fuk. habet καὶ ὡς τὰ τῆς, etc.

Ἐπόπτης τε γενόμενος. Ait Constantinus se excidium et vastitatem duarum olim potentissimarum urbium, Memphis scilicet et Babylonis, coram spectasse. Quærendum igitur est a nobis quonam tempore Constantinus ad ea loca profectus sit. In Ægyptum quidem juvenis admodum profectus est, cum in Diocletiani comitatu militaret, et obsidis instar ab eo teneretur. Multis enim annis Diocletianus in Ægypto bellum gessit adversus Achilleum qui in Ægypto rebellaverat, ut scribit Eutropius. Ex Ægypto postea Constantinus una cum Diocletiano venit in Syriam, et per Palæstinam provinciam transivit, ubi primum ab Eusebio visus est, ut ipse testatur. Venerat autem Diocletianus in Syriam, ut Galerium Cæsarem qui cum Persis bellum gerebat, copiis suis adjuvaret. Mansitque diutius in Syria, ut pacem cum Persis componeret, quemadmodum discimus ex historia Petri Patricii. Tunc igitur Constantinus Babylonis rudera et reliquias spectare potuit.

Ἢ Μωσῆς. Hunc locum sola transpositione corruptum esse existimo. Sensus enim apertissimus est, si verba restitueris in hunc modum: Μέμφις ἠρήμωται, ἡ τοῦ δυνατωτάτου τότε Φαραὼ ὑπεροψία· ὃν Μωσῆς κατὰ τὴν θείαν πρόσταξιν κατέθρυπτε, etc. Quid his verbis planius? ὑπεροψία hic est gloria, τὸ καύχημα, qua scilicet sese efferebat Pharao. Facessat igitur conjectura Christophorsoni, Gruteri et aliorum. Et hæc quidem olim fuit conjectura nostra de hujus loci lectione. Sed postea Fuketianum codicem nacti, veram ac germanam lectionem deprehendimus. Sic enim C in eo legitur: Ἐπόπτης τε γενόμενος τῆς οἰκτρᾶς τῶν πόλεων καὶ δυστυχοῦς Μέμφις· ἠρήμωσε δὲ Μωσῆς κατὰ τὴν θείαν πρόσταξιν τὴν τοῦ δυνατωτάτου τότε Φαραὼ χώραν, etc. Atque ita plane legitur in codice Turnebi et Gruteri, nisi quod distinctio illa quam posuimus, propria est codicis Fuk. in quo post Μέμφις punctum apponitur. Μέμφις igitur in genitivo dixit Interpres hujus orationis, cum Μέμφεως dicere debuisset. Sed et οἰκτρᾶς ponitur pro οἰκτρωτάτης. Porro juxta hanc lectionem, solam Memphin a se visam esse ait Constantinus, quod equidem verius puto. Neque enim Babylonem unquam videre potuit, quippe qui numquam in Assyriam penetraverit. In schedis Regiis ita legitur hic locus τῆς οἰκτρᾶς τῶν πόλεων τύχης· Μέμφις ἠρήμωσε, etc. ut in vulgatis editionibus. In codice autem Regio ἠρήμωται legitur ut edidit Stephanus. Savilius vero in libro suo hunc locum ita emendavit, πόλεων τύχης· Μέμφις ἠρήμωται· D ἠρήμωσε δὲ Μωσῆ, etc. Sed frigidum esset illud Μέμφις ἠρήμωται, nec cum sequentibus cohærens. Quod quod nec Christophorsonus ea verba in interpretatione sua retinuit.

Ὃν ὑπεροψίᾳ κατέθρυπτε. Christophorsonus vertit: *Quem insolentia elatum perfregit.* Ex quo apparet, eum supplevisse ἐπηρμένον aut quid simile. Sed nihil opus est hac emendatione, cum ὑπεροψία in nominativo accipi possit. Certe in omnibus nostris codicibus Reg. Fuk. et schedis legitur absque ὃν ita subscripto. Sic infra loquitur capite 19: Ἡ ἄγνοια τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἔθραυε, etc.

Καθωπλισμένον. Scribendum videtur καὶ καθωπλισμένοι. Mox ubi legitur ἡμέρῳ λιτανείᾳ, malim scribere ἠρεμαίῳ. In codice Fuk. et in schedis Regiis legitur πεφραγμένον τε καὶ καθωπλισμένον. Nec displicet Savilii conjectura, qui πεφραγμένος et καθωπλισμένος emendavit.

Digitized by Google

λωσίας, ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐδωρεῖτο. ἀντὶ δὲ σκυθρωπότητος, φσιδρούς ἐποίει. καὶ εἰς τοσοῦτον τὴν ψυχὴν αὐτῶν προσηγάγετο, ὥστε τῇ λίαν ἐπὶ τἀναντία μεταβολῇ, τῇ τε τῶν κατορθωμάτων εὐτυχίᾳ, ἀλαζονέστερον τὸ φρόνημα τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι· ὃς τοσοῦτον ὑπερῆρε σοφίᾳ τοὺς πρὸ αὐτοῦ, ὥστε καὶ τοὺς ἐπαινουμένους ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ἤτοι σοφοὺς καὶ φιλοσόφους, ζηλωτὰς τῆς ἐκείνου σοφίας γενέσθαι. Πυθαγόρας γὰρ τὴν ἐκείνου σοφίαν μιμησάμενος, εἰς τοσοῦτον ἐπὶ σωφροσύνῃ διαβεβόηται, ὥστε καὶ τῷ σωφρονεστάτῳ Πλάτωνι παράδειγμα τὴν ἑαυτοῦ ἐγκράτειαν καταστῆσαι. Δανιὴλ δ' ὁ θεσπίσας τὰ μέλλοντα, καὶ τῆς ἰσχωτάτης μεγαλοψυχίας ἐργάτης, ἠθῶν τε καὶ παντὸς βίου κάλλει διαπρέψας, πόσην τινὰ καὶ πῶς τραχεῖαν κατηγωνίσατο δυσχέρειαν τοῦ κατὰ Συρίαν τότε τυράννου. ὄνομα δ' ἐκείνῳ Ναβουχοδονόσορ ἦν. οὗ πάσης τῆς γενεᾶς ἐξαλειφθείσης, ἡ σεμνὴ καὶ ὑπερμεγέθης ἐκείνη δύναμις πρὸς τοὺς Πέρσας διῆλθε. διαβόητος γάρ ἦν καὶ ἄχρι νῦν ἐστιν, ὁ πλοῦτος τοῦ τυράννου. καὶ ἡ ἄκαιρος περὶ τὴν μὴ δέουσαν θρησκείαν ἐπιμέλεια. μετάλλων τε παντοδαπῶν οὐρανομήκη ὑψώματα. φρικτοί τε καὶ πρὸς ὠμότητα οἱ τῆς θρησκείας συντεθέντες νόμοι· ὧν πάντων ὁ Δανιὴλ καταφρονήσας διὰ τὴν ἄχραντον πρὸς τὸν ὄντως Θεὸν εὐσέβειαν, τὴν ἄκαιρον τοῦ τυράννου σπουδήν, μεγάλου τινὸς κακοῦ ἐσομένην αἰτίαν ἐμαντεύετο· ἀλλ' οὐκ ἔπεισε τὸν τύραννον· ὁ γὰρ ἄφθονος πλοῦτος. ἐμπόδιον πρὸς τὸ καλῶς φρονεῖν ὑπάρχει. τέλος γοῦν τὸ ἄγριον τῆς ἑαυτοῦ διανοίας ὁ δυνάστης ἐξέφηνε. θηρσὶν ἀγρίοις διαλυμανθῆναι τὸν δίκαιον κελεύσας. γενναία γεμὴν καὶ ἡ τῶν ἀδελφῶν ἐν τῷ μαρτυρεῖν ὁμοδοξία. οὓς οἱ μετὰ ταῦτα ζηλώσαντες, ὑπερμεγέθη δόξαν τῆς πρὸς τὸν σωτῆρα πίστεως ἤραντο. πυρὶ καὶ καμίνῳ, καὶ τοῖς εἰς τὸ φαγεῖν αὐτοὺς τεταγμένοις θεινοῖς ἀδήωτοι φανέντες, ἀγνῇ τε σωμάτων προσβολῇ τὸ ἐμπεριεχόμενον τῇ καμίνῳ πῦρ ἀπωθούμενοι. Δανιὴλ δὲ μετὰ τὴν κατάλυσιν τῆς Ἀσσυρίων βασιλείας, ἀναιρεθείσης κεραυνῶν βολαῖς, ἐπὶ Καμβύσην τὸν Περσῶν βασιλέα μετῆλθεν ἐκ θείας προνοίας· φθόνος δὲ κἀνταῦθα, καὶ πρός γε τῷ φθόνῳ, ὀλέθριοι Μάγων ἐπιβουλαί. διαδοχαί τε κινδύνων μεγάλων τε καὶ πολλῶν· ἐξ ὧν πάντων, συναιρομένης τῆς Χριστοῦ προνοίας σωθεὶς εὐχερῶς, παντοίας ἀρετῆς πεῖρα διέπρεψεν. οἱ γάρ τοι Μάγοι, τρὶς τῆς ἡμέρας εὐχομένου τοῦ ἀνδρός, μεγάλας τε καὶ ἐξαισίους ἀρετὰς ἀξιομνημονεύτων ἔργων κατορθοῦντος, αὐτὴν τῶν εὐχῶν ἐπίτευξιν φθόνῳ διέβαλλον·

A que animos obsequio et verecundia exornasset, pro servitute quidem libertatem eis reddidit; pro mœstitia vero hilaritatem. Qui eorumdem animos tantopere erexit, ut ob insperatam rerum suarum in melius mutationem, et ob prosperos successus atque victorias fastu quodam et insolentia efferrentur. Qui reliquos omnes qui ipsum ætate præcesserant sapientia usque adeo superavit, ut qui a gentilibus plurimum celebrantur seu sapientes, seu philosophi, sapientiæ illius æmulatores exstiterint. Pythagoras certe sapientiam ejus æmulatus, modestiæ causa tantopere celebratus est, ut Plato, vir modestissimus, abstinentiam illius velut exemplum sibi ad imitandum proponeret. Daniel quoque, is qui futura prædixit, et qui summæ cujusdam magnitudinis animi B specimen edidit, morumque et totius vitæ sanctitate excelluit, qualem et quam asperam tyranni illius qui tum in Syria dominabatur sævitiam superavit? Nomen huic erat Nabuchodonosor; cujus stirpe omni funditus deleta, ingens illa et formidabilis potentia ad Persas translata est. Erant in ore omnium, sicuti in hunc usque diem multis hominum sermonibus celebrantur, opes regis illius; et circa illicitam religionem importuna sedulitas, et ad fabricanda deorum simulacra ingens copia cujusque generis metallorum; templorum item culmina cœlum ipsum, ut ita dicam, contingentia, formidabiles denique religionis leges et ad sævitiam comparatæ. Verum hæc omnia ob sinceram in Deum pietatem Daniel contemnens, importunum illud tyranni studium, gravissimi cujusC dam mali causam fore prædixit. Nec tamen tyranno persuasit. Opum quippe affluentia maximo impedimento est ad recte sentiendum. Tandem vero mentis suæ feritatem rex declaravit; justum atque insontem feris bestiis laniandum objici jubens. Fratrum item illorum in martyrio subeundo consensio generosa fuit imprimis. Quos posteri deinceps imitati, ingentem gloriam ob fidem erga Servatorem retulerunt. Qui ab igne et fornace cæterisque cruciatibus ad consumenda ipsorum corpora comparatis nullatenus læsi, inclusas undique in fornace flammas, castorum corporum objectu contactuque propulerunt. Porro Assyriorum imperio Dei ultione et fulminum jactibus exciso, Daniel divina providentia ad Cam-

VALESII NOTÆ.

Καὶ φιλοσόφους. Omissa hic videtur esse particula, D qua adjecta longe elegantior fiet oratio. Scribo igitur ἤ τοι σοφοὺς ἢ καὶ φιλοσόφους, id est, *seu sapientes, seu philosophos malis dicere.*

Δανιὴλ δέ. Postquam de Ægyptiis et de Memphis excidio dixit, transit ad Assyrios et ad Babylonis vastationem. Et occasione quidem Ægyptiorum, Mosis laudationem inseruit. Nunc vero de Assyriis agens, Danielis laudes exequitur, qui apud Assyrios seu Babylonios captivus vixit.

Ὁ Δανιὴλ καταφρονήσας. Post hæc verba antiquarius qui codicem Regium descripsit, offensus mendorum multitudine quibus exemplar scatebat, hic finem scribendi fecit. Atque hoc testatus est his verbis ad imam paginam appositis.... υσας πρὸς τὸ πέλαγος τῶν σφαλμάτων τοῦ βιβλίου, ἐπίσχον τὴν χεῖρα τοῦ γράφειν, ὅτι μηδὲν ὑγιαῖς ἐνῇν τῷ πρωτοτύπῳ, καθὼς ἐκ τῶν γραφέντων ἔστι τεκμήρασθαι τοὺς ἀναγινώσκοντας.

Ἀναιρεθείσης κεραυνῶν βολαῖς. Nescio unde hæc hausit Constantinus, qui regnum Assyriorum fulminum jactu destructum esse scribit; quod quidem alibi legere non memini. Sed neque id satis intelligo. Homines enim et arces et civitates fulminis jactu destrui possunt, ut de Phlegyis poetæ fabulati sunt. Regnum vero quomodo fulminibus aboleri possit, equidem non video. In manuscriptis codicibus Fuk. et Turnebi, et in schedis Regiis scribitur κερανῶν βολαῖς.

Ἐξαισίους ἀρετάς. Constantinus latine virtutes dixerat; quam vocem in sacris libris sumi solere pro miraculis nemo nescit. Male Interpres hujus orationis ἀρετὰς vertit, cum δυνάμεις potius vertere debuisset.

Digitized by Google

hysem Persarum regem se contulit. Hic vero etiam illum vexavit invidia; et exitiales Magorum insidiæ; et multorum maximorumque discriminum continua successio. Quibus omnibus, adjuvante Christi providentia, facillime liberatus, in omni genere virtutis spectatus enituit. Nam cum ter quotidie preces ad Deum funderet, magnaque et insolita memorabilium operum miracula ederet, Magi invidia adducti hanc precum efficaciam calumniari cœperunt, tantam vim hominis admodum periculosam esse regis auribus insusurrantes; eique tandem persuaserunt, ut vir ille qui tot ac tantorum bonorum reip. Persarum auctor fuisset, immanibus leonibus devorandus objiceretur. Damnatus igitur Daniel, non periturus, sed ad sempiternam gloriam in foveam conjectus est. Cumque in medio ferarum versaretur, leniores eas ac mansuetiores ipsis a quibus fuerat in foveam contrusus expertus est. Omnes enim illas bestias, licet suapte natura rabidas, precatio modestiæ ac temperantiæ auxilium ferens, mansuefecit. Quæ cum accepisset Cambyses (neque enim fieri poterat, ut tam stupenda divinæ potentiæ miracula occultarentur), rerum quæ nuntiatæ fuerant admiratione perculsus est; subiitque eum pœnitentia, quod Magorum calumniis adeo faciles aures præbuisset. Nihilominus tamen ipse ejus rei spectator esse voluit. Cumque Danielem quidem vidisset sublatis in altum manibus Christum laudantem, leones vero submissos, et hominis vestigia quodammodo adorantes, confestim magos qui ipsi illud persuaserant leonibus objici jussit. At bestiæ, quæ paulo ante Danielem palpaverant, statim in Magos impetum fecerunt, omnesque eos pro naturæ suæ feritate discerpserunt.

A ἐπικίνδυνον δὲ σφόδρα τὴν τοσαύτην αὐτοῦ δύναμιν διαβάλλοντες πρὸς τὸν δυνάστην, ἔπεισαν αὐτὸν τὸν τοσούτων ἀγαθῶν δημοσίᾳ παραίτιον τοῖς Πέρσαις γενόμενον, λεόντων ἀγρίων θοίνῃ κατακριθῆναι· καθεῖρκτο δὲ κατακριθείς, οὐκ εἰς ὄλεθρον, ἀλλ' αἰώνιον εὐδοξίαν ὁ Δανιήλ. καὶ ἐν μέσοις τοῖς θηρσὶν ἐξεταζόμενος, ἡπίων καὶ ἡμερωτέρων (τῶν) θηρίων, ἃ τῶν καθειρξάντων, ἐπειρᾶτο. πάντας γὰρ εὐχῇ κοσμιότητος καὶ σωφροσύνης ἀρετῇ συναιρομένη, τεθασσοὺς ἀπειργάζετο, τοὺς λυσσώδεις τῇ φύσει. γνωσθέντων δὲ τούτων (τῷ) Καμβύσῃ (οὐ γὰρ δυνατὸν ἦν τοσαύτης, οὕτω τε θείας δυνάμεως κατορθώματα ἐπισκιάζεσθαι) ὑπερεκπέπληκτο μὲν αὐτὸς τῷ θαύματι τῶν ἀγγελλομένων. μετεγίνωσκε δὲ ἐπὶ τῷ πεισθῆναι ταῖς διαβολαῖς τῶν Μάγων εὐχερῶς· ὅμως γοῦν ἐτόλμησε τῆς θείας ἐκείνης ἐπόπτης γενέσθαι· καὶ ἰδὼν τὸν μὲν B ἄνδρα ἑκατέρας τῆς χειρὸς ὑψώματι τὸν Χριστὸν ὑμνοῦντα, τοὺς δὲ λέοντας ὑποσεβλημένους, καὶ οἱονεὶ τὰ ἴχνη τοῦ ἀνδρὸς προσκυνοῦντας, καὶ παραχρῆμα τοὺς ἀναπείσαντας αὐτὸν Μάγους (τῇ αὐτῇ ζημίᾳ κατέκρινε, καθειρξέ τε τῇ τῶν λεόντων αὐλῇ), οἱ δὲ θῆρες οἱ τὸν μικρῷ πρόσθεν κολακεύσαντες, ἐπφοίτων τοῖς Μάγοις, καὶ πάντας αὐτοὺς κατὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐλυμήναντο.

CAP. XVIII. — DE SIBYLLA ERYTHRÆA, QUÆ IN ACROSTICHIDE CARMINUM QUIBUS VATICINATA EST DOMINUM ET PASSIONEM DESIGNAT. EST AUTEM ACROSTICHIS HÆC : JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR, CRUX.

Libet etiam aliud testimonium de Christi divinitate ab extraneis desumptum commemorare. Sic enim ii qui probis illum ac maledictis incessere solent, illum Deum Deique Filium esse cognoscent; siquidem suorum sermonibus fidem vellint adhibere. Sibylla igitur Erythræa, quæ sexta post diluvium ætate se vixisse dicit, sacerdos fuit Apollinis; quæ coro-

C Παρίσταται δέ μοι καὶ τῶν ἀλλοδαπῶν τι μαρτύριον τῆς τοῦ Χριστοῦ θεότητος ἐπομνημονεῦσαι· ἐκ γάρτοι τούτων, δηλονότι καὶ ἡ τῶν βλασφημούντων αὐτὸν διάνοια, καὶ οἶδεν αὐτὸν Θεὸν ὄντα, Θεοῦ παῖδα, εἴπερ γοῦν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πιστεύωσιν ἡ τοίνυν Ἐρυθραία Σιβύλλα, φάσκουσα ἑαυτὴν ἕκτῃ γενεᾷ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν γενέσθαι, ἱερειαν τοῦ Ἀπολλωνος. διάδημα ἐπίσης

VALESII NOTÆ.

Ἐπικίνδυνον σφόδρα. In codice Fuk. hic locus ita distinguitur : Διέβαλλον ἐπικίνδυνον· σφόδρα δὲ τὴν τοσαύτην, etc.

Ἔπεισαν αὐτὸν. Scribo καὶ ἔπεισαν αὐτὸν, ut in libro Moræi ad marginem emendatur. Cæterum hæc narratio adversatur Scripturæ sacræ. Neque enim Magi Danielem accusasse dicuntur in sacris voluminibus, sed Satrapæ : nec Cambyses vocatur is qui Danielem bestiis D objici jussit, sed Darius Medus, de quo variæ sunt Chronologorum sententiæ. Nam plerique Cyaxarem hunc esse volunt, Astyagis filium. Scaliger vero Nabonnidum esse contendit; cujus opinioni suffragatur Petavius noster. Quorum consensum magni facio. Nam cum in plerisque dissentire soleant; ubicumque eos convenire viderimus, maximum veritatis argumentum est. Eorum tamen sententiæ refragari videtur Abydenus in historia Assyriorum. Hic enim scribit, Nabuchodonosorum paulo ante mortem divino Numine afflatum prædixisse Babyloniis, urbem ipsorum non multo post esse perituram. Mulum enim Persam venturum esse, qui ipsis jugum servitutis imponat. Ejus vero adjutorem in expugnatione urbis futurum Medum, Assyriorum gloriam. Sic enim interpretor verba illa Abydeni οὐ δὴ συναίτιος ἔσται Μήδης. Græca certe verba nihil aliud sonant, quam id quod dixi. Quod si Medus socius atque auxiliator fuit Cyri in expugnanda et in servitutem redigenda Babylone, Medus utique non est Nabonnidus. At Scaliger qui Darium Medum vult esse Nabonnidum, Abydeni verba sic explicat; culpa Medi eam calamitatem eventuram esse Babyloniis. Verum Abydenus non dixit : οὐ δὴ αἴτιος, sed συναίτιος : quo verbo societas et communio alicujus facti cum altero significatur. Sic Filius Dei συναίτιος dicitur, quia una cum Patre omnium rerum auctor est. Constat igitur ex Abydeni verbis, Medum non esse Nabonnidum.

Πάντας γὰρ εὐχῇ. Malim scribere in nominativo πάντας γὰρ εὐχὴ κοσμιότητος καὶ σωφροσύνης ἀρετῇ συναιρομένη, τεθάσσους ἀπειργάζετο. Id est : *tanta vis est precationis, ut immanissimas bestias mansuefecerit.* Certe in codice Fuk. legitur : Εὐχὴ κοσμ. καὶ σωφ. ἀρετὴ συναιρομένη, etc.

Καὶ ἰδὼν τὸν ἄνδρα. In codice Fuk. et in schedis scribitur καὶ ἰδεῖν.

Τῶν ἀλλοδαπῶν τι μαρτύριον. Codex Fuk. et schedæ scriptum habent μάρτυριῶν, rectius. Neque enim unum duntaxat testimonium affert Constantinus, sed duo.

Ἱέρειαν τοῦ Ἀπόλλωνος. Amplector emendationem doctorum virorum, quam etiam in Moræi libro reperi, ἱέρεια ἦν τοῦ Ἀπ. Ita certe Fuk. codex et schedæ.

Digitized by Google

τῷ θρησκευομένῳ ὑπ' αὐτῆς Θεῷ φοροῦσα, καὶ τὸν τρίποδα περὶ ὃν ὁ ὄφις εἱλεῖτο, περιέπουσα, ἀποφοιβάζουσά τε τοῖς χρωμένοις αὐτῇ· ἠλιθιότητι τῶν γονέων, ἐπιδεδωκότων αὐτὴν τοιαύτῃ λατρείᾳ, δι' ἣν ἀσχήμονες θυμοί. καὶ οὐδὲν σεμνὸν ἐπιγίνεται, κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἱστορουμένοις περὶ τῆς Δάφνης. αὕτη τοίνυν εἶτε τῶν ἀδύτων ποτὲ τῆς ἀκαίρου δεισιδαιμονίας προαχθεῖσα, καὶ θείας ἐπιπνοίας ὄντως γενομένη μεστή, δι' ἐπῶν περὶ τοῦ Θεοῦ τὰ μέλλοντα προεθέσπισε. σαφῶς ταῖς προτάξεσι τῶν πρώτων γραμμάτων, ἥτις ἀκροστιχὶς λέγεται, δηλοῦσα τὴν ἱστορίαν τῆς τοῦ Ἰησοῦ κατελεύσεως· ἔστι δὲ ἡ ἀκροστιχὶς αὕτη, Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ, Σταυρὸς· τὰ δ' ἔπη αὐτῆς, ταῦτα·

Ἰδρώσει γὰρ χθὼν, κρίσιος σημεῖον ὅτ' ἔσται·
Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι καὶ κόσμον ἅπαντα
Ὄψονται δὴ Θεὸν μέροπες πιστοί καὶ ἄπιστοι
Ὑψίστου μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοι,
Σαρκοφόρον· ψυχάς τ' ἀνδρῶν ἐπὶ βῆματι κεῖναι.
Κίρσος ὅτ' ἂν ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα γένηται
Ῥίψουσί τ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα,
Ἐκκαύσῃ δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν.
Ἰχνεύων, ῥήξῃ τε πύλας εἰρκτῆς ἀΐδαο.
Σάρξ τότε πᾶσα νεκρῶν, ἐς ἐλευθέριον φάος ἥξει·
Τοὺς ἁγίους, ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἑλίξει·
Ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λελήσει.
Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωτὶ ῥῆξιν ἀνοίξει·
Φρῆνός τ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐκλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορείαι.

A nam capite gestans non secus ac deus ille quem colebat, et tripodem cui serpens circumvolutus erat custodiens, oracula edebat interrogantibus, a stultis parentibus huic cultui mancipata, ex quo nihil honestum ac probum, sed furor pudoris expers ingeneratur. Cujusmodi sunt ea quæ de Daphne memorantur. Hæc igitur cum aliquando in adyta importunæ superstitionis irrupisset, divino plane Spiritu impulsa, cuncta quæ eventura erant de Deo vaticinari versibus cœpit, primis versuum elementis (quod genus acrostichis vocatur) historiam adventus Jesu Christi apertissime declarans. Est autem acrostichis ejusmodi : JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR, CRUX. Versus autem hi sunt :

B

Judicii signum tellus sudore madescet.
E cœlo tunc rex veniet per sæcla futurus,
Scilicet ut totum præsens dijudicet orbem.
Visurique Deum infidi sunt atque fideles,
Sublimem in carne humana, sanctaque caterva
Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.
Horrida tunc tellus dumis silvescet acutis.
Rejicient simulacra homines aurique metalla.
Inferni portas facto simul impete rumpent
Squallentes manes, et pura luce fruentur.
Tetros atque bonos index tum flamma probabit.
Voce latens facinus quod gessit quisque loquetur;
Subdolaque humani pandentur pectoris antra.
Dentum stridor erit, gemitusque et luctus ubique.
Et sol astrorumque chorus percurrere cœlum
Insimul absistent, lunæ quoque flamma peribit.

VALESII NOTÆ.

Καὶ θείας ἐπιπνοίας ὄντως γενομένη μεστή. Quicumque ex christianis scriptoribus Sybillarum oracula ad confirmationem Christianæ fidei protulerunt, ii necesse habuerunt idem de Sibyllis dicere quod Constantinus; eas scilicet divino quodam spiritu afflatas de Christo prædixisse. Ita Justinus in oratione parænetica ad Græcos : Ἔσται δὲ ὑμῖν ῥᾳδίως τὴν ὀρθὴν θεοσέβειαν ἐκ μέρους παρὰ τῆς παλαιᾶς σιβύλλης ἔκ τινος δυνατῆς ἐπιπνοίας διὰ χρησμῶν ὑμᾶς διδασκούσης, μανθάνειν, etc. Quibus consona scribit Augustinus in lib. XVIII de Civitate Dei cap. 23, et Hieronymus in lib. II contra Jovinianum. Nam hic quidem Sibyllis ob meritum virginitatis divinationem scribit a Deo esse concessam. Augustinus vero eas in Civitatem Dei adscribere non veretur. At Gregorius Naz. in carmine ad Nemesium, ait Hermem Trismegistum et Sibyllam, quæcumque de Deo prædixerunt, non divinitus afflatos prædixisse, sed ex sacris Hebræorum libris quos obiter perlegerant, ea accepisse,

Οὐ θεόθεν, βίβλων δὲ παραβλύψαντες ἱμείῳ,

Scilicet Gregorius Nazianz. et sanctissimi illi Ecclesiæ Patres carmina illa revera a Sibyllis composita esse credebant; cum tamen ab otiosis hominibus conficta sint, et pro Sibyllis edita circa tempora Imp. Adriani, certe nemo antiquior Justino eorum mentionem fecit. Et Celsus, quem principatu M. Antonini vixisse supra demonstravimus, Christianos Sibyllinis carminibus multa falso inseruisse affirmat. Verba ejus refert Origenes in l. VII, νῦν δὲ παρεγγράφειν μὲν εἰς τὰ ἐκείνης πολλὰ καὶ βλάσφημα εἰκὸ δύνασθαι. Scio quidem Origenem id pernegare. Sic enim Celso respondet, debuisse illum antiquiora Sibyllinorum carminum exemplaria proferre, in quibus versus illi quos a Christianis intrusos esse dicebat, minime legerentur. Facile utique fuisset Celso id præstare, et falsitatem illorum versuum hoc argumento convincere. Sed suppetunt etiam alia argumenta, quibus id probari potest. Nam si Sibylla tam clare de Christo prædixerat, cur Paulus in suis Epistolis, et cum ad Athenienses verba faceret, ejus testimonio non est usus, maxime cum Aratum et alios Gentilium poetas citare non dedignetur. Certe si Sibylla hanc de Christo acrostichidem scripsit, nihil causæ est, cur illam inter prophetas et quidem primo loco recensere dubitemus. C Nullus enim inter antiquos Hebræorum prophetas tam clare ac diserte scripsit de Christo, quam sunt hæc a Constantino prolata Sibyllæ carmina. Neque tamen aut Origenes, aut ullus sanctorum Patrum id unquam concessit, ut Sibyllæ inter prophetas haberentur : immo eos qui ita crederent, hæreticos esse existimarunt, et Sybillistas appellaverunt, ut docet Origenes in lib. V contra Celsum, ubi respondens Celso, qui Christianos varias in sectas divisos esse objecerat; alios quippe esse psychicos, alios spirituales, alios Judæorum Deum colere, alios non item : alios Sibyllistas esse, etc., sic ait : Εἶπε δέ τινας εἶναι καὶ σιβυλλιστάς· τάχα παρακούσας τινῶν ἐγκαλούντων τοῖς οἰομένοις προφῆτιν γεγονέναι τὴν σίβυλλαν, καὶ σιβυλλίστας τοὺς τοιούτους καλεσάντων.

Ἰχνεύων. Omissus hic erat versus, qui ex libro Moraei, Fuk. et Regiis schedis, et ex editione Sibyllinorum carminum, quam curavit Seb. Castalio, ita supplendus est : D

Ἐκκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν
Ἰχνεύων.

Quanquam ἰχνεῦον malim legere in neutro. Omissum autem esse hunc versum docet vetus versio apud Augustinum in lib. XVIII de Civitate Dei, quæ sic habet :

Exuret terras ignis pontumque polumque
Inquirens.

Porro versum illum græcum ideo expunxerant, quod tota acrostichis absque illo stare videretur. Nec animadvertebant, in acrostichide nomen Christi scribi cum diphthongo χριστὸς : quod cur factum sit nescio. Acrostichis tamen latina id retinuit apud Augustinum. Sane veteres Græci nomen Christi octosyllabum faciebant, χρειστὸς scribentes cum diphthongo, ut docet Irenæus in libro I, cap. 10.

Digitized by Google

Fundo cernentur valles consurgere ab imo.
In terris nihil excelsum spectare licebit.
Latoque planities montes æquabit, et æquor
Intactum rate stabit, adustaque fulmine tellus.
Uno deficiet flagrans cum fontibus amnis.
Stridula de cœlo fundet tuba flebile carmen,
Supremum exitium lamentans fataque mundi.
Et subito stygium chaos apparebit hiatu;
Reges divinum stabunt cuncti ante tribunal;
Undaque sulphureæ descendet ab æthere flammæ;
Ac cuncti in terris homines mirabile signum
Tunc cernent oculis, sanctis optabile signum.
Omnibus id justis vitæ est melioris origo;
Rursus vesani dolor atque offensio mundi,
Collustrans undis bisseno in fonte fideles.
Regnabit late pascentis ferrea virga.
Unus et æternus Deus, hic Servator et idem
Xristus, pro nobis passus, quem carmina signant.

A

Οὐρανὸν εἰλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.
Ὕψος δ' οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ἰσά τ' ὄρη πεδίοις ἔσται· καὶ πάσα θάλασσα
Οὐκ εἰς πλοῦν ἵξει. γῆ γὰρ φρυχθεῖσα πεφαυκὼ,
Σύνεγγυς ποταμοί τε καχλάζοντες λείψουσιν·
Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολυθρήνων ἀφήσει,
Ὠρύουσα μύσος μελεὸν καὶ πήματα κόσμου.
Ταρταρόεν χάος δείξει ποτὶ γαῖα χανοῦσα.
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα Θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Ῥυήσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρός, ἠδέ τι θείου.
Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον, οἷον
Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς τὸ πάρος τὸ ποθούμενον ἔστει
Ἀνδρῶν εὐσεβέων ζωή, πρόσκομμά τε κόσμου,
Ὑδασι φωτίζον πιστοὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς·
Ῥάβδος ποιμαίνουσα σιδηρείη τε κρατήσει.
Οὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοις Θεὸς ἡμῶν
Σωτὴρ, ἀθάνατος βασιλεύς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Et hæc quidem divino, ut credibile est, afflatu a virgine prædicta sunt. Ego vero illam eo nomine beatam judico, quod Deus vatem illam ac nuntiam suæ erga nos providentiæ delegit.

B

Καὶ ταῦτα τῇ παρθένῳ δηλαδὴ θεόθεν ἐπίστη προκηρυξαι. μακαρίαν δ' αὐτὴν ἔγωγε κρίνω, ἣν ὁ Σωτὴρ ἐξελέξατο προφῆτιν τῆς ἑαυτοῦ περὶ ἡμῶν προμηθείας.

CAP. XIX. — QUOD HÆC DE CHRISTO VATICINATIO A NEMINE CHRISTIANORUM CONFICTA EST, SED AB ERYTHRÆA SIBYLLA CONSCRIPTA, CUJUS LIBROS CICERO ANTE ADVENTUM CHRISTI LATINIS VERSIBUS REDDIDIT; ET QUOD VIRGILIUS EJUS MENTIONEM FACIT SIMULQUE PARTUS VIRGINEI, OBSCURE CELEBRANS MYSTERIUM METU POTENTIORUM.

Multi tamen huic prædictioni fidem derogant, quamvis Sibyllam Erythræam revera vatem fuisse fateantur. Suspicantur autem a quodam ex nostræ religionis hominibus, poeticæ artis non ignaro, eos versus esse confictos, et falso ac supposititio titulo Sibyllæ adscribi; cum sententias contineant vitæ humanæ admodum utiles, quibus et voluptatum effrenata licentia comprimitur, et via sternitur ad modestiam ac temperantiam. Sed veritas ipsa in propatulo est omnibus; cum hominum nostrorum diligentia temporum seriem adeo accurate collegerit, ut jam nemo suspicari possit, post adventum et condemnationem Christi, carmen illud esse compo-

C

Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσι. καὶ ταῦθ' ὁμολογοῦντες Ἐρυθραίαν γεγενῆσθαι Σιβύλλαν μάντιν, ὑποπτεύουσι δέ τινα τῶν τῆς ἡμετέρας θρησκείας, ποιητικῆς μούσης οὐκ ἄμοιρον, τὰ ἔπη ταῦτα πεποιηκέναι, νοθεύεσθαί τε αὐτὰ, καὶ Σιβύλλης θεσπίσματα εἶναι λέγεσθαι· ἔχοντα βιωφελεῖς γνώμας, τὴν πολλὴν τῶν ἡδονῶν περικοπτούσας ἐξουσίαν, καὶ ἐπὶ τὸν σώφρονά τε καὶ κόσμιον βίον ὁδηγούσας. ἐν προφανεῖ δ' ἀληθεία, τῆς τῶν ἡμετέρων ἀνδρῶν ἐπιμελείας συλλεξάσης τοὺς χρόνους ἀκριβέστερον, ὡς πρὸς τὸ μηδένα τοπάζειν, μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ κάθοδον καὶ κρίσιν γεγενῆσθαι τὸ ποίημα καὶ ὡς πάλαι προλεχθέντων ὑπὸ Σιβύλλης τῶν ἐπῶν ψεῦδος διαφημίζεσθαι. ὁμολόγηται γὰρ Κικέρωνα ἐντετυχηκότα

VALESII NOTÆ.

Ποταμοί τε καχλάζοντες. Sic legitur in codice Fuk.

Οὐρανὸν εἰλίξει. Ita legitur in editione vulgata Sibyllinorum carminum. Vetus quoque versio hanc scripturam confirmat, sic enim habet: *Volvetur cælum*, etc. Ego tamen non dubito quin scribendum sit εἰλίξειν. Subauditur enim ἐκλείψει, quod paulo ante præcessit.

Ὠρύουσα μύσος, etc. In editione Castalionis hic versus ita scribitur: quam Scripturam confirmat vetus versio apud Augustinum:

> Sed tuba tunc sonitum tristem dimittet ab alto
> Orbe, gemens facinus miserum variosque labores.

In codice Fuk. scribitur ὠρύουσα μέλος καὶ πήματα κόσμου.

Ταρταρόεν χάος. Rectius in editione Sibyllinorum carminum legitur ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.

Φωτίζον πιστοὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς. In editione Sibyllinorum carminum legitur κλητούς, quod magis placet, tum quia vocem πιστοὺς jam paulo ante posuit, tum quia non recte dicerentur fideles illuminari per baptismum. Neque enim fideles illuminantur baptismo, sed potius Gentiles qui ad fidem vocati sunt. Postquam autem illuminati fuerint per sacrum lavacrum, tunc demum fideles dicuntur. Porro duodecim fontes designant, ut opinor, duodecim Apostolos.

Ῥάβδος ποιμαίνουσα. Recte Beuleius annotavit Sibyllam alludere hic ad Psalmum II, in quo dicitur ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ. Ex quo apparet, verum esse id quod supra ex Gregorio Naz. observavimus, Sibyllam, seu quisquis Sibyllina conscripsit carmina, ex sacris libris multa desumpsisse. Itaque non dubito quin hi versus, ut jamdudum monuit Cicero, non a Sibylla vatidico furore percita editi, sed attento animo conscripti sint a quopiam sub Sibyllæ nomine.

D

Ἀλλὰ οἱ πολλοί. In codice Fuk. et in schedis veteribus hoc caput inchoatur ab his verbis: καὶ ταῦτα τῇ παρθένῳ, etc., post finem acrostichidis.

Ἐν προφανεῖ δ' ἀληθεία. Legebatur ἀληθείᾳ: amplexus sum emendationem Christophorsoni.

Ὡμολόγηται γὰρ Κικέρωνα. Locus Ciceronis a Constantino designatus, extat in lib. II de Divinatione, ubi versuum quorumdam Sibyllæ et acrostichidis mentionem facit. Verum acrostichidem illam de qua loquitur Cicero, hanc ipsam esse quam hic protulit Constantinus nulla ratione probari potest. Immo ex Ciceronis verbis contrarium elicitur. In illa enim acrostichide a Cicerone memorata, monebantur Romani ut Regem aliquem eligerent, si salvi esse vellent, ut Cicero ibidem testatur. Itaque primæ versuum illorum literæ Julii Cæsaris nomen, ut credibile est, prænotabant. At in hac acrostichide a Constantino prolata, nihil extat ejusmodi. Quare non dubium est, quin Cicero diversam ab hac acrostichidem intellexerit, licet aliter senserit Sebastianus Castalio aliique. Falsum propterea est, quod subjicit Constantinus; Ciceronem hanc de Christo acrostichidem de græco in latinum sermonem transtulisse, et libris suis intexuisse.

Digitized by Google

τῷ ποιήματι, μετενεγκεῖν τε αὐτὸ εἰς τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, καὶ συντάξαι αὐτὸ τοῖς ἑαυτοῦ συντάγμασι· τοῦτον ἀναιρεῖσθαι κρατήσαντος Ἀντωνίου· Ἀντωνίου δ' αὖ πάλιν Αὔγουστον περιγεγενῆσθαι, ὃς ἓξ καὶ πεντήκοντα ἔτη ἐβασίλευσε. τοῦτον Τιβέριος διεδέξατο. καθ' ὃν χρόνον ἡ τοῦ Σωτῆρος ἐξέλαμψε παρουσία, καὶ τὸ τῆς ἁγιωτάτης θρησκείας ἐπεκράτησε μυστήριον, ἥ τε νέα τοῦ δήμου διαδοχὴ συνέστη· περὶ ἧς οἶμαι λέγειν τὸν ἐξοχώτατον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητῶν·

Ἔνθεν ἤδη νέων πλῆθος ἀνδρῶν ἐφαάνθη.

..καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τινὶ τῶν βουκολικῶν τόπων·

Σικελίδες μοῦσαι, μεγάλων φάτιν ἐφορίσωμεν.

Τί τούτου φανερώτερον; προστίθησι γάρ·

Ἦλυθε σιβυλείου μαντεύματος ὑστάτη αἰών·

κυμαίαν αἰνιττόμενος δηλαδὴ τὴν Σιβύλλαν. καὶ οὐκ ἠρκέσθη τοῦτοις· ἀλλὰ περαιτέρω προσχώρησεν, ὡς τῆς χρείας τὴν αὐτοῦ μαρτυρίαν ἐπιποθούσης. τί λέγων αὖθις;

Οὗτος δὴ σεβένων ἱερὸς στίχος ὠρνυται ἡμῖν·
Ἤδη παρθένος αὖθις, ἄγουσ' ἱκέτην βασιλῆα.

Τίς οὖν ἄρα ἐστὶ παρθένος ἡ ἐπικηήκουσα; ἆρ' οὐχ ὁ πλήρης τε καὶ ἔγκυος γενομένη τοῦ θείου πνεύματος· καὶ τί τὸ κωλύον τὴν ἔγκυον τοῦ θείου πνεύματος, κόρην εἶναι ἀεὶ καὶ διαμένειν παρθένον; ἐπανήξει δὲ ἐκ δευτέρου, (καὶ) τὴν οἰκουμένην παραγενόμενος ἐπικουφίσει. καὶ προστίθησιν ὁ ποιητής·

Τὸν δὴ νεωστί πω τεχθέντα φασσητόρε ῥάνη,
Ἀντὶ σιδηρείης χρυσῆν γενεὴν ἐπάσσαντα,
Προσπόνει.
Τοῦδε γὰρ ἐρχόντος, μενοεικέα πάντα βρότοισι.
Καὶ στοναχαί τε κατευνάζονται ἀλιτρῶν.

Συνείρειν δὴ φανερῶς τε ἅμα καὶ ἀπαρύφως δι' ἀλληγοριῶν τὰ λεχθέντα· τοῖς μὲν βαθύτερον ἐξετάζουσι τὴν τῶν ἐπῶν δύναμιν, ὑπ' ὄψιν τῆς τοῦ Χριστοῦ θειότητος· ὅπως δὲ μήτις τῶν δυναστευόντων ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ἐγκαλεῖν ἔχῃ τῷ ποιητῇ, ὡς παρὰ τοὺς πατρώους νόμους συγγράφοντι, ἐκβάλλοντί τε τὰ πάλαι ὑπὸ τῶν προγόνων περὶ τῶν Θεῶν νομιζόμενα, ἐπικαλύπτεται τὴν ἀλήθειαν· ἠπίστατο γάρ, οἶμαι, τὴν μακαρίαν καὶ ἐπώνυμον τοῦ Σωτῆρος τελετήν· ἵνα δὲ τὸ ἄγριον τῆς ὠμότητος ἐκκλίνοι, ἄγαγε τὰς διανοίας τῶν ἀκουόντων, πρὸς τὴν ἑαυτῶν συνήθειαν. καὶ φησι, χρῆναι βωμοὺς ἱδρύσθαι

A situm, falsoque divulgari, quasi Sibylla hos versus diu ante vaticinando profuderit. Quippe inter omnes constat Ciceronem, cum hoc carmen legisset, latino sermone illud interpretatum esse, ac suis operibus inseruisse. Hunc postea Antonius summa rerum potitus interfecit. Antonius vero posthæc superatus est ab Augusto, qui sex et quinquaginta annis imperium obtinuit. Huic deinde successit Tiberius; quo tempore Servatoris adventus orbi illuxit, et sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, et nova quædam populi fetura ac successio instituta est; de qua princeps latinorum poetarum sensisse mihi videtur, cum dicit:

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto.

Et rursus in alio Bucolicorum loco:

Sicelides musæ, paulo majora canamus.

B Quid hoc apertius? Addit enim:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Cumæam, scilicet Sibyllam, intelligens. Nec his contentus, ulterius progressus est, quasi necessitas ipsa testimonium ejus requireret. Quid igitur dicit?

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Jam redit et virgo; redeunt Saturnia regna.

Quænam ergo est virgo illa quæ redit? Nonne illa quæ plena et gravida fuit Spiritu Sancto? Quid autem obstat quominus ea quæ Spiritu divino prægnans est puella semper et virgo permaneat. Redibit etiam optabilis rex et orbem terrarum adventu suo sublevabit. Sic enim addit poeta:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave, Lucina.
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

C Quæ quidem aperte simul et obscure per allegoriam dicta esse intelligimus. Nam iis quidem qui versuum vim ac sententiam altius scrutantur, divinitatem Christi oculis quodammodo subjiciunt. Ne vero quisquam ex regiæ urbis primoribus poetam criminari posset quod contra patrias leges scribere esset ausus, et traditas olim a majoribus de diis opiniones everteret, veritatem de industria occultat. Notat enim,

VALESII NOTÆ.

Νέα τοῦ δήμου διαδοχή. Hic etiam agnoscere licet imperitiam Interpretis, qui δήμου posuit pro ἔθνους. Neque enim δῆμος χριστιανῶν recte dicitur, sed ἔθνος.

Νέων πλῆθος ἀνδρῶν ἐφαάνθη. In codice Fuk. et in D schedis scriptum inveni νέα πληθύς.

Βουκολικῶν τόπων. Apparet scribendum esse τόπῳ. Atque ita codex Fuk. Porro nec Fuk. codex nec schedæ veteres novum caput hic ordiuntur.

Ἐπανήξει δὲ ἐκ δευτέρου. Supple ὁ ἱερατὸς βασιλεύς, cujus mentio fit in ultimo versu,

Ἤδη παρθένος αὖθις, ἄγουσ' ἱκέτην βασιλῆα.

In carmine tamen Virgilii hoc non dicitur. Verum Constantinus, ut opinari licet, versus Virgilii paululum immutaverat, et Saturni nomen consulto expunxerat, ut argumento suo serviret.

Τὸν δὲ νεωστί πω. Ultima vox deest in codice Fuk. et in schedis. Turnebus vero ad oram sui libri notarat forte scribendum esse παΐν.

Καὶ στοναχαί τε. Hic versus ita restituendus videtur ἔλγεά τε στοναχαί τε κατευνάσονται ἀλιτρῶν. Versus autem qui hunc proxime antecedit, nulla indiget emendatione. In codice tamen Fuk. ac Turnebi ita scribitur: Τοῦ μὲν γὰρ ἄρχοντος τὰ μὲν ἕλκεα πάντα βρότεια.

Τοῖς μὲν βαθύτερον. Lego τοῖς μὲν γὰρ βαθύτερον, etc. vel potius βαθυτέρως. Et paulo post ubi legitur τῆς τοῦ Χριστοῦ θειότητος, addenda videntur hæc verba: ἄγει τὴν παρουσίαν. In Fuk. codice scribitur τὴν τοῦ Χριστοῦ θεότητα ἄγοντα perinde ac in libro Savilii.

Ὅπως τε μήτις. Scribo ὅπως δὲ μή τις, etc. necessaria emendatione, quod miror non vidisse Scaligerum et alios emendatores. Cum enim antea præcesserit: τοῖς μὲν βαθύτερον, etc. necessario hic sequi debet ὅπως δὲ, etc., ut sensus compleatur. Ait enim Constantinus Virgilium aperte simul et obscure locutum fuisse. At obscure quidem innuisse Christi divinitatem et adventum: palam vero et aperte locutum esse more Gentilium, et aras ac templa nominasse. Conjecturam nostram confirmat codex Fuk. in quo ita prorsus scribitur, ut diu antea conjeceram.

Ἐπώνυμον τοῦ σωτῆρος τελευτήν, lego τελετήν, quomodo etiam legit Christophorsonius; ἐπώνυμον τοῦ σωτῆρος dixit pro σωτήριον. Certe codex Fuketii habet τελετήν.

Digitized by Google

ut equidem censeo, beatum et salutare Servatoris nostri mysterium. Itaque, ut immanem hominum crudelitatem evitaret, audientium animos ad inolitam ipsis consuetudinem deduxit; aitque recens nato altaria ac templa esse exstruenda, et sacra facienda. Cætera quoque consentanea subjunxit; in gratiam eorum qui ita sentirent, ait enim:

καὶ νεὼς κατασκευάζειν, θυσίας τ' ἐπιτελεῖσθαι τῷ νεωστὶ τεχθέντι· ἀκόλουθος δὲ καὶ τὰ λοιπὰ ἐπήγαγε τοῖς φρονοῦσι. φησὶ γάρ·

CAP. XX. — ALII VERSUS VIRGILII MARONIS DE CHRISTO, EORUMQUE INTERPRETATIO, IN QUIBUS OSTENDITUR OBSCURE, UT POETIS MORIS EST, INDICATUM ESSE MYSTERIUM.

Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos heroas, et ipse videbitur illis:

Ἀΐσεται ἀφθάρτοιο Θεοῦ βίοτον, καὶ ἀθρήσει
Ἥρωας σὺν ἐείνῳ ἀολλίας· ἠδὲ καὶ αὐτὸς,

Justis scilicet.

δηλαδὴ τοὺς δικαίους.

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.

Πατρίδι καὶ πατράρεσσιν ἀλεξομένοισι φανεῖται,
Παντοδέτῳ ἀρετῇ κυδιόων ἥνια κόσμου.
Σοὶ δ' ἄρα καί, πρόπαιδα φύσι δωρήματα γαῖα
Κριθὴν ἠδὲ κύπειρον ὁμοῦ κολοκάσσι' ἀνάνθῳ.

Vir porro admirabilis et omni doctrinæ genere excultus, cum cognitam haberet illorum temporum crudelitatem, hæc addidit:

θαυμαστὸς ἀνὴρ καὶ πάσῃ παιδείᾳ κεκοσμημένος, ὃς ἀκριβῶς ἐπιστάμενος τὴν τῶν τότε καιρῶν ὠμότητα·

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

Σοὶ δὲ καῖς θαλεροὶ, φησὶ, μαστοὶ πανθυθρίθυιαι,
Αὐτόματοι γλυκὺ νᾶμα συνεκτελέουσι γάλακτος·
Οὐδὲ θέμις ταρβεῖν βλοσυρούς ἀγέλῃσι λέοντας.

Vera utique dicens. Neque enim palatii proceres formidatura erat fides.

ἀληθῆ λέγων· ἡ γὰρ πίστις, τῆς βασιλικῆς αὐλῆς τοὺς δυνάστας οὐ φοβηθήσεσθαι.

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.

Φύσει δ' αὐάδη τὰ σπάργανα, ἄνθεα αὐτά·
Ὄλλυται ἰοβόλου φύσις ἑρπετοῦ, ὄλλυται πίσσης
Ἀσσύριος. Ἀσσύριον θάλλει κατὰ γῆρυς ἄμωμον.

Quibus nihil verius, nihil Servatoris virtuti convenientius dici potest. Ipsa enim Dei cunabula, divini spiritus vis tanquam flagrantissimos quosdam flores novellæ obtulit genti. Occidit vero serpens, et venenum serpentis sublatum est: ejus scilicet serpentis qui primos homines in fraudem primus induxit eorumque animos ab innata temperantia ad voluptatum traduxit illecebras, ut malum quod ipsorum capitibus incumbebat minime intelligerent. Etenim ante Servatoris nostri in terras adventum, serpens ille mentes hominum ignoratione immortalis justorum vitæ occæcatas, ac nulla bonorum spe fultas subverterat. Post passionem vero Domini nos-

τούτων τ' οὐδὲν ἀληθέστερον, οὐδὲ τῆς τοῦ Σωτῆρος ἀρετῆς οἰκειότερον εἴποι τις ἄν. αὐτὰ γὰρ τὰ τοῦ Θεοῦ σπάργανα πνεύματος ἁγίου δύναμις, εὐώδη τινὰ ἄνθη, νεολαίᾳ ὥπασε γένναι. ὁ δὲ ὄφις ἀπόλλυται, καὶ ὁ ἰὸς τοῦ ὄφεως ἐκείνου, ὃς τοὺς πρωτοπλάστους πρῶτος ἐξηπάτα, παράγων τὰς διανοίας αὐτῶν ἀπὸ τῆς ἐμφύτου (σωφροσύνης) ἐπὶ τὴν τῶν ἡδονῶν ἀπόλαυσιν, ὅπως γνοῖεν τὸν ἐπηρτημένον αὐτοῖς ὄλεθρον. πρὸ γάρτοι τῆς κατελεύσεως τοῦ Σωτῆρος, τῆς ἀθανασίας τῶν δικαίων ἀγνοίᾳ, τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ μηδεμιᾷ χρηστῇ ἐλπίδι ἐρειδομένας, ἔθραυε· παθόντος δὲ αὐτοῦ καὶ πρὸς καιρὸν τοῦ περιτεθέντος σώματος χωρισθέντος, ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀπεκαλύφθη τοῖς ἀνθρώποις τὸ δυνατὸν τῆς ἀναστάσεως. καὶ εἴ τις ἰλὺς

VALESII NOTÆ.

Χριθὴν. In libro Moræi vir doctus ad marginem emendavit κισσούς, ut responderet versui Virgiliano *Errantes hederas*. Verum græca interpretatio liberior est, et in plerisque a sensu Virgilii longe discedit.

Σοὶ δὲ ὦ παῖς. Non dubito quin scribendum sit: σοὶ δ' αἶγαι θαλεροῖς μαστοῖς καταβεβριθυῖαι. Quæ quidem emendatio prorsus necessaria est, utpote sine qua sensus non constat. In codice Fuk. ac Turnebi legitur: Σοὶ δὲ πάϊς θαλερίφυσι, etc. In schedis autem Regiis σοὶ δὲ πάϊς θαλεροὶ φησὶ μαστοὶ, etc.

Ἄνθεα αὐτά. Codex Fuk. pro his verbis habet ἄσειτ' ἐκπάν. schedæ ἄσειτ' ἐνιπάν.

Ὄλλυται πίσσης. Lego cum Scaligero et Bongarsio ποίᾳ. Respondet enim illis verbis Virgilii *et fallax herba veneni*. Sed in libro Moræi ad marginem emendatur ὄλλυται ἄτῃ. Quod si ποίη legere malis, tum scribendum erit ὄλλυτε, ut constet versus. In Fuk. codice legitur ποιήσεως. In schedis Regiis ποίσσης.

Τούτων τ' οὐδέν. Scribo meo periculo τούτων δὲ οὐδὲν ἀληθέστερον, etc. In codice Fuk. ac Turnebi scribitur τούτων οὐδέν.

Νεολαίᾳ ὥπασε γέννα. Sic scribitur in libro Moræi et in codice Fuk. In schedis autem νεολδία. Sensus porro hujus loci valde obscurus est. Musculus quidem ita vertit: *Ipsis namque Dei cunabilis Spiritus sancti virtus flagrantes quosdam flores, novam scilicet progeniem, dedit.* Christophorsonus vero sic interpretatur: *Ipsa enim Dei cunabula Spiritus sancti virtute flagrantes flores noræ soboli extulerunt.* Musculus igitur legit αὐτοῖς σπαργάνοις νεολαίαν γέννα. Christophorsonus vero δυνάμει tantum legit pro δυνάμις: quod magis probo. Per νεολαίαν γέννα novellum populum Christianorum intelligit: de quo Virgilium loqui superius dixit eo versu: *Jam nova progenies cœlo demittitur alto.*

Ὅπως γνοῖεν. Hic particulam negativam addidi, ὅπως μὴ γνοῖεν, quam emendationem sequentia manifeste confirmant. Si quis tamen vulgatam scripturam tueri velit, equidem non valde repugnabo, cum utrumque defendi possit.

Ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος. Constantinus spiritum dixerat pro anima. Interpres vero de sancto Spiritu accepisse videtur, quasi Christus divinitatem habuerit loco animæ, quæ fuit hæresis Apollinaris. In codice Fuk. post verbum χωρισθέντος, virgula apponitur. Quare videndum est, utrum verba illa, ἐκ τῆς τοῦ ἁγίου κοινωνίας, conjungenda sint cum iis quæ sequuntur: Ἀπεκαλύφθη τοῖς ἀνθρώποις, etc, ut sensus sit per communicationem Spiritus sancti, quem Christus post passionem hominibus infudit, patefactam esse vim resurrectionis.

Τὸ δυνατὸν τῆς ἀναστάσεως. Non probo versionem Christophorsoni, qui hunc locum ita interpretatus est: *Resurrectionis vis hominibus patefacta est.* Nec aliter Joannes Portesius. Ego vero non dubito, quin τὸ δυνατὸν id significet, quod in versione mea expres-

Digitized by Google

ἀνθρωπίνων ἀδικημάτων κατελείπετο, αὖτη πᾶσα λουτροῖς ἁγίοις ἐσμύχετο. τότε δὴ παρακελεύεται τοῖς ὑπηκόοις θαρρεῖν. καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ σεμνῆς διασήμου τε ἀναστάσεως, τὰ ὅμοια ἐλπίζειν ἐκέλευσεν. οὐκοῦν δικαίως ἐτελεύτα τῶν ἰοβόλων ἡ φύσις, ἐτελεύτα δὲ καὶ θάνατος, ἐπεσφραγίσθη καὶ ἡ ἀνάστασις, ἀπώλετο δὲ καὶ τὸ τῶν Ἀσσυρίων γένος, ὁ παραίτιον ἐγένετο τῆς πίστεως τοῦ Θεοῦ. φύεσθαί τε παντακοῦ φάσκων τὸ Ἄμωμον, πλῆθος τῶν θρησκευόντων προσαγορεύει· οἷον γὰρ ἐκ μιᾶς ῥίζης πλῆθος κλάδων εὐώδεσι θάλλον ἄνθεσιν, ἀρδόμενον συμμετρίᾳ δρόσου, βλαστάνει. πεπαιδευμένως δὲ ὦ σοφώτατε ποιητὰ Μάρων. καὶ τὰ ἑξῆς ἅπαντα καὶ ἀκαλούθως ἔχει.

Αὐτίκα δ' ἡρώων ἀρετάς, πατρός τε μητίστου
Ἔργ' ὑπερφοφίησι κεκασμένα πάντα μαθήσῃ.

τοὺς μὲν τῶν ἡρώων ἐπαίνους, τὰ τῶν δικαίων ἀνδρῶν ἔργα σημαίνων, τὰς δὲ ἀρετὰς τοῦ πατρὸς, τὴν τοῦ κόσμου σύνταξιν καὶ τὴν εἰς αἰώνιον διαμονὴν ἀπεργασίαν λέγων, ἴσως δὲ καὶ τοὺς νόμους, οἷς ἡ θεοφιλὴς ἐκκλησία χρῆται, ἐπιτηδεύουσα τὸν μετὰ δικαιοσύνης τε καὶ σωφροσύνης βίον. θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ τοῦ μεταξὺ τῶν τε ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν βίου τὸ ἀνημμένον παραύξησις, τὸ ἀθρόον τῆς αἰφνιδίου μεταβολῆς παραιτουμένου.

Πρῶτον μὲν, ἀνθερίκων ξανθὸν ἥσσητο ἄλωαι·

τουτέστιν ὁ καρπὸς τοῦ θείου νόμου ἤγοντο εἰς χρείαν.

Ἐν δ' ἰρυθροῖσι βάτοισι παφίφορος φλέβαις ῥότρυς.

ἅπερ οὐκ ἦν κατὰ τὸν ἄθεσμον βίον·

Σκληρῶν δὴ τεύχεις λατόμων, μέλιτος ῥέε νᾶμα.

τὴν ἠλιθιότητα τῶν τότε ἀνθρώπων καὶ τὸ κατεσκληκὸς ὑπογράφων ἦθος. ἴσως δὲ καὶ τῶν τοῦ Θεοῦ πόνων ἀκούοντας, τῆς ἑαυτῶν καρτερίας γλυκύν τινα καρπὸν λήψεσθαι διδάσκων.

Παῖρα δ' ὅμως ἰχνη τροτίρας περιλείπεται ἔτης.
Πόντον ἐπαΐξαι, περί τ' ἄστεα τείχεσι κλεῖσαι,
Ῥῆξαί τ' εἰλικόδων ἰλύσμασι τέλσον ἀρούρης·
Ἄλλος ἔπει τ' ἔσται Τίφυς, καὶ θεσσαλὶς Ἄργω,
Ἀνδρᾶσιν ἡρώεσσιν ἀγαλλομένη· πολίμου δὲ
Τρώων καὶ Δαναῶν πειρήσεται αὖθις Ἀχιλλεύς.

tri, cum corpus illud quod acceperat, a sanctissimæ animæ societate aliquanto tempore divulsum fuisset, patefacta est hominibus resurrectionis fides : et si quæ labes humanorum scelerum remanserat, sacrosancto lavacro penitus abstersa est. Tunc demum subditos suos bono animo Christus esse jubet, et ex veneranda et illustri sua resurrectione similia sperare. Jure ergo dictum est occidisse omnium venenatorum genus. Occidit etiam mors ipsa ; et resurrectio confirmata est. Occidit quoque Assyriorum genus, qui fidei in Deum principes atque auctores extiterant. Amomum vero ubique nasciturum cum dicit, multitudinem Christianorum sic appellat. Quæ non secus ac innumerabiles rami amœnissimis floribus ornati, et modico rore irrigati, ex una radice pullulat.

Docte igitur hæc a te dicta sunt, o Maro, poetarum sapientissime. Sed et reliqua cum his consentiunt :

At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus.

Per laudes heroum intelligit opera justorum virorum : per parentis virtutes, constitutionem mundi, et mansuram perpetuo constructionem. Fortasse etiam intelligit leges, quibus Deo amabilis Ecclesia utitur : ex justitiæ ac temperantiæ præceptis vitam instituens. Admiratione quoque digna est vitæ hominum inter bonos malosque medio quodam gradu consistentium ad sublimiora promotio, cum tamen ejusmodi vita repentinam mutationem non admittat.

Molli paulatim flavescet campus arista.

Id est, fructus divinæ legis ad hominum utilitatem producetur.

Incultisque rubens pendebit sentibus uva.

Quæ quidem in injusta ac depravata hominum vita minime cernebantur.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

VALESII NOTÆ.

si. Ait igitur Constantinus, post mortem Christi patefactum esse hominibus, fieri posse ut corpora resurgerent. Antea enim obscura erat resurrectionis fides, etiam apud Judæos. Atque idcirco mortem tantopere reformidabant.

Ἀπώλετο δὲ καὶ τὸ τῶν Ἀσσυρίων γένος. Hunc locum interpolavit Christophorsonius, expunctis duobus vocabulis prioribus. Savilius quoque in libro suo has voces, ἀπώλετο δὲ, expunxit perinde ac Christophorsonius. Sed uterque longe falsus est. Nam Constantinus, utpote artis grammaticæ imperitus, Virgilii versum ita construxerat :

Occidet Assyrium, vulgo nascetur amomum.

Idque convincitur tum ex hoc loco, tum ex versione interpretis Græci, qui versum illum Virgilii ita vertit : Ἀσσύριον τ' οἴχεται· θάλλει δὲ κατὰ τίμπε' ἄμωμον. Sic enim legitur in optimo codice Fuk. et recte quidem juxta mentem Constantini. Porro quod spectat ad totum hoc Virgilii carmen, christiani illud ex sibyllinis versibus translatum esse, et de Christi ortu intelligi debere, constanter affirmarunt : Neque enim de alio quam de Christo dici potest :

Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Ita præter Constantinum Augustinus in Epistola ad Volusianum, et in Epistola 155. In Epistola quidem ad Volusianum, Assyrium amomum interpretatur dogma Pherecydis Assyrii, qui primus animum esse immortalem pronuntiavit. Verum hæc Augustini interpretatio ferri non potest, cum Pherecydes non Assyrius fuerit, sed Syrius, id est, ex insula Syro. Quocirca præferenda est Constantini interpretatio, qui nomine quidem amomi ait designari fideles seu christianos, eo quod sint ἄμωμοι, id est, sine reprehensione. Assyrium vero ideo cognominari, quod ab Assyriis ortum sit principium fidei. Abraham enim Assyrius, primus credidit Deo ; unde et credentium pater cognominatus est.

Πλῆθος τῶν θρησκευόντων προσαγορεύει. Amplector conjecturam Henrici Savilii, qui ad oram codicis sui adnotavit forte scribendum esse προαγορεύει.

Τὸ ἀνημμένον παραύξησις. Addenda est præpositio, quæ in editione Rob. Stephani perperam omissa est, ἐπὶ τὸ ἀνημμένον. Sic enim scribitur in schedis regiis, et in libro Turnebi ac Moræi. Magis tamen placet lectio illa quæ ex libris Scaligeri ac Bongarsii proponitur, et quam in Fuk. codice reperi ἐπὶ τὸ ἀνηγμένον. Etenim ἀνάγειν verbum est Platonicæ philosophiæ proprium, ex qua in hac oratione multa sunt passim deprompta. Hinc anagogicus sensus apud Proclum ; et illud dictum Plotini a Synesio celebratum, δεῖ ἀνάγειν τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον πρὸς τὸ ὄντως θεῖον.

Τῶν τοῦ Θεοῦ πόνων ἀκούοντας. In codice Fuk. scribitur τὸν ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ πόνων ἀκούοντας. Scribo itaque τὸν ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ πόνων ἀσκοῦντας certissima emendatione. Explicat Constantinus versum illum Virgilii :

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Digitized by Google

Hominum illius temporis stuporem ac duritiem mentis designat. Ac fortasse etiam innuit, eos qui Dei causa labores pertulerint, tolerantiæ suæ suavem fructum esse percepturos :

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis :
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Recte, vates sapientissime. Poeticam quippe licentiam quo usque decebat provexisti. Neque enim tibi propositum erat oracula fundere, cum propheta non esses. Obstabat etiam, credo, præsens periculum, quod eorum capitibus qui institutas a majoribus cæremonias confutare vellent, imminebat. Provide itaque et tuto quantum fieri poterat, veritatem exponens intelligentibus, dum causam confert in turres ac bella, quæ in hominum vita etiamnum cernuntur, describit Servatorem ad Trojanum bellum proficiscentem. Per Trojam vero orbem universum intelligit. Christus enim adversus oppositas nequissimorum dæmonum acies bellum gessit ; partim providentiæ suæ arbitrio, partim summi Patris mandato in terras missus. Sed quid postea idem poeta dicit ?

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas.

Id est, postquam virilem ætatem ingressus, cuncta quæ humanam vitam infestant mala sustuleris, et universum orbem terrarum pacis legibus composueris.

Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces : omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem,
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos.
Aggredere, o, magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.
Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.
O mihi tam longe maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et quantum sat erit tua dicere facta ;
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit.
Pan etiam Arcadia, mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.

Aspice, inquit, nutantis mundi et omnium elementorum lætitiam.

A εὖγ' ὦ σοφώτατε ποιητά· τὴν γὰρ ποιητικὴν ἐξουσίαν, μέχρι τοῦ προσήκοντος ἐταμιεύσω. οὐ γὰρ ἦν σοι προκείμενον ἀποθεσπίσαι, μὴ ὄντι γε προφήτῃ· ἐκώλυε δέ τις οἶμαι καὶ κίνδυνος, τοῖς ἐλέγχουσι τὰ ὑπὸ τῶν προγόνων νομισθέντα ἐπηρτημένος. πεφραγμένως δὴ καὶ ἀκινδύνως κατὰ τὸ δυνατὸν, (τοῖς) συνιέναι δυναμένοις παραστήσας τὴν ἀλήθειαν, πύργους καὶ πόλεμον αἰτιασάμενος, ἅπερ ἀληθῶς ἔτι καὶ νῦν ἐξετάζεται κατὰ τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον, χαρακτηρίζει τὸν Σωτῆρα ὁρμῶντα ἐπὶ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, τὴν δὲ Τροίαν, τὴν οἰκουμένην πᾶσαν. ἐπολέμησεν ἄντικρυς τῆς ἀντικειμένης πονηρᾶς δυνάμεως, πεμφθεὶς ἐξ οἰκείας τε προνοίας, καὶ παραγγελίας μείζοντος πατρός· τί δὴ μετὰ ταῦτα ὁ ποιητὴς λέγει ;

B Ἀλλ' ὅ τ' ἂν φορίῃς ὄφρα καὶ σαφὲς ἴομεν,

τουτέστιν, ἐπειδὰν ἀνδρωθεὶς, τὰ περιέχοντα τὸν βίον τῶν ἀνθρώπων ῥιζόθεν ἐξέλῃ, τήν τε ξύμπασαν γοῦν εἰρήνῃ κατακοσμήσῃ·

Οὐχ ὅσιοι αὐτοῖσιν ἀλιτροπάτοισιν ἀλᾶσθαι,
Φυομένων ἀμυδὶς γαίης ἄπο πίονι μήτρῃ.
Αὐτὸς δ' ἄσπαρτος καὶ ἀνήροτος· οὐδὲ μὲν ἀρμὴν
Ὀτραλέου δρεπάνοιο τοθησόμεν ἀμπελον οἶμαι.
Οὐ δ' ἰρίου δεύσειτο βροτὸς πέπον· αὐτόματος δὲ
Ἀρνειὸς τυρίοισι παρατρέψει λιβάδεσσιν,
Σάνδυξ πορφυρίῃ λάχνῃ ῥυπόεσσαν ἀμοιβὴν.
Ἀλλ' ἄτε τιμῆεν σκῆπτρον βασιλῆος ἀρχῆς,
Δεξιτερῇς ἀνὰ πατρὸς ἰριβρεμέτεω δέδεξο.
Κόσμου κηπώεντος ὅρα εὐπηκτα θέμεθλα.
C Χαρμοσύνην γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης,
Γηθόσυνον τ' αἰῶνος ἀπειρεσίου, λάσιον πῦρ.
Εἴθέ μοι γηραλέον ζώοντά τ' ἴχε νήδυμος ἰσχύς,
Μὴν ἀρετὴν κελαδεῖν ἐρ' ὅσον δύναμίς γε παρείη·
Οὐδ' ἂν μὲ κλῆξειεν ὁ Θρῃκίων ἔθος ἀοιδῆς.
Οὐ Λίνος· οὐ Πὰν αὐτὸς, ἂν ἀρκαδίῃ τίθεσο χθών·
Ἀλλ' οὐ δ' οὗτος ὁ Πὰν ἀνθίξεται εἴνεκα νίκης.

Κόσμου κηπώεντος ὅρα, φησὶ, καὶ τῶν στοιχείων ἁπάντων χαράν.

VALESII NOTÆ.

Ait igitur hoc versu significari, eos qui Dei causa gravissimos labores subeunt, suavissimum fructum laborum esse percepturos.

Τὴν γὰρ ποιητικὴν ἐξουσίαν. Magis probo interpretationem Joannis Portesii, qui *poeticæ licentiam* vertit, quam Christophorsoni, qui vertit *poeticam facultatem*, quemadmodum verterat Musculus. Græci enim dicunt ἐξουσίαν, quam Latini vocant licentiam poeticam, ut non semel in Themistio legere memini. Porro hic novum caput ordiuntur schedæ veteres ab iis verbis εὖγε ὦ σοφώτατε ποιητὰ, rectius ut mihi quidem videtur. Hic igitur collocandum est caput 20.

Ἐπολέμησεν ἄντικρυς τῆς ἀντικειμένης. In codice Fuk. et Turnebi ita scribitur hic locus : Ἐπολέμησε γοῦν ἄντικρυς μετὰ τῆς ἀντικειμένης καὶ πονηρᾶς δυνάμεως. Savilius vero in suo codice emendarat ἐπολέμησε γοῦν ἄντικρυς κατὰ τῆς ἀντικειμένης.

Οὐχ ὅσιοι αὐτοῖσιν. Quis non videt scribendum esse οὐχ ὁσίη ναύτῃσιν, etc. In tertio abhinc versu lego αὐτὰ δ' ἄσπαρτος. Subauditur enim γαῖα.

Παρατρέψει λιβάδεσσιν. Malim scribere παραπρέψει ut est in schedis. Eleganter enim dicitur πρέπειν τῇ ἐθῆτι. Scribo etiam παρα disjunctim, ut est in libro Fuk. Paulo post malim ὅρα εὔπηκτα θέμεθλα in imperativo. Est enim interpretatio versus Virgiliani : *Aspice convexo*, etc. Vide paulo infra ubi hic versus repetitur.

Ζῶντά τ' ἔχε νήδυμος ἰσχύς. In libro Moræi, vir doctus emendavit ζῶντά γ' ἔχε. Sed neque sic versus constat. Quare malim legere ζῶντα σχῇ. Hæc enim in optativo modo dicuntur. In sequenti versu scribo σὴν ἀρετὴν ex Moræi libro. Et hæc quidem emendatio nullam dubitationem admittit. De priore autem amplius cogitandum. Videtur enim minore negotio locus restitui posse, si interpunctionem duntaxat mutaveris hoc modo :

Γηθόσυνόν τ' αἰῶνος ἀπειρεσίου· λάσιον πῦρ
Εἴθέ μοι γηραλέον, ζῶντά τ' ἴχε νήδυμος ἰσχύς·
Σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν, etc.

Nihil certius. ἴχε positum est pro ἔχοι. In codice Fuk. scribitur ζῶντά γε νήδυμος ἰσχὺς· σὴν ἀρετὴν, etc., absque verbo ἔχε. Porro monendus est lector, omnes

Digitized by Google

CAP. XXI. — QUOD DE NUDO AC SIMPLICI HOMINE DICI HÆC NON POSSUNT, ET QUOD INFIDELES OB DIVINI CULTUS IGNORANTIAM, NE ORTUS QUIDEM SUI CAUSAM NORUNT.

Ταῦτα δόξειεν ἄν τις τῶν οὐκ εὖ φρονούντων, περὶ γενεᾶς ἀνθρώπου λέγεσθαι. παιδὸς δὲ τεχθέντος ἀνθρώπου, ποῖον δὴ ἔχει λόγον, γῆν ἄσπαρτον καὶ ἀνήροτον· καὶ τήν γε ἄμπελον μὴ ἐπιποθεῖν τὴν δρεπάνου ἀκμήν, μὴ δὲ τὴν ἄλλην ἐπιμέλειαν. πῶς ἂν νοηθείη λεχθὲν ἐπὶ γενεᾶς ἀνθρωπίνης· ἡ γάρ τοι φύσις, θείας ἐστὶ προστάξεως διάκονος, οὐκ ἀνθρωπίνης κελεύσεως ἐργάτις. ἀλλὰ καὶ στοιχείων χαρὰ, Θεοῦ κάθοδον, οὐκ ἀνθρώπου τινὸς χαρακτηρίζει κύησιν· τό τε εὔχεσθαι τὸν ποιητὴν, τοῦ βίου τὸ τέλος αὐτῷ μηκύνεσθαι, θείας ἐπικλήσεως σύμβολον· παρὰ γὰρ Θεοῦ, τὸν βίον καὶ τὸ σώζεσθαι ἀξιοῦν εἰθίσμεθα, οὐ πρὸς ἀνθρώπου· ἡ γοῦν Ἐρυθραία πρὸς τὸν Θεὸν. τί δή μοι, φησὶν, ὦ δέσποτα, τὴν τῆς μαντείας ἐπισκήπτεις ἀνάγκην· καὶ οὐχὶ μᾶλλον ἀπὸ τῆς γῆς μετέωρον ἀρθεῖσαν διαφυλάττεις, ἄχρι τῆς μακαριωτάτης σῆς ἐλεύσεως ἡμέρας, ὁ δὲ Μάρων πρὸς τοῖς εἰρημένοις ἐπιφέρει καὶ τάδε·

Ἄρχευ μειδιόων ἀνορῶν τὴν μητέρα παιδνὴν
Γνωρίζειν· ἡ γάρ σε φέρειν πολλοὺς ὑπέμεινε.
Σοὶ δὲ γονεῖς οὐ πάμπαν ἐφημέριοι ἐγέλασαν.
Οὐ δ' ἔφυ λεχέων, οὐ δ' ἔτνος δαῖτα θάλειαν.

πῶς γὰρ ἂν τοῦτον οἱ γονεῖς ἐμειδίασαν· ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν Θεὸς, ἄποιός ἐστι δύναμις· καὶ ἀσχημάτιστος μέν, ἐν περιγραφῇ δὲ ἄλλων, οὐκ ἀνθρωπίνου δὲ σώματος· λεκτρῶν δὲ ἄπειρον, τίς οὐκ οἶδεν ὃν τὸ ἅγιον πνεῦμα; ποία δὲ ἐπιθυμία, ἕψεσίς τε ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ διαθέσει, οὗ πάντα ἐφίενται; τί δ' ὅλως κοινὸν σοφίᾳ τε καὶ ἡδονῇ; ἀλλὰ ταῦτα ἐφείσθω λέγειν τοῖς ἀνθρωπίνην τινὰ (εἰσάγουσι γέννησιν·) οἱ δὲ, τὴν ψυχὴν αὐτῶν καθαρεύειν ἀπὸ

A Hæc fortasse aliquis ex numero eorum qui prudentia minus valent, de hominis ortu dici existimaverit. Verum, quæ ratio est ut hominis filio in lucem edito, nec aratrum ac sementem tellus, nec vitis falcem et reliquam culturam desideret. Quomodo hæc de hominis prole dicta esse intelligantur? Est enim natura divinæ voluntatis ministra, non humanis famulans jussionibus. Adde quod omnium elementorum lætitia, adventum Dei,¶ non hominis cujuspiam conceptum designat. Jam vero quod poeta vitam sibi diutius prorogari optat, id plane argumentum est Deum invocantis. Vitam enim et salutem nobis a Deo postulare, non ab homine solemus. Et Erythræa quidem sibylla Deum sic affatur: Cur mihi, inquit, Domine, vaticinandi necessitatem imponis, ac non po-

B tius sublimem raptam e terra, ad diem usque beatissimi adventus tui servas? Virgilius vero, post versus quos supra retulimus, hæc subjungit:

Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer, cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Quomodo enim parentes ei arrisissent. Etenim pater illius Deus, expers qualitatis vis est. Et figura quidem ipse omni caret, in aliorum tamen circumscriptione existit; nec humano præditus est corpore. Tori quoque expertem esse Spiritum divinum quis ignorat? Quod enim desiderium, quæ cupiditas in-

VALESII NOTÆ.

hos Virgilii versus, tum in Fuk. codice, tum in schedis, non a capite scribi; sed prima tantum cujusque versus vocabula modico spatio a præcedentibus sejungi. Quod ideo fit, quia non continui recitantur hi versus, sed cum crebris interlocutionibus Constantini.

Ποῖον δὴ ἔχει λόγον. Mallem scribere ποῖος ἂν ἔχοι λόγος.

Ἡ γάρ τοι φύσις. In libro Fuk. ac Turnebi scriptum est ἦτε γὰρ φύσις.

Ἄρχευ μειδιόων ἀνορῶν. Sic primus hunc versum edidit Rob. Stephanus, ex conjectura ut opinor. Nam et in schedis regiis et in codice Fuk. ita scribitur: Ἄρχευ μειδιῶν ὡς ἂν ὁρῶν, etc. Ex quibus facillimum erat veram hujus loci scripturam restituere. Sic igitur emendo:

Ἄρχευ μειδιόωσαν ὁρῶν τὴν μητέρα παιδνὴν
Γνωρίζειν·

Qua quidem emendatione certius nihil.

Σοὶ δὲ γονεῖς οὐ πάμπαν. Verba Virgilii non recte accepit Constantinus, nec interpres Græcus. Si enim intellexit, quasi dixisset Virgilius, puero parentes non arrisisse; nec deum illi mensam, nec deam cubile impertivisse. Scilicet Constantinus versum illum Virgilii:

Incipe, parve puer, cui non risere parentes,

legendum putavit uno ductu absque ulla distinctione: cum tamen post vocem *puer*, punctum sit apponendum, ut vel pueris notum est. Hæc cum Christophorsonus non animadvertisset, sequentia Constantini verba interpolavit, addita negatione contra mentem auctoris, et contra auctoritatem omnium exemplarium. Porro in codice Fuk. legitur ἐφημερίως ἐγέλασαν, rectius ni fallor. Certe in schedis scribitur ἐφημερίους.

C Ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν. Cuivis liquet scribendum esse ὁ μὲν γὰρ αὐτοῦ πατὴρ θεὸς, etc. In codice Fuketiano scribitur ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν ἂν θεὸς, ἄποιός ἐστι δύναμις.

Τὸ ἅγιον πνεῦμα. Per Spiritum sanctum Constantinus videtur intelligere Divinitatem, seu naturam divinam, ut jam in superiori capite notavimus. Explicat enim verba illa ex Virgilio translata οὐδ' ἥψω λεχέων, quæ de Christo, non de Spiritu sancto dicuntur. Itaque hoc loco spiritum Dei interpretari malui, quam Spiritum sanctum, ut Portesius et Christophorsonus.

Ἀλλὰ ταῦτα ἐφείσθω λέγειν. Ex his verbis apparet, errorem illum quem supra notavi non ab ipso Constantino admissum fuisse, sed a græco interprete, qui postremos Virgilii versus male intellexit. Nam Constantinus quidem ipse versus illos Virgilii recte acceperat, ut hinc patet. Cum enim Virgilii verba retulisset, quæ sic habent:

Cui non risere parentes;
Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

D Contiuuo tanquam reprehendens poetam, hæc subjungit: Quomodo, inquit, ei arriderent parentes, cum pater ejus Deus sit, expers corporis et figuræ. Jam cubile et mensa quonam modo convenire possunt Deo, quem tori penitus expertem esse constat, nec ciborum voluptate alfici. Addit deinde hæc verba, ex quibus manifeste perspicitur id quod dixi, Constantinum Virgilii versus optime intellexisse: *Verum illis qui humanam quamdam generationem exponunt, concedamus ut ita loquantur.* Quibus verbis excusat Virgilium, quippe qui divinam Christi generationem ignoraverit. At in interpretatione græca, in qua Virgilii versus male exponuntur, hæc periodus cum præcedentibus non cohæret,

Οἱ δὲ τὴν ψυχὴν αὐτῶν. Amplector conjecturam doctorum virorum, quam etiam in libro Savilii annotatam inveni: οὐδέ τὴν ψυχὴν, etc.

Digitized by Google

esse posset in affectu summi boni, cujus desiderio reliqua omnia ducuntur? quid omnino sapientiæ potest esse commune cum voluptate? Verum sic loqui liceat illis, qui humanam quamdam Christi generationem sibi fingunt; neque operam dant ut animum suum ab omni impio facinore ac sermone integrum servent. Te hic, pietas, appello; tuum subsidium ad ea quæ dicuntur imploro: quæ nihil aliud es quam lex castimoniæ et sanctitatis, omnium bonorum màxime optabile, sanctissimæ spei magistra, immortalitatis certa promissio. Te veneror, o pietas atque clementia. Tibi pro beneficio curationis tuæ qua opus habebamus gratias debemus. At vulgus hominum tui auxilii expers, præ insito quo adversus te flagrat odio, Deum ipsum aversatur nec intelligit, suæ ipsius ac reliquorum impiorum vitæ causam ex divini Numinis cultus atque obsequio pendere. Totus enim mundus et quæcumque in mundo continentur illius est possessio.

A παντὸς κακοῦ γε καὶ ῥήματος παρασκευάζουσιν. ἐπικαλοῦμαι δέ σε αὐτὴν σύμμαχον τοῖς λεγομένοις, ὦ θεοσέβεια, ἁγνόν τινα νόμον ὑπάρχουσα, πάντων τε ἀγαθῶν εὐκταιοτάτην ἐλπίδα, ὁσιότητος διδάσκαλον ἀθανασίας ὑπόσχεσιν ἀκίβδηλον· σὲ μὲν εὐσέβεια καὶ φιλανθρωπίᾳ προσκυνῶ, σαῖς δὲ θεραπείαις χάριν αἴδιον ὀφείλομεν οἱ δεηθέντες, ὁ δὲ ἄπειρος ὄχλος τῆς σῆς ἐπικουρίας, διὰ τὴν ἔμφυτον πρὸς σὲ ἀπέχθειαν, καὶ τὸν Θεὸν ἀποστρέφεται· οὐδὲ οἶδε τὴν αἰτίαν ὅλως τοῦ ζῆν καὶ εἶναι αὐτόν τε καὶ τοὺς λοιποὺς δυσσεβεῖς, ἐκ τοῦ πρὸς τὸ κρεῖττον καθήκοντος ἠρτῆσθαι· πᾶς γὰρ ὁ κόσμος ἐκείνου κτῆμα, καὶ ὅσα ἐστὶν ἐν κόσμῳ.

CAP. XXII. — GRATIARUM ACTIO IMPERATORIS, QUA VICTORIAS ET RELIQUA BONA SUA CHRISTO ACCEPTA FERT; ET CONFUTATIO MAXIMINI TYRANNI, QUI PERSECUTIONIS CRUDELITATE CHRISTIANÆ RELIGIONIS GLORIAM AUXERAT.

Equidem meam felicitatem meaque omnia pietati accepta refero. Testes sunt rerum eventus qui ex voto mihi responderunt: testes sunt pugnæ atque victoriæ, et tropæa de hostibus parta. Scit et laudibus ea celebrat urbs Roma. Idem sentit populus urbis mihi charissimæ, licet falsa spe deceptus, indignum sua majestate principem elegerit, qui mox convenientem sceleribus suis exitum sortitus est. Verum B ea nunc commemorare nefas esse arbitror: mihi præsertim qui te, pietas, alloquor, et qui curam omnem ac diligentiam adhibeo, ut te castis sermonibus bonisque verbis compellem. Dicam tamen aliquid, quod nec turpe nec indecorum videbitur. Bellum inexpiabile, plenum amentiæ et inauditæ crudelitatis, adversus te, pietas, et adversus omnes sanctissimas ecclesias tuas a tyrannis gerebatur. Nec deerant in urbe Roma, qui tantis malis et publica calamitate lætarentur. Erat et campus ad prælium constitutus.

Ἐγὼ μὲν τῆς εὐτυχίας τῆς ἐμαυτοῦ καὶ τῶν ἐμῶν πάντων, αἰτιῶμαι τὴν εὐγένειαν· μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ ἔκβασις τῶν κατ' εὐχὰς ἁπάντων· ἀνδραγαθίαι, νίκαι κατὰ τῶν πολεμίων, τρόπαια· σύνοιδε δὲ καὶ μετ' εὐφημίας ἐπαινεῖ καὶ ἡ Μεγαλόπολις· βούλεται δὲ καὶ ὁ δῆμος τῆς φιλτάτης πόλεως, εἰ καὶ πρὸς ταῖς σφαλεραῖς ἐλπίσιν ἐξαπατηθείς, ἀνάξιον ἑαυτῆς προείλετο προστάτην· ὁ παραρρῆμα ἐάλω, προσηκόντως τε καὶ ἀξίως τοῖς ἑαυτῷ τε τολμημένοις, ὧν οὐ θέμις ἀπομνημονεῦσαι, μάλιστα ἐμοὶ τῷ διαλεγομένῳ πρὸς σέ, καὶ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ποιουμένῳ, πῶς ἂν ἀγναῖς καὶ εὐφήμοις διαλέξεσι προσείποιμί σε. ἐρῷ δέ τι ἴσως, οὐκ ἄσχημον οὐδὲ ἀπρεπές· ὑπερβάλλων μέντοι μανίᾳ καὶ ὠμότητι, ὦ θεοσέβεια, καὶ πάσαις ταῖς ἁγιωτάταις σου ἐκκλησίαις ὑπὸ τυράννων πολεμος (ἦν) ἄσπονδος· καὶ οὐκ ἐπέλειψάν τινες τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ, τηλικούτοις ἐπιχαίροντες δημοσίοις κακοῖς· παρεσκεύαστο δὲ καὶ πεδίον τῇ μάχῃ. σὺ δὲ προελθοῦσα, ἐπέδωκας ἑαυτὴν ἐπερειδομένην τῇ πρὸς Θεὸν πίστει.

VALESII NOTÆ.

Ἁγνόν τινα νόμον ὑπάρχουσα. Grammaticæ leges scribi jubent ὑπάρχουσαν, ut est in codice Fuk. Porro elegantissima est hæc religionis christianæ definitio: sed prava interpunctione fœde corrupta. Lego igitur πάντων τε ἀγαθῶν εὐκταιοτάτην, ἐλπίδος ὁσιωτάτης διδάσκαλον, ἀθανασίας ὑπόσχεσιν ἀκίβδηλον. Nihil hac lectione certius, nihil elegantius. Religionem D appellat Constantinus magistrum spei sanctissimæ, quippe quæ nos doceat sperare cœlestia, nec in terrenis et caducis bonis, sed in Deo omnem spem nostram collocare. In codice Fuk. legitur: Ὁσιότητος διδάσκαλον, ἀθανασίας ὑπόσχεσιν ἀκίβδηλον. Eadem interpunctio est in schedis.

Οἱ δεηθέντες. Omnino scribendum videtur οἱ ἰαθέντες. Eleganter enim dicitur σαῖς θεραπείαις ἰαθέντες id est, *tuis remediis sanati*.

Ἐκείνου κτῆμα. Mallem scribere κτίσμα, id est opus, sive opificium.

Τῶν κατ' εὐχὰς ἁπάντων. Conjicere quis non immerito posset scribendum esse πάντων κατ' εὐχὰς ἀπαντώντων. Sed cum absque hac emendatione sensus constet, nihil mutandum censeo.

Μεγαλόπολις. Sic Romam Græci vocare consueverant, ut innumeris exemplis probari potest. Ita Tatianus in oratione adversus Græcos, ubi de sacro Jovis Latiaris loquitur, et Porphyrius in libro de Abstinentia. Sed et Eusebius in oratione tricennali de laudibus Constantini ita Romam appellat, ut illic videbimus.

Καὶ πάσαις ταῖς ἁγιωτάταις. Ante hæc verba asteriscus in editione Rob. Stephani appositus est, quo indicatur, nonnulla hic deesse in scriptis exemplaribus. Verum asteriscos qui a Rob. Stephano diligenter notati fuerant, præcipue in fine hujus libri, editio Genevensis omnes sustulit. Cæterum hoc loco pauca desunt, quæ sic suppleo. Σοί τε καὶ πάσαις ταῖς ἁγιωτάταις σου ἐκκλησίαις, etc. Alloquitur enim religionem christianam.

Καὶ πεδίον. Campum intelligit, in quo martyres extremo supplicio afficiebantur. Moris enim erat tum apud Græcos, tum apud Romanos, ut extra portas supplicia de noxiis sumerentur, ut pluribus notavi ad Amm. Marcellinum. Unde ad campum duci dicebantur noxii qui ad supplicium ducebantur. Sic Augustinus in libro 1 contra Epistolam Parmeniani cap. 8.

Ἐπέδωκας ἑαυτὴν ἐπερειδομένην. Scribendum est σαυτὴν ἐπερειδομένη, etc. Id est, *teipsam ultro obtulisti*. Alludit Constantinus ad fortitudinem martyrum, qui se ultro judicibus offerebant, et ad mortem non coacti, sed sponte currebant. Certe ἐπιδιδόναι non dicitur nisi de eo qui sponte aliquid facit; ut verbi

Digitized by Google

θνητῶν (δὲ) δυσσεβῶν ὠμότης, δίκην πυρὸς ἀκατάπαυστος ἐπινεμησαμένη, θαυμαστὴν καὶ διὰ παντὸς ἀοίδιμον εὐδοξίαν προσῆψέ σοι. σέβας γὰρ διὰ ταῦτα εἶχε τοὺς θεωμένους αὐτούς. τοὺς μὲν οὖν δημίους καὶ στρεβλοῦντας τὰ τῶν εὐσεβῶν σώματα, ἣν ἰδεῖν κάμνοντας καὶ δυσπετοῦντας πρὸς τὰ δεινά, παρειμένους δὲ τοὺς δεσμούς, καὶ τάς γε βασάνους αὐτὰς ἐκλύτους, καὶ τὰς προσφερομένας καύσεις ἀμαυρουμένας. καὶ οὐδὲ πρὸς ὀλίγον ὀκλαζόντων τὴν παῤῥησίαν. τί οὖν ταῦτα τολμῶν ὤνησας ὦ δυσσεβέστατε; τί δὲ τὸ αἴτιον τῆς ἐκστάσεως τῶν φρενῶν; ἐρεῖς ὅτι διὰ τὴν πρὸς τοὺς Θεοὺς τιμήν· τίνας τούτους; ἢ ποίαν τινὰ τῆς θείας φύσεως ἀξίαν λαμβάνεις ἔννοιαν; ὀργίλους ἡγῇ κατὰ σὲ τοὺς Θεοὺς εἶναι; εἰ δ' οὖν ἦσαν τοιοῦτοι ἐχρῆν θαυμάζειν μᾶλλον αὐτῶν τὴν προαίρεσιν, ἢ πειθαρχεῖν τοῖς ἀναιδέσι προστάγμασι, δικαίων ἀνδρῶν σφαγὰς ἀδίκως ἐπαράντων. ἐρεῖς ἴσως διὰ τὰ ὑπὸ τῶν προγόνων νομισθέντα καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων ὑπόληψιν· συγχωρῶ· καὶ γάρ ἐστι παραπλήσια τοῖς δρωμένοις τὰ νομιζόμενα, μιᾶς τε καὶ τῆς αὐτῆς ἀφροσύνης· ᾠήθης ἴσως εἶναί τινα δύναμιν ἐξαίρετον, ἐν τοῖς ὑπὸ τεκτόνων καὶ δημιουργῶν ἐσκευασμένοις ἀνθρωπομόρφοις· τοιγάρτοι περιεῖπες ταῦτα· πᾶσαν ποιούμενος ἐπιμέλειαν, ὅπως μή ποτε ῥυπωθεῖεν μεγίστων καὶ ἐξαιρέτων Θεῶν ἀθρωπίνης δεομένων ἐπιμελείας (εἴδωλα.)

Tum vero tu in medium progressa, temetipsam ultro tradidisti, fide in Deum fulta atque innixa. At crudelitas hominum impiorum, cum instar flammæ obvia quæque depasta esset, admirabilem quamdam et celeberrimam tibi gloriam conciliavit. Hinc enim stupor ac veneratio tui spectatores ipsos invasit. Ac tortores quidem ac carnifices, in cruciandis piorum corporibus defessos, et ad inopiam consilii redactos cernere licebat: vincula autem resoluta, laxatos equuleos; et restinctas quæ admoveantur flammas: contra vero invictam constantiam ac libertatem piorum, qui ne tantulum quidem de gradu suo dimovebantur. Talia igitur aggressus quid profecisti, omnium hominum impiissime? Quod malum causa fuit furoris tui? Dices fortasse, in honorem deorum hæc a te gesta. At quorum deorum? Aut quam notionem divina dignam natura animo concepisti? Deosne perinde atque te iracundos esse existimabas? Quod si tales erant, eorum potius consilium mirari oportebat, quam impudentibus mandatis, quibus justos viros injuste trucidari jubebant, obtemperare. Sed forte dices, te ob instituta majorum, et propter hominum opinionem ista gessisse. Ignosco. Sunt enim instituta illa, his quæ a te geruntur simillima, et ex unius ejusdemque imperitiæ fonte manantia. Existimasti forsan eximiam quamdam inesse vim atque virtutem in simulacris a fabris et artificibus humana effigie formatis. Idcirco igitur ea colebas summam adhibens curam ac sollicitudinem, ne sordibus inquinarentur. Magni scilicet ac præcipui dii hominum cura indigent.

CAP. XXIII. — DE CHRISTIANORUM INSTITUTIS, ET QUOD DEUS DILIGIT EOS QUI VIRTUTEM SECTANTUR, ET QUOD AC JUDICIUM RETRIBUTIONEM SPERARE OPORTET.

Ἀντεξέταζε τὴν ἡμετέραν θρησκείαν πρὸς τὰ ὑμέτερα. οὐκ ἐνταῦθα μέν, ὁμόνοια γνησία καὶ διαρκὴς φιλανθρωπία. ἔλεγχος δὲ πταίσματος, νουθεσίαν οὐκ ὄλεθρον φέρων. θεραπείαν δὲ οὐκ ὠμότητος ἀλλὰ σωτηρίας. καὶ πίστιν εἰλικρινῆ, πρῶτον μὲν πρὸς τὸν Θεόν, ἔπειτα δὲ καὶ πρὸς τὴν φυσικὴν τῶν ἀνθρώπων κοινωνίαν. ἔλεος δὲ

Confer, si placet, religionem nostram, cum tuis ritibus. Nonne apud nos quidem germana concordia et perpetua humanitas? nonne apud nos reprehensio culpæ est ejusmodi, quæ correctionem afferat, non perniciem: et curatio quæ ad salutem proficiat, non ad crudelitatem? Nonne apud nos sincera fides, primum

VALESII NOTÆ.

gratia de Christo qui se sua sponte tradidit pro salute generis humani. Male igitur Christophorsonus hunc locum ita vertit: *teipsam adversariis opposuisti*. Conjecturam nostram confirmat codex Fuk. in quo scribitur ἐπίδωκας σεαυτὴν ἐπερειδομένη.

Θνητῶν δυσσεβῶν ὠμότης. Hujus loci emendationem feliciter mihi videor deprehendisse. Cum enim ante hæc verba legatur vox πίστει, duabus ultimis hujus vocabuli literis repetitis locum ita restitui. εἶθ' ἡ τῶν δυσσεβῶν ὠμότης, etc. Nihil certius. Facessat igitur conjectura Gruteri et Christophorsoni, qui legunt θνητῶν δὲ δυσσεβῶν, etc. Quis enim ferre potest hanc locutionem? Codex tamen Fuk. lectionem illam Gruteri confirmat. Sed jam antea observavi, multas παραδιορθώσεις in illo codice reperiri.

Τὰ τῶν εὐσεβῶν σώματα. Christophorsonus, Scaliger et alii post has voces addunt ἦν ἰδεῖν, quemadmodum etiam in libro Fuk. ac Moræi reperi. Sed nihil opus est hic addere, cum præcesserit vox θεωμένους, ad quam hæc omnia referri debent. Fatcor tamen magis perspicuam fore orationem, si has voces addideris.

Ὦ δυσσεβέστατε. Alloquitur unum ex persecutoribus; Maximinum scilicet, ut est in titulo hujus capitis. Hic enim crudelius et infestius quam cæteri Christianos persecutus est.

Δικαίων ἀνδρῶν σφαγὰς. Scribendum videtur πρὸς δικαίων, etc., nisi mendum est in verbo ἐπαράντων.

Ἐπιμελείας εἴδωλα. Delenda est postrema vox, quam Christophorsonus, Scaliger et Gruterus perperam adjecerunt. Eamdem vocem in libro quoque Fuketii et Moræi adjectam inveni. Sed nihil necesse est: tantum post vocem ῥυπωθεῖεν, apponenda erat virgula. Atque ita Joannes Portesius hunc locum accepit; qui profecto feliciusquam Christophorsonus hæc interpretatus est in hunc modum: *Omnis illa cura tua, omne studium ne sordibus opplerentur. Ita magni primariique Dii humana se ope sustinebant; istam diligentiam requirebant.* Atque ita etiam Musculus.

Θεραπείαν δὲ. Lego θεραπείαν τε. Subauditur autem verbum φέρων quod paulo ante præcessit. Posset etiam legi θεραπεία τε, et paulo post καὶ πίστις εἰλικρινὴς, ac fortasse rectius.

Καὶ πίστιν εἰλικρινῆ. Apparet ex sequentibus, scribendum esse διάθεσιν, ἀγάπην. Charitas enim primum quidem erga Deum est, deinde erga proximum. Fides vero non est nisi unum ac solum Deum. Itaque πίστιν hic nullo modo convenire potest. Adde quod cum hoc loco agatur de objurgatione, charitas optime congrui. Nam benevola objurgatio ac reprehensio, charitatem parit. Sed præstat hic legere καὶ πίστις εἰλικρινὴς, ut jam dixi. Atque ita legit Musculus, sicut ex versione ejus apparet.

Digitized by Google

quidem erga Deum, deinde vero erga naturalem hominum societatem? Nonne apud nos misericordia erga eos quos fortunæ calamitas oppresserit? Nonne vita simplex, nullo simulationis fuco occultam tegens improbitatem, et veri atque unius Dei cuncta moderantis cognitio? Hæc est vera pietas; hæc integra atque incorrupta religio. Hæc sapientissima vivendi ratio; quam qui amplexi sunt, tanquam augusta quadam via ad æternam vitam tendunt. Nemo enim qui hujusmodi vivendi rationem inierit, et qui animum habeat ab omni corporis labe purgatum, moritur omnino; sed functionem sibi a Deo indictam implere, potius quam mori dicendus est. Is namque qui Deum confessus est, nec contumeliæ cedit nec iracundiæ. Sed forti animo necessitatem sustinens, tolerantiæ suæ experimentum, velut viaticum quoddam habet ad conciliandam sibi divini Numinis clementiam. Neque enim dubium est, quin Deus homines virtute præditos amplectatur. Quippe absurdissimum esset, tam præpotentes quam inferioris loci homines, adversus eos a quibus observantur aut beneficiis afficiuntur, grato animo esse, et vicissim illos beneficiis afficere, eum vero qui omnium summus sit, et qui omnibus imperet, ipsumque sit summum bonum, negligentem in referrenda gratia esse. Qui in omni vita nos ubique comitatur, et qui præsto nobis adest, quotiescumque boni aliquid agimus. Et illico quidem fortitudinis et obedientiæ causa nos collaudans remuneratur: plenam tamen et perfectam solutionem in aliud tempus differt. Tunc enim totius vitæ nostræ summa ad calculos revocabitur. Ac si quidem cuncta recte se habuerint, æternæ vitæ merces sequetur: improbi vero debito supplicio afficiendi sunt.

A τῶν οὓς ἐπολέμησεν ἡ τύχη· ἁπλοῦς δὲ βίος, καὶ οὐ ποικίλῃ τινὶ πανουργίᾳ τὴν πονηρίαν ἐπικαλυπτόμενος. τοῦ τε ὄντος Θεοῦ καὶ τῆς μοναρχίας γνῶσις· ἥδε ἐστὶ ἀληθῶς θεοσέβεια, ἥδε εἰλικρινὴς θρησκεία, ἡ παντελῶς ἄχραντος· οὗτος ἔμφρων βίος, ὃν οἱ μετιόντες, ὡς διὰ λεωφόρου σεμνῆς τινος ἐπὶ τὸν ἀέναον πορεύονται βίον· οὐδεὶς γὰρ ὅλως τελευτᾷ ὁ τὸν τοιοῦτον ἐνστησάμενος βίον, καθαρεύων τε τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ σωματος. πληροῖ δὲ μᾶλλον τὴν προσταχθεῖσαν αὐτῷ θεόθεν λειτουργίαν, ἢ ἀποθνήσκει· ὁ γάρτοι τὸν Θεὸν ὁμολογήσας, οὐ γίνεται πάρεργον ὕβρεως οὐδὲ θυμοῦ· ἀλλ' εὐγενῶς τὴν ἀνάγκην ὑποστάς, τὴν τῆς καρτερίας πεῖραν, ἐφόδιον ἔχει τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐμενείας· οὐδὲ γὰρ ἀμφίβολον, τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀρετὴν ἀσπάζεσθαι τὸ θεῖον· καὶ γὰρ ἂν εἴη τῶν ἀτοπωτάτων, τῶν ἐξουσίας ἐπειλημμένων καὶ ὑπο-

B δεεστέρων, εἰ καὶ θεραπεύοντες τυγχάνοιεν οἱ εὐεργετοῦντες, αὐτοὺς εὐχαρίστως κατατίθεσθαι καὶ ἀντενεργετεῖν, τὸν δὲ ὑπὲρ πάντας, ἀρχηγόν τε τῶν πάντων, καὶ τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ, καταμελεῖν τῆς ἀμοιβῆς· ὁ συμπαρομαρτεῖ μὴν ἡμῶν τῷ παντὶ βίῳ, καὶ πάριστιν ὑμῖν τηνικαῦτα, ὁσάκις ἀγαθόν τι ποιοῦμεν· καὶ παραχρῆμα μὴν ἀποδεχόμενος τῆς ἀνδρείας καὶ εὐδοκίας, ἐνεργετεῖ, τὴν δὲ συμπλήρωσιν ἡμῶν ὑπερτίθεται· πᾶσα γὰρ ἡ τοῦ βίου ψῆφος τηνικαῦτα λογοθετεῖται· καὶ ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς ἔχῃ, ὁ μισθὸς ἐπακολουθεῖ τῆς αἰωνίου ζωῆς, μετέρχεται δὲ καὶ τοὺς πονηροὺς ἡ προσήκουσα τιμωρία.

CAP. XXIV. — DE DECII, VALERIANI ET AURELIANI CALAMITOSO VITÆ EXITU OB PERSECUTIONEM ECCLESIARUM.

Te nunc interrogo, Decl, qui justorum laboribus olim insultabas, qui Ecclesiam odio prosequebaris, qui viros summa vitæ sanctitate præditos supplicio

C Σὲ δὲ νῦν τὸν Δίκιον ἐρωτῶ, τὸν ἐπεμβαίνοντά ποτε τοῖς τῶν δικαίων πόνοις, τὸν τὴν ἐκκλησίαν μισήσαντα, τὸν ἐπιθέντα τιμωρίαν τοῖς ὁσίως βεβιωκόσι· τί δεινὸν πράσ-

VALESII NOTÆ.

Οὐ γίνεται πάρεργον ὕβρεως. Quæ sit vis hujus locutionis interpretes sensum minime assequuntur, quod tamen facile erat hoc loco. Christophorsonus quidem ita vertit: *Qui Deum ingenue confitetur, non contumeliæ, non iracundiæ sponte succumbit.* Ex quibus verbis, nemo est qui non hunc sensum eliciat; eum qui Deum confitetur, non esse iracundum, nec contumeliosum. Atqui longe alius est sensus verborum græcorum; eum scilicet qui Christi nomen coram judice confitetur, contumeliæ ac furori persecutorum non cedere.

Ἐφόδιον τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐμενείας. Christophorsonus legisse videtur εὐνοίας, quod non probo. Nullus enim sensus ex hac lectione elici potest. Porro ἐφόδιον *instrumentum* verti, ut loquitur Amm. Marcellinus in lib. XXIX, pag. 393: *Cæsar Dictator aiebat miserum esse instrumentum senectuti, recordationem crudelitatis.* Ubi vide quæ olim annotavi. Possis etiam vertere viaticum. Nec incommode Musculus ita vertit: *Tolerantiæ experientiam compendii vice habet ad promerendam benevolentiam.*

Οὐδὲ γὰρ ἀμφίβολον. In libro Moræi vir doctus ad marginem annotavit hæc verba: Πλατωνικὸν ἐκ τῆς Πολετείας, id est, Hic locus desumptus est ex libro X Platonis de Republica. Certe in illo libro disputat Plato de præmiis, quæ justis hominibus tum in hac vita, tum post mortem a Deo tribuuntur. Sed argumentatio qua Constantinus id adstruit, in Platone, quod sciam, non habetur.

Τῶν ἐξουσίας ἐπειλημμένων. Non dubito quin scribendum sit τοὺς μὲν ἐξουσίας ἐπειλημμένους καὶ ὑποδεεστέρους, εἰ θεραπεύοντες τυγχάνοιεν ἢ εὐεργετοῦντες αὐτούς τινες, εὐχαρίστως κατατίθεσθαι, etc. Id est, *Absurdissimum enim esset, tam præpotentes quam inferioris loci homines, erga eos a quibus observantur aut beneficiis afficiuntur grato animo esse*, etc. In quibus verbis *observari* refertur ad præpotentes homines; ut *beneficiis affici* refertur ad inferiores et humiliores, quod non vidit Christophorsonus. In libro Fuk. Turnebi ac Savilii legitur κἂν θεραπεύοντες μὴ τυγχάνοιεν οἱ εὐεργετοῦντες, quod non probo. Musculus autem legit εἰ καὶ θεράποντες τυγχάνοιεν οἱ εὐεργετοῦντες, non male.

Ὁ συμπαρομαρτεῖ. Procul dubio scribendum est ὃς συμπαρομαρτεῖ. Refertur enim ad τὸν δὲ ὑπὲρ πάντας, id est, ad summum Deum. Quemlicet vocaverit τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ, nihilominus ὃς sequi debet in masculino.

D Εὐδοκίας. *Propensam voluntatem* vertit Christophorsonus; Musculus *benevolentiam*. Ego *obedientiam* interpretari malui. Id enim significat vox εὐδοκεῖν, morem gerere, obsequi voluntati divinæ. Εὐδοκία igitur ad verbum est allubescentia. Quo sensu sumitur apud Lucam in cantico illo militiæ cœlestis post ortum Domini: Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Occurrit hæc dictio passim in utroque Testamento, ut jam alii observarunt. In optimo codice Fuk. scribitur ἀνδρείας τε καὶ εὐθυδικίας.

Τί δεινὸν πράσσεις. Scribo meo periculo τί δὴ νῦν πράσσεις, quomodo etiam in libro Moræi ad oram emendatum inveni. Neque aliter scribitur in codice Fuk. In schedis autem legitur τί δὴ τῷ.

Digitized by Google

στεις μετὰ τὸν βίον; ποίαις δὲ καὶ πῶς δυστραπέλοις συνέχη περιστάσεσιν; ἔδειξε δὲ καὶ ὁ μεταξὺ τοῦ βίου καὶ τῆς τελευτῆς χρόνος τὴν σὴν εὐτυχίαν, ἡνίκα ἐν τοῖς σκυθικοῖς πεδίοις παντστρατιᾷ πεσών, τὸ περιδόητον Ῥωμαίων κράτος ὕβρεις τοῖς Γέταις εἰς καταφρόνησιν. ἀλλὰ σύ γε, Οὐαλεριανέ, τὴν μιαιφονίαν ἐνδειξάμενος τοῖς ὑπηκόοις τοῦ Θεοῦ, τὴν ὁσίαν κρίσιν ἐξέφηνας, ἀλοὺς αἰχμάλωτός τε καὶ δέσμιος ἀχθεὶς σὺν αὐτῇ πορφυρίδι καὶ τῷ λοιπῷ βασιλικῷ κόσμῳ, τέλος δὲ ὑπὸ Σαπώρου Περσῶν βασιλέως ἐκδαρῆναι κελευσθεὶς καὶ τοριχευθείς, τρόπαιον τῆς σαυτοῦ δυστυχίας ἔστησας αἰώνιον· καὶ σὺ δέ, Αὐρηλιανέ, φλὸξ πάντων ἀδικημάτων, ὅπως ἐπιφανῶς, διατρέχων καὶ ἐμμανῶς τὴν Θράκην, κοπεὶς ἐν μέσῃ λεωφόρῳ, τοὺς αὐλακας τῆς ὁδοῦ, ἀσεβοῦς αἵματος ἐπλήρωσας.

affecisti. Quid rerum nunc agis post hanc vitam? quantis et quam difficilibus ærumnis premeris? Tuam certe infelicitatem satis superque declaravit illud temporis spatium, quod inter vitam ac mortem tuam intercessit; cum tu in campis Scythicis una cum omni exercitu prostratus, imperium romanum tantopere ubique celebratum Gothorum contemptui ac ludibrio exposuisti. Tu quoque, Valeriane, cum eamdem crudelitatem in famulos Dei declarasses, justum Dei judicium omnium oculis subjecisti, captus ab hostibus et in vinculis circumductus cum chlamyde purpurea et reliquo imperiali cultu: tandem vero a Sapore persarum rege, detracta tibi cute, condiri jussus, sempiternum calamitatis tuæ tropæum spectandum præbuisti. Tu item, Aureliane, fax omnium vitiorum; quam præsenti et perspicua divini Numinis vindicta, dum furore percitus Thraciam percurreres, in medio viæ publicæ cæsus, sulcos aggeris publici impio sanguine complevisti?

CAP. XXV. — DE DIOCLETIANO, QUI TURPITER IMPERIO SE ABDICAVIT, ET QUI OB ECCLESIARUM PERSECUTIONEM FULMINE PERCUSSUS EST.

Διοκλητιανὸς δὲ μετὰ τὴν μιαιφονίαν τοῦ διωγμοῦ αὐτὸς ἑαυτοῦ καταψηφισάμενος διὰ τὴν τῆς ἀφροσύνης βλάβην,

Diocletianus vero post cruentam persecutionis sævitiam, suamet ipse sententia damnatus, ob vitium

VALESII NOTÆ.

Ἐκδαρῆναι κελευσθείς. Recte in libro Moræi emendatur κελευσθείς. Porro de Valeriani Imp. cute a Persis detracta et sale condita, alii etiam scriptores loquuntur. Ita certe Petrus Patricius in Excerptis legationum, apud quem Galerius exprobrat Persis, quod Valerianum ad ultimam usque senectutem captivum detinuerint; ac post mortem nefarie cutem ejus servantes, mortui corpus immortali affecerint ignominia.

Διατρέχων καὶ ἐμμανῶς. Malo consilio Genevenses particulam *καὶ* inseruerunt, ex Scaligeri, Bongarsii et Gruteri, ut aiunt, libris: quam etiam in libro Moræi adjectam inveni. Verum cum ea conjunctio sensum perturbet, nec in Regiis schedis, aut in editione Stephani legatur, longe longeque eam ablegandam censeo. Codex tamen Fuk. eam retinet.

Διὰ τὴν τῆς ἀφροσύνης βλάβην. Quam ob causam Diocletianus imperium deposuerit, non convenit inter auctores. Quidam scribunt Diocletianum, utpote curiosum scrutatorem rerum futurarum, cum ex haruspicum responsis comperisset maximas clades impendere reipublicæ, sponte imperium abjecisse. Testatur id Aurelius Victor. Alii scribunt, Diocletianum, ingravescente ævo, cum se minus idoneum gerendæ reipublicæ esse sentiret, tum ob senium, tum propter infirmam valetudinem, id consilium cepisse. Ita Eutropius, auctor certissimus et elegantissimus. Idem scribit incertus auctor in Panegyrico quem dixit Maximiano Herculio et Constantino. *Sed tamen*, inquit, *utcumque fas fuerit, eum principem quem anni cogerent et valetudo deficeret, receptui canere. Te vero in quo adhuc sunt istæ integræ solidæque vires*, etc. Sunt qui scribant Diocletianum, cum videret Christianos a se superari non posse, præ dolore atque impatientia imperium posuisse, ut legere est apud Zonaram. At Constantinus hic diserte affirmat, Diocletianum ob mentis alienationem sponte se imperio abdicasse. Quis porro est qui Constantini testimonio ausit refragari, cum is in aula Diocletiani vixerit, nec eum quicquam horum latere potuerit. Idem quoque tradit Eusebius in libro VIII Historiæ. Verum ut de hac re dubitemus, multa faciunt. Primo enim cum post abdicationem imperii diu superstes vixerit Diocletianus, nullum unquam mentis emotæ indicium dedit. Vel id unum quod Herculio et Galerio ipsum ad resumendum imperium invitantibus respondit, quantæ sapientiæ est? *utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus sata*. Itaque in illo secessu semper cultus est ab omnibus illius temporis imperatoribus, qui eum tanquam patrem religiose observabant. Audi Eumenium in Panegyrico quem dixit Constantino: *At enim divinum illum virum, qui primus imperium et participavit et posuit, consilii et facti sui non pœnitet. Felix beatusque vere quem vestra tantorum principum colunt obsequia privatum*. An vero tam impense cultus fuisset Diocletianus a quatuor Augustis imperatoribus, si mentis suæ parum compos fuisset; an Eumenius divinum virum vocasset, eo maxime quod imperium primus posuerat, si propter dementiam ac delirium id ab illo factum fuisset? Postremo consilium de abdicando imperio, diu ante persecutionem ceperat Diocletianus, tunc scilicet cum de Persis aliisque barbaris nationibus Romæ triumphavit. Illic enim in templo Jovis capitolini ab Herculio collega sacramentum exegit, ambos uno eodemque die imperium esse posituros. Docet id Eumenius in panegyrico jam citato: *Hunc ergo istum qui ab illo fuerat frater adscitus, puduit imitari; huic illum in Capitolini Jovis templo jurasse pœnituit*. Triumphavit autem Diocletianus Romæ cum Herculio collega anno Imperii 18, ut scribit Hieronymus in Chronico, id est, anno antequam persecutio fleret Christianorum. Certe auctor Panegyrici dicti Maximiano et Constantino, longe ante abdicationem id consilium a Diocletiano captum, et cum Herculio communicatum esse testatur his verbis: *Tale est, Imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu mœrentibus facere voluisti: non quidem tu Reip. negligentia aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter vos placiti constantia*, etc. Quæ cum ita sint, quomodo stare potest quod ait Constantinus, Diocletianum post persecutionem Christianorum in amentiam versum, ob id sponte Imperio se abdicasse. Equidem facile crediderim, Diocletianum post cœptam persecutionem morbo correptum, de statu mentis aliquantisper deturbatum fuisse; maxime cum Constantinus et Eusebius id constanter affirment. Hoc enim evenire solet ægrotantibus, et præcipue melancholicis, cujusmodi Diocletianum fuisse ex nummis conjicere licet. Sed nego illum ob hanc causam Imperium posuisse. Porro in codice Fuk. et Turnebi totus hic locus ita legitur:

Digitized by Google

insaniæ, vill quodam clausus domicilio pœnas dedit. Quid igitur illi profuit bellum Deo nostro intulisse? ut scilicet fulminis ictum assidue metuens, reliquam deinceps vitam exigeret. Testatur hæc urbs Nicomedia : nec silent hi qui rem oculis viderunt, quorum ex numero etiam ipse sum. Vastabatur palatium, et Diocletiani ipsius conclave, fulmine ac cœlesti quodam incendio illud depascente. Ac eventus quidem earum rerum a prudentibus viris prædictus fuerat. Neque enim tacere poterant, nec gemitum suum in tanta rerum indignitate occultabant, sed palam et aperte ipsi inter se summa cum libertate hos sermones jactabant : Quis hic furor? quæ tanta potentiæ insolentia, ut homines Deo bellum inferre audeant, et sanctissimam justissimamque religionem contumelia afficere; atque tantæ multitudinis, adeoque hominum æquissimorum, sine ulla ipsorum culpa, cædem atque exitium machinari non dubitent? O præclarum magistrum modestiæ omnium subditorum! o præclarum institutorem curæ ac sollicitudinis quam milites pro civibus suis gerant! Pectora tribulium suorum perfodiebant hi, qui nunquam in acie terga hostium viderant. Tandem vero divini Numinis providentia tam impiorum facinorum pœnas ab illis exegit; nec tamen sine damno Reipublicæ. Tot porro

A μιᾶς εὐκαταφρονήτου οἰκήσεως καθειργμῷ ἐτιμωρήθη. τί δὴ τούτῳ συνήνεγκε, πρὸς τὸν Θεὸν ἡμῶν τὸν πόλεμον ἐνστήσασθαι; ἵν', οἶμαι, τὴν τοῦ κεραυνοῦ βολὴν δεδιὼς, διαγάγοι τὸν ἐπίλοιπον βίον. λιλεῖ Νικομήδεια, οὐ σιωπῶσι δὲ καὶ οἱ ἱστορήσαντες, ὧν καὶ αὐτὸς ὢν τυγχάνω. ἐδηοῦτο μέν τοι τὰ βασίλεια καὶ ὁ οἶκος αὐτοῦ, ἐπινεμομένου σκηπτοῦ, νεμομένης τε οὐρανίας φλογὸς· καὶ προείρητό γε ἡ τούτων ἔκβασις ὑπὸ τῶν εὖ φρονούντων· οὐδὲ γὰρ ἐσιώπων, οὐδὲ τὴν οἰμωγὴν τῶν ἀναξίως γεγομένων ἐπεκαλύπτοντο, φανερῶς δὲ καὶ δημοσίᾳ παῤῥησιαζόμενοι, πρὸς ἀλλήλους διελέγοντο. τίς ἡ τοσαύτη μανία; πόση δὲ ἡ τῆς δυναστείας ἐλαζονεία, τολμᾶν πολεμεῖν Θεῷ ὄντας ἀνθρώπους, ἀγνοτάτην δὲ καὶ δικαιοτάτην θρησκείᾳ θέλειν ἐμπαροινεῖν, τοσούτου δὲ δήμου καὶ ἀνθρώπων δικαίων ὄλεθρον, μηδεμιᾶς προϋπαρχούσης αἰτίας μηχανήσασθαι. ὦ τῆς τῶν πάντων ὑπηκόων σωφροσύνης διδάσκαλον, ὦ κηδεμονίας στρατοῦ πρὸς τοὺς ἑαυτῶν πολίτας. ἐτίτρωσκον τὰ στέρνα τῶν ὁμοφύλων, οἱ μηδέποτε τὰ τῶν πολεμίων ἐν παρατάξει μετάφρενα θεασάμενοι. τέλος γοῦν τὴν τῶν ἀνοσίων ἔργων ἐκδικίαν ἡ θεία πρόνοια μετῆλθεν, οὐ μὴν ἄνευ δημοσίας βλάβης· τοσαῦται γοῦν ἐγένοντο σφαγαί, ὅσαι εἰ κατὰ Βαρβάρων ἐγένοντο, ἱκανὰς εἶναι πρὸς αἰωνίαν εἰρήνην. πᾶν γάρ τὸ τοῦ προειρημένου βασιλέως στράτευμα, ὑποταχθὲν ἐξουσίᾳ τινὸς ἀχρήστου, βίᾳ τε τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν ἁρπάσαντος, προνοίας

B

C

D

VALESII NOTÆ.

Ἑαυτοῦ καταψηφισάμενος, καὶ διὰ τὴν ἐκ τῆς παραφροσύνης βλάβην μιᾶς εὐκαταφρονήτου οἰκήσεως καθειργμῷ ἑαυτὸν πιστεύσας· ἵν' οἶμαι τὴν τοῦ κεραυνοῦ βολὴν δεδιὼς διαγάγοι τὸν ἐπίλοιπον βίον. τί δὴ τούτῳ συνήνεγκε πρὸς τὸν Θεὸν ἡμῶν τὸν πόλεμον ἐνστήσασθαι. λαλεῖ. etc.

Ἐδηοῦτο μέν τοι τὰ βασίλεια. Intelligit palatium Nicomediæ, quod paulo post excitatam a Diocletiano persecutionem adversus Christianos, fortuito igne consumptum est. Et Imperatores quidem ipsi ac reliqui gentiles, Christianos hujus incendii auctores esse criminati sunt, atque idcirco acrioribus in eos suppliciis sævierunt, ut scribit Eusebius noster in lib. VIII Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 6, sub finem. Sed Constantinus palatium illud igne cœlitus immisso conflagrasse testatur. Cujus testimonium eo plus auctoritatis habet, quod ipse præsens adfuit, cum hæc Nicomediæ gererentur. Videtur autem Diocletianus hoc fulminis ictu attonitus, ad obitum usque deinceps ἐμβρόντητος permansisse, assidue formidans ne fulmine perculeretur. Id certe innuere videtur hæc Constantini narratio. Ex his patet, quantopere falsus sit Christophorsonus in vertendo hujus capitis titulo. Putavit enim palatium Diocletiani conflagrasse, postquam is imperio se addicasset : cum tamen id contigerit Diocletiano adhuc imperium obtinente, ac degente in Nicomediensi palatio.

Σωφροσύνης διδάσκαλον. Ultima vox deest in codice Fuketii.

Οἱ μηδέποτε τὰ μετάφρενα τῶν πολεμίων. Vel hoc dicit de tyronibus, qui recens in militiam ascripti, nondum cum hoste congressi fuerant; vel de timidis et ignavis militibus, qui ex acie fugere soliti erant, nec hostes unquam superaverant. Certe Diocletiani exercitus nihil memoria dignum egisse dicitur, nisi quod Achilleum diutina obsidione expugnavit Alexandriæ. Porro obscurum est, quid sibi velit Constantinus, cum ait milites illos transfixisse pectora civium suorum, id est, Christianorum. Credibile est Diocletianum, cum infensus esset Christianis, a quibus incensum fuisse palatium suum suspicabatur, mandasse militibus suis, ut quoquot in urbe vel in agris deprehendissent Christianos, obtruncarent. Certe multa Christianorum millia sub Diocletiano et Maximiano Nicomediæ cæsa referuntur : quorum memoriam Græci celebrant die 4 septembris et 28 mensis decembris.

Τοσαῦται γοῦν ἐγένοντο σφαγαί. Hæc periodus suo loco mota est. Locari enim debuerat statim post vocem θεασάμενοι, hoc modo : μετάφρενα θεασάμενοι. τοσαῦται γοῦν ἐγένοντο σφαγαί, ὅσαι εἰ κατὰ βαρβάρων ἐγένοντο, ἱκανὰς εἶναι πρὸς αἰωνίαν εἰρήνην. τέλος γοῦν, etc. Id est, *Pectora tribulium suorum perfodiebant hi qui nunquam in acie terga hostium viderant. Tot porro tantæque factæ sunt cædes, ut si in prœliis adversus Barbaros factæ fuissent, sufficere id potuerit ad perpetuam nobis pacem comparandam. Tandem vero divina providentia tam impiorum facinorum ab illis pœnas expetiit, nec tamen sine damno Reipublicæ. Totus enim ille supra memorati Imperatoris exercitus*, etc. Quid his clarius, quid apertius? Næ admodum pertinacem esse oportet illum, qui hæc ita restituenda esse negaverit.

Ὅσαι εἰ κατὰ βαρβάρων ἐγένοντο. Duplex hujus loci sensus potest esse. Aut enim ita verti potest ut vertit Portesius : *Sane cædis et sanguinis tanta vis fuit, ut si Barbarorum esset, ad fœdus sempiternum sufficeret.* Aut cum Christophorsono verti potest in hunc modum : *Tot plane factæ sunt cædes, quot si in Barbaros factæ fuissent, satis multæ ad æternam pacem constituendam videri potuissent.* Atque hic posterior sensus mihi quidem magis placet. Eadem plane sententia est Lucani in exordio Pharsaliæ cum dicit :

Heu quantum potuit terræ pelagique parari
Hoc quem civiles hauserunt sanguine dextræ.

Pro ὅσαι tamen melius scriberetur ὥστε. Sequitur enim ἱκανὰς εἶναι.

Τινὸς ἀχρήστου. Maxentium intelligit, ut ex sequentibus apparet. Quonam autem modo exercitus Diocletiani ad Maxentium transierit, non difficile est divinare. Post abdicationem Diocletiani Galerius Maximianus ejus copias accepit; quarum partem Severo Cæsari ad Italiæ tutelam tradidit. Paulo post, cum Maxentius imperium Romæ arripuisset. Severum cum copiis adversus eum misit Galerius. Sed Maxentius dolis et pollicitationibus corruptum Severi exercitum, ad suas partes traduxit. Post hæc Galerius cum ma-

Digitized by Google

Θεοῦ τὴν μεγάλην πόλιν ἐλευθερούσης, πολλοῖς καὶ παντοδαποῖς πολέμοις ἀνήλωται. ἀλλὰ μὴν καὶ αἱ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκφωνήσεις τῶν πιεζομένων, καὶ τὴν ἔμφυτον ἐλευθερίαν ποθούντων, καὶ οἱ μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν κακῶν τῆς εὐχαριστίας πρὸς τὸν Θεὸν ἔπαινοι, ἀποδοθείσης τῆς ἐλευθερίας αὐτοῖς καὶ τῶν μετὰ δικαιοσύνης συμβολαίων, πῶς οὐ παντὶ τρόπῳ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν καὶ τὴν πρὸς ἀνθρώπους στοργὴν χαρακτηρίζουσιν; A tantæque factæ sunt cædes nostrorum, ut si tantæ unquam factæ essent barbarorum strages, sufficturum id fuerit ad perpetuam nobis pacem comparandam. Totus enim ille supra memorati imperatoris exercitus, cum in potestatem venisset hominis ignavi qui imperium Romanum per vim rapuerat, Deo tandem urbi Romanæ libertatem restituente, multis et maximis prœliis penitus extinctus est. Sed et voces Deum adjutorem inclamantium tunc cum opprimerentur, et innatam sibi libertatem omnibus votis optarent, laudes item post malorum depulsionem, cum gratiarum actione Deo persolutæ, cum libertas et contractuum æquitas ipsis reddita esset; an non singularem Dei providentiam, et paternam adversus homines caritatem modis omnibus declarant?

CAP. XXVI. — QUOD DEUS CAUSA FUIT PIETATIS IMPERATORIS, ET QUOD EVENTUS PROSPEROS A DEO POSCERE, EIQUE ACCEPTOS FERRE DEBEMUS; SECUS AUTEM GESTA, NEGLIGENTIÆ NOSTRÆ IMPUTARE.

Ὅταν δὲ τὴν ἐμὴν ὑπηρεσίαν ἐπαινοῦσιν, ἐξ ἐπιπνοίας B Θεοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχουσαν, ἆρ' οὐ τῆς ἐμῆς ἀνδραγαθίας τὸν Θεὸν αἴτιον εἶναι διαβεβαιοῦνται; πάντων γε μάλιστα· ἔστι γὰρ Θεοῦ ἴδιον, τὸ τὰ ἄριστα πράττειν, ἀνθρώπων δέ, τὸ τῷ Θεῷ πείθεσθαι. ἔστι δὲ οἶμαι διακονία καλλίστη τε καὶ ἀρίστη, εἴ τις πρὸ τῆς ἐγχειρήσεως προκατασκευάζει τὴν τῶν πραχθησομένων ἀσφάλειαν· καὶ ἐπίστανται γε πάντες ἄνθρωποι τὴν τῶνδε τῶν χειρῶν ἁγιωτάτην λατρείαν, ὀφείλεσθαι τῷ Θεῷ πίστει καθαρᾷ καὶ εἰλικρινεστάτῃ. καὶ σύν γε ταῖς χερσὶν εὐχαῖς τε καὶ λιτανείαις, πᾶν ὅσον ἤνυσται ὑπὲρ συμφέροντος, κατορθοῦσθαι· πρὸς γενομένης ὠφελείας ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τοσαύτης, ὅσην ἂν ἕκαστος αὐτῷ τε καὶ τοῖς φιλτάτοις ἤυξατο· ἱστόρησαν δὲ καὶ τὰς μάχας, καὶ ἐθεάσαντο καὶ τὸν πόλεμον, τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας τὴν νίκην τῷ δήμῳ βραβευούσης, καὶ εἶδον τὸν C Meam porro operam cum laudant, quæ ex divini Numinis instinctu sumpsit exordium; an non aperte confirmant, fortium facinorum meorum Deum auctorem fuisse? Ita certe. Dei enim proprium est optima quæque agere, hominum vero obsequi. Illud porro optimum ac præstantissimum ministerium est, cum quis antequam manum operi admoveat, sedulo prospicit ut cuncta quam tutissime gerantur. Norunt qui dem omnes mortales harum manuum sanctissimum ministerium Deo debere cum pura ac sincera fide, et precibus ac supplicationibus cum manuum opera conjunctis, quicquid actum est pro hominum utilitate, feliciter esse confectum: quippe cum tantum utilitatis et privatim et publice in omnes redundaverit, quantum quisque tum sibi, tum necessariis suis optaverat. Pugnas etiam viderunt, et spectatores

VALESII NOTÆ.

joribus copiis adversus Maxentium profectus, ipse quoque simili militum proditione desertus est. Ita Diocletiani milites in potestatem Maxentii venerunt.

Προνοίας θεοῦ τὴν μεγάλην πόλιν. In codice Fuk. ac Turnebi ita legitur hic locus: προνοίας τε θεοῦ ἡ μεγάλη πόλις οὐκ εὐμοιροῦσα.

Ἀλλὰ μὴν καὶ. Scribendum est ἀλλὰ μὴν αἱ πρὸς τὸν θεὸν ἐκφωνήσεις, etc., codex Fuk. ἀλλὰ μὴν καὶ αἱ.

Καὶ τῶν μετὰ δικαιοσύνης συμβολαίων. Gloriatur Constantinus, quod profligata Maxentii tyrannide Romanis libertatem et contractus cum justitia reddiderit. Nam post cædem tyranni, quæcumque ab eo vel a judicibus ejus gesta fuerant, infirmabantur. Itaque si quis dignitate ab illo auctus fuisset, ad pristinum statum redibat, et codicillos impetratæ dignitatis ad legitimum Principem referre cogebatur. Sententiæ quoque ac decreta, quæ iis temporibus prompserant judices, ex publicis scriniis ac tabulariis auferebantur. Denique totum illud tempus tyrannidis pro nullo habebatur, perinde ac si nunquam fuisset. Quare nec ad præscriptionem longi temporis proficiebat. Pacta quoque et conventa, et cujusquemodi contractus per id temporis spatium inter privatos transacti, pariter infirmabantur, idque stricto jure. Verum legitimi Principes parta de tyrannis victoria, postquam omnes eorum actus infirmaverant; pacta, venditiones, donationes manumissiones, et hujusmodi privatorum gesta confirmare consueverant, data publicæ constitutionis indulgentia; ne si hæc omnia irrita fierent, privatorum quies ac securitas conturbaretur. Docent id Imperatorum leges in cod. Theodosiano lib. XV, *de infirmandis his quæ sub tyrannis gesta sunt*. Ex quibus intelligimus, cur Constantinus dicat se contractus Romanis edidisse. In codice Fuk. συμβόλων scribitur non συμβολαίων. Ad hunc morem alludere videtur Rufinus in fine libri IX, cum ait: *Edictis namque frequentibus per omnem locum propositis, non solum tyrannicas adversus Christianos depulerat leges, jusque civile reddiderat*, etc.

Πάντων γε μάλιστα. Scribendum est πάντως, et ante hanc vocem ponenda est interrogatio, quemadmodum legisse videtur Christophorsonus.

Τὴν τῶνδε χειρῶν ἁγιωτάτην λατρείαν. Non possum probare interpretationem Christophorsoni qui vertit: *Manuum ad cœlos sublatarum cultum*. Ego vero non dubito quin λατρεία hoc loco idem sit ac *ministerium*. Ait enim Constantinus, homines Deo debere præstare manuum suarum ministerium; idque cum fide pura ac sincera. διακονίαν et ὑπηρεσίαν supra dixerat eodem sensu. Certe χεῖρες pro manibus ad cœlum elevatis, seu pro precibus, quomodo dici possint non video. Sed et quæ sequuntur, apertissime refellunt versionem Christophorsoni. Addit enim Constantinus καὶ σύν γε ταῖς χερσὶν, etc. Id est, *precibus quoque et supplicationibus cum manuum opera ac ministerio conjunctis, quidquid actum est pro hominum utilitate feliciter esse confectum*. Postquam enim Constantinus dixit homines manuum suarum ministerium Deo debere præstare, addit non solum manus Deo commodandas, sed etiam preces ac supplicationes adhibendas, ut res quas agendas suscepimus, feliciter cedant. Hoc est quod Græci vulgari proverbio dicere solebant σὺν ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει, quo indicabant, simul cum precatione manum operi esse admovendam. Porro cum ait Constantinus τῶνδε τῶν χειρῶν λατρείαν, de seipso loquitur, eo modo quo apud Virgilium Æneas:

Si pergama dextra
Defendi possent, dextra hac defensa fuissent.

Ἱρὸς γενομένης ὠφελείας. Scribendum est uno verbo προσγενομένης, quod miror a Scaligero et aliis animadversum non fuisse. Ita certe codex Fuketii.

Τὴν νίκην τῷ δήμῳ βραβευούσης. Populum Romanum

Digitized by Google

fuerunt prælii, cum divina providentia victoriam populo largita est : animadverterunt faventem precibus nostris atque aspirantem Deum. Quippe invicta res est, justa precatio, nec unquam voto suo excidit, qui sancte Deo supplicasset. Neque enim locus repulsæ relinquitur, nisi quoties vacillaverit fides. Etenim Deus semper propitius adest, hominum probitatem benigno excipiens vultu. Quamobrem interdum quidem labi humanum est ; humanorum vero lapsuum nequaquam auctor est Deus. Quicunque ergo pietatem consectantur, gratias omnium Servatori, pro nostra suaque ipsorum salute, et pro Reipublicæ prospero statu agere debent, sanctisque precibus et continuis supplicationibus Christum nobis propitium reddere, ut beneficia sua perpetua esse velit. Hic enim auxiliator invictus, et propugnator est justorum. Idem judex optimus, antesignanus immortalitatis, et vitæ æternæ largitor.

A

B

Θεὸν ἡμετέραις εὐχαῖς συναιρόμενον· ἀνίκητον γὰρ χρῆμα ἡ δικαία προσευχή· καὶ οὐδεὶς ὁσίως λιτανεύων ἀποτυγχάνει τοῦ σκοποῦ· οὐδὲ γὰρ περιλείπεται κόσμος ἀποτεύγματι, εἰ μὴ μόνον ἔνθα ἂν τὸ τῆς πίστεως ὀκλάζῃ· ὁ γάρ τοι Θεὸς ἀεὶ πάρεστιν εὐμενής, τὴν τῶν ἀνθρώπων προσδεχόμενος καλοκαγαθίαν. διὸ ἀνθρώπινον μέν, πταῖσαι ποτέ, ὁ δὲ Θεὸς, ἀναίτιος τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων· διὸ χρὴ τοὺς πάντας τοὺς τὴν θεοσέβειαν κατα διώκοντας, χάριν ὁμολογεῖν τῷ Σωτῆρι τῶν πάντων, ἕνεκεν τῆς ἡμετέρας αὐτῶν σωτηρίας, καὶ τῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων εὐμοιρίας, ὁσίαις τε εὐχαῖς καὶ λιτανείαις ἐπαλλήλοις ἐξιλεοῦσθαι τὸν Χριστὸν ἡμῖν, ὅπως τὰς εὐεργεσίας αὐτοῦ διαφυλάττοι· οὗτος γάρ ἐστιν ἀήττητος σύμμαχος καὶ ὑπερασπιστὴς τῶν δικαίων. ὁ δὲ αὐτὸς κριτὴς ἄριστος, ἀθανασίας ἡγεμὼν, αἰδίου ζωῆς χορηγός.

VALESII NOTÆ.

intelligit, qui cum Maxentii tyrannide oppressus esset, pro Constantino adversus Maxentium vota faciebat. Et hic quidem sensus tolerari potest. Verumtamen re attentius examinata, aliquid mendi hic subesse suspicor. Ac fortasse legendum τὴν νίκην τῷ ἐμῷ στρατεύματι βραβευούσης.

Περιλείπεται κόσμος. Hoc loco κόσμος ponitur pro prætextu ; quod vocabulum in oratione latina Constantini cum Interpres non intelligeret, ita vertit : melius facturus, si πρόφασις posuisset. Male igitur Portesius et Christophorsonus *mundum* interpretati sunt.

Ἀναίτιος τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων. Scribendum est πταισμάτων, ut in libro Moræi emendatum inveni. Atque id jam ante monuerant Genevenses ex Scaligeri et Bongarsii libris, quibus sub scribit codex Fuketii.

Τῆς ἡμετέρας αὐτῶν σωτηρίας. Non assentior Scaligero, Bongarsio, Gruteroque, qui hunc locum sic emendant : τῆς ἡμῶν αὐτῶν σωτ. Ego malim legere τῆς ἡμετέρας καὶ σφῶν αὐτῶν σωτηρίας, quam scripturam in versione mea secutus sum. In codice Fuk. scribitur τῆς τε ἡμῶν αὐτῶν. In schedis autem scriptum est τῆς τε ἡμέρας αὐτῷ, etc.

Pars tertia.

EPISTOLÆ.

ANNO DOMINI CCCXIII.

EPISTOLA CONSTANTINI AD MELCHIADEM.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1429, *ed. Coleti.*)

Petit Romæ concilium congregari in causa Cæciliani et Donatistarum.

Constantinus Augustus Melchiadi episcopo Romano (1) ***hierarchæ.***

Quoniam hujusmodi litteræ complures ab Anulino (2) clarissimo Africæ proconsule ad me missæ sunt, in quibus constat Cæcilianum episcopum Carthaginensium a quibusdam collegis suis in Africa ordinatis episcopis multis de rebus in crimen vocari ; et illud mihi permolestum videtur, ut in his provinciis, quas divina providentia ultro ac sua sponte sub meum subjunxerit imperium, et in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modo multitudo ad deteriora deflectat et distrahatur dissidiis, sed episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant, visum est mihi, ut idem Cæcilianus cum decem episcopis, qui illum reum facere videantur, et decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat, ut ibi coram vobis, et Rheticio etiam, et Materno, et Ma-

C

Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων καὶ Μάρκῳ.

Ἐπειδὴ τοιοῦτοι χάρται παρὰ Ἀνυλίνου τοῦ λαμπροτάτου ἀνθυπάτου τῆς Ἀφρικῆς πρὸς μὲ πλείους ἀπεστάλησαν, ἐν οἷς ἐμφέρεται Καικιλιανὸν τὸν ἐπίσκοπον τῆς Καρταγωνησίων πόλεως παρά τινων κολλήγων αὐτοῦ τῶν κατὰ τὴν Ἀφρικὴν καθεστώτων, ἐν πολλοῖς πράγμασιν αὐθύνεσθαι· καὶ τοῦτό μοι βαρὺ σφόδρα δοκεῖ, τὸ ἐν ταύταις ταῖς ἐπαρχίαις ἐς τῇ ἐμῇ καθεσιώσει αὐθαίρετος ἡ θεία πρόνοια ἐνεχείρισε, κἀκεῖσε πολὺ πλῆθος λαοῦ, ὄχλον ἐπὶ τὸ φαυλότερον ἐπιμίνοντα εὑρίσκεσθαι ὡσανεὶ διχοστατοῦντα, καὶ μεταξὺ ἐπισκόπους διαφόρως ἔχειν, ἔδοξέ μοι ἵν' αὐτὸς ὁ Καικιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτῶν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἑτέρων οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκαίους ὑπολάβοι, εἰς τὴν Ῥώμην πλῷ ἀπιέναι· ἵν' ἐκεῖσε ὑμῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴν καὶ Ῥετικίου καὶ Ματέρνου καὶ Μαρίνου τῶν κολλήγων ὑμῶν, οὓς τούτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ῥώμην προσέταξα ἐπισπεῦσαι, δυνηθῇ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν· ἵνα μέντοι καὶ περὶ πάντων αὐτῶν τούτων πληρι-

(1) *Et Marco* additur in editione Jo. Christophorsoni, cujushic sequitur versio.

(2) Græce scribitur apud Euseb. Ἀνυλῖνος, et minus recte nonnunquam Ἀνύλινος.

Digitized by Google

στάτην δυνηθῆτε ἔχειν γνῶσιν, τὰ ἀντίτυπα τῶν ἐγγράφων τῶν πρὸς μὲ παρὰ Ἀνυλίνου ἀποσταλέντων, γράμμασιν ἡμοῖς ὑποτάξας, πρὸς τοὺς προειρημένους κόλληγας ὑμῶν ἐξέπεμψα· οἷς ἐντυχοῦσα ἡ ὑμετέρα στερρότης, δοκιμάσει ὃν τινα χρὴ τρόπον τὴν προειρημένην δίκην ἐκμελέστατα διευκρινῆσαι, καὶ κατὰ τὸ δίκαιον τερματίσαι· ὁπότε μὴ δὲ τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν λανθάνει, τοσαύτην μὲ αἰδῶ τῇ ἐν θέσμῳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἀπονέμειν, ὡς μηδὲν καθόλου σχίσμα ἢ δίχοστασίαν ἔν τινι τόπῳ βούλεσθαί με ὑμᾶς καταλιπεῖν. ἡ θειότης ὑμᾶς τοῦ μεγάλου Θεοῦ διαφυλάξοι πολλοῖς ἔτεσι τιμιώτατοι.

rino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, ut nostis, postulat. Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria litterarum ad me ab Anulino missarum, litteris meis subscripta, adversus prædictos collegas misi; quas cum vestra gravitas perlegerit, exquisite ponderabit, quomodo, quave ratione lis illa, quam supra diximus, diligentissime rectissimeque dirimatur, et ex juris præscripto tandem aliquando absolvatur: quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reverentiam sanctæ et catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generare schisma, nullam discordiam ullo in loco omnino relinquere. Summa Dei majestas vos, honoratissimi viri, multos annos conservet.

Alterum exemplum epistolæ Constantini imperatoris, qua episcoporum concilium Romæ fieri jubet pro unitate et concordia ecclesiarum.

Constantinus Augustus Miltiadi episcopo urbis Romæ et Marco. Quoniam hujusmodi plures libelli a viro clarissimo Anulino Africæ proconsule ad me sunt missi, in quibus continetur Cæcilianum Carthaginensium urbis episcopum a quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de causis insimulari; quod quidem permolestum mihi videtur, in istis provinciis quas divina providentia meæ devotioni spontanea deditione tradidit, et in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire, placuit mihi ut idem Cæcilianus una cum decem episcopis qui accusare ipsum videntur, et cum decem aliis quos ipse ad suam causam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis et coram Reticio, Materno ac Marino collegis vestris, quos ea causa Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optime nostis. Porro ut totius negotii plenissimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum, litteris subjecta ad collegas vestros supradictos transmisi. Quibus lectis perpendet gravitas vestra, quonam modo supra memorata controversia accuratissime dijudicanda sit, et ex præscripto justitiæ terminanda. Siquidem nec tuam sedulitatem latet, tantam a me reverentiam sanctissimæ Ecclesiæ catholicæ exhiberi, ut generaliter nullum schisma aut dissidium ullibi a vobis relinqui velim. Divinitas summi Dei multis vos annis servet, charissime.

EPISTOLA PRIMA CONSTANTINI ET LICINII AD ANULINUM.

(*Eus. Hist. Eccl. lib.* x, *c.* 5.)

Imperatores soli Ecclesiæ catholicæ beneficium a se concessum esse declarant.

Χαῖρε Ἀνυλῖνε τιμιώτατε ἡμῖν. ἔστιν ὁ πρόκος οὗτος τῆς φιλαγαθίας τῆς ἡμετέρας, ὥστε ἐκεῖνα ἅπερ δικαίῳ ἀλλοτρίῳ προσήκει, μὴ μόνον μὴ ἐνοχλεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀποκαθιστᾶν βούλεσθαι ἡμᾶς, Ἀνυλῖνε τιμιώτατε. ὅθεν βουλόμεθα ἵν' ὁπόταν ταῦτα τὰ γράμματα κομίσῃ, εἴ τινα ἐκ τούτων τῶν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ καθολικῇ τῶν χριστιανῶν ἐν ἑκάσταις πόλεσιν ἢ καὶ ἄλλοις τόποις διάφορον, καὶ κατέχοιντο νῦν ἢ ὑπὸ πολιτῶν, ἢ ὑπό τινων ἄλλων, ταῦτα ἀποκατασταθῆναι παραχρῆμα ταῖς αὐτῶν ἐκκλησίαις ποιήσῃς. ἐπειδήπερ προγεγράμμεθα ταῦτα ἅπερ αἱ αὐταὶ ἐκκλησίαι πρότερον ἐσχήκεσαν, τῷ δικαίῳ αὐτῶν ἀποκατασταθῆναι. ὅπως τοίνυν συνορᾷ ἡ καθοσίωσις ἡ σὴ ταύτης ἡμῶν τῆς κελεύσεως σαφεστάτου εἶναι τὸ πρόσταγμα, σπούδασον, εἴτε κῆποι, οἰκίαι, εἴθ' ὁτιοῦν δήποτε τῷ δικαίῳ τῶν αὐτῶν ἐκκλησιῶν διάφερον, σύμπαντα αὐταῖς ἀποκατασταθῆναι ὡς τάχιστα· ὅπως τούτῳ ἡμῶν τῷ προστάγματι ἐκμελεστάτην σε πειθάρκησιν παρεσχηκέναι καταμάθοιμεν. ἔρρωσο Ἀνυλῖνε τιμιώτατε καὶ ποθεινότατε ἡμῖν.

Ave, Anuline charissime nobis. Est hic mos bonitatis nostræ, ut ea quæ ad alienum jus pertinent, non modo nulla inquietudine affici, sed etiam restitui velimus, Anuline charissime. Quapropter jubemus, ut simul atque has litteras acceperis, si quæ ex illis quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam per singulas civitates, aut in aliis locis pertinebant, nunc a Decurionibus aut quibuslibet aliis detinentur; ea confestim illorum ecclesiis restitui facias. Quandoquidem volumus, ut quæ supradictæ ecclesiæ antea possederunt, ad earumdem jus omnino revertantur. Cum ergo perspiciat devotio tua, hujus nostræ jussionis manifestissimum esse præscriptum; operam dabis, ut sive horti, sive ædes, seu quodcumque aliud ad jus earumdem ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituantur: quo scilicet te huic nostro præcepto accuratissime obtemperasse intelligamus. Vale, Anuline charissime et desideratissime nobis.

EPISTOLA ANULINI PROCONSULIS AD CONSTANTINUM.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1428, *ed. Col.*)

CUM LIBELLO DONATISTARUM IMPERATORE OBLATA.

Scripta cœlestia Majestatis vestræ accepta atque adorata, Cæciliano, et his qui sub eodem agunt, quique clerici appellantur, devotio parvitatis meæ insinuare curavit, eosdemque hortata est, ut unitate consensu omnium facta, cum omni omnino munere indulgentiæ Majestatis vestræ liberati esse videantur

Digitized by Google

catholici, custodita sanctitate legis, debita reverentia divinis rebus inserviant. Verum post paucos dies extiterunt quidam, adunata secum populi multitudine, qui Cæciliano contradicendum putarent, quique fasciculum in aluta signatum, et libellum sine signo obtulerunt dicationi meæ; atque impendio postularunt, ut ad sacrum et venerabilem comitatum nominis vestri dirigerem: quæ manente Cæciliano in statu suo, subjectis eorumdem actis, quo cuncta Majestas vestra possit dignoscere, parvitas mea dirigere curavit.

EPISTOLA II CONSTANTINIAD ANULINUM.

(*Eus. Hist. Eccl. lib.* x, *c.* 7.)

Ecclesiarum præsides a publicis functionibus immunes esse jubet.

Ave, Anuline carissime nobis. Cum ex multis rebus constet, religionem illam in qua summa divinæ Majestatis reverentia custoditur, spretam quidem maxima Reipublicæ importasse discrimina; eamdem vero rite susceptam ac custoditam, et nomini Romano maximam prosperitatem, et cunctis mortalium rebus, divina id tribuente beneficentia, præcipuam felicitatem contulisse, placuit ut homines illi qui cum debita sanctimonia et assidua hujus legis observantia ministerium suum divinæ religionis cultui exhibent, laborum suorum mercedem reportent, Anuline carissime nobis. Quocirca eos homines qui intra Provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt; ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summæ Divinitati debito abstrahantur; sed ut potius absque ulla inquietudine propriæ legi deserviant. Quippe his summam venerationem divino Numini exhibentibus, maximum inde emolumentum Reipublicæ videtur accedere. Vale, Anuline carissime ac desideratissime nobis.

Χαῖρε Ἀνυλῖνε τιμιώτατε ἡμῖν. ἐπειδὴ ἐκ πλειόνων πραγμάτων φαίνεται παρεξουθενηθεῖσαν τὴν θρησκείαν ἐν ᾗ ἡ κορυφαία ἁγιωτάτης τῆς ἐπουρανίου αἰδὼς φυλάττεται, μεγάλους κινδύνους ἐνηνοχέναι τοῖς δημοσίοις πράγμασιν, αὐτήν τε ταύτην ἐνθέσμως ἀναληφθεῖσαν καὶ φυλαττομένην, μεγίστην εὐτυχίαν τῷ Ῥωμαϊκῷ ὀνόματι, καὶ σύμπασι τοῖς τῶν ἀνθρώπων πράγμασιν ἐξαίρετον εὐδαιμονίαν παρεσχηκέναι, τῶν θείων εὐεργεσιῶν τοῦτο παρεχουσῶν, ἔδοξεν ἐκείνους τοὺς ἄνδρας τοὺς τῇ ὀφειλομένῃ ἁγιότητι καὶ τῇ τοῦ νόμου τούτου παρεδρίᾳ τὰς ὑπηρεσίας τὰς ἐξ ἑαυτῶν, τῇ τῆς θείας θρησκείας θεραπείᾳ παρέχοντας, τῶν καμάτων τῶν ἰδίων τὰ ἔπαθλα κομίσασθαι, Ἀνυλῖνε τιμιώτατε. διόπερ ἐκείνους τούς εἴσω τῆς ἐπαρχίας τῆς σοι πεπιστευμένης ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ᾗ Καικιλιανὸς ἐφίστηκε, τὴν ἐξ ἑαυτῶν ὑπηρεσίαν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ θρησκείᾳ παρέχοντας, οὕσπερ κληρικοὺς ἐπονομάζειν ἐιώθασιν, ἀπὸ πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν λειτουργιῶν βούλομαι ἀλειτουργήτους διαφυλαχθῆναι· ὅπως μὴ διά τινος πλάνης ἢ ἐξολισθήσεως ἱεροσύλου ἀπὸ τῆς θεραπείας τῆς τῇ θειότητι ὀφειλομένης ἀφέλκωνται, ἀλλὰ μᾶλλον ἄνευ τινὸς ἐνοχλήσεως τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται· ὥνπερ μεγίστην περὶ τὸ θεῖον λατρείαν ποιουμένων, πλεῖστον ὅσον τοῖς κοινοῖς πράγμασι συνοίσειν δοκεῖ. ἔρρωσο, Ἀνυλῖνε τιμιώτατε καὶ ποθεινότατε ἡμῖν.

EPISTOLA CONSTANTINI AD CÆCILIANUM.

(*Eus. Hist. Eccl. lib.* x, *c.* 6.)

Imperator pecunias Ecclesiis donat.

Constantinus Augustus Cæciliano, episcopo Carthaginensi.

Quando quidem placuit nobis ut per omnes provincias Africæ, Numidiæ, et utriusque Mauritaniæ, certis quibusdam legitimæ et sanctissimæ religionis Catholicæ ministris ad sumptus necessarios aliquid præberetur; litteras dedi ad Ursum virum Perfectissimum Rationalem Africæ, eique significavi ut ter mille folles tuæ Gravitati numerari curaret. Tu itaque ubi prædictam quantitatem acceperis, operam dabis, ut cunctis supra memoratis juxta brevem ab Hosio ad te directum ea pecunia dividatur. Quod si forte ad mentem erga vos omnes in hac parte studium explendum deesse aliquid intellexeris, incunctanter quidquid necessarium tibi videbitur, ab Heraclida Procuratore prædiorum nostrorum petere debes. Nam et ipsi coram mandavi, ut si quid pecuniæ Gravitas tua ab ipso postularet, absque ulla dubitatione dinumerandum tibi curaret. Et quoniam accepi quosdam non satis compositæ mentis homines id agere, ut sanctissimæ et Catholicæ Ecclesiæ populum improba

Κωνσταντῖνος Αὔγουστος Καικιλιανῷ, ἐπισκόπῳ Καρταγένης.

Ἐπειδήπερ ἤρεσε κατὰ πάσας ἐπαρχίας, τάς τε Ἀφρικὰς καὶ τὰς Νουμιδίας καὶ τὰς Μαυριτανίας, ῥητοῖς τισι τῶν ὑπηρετῶν τῆς ἐνθέσμου καὶ ἁγιωτάτης καθολικῆς θρησκείας, εἰς ἀναλώματα ἐπιχορηγηθῆναί τι, ἔδωκα γράμματα πρὸς Οὖρσον τὸν διασημότατον καθολικῶν τῆς Ἀφρικῆς, καὶ ἐδήλωσα αὐτῷ, ὅπως τριχιλίους φόλλεις τῇ σῇ στερρότητι ἀπαριθμῆσαι φροντίσῃ. σὺ τοίνυν ἡνίκα τὴν προδηλουμένην ποσότητα τῶν χρημάτων ὑποδεχθῆναι ποιήσεις, ἅπασι τοῖς προειρημένοις κατὰ τὸ βρεοὺιον τὸ πρὸς σὲ παρὰ Ὁσίου ἀποσταλὲν, ταῦτα τὰ χρήματα διαδοθῆναι κέλευσον. εἰ δ' ἄρα πρὸς τὸ συμπληρωθῆναί μου τὴν εἰς τοῦτο περὶ ἅπαντας αὐτοὺς προαίρεσιν, ἐνδεῖν τι καταμάθοις, παρὰ Ἡρακλείδα τοῦ ἐπιτρόπου τῶν ἡμετέρων κτημάτων, ἀναμφιλέκτως ὅπερ ἀναγκαῖον εἶναι καταμάθοις, αἰτῆσαι ὀφείλεις. καὶ γὰρ παρόντι αὐτῷ προσέταξα, ἵν' εἴ τι ἂν χρημάτων παρ' αὐτοῦ ἡ σὴ στερρότης αἰτήσῃ, ἄνευ διισταγμοῦ τινος ἀπαριθμῆσαι φροντίσῃ. καὶ ἐπειδὴ ἐπυθόμην τινὰς μὴ καθεστώσης διανοίας τυγχάνοντας ἀνθρώπους, τὸν λαὸν

Digitized by Google

τῆς ἁγιωτάτης καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας φαύλῃ τινὶ ὑπονοθεύσει βούλεσθαι διαστρέφειν γίνωσκέ με Ἀνυλίνῳ ἀνθυπάτῳ, ἀλλὰ μὴν καὶ Πατρικίῳ τῷ Οὐικαρίῳ τῶν ἐπάρχων παροῦσι τοιαύτας ἐντολὰς δεδωκέναι· ἵν' ἐν τοῖς λοιποῖς ἅπασι καὶ τούτου μάλιστα τὴν φροντίδα ποιήσωνται τὴν προσήκουσαν, καὶ μὴ ἀνέχωνται περιορᾶν τοιοῦτο γινόμενον. διόπερ εἴ τινας τοιούτους ἀνθρώπους ἐν αὐτῇ τῇ μανίᾳ ἐπιμένειν κατίδοις, ἄνευ τινὸς ἀμφιβολίας τοῖς προειρημένοις δικασταῖς πρόσελθε, καὶ αὐτὸ τοῦτο προσανένεγκε, ὅπως αὐτοὺς ἐκεῖνοι, καθάπερ αὐτοῖς παροῦσιν ἐκέλευσα, ἐπιστρέψωσιν. ἡ θειότης τοῦ μεγάλου Θεοῦ σε διαφυλάξοι ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσιν.

atque adulterina falsitate corrumpant, scias me Anulino Proconsuli, et Patricio Vicario Præfectorum coram hæc dedisse mandata, ut inter cætera hujus rei competentem curam gerant; nec si quid ejusmodi agatur, negligere ac dissimulare sustineant. Itaque si quos ejuscemodi homines in hac amentia perseverare conspexeris, absque ulla hæsitatione supradictos judices adibis; idque ipsis referes, ut ii eos, quemadmodum ipsis coram mandavi, animadvertant. Divinitas summi Dei multis annis te servet.

ANNO DOMINI CCCXIV.

EPISTOLA CONSTANTINI AD ÆLAFIUM.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1445, *ed. Col.*)

Quod partes Donatistarum litigantes Arelate ad concilium convocari oporteat.

Constantinus Augustus Ælafio (1).

Jam quidem antehac, cum perlatum fuisset ad scientiam meam, apud Africam nostram plures vesano furore vanis criminationibus contra se invicem super observantia sanctissimæ fidei catholicæ dissidere (*al.* discedere) cœpisse, dirimendæ dissensionis hujusmodi causa placuerat mihi, ut ad urbem Romam tam Cæcilianus Carthaginensis episcopus, contra quem vel maxime universi sæpe me convenerant, quam etiam aliqui ex his, qui ei quædam objicienda crediderant, præsentiam sui exhiberent. Nam etiam ad supradictam urbem nostram Romam quosdam episcopos ex Galliis ire præceperam; ut tam hi pro integritate vitæ suæ, atque laudabili instituto, sed et septem ejusdem communionis, quam etiam urbis Romæ episcopus, atque illi qui cum iisdem cognoscerent, possent rei quæ videbatur esse commota, finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcumque in præsentia eorum fuerunt gesta, cuncta ad scientiam meam etiam actis habitis retulerunt; verbo insuper affirmantes, quod judicium suum pro rerum fuisset æquitate depromptum, eosque potius causæ obnoxios esse dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putaverunt commovere, adeo ut istud post judicium habitum Africam ipsos remeasse perhiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æstimatione speraveram, quod omnibus omnino seditionibus et contentionibus, quæ ab iis hominibus videbantur subito commotæ, finis debitus fuisset impositus. Sed cum dictationis tuæ scripta legissem, quæ ad Nicasium et cæteros super iisdem simulationibus Gravitas tua mittenda crediderat, evidenter agnovi, quod neque respectum salutis suæ, neque, quod est majus, Dei omnipotentis venerationem ante oculos suos velint ponere. Siquidem ea agere persistant, quæ non modo ad ipsorum dedecus infamiamque pertineant, sed etiam his hominibus detrahendi dent facultatem (*al.* facilitatem), qui longe ab hujusmodi sanctissima observantia sensus suos noscuntur avertere (1). Nam id quoque te scire convenit, quod ex iisdem venerunt, asserentes quod minus dignus idem Cæcilianus cultu sanctissimæ (*al.* sincerissimæ) religionis habeatur. Et contra id quod iisdem responderam, frustra eos id jactare, quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris episcopis terminata, obnixe ac pertinaciter respondendum æstimaverunt, quod eorum omnis causa non fuisset audita; sed potius iidem episcopi quodam loco se clausissent, et prout ipsis aptum fuerat judicassent. Quare cum hæc tot et tanta nimium obnixas dissensiones protrahere perviderem, ita ut nullomodo finis iisdem dare posse videretur, nisi et Cæcilianus idem, et ex his qui contra eum dissident, tres aliqui in judicium eorum, qui cum Cæciliano sentiunt consensumque debent, ad Arelatense oppidum venerint: injungendum solertiæ tuæ duxi, ut mox has litteras meas acceperis, cum Cæcilianum supradictum, cum aliquibus ex his quos ipse delegerit (sed et de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, et Mauritaniarum provinciis, singuli quique aliquantos ex suis perducere debebunt, quos ipsi putaverint eligendos); sed etiam aliquos qui contra eumdem Cæcilianum dissentiunt, data evectione publica, per Africam et Mauritaniam, inde ad Hispanias brevi tractu facias navigare. Et inde nihilominus his in singulis episcopis singulas tractorias tribuas, ut ipsi ad supradictum locum intra diem kalendarum augustarum possint pervenire, celeriter intimaturus iisdem, ut antequam proficiscantur, debeant disponere, quatenus absentibus ipsis et disciplina competens habeatur, et nulla forte seditio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dedecus spectet, oriatur. De cætero plena cognitione suscepta finis adhibeatur. Quia cum præsentiam sui exhibuerint, universa quæ nunc in contentione esse noscuntur, non immerito finem debent accipere maturum, ut protinus possint terminari atque componi. Nam cum apud me certum sit te quoque Dei summi esse cultorem',

(1) Elafio, vel, ut alii, Ablabio, sive Ablavio, non minus recte Æliano, qui fuit proconsul, ut ex gestis purgationis Cæciliani constat, quæ paulo post referemus, et ex ep. ad Probianum successorem. Qua de re in notis plura.

(1) Vide Augustini epistola LXVIII, CLXII, CLXV et lib. I contra epistolam Parmeniani, cap. 8.

Digitized by Google

confiteor Gravitati tuæ, quod nequaquam fas esse ducam, ut ejusmodi contentiones et altercationes dissimulentur a nobis, ex quibus forsitan commoveri possit summa divinitas, non solum contra humanum genus, sed etiam in meipsum, cujus curæ nutu suo cœlesti terrena omnia moderanda commisit, ut secus aliquid hactenus incitata decernat. Tunc enim revera A et plenissime potero esse securus, et semper depromptissima benevolentia potentissimi Dei prosperrima et optima quæque sperare, cum universos sensero debito cultu catholicæ religionis sanctissimum Deum concordis observantia fraternitatis (*al.* concordi observantiæ fraternitate) venerari.

EPISTOLA CONSTANTINI AD CHRESTUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

(*Conc. t. 1, col. 1446, ed. Col.*)

Constantinus Augustus Chresto, episcopo Syracusano.

Jam quidem et antea, cum quidam improbo ac perverso studio de sancti cœlestisque numinis cultu et fide catholica dissidere cœpissent, ad resecandas illorum hujusmodi contentiones ita constitueram, ut missis aliquot e Gallia episcopis, tum advenire jussis ab Africa iis, qui diversarum partium erant, atque obnixius inter se, pertinaciusque contendebant, præsente insuper Romano episcopo, posset id omne, B quod commotum videbatur, præsentibus ipsis accurata disceptatione componi. Sed quia nonnulli, ut fere fit, suæ ipsorum salutis, et reverentiæ, quæ sanctissimæ fidei debetur, obliti, privatas adhuc simultates exercere non cessant, dum prolato jam judicio acquiescere nolunt, causanturque a paucis videlicet dictas sententias fuisse, atque hos ipsos non omnibus quæ inquiri ante oportebat, diligenter examinatis, ad depromendum judicium præpropere festinanterque processisse. Quo fit, ut et ipsi, quos fraternum et concordem animorum consensum retinere par erat, turpi aut nefaria potius dissensione discrepent, et aversis a sanctissima religione hominibus ludibrii occasionem præbeant. Propterea mihi sedulo providendum fuit, ut hæc quæ post judicium prolatum se dari voluntario assensu debuerant, vel nunc tandem multis præsentibus exitum sortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diversis compluribus locis episcopos in Arelatensium oppido ad kalendas augusti convenire præcepimus, tibi etiam per litteras significandum duximus, ut accepto a clarissimo viro Latroniano correctore Siciliæ publico vehiculo, cum duobus aliis secundæ sedis, quos ipse deligendos judicaveris, tribusque una famulis, qui vobis in via ministrent, adscitis, designatum in locum ad diem prædictam te conferas: ut per gravitatem tuam, et cæterorum qui conventuri sunt, unanimem conspirantemque prudentiam, dissidium hoc, quod male hactenus per fœdas quasdam contentiones perseverat, omnibus auditis, quæ ab iis qui inter se nunc dissident, quosque pariter adesse jussimus, in medium proferentur, ad debitam religionem et fidem, fraternamque concordiam, vel sero tandem revocari queat. Incolumem te Deus omnipotens multis annis custodiat.

Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Χρήστῳ, ἐπισκόπῳ Συρακουσίων.

Ἤδη μὲν πρότερόν τε ὁ φαῦλος καὶ ἐνδιαστρόφως τινὲς περὶ τῆς θρησκείας τῆς ἁγίας καὶ ἐπουρανίου δυνάμεως καὶ τῆς αἱρέσεως τῆς καθολικῆς ἀποδιίστασθαι ἤρξαντο, ἐπιτέμνεσθαι βουληθεὶς τὰς τοιαύτας αὐτῶν φιλονεικίας, οὕτω διετετυπώκειν, ὥστε ἀποσταλέντων ἀπὸ τῆς Γαλλίας τινῶν ἐπισκόπων, ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν κληθέντων ἀπὸ τῆς Ἀφρικῆς τῶν ἐξ ἐναντίας μοίρας καταλλήλως ἐνστατικῶς καὶ ἐπιμόνως διαγωνιζομένων. παρόντος τε καὶ τοῦ τῆς Ῥώμης ἐπισκόπου, τοῦτο ὅπερ ἐδόκει κινηθῆναι, δυνηθῇ ὑπὸ τῆς παρουσίας αὐτῶν μετὰ πάσης ἐπιμελοῦς διακρίσεως, κατορθώσεως τυχεῖν. ἀλλ' ἐπειδή, ὡς συμβαίνει, ἐπιλοθόμενοί τινες καὶ τῆς σωτηρίας τῆς ἰδίας, καὶ τοῦ σεβάσματος τοῦ ὀφειλομένου τῇ ἁγιωτάτῃ αἱρέσει, ἔτι καὶ νῦν τὰς ἰδίας ἔχθρας παρατείνειν οὐ παύονται, μὴ βουλόμενοι τῇ ἤδη ἐξενεχθείσῃ κρίσει συντίθεσθαι, καὶ διοριζόμενοι ὅτι δὴ ἄρα ὀλίγοι τινὲς τὰς γνώμας καὶ τὰς ἀποφάσεις ἑαυτῶν ἐξήνεγκαν, ἢ καὶ μὴ πρότερον ἁπάντων τῶν ὀφειλόντων ζητηθῆναι ἀκριβῶς ἐξετασθέντων, πρὸς τὸ τὴν κρίσιν ἐξενεγκεῖν πάνυ ταχέως καὶ ὀξέως ἔσπευσαν· ἔκ τε τούτων ἁπάντων συμβαίνει γενέσθαι, τὸ καὶ τούτους αὐτοὺς ἀδελφικὴν καὶ ὁμόφρονα ὀφείλοντας ἔχειν ὁμοψυχίαν, αἰσχρῶς, μᾶλλον δὲ μυσαρῶς ἀλλήλων ἀποδιιστάναι· καὶ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς ἀλλοτρίας ἔχουσι τὰς ψυχὰς ἀπὸ τῆς ἁγιωτάτης θρησκείας, ταύτην πρόφασιν χλεύης διδόναι· ὅθεν προνοητέον μοι ἐγίνετο, ὅπως τοῦτο ὅπερ ἐχρῆν μετὰ τὴν ἐξενεχθεῖσαν ἤδη κρίσιν, αὐθαιρέτῳ συγκαταθέσει πεπαῦσθαι· κἂν νῦν ποτε δυνηθῇ πολλῶν παρόντων τέλους τυχεῖν. ἐπειδὴ τοίνυν πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίων πόλιν εἴσω Καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν. καί σοι γράφαι ἐνομίσαμεν, ἵνα λαβὼν παρὰ τοῦ λαμπροτάτου Λατρωνιανοῦ τοῦ κορρήκτορος Σικελίας δημόσιον ὄχημα, συζεύξας σεαυτῷ καὶ δύο γέ τινας τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου οὓς ἂν σὺ αὐτὸς ἐπιλέξασθαι κρίνῃς, ἀλλὰ μὴν καὶ τρεῖς παῖδας τοὺς δυνησομένους ὑμῖν κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπηρετήσασθαι παραλαβών, εἴσω τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἐπὶ τῷ προειρημένῳ τόπῳ ἀπάντησον· ὡς ἂν διά τε τῆς σῆς σταῤῥότητος, καὶ διὰ τῆς λοιπῆς τῶν συνιόντων ὁμοψύχου καὶ ὁμόφρονος συνέσεως, καὶ τοῦτο ὅπερ ἄχρι τοῦ δεῦρο φαύλως δι' αἰσχράς τινας ζυγομαχίας παραμεμένηκεν, ἀκουσθέντων πάντων τῶν μελλόντων λεχθήσεσθαι παρὰ τῶν νῦν ἀπ' ἀλλήλων διεστώτων, οὕτως ὁμοίως παρεῖναι ἐκελεύσαμεν, δυνηθῇ εἰς τὴν ὀφειλομένην θρησκείαν καὶ πίστιν, ἀδελφικήν τε ὁμόνοιαν, κἂν βραδέως ἀνακληθῆναι. ὑγιαίνοντά σε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ διαφυλάξοι ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσιν.

Alterum exemplum epistolæ Constantini imperatoris ad Chrestum, qua alteram episcoporum synodum fieri jubet, ut omnis episcoporum dissensio tollatur.

Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum episcopo. Jam quidem antea cum nonnulli pravo ac perverso animo a sancta religione cœlestique virtute et ab Ecclesiæ catholicæ sententia dissidere cœpis-

Digitized by Google

scent, hujusmodi eorum contentionem præcidere cupiens ita constitueram, ut missis e Gallia quibusdam episcopis; accitis etiam ex Africa iis qui duas in partes divisi, pertinaciter inter se atque obstinate contendunt; præsente quoque Romanæ urbis episcopo, id quod commotum fuisse videbatur, sub horum præsentia posset diligentissima examinatione componi. Sed quoniam nonnulli, ut fere sit, et propriæ salutis et venerationis quæ sanctissimæ fidei debetur obliti, privatas adhuc simultates prorogare non cessant: prolatæ jam sententiæ acquiescere nolentes, asserentesque paucos admodum episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus quæ prius inquiri oportebat diligenter excussis, ad depromendum judicium properanter accessissent. Unde fit ut et ipsi quos concordi ac fraterno inter se animo esse decuerat, turpi seu potius detestanda secessione dissideant; et iis hominibus qui a sanctissima religione alieno sunt animo, subsannandi occasio præbeatur. Idcirco mihi sedulo providendum fuit, ut hæc quæ post de- A promptum judicium voluntaria assensione jam finita esse debuerant, nunc tandem multorum interventu finem possint accipere. Quoniam igitur plurimos ex diversis ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelatensem intra Kalendas Augusti jussimus convenire: tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo a viro clarissimo Latroniano correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus secundi ordinis quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis qui in itinere vobis ministrare possint, intra eumdem diem ad prædictum locum occurras; quod tum per tuam Gravitatem, tum per cæterorum in unum coeuntium unanimem concordemque solertiam controversia hæc quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus B eorum qui nunc inter se dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus, ad congruam religionis et fidei observantiam fraternamque concordiam tandem aliquando possit revocari. Incolumem te Deus omnipotens diutissime servet.

EPISTOLA CONSTANTINI AD EPISCOPOS POST CONCILIUM ARELATENSE.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1454, *ed. Col.*)

Constantinus Augustus episcopis catholicis charissimis fratribus, salutem.

Æterna, religiosa et incomprehensibilis pietas Dei nostri nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare, neque patitur exosas quorumdam voluntates usque in tantum pervadere, ut non suis præclarissimis luminibus denuo pandens iter salutare, eas det ad regulam justitiæ converti. Habeo quippe cognitum (*in ms.* ejusdem), multis exemplis: hæc eadem ex meipso melior. Fuerunt enim in me primitus, quæ justitia carere videbantur, nec ulla putabam videre supernam potentiam, quæ intra secreta pectoris mei gererem. Equidem hæc, ut dixi, æquam (*in ms.* quam) fortunam debuerunt sortiti, scilicet omnibus malis redundantem: sed Deus omnipotens in cœlis per sæcula residens, tribuit quod non merebar. Certe jam neque dici, neque enumerari possunt ea, quæ cœlesti sua in me famulum suum benevolentia concessit, sanctissimi antistites Christi Salvatoris fratres charissimi. Gaudeo igitur equidem specialiter, gaudeo quod tandem habita justissima dijudicatione, eos ad meliorem spem fortunamque revocastis, quos malignitas diaboli videbatur a præclarissima luce legis Catholicæ miserabili sua persuasione avertisse. O vere victrix providentia D Christi Salvatoris! ut etiam his consuleret, qui jam desciscentes a veritate, quodam modo adversus ipsum arma inducentes gentibus se copulaverunt: quia si (*in ms.* sic) vel nunc vera (*in ms.* mera) fide voluerint obsequia sanctissimæ legi deferre, intelligere poterunt quantum sibi nutu Dei sit provisum. Et hoc quidem, sanctissimi fratres, sperabam etiam in eis, quibus ingenita est maxima durities animi, posse re- prehendi; sed non profuit apud eos recta dijudicatio, neque in eorum sensus ingressa est divinitas propitia. Revera enim non immerito ab his procul abscesserit Christi clementia, in quibus manifesta luce claret (*in ms.* clarent) hujusmodi esse, ut eos etiam a cælesti provisione exosos cernamus: quæ in ipsos tanta vesania perseverat, cum incredibili (*in ms.* incredibilia) arrogantia persuadeant (*in ms.* persuadendum) sibi, quæ nec dici, nec audiri fas est, desciscentes a recto C judicio dato, quo cœlesti provisione meum judicium eos comperi postulare: quæ vis malignitatis in eorumdem pectoribus perseverat. Quoties a me jam ipso (*in ms.* ipsum) improbissimis additionibus suis sunt condigna responsione oppressi? qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto. Dico enim, ut se veritas habet, sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud judicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia, ut vere dixi, diaboli? Perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia cito deprehendi (*f.* reprehendi) potest, magis ad majora judicia auctoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste judicium, meum putaverunt postulandum, sic sentire de Christo salvatore? Ecce jam proditores, ecce sine ulla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua. Quæ ab ipsis sentitur humanitas, qui in ipso Deo immanes prosilierunt? Equidem, fratres carissimi, licet hæc in ipsis videantur deprehensa, nihilominus vos, qui Domini salvatoris sequimini viam, patientiam adhibete, data his

(1) Extat in appendice ad Optatum Milevit. ep. Parisiensis editionis ex bibliotheca Petri Pithœi. Hanc Binius ad hoc Romanum concilium retulit post Baronium. Sirmondus vero ad Arelatense I. Regius autem collector bis edidit, et utrique subjecit concilio non necessaria repetitione.

Digitized by Google

-itis perseverare, protinus cum his quos gnos cultui suo judicavit, proficiscimini, et roprias sedes, meique mementote, ut mei ioster semper misereatur. Cæterum direxi nines, qui eosdem infandos deceptores re- protinus ad comitatum meum perducant, ut nt, ibi sibi mortem pejus pervideant. Dedi litteras competentes ad eum, qui vicariam A præfecturam per Africam tuetur, ut quotquot hujus insaniæ similes invenerit, statim eos ad comitatum meum dirigat, ne ulterius sub tanta claritate Dei nostri ea ab ipsis fiant, quæ maximam iracundiam cœlestis providentiæ possint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis et vestris per sæcula, fratres carissimi.

EPISTOLA CONSTANTINI ET LICINII AD PROBIANUM.

(*Bal. Misc.*, *t.* 1, *p.* 21.)

erotores Cæsares Flarius Constantinus Maximus et 'alerius Licinianus Licinius Probiano proconsuli Africæ.

Ælianus, prædecessor tuus, merito, dum vir perfectissimus Verus (Verinus) vicarius præfectorum tunc per Africam nostram incommoda valetudine teneretur, ejusdem partibus functus, inter cætera etiam id negotium vel invidiam, quæ de Cæciliano episcopo Ecclesiæ catholicæ videtur esse commota, ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandam. Etenim cum jam Superium centurionem, et Cæcilianum magistratum Aptungitanorum, et Saturninum (Saturianum) excuratorem, et Calibium juniorem ejusdem civitatis curatorem, atque Solonem servum publicum suprascriptæ civitatis præsentes esse fecisset, audientiam præbuit competentem, adeo ut cum Cæciliano fuisset objectum quod a Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui divinarum scripturarum proditio atque exustio videretur objecta, innocentem de eo Felicem fuisse constiterit. Denique cum Maximus (supra Apronianus) Ingentium Decurionem Ziquensium civitatis epistolam Cæciliani exduumviri falsasse contenderet, eumdem ipsum Ingentium suspensum, actis quæ suberant, pervidimus, et ideo minime tortum quod se Decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit. Unde volumus ut eumdem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas, ut illis qui in præsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus et coram assistentibus apparere et intimari possit frustra eos Cæciliano episcopo invidiam comparare atque adversus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet ut omissis, sicut oportet, ejusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua religioni propriæ cum debita veneratione deserviat.

B

EPISTOLA CONSTANTINI AD EPISCOPOS DONATISTAS.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1431, *ed. Col.*)

Illos Brixiam ad pacem componendam convocat.

Constantinus Augustus, episcopis.

Ante paucos quidem dies, juxta postulatum vestrum, hoc mihi placuerat, ut ad Africam revertere-mini, ut illic omnis causa, quæ vobis adversus Cæcilianum competere videtur, ab amicis meis, quos elegissem, cognosceretur, atque finem debitum reciperet. Verum diu mihi cogitanti, et in animo meo non immerito volventi, id potissimum visum est, ut quoniam scio quosdam ex vestris turbulentos satis, et obstinato animo rectum judicium et integræ veritatis rationem minime respicere, ac per hoc venire forsitan, ut si ibidem cognoscatur, non ut condecet, et C veritatis ratio expostulat, res finem accipiat atque aliquid tale eveniat nimia vestra obstinatione, quod et divinitati cœlesti displiceat, et existimationi meæ, quam semper illibatam cupio perseverare, plurimum impediat: placuit mihi (sicut dixi) ut Cæcilianus juxta prius tractatum huc potius veniat, quem credo juxta litteras meas mox adfuturum. Polliceor autem vobis, quod si præsente ipso de uno tantum crimine vel facinore ejus per vosmetipsos aliquid probaveritis, id apud me sit, ac si universa quæ intenditis probata esse videantur. Deus omnipotens perpetuam tribuat securitatem.

EPISTOLA CONSTANTINI AD CELSUM.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1471, *ed. Col.*)

Perseverare Menalium cum quam jamdudum susceperat insania cæterosque qui a veritate Dei digressi errori se pravissimo dederunt proxima etiam tuæ gravitatis scripta testata sunt, quibus inhærentem te jussioni nostræ, de merito seditionis ipsorum, eoque tumultu quem apparabant, inhibitum esse memorasti, frater carissime. Unde quoniam ex eo patuit ipsos nefarias res cogitasse, quod cum statuissem inter ipsos et Cæcilianum plenissime super allegationibus diversis requirere, præsentiæ meæ susceptam fugam subtrahere laboraverunt, hoc ipso turpissimo facto confessi ad ea se redire properare, quæ et antea fecerant et nunc agere perseverant: at cum constet minime unumquemque propria penitus delicta lucrari, etiamsi paulisper eorum fuerit coercitio dilata, D mandandum gravitati tuæ duxi, ut interim quidem eosdem omittas, et dissimulandum super ipsos esse cognoscas. Verum lecta hac epistola, tam Cæciliano quam iisdem palam facias, quod cum favente pietate divina Africam venero, plenissime universis tam Cæciliano, quam his qui contra eum agere videntur lecto dilucido judicio demonstraturus sum, quæ et qualis summæ divinitati sit adhibenda veneratio, et cujusmodi cultu delectari videatur, adhibito etiam diligenti examine, ea quæ nunc aliqui exinde illecebris mentis ignorantiæque occultare se putant, plenissime sum reperturus atque in lucem facturus venire. Easdem personas quæ res istius modi concitant faciuntque, ut non cum ea qua oportet veneratione summus Deus colatur, perdam atque discutiam. Cumque satis

Digitized by Google

clarcat neminem posse beatitudines martyris eo genere conquirere, quod allenum a veritate religionis et incongruum esse videatur eos, quos contra fas et religionem ipsam recognovero reosque violentes competentis venerationis deprehendero, sine ulla dubitatione insaniæ obstinationisque temerariæ faciam merita exitia persolvere. Scire itaque pro certo quæ habere debeant, ad plenissimam fidem salute etiam teste invocata, quod tam super plebe quam super clericis his qui primi sunt, sum diligentissime quæsiturus, idque judicaturus quod verissimum et religiosissimum esse manifestum sit : demonstraturus etiam iisdem, qui et qualis divinitati cultus adhibendus sit. Nam nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam ut hoc, quod improbe fit, minime existimem dissimulandum : cum nihil potius a me agi pro instituto meo ipsiusque principis munere oporteat, quam ut discussis erroribus omnibusque temeritatibus amputatis, veram religionem universos concordemque simplicitatem atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ CONSTANTINI AD EUMALIUM VICARIUM.

(*Aug. lib.* III, *contra Cresconium.*)

In quo pervidi Cæcilianum virum omni innocentia præditum, ac debita religionis suæ officia servantem, eique ita ut oportuit servientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuisse, eidem apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum simulatione compositum.

EPISTOLA CONSTANTINI AD CATHOLICAM.

(*Conc.* t. I, *col.* 1472, *ed. Col.*)

Constantinus imperator ad episcopos et plebem Africæ, ut Donatistas tolerent.

Quod fides debuit, quantum prudentia valuit, prout puritas potuit, tentasse me per omnia humanitatis et moderationis officia optime scitis, ut juxta magisteria legis nostræ, pax illa sanctissimæ fraternitatis, cujus gratiam Deus summus famulorum suorum pectoribus immiscuit, stabilita per omnem concordiam teneretur. Sed quia vim illam sceleris infusi, paucorum licet, sensibus pervicaciter inhærentem, intentionis nostræ ratio non potuit edomare, favente adhuc sibi huic nequitiæ patrocinio, ut extorqueri sibi omnino non sinerent, in quo se deliquisse gauderent. Spectandum nobis est, dum totum hoc per paucos sedit, in populum omnipotentis Dei misericordia mitigetur. Inde enim remedium sperare debemus, cum omnia bona vota et facta referuntur. Verum dum cælestis medicina procedat, hactenus sunt consilia nostra moderanda, ut patientiam percolamus, et quidquid insolentia illorum pro consuetudine intemperantiæ tentat aut facit, id totum tranquillitatis virtute toleremus. Nihil ex reciproco reponatur injuriæ; vindictam enim, quam Deo servare debemus, insipientis est manibus usurpare : maxime cum debeat fides nostra confidere, quidquid ab hujusmodi hominum furore patietur, martyrii gratia apud Deum esse valiturum. Quid est enim aliud in hoc sæculo in nomine Dei vincere, quam inconditos hominum impetus quietæ legis populum lacessentes, constanti pectore sustinere? Quod si observaverit vestra sinceritas, cito videbitis per gratiam summæ divinitatis, ut languescentibus eorum institutis vel moribus, qui se miserrimæ contentionis vexillarios præbent, sciant omnes non debere se paucorum persuasione pereuntes sempiterno letho dare, quo possint pœnitentiæ gratia, semper vitæ æternæ, correctis erroribus suis, integrari. Valete voto communi per sæcula jubente Deo, fratres carissimi.

ANNO DOMINI CCCXXIII.

EPISTOLA CONSTANTINI AD EUSEBIUM PRIMA.

(*Eus., Vita Const., lib.* II, *c.* 46.)

De Ædificatione et Restauratione Ecclesiarum.

Ἕως τοῦ παρόντος χρόνου τῆς ἀνοσίου βουλήσεως καὶ τυραννίδος τοὺς ὑπηρέτας τοὺς τοῦ Σωτῆρος διωκούσης, πεπίστευκα καὶ ἀκριβῶς ἐμαυτὸν πέπεικα, πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τὰ ἔργα ἢ ὑπὸ ἀμελείας διεφθάρθαι, ἢ φόβῳ τῆς ἐπικειμένης ἀδικίας μὴ ἀξίως γεγενῆσθαι, ἀδελφὲ προσφιλέστατε. νυνὶ δὲ τῆς ἐλευθερίας ἀποδοθείσης, καὶ τοῦ δράκοντος ἐκείνου ἀπὸ τῆς τῶν κοινῶν διοικήσεως, τοῦ Θεοῦ τοῦ μεγίστου προνοίᾳ, ἡμετέρᾳ δ' ὑπηρεσίᾳ ἐκ διωχθέντος, ἡγοῦμαι καὶ πᾶσι φανερὰν γεγενῆσθαι τὴν θείαν δύναμιν. καὶ τοὺς ἢ φόβῳ ἢ ἀπιστίᾳ ἁμαρτήσαντας ἐπιδεῖν ἐν τοσούτοις κακοῖς, ἐν οἷς ἐκεῖνος ἐβασίλευε, καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ἐν ἐλπίσι χρηστοτέραις ἀναμένοντας, ἐπιστρέφεσθαι πρὸς τὸν ἀληθινὸν Θεὸν καὶ τὴν ἐκείνου χάριν ἐπιζητεῖν. ἐγὼ δὲ ἐκ τούτων ἐπιγνοὺς τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν, ἐν οἷς ἐκεῖνος ἐβασίλευε, καὶ τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν ἐν ἐλπίσι χρηστοτέραις ἀναμένοντας, ἐπιστρέφεσθαι πρὸς τὸν ἀληθινὸν Θεὸν καὶ τὴν ἐκείνου χάριν ἐπιζητεῖν. ἐγὼ δὲ ἐκ τούτων ἐπιγνοὺς τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν,

Cum usque ad hanc diem impia præsumptio et tyrannica violentia ministros Servatoris nostri sit persecuta, pro certo habeo planeque mihi ipse persuadeo omnium ecclesiarum ædificia, aut per incuriam corrupta, aut præ metu ingruentis temporum iniquitatis minus honorifice exculta esse, Eusebi, frater carissime. Nunc vero cum libertas restituta sit, et draco ille providentia quidem Dei optimi maximi, ministerio autem nostro a reipublicæ administratione submotus, equidem existimo divinam potentiam om-

VALESII NOTÆ.

Ἀξίας γεγενῆσθαι. In libro Moræi ad marginem emendatur μὴ ἀξίως γεγενῆσθαι. Est et alia emendatio ad marginem editionis Genevensis apposita ἐλάττονα τῆς ἀξίας γεγενῆσθαι. Posset etiam quis suspicari, sic legendum et construendum esse hunc locum ἀξίως τῆς ἐπικειμένης ἀδικίας. Sed verior est lectio illa μὴ ἀξίως, quam et Fuketii codex confirmat.

Τοῦ δράκοντος ἐκείνου. Licinium intelligi existimo, quem ob astutiam et senectutem ita appellat Constantinus. Certe quæ sequuntur ἀπὸ τῆς τῶν κοινῶν διοικήσεως, de Licinio hæc dici manifeste arguunt. Ex quo etiam conjici potest hanc Epistolam paulo post exauctorationem Licinii scriptam esse.

Ἢ φόβῳ ἢ ἀπιστίᾳ. Initio hujus Epistolæ pro ἀπιστίᾳ dixit ἀμέλειαν. Porro φόβῳ de Christianis dicitur, qui persecutionis metu Ecclesias neglexerant, aut fidem abnegaverant. ἀπιστίᾳ vero ad paganos seu infideles pertinet, qui sacrosanctas ædes disturbaverant, et Christianos variis modis vexaverant.

Digitized by Google

nibus clarissime innotuisse; et eos qui seu metu seu incredulitate aliquid peccaverunt, agnito illo qui vere est, ad rectam ac veram vivendi rationem esse redituros. Quotquot igitur ecclesiis aut ipse præes, aut alios in singulis locis præsidentes episcopos et presbyteros ac diaconos nosti, cunctos admone, ut in opera ecclesiarum omni studio ac diligentia incumbant: quo aut reparentur quæ adhuc manent, aut augeantur in majus: aut sicubi usus postulaverit, nova ædificentur. Quæcumque autem necessaria fuerint, et ipse, et reliqui alii tuo interventu, tum a præsidibus provinciarum petent, tum ab officio præfecturæ prætorianæ. His enim per litteras præceptum est, ut omni diligentia iis quæ tua sanctitas dixerit obsequantur. Divinitas te servet, frater carissime. Et hujusmodi quidem epistolæ per singulas provincias ad ecclesiarum antistites sunt missæ. Rectoribus quoque provinciarum mandatum est, ut his convenientia præcepta opere ipso adimplebantur.

A μασί τισι περιπεσόντας, ἐπιγνόντας τὸ ὄντως ὄν, ἥξειν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ καὶ ὀρθὴν τοῦ βίου κατάστασιν. ὅσων τοίνυν ἡ αὐτὸς προΐστασαι ἐκκλησιῶν, ἢ ἄλλους τοὺς κατὰ τόπον προισταμένους Ἐπισκόπους, Πρεσβυτέρους τε ἅ Διακόνους οἶσθα, ὑπόμνησον σπουδάζειν περὶ τὰ ἔργα τῶν ἐκκλησιῶν. καὶ ἡ ἐπανορθοῦσθαι τὰ ὄντα, ἡ εἰς μείζονα αὔξειν, ἡ ἵνθα ἂν χρεία ἀπαιτῇ, καινὰ ποιεῖν. αἰτήσεις δὲ καὶ αὐτὸς, καὶ διὰ σοῦ οἱ λοιποὶ τὰ ἀναγκαῖα παρά τε τῶν ἡγεμόνων, καὶ τῆς ἐπαρχικῆς τάξεως. τούτοις γὰρ ἐπεστάλθη, πάσῃ προθυμίᾳ ἐξυπηρετήσασθαι τοῖς ὑπὸ τῆς σῆς ὁσιότητος λεγομένοις. ὁ Θεός σε διαφυλάξοε ἀδελφὲ ἀγαπητέ. Ταῦτα μὲν οὖν καθ' ἕκαστον ἔθνος ἐγράφετο τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶσι. τὰ ἀκόλουθά τε τούτοις πράττειν οἱ τῶν ἐθνῶν ἡγεμόνες ἐκελεύοντο. σὺν πολλῷ τε τάχει, δι' ἔργων ἐχώρει τὰ νενομοθετημένα.

B

EPISTOLA CONSTANTINI AD ALEXANDRUM EPISCOPUM ET ARIUM PRESBYTERUM.

(*Euseb. Vit. Const. lib.* II, *c.* 64-72.)

Victor Constantinus maximus Augustus Alexandro et Ario.

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς, Ἀλεξάνδρῳ καὶ Ἀρείῳ.

I. Duabus me causis impulsum fuisse ad earum rerum quas gessi ministerium obeundum, ipse conatuum meorum adjutor et servator omnium mihi testis est Deus.

I. Διπλῆν μοι γεγενῆσθαι πρόφασιν τούτων ὧν ἔργῳ τὴν χρείαν ὑπέστην, αὐτὸν ὡς εἰκὸς τὸν τῶν ἐμῶν ἐγχειρημάτων βοηθὸν καὶ Σωτῆρα τῶν ὅλων Θεὸν, ποιοῦμαι μάρτυρα.

Quod pro pace continue satagebat.

II. Nam primum quidem omnium gentium inolitam de Deo opinionem in unam quasi habitudinem ac formam compingere propositum fuit, deinde vero corpus orbis terrarum quasi gravi quodam morbo tyrannidis oppressum, in pristinam valetudinem restituere. Quæ cum mihi instar scopi proposuissem, alterum quidem arcano cogitationis oculo inquirebam, alterum vero bellica vi atque potentia perficere conabar. Quippe intelligebam, si communem inter omnes Dei cultores concordiam, sicut mihi in votis erat, stabilire potuissem, fore ut reipublicæ administratio mutationem piis omnium sensibus congruentem nanciscerctur.

C II. Πρῶτον μὲν γὰρ τὴν ἁπάντων τῶν ἐθνῶν περὶ τὸ θεῖον πρόθεσιν, ὡς μίαν ἕξεως σύστασιν ἐνῶσαι· δεύτερον δὲ, τὸ τῆς κοινῆς οἰκουμένης σῶμα καθάπερ χαλεπῷ τινι νοσήματι πάσχον κακῶς, διορθώσασθαι προυθυμήθην. ἃ δὴ προσκοπῶν, ἕτερον μὲν ἀπορρήτῳ διανοίας ὀφθαλμῷ συνελογιζόμην, ἕτερον δὲ, τῇ τῆς στρατιωτικῆς χειρὸς ἐξουσίᾳ κατορθοῦν ἐπειρώμην· εἰδὼς ὡς εἰ κοινὴν ἅπασι τοῖς τοῦ Θεοῦ θεράπουσιν ἐπ' εὐχαῖς ταῖς ἐμαῖς ὁμόνοιαν καταστήσαιμι, καὶ ἡ τῶν δημοσίων πραγμάτων χρεία σύνδρομον ταῖς ἁπάντων εὐσεβέσι γνώμαις τὴν μεταβολὴν καρπώσεται.

VALESII NOTÆ.

D Καὶ τῆς ἐπαρχικῆς τάξεως. In annotationibus ad librum primum ejus operis, monui τάξιν idem esse quod officium seu apparationem: hoc est certum numerum militum qui judicibus apparebant. ἔπαρχοι vero sunt Præfecti Prætorio, ita dicti, quod sint ἐπὶ τοῖς ἄρχουσι id est, supra præsides et rectores provinciarum. Igitur ἐπαρχικὴ τάξις est officium præfecturæ prætorianæ, de quo consulenda est Notitia Imperii Romani. Porro officium præfecti prætorio reliquis omnium magistratuum officiis præstabat. Nam ut Præfectus Prætorio cæteros judices tam civiles quam militares dignitate superabat, sic etiam ejus Officiales reliquis omnibus præstabant apparitoribus. Hinc in concilio Chalcedonensi actione 3, μεγίστη τάξις dicitur officium præfectorum prætorio. φημὶ δὴ τὸν αἰδέσιμον θεόδωρον, τὸν ἐκ τῆς μεγίστης τάξεως, Hæc porro non intellexerunt Interpretes, quorum errorem malo equidem silentio premere, quam ambitiose refutare. In codice Fuk. scriptum inveni καὶ τῶν τῆς ἐπαρχικῆς τάξεως, ut et in Savilii libro.

Τούτοις γὰρ ἐπεστάλθη. Christophorsonus vertit: *Hisce enim per literas a me significatum est*, de suo addens *a me*, quod non probo. Neque enim imperator ipse, sed præfecti prætorio ejusmodi literas ut plurimum dabant.

Ταῦτα μὲν οὖν. Ab his verbis novum caput inchoatur in codice Regio. Porro ex his verbis apparet Constantinum litteras eodem exemplo dedisse ad reliquos Episcopos Orientis.

Digitized by Google

Quomodo quæstiones in Africa excitatas compressit.

III. Μανίας γὰρ δήπουθεν οὐκ ἀνεκτῆς ἅπασαν τὴν Ἀφρικὴν ἐπιλαβούσης, καὶ διὰ τοὺς ἀδούλῳ κουφότητι τὴν τῶν δήμων θρησκείαν εἰς διαφόρους αἱρέσεις σχίσαι τετολμηκότας, ταύτην ἐγὼ τὴν νόσον καταστεῖλαι βουληθείς, οὐδε μίαν ἑτέραν ἀρκοῦσαν τῷ πράγματι θεραπείαν εὕρισκον, ἢ εἰ τὸν κοινὸν τῆς οἰκουμένης ἐχθρὸν ἐξελών, ὃς ταῖς ἱεραῖς ὑμῶν συνόδοις τὴν ἀθέμιστον ἑαυτοῦ γνώμην ἀντέστησεν, ἑνίους ὑμῶν πρὸς τὴν τῶν πρὸς ἀλλήλους διχονοούντων ὁμόνοιαν βοηθοὺς ἀποστείλαιμι. A

III. Itaque cum intolerabilis quædam insania totam Africam corripuisset, ob quosdam qui temeraria levitate religionem populorum in varias sectas discindere ausi fuerant, hunc ego morbum sedare cupiens, nullum aliud remedium ad ejus curationem idoneum reperiebam, quam ut communi hoste generis humani e medio sublato, qui sacrosanctis Synodis vestris impiam suam sententiam ac jussionem opposuerat, quosdam vestrum ad sarciendam inter dissidentes concordiam ministros atque adjutores mitterem.

Quod religio ab Orientis partibus cœperit.

IV. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ τοῦ φωτὸς δύναμις, καὶ ὁ τῆς ἱερᾶς θρησκείας νόμος, ὑπὸ τῆς τοῦ κρείττονος εὐεργεσίας, οἷον ἔκ τινων τῆς ἀνατολῆς κόλπων ἐκδοθείς, ἅπασαν ὁμοῦ τὴν οἰκουμένην ἱερῷ λαμπτῆρι κατήστραψεν, εἰκότως ὑμᾶς ὥσπερ τινας ἀρχηγοὺς τῆς τῶν ἐθνῶν σωτηρίας ὑπάρξειν πιστεύων, ὁμοῦ καὶ ψυχῆς νεύματι καὶ ὀφθαλμῶν ἐνεργείᾳ ζητεῖν ἐπειρώμην. ἅμα γοῦν τῇ μεγάλῃ νίκῃ καὶ τῇ τῶν ἐχθρῶν ἀληθεῖ θριαμβείᾳ, τουτέστι πρῶτον εἱλόμην ἐρευνᾶν, ὃ δὴ πρῶτόν μοι καὶ τιμιώτατον ἁπάντων ὑπάρχειν ἡγούμην. B

IV. Nam quoniam veri luminis vis, et lex sacrosanctæ religionis, Dei beneficio ex sinu (ut ita dicam) Orientis edita, universum simul terrarum orbem sacris radiis illustraverat, non sine causa vos cunctarum gentium salutis auctores ac duces fore confidens, et mentis affectu et oculorum acie exquirere laborabam. Statim igitur post magnam illam victoriam et post certissimum de hostibus triumphum, ante omnia illud rursus scrutari constitueram, quod præcipuum et maximi momenti esse judicabam.

Quomodo seditionem moleste ferens pacem suasit.

V. Ἀλλ' ὦ καλλίστη καὶ θεία πρόνοια. οἷόν μου τῆς ἀκοῆς, μᾶλλον δὲ τῆς καρδίας αὐτῆς τραῦμα καίριον ἦψατο, πολλῷ χαλεπωτέραν τῶν ἐκεῖ καταλειφθέντων τὴν ἐν ὑμῖν γινομένην διχοστασίαν σημαῖνον· ὡς πλείνος ἤδη τὰ καθ' ὑμᾶς μέρη θεραπείας δέεσθαι, παρ' ὧν τοῖς ἄλλοις τὴν ἴασιν ὑπάρξειν ἤλπισα. διαλογιζομένῳ δή μοι τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν ὑπόθεσιν τούτων, ἄγαν εὐτελὴς καὶ οὐδαμῶς ἀξία τῆς τοσαύτης φιλονεικίας ἡ πρόφασις ἐφωράθη. διόπερ ἐπὶ τὴν τῆς ἐπιστολῆς ταύτης ἀνάγκην ἐπειχθείς, καὶ πρὸς τὴν ὁμόψυχον ὑμῶν ἀγχίνοιαν γράφων, τήν τε θείαν πρόνοιαν καλίσας ἀρωγὸν τῷ πράγματι, μέσον τῆς πρὸς ἀλλήλους ὑμῶν ἀμφισβητήσεως, οἷον εἰρήνης πρύτανιν ἐμαυτὸν προσάγω εἰκότως. ὅπερ γὰρ δὲ συναιρομένου τοῦ κρείττονος, καὶ εἰ μείζων ἦν τις ἀφορμὴ διχονοίας, οὐ χαλεπῶς ἂν ἠδυνήθην, ὁσίαις τῶν ἀκουόντων γνώμαις ἐγχειρίζων τὸν λόγον, εἰς τὸ χρησιμώτερον ἕκαστον μεταστῆσαι· τοῦτο μικρᾶς καὶ λίαν εὐτελοῦς ἀφορμῆς ὑπαρχούσης ἢ πρὸς τὸ ὅλον ἐμποδὼν ἵσταται, πῶς οὐκ εὐχερεστέραν καὶ πολλῷ ῥᾳδιωτέραν μοι τοῦ πράγματος τὴν ἐπανόρθωσιν μηνυτεύσει. C

V. Verum, o eximia Dei providentia! quis et qualis nuntius aures meas, seu potius animum ipsum acerbissime sauciavit; cum mihi significatum est multo graviora inter vos orta esse dissidia, quam sunt illa quæ in Africa remanserunt? Adeo ut partes vestræ, a quibus medelam aliis suppeditari posse sperabam, majore jam curatione indigeant. Ac mihi quidem de harum rerum initio atque origine accuratius cogitanti, levis admodum causa esse visa est, nec tanta animorum contentione digna. Itaque ad hujus epistolæ scribendæ necessitatem redactus, et ad concordem utriusque vestrum solertiam scribens, invocato ad hoc opus auxilio divinæ providentiæ, arbitrum me dissensionis vestræ, et quasi pacis moderatorem merito interpono. Nam qui etiamsi gravior subesset causa discordiæ, tamen Deo juvante, piis audientium mentibus rationem insinuans, haud difficile possem singulos ad salubriora consilia revocare; idem cum levis admodum et exigua nunc causa sit, quæ totius corporis consensioni obstat, cur non multo faciliorem et expediliorem hujus rei correctionem mihi ipse spondeam?

Unde nata sit controversia inter Arium et Alexandrum, et quod talia non erant disquirenda.

VI. Μανθάνω τοίνυν ἐκεῖθεν ὑπῆρξαι τοῦ παρόντος ζητήματος τὴν καταβολήν. ὅτε γὰρ σύ, ὦ Ἀλέξανδρε, παρὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐζήτεις, τί δή ποτε αὐτῶν ἕκαστος ὑπέρ τινος τόπου τῶν ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένων μᾶλλον D

VI. Porro præsentis controversiæ initium hinc extitisse comperio. Cum enim tu Alexander a presbyteris tuis requireres, quid quisque eorum de quodam legis loco sentiret, seu potius de quadam parte inanis quæstio-

Controversiæ initium. Cum hoc loco culpa exortæ Arianæ hæreseos in Alexandrum rejiciatur, hinc liquido constat alterutrum horum necessario esse statuendum: vel quod Eusebius Arianus homo parum fideliter hanc epistolam Constantini descripserit, attexueritque ipsius vitæ, quam in gratiam Constantini Augusti pariter Ariani conscripserit, ac proinde ea minus digna tanto pontifice ab eo jactata confinxerit: vel si hæc verba, vere germanum exemplar epistolæ continebant, illud necessario affirmandum est argumentum illius suppeditatum esse imperatori ab Eusebio ejusdem civitatis episcopo, omnium Arianorum facile principe: propterea quod multa hic mendacia coagmententur; ut cum imprimis potior culpa in Alexandrum rejiciatur, quod importune nimis de re difficillima presbyteros Alexandriæ sciscitando, fomitem discordiæ illis suppeditarit; cum tamen ex iis, quæ supra diximus, in notis ad præcedens concilium Alex. constet, ipsum Arium, quid sentiret, ab Alexandro interrogatum esse, pluresque jam seduxisse, antequam synodus Alexandriæ cogeretur. Sever. Binius.

Digitized by Google

nis eos interrogares ; cumque tu, Ari, id quod vel nunquam cogitare, vel sane cogitatum silentio premere debueras, imprudenter protulisses, excitata inter vos discordia, communio quidem denegata est; sanctissimus autem populus in duas partes discissus, a totius corporis unitate discessit. Quocirca uterque vestrum veniam vicissim alteri tribuens, id amplectatur, quod conservus vester vobis justissime suadet. Quidnam vero illud est? Nec interrogare de hujusmodi rebus principio decebat, nec interrogatum respondere. Tales enim quæstiones, quas nullius legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit, licet ingenii exercendi causa instituantur, tamen intra mentis nostræ penetralia continere debemus, nec eas facile in publicos efferre conventus, nec auribus vulgi inconsulte committere. Quotus quisque enim est, qui tantarum rerum tamque difficilium vim atque naturam aut accurate comprehendere, aut pro dignitate explicare sufficiat? Quod si quis id facile consequi posse existimetur, quotæ tandem parti vulgi jd persuasurus est? Aut quis in ejusmodi quæstionum subtili et accurata disputatione, citra periculum gravissimi lapsus possit consistere? Quocirca in hujusmodi quæstionibus loquacitas comprimenda est, ne forte aut nobis id quod propositum est explicare ob naturæ nostræ infirmitatem non sufficientibus; aut auditoribus, ob ingenii tarditatem ea quæ dicuntur minime assequentibus; ex alterutro horum, aut in blasphemiæ, aut in schismatis necessitatem populus incurrat.

A δ' ὑπὲρ ματαίου τινὸς ζητήσεως μέρους ἐπυνθάνου. σύ τε, ὦ Ἄρειε, τοῦθ' ὅπερ ἢ μήτε τὴν ἀρχὴν ἐνθυμηθῆναι, ἢ ἐνθυμηθέντα σιωπῇ παραδοῦναι προσῆκον ἦν, ἀπροόπτως ἐντέθεικας, ὅθεν τῆς ἐν ὑμῖν διχονοίας ἐγερθείσης, ἡ μὲν σύνοδος ἠρνήθη, ὁ δὲ ἁγιώτατος λαὸς εἰς ἀμφοτέρους σχισθείς, ἐκ τῆς τοῦ κοινοῦ σώματος ἁρμονίας ἐχωρίσθη. οὐκοῦν ἑκάτερος ὑμῶν ἐξίσου τὴν συγγνώμην παρασχών, ὅπερ ἂν ὑμῖν ὁ συνθεράπων ὑμῶν δικαίως παραινεῖ, δεξάσθω. τί δὲ τοῦτό ἐστιν ; οὔτε ἐρωτᾶν ὑπὲρ τῶν τοιούτων ἐξ ἀρχῆς προσῆκον ἦν, οὔτε ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι. τὰς γὰρ τοιαύτας ζητήσεις, ὁπόσας μὴ νόμου τινὸς ἀνάγκη προστάττει, ἀλλ' ἀνωφελοῦς ἀργίας ἐρεσχελία προτίθησιν. εἰ καὶ φυσικῆς τινος γυμνασίας ἕνεκα γίγνοιτο, ὅμως ὀφείλομεν εἴσω τῆς διανοίας ἐγκλείειν, καὶ μὴ προχείρως εἰς δημοσίας συνόδους ἐκφέρειν, μὴ δὲ B ταῖς τῶν δήμων ἀκοαῖς ἀπρονοήτως πιστεύειν. πόσος γάρ ἐστιν ἕκαστος, ὡς πραγμάτων οὕτω μεγάλων καὶ λίαν δυσχερῶν δύναμιν, ἢ πρὸς τὸ ἀκριβὲς συνιδεῖν, ἢ κατ' ἀξίαν ἑρμηνεῦσαι· εἰ δὲ καὶ τοῦτο τίς εὐχερῶς ποιεῖν νομισθείη, πόσον δή που μέρος τοῦ δήμου πείσει; ἢ τίς ταῖς τῶν τοιούτων ζητημάτων ἀκριβείαις, ἔξω τῆς ἐπικινδύνου παρωλισθήσεως ἀντισταίη; οὐκοῦν ἐφεκτέον ἐστὶν ἐν τοῖς τοιούτοις τὴν πολυλογίαν, ἵνα μήπως ἡ τῇ ὑμῶν ἀσθενείᾳ τῆς φύσεως τὸ προταχθὲν ἑρμηνεῦσαι μὴ δυνηθέντων, ἢ τῇ τῶν ἀκροατῶν βραδυτέρᾳ συνέσει, πρὸς ἀκριβῆ τοῦ ῥηθέντος κατάληψιν ἐλθεῖν μὴ χωρησάντων. ἐξ ὁποτέρου τούτων, ἢ βλασφημίας, ἢ σχίσματος εἰς ἀνάγκην ὁ δῆμος περισταίη.

Exhortatio ad concordiam.

VII. Proinde et incauta interrogatio, et inconsulta responsio, in utroque ; vestrum veniam sibi mutuo concedant. Neque enim de præcipuo et summo legis nostræ mandato inter vos est orta contentio, neque novum aliquod a vobis de Dei cultu introductum est dogma. Sed unam eamdemque sententiam tenetis; adeo ut ad communionis societatem coire facile possitis.

C VII. Διόπερ καὶ ἐρώτησις ἀπροφύλακτος, καὶ ἀπόκρισις ἀπρονόητος, ἴσην ἀλλήλαις ἀντιδότωσαν ἐφ' ἑκατέρῳ συγγνώμην, οὐδὲ γὰρ περὶ τοῦ κορυφαίου τῶν ἐν τῷ νόμῳ παραγγελμάτων ὑμῖν ἡ τῆς φιλονεικίας ἐξήφθη πρόφασις. οὐδὲ καινή τις ὑμῖν ὑπὲρ τῆς τοῦ Θεοῦ θρησκείας αἵρεσις ἀντεισήχθη. ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἔχετε λογισμόν, ὡς πρὸς τὸ τῆς κοινωνίας σύνθημα δύνασθαι συνελθεῖν.

Quod ob leves quasdam voculas pertinaciter certandum non fuit.

VIII. Vobis enim pertinaciter contendentibus de rebus parvis atque levissimis, tantam populi multitudinem vestro consilio regi non decet, in tanta præsertim animorum dissensione : nec solum id indecorum, sed prorsus nefas esse existimatur. Atque, ut prudentiam vestram minore exemplo commonefaciam, scitis ipsos etiam philosophos unius sectæ professione inter se D omnes fœderari; eosdem tamen in aliqua assertionum parte interdum discrepare. Verum licet in ipsa scientiæ perfectione dissentiant, nihilominus ob sectæ communionem rursus in unum conspirant. Quod si ita est, quomodo non multo justius fuerit, vos qui maximi Dei ministri constituti estis, in ejusdem religionis professione unanimes permanere. Sed accuratius, si placet, et attentius expendamus id quod jam dixi; æquumne sit ut ob levium et inanium verborum inter vos contentiones, fratres fratribus velut in acie oppositi stent ; utque venerabilis conventus, per vos qui de rebus adeo exiguis et minime necessariis rixamini, impia dissensione dissideat. Plebeia sunt

VIII. Ὑμῶν γὰρ ἐν ἀλλήλοις ὑπὲρ μικρῶν καὶ λίαν ἐλαχίστων φιλονεικούντων, τοσοῦτον τὸν τοῦ Θεοῦ λαὸν ταῖς ὑμετέραις ἰθύνεσθαι φρεσὶν οὐ προσήκει, διὰ τὸ διχονοεῖν. ἀλλ' οὔτε πρέπον, οὔτε ὅλως θεμιτὸν εἶναι πιστεύεται. ἵνα δὲ μικρῷ παραδείγματι τὴν ὑμετέραν σύνεσιν ὑπομνήσαιμι, λέξω· ἴστε δήπου καὶ τοὺς φιλοσόφους αὐτούς, ὡς ἑνὶ μὲν ἅπαντες δόγματι συντίθενται, πολλάκις δὲ ἐπειδάν ἔν τινι τῶν ἀποφάσεων μέρει διαφωνῶσιν, εἰ καὶ τῇ τῆς ἐπιστήμης ἀρετῇ χωρίζονται, τῇ μέντοι τοῦ δόγματος ἑνώσει, πάλιν εἰς ἀλλήλους συμπνέουσιν· εἰ δὴ τοῦτό ἐστι, πῶς οὐ πολλῷ δικαιότερον, ὑμᾶς τοὺς τοῦ μεγάλου Θεοῦ θεράποντας καθεστῶτας, ἐν τοιαύτῃ προαιρίσει θρησκείας ὁμοψύχους ἀλλήλοις εἶναι ; ἐπισκεψώμεθα δὴ λογισμῷ μείζονι, καὶ πλείονι συνέσει, τὸ ῥηθέν. εἴπερ ὀρθῶς ἔχει δι' ὀλίγας καὶ ματαίας ῥημάτων ἐν ὑμῖν φιλονεικίας, ἀδελφοὺς ἀδελφοῖς ἀντικεῖσθαι, καὶ τὸ τῆς συνόδου τίμιον ἀσεβεῖ διχονοίᾳ χωρίζεσθαι δι' ὑμῶν, οἱ πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ μικρῶν οὕτω καὶ μηδαμῶς ἀναγκαίων φιλονεικοῦμεν. δημώδη ταῦτά ἐστι, καὶ παιδικαῖς ἀνοίαις ἁρμόττοντα μᾶλλον, ἢ τῇ τῶν ἱερέων καὶ φρονίμων ἀνδρῶν συνέσει

Digitized by Google

προσήκοντα. ἀποστῶμεν ἑκόντες τῶν διαβολικῶν πειρασμῶν. ὁ μέγας ἡμῶν Θεὸς ὁ κοινὸς ἁπάντων Σωτὴρ, κοινὸν ἅπασι τὸ φῶς ἐξέτεινεν· ὑφ' οὗ τῇ προνοίᾳ ταύτην ἐμοὶ τῷ θεραπευτῇ τοῦ κρείττονος τὴν σπουδὴν εἰς τέλος ἐνεγκεῖν συγχωρήσατε. ὅπως αὐτοὺς τοὺς ἐκείνου δήμους ἐμῇ προσφωνήσει καὶ ὑπηρεσίᾳ καὶ νουθεσίᾳ ἑνστάσει, πρὸς τὴν τῆς συνόδου κοινωνίαν ἐπανάγοιμι. ἐπειδὴ γάρ, ὡς ἔφην, μία τίς ἐστιν ὑμῖν πίστις, καὶ μία τῆς καθ' ἡμᾶς αἱρέσεως σύνεσις, τό τε τοῦ νόμου παράγγελμα τοῖς δι' ἑαυτοῦ μέρεσιν εἰς μίαν ψυχῆς πρόθεσιν τὸ ὅλον συγκλείει· ταῦτο ὅπερ ὀλίγην ἐν ὑμῖν ἀλλήλοις φιλονεικίαν ἤγειρεν, ἐπειδὴ μὴ πρὸς τὴν ταῦ παντὸς δύναμιν ἀνήκει, χωρισμόν τινα καὶ στάσιν ἐν ὑμῖν μηδαμῶς ποιείτω. καὶ λέγω ταῦτα, οὐχ ὡς ἀναγκάζων ὑμᾶς ἑξάπαντος τῇ λίαν εὐήθει καὶ οἵᾳ δή ποτέ ἐστι ἐκείνη ἡ ζήτησις, συντίθεσθαι δύναται γὰρ καὶ τὸ τῆς συνόδου τίμιον ὑμῖν ἀκεραίως σώζεσθαι, καὶ μία καὶ ἡ αὐτὴ κατὰ πάντων κοινωνία τηρεῖσθαι, κἂν τὰ μάλιστά τις ἐν μέρει πρὸς ἀλλήλους ὑμῶν ὑπὲρ ἐλαχίστου διαφωνία γένηται. ἐπειδὴ μὴ δὲ πάντες ἐν ἅπασι ταὐτὸ βουλόμεθα, μὴ δέ μία τις ἐν ὑμῖν φύσις ἢ γνώμη πολιτεύεται. περὶ μὲν οὖν τῆς θείας προνοίας, μία τις ἐν ὑμῖν ἔστω πίστις, μία σύνεσις, μία συνθήκη τοῦ κρείττονος· ἃ δ' ὑπὲρ τῶν ἐλαχίστων τούτων ζητήσεων ἐν ἀλλήλοις ἀκριβολογεῖσθε, κἂν μὴ πρὸς μίαν γνώμην συμφέρεσθε, μένειν εἴσω λογισμοῦ προσήκει, τῷ τῆς διανοίας ἀπορρήτῳ τηρούμενα, τὸ μέντοι τῆς κοινῆς φιλίας ἐξαίρετον, καὶ ἡ τῆς ἀληθείας πίστις, ἥ τε περὶ τὸν Θεὸν καὶ τὴν τοῦ νόμου θρησκείαν τιμή, μενέτω παρ' ὑμῖν ἀσάλευτος· ἐπανέλθετε δὴ πρὸς τὴν ἀλλήλων φιλίαν τε καὶ χάριν. ἀπόδοτε τῷ λαῷ ξύμπαντι τὰς οἰκείας περιπλοκάς. ὑμεῖς τε αὐτοὶ καθάπερ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἐκκαθήραντες, αὖθις ἀλλήλους ἐπίγνωτε· ἡδίων γὰρ πολλάκις φιλία γίνεται μετὰ τὴν τῆς ἔχθρας ὑπόθεσιν, αὖθις εἰς καταλλαγὴν ἐπανελθοῦσα.

hæc, et quæ puerili magis inscitiæ quam Sacerdotum et prudentium virorum sapientiæ congruant. Abscedamus nostra sponte a diaboli tentationibus. Maximus Deus noster et omnium Servator commune cunctis protulit lumen. Sub cujus auspicio ac providentia, mihi ejus famulo et cultori concedite, quæso, ut hoc opus ad exitum perducam, quo plebs illius mea allocutione atque opera, et admonitionum instantia ad conventus unitatem revocetur. Nam cum vobis, ut dixi, una eademque sit fides, una de religione nostra sententia; cumque legis præceptum utraque sui parte omnes in unam animorum consensionem constringat: istud quod levem inter vos contentionem excitavit: quandoquidem ad totius religionis summam non pertinet, non est cur ullum inter vos discidium ac seditionem faciat. Atque hæc non eo dico, ut vos de inepta, et qualiscumque demum vocanda est quæstione, idem omnino sentire cogam. Potest enim gravitas conventus integre apud vos conservari, et una eademque inter omnes communio retineri, quamvis invicem de re aliqua minimi momenti dissentiatis. Siquidem nec idem omnes volumus in omnibus, nec una omnium indoles est atque sententia. Itaque de divina quidem Providentia una inter vos sit fides, unus intellectus, una de Deo consensio. Quæ vero de levissimis istis quæstionibus inter vos subtiliter disputatis, licet non in eamdem cocatis sententiam, interiore mentis cogitatione continere et arcano pectoris recondere debetis. Maneat firma in vobis communis amicitiæ prærogativa, et veritatis fides, et Dei legisque observantia. Recurrite ad mutuam dilectionem et charitatem; reddite universo populo suos amplexus. Vosmet ipsi, expurgatis, ut ita dicam, animis vestris, vos vicissim agnoscite. Sæpe enim post depositas inimicitias, reconciliata iterum gratia, jucundior extitit amicitia.

Quomodo dolore affectus præ pietate lacrymas effudit, et iter quod facturus erat in Orientem ob hanc causam repressit.

ΙΧ. Ἀπόδοτε οὖν μοι γαληνὰς μὲν ἡμέρας, νύκτας δ' ἀμερίμνους, ἵνα κἀμοί τις ἡδονὴ καθαροῦ φωτὸς, καὶ βίου λοιποῦ ἡσύχου εὐφροσύνη σώζηται. εἰ δὲ μη, στένειν ἀνάγκη, καὶ δακρύοις δι' ὅλου συγχεῖσθαι, καὶ μηδὲ τὸν τοῦ ζῆν αἰῶνα πρᾴως ὑφίστασθαι. τῶν γάρ τοι τοῦ Θεοῦ λαῶν, τῶν συνθεραπόντων λέγω τῶν ἐμῶν, οὕτως ἀδίκως καὶ βλαβερᾷ πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίᾳ κεχωρισμένων, ἐμὲ πῶς ἐγχωρεῖ τῷ λογισμῷ συνιστάναι λοιπόν· ἵνα δὲ τῆς ἐπὶ τούτῳ λύπης τὴν ὑπερβολὴν αἴσθησθε, πρώην ἐπιστὰς τῇ Νικομηδέων πόλει, παραχρῆμα πρὸς τὴν ἑῴαν ἠπειγόμην τῇ γνώμῃ. σπεύδοντι δή μοι πρὸς ὑμᾶς, καὶ τῷ πλείονι μέρει σὺν ὑμῖν ὄντι, ἡ τοῦδε τοῦ γράμματος ἀγγελία πρὸς τὸ ἔμπαλιν τὸν λογισμὸν ἀνεχαίτισεν, ἵνα μὴ τοῖς ὀφθαλμοῖς ὁρᾷν ἀναγκασθείην, ἃ μηδὲ ταῖς

IX. Reddite igitur mihi tranquillos dies et noctes curarum expertes, ut mihi quoque puræ lucis voluptas, et quietæ vitæ lætitia in posterum conservetur. Quod nisi consecutus fuero, ingemiscam necesse est, totusque lacrymis perfundar; nec reliquum vitæ tempus placide exigam. Nam quandiu populus Dei (conservos meos dico) iniqua et perniciosa contentione discissus est, qui fieri potest ut ego deinceps animo consistam? Porro, ut doloris hac de re mei magnitudinem intelligatis, nuper cum Nicomediam venissem, protinus in Orientem iter facere decreveram. Cumque profectionem urgerem, et majore jam ex parte vobiscum essem, hujus rei nuntius consilium nostrum retro avertit, ne cogerer ea coram aspicere, quæ ne auditu

Communio retineri. Hæc et quæ sequuntur, ex Arianorum officina prodisse necessario dicendum est. Nam quo pacto dici potest, Alexandrum et Arium unam eamdemque de fide sententiam tenere, ita ut discordia inter utrumque facile conciliari possit, cum Alexander filium Dei patri coæternum esse affirmaret, Arius vero idem pertinaciter negaret? quomodo item levissima controversia haberi potest, in qua de Christi divinitate, quæ est summa totius fidei catholicæ, disceptatur? Itaque hinc evidentius patet, verum esse quod supra dixi; hæc, quæ ex Arianorum officina prodierunt, vel ab Eusebio Cæsariensi huic epistolæ superaddita esse, aut saltem mutata: vel a nequiore illo et veternoso serpente Eusebio Nicomediensi imperatori persuasa fuisse. SEVER. BINIUS.

Digitized by Google

quidem tenus tolerare me posse existimabam. Deinceps ergo viam mihi in Orientem aperite consensu vestro, quam mihi mutuis inter vos contentionibus obstruxistis. Date hoc mihi, ut vos aliosque omnes populos lætos atque hilares quamprimum videre, et pro communi omnium concordia ac libertate debitas Deo gratias cum unanimi laudum concentu referre possim.

A ἀκοαῖς προσέσθαι δυνατὸν ἡγούμην. ἀνοίξατε δή μοι λοιπὸν ἐν τῇ καθ' ὑμᾶς ὁμονοίᾳ, τῆς ἑῴας τὴν ὁδὸν, ἣν ταῖς πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίαις ἀπεκλείσατε· καὶ συγχωρήσατε θᾶττον ὑμᾶς τε ὁμοῦ, καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας δήμους ἰδεῖν χαίροντας, καὶ τὴν ὑπὲρ τῆς κοινῆς ἁπάντων ὁμονοίας τε καὶ ἐλευθερίας ἐφειλομένην χάριν, ἐπ' εὐφήμοις λόγων συνθήμασιν ὁμολογῆσαι τῷ κρείττονι.

ANNO DOMINI CCCXXV.

EPISTOLA CONSTANTINI AD ECCLESIAM POST CONCILIUM NICÆNUM.

(*Eus.*, *Vit. Const.*, *l.* III, *c.* 17-20.)

Constantinus Augustus Ecclesiis.

1. Cum ex prospero reipublicæ statu compertum haberem quanta fuisset erga nos omnipotentis Dei benignitas, in hoc præcipue mihi elaborandum esse existimavi, ut a sanctissimis Ecclesiæ catholicæ populis una fides, sincera charitas et consona erga omnipotentem Deum religio servaretur. Sed quoniam fieri non poterat ut ea res firme ac stabiliter constitueretur, nisi omnibus episcopis vel certe plurimis eorum in unum congregatis, singula quæ ad sacratissimam religionem pertinent disceptata prius fuissent, hanc ob causam coactis quam fieri potuit plurimis Sacerdotibus, me quoque tanquam uno ex vobis præsente (neque enim negaverim id quo maxime exulto, conservum me vestrum esse), cuncta competenti examine eo usque discussa sunt, donec inspectori omnium Deo accepta sententia, ad unitatis concentum proferretur in lucem. Itaque nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus amplius relinqueretur.

Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς ταῖς Ἐκκλησίαις.

1. Πεῖραν λαβὼν ἐκ τῆς τῶν κοινῶν εὐπραξίας, ὅση τὴς θείας δυνάμεως πέφυκε χάρις, τοῦτον πρό γε πάντων ἔκρινα εἶναί μοι προσήκειν σκοπὸν, ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πλήθεσι, πίστις μία καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη, ὁμονώμων τε περὶ τὸν παγκρατῆ Θεὸν εὐσέβεια τηρῆται. ἀλλ' ἐπειδὴ τοῦτ' οὐχ οἷόν τ' ἦν ἀκλινῆ καὶ βεβαίαν τάξιν λαβεῖν, εἰ μὴ εἰς ταὐτὸ πάντων ὁμοῦ, ἢ τῶν γοῦν πλειόνων Ἐπισκόπων συνελθόντων, ἑκάστου τῶν προσηκόντων τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ διάκρισις γένοιτο, τούτου ἕνεκεν πλείστων ὅσων συναθροισθέντων, αὐτὸς δὲ καθάπερ εἷς ἐξ ὑμῶν ἐτύγχανον συμπαρὼν (οὐ γὰρ ἀρνησαίμην ἄν, ἐφ' ᾧ μάλιστα χαίρω, συνθεράπων ὑμέτερος πεφυκέναι) ἄχρι τοσούτου ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως, ἄχρις οὗ ἡ τῷ πάντων ἐφορῳ Θεῷ ἀρέσκουσα γνώμη, πρὸς τὴν τῆς ἑνότητος συμφωνίαν εἰς φῶς προήχθη, ὡς μηδὲν ἔτι πρὸς διχόνοιαν ἢ πίστεως ἀμφιστοήτησιν, ὑπολείπεσθαι.

De consensu in celebratione festi Paschalis et contra Judæos.

2. Ubi cum de sanctissimo etiam paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est, eam festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere. Quid enim pulchrius, quid honestius nobis esse possit, quam ut hæc festivitas, a qua spem immortalitatis accepimus, uno eodemque ordine et certa ratione ab omnibus inoffense observetur? Ac primum quidem visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur; qui cum manus suas nefario scelere contaminarint, merito impuri homines cæcitate mentis laborant. Quippe rejecta illorum consuetudine, possumus rectiori ordine, quem a primo passionis die ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagare. Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba. Aliam enim viam a Servatore accepimus. Propositus est sacratissimæ religioni nostræ cursus legitimus et

C

D

β. Ἔνθα καὶ περὶ τῆς τοῦ Πάσχα ἁγιωτάτης ἡμέρας, γενομένης ζητήσεως, ἔδοξε κοινῇ γνώμῃ καλῶς ἔχειν, ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας πάντας τοὺς ἀπανταχοῦ ἐπιτελεῖν. τί γὰρ ἡμῖν κάλλιον, τί δὲ σεμνότερον ὑπάρξαι δυνήσεται, τοῦ τὴν ἑορτὴν ταύτην παρ' ἧς τὰς τῆς ἀθανασίας εἰλήφαμεν ἐλπίδας, μιᾷ τάξει καὶ φανερῷ λόγῳ παρὰ πᾶσιν ἀδιαπτώτως φυλάττεσθαι; καὶ πρῶτον μὲν ἀνάξιον ἔδοξεν εἶναι, τὴν ἁγιωτάτην ἐκείνην ἑορτὴν τῇ τῶν Ἰουδαίων ἑπομένους συνηθείᾳ πληροῦν· οἱ τὰς ἑαυτῶν χεῖρας ἀθεμίτῳ πλημμελήματι χράναντες, εἰκότως τὰς ψυχὰς οἱ μιαροὶ τυφλώττουσιν. ἔξεστι γὰρ, τοῦ ἐκείνων ἔθνους ἀποβληθέντος, ἀληθεστέρᾳ τάξει, ἣν ἐκ πρώτης τοῦ πάθους ἡμέρας ἄχρι τοῦ παρόντος ἐφυλάξαμεν, καὶ ἐπὶ τοὺς μέλλοντας αἰῶνας τὴν τῆς ἐπιτηρήσεως ταύτης συμπλήρωσιν ἐκτείνεσθαι. μηδὲν τοίνυν ἔστω ἡμῖν κοινὸν μετὰ τοῦ ἐχθίστου τῶν Ἰουδαίων ὄχλου· εἰλήφαμεν γὰρ παρὰ τοῦ Σωτῆρος ὁδὸν ἑτέραν· πρόκειται δρόμος τῇ ἱερωτάτῃ ἡμῶν θρησκείᾳ καὶ νόμιμος καὶ πρέπων. τούτου συμφώνως ἀντιλαμβανόμενοι, τῆς αἰσχρᾶς, ἐκείνης ἑαυτοὺς συνειδήσεως ἀποσπάσω-

VALESII NOTÆ.

Ἔδοξε κοινῇ γνώμῃ. Hæc verba Constantini respexisse videtur Athanasius, cum in libro de Synodis Arimini et Seleuciæ, pag. 873 notat aliter locutos esse Patres Synodi Nicænæ in expositione fidei, aliter in definiendo Paschæ die. Nam in hoc quidem negotio usi sunt verbo ἔδοξε, id est, *placuit*. In expositione autem fidei nequaquam dixere *placuit*, *sed ita credit sancta et universalis Ecclesia*. Certe verbum ἔδοξε quod refert Athanasius, non reperitur in Epistola Synodica, sed in hac tantum Epistola Constantini: quam pro Synodica habitam fuisse non immerito quis possit suspicari.

Τοῦ ἐκείνων ἔθνους. Lego ἔθους cum Christophorsono et Grutero. Idem mendum notavimus in historia Ecclesiastica. Certe in schedis Regiis et in libro Savilii ἔθους perscriptum est.

Καὶ νόμιμος καὶ πρέπων. Apud Gelasium et Nicephorum legitur καὶ νόμος πρέπων. Socrates tamen ac Theodoritus vulgatam lectionem tuentur.

Αἰσχρᾶς ἐκείνης συνειδήσεως. Nam qui cum Judæis

Digitized by Google

μεν ἀδελφοὶ τιμιώτατοι. ἔστι γὰρ ὡς ἀληθῶς ἀτοπώτατον, ἐκείνους αὐχεῖν ὡς ἄρα παρεκτὸς τῆς αὐτῶν διδασκαλίας ταῦτα φυλάττειν οὐκ εἴημεν ἱκανοί. τί δὲ φρονεῖν ὀρθὸν ἐκεῖνοι δυνήσονται, οἳ μετὰ τὴν κυριακτονίαν τε καὶ πατροκτονίαν ἐκείνην ἑκστάντες τῶν φρενῶν, ἄγονται οὐ λογισμῷ τινι, ἀλλ' ὁρμῇ ἀκατασχέτῳ, ὅποι δ' ἂν αὐτοὺς ἡ ἔμφυτος αὐτῶν ἀγάγῃ μανία. ἐκεῖθεν οὖν τοίνυν κἂν τούτῳ τῷ μέρει τὴν ἀλήθειαν οὐχ ὁρῶσιν. ὡς δὴ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐτοὺς πλανωμένους τῆς προσηκούσης ἐπανορθώσεως, τῷ αὐτῷ ἔτει δεύτερον τὸ Πάσχα ἐπιτελεῖν. τίνος χάριν τούτοις ἑπόμεθα, οὓς δεινὴν πλάνην νοσεῖν ὡμολόγηται· δεύτερον γὰρ τῷ ἐνὶ ἐνιαυτῷ οὐκ ἄν ποτε ποιεῖν ἀνεξόμεθα. ἀλλ' εἰ καὶ ταῦτα μὴ προὔκειτο, ἀλλὰ δὴ τὴν ἡμετέραν ἀγχίνοιαν ἐχρῆν καὶ διὰ σπουδῆς καὶ δι' εὐχῆς ἔχειν πάντοτε, ἐν μηδεμιᾷ τὸ καθαρὸν τῆς ὑμετέρας ψυχῆς κοινωνεῖν δοκεῖν ἀνθρώπων ἔθεσι πανκάκων. πρὸς τούτοις κἀκεῖνο πάρεστι συνορᾶν, ὡς ἐν τηλικούτῳ πράγματι καὶ τοιαύτῃ θρησκείας ἑορτῇ διαφωνίαν ἄρχειν, ἐστὶν ἀθέμιτον. μίαν γὰρ ἑορτὴν τὴν τῆς ἡμετέρας ἐλευθερίας ἡμέραν, τουτέστι τὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάθους, ὁ ἡμέτερος παρέδωκε Σωτὴρ, καὶ μίαν εἶναι τὴν καθολικὴν αὐτοῦ ἐκκλησίαν βεβούληται. ἧς εἰ καὶ τὰ μάλιστα εἰς πολλοὺς καὶ διαφόρους τόπους τὰ μέρη διήρηται, ἀλλ' ὅμως ἑνὶ πνεύματι, τουτέστι τῷ θείῳ βουλήματι, θάλπεται. λογισάσθω δ' ἡ τῆς ἡμετέρας ὁσιότητος ἀγχίνοια, ὅπως ἐστὶ δεινόν τε καὶ ἀπρεπές, κατὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἑτέρους μὲν ταῖς νηστείαις σχολάζειν, ἑτέρους δὲ συμπόσια συντελεῖν· καὶ μετὰ τὰς τοῦ Πάσχα ἡμέρας, ἄλλους μὲν ἐν ἑορταῖς καὶ ἀνέσεσιν ἐξετάζεσθαι, ἄλλους δὲ ταῖς ὡρισμέναις ἐκδεδόσθαι νηστείαις. διὰ τοῦτο γοῦν τῆς προσηκούσης ἐπανορθώσεως τυχεῖν, καὶ πρὸς μίαν διατύπωσιν ἄγεσθαι τοῦτο ἡ θεία πρόνοια βούλεται, ὡς ἔγωγ' ἅπαντας ἡγοῦμαι συνορᾶν.

honestus. Hunc unanimi consensu retinentes, ab illa turpissima societate et conscientia nos abstrahamus, fratres carissimi. Est enim profecto absurdissimum quod illi magnifice jactant, nos absque ipsorum magisterio hæc commode observare non posse. Quidnam vero illi recte sentire possint, qui post necem Domini, post illud parricidium mente capti, non ratione, sed præcipiti impetu feruntur, quocumque innatus furor ipsos impulerit. Hinc est quod ne in hac quidem parte veritatem ipsam perspiciunt: adeo ut a convenienti emendatione longissime aberrantes, uno eodemque anno duo paschata celebrent. Quid ergo est cur istos sequamur, quos constat gravissimo erroris morbo laborare? Nam uno eodemque anno geminum pascha facere nunquam profecto sustinebimus. Verum etiamsi quæ dixi minime suppeterent, vestræ tamen solertiæ est id curare omnibus modis atque optare, ne sanctitas animarum vestrarum, in ullius rei similitudine cum nequissimorum hominum moribus sociari et commisceri videatur. Illud præterea considerandum est, nefas esse ut in tanti momenti negotio et in hujusmodi religionis solemnitate dissensio reperiatur. Unum enim liberatis nostræ festum diem, hoc est, diem sacratissimæ passionis, Servator noster nobis reliquit, unamque esse voluit catholicam Ecclesiam. Cujus membra licet variis locis dispersa sint, uno tamen Spiritu, Dei scilicet voluntate, foventur. Consideret, quæso, vestræ Sanctitatis solertia, quam grave sit et indecorum, iisdem diebus alios quidem jejuniis intentos esse, alios vero convivia celebrare, et post dies paschæ, alios quidem in festivitatibus et animorum remissione versari, alios vero definitis vacare jejuniis. Hoc itaque convenienti emendatione corrigi, et ad unam eamdemque formam redigi divina vult providentia, quemadmodum omnes meo quidem judicio intelligitis.

Hortatio ut maximam partem orbis terrarum sequi velint.

III. Ὅθεν ἐπειδὴ τοῦθ' οὕτως ἐπανορθοῦσθαι προσῆκεν, ὡς μηδὲν μετὰ τοῦ τῶν πατροκτόνων τε καὶ κυριακτόνων ἐκείνων ἔθνους εἶναι κοινόν. ἔστι δὲ τάξις εὐπρεπὴς, ἣν πᾶσαι αἱ τῶν ὑτικῶν τε καὶ μεσημβρινῶν καὶ ἀρκτώων

III. Proinde cum hoc ita emendari oporteret, ut nihil nobis commune esset cum illorum Domini interfectorum et parricidarum consuetudine, cumque hic ordo decentissimus sit, quem omnes tam occidentalium

VALESII NOTÆ.

Pascha Dominicum celebrant, conscii videntur esse sceleris quod Judæi adversus Dominum admiserunt, at Christophorsonus συνείδησιν vertit *opinionem*, cui non accedo.

Τῆς προσηκούσης ἐπανορθώσεως. Socrates, Theodoritus, Gelasius ac Nicephorus habent ἀντὶ τῆς προσηκούσης ἐπανορθώσεως, quod non probo. Recte enim dicitur πλανωμένους τῆς ἐπανορθώσεως.

Τῷ αὐτῷ ἔτει δεύτερον τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν. Cum Neomenia Paschalis Judæorum a die quinto mensis martii inciperet, et tertio Aprilis claudereturtur, hinc fiebat aliquando ut eorum Pascha ante æquinoxium inciperet. Ita duplex Pascha eodem anno celebrabant. Porro hæc iteratio quam Judæis objicit Constantinus, nequaquam magni momenti mihi quidem videtur. Idem enim retorquere poterant Judæi adversus Christianos; eos scilicet uno eodemque anno bis Pascha celebrasse, si annum vertentem intelligamus. Ponamus enim hoc anno Pascha celebrari decimo calendas maias: sequente anno citius celebretur necesse est. Atque ita duplex Pascha intra unius anni vertentis curriculum apud Christianos occurrit. Vide Epiphanium in hæresi 70, quæ est Audianorum pag. 824 et animadversiones D. Petavii. Cui junge cap. 3. Ægidii Bucherii de Paschali Judæorum cyclo

Τίνος χάριν. Apud Theodoritum et Nicephorum legitur τίνος οὖν χάριν. Sic etiam Socrates et Gelasius. Ex quibus corrigenda sunt, quæ sequuntur hoc modo: τὴν ὑμετέραν ἀγχίνοιαν. Et paulo post ἐν μηδεμιᾷ ὁμοιότητι. Quanquam apud illos quod dixi Scriptores legitur ἐν μηδενὸς ὁμοιότητι. in Fuketiano scriptum est ἐν μηδεμιᾷ προφάσει. Porro ad hæc verba alludere videtur Auctor Constitutionum Apost. libro v, cap. 16. Quod profecto fatebitur, quisquis eum locum cum his Constantini verbis contulerit.

Ἑτέρους μὲν ταῖς νηστείαις σχολάζειν. Intelligit caput jejunii, quod alio tempore a Quartadecimanis, alio a reliquis Christianis inchoabatur. Si quis tamen de fine jejunii Quadragesimalis hæc intelligere malit, non repugnabo. Vide Chrysostomum in Homilia adversus eos qui primo Pascha jejunabant, pag. 714;

Digitized by Google

quam meridianarum et septentrionalium orbis partium Ecclesiæ, ac nonnullæ quoque orientalium servant, idcirco id æquum rectumque esse omnes judicaverunt, quod et vobis placiturum esse spopondi, ut scilicet quod in urbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum; per Hispaniam, Gallias, Britannias, Lybias; per universam Achaïam, per Asianam et Ponticam diœcesim; per Ciliciam denique concordi sententia observatur, id vestra quoque prudentia libentibus animis amplectatur. Illud nimirum attendens, non modo majorem esse numerum ecclesiarum in locis supra memoratis, verum etiam æquissimum esse ut omnes in commune id velint quod stricta ratio exigere videtur, nec ullam cum Judæorum perjurio societatem habere. Atque ut summatim ac breviter dicam, placuit communi omnium judicio, ut sanctissima paschæ festivitas uno eodemque die celebraretur. Neque enim decet in tanta sanctitate aliquam esse dissonantiam, præstatque eam sequi sententiam in qua nulla est alieni erroris scelerisque societas atque communio.

A τῆς οἰκουμένης μερῶν παραφυλάττουσιν ἐκκλησίαι, καί τινες τῶν κατὰ τὴν ἑῴαν τόπων. τούτου ἕνεκεν ἐπὶ τοῦ παρόντος καλῶς ἔχειν ἅπαντες ἡγήσαντο. καὶ αὐτὸς δὲ τῇ ὑμετέρᾳ ἀγχινοίᾳ ἀρέσειν ὑπεσχόμην. ἵν' ὅπερ δ' ἂν κατὰ τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν τε καὶ Ἀφρικὴν, Ἰταλίαν τε ἅπασαν, Αἴγυπτον, Σπανίαν, Γαλλίας, Βρεττανίας, Λιβύας, ὅλην Ἑλλάδα, Ἀσιανήν τε διοίκησιν καὶ Ποντικὴν, καὶ Κιλικίαν, μιᾷ καὶ συμφώνῳ φυλάττεται γνώμῃ, ἀσμένως τοῦτο καὶ ἡ ὑμετέρα προσδέξηται σύνεσις, λογιζομένη ὡς οὐ μόνον πλείων ἐστὶν ὁ τῶν κατὰ τοὺς προειρημένους τόπους ἐκκλησιῶν ἀριθμὸς, ἀλλὰ καὶ ὡς τοῦτο μάλιστα κοινῇ πάντας ὁσιώτατόν ἐστι βούλεσθαι, ὅπερ καὶ ὁ ἀκριβὴς λόγος ἀπαιτεῖν δοκεῖ, καὶ οὐδεμίαν μετὰ τῆς Ἰουδαίων ἐπιορκίας ἔχειν κοινωνίαν. ἵνα δὲ τὸ κεφαλαιωδέστερον συντόμως εἴπω, κοινῇ πάντων ἤρεσε κρίσει, τὴν ἁγιωτάτην τοῦ Πάσχα ἑορτὴν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ B συντελεῖσθαι. οὐδὲ γὰρ πρέπει ἐν τοσαύτῃ ἁγιότητι εἶναί τινα διαφοράν· καὶ κάλλιον ἕπεσθαι τῇ γνωμῇ ταύτῃ.

Hortatio ut omnes decretis Synodi assentiantur.

IV. Quæ cum ita sint, cœlestem gratiam et plane divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in sanctis episcoporum conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem. Quamobrem ubi ea quæ gesta sunt dilectis fratribus nostris intimaveritis, supradictam rationem et sanctissimi diei observantiam suscipere et constituere debetis, ut cum in dilectionis vestræ conspectum jampridem a me desideratum venero, uno eodemque vobiscum die C sanctam festivitatem peragere possim, utque de omnibus una vobiscum gaudeam, cernens diaboli crudelitatem divina potentia nobis operam navantibus esse sublatam, florente ubique terrarum vestra fide et pace atque concordia. Deus vos servet, fratres carissimi. — Hanc epistolam imperator eodem exemplo scriptam, in omnes provincias direxit, ut suæ erga Deum pietatis sinceritatem tanquam in speculo quodam aspiciendam legentibus præberet.

IV. Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων, ἀσμένως δέχεσθε τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν καὶ θείαν ὡς ἀληθῶς ἐντολήν· πᾶν γὰρ, εἴ τι δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν Ἐπισκόπων συνεδρίοις πράττεται, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν. διὸ πᾶσι τοῖς ἀγαπητοῖς ἡμῶν ἀδελφοῖς ἐμφανίσαντες τὰ πεπραγμένα, ἤδη καὶ τὸν προειρημένον λόγον καὶ τὴν παρατήρησιν τῆς ἁγιωτάτης ἡμέρας ὑποδέχεσθαί τε καὶ διατάττειν ὀφείλετε, ἵν' ἐπειδὰν πρὸς τὴν πάλαι μοι ποθουμένην τῆς ὑμετέρας διαθέσεως ὄψιν ἀφίκωμαι, ἐν μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τὴν ἁγίαν μεθ' ὑμῶν ἑορτὴν ἐπιτελέσαι δυνηθῶ, καὶ πάντων ἕνεκεν μεθ' ὑμῶν εὐδοκήσω, συνορῶν τὴν διαβολικὴν ὠμότητα, ὑπὸ τῆς θείας δυνάμεως διὰ τῶν ἡμετέρων πραξεων ἀνῃρημένην, ἀκμαζούσης πανταχοῦ τῆς ἡμετέρας πίστεως καὶ εἰρήνης καὶ ὁμονοίας. ὁ Θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί. Ταύτης βασιλεὺς ἐπιστολῆς ἰσοδυναμοῦσαν γραφὴν ἐφ' ἑκάστης ἐπαρχίας διεπέμπετο. ἐνοπτρίζεσθαι τῆς αὐτοῦ διανοίας τὸ καθαρώτατον καὶ τῆς πρὸς τὸ θεῖον ὁσίας, παρέχων τοῖς ἐντυγχάνουσι.

EPISTOLA CONSTANTINI AD ECCLESIAS.

(*Socr. Hist. Eccles. l.* 1, *c.* IX.)

Jubet imperator ut libri Arii igni tradantur.

Victor Constantinus, maximus, Augustus, episcopis et populis.

Cum malignos et impios Arius sibi imitandos duxerit, par est ut eamdem cum illis ferat ignominiam. Quemadmodum igitur Porphyrius divinæ pietatis hostis, iniquis de religione compositis libris, condignam reperit mercedem, per quam futuris sæculis omnium probris obnoxius erit, plurimaque obruetur

Νικητὴς Κωνσταντῖνος, μέγιστος, σεβαστὸς, ἐπισκόποις καὶ λαοῖς.

D Τοὺς πονηροὺς δὲ ἀσεβεῖς μιμησάμενος Ἄρειος, δίκαιός ἐστι τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ὑπέχειν ἀτιμίαν. ὥσπερ τοίνυν Πορφύριος ὁ τῆς θεοσεβείας ἐχθρὸς συντάγματα ἄττα παράνομα κατὰ τῆς θρησκείας συστησάμενος, ἄξιον εὗρατο μισθὸν, καὶ τοιοῦτον, ὥστε ἐπονείδιστον μὲν αὐτὸν πρὸς τὸν ἑξῆς γενέσθαι χρόνον, καὶ πλείστης ἀναπλη-

VALESII NOTÆ.

Ἀκριβὴς λόγος. Apud Theodoritum et Gelasium Cyzicenium legitur λογισμὸς, quod mihi certe non displicet; ut λογισμὸς idem sic ac ψηφισμὸς, id est, diligens supputatio; unde et computus Paschalis est appellatus.

Πᾶν γὰρ ὅ, τί δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν ἐπισκόπων συνεδρίοις. Notanda est hæc Constantini sententia de auctoritate Judiciorum Synodalium. Cui similis est locus alter in Epistola ejusdem Constantini ad Episcopos post Concilium Arelatense.

Διατάττειν ὀφείλετε. Ex hoc loco aperte colligitur, Epistolam hanc Constantini scriptam esse ad Episcopos qui Synodo non interfuerant. Inscripta quidem est Epistola ad Ecclesias. Verum Ecclesiarum nomine antistites intelligendi sunt.

Τῆς ὑμετέρας διαθέσεως. Hæc peculiaris est locutio Christianorum, qui cum aliquem ex fratribus aut voce aut per litteras alloquerentur, vestram charitatem seu dilectionem dicere solebant.

Digitized by Google

σῦναι κακοδοξίας, ἀφανισθῆναι δὲ τὰ ἀσεβῆ αὐτοῦ συγγράμματα· οὕτω καὶ νῦν ἔδοξεν, Ἄρειόν τε καὶ τοὺς αὐτῷ ὁμογνώμονας Πορφυριανοὺς μὴν καλεῖσθαι, ἵν' ὧν περ τοὺς τρόπους μεμίμηνται, τούτων ἔχωσι δὲ τὴς προσηγορίαν, πρὸς δὲ τούτῳ καὶ εἴ τι σύγγραμμα ὑπὸ Ἀρείου συντεταγμένον εὑρίσκοιτο, τοῦτο πυρὶ παραδίδοσθαι· ἵνα μὴ μόνον τὰ φαῦλα αὐτοῦ τῆς διδασκαλίας ἀφανισθείη, ἀλλὰ μηδὲ ὑπόμνημα αὐτοῦ ὅλως ὑπολείποιτο, ἐκεῖνο μέντοι προαγορεύω, ὡς εἴ τις σύγγραμμα ὑπὸ Ἀρείου συνταγὴν φωραθείη κρύψας, καὶ μὴ εὐθέως προσενεγκὼν καὶ πυρὶ καταναλώσας, τούτῳ θάνατος ἔσται ζημία· παραχρῆμα γὰρ ἁλοὺς ἐπὶ τούτῳ, κεφαλῆς ὑποστήσεται τιμωρίαν. ὁ Θεὸς ὑμᾶς φυλάξῃ, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

Καὶ ἄλλας δὲ ἐπιστολὰς ὁ βασιλεὺς κατὰ Ἀρείου καὶ τῶν ὁμοδόξων αὐτοῦ πανηγυρικώτερον γράψας, πανταχοῦ κατὰ πόλιν προέθηκε.

A infamia, atque insuper impia ejus abolita sunt scripta: ita et nunc placitum nobis est, Arium et Arii suffragatores Porphyrianos quidem nominare, ut quorum imitati sunt mores, eorum quoque obtineant appellationem. Si quod autem scriptum ab Ario compositum reperiatur, igni tradatur, ut non modo improba ejus doctrina tollatur, verum etiam ne monumentum quidem aliquod ejus relinquatur. Illud equidem prædictum volo, si quis libellum aliquem ab Ario conscriptum occultasse deprehensus sit, nec continuo eum prolatum igne absumpserit, morte mulctabitur, illico namque in crimine tali comprehensus pœnam capitis luet. Deus vos servet, fratres dilecti. Et cum alias epistolas imperator adversus Arium et cum illo sentientes magnificentius scripsisset, passim per singulas civitates eas proposuit.

EPISTOLA CONSTANTINI AD ECCLESIAM ALEXANDRINAM.

(*Conc.*, *t.* II, *p.* 62, *ed. Labb.*)

Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς τῇ καθολικῇ Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίᾳ.

Χαίρετε ἀγαπητοὶ ἀδελφοί. τελείαν παρὰ τῆς θείας προνοίας εἰλήφαμεν χάριν, ἵνα πάσης πλάνης ἀπαλλαγέντες, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐπιγινώσκωμεν πίστιν. οὐδὲν λοιπὸν τῷ διαβόλῳ ἔξεστι καθ' ἡμῶν· πᾶν εἴ τι δ' ἂν (ὅ, τι δ' ἂν), κακοτεχνησάμενος ἐπεχείρησεν, ἐκ βάθρων ἀνήρηται· τὰς διχονοίας, τὰ σχίσματα, τοὺς θορύβους ἐκείνους, καὶ τὰ τῶν διαφωνιῶν, ἵν' οὕτως εἴπω, θανάσιμα φάρμακα, κατὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ κέλευσιν, ἡ τῆς ἀληθείας ἐνίκησε λαμπρότης. ἵνα τοιγαροῦν ἅπαντες καὶ τῷ ὀνόματι προσκυνοῦμεν, καὶ εἶναι πεπιστεύκαμεν. ἵνα δὲ τοῦτο γένηται, ὑπομνήσει Θεοῦ συνεκάλεσα εἰς τὴν Νικαίων πόλιν τοὺς πλείστους τῶν ἐπισκόπων, μεθ' ὧνπερ εἷς ἐξ ὑμῶν ἐγὼ ὁ συνθεράπων ὑμέτερος καθ' ὑπερβολὴν εἶναι χαίρων, καὶ αὐτὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνιδεῖν ἤλιγχθη οὖν ἅπαντα καὶ ἀκριβῶς ἐξητάσθαι, ὅσα δι' ἀμφιβολίαν, ἢ διχόνοιαν, πρόφασιν ἐδόκει γενέσθαι· καὶ φεισάσθω ἡ θεία μεγαλειότης· ἠλίκα καὶ ὡς δεινὰ τὰ περὶ τοῦ μεγάλου Σωτῆρος, περὶ τῆς ἐλπίδος καὶ ζωῆς ἡμῶν ἀπρεπῶς ἐβλασφήμουν τινές; τἀναντία ταῖς θεοπνεύστοις γραφαῖς, καὶ τῇ ἀγίᾳ πίστει φθεγγόμενοί τε, καὶ πιστεύειν ὁμολογοῦντες; τριακοσίων γοῦν καὶ πλειόνων ἐπισκόπων ἐπὶ σωφροσύνῃ τε καὶ ἀγχινοίᾳ θαυμαζομένων, μίαν καὶ τὴν αὐτὴν πίστιν, ἣ καὶ ταῖς ἀληθείαις, καὶ ἀκριβείαις τοῦ θείου νόμου πέφυκε πίστις εἶναι, βεβαιεύντων, μόνος Ἄρειος, ἐφωράθη τῆς διαβολικῆς ἐνεργείας ἥττημένος, καὶ τὸ κακὸν τοῦτο πρῶτον μὲν παρ' ὑμῖν, ἔπειτα καὶ παρ' ἑτέροις ἀσεβεῖ γνώμῃ διασπείρας. ἀναδεξώμεθα τοιγαροῦν ἣν ὁ παντοκράτωρ παρέσχε γνώμην. ἐπανέλθωμεν ἐπὶ τοὺς ἀγαπητοὺς ἡμῶν ἀδελφούς, ὧν ὑμᾶς τοῦ διαβόλου ἀναιδής τις ὑπηρέτης ἐχώρισεν· ἐπὶ τὸ κοινὸν σῶμα, καὶ τὰ γνήσια ἡμῶν μέλη σπουδῇ πάσῃ ἴωμεν. τοῦτο γὰρ καὶ τῇ ἀγχινοίᾳ, καὶ τῇ πίστει, καὶ τῇ ὁσιότητι τῇ ὑμετέρᾳ πρέπει, ἵνα τῆς πλάνης ἐλυγχθείσης ἐκείνου, ὃν τῆς ἀληθείας εἶναι ἐχθρὸν συνίστηκε, πρὸς τὴν θείαν ἐπανέλθητε χάριν. ὁ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ἥρεσεν ἐπισκόποις, οὐδὲν ἐστὶν ἕτερον, ἢ τοῦ Θεοῦ γνώμη, μάλιστά γε ὅπου τὸ ἅγιον πνεῦμα, τοιούτων καὶ τηλικούτων ἀνδρῶν ταῖς διανοίαις ἐγκείμενον, τὴν θείαν βούλησιν ἐξεφώτισε. διὸ μηδεὶς ἀμφιβαλλέτω, μηδεὶς ὑπερτιθέσθω, ἀλλὰ προθύμως πάντες εἰς τὴν ἀληθεστάτην ὁδὸν ἐπάνιτε· ἵν' ἐπειδὰν ὅσον οὐδέπω πρὸς ὑμᾶς ἀφίκωμαι, τὰς ὀφειλομένας τῷ παντεφόρῳ Θεῷ

B plurimum, fratres carissimi. Permagnum certe et singulare beneficium a divina providentia in nos collatum est, quod omni errore liberati, unam eamdemque fidem agnoscamus. Non est profecto diaboli insidiis contra nos intentatis de cætero quidquam loci relictum: nam quidquid est per fraudem in nos molitus, illud funditus sublatum est. Dissensiones animorum, schismata, tumultus illos, et lethalia discordiarum (ut ita dicam) venena, veritatis splendor (juxta Christi monitum) penitus obruit delevitque. Unum igitur Deum omnes et nomine veneramur et esse credimus. Ut autem istud ad exitum perduceretur Dei admonitione magnam episcoporum turbam ad urbem Nicæam accersivi: quibuscum ego, qui unus ex vestrum numero sum, quique quod vester sim conservus plurimum gaudeo, operam dedi ut veritas diligenter

C investigaretur. Proinde omnia quæ aut controversiæ, aut dissensionis materiam præbere videbantur, accurate excussa et exagitata sunt. Quanta et quam execrabilia probra (o bone Deus, sis nobis clemens et misericors) nonnulli in magnum Salvatorem, in spem et vitam nostram sceleratе nefarieque jecerunt, et scripturis divinitus inspiratis, fideique sacrosanctæ contraria non modo impudenter effutiverunt, sed se ita credere palam confessi sunt! Nam cum amplius trecenti episcopi, viri propter animi modestiam et solertiam admirabiles, unam eamdemque fidem (quæ et veritate et exquisitis legis divinæ testimoniis vera fides esse confirmatur) uno ore faterentur; solus Arius inventus est qui vi ac fraude diabolica victus,

D ab ea penitus desciverit, quique impia animi impulsione incitatus, hanc erroris labem primum apud vos, deinde apud alios sparserit. Quocirca eam, quam omnipotens tradidit, doctrinam amplexemur: ad fratres nostros carissimos, a quibus nequam et impudens quidam diaboli minister vos segregavit, redeamus: ad commune corpus Ecclesiæ, et ingenua nostra membra, toto pectore, ut dicitur, revertamur. Illud enim vestræ prudentiæ, fidei et sanctitati in

Salvete

Constantinus Augustus catholicæ Alexandrinorum Ecclesiæ.

Digitized by Google

primis consentaneum est, ut errore illius, quem jam esse hostem veritatis perspectum est, penitus depulso, ad Dei gratiam vos denuo recipiatis. Nam quod trecentis episcopis visum est, non est aliud quam Dei sententia : præsertim cum in talium et tam præclarorum virorum mentibus sacer insideret, spiritus qui illis divinam voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrum hæsitet, nemo moram interponat ; sed omnes lubentibus animis ad viam veritatis redire : ut simul atque ipse ad vos adventavero, debitas gratias Deo qui omnia instrat, una vobiscum agam quod fidem sinceram nobis patefecerit, et charitatem, quæ omnibus optanda erat, proinde reddiderit. Deus vos, fratres charissimi, diu servet incolumes.

A μεθ' ὑμῶν ὁμολογῆσαι χάριτας, ὅτι τὴν εἰλικρινῆ πίστιν ἐφεῖς δεῖξας, τὸν τυχαῖον ἡμῖν ἀγάπην ἀποδίδωκεν. ὁ Θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί,

EPISTOLA CONSTANTINI ARIO ET ARIANIS.

(*Conc. t.* II, *p.* 269.)

Constantinus Augustus Ario et Arianis.

Malus interpres, revera effigies quædam et imago diaboli est. Ut enim illum periti artifices ad omnem deceptionis dolum effingunt velut pulchritudinis formæque decus affingentes illi, natura sua plane turpissimo, ut miseros mortales perdat, errorem iis objiciens, eodem plane modo, ut opinor, facit, cui illud solum studio dignum videtur, ut noxia impudentiæ et audaciæ suæ pharmaca profusius omnibus objiciat. Etenim novam, nec post homines natos unquam visam, infidelitatis fidem inducit. Quamobrem nec a veritate abhorrere illud videtur jampridem divina oratione explicatum, quod ad malum sunt sapientes. Quid enim quispiam dixerit illum consilii capiendi gratiam perdidisse ; qui non amplius sublevationis auxilium ullum invenire expetit ? Quorsum igitur, Christe Christe, Domine Domine ? quorsum nos quotidie prædones vulnerant ? Stat ex adverso dura quædam et violenta audacia, fremit frendetque dentibus infamia deformis, et innumeris sauciata criminibus. Ipsa certe in lege et promulgatione nominis tui velut quibusdam procellis et malorum fluctibus disjecta, effundit perniciosa verba, eaque scribens in lucem edit, quæ numquam tu, qui cum æterno Patre tui ipsius fonte una existis, in cognitione tui definivisti. Cogit omnino et convenit graves et iniquas impietates, nunc quidem linguas crispans, nunc vero iterum miserorum studiis elata, quos ipsa præsentes præ securitate decipit simul et corrumpit. Jam autem volo præsidiis ipsius ingenium expendere. Quid enim ait ? Aut tencamus, inquit, cujus jam compotes facti sumus, aut fiat sicut ipsi volumus. Cecidit et cecidit quidem interfectus : dolo ne, inquit, an atroci aliqua calliditate, nihil refert. Illud solum grande ducit, quod propter pravas cogitationes in ipsum irrepsit. Multitudinem, inquit, habemus. Progrediar et ipse paulo ulterius, ut insani belli spectator fiam : ipse, inquam, progrediar, insanorum bella sedare antea solitus. Age sane Mars, Ari, clypeis utendum est : ne tu hoc feceris, obsecro, detineat igitur te Veneris congressus. Verum utinam quemadmodum turba plausibilis videris, sic et pietate vigeres erga Christum. Ecce iterum supplex venio, et armorum copia pollens, pugnare nolo : Christi vero fide munitus, cum te sanare, tum alios curare volo. Cur igitur ais ea te facere quæ moribus tuis non conveniunt ? Sed qua quiete, dic mihi,

Κωνσταντῖνος σεβαστὸς Ἀρείῳ καὶ Ἀρειανοῖς.

Κακὸς ἑρμηνεὺς αὐτόχρημα εἰκών τε καὶ ἀνδριὰς ἐστι τοῦ διαβόλου. ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνοι οἱ δεινοὶ πλάσται πρὸς ἀπάτης δέλεαρ πλάττουσιν, εἰσιὲ κάλλους αὐτῷ ὑπαρχούσης προσμηχανώμενοι, αἰσχίστῳ καθάπαξ ὄντι τὴν φύσιν, ὅπως ἂν τοῖς ταλαιπώροις ἀπολλύοι, πλάνην αὐτοῖς προτείνων· τὸν αὐτὸν οὗτος ἂν οἶμαι τρόπον ποιήσειεν, ᾧ μόνον σπουδῆς ἄξιον τοῦτο τ' εἶναι δοκεῖ, τὸ, φὰ τῆς οἰκείας ἰταμότητος θηλητήρια ἀρειθᾶς προβάλλεσθαι. τοιγάρτοι καινὴν, καὶ ἀφ' οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι, οὐδεπώποτε φανεῖσαν ἀπιστίαν εἰσάγει πίστιν. διόπερ οὐδὲν τῆς ἀληθείας ἄρα ἀπᾴδειν ἐκεῖνο φαίνεται, τὸ πάλαι τῇ θείᾳ ῥήσει διηρθρωμένον, ὅτι πρὸς τὸ κακὸν εἰσὶ σοφοί. τί δ' ἄν τις ἐκεῖνο λέγεσθαι τὴν τοῦ βουλεύεσθαι χάριν αὐτὸν ἀπολωλεκέναι, μηκέτι πουφισμοῦ τινος ἐπικουρίαν εὑρασθαι ἐπιθυμῶν ; τί τοίνυν φημὶ, Χριστὲ, Χριστὲ, Κύριε, Κύριε ; τί δή ποτε ἡμᾶς τὸ λυτήριον ὑπημέρει τιτρώσκει ; ἔστηκεν ἐξεναντίας δεινή τις βιαία τόλμα, βρυχᾶται ἐπιπρίουσα τὸν ὀδόντα δυσμορφος ὑπ' ἀτιμίας, καὶ παντοδαποῖς περιττερωμένη ἐγκλήμασιν. αὕτη μέν τοι ἐν τῷ νόμῳ καὶ τῷ περὶ σοῦ κηρύγματι, ὥσπερ τισὶ ζάλαις πρωμυίαις κακῶν διαφορουμένη, ἐξερύγεται μὲν ἀξιώσεις λόγους, γράφουσα δὲ τούτους ἀφαίνει, οὓς οὐδέποτε ὁ τῷ ἀϊδίῳ τοῦ σαυτοῦ πνεύματι πατρὶ συνυπάρχων, ταῖς περὶ σεαυτοῦ γνώσεσιν ἀφώρισας συνέγει δὲ ἅλως κοὶ συμφορεῖ δεινὰ ἅττα καὶ ἄνομα ἀσεβήματα. νῦν μὲν τὰς γλώττας τραδαίνουσα, νῦν δ' αὖ πάλιν ταῖς τῶν ἀθλίων σπουδαῖς ἐπαιρομένη, οὓς ἐπ' ἀδείας αὐτὴ παρόντας ἐξαπατᾷ καὶ φθείρει. βούλομαι δὲ ἤδη τοῦ προοίδρου αὐτῆς τινι φύσιν ἐξετάσαι. τί γὰρ δὴ λέγει ; ἢ κατέχωμεν, φησὶν, οὗ ἤδη ἐκγεγεύμεθ. ἢ γένεσθω ὡς αὐτοὶ βουλόμεθα. φέπτωκε. καὶ ταῦτα πέπτωκεν ἀναιρούμενος. δόλῳ, φησὶν, ὁ δεινότητι πανουργίας, οὐδὲν διαφέρει. σεμνὸν μόνον ἡγεῖται, ὃ διὰ πονηρᾶς ἐπινοίας εἰς αὐτὸν εἰσερρύη. πλήθη, φησὶν, ἔχομεν· προβήσομαι δὲ μικρὸν αὐτὸς ἐπὶ τὸ πρόσθεν, ὡν ἂν τῶν τῆς μανίας πόλεμον θεατὴς γενώμαι. αὐτὸς ἴφην ἐγὼ προβήσομαι, ὁ τοὺς τῶν ἀφρόνων πολέμους παύειν εἰωθώς, ἄγε δὴ Ἄρες Ἄρειε, ἀσπίδων (*ἰσ.* ἦ.) ἦ χρείᾳ. μὴ σύ γε τοῦτο ποιήσῃς ἐκτεύσομαι, ἐπισχέτω γοῦν σε ἡ τῆς Ἀφροδίτης ὁμιλία. ἀλλὰ γὰρ εἴθι ὡς τοῖς ὄχλοις ἄριστα συνηκροτεῖσθαι δοκεῖς, οὕτω σοι τῇ περὶ τὸν Χριστὸν εὐσεβείᾳ προσῇν ἀκμάζειν. ἰδοὺ δὴ πάλιν αὖ ἱκέτης ἔρχομαι, καὶ τοῖς ὅπλοις πᾶν πλῆθος ἰσχύων, μάχεσθαι μὲν οὐκ ἐθέλω. τῇ δὲ τοῦ Χριστοῦ πεφραγμένος πίστει, σέ τε ἰάσασθαι καὶ τοὺς ἄλλους θεραπεῦσαι βούλομαι. τί οὖν φῂς ταῦτα πράττειν, ἃ μὴ τοῖς ἤθεσι προσῆκε τοῖς σοῖς ; ἀλλὰ μετὰ φοίας ἡσυχίας, εἰπέ μοι, ἢ τίνα περιουσίαν περιβεβλημένος, μᾶλλον δὲ, ἐφ' ὅ, τι προπετείας ἐληλακώς ; ὦ τόλμης ὑπὲρ κεραυνῶν ἀξίας καθαιρεθήναι· ἀκούσατε γὰρ ἃ δεδήλωκε πρώην πρὸς μὲ, ἰὸν ἀποστάζοντι γράφων τῷ καλάμῳ. οὕτω,

Digitized by Google

φησι, πιστεύομεν. εἶτα προσθεῖς οὐκ οἶδα ἅττα] συβαρῶς πως καὶ μάλα ἀκριβῶς ἐξησκημένα, προϊὼν πορρωτέρω, οὐδὲν ὅ, τι τῶν δεινῶν ἀπεσιώπησεν· ἀλλ' ὅλον ὡς ἂν εἴπῃ τις τὸν τῆς παρανοίας ἠνέῳξε θησαυρόν. ἀπελαυνόμεθα, φησὶ, καὶ τὴν τοῦ εἰσδεχθῆναι ἡμᾶς ἄδειαν ἀφαιροῦνται. ἀλλ' οὐδέν πω ταῦτα πρὸς τὸ πρᾶγμα· τοῖς δὲ ἑξῆς προσέχετε τὸν νοῦν. αὐτοῦ γὰρ χρήσομαι τοῖς ῥήμασι. δεόμεθα, φησὶν, ἐὰν ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐπιμένῃ γνώμης ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ἡμῖν τοῦ λοιποῦ δοθῆναι κατὰ τὴν τοῦ νόμου διάταξιν τὰς ἐνθέσμους καὶ ἀπαραιτήτους θεραπείας τῷ Θεῷ ἐπιτελεῖν. ὦ δεινῆς ἀναιδείας, ἣν σπουδῇ τῆς ἀληθείας ἀπελέγξαι προσῆκεν· ὃ γὰρ αὐτῷ καθ' ἡδονὴν ἐτύγχανεν ὃν τοῦτο τῇ συντομίᾳ τῆς φράσεως ἀπετυπώσατο. τί φῆς ἄτοπε; διάστασιν εὐπρόσωπον ἡμῖν τὸ σαπρὸν τῆς κατ' ἐμὲ ἀγρίας σοῦ διανοίας ἐπιτειχίζειν μηχανᾷ; καὶ τοὺς ἐπὶ κακῷ σοι προσπλακέντας ἀπολέσαι σπεύδεις; τί οὖν, φῆς, πράξω, εἰ μηδεὶς ἄξιον ἡγεῖταί με δέξασθαι; τοῦτο γὰρ πολλάκις ἐκ τῆς ἀνοσίας φάρυγγος ἐκβοᾷς. ἐγὼ δὲ τοὐναντίον ἔρομαί σε. ποῦ δὲ σαφὲς γνώρισμα καὶ μαρτύριον τῆς σεαυτοῦ διανοίας ἐπεδείξω; ἣν ἐχρῆν σε διαπτύξαντα, καὶ τοῖς θείοις καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις σαφῆ καταστῆσαι, καὶ μάλιστ' ὅτι τὰ ἰοβόλα τῶν ἑρπετῶν, καὶ τηνικαῦτα μᾶλλον ἀγριαίνειν πέφυκεν, ὅταν ἑαυτὰ τοῖς τῶν φωλεῶν μυχοῖς ἐνιδρυθέντα αἴσθηται. ἐκεῖνο δέ γε λίαν ἀστεῖον αὐτοῦ, τὸ σπουδαίως εὖ μάλα καθάπερ ὑπό τι προσωπεῖον αἰδοῖς σιγὴν πλάττεσθαι. τῇ μηδὲ τοῦ χρήματος τέχνῃ, τιθασσὸν σεαυτὸν καὶ χειροήθη σύ γε παρέχεις, κακῶν δὲ μυρίων καὶ ἐπιβουλῶν ἔνδον γέμων, τοὺς πολλοὺς λελήθας. ἀλλ' ὦ τῆς ἀθλιότητος· ὡς ὁ πονηρὸς βεβούληται, οὕτως Ἄρειον ἡμῖν ἀνομίας ἐργαστήριον κατεστήσατο. λέγε δὲ νῦν μοι παρελθὼν τῆς σεαυτοῦ πίστεως τὸ γνώρισμα, καὶ μηδαμῶς γε ἀποσιωπήσῃς. ὦ τὸ μὲν στόμα διάστροφον, τὴν δὲ φύσιν ὀξύρροπον πρὸς πονηρίαν κεκτημένε· ἕνα λέγεις Θεόν; σύμψηφον ἔχεις κἀμέ. οὕτω φρόνει. τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον λόγον εἶναι φῆς; στέργω τοῦτο. οὕτω πίστευε. εἴ τι περαιτέρω προσπλέκεις, τοῦτ' ἀναιρῶ· εἴ τι πρὸς ἀσεβῆ χωρισμὸν συγκατατάττεις, τοῦτο οὔτε ὁρᾷν, οὔτε νοεῖν ὁμολογῶ. εἰ τὴν τοῦ σώματος ξενίαν πρὸς οἰκονομίαν τῶν θείων ἐνεργειῶν παραλαμβάνεις, οὐκ ἀποδοκιμάζω. εἰ τὸ πνεῦμα τῆς ἀϊδιότητος ἐν τῷ ὑπερέχοντι λόγῳ γεγενῆσθαι λέγεις, δέχομαι. τίς ἔγνω τὸν πατέρα, εἰ μὴ ὁ ἐλθὼν ἀπὸ τοῦ πατρός; τίνα ἔγνω ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὃν ἀϊδίως καὶ ἀνάρχως ἐξ αὐτοῦ γεγέννηκε; σὺ μὲν ὑπόστασιν ξένην ὑποτάττειν οἴει δεῖν, κακῶς δή που πιστεύων· ἐγὼ δὲ τῆς ὑπερεξόχου καὶ ἐπὶ πάντα διηκούσης δυνάμεως τὸ πλήρωμα πατρὸς καὶ υἱοῦ, οὐσίαν μίαν εἶναι γινώσκω, εἰ τοίνυν μὲν σὺ ἀφαιρεῖς ἀπ' ἐκείνου ἀφ' οὗ χωρισθῆναι οὐδὲ διανοίᾳ τῶν ἐρεσχελούντων δεδύνηται οὐδεπώποτε οὐδέν· προσθήκης δὲ χαρακτῆρας ὁδοποιεῖς, καὶ ὅλως γνωρίσματα ζητήσεων διορίζεις, ἐνόίνῳ ᾧ ὁλόκληρον μὲν ἐξ ἑαυτοῦ τὰ ἀϊδιότητα δέδωκεν, ἀδιάφθορον δὲ τὴν ἔννοιαν, ἀθανασίας τε δι' ἑαυτοῦ καὶ ἐκκλησίας ἔνειμε πίστιν. κατάβαλε οὖν δὴ, κατάβαλε τὸ εὐηθες τοῦτο ἀνόμημα, ὦ ἀστεῖε σὺ καὶ εὔφωνε, καὶ τὰ κακὰ πρὸς ἀπιστίαν τῶν ἀνοητῶν ἐξάδων. εἰκότως ἄρα σε ὁ πονηρὸς τῇ ἑαυτοῦ κατεστρέψατο κακίᾳ, καὶ τοῖς μὲν ἴσως ἤδη τὸ τοιοῦτον εἶναι δοκεῖ. οὔτε γὰρ σεαυτὸν πέπεικας. ἔστι δὴ πάντῃ ὀλέθριον τὸ κακόν. φέρε δὴ τῆς ἐν τοῖς ἀτοπήμασι διατριβῆς ἀπαλλαγεὶς, ἄκουε ὦ δαιμόνιε Ἄρειε· σοὶ γὰρ διαλέγομαι. τῆς ἐκκλησίας δή που τοῦ Θεοῦ ἀποκεκηρυγμένος οὐκ αἰσθάνη; ἀπόλωλας, εὖ ἴσθι, ἐὰν μὴ βλέψας εἰς σεαυτὸν, τὴν παροῦσάν σοι κατακρίνῃς

A dic, quæso, aut quibus copiis cinctus, vel potius quo temeritatis provectus? O audaciam fulmine vindicandam! Audite quæ nuper mihi indicavit, calamo virus instillante scribens: Sic, inquit, credimus. Deinde addens nescio quæ insolenter et valde accurate elaborata, progressus ulterius nihil acerbitatis omisit, sed omnem, ut ita dicam, dementiæ thesaurum aperuit: Expellimur, inquit, et receptionis nostræ securitas omnis tollitur. Sed hæc parum ad rem, quæ sequuntur attendite: ipsius enim verbis utar. Rogamus, inquit, si in eadem sententia maneat Alexandriæ episcopus, facultatem nobis posthac dari ex legis præscripto legitimos et necessarios cultus Deo tribuendi. O insignem impudentiam, quam veritatis studio reprehendi oportebat! Quod enim illi ex animi sententia accidit, id dictionis compendio expressit. Quid ais, inepte? Dissidium speciosum scilicet nobis ulcus efferati erga me animi opponere paras, et in malo tecum implicatos perdere festinas. Quid, inquis, si nemo dignum me existimat qui recipiar? illud enim sæpe impuro gutture clamas, ego vero contra tibi dicam: Ubi certum documentum et testimonium ingenii tui ostendisti? Quod oportuit te diis et hominibus explicare, et perspicue aperire, maxime cum venenati serpentes tum magis efferari soleant, quando in penitissimis lustris reconditos se esse sentiunt. Illud vero valde in eo urbanum est, quod sub persona pudoris tanto studio silentium simulet. Mitem et mansuetum te palam exhibes, cum malarum artium et insidiarum plenus multos fallas. Sed, o miseriam! diabolus ut voluit, Arium nobis iniquitatis officinam fecit. Accede ac dic mihi fidei tuæ documentum, et nequaquam taceas. Heus! tu qui os obtortum et ingenium ab omnem improbitatem possides: unum dicis Deum? me suffragatorem habes: sic igitur sentias. Ejusdem essentiæ ais esse Dei verbum quod principio fineque caret? hoc quoque laudo: sic credas. Si quid ulterius annectis, id tollo. Si quid ad impiam sejunctionem astruis, id ne videre me nec intelligere fateor. Si corporis hospitium ad divinarum functionum dispensationem assumis, non reprehendo. Si spiritum æternitatis in præcellente Verbo genitum dicis, admitto. Quis novit Patrem, nisi qui venit a Patre? quem novit Pater, nisi quem ex se ab æterno et sine principio genuit? Tu hypostasim peregrinam substituere putas oportere, male utique credens: ego vero præcellentis et omnia pervadentis potestatis plenitudinem Patris et Filii, essentiam unam esse cognosco. Si igitur tu aufers ab illo, a quo ne cogitatione quidem contentiosorum auferri unquam potuit; additionis autem characterem promoves, et signa quæstionum explicas, illi cui integram quidem ex seipso æternitatem dedit, incorruptam vero immortalitatis intelligentiam per seipsum, et ecclesiæ fidem attribuit. Abjice igitur, abjice tam stultæ opinionis flagitium, facete et canore Ari, mala ad insipientium perfidiam decantans. Jure te diabolus

Digitized by Google

sua subvertit malitia, et quibusdam fortasse hoc jucundum esse videtur: sic enim tibi persuades. Est vero plane pestiferum hoc malum. Age sane, relicto illo absurdarum opinionum studio, o miser Ari, audi: tecum enim dissero. Non sentis te ab Ecclesia Dei ejectum? periisti, certo scias, nisi teipsum respiciens, dementiam tuam damnes. Sed dices magnam multitudinem hominum te adjuvare, et curas tuas sublevare. Audi igitur, paululum aures tuas submittens, o impie Ari, et intellige tuam dementiam. Tu vero, Deus, qui omnium curam geris, adsis benignus iis quæ dicuntur, si ex fide sunt. Ego enim homo tuus divina providentia fretus, ex scripturis Græcis et Romanis, iisque vetustissimis, insaniam Arii aperte demonstrabo ante ter mille annos ab Erythræa præsignificatam atque prædictam, ait enim illa: Væ tibi, Libya, in maritimis sita locis: veniet enim tempus in quo cum populo et filiabus tuis certamen grave, durum et omnino difficile subire cogeris, ex quo omnium fides et pietas judicabitur: tu vero ad extremum exitium devergis; vos enim cœlestium florum receptaculum convellere ausi estis, et morsu discerpere, atque adeo ferreis polluistis dentibus. Quid igitur callide veterator, ubi locorum esse fateris? Illic scilicet: habeo enim litteras, quas ad me furoris tui calamo scripsisti, in quibus ais omnem Libyæ populum conspirare tecum ad salutem. Si vero negaveris hæc ita se habere, Deum testor, me vetustissimum Erythrææ exemplar Græce scriptum habere, quod Alexandriam mittam, ut quam citissime pereas. Anne tu sine peccato furcifer? anne manifeste periisti miser, tanto malo circumseptus? Novimus quid moliaris: quæ cura, quis metus te perturbet, non nos latet, infelix et calamitose. O mentis tuæ stuporem, qui morbum et inopiam animæ tuæ non reprimis, impie; qui veritatem variis confodis sermonibus: et cum talis sis, nos vituperare non vereris, et nunc redarguens, ut tibi videtur, nunc vero commonens tanquam fide et doctrina præstantior, a quo scilicet miseri auxilium sibi suppeditari cupiunt: tametsi neque congredi cum tali oportet, neque omnino illum compellare, nisi quis in subdolis hujus verbis recte vivendi spem et in versibus reconditam esse putet. Sed non est hoc verum: longe sane abest, o imprudentiam vestram, qui cum isto vos commiscetis. Quis igitur furor vos hujus acerbam linguam et aspectum tolerare coegit? Esto, sed jam ad te sermonem converto, o hominem animo imprudentem, lingua volubilem, mente infidelem: da mihi disputationis non amplum dico et latum campum, sed circulo recte circumscriptum: neque putrem, sed natura firmum solidumque, o impie et pessime et dissimulator; cogor enim ista dicere, imo vero laqueum tibi injiciam, et disputatione impeditum in medium te adducam, ut omnis populus improbitatem tuam videat. Sed ad rem ipsam progrediar. Lotæ utique sunt manus: pergamus precibus invocare Deum, aut potius contineamus nos parumper. Dic mihi, calidissime, quem Deum in auxilium

A ἄνοιαν. ἀλλ' ἐροῖς, ὡς ὄχλοι συμπράττουσί σοι, καὶ τὰς φροντίδας ἀπελαύνουσιν. ἄκουε δὴ μικρὸν ὑποσχὼν τὰ ὦτα, ὦ ἀνόσιε Ἄρειε, καὶ σύνες τὴν σεαυτοῦ ἄνοιαν. σὺ δὲ ὦ πάντων κηδεμὼν Θεός, εὐμενὴς εἴης τῷ λεγομένῳ, εἰ πίστεως ἔχοιτο. ἐγὼ γὰρ ὁ σὸς ἄνθρωπος ἵλεω ἔχων τὴν παροῦσαν προμήθειαν, καὶ ἐξ ἑλληνικῆς, καὶ ἐκ ῥωμαϊκῆς γραφῆς πάνυ ἀρχαιοτάτης σαφῶς ἀποδείξω τὴν Ἀρείου μανίαν, πρὸ τρισχιλίων που ἐτῶν ὑπὸ τῆς Ἐρυθρᾶς προῤῥηθεῖσάν τε καὶ προφημισθεῖσαν. ἔφη γὰρ ἐκείνη γε· Οὐαί σοι, Λιβύη ἐν παραλίοις κειμένη χώροις· ἥξει γάρ σοι καιρὸς, ἐν ᾧ μετὰ τῶν δήμων καὶ τῶν σαυτῆς θυγατέρων δεινὸν ἀγῶνα καὶ ὠμὸν καὶ παγχάλεπον ὑπελθεῖν ἀναγκασθήσῃ, ἀφ' οὗ κριτήριον μὲν εἰς ἅπαντας πίστεώς τε καὶ εὐσεβείας διαδοθήσεται· σὺ δὴ πρὸς ἔσχατον ἀποκλίνεις καταστροφῆς· ὑμεῖς γὰρ τῶν οὐρανίων ἀνθῶν τὸ δεκτήριον ἀνασπάσαι τετολμήκατε, καὶ δήγματι

B σπαράξαι· καὶ μὲν δὴ σιδηροῖς ἐχράνατε τοῖς ὀδοῦσι. τί δῆτα, ὦ πανοῦργε; ποῦ γῆς σαυτὸν εἶναι νῦν ὁμολογεῖς; ἐκεῖ δηλονότι· κατέχω γάρ σου τὰ γράμματα, ἃ τῷ τῆς μανίας καλάμῳ πρὸς μὲ διεχάραξας, ἐν οἷς φῆς πάντα τὸν Λίβυν δῆμον σύμψηφον εἶναί σοι πρὸς σωτηρίαν δήπου. εἰ δὴ οὐ φήσεις ταυτί οὕτως ἔχειν, μαρτύρομαι ἤδη τὸν Θεὸν, ἦ μὴν ἀρχαιώτατον τῆς Ἐρυθρᾶς πύκτιον, δι' ἑλληνικῆς συνετεταγμένον γλώττης, εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἀποστέλλειν, ὡς ἂν θᾶττον ἀπόλοιο. εἶτα σὺ ἀναμάρτητος, ὦ δικρανοφόρε; εἶτα οὐ σαφῶς ἀπόλωλας ὦ, ἄθλιε, τοιούτῳ δεινῷ περιεστοιχισμένος; ἴσμεν, ἴσμεν σου τὸ ἐγχείρημα· ποία φροντὶς, ποῖόν σε θράττει δέος, οὐ λέληθεν ἡμᾶς, ὦ δύστηνε καὶ ταλαίπωρε. ὦ τῆς ἀμβλύτητος τῶν σῶν φρενῶν, ὃς οὐδὲ τὴν νόσον καὶ τὴν ἀμηχανίαν τῆς σεαυτοῦ ψυχῆς ἀναστέλλεις, ὦ ἀνόσιε· ὃς τὴν ἀλήθειαν ποικίλοις διορύττεις λόγοις· καὶ τοιοῦτος ὢν οὐκ

C αἰσχύνῃ ἡμᾶς ψέγων, καὶ νῦν μὲν ἐλέγχων ὥς γε οἴει· νῦν δ' αὖ πάλιν νουθετῶν, ὡς πίστει καὶ λόγοις ὑπερφέρων (ἴσ. καί) περὶ οὗ δῆτα οἱ ἄθλιοι ἐπικουρίαν ἑαυτοῖς πορίζεσθαι γλίχονται· καί τοι οὐδὲ συγγίνεσθαι τῷ τοιούτῳ ἐχρῆν, οὐδὲ ὅλως αὐτὸν προσφθέγγεσθαι, πλὴν εἰ μή τις ἐν τοῖς ὑπούλοις τούτου ῥήμασι τὴν τοῦ ὀρθῶς βιοῦν ἐλπίδα τοῖς μέτροις ἀποκεῖσθαι οἴεται. ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο· πολλοῦ γε δεῖ. τὸ δὲ ἀληθὲς, ὦ τῆς ὑμετέρας ἀνοίας, ὅσοι τούτῳ συνκναγίνεσθε! τίς ἄρα οἶστρος ὑμᾶς τῆς χαλεπῆς τούτου γλώττης καὶ τῆς ὄψεως ἀνάσχεσθαι κατηνάγκασεν; ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν ἤδη σε βαδιοῦμαι τῷ λόγῳ, ὦ τὴν μὲν ψυχὴν ἄφρων σὺ, τὴν δὲ γλῶτταν στωμύλε, ἄπιστε δὲ τὰς φρένας, δὸς δή μοι τοῦ λόγου οὐκ ἀμφιλαφὲς πλέγω καὶ ἐππήλατον πεδίον, ἀλλ' οὖν κύκλῳ γε εὖ περίγραφον· μὴ σαθρὸν μόνον, ἀλλ' ἐῤῥωμένον τε καὶ στεῤῥὸν τῇ φύσει, ὦ ἀνόσιε δῆτα καὶ κάκιστε, καὶ κρυ-

D ψίνου· ἐξάγομαι γὰρ ταῦτα λέγειν· μᾶλλον δὲ βρόχον ἤδη σοι περιάψας, καὶ συμποδίσας τῷ λόγῳ εἰς μέσους σε καταστήσω, ὡς ἂν πᾶς ὁ δῆμος τὴν σὴν κατομάθῃ φαυλότητα. ἐπ' αὐτὸ δὲ πορεύσομαι ἤδη τὸ πρᾶγμα. νενιμμέναι δήπουθέν εἰσιν αἱ χεῖρες προσίωμεν ταῖς εὐχαῖς ἐπικαλέσαι δὴ τὸν Θεόν. μᾶλλον δὲ μικρὸν ἐπισχὼν, εἰπέ μοι ὦ θερμότατε σὺ, τίνα Θεὸν ἐπικαλέσῃ πρὸς βοήθειαν; ἀλλὰ γὰρ ἠρεμεῖν οὐ δύναμαι. ὦ τῶν πάντων ἔχων τὸ κῦρος δέσποτα, ὦ τῆς μονήρους δυνάμεως, ὦ πάτερ, διὰ τουτονὶ τὸν ἀνόσιον ὀνείδη τε, καὶ λύπας, καὶ μέν τοι καὶ τραύματα, καὶ ὀδύνας ἡ σὴ ἔχει ἐκκλησία. Ἀρειός σοι τόπον ἤδη προσαρμόζει, καὶ μάλα γε εὐφυῶς, ἐφ' οὗ καθιζάνων οἶμαι σύνοδον ἑαυτῷ, ἢ παῖδα τὸν Χριστὸν τὸν σὸν, τὸν ἐκ σοῦ, τὸν τῆς ἡμετέρας ἐπικουρίας ἀρχηγέτην, θέσεως νόμῳ περιποιεῖται καὶ ἴσχει. ἐπάκουσον, ἀντιβολῶ σε,

Digitized by Google

τῆς θαυμασίας πίστεως, σὲ τὴν κατὰ τὸν τόπον κινεῖσθαι δέσποτα κίνησιν οἴεται, σὲ τῆς ἀφωρισμένης καθέδρας κύκλῳ περιγράφειν τολμᾷ. ποῦ γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ σὴ παρουσία; ἢ ποῦ τὴν σὴν οὐ πάντες ἐνεργείαν ἐκ τῶν πάντα σου διηκόντων νόμων αἰσθάνονται; πάντα γὰρ αὐτὸς περιέχεις, καὶ ἔξω σου οὔτε τόπον, οὔτε ἄλλο οὐδὲν ἐπινοῆσαι θέμις. οὕτως ἡ σὴ δύναμις μετ' ἐνεργείας ἐστὶν ἄπειρος. σὺ μὲν δὴ ἐπάκουσον ὁ Θεός, ὑμεῖς δὲ πᾶς ὁ λαὸς προσέχετε τὸν νοῦν. ὁ γὰρ ἀναίσχυντος οὗτος καὶ ἀχρεῖος, ὁ ἐπ' ἄκρον μοχθηρίας τε καὶ ἀνομίας ὁμοίως ἐληλακώς, εὐλάβειαν σκήπτεται. ἄπαγε, φησὶν, οὐ βούλομαι τὸν Θεὸν ἐγὼ ὕβρεων πάθει δοκεῖν ἐνέχεσθαι· καὶ διὰ τοῦτο ὑποτίθεμαι καὶ πλάττω θαυμασιά γε τῇ πίστει, ὡς ὁ Θεὸς νεογενῆ καὶ νεόκτιστον οὐσίαν Χριστοῦ ποιησάμενος, βοήθειαν ἑαυτῷ παρεσκευάσατο, ὡς γέ μοι δοκεῖ. ὃ γὰρ ἂν, φησὶν, ἀπ' αὐτοῦ ἀφέλῃς, τοῦτο ἔλαττον πεποίηκας. εἶτα, ὦ λυμεὼν καὶ ὀλέθριε, σοὶ τοῦτό ἐστι πίστις; σὺ καθ' ὑπόθεσιν καὶ πλάσμα λαμβάνεις τὸν τὰ πλάσματα τῶν ἐθνῶν κατακρίναντα; σὺ ἐπείσακτον καλεῖς, καὶ ὥσπερ καθηκόντων ὑπηρέτην. τὸν ἄνευ ἐνθυμήσεως καὶ λογισμοῦ, τῷ συνυπάρχειν τῇ τοῦ πατρὸς ἀϊδιότητι, πάντα διανύσαντα; ἐφάρμοσον νῦν, εἰ δὴ τολμᾷς, ἐφάρμοσον τῷ Θεῷ καὶ τὸ εὐλαβεῖσθαι, καὶ τὸ φοβεῖσθαι, καὶ τὸ ἐλπίζειν τὸ ἐκβησόμενον· ἔτι δὲ τὸ ἐνθυμεῖσθαι, τὸ λογίζεσθαι τὸ σκεπτόμενον γνώμην ἀποφαίνεσθαι καὶ διαρθροῦν, καὶ ὅλως τὸ τέρπεσθαι, τὸ γελᾷν, τὸ λυπεῖσθαι, τί τοίνυν φῆς ὦ τῶν ἀθλίων ἀθλιώτερε; ὦ τῆς κακίας αὐτόχρημα μῆστορ, σύνες δὴ εἰ δύνασαι, ὡς ἐν αὐτῇ γέ σου πανουργίᾳ μοχθηρὸς ἂν ἀναλίσκῃ. ὁ Χριστὸς, φησὶ, δι' ἡμᾶς πέπονθεν ἀλλ' ἤδη φθάσας ἔγωγε εἶπον, ὡς μορφῇ σώματος ἀπεστάλη. καί φησιν· ἀλλὰ δέος μὴ δόξωμεν κατά τι ἐλαττοῦν. εἶτα ὦ τῶν θηρίων μεσίτα, ταῦτα λέγων οὐ μαίνῃ καὶ σαφῶς λυττᾷς; ἰδοὺ γὰρ ὁ κόσμος, μορφὴ, εἴτουν σχῆμα τυγχάνει ὤν· καὶ οἱ ἀστέρες γε χαρακτῆρας προβέβληνται· καὶ ὅλως τὸ πνεῦμα τοῦ σφαιροειδοῦς τούτου κύκλου, εἶδος τῶν ὄντων τυγχάνει ὄν, καὶ ὥσπερ μόρφωμα. καὶ ὅμως ὁ Θεὸς πανταχοῦ πάρεστι. ποῦ τοίνυν εἰσὶν ἐν τῷ Θεῷ αἱ ὕβρεις; ἢ κατά τί ὁ Θεὸς ἐλαττοῦται; ὦ πατροκτόνε τῆς ἐπιεικείας σύ. λόγισαι δὴ οὖν ἐκ σαυτοῦ τεκμαιρόμενος, καὶ ἐνθυμήθητι, εἰ ἁμάρτημα εἶναι δοκεῖ, τὸ ἐν Χριστῷ παρεῖναι τὸν Θεόν. ἐκεῖνος μὲν οὖν κατεῖδε τὴν ἀτιμίαν τοῦ λόγου καὶ τὴν τιμωρίαν οὐ βραδέως ἐπήγαγε. χωρὶς δὲ τούτων καθ' ἑκάστην δήπουθεν ἡμέραν ἁμαρτήματα ἐν τῷ κόσμῳ γίνεται· καὶ ὅμως ὁ Θεὸς πάρεστι, καὶ τὰ τῆς δίκης οὐχ ὑστερίζει. τί οὖν κατὰ τοῦτο ἐλαττοῦται εἰς τὸ μέγεθος αὐτοῦ δυνάμεως, εἰ τὰ πανταχοῦ διαισθάνεται; οὐδὲν, οἶμαι. ὁ μὲν γὰρ τοῦ κόσμου νοῦς διὰ τοῦ Θεοῦ· δι' αὐτοῦ πᾶσα διαμονή, δι' αὐτοῦ πᾶσα δίκη. ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ πίστις ἀνάρχως ἐξ αὐτοῦ. ὅλως Θεοῦ νόμος ἐστὶ Χριστὸς, δι' αὐτοῦ τὸ ἄπειρον ἅμα καὶ ἀτελεύτητον ἔχων. ἀλλὰ γὰρ σὺ κατὰ σεαυτὸν ἐννοῶν φαίνῃ; ὦ τῆς μανίας λίαν! περίτρεψον νῦν εἰς τὴν σαυτοῦ ἀπώλειαν τὸ τοῦ διαβόλου ξίφος. ὁρᾶτε δὴ, ὁρᾶτε πάντες, ὡς γοερὰς ἤδη προΐσχεται φωνὰς, τῷ τοῦ ἔχεως ἐνεσχημένος δήγματι· ὡς αἱ φλέβες αὐτοῦ καὶ σάρκες τῷ ἰῷ ἐγκατειλημμέναι, δεινὰς ἀναμιγνύουσιν ὀδύνας· ὡς διεῤῥύηκεν αὐτοῦ τὸ σῶμα πᾶν, αὐχμοῦ τε καὶ θρήνων, καὶ ὠχριάσεως, καὶ φρίκης, καὶ μυρίων γέμει κακῶν, καὶ δεινῶς κατέσκληκεν· ὡς εἰδεχθὲς καὶ κατάῤῥυπον τὸ τῆς κόμης δάσος, ὡς ὅλος ἡμιθνὴς, καὶ ἐξασθενῶν ἤδη τὸ βλέμμα· ὡς ἄναιμον τὸ πρόσωπον, καὶ ὑπὸ μερίμνης ἐκτετηκός· ὡς ὁμοῦ πάντα εἰς αὐτὸν συνδραμόντα, οἶστρος, μανία τε καὶ ματαιότης, διὰ τὸ χρόνιον τοῦ

A tuum implorabis? Sed continere me nequeo. O tu omnium auctor, Domine, o singularis virtutis Pater, propter hunc impium Ecclesia probra, dolores, imo vero vulnera et mœrores patitur. Arius tibi locum jam adaptat, idque admodum præclare, in quo, ut puto, constituens sibi ipsi synodum, quæ filium tuum Christum illum ex te genitum, illum nostri auxilii ducem, adoptionis lege arroget ac teneat. Audi, obsecro, mirandam fidem. Te, Domine, loco moveri existimat, te definitæ sedis terminis circumscribere audet. Ubi enim tu non præsens es? aut ubi operationem tuam atque efficaciam ex legibus tuis omnia pervadentibus non sentiunt omnes? Omnia enim ipse contines, et extra te nec locum nec aliud quidquam cogitare fas est. Sic potentia tua cum operatione in-
B finita est. Tu autem Deus exaudi: at vos populi advertite mentem. Hic enim est impudens et nequam, qui ad extremam improbitatem et iniquitatem progressus, pietatem simulat. Apage, inquit, nolo Deum injuriis obnoxium videri, ac ob id suppono et fingo mirabilia sane fide, quod Deus cum novellam et nuper creatam Christi substantiam faceret, auxilium sibi ipsi præparavit, ut mihi quidem videtur. Quod enim, inquit ab ipso abstuleris, id minus. Tibi igitur hæc fides est, o lues et pernicies? Tu ex hypothesi figmentum sumis eum, qui gentium figmenta condemnavit? Tu adscititium eum vocas et velut officiorum ministrum, qui sine cogitatione et ratiocinatione, eo quod semper una cum Patris æternitate existat, omnia perfecit? Adapta jam si audes, adapta inquam,
C Deo, quod præcaveat, et metuat, et speret eventurum; quod cogitet, et ratiocinetur, et quod considerans sententiam suam dicat, et verba formet; quod delectetur, rideat, doleat. Quid igitur ais miserorum omnium miserrime? O virum malitiæ plane peritum, intellige si potes, quod in tua ipsius versutia consumeris improbus. Christus, inquit, propter nos passus est. At ego jam dixi quod sub forma corporis missus est. Sane, inquit: sed metuendum ne aliqua in re imminuere illum videamur. O ferarum interpres, anne insanis, dum ista dicis, et aperte furis? Ecce enim mundus ipse forma est sive figura, et astra characteres suos ostendunt; et omnino spiritus hujus globosi orbis, species quædam est eorum quæ sunt, et quasi figuratio. Nihilominus Deus ubique
D adest. Ubinam igitur in Deo contumeliæ sunt? aut qua in re minuitur Deus? O parricida æquitatis. Considera, ex teipso conjecturam capiens, si peccatum videtur esse, in Christo adesse Deum. Ille quidem perspexit ignominiam sermonis, nec tarde pœnas irrogavit. Præterea quotidie in mundo peccata committuntur, et tamen Deus adest, nec diu supplicia differuntur. Qua igitur in re minuitur potestatis ejus magnitudo? an ubique patitur? nihil opinor, mundi enim mens per Deum est: per ipsum omnis stabilitas, per ipsum omne jus. Christi fides sine principio ex ipso est. Omnino autem Christus Dei lex est, per ipsum immensitatem et infinitatem habens. Sed de his ex te tuoque ingenio cogitare videris. O furorem

Digitized by Google

insignem! Converte nunc in tuum ipsius exitium diaboli gladium. Videte omnes, videte, ut lamentabiles prætendat voces viperæ morsu læsus, ut venæ ipsius et carnes veneno imbutæ acerbos cieant cruciatus: ut corpus ipsius tabe defluxit attenuatum, et squalore, sordibus, et lamentatione, et pallore, et horrore, et mille denique malis plenum misere exaruit: ut aspectu deformis, et illuvie sordida capillorum sylva, ut totus semimortuus, et aspectu ipso jam languido, vultu exangui et curis absumpto: ut simul omnia quæ concurrerunt, furor, insania, vanitas propter mali diuturnitatem agrestem et ferum reddiderunt. Ne sentit quidem quibus sit in malis. Efferor, inquit, præ voluptate, et tripudio, saltuque lascivio præ gaudio, et exulto. Et rursum valde juveniliter. Heu, inquit, periimus, hoc quidem certe verum est: tibi enim soli malitia largiter studia et amores sui suppeditavit: quodque magno pretio emerat, tibi facillime donavit. Age vero jam dic, ubi præclara illa tua monita? Ablue teipsum Nilo, si fieri potest, homo absurdi stuporis plenissime: quippe universum orbem terrarum flagitiis tuis perturbare omni studio contendisti. Nonne intelligis quod ego jam, qui Dei homo sum, omnia sciam? At vero jam dubito utrum manere an abire oporteat, neque enim adhuc visu tantum contendere possum, et peccatum erubesco, o Ari. Nos in luce collocasti, teipsum vero in tenebras conjecisti miser, hic enim visus est laborum tuorum exitus. Sed illuc iterum redeo multitudinem; hominum circa te vagantium esse ais, par est, opinor: et recipe eos, recipe inquam: nam lupis et leonibus sese devorandos præbuerunt. Verum etiam horum unusquisque decem capitum accessione, et horum sumptu oppressus continuo pœnas dabit, nisi quam celerrime ad salutarem Ecclesiam recurrens, charitatis pacem amore ac studio concordiæ suscipiat. Non enim a te decipientur amplius de mala conscientia damnati: neque funditus perire sustinebunt sceleratis tuis quæstionibus implicati, manifesta enim et nota erunt in posterum sophismata tua: nec ipse quidquam proficies, frustra finges, æquitatem et sermonum lenitatem simulans, et simplicitatis, ut ita dicam, personam extrinsecus induens. Vanum erit omne artificium tuum: cito enim te veritas ipsa circumstabit: cito flammas tuas divinæ potentiæ, ut sic dicam, imber restinguet. Atqui socios et suffragatores tuos, qui se jam obnoxios curiæ fecerunt, publicorum ministeriorum curæ excipient, nisi quam citissime fugientes congressum tuum, incorruptam fidem amplexi fuerint. Tu vero, vir ferree, da mihi aliquod specimen propositi tui, si tibi ipsi fidis, et fidei firmitate fretus es, ac puram omnino habes conscientiam. Veni ad me, veni inquam ad Dei hominem: crede quod interrogationibus meis cordis tui abdita scrutabor: et si quid insaniæ in te residere videatur, divinam gratiam implorans, a morsu te melius curabo; si vero mente sana esse videberis, cognito in te veritatis lumine, Deo gratias agam, et mihi ipsi pietatis causa congratulabor. — *Et alia manu*: Deus vos custodiat, carissimi.

Per Syncletium et Gaudentium magistrianos perlata sunt hæc, cum Paterius præfectus esset Egypti, et lecta sunt in palatio.

A πάθους, ἄγριόν τε καὶ θηριώδη σε ἐποιήσατο. αὐτίκα οὐδὲ ἐπαισθανόμενος οὗ δὴ κακοῦ τυγχάνει ὤν· ἅρομαι, φησὶν, ὑφ' ἡδονῆς καὶ πηδῶ γε σκιρτῶν ὑπὸ χαρᾶς, καὶ πτερυῦμαι. καὶ πάλιν νεανικῶς γε λίαν· εἶεν, φησὶν, ἀπωλόμεθα. τοῦτο μέν γε καὶ ἀληθές ἐστι· σοὶ γὰρ μόνῳ ἡ κακία τὰς παρ' ἑαυτῆς σπουδὰς δαψιλῶς κεχορήγηκε· καὶ ὃ πολλῆς ἐώνητό τιμῆς, τοῦτό σοι ῥᾷστα δεδώρηται. φέρε δὴ νῦν εἶπε, ποῦ τὰ σεμνά σοῦ ἐστι παραγγέλματα; ἀπόνηψαι δὴ σαυτὸν τῷ Νείλῳ, εἰ οἷόν τε, ὦ ἀτόπου γέμων ἀνθρωπε ἀναισθησίας· καίτοι σύ γε τὴν οἰκουμένην ἅπασαν τοῖς αὐτοῦ ἀσεβήμασι διαταράξαι ἐσπούδακας, ἆρά γε συνίης ὡς ἅπαντα ἤδη ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἐγὼ ἐπίσταμαι; ἀλλὰ γὰρ ἀπορῶ, πότερον μένειν, ἢ ἀπιέναι δεῖ. οὔτε γὰρ βλέπειν εἰς τοσοῦτον ἔτι δύναμαι, καὶ τὴν ἁμαρτίαν ἐπαισχύνομαι, ὦ Ἄρειε. ἡμᾶς μὲν εἰς φῶς κατέστησας, σαυτὸν δὲ εἰς σκότος, ὦ ταλαίπωρε, B κατέβαλες. τοῦτό σοι τῶν πόνων τέρψις τὸ τέλος. ἀλλ' ἐκεῖσε πάλιν ἐπάνειμι. πλῆθος εἶναι φῂς τῶν περὶ σὲ ἀλωμένων. εἰκὸς οἶμαι, καὶ δέχου γε τούτους, δέχου φημί· λύκοις γὰρ καὶ λέουσιν ἑαυτοὺς βρωθησομένους ἐκδεδώκασι. πλὴν ἀλλὰ καὶ τούτων ἕκαστος προσθήκη κεφαλῶν δέκα, καὶ τελέσασι τοῦτων πιεσθείς, αὐτίκα δὴ μάλα ἰδρώσει, ἐὰν μὴ τὴν τἀχίστην ἐπὶ τὸν σωτήριον δρομῶν ἐκκλησίαν, τὸν τῆς ἀγάπης εἰρηνικὸν τῷ φίλτρῳ τῆς ὁμονοίας ἐπανέλησθαι. οὐ γὰρ δὴ ὑπὸ σοῦ λοιπὸν ἐξαπατηθήσονται ἐπὶ φονηρᾷ συνειδήσει κατεγνωσμένοι· οὐδ' ἀνίξονται τέλεον ἀπολέσθαι, ταῖς μιαραῖς σου ζητήσεσιν ἐμπλακέντες. σαφῆ καὶ γνώριμα πᾶσι, πρὸς γοῦν τὸν ἐξῆς χρόνον, τὰ σά ἐστι σοφίσματα· καὶ μὴν οὐδὲ αὐτὸς ἀνέσει τι δυνήσῃ, ἀλλὰ μάτην σχηματιῇ, ἐπαίρειάν τε καὶ πραότητα λόγων καθυποκρινόμενος, καὶ ἁπλότητός, ὡς εἰπεῖν, προσωπεῖον ἔξωθεν περιτιθέμενος. μάταιον ἔσται σου τὸ ὅλον τέχνασμα· αὐτίκα γάρ σε ἡ ἀληθεία περιστήσεται· αὐτίκα σου τὰς φλόγας ὁ τῆς θείας δυνάμεως, ὡς εἰπεῖν, ὄμβρος ἀποσβέσει. καὶ μέντοι καὶ τοὺς ἑταίρους καὶ ὁμογώμονάς σου ἐνόχους εἶναι τῇ βουλῇ γενομένους, αἱ τῶν δημοσίων λειτουργημάτων καταλήψονται φροντίδες, ἐάν γε μὴ τὴν τἀχίστην ἀποφύγοντες τὸν πρὸς σὲ συνουσίαν, τὸν ἀδιάφθορον ἀνταλλάξωνται πίστιν. σὺ δὲ ὁ σιδηρόφρων ἀνήρ, δεῖγμά μοι δὸς τῆς σῆς προαιρέσεως, εἰ σαυτῷ πιστεύεις, καὶ ἔρρωσαι τῇ βεβαίῳ τῆς πίστεως, καὶ καθαρὰν ὅλως ἔχεις συνείδησιν. ἧκε πρὸς ἐμὲ, ἧκε, φημὶ, πρὸς Θεοῦ ἄνθρωπον· πίστευσον ὡς ταῖς ἐμαυτοῦ πεύσεσι διερευνήσομαί σου τὰ ἀπόῤῥητα τῆς καρδίας· κἂν μέν τι μανικὸν ἐνεῖναι δόξῃ, τὴν θείαν ἐπικαλεσάμενος χάριν, παρὰ δογμάτος σε κάλλιον ἰάσομαι. ἐὰν δὲ ὑγιαίνων τὰ κατὰ ψυχὴν φανῇς, τὸ τῆς ἀληθείας φῶς ἐπιγνούς, ἵν σοι καὶ τῷ Θεῷ χάριν εἴσομαι, καὶ ἐμαυτῷ τῆς εὐσεβείας συνησθήσομαι. — καὶ ἄλλῃ χειρί· Ὁ Θεὸς ἡμᾶς διαφυλάξοι, ἀγαπητοί.

Διὰ Συγκλητίου καὶ Γαυδεντίου μαγιστριανῶν ἐκομίσθη καὶ ταῦτα, ὅτε Πατέριος ἦν ἔπαρχος Αἰγύπτου, καὶ ἀναγνώσθη ἐν τῷ παλατίῳ.

Digitized by Google

EPISTOLA CONSTANTINI AD NICOMEDIENSES, CONTRA EUSEBIUM ET THEOGNIUM.

(*Conc. t. II, p. 277, ed. Lab.*)

Κωνσταντῖνος Σεβ. τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ Νικομηδέων.

Τὸν δεσπότην Θεὸν δηλαδὴ καὶ Σωτῆρα Χριστὸν ἀκριβῶς ἅπαντες ἴστε, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, πατέρα τε καὶ υἱὸν εἶναι. πατέρα φημὶ ἄναρχον, ἄνευ τέλους, γενέα τοῦ αἰῶνος αὐτοῦ· υἱὸν δέ, τοῦτ' ἔστι τὴν τοῦ πατρὸς βούλησιν, ἥτις οὔτε δι' ἐνθυμήσεώς τινος ἀνείληπται, οὔτε πρὸς τὴν τῶν ἔργων αὐτοῦ τελεσιουργίαν διά τινος ἐξεζητημένης οὐσίας κατελήφθη. ὃς γὰρ τοῦτο καὶ νοεῖ καὶ νοήσει, οὗτος ἕξει πρὸς ἅπαν τιμωρίας γένος ἀκάματον ὑπομονήν. ἀλλὰ γὰρ ὁ τοῦ Θεοῦ Χριστὸς ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς, καὶ τῆς ἀθανασίας αὐτῖς χορηγὸς, ἐγεννήθη ὅσον πρὸς τὴν πίστιν ἀνῆκεν ᾗ πεπιστεύκαμεν· ἐγεννήθη, μᾶλλον δὲ προῆλθεν αὐτὸς, καὶ πάντοτε ἐν τῷ πατρὶ ὤν, ἐπὶ τὴν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων διακόσμησιν. ἐγεννήθη τοίνυν ἀμερίστῳ προελεύσει. ἡ γὰρ βούλησις ὁμοῦ καὶ τῷ οἰκητηρίῳ αὐτῆς ἐμπέπηγε, καὶ ταῦθ' ἅπερ διαιρόμενα δέεται ἐπιμελείας, κατὰ τὴν ἑκάστου ποιότητα φράττει τε καὶ διοικεῖ. τί οὖν ἐστι; τί μεταξὺ τοῦ Θεοῦ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ; οὐδὲν δηλαδή· αὐτὴ γὰρ ἡ τῶν πραγμάτων συμπλήρωσις αἰσθήσει παρέλαβε τὸ τῆς βουλήσεως πρόσταγμα, οὐχὶ δὲ μεμερισθεῖσα ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας τὴν βούλησιν διέστησεν. ὃ δὲ τούτοις ἕπεται, τίς ἐστιν, ὃς τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἐμοῦ δεσπότου παιδὸς δι' αἰδῶ μᾶλλον ἢ μωρίαν δέδιεν; ἆρ' οὖν πάσχει τὸ θεῖον; ἐπειδὰν ἡ τοῦ σεμνοῦ σώματος οἴκησις πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἰδίας ἁγιότητος ὁρμᾷ· ἢ ὑποπίπτει θλῖψι τὸ τοῦ σώματος ἐκκεχωρισμένον; ἆρ' οὐχὶ διέστηκε τοῦτ' ἅπερ ἐκ τῆς τοῦ σώματος ἀρῴρηται ταπεινότητος; οὐχὶ δὲ ζῶμεν, κἂν πρὸς θάνατον ἡ τῆς ψυχῆς εὐκλεια τὸ σῶμα προσκαλέσηται; τί τοίνυν ἐνταῦθα ἡ ἀβλαβὴς τε καὶ εἰλικρινὴς πίστις ἄξιον ἀμφιβολίας κατεῖληφεν; ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι σεμνότερον σῶμα ὁ Θεὸς ἐξελέξατο, δι' οὗ τὰ τῆς πίστεως τεκμήρια καὶ τὰ τῆς οἰκείας ἀρετῆς ὑποδείγματα ἔμελλεν ἐμφανίζειν; καὶ τὴν ἤδη συγκεχυμένην ὀλεθρίῳ πλάνῃ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀπώλειαν ἀποσείεσθαι, καινήν τε θρησκείας διδόναι διδασκαλίαν τῇ τῆς ἀγνοίας ὑποδείγματι, τὰς ἀναξίας τοῦ νοῦ πράξεις καθαίρειν, ἔπειτα δὲ τὸν μὲν τοῦ θανάτου βάσανον ἐκλύειν, τὰ δὲ τῆς ἀθανασίας ἔπαθλα προαναφωνεῖν. ἀλλ' ὑμεῖς, οὓς λοιπὸν ἀδελφοὺς ἡ τῆς ἀγάπης κοινωνία εἰκότως ὑπ' ἐμοῦ προσαγορεύεσθαι ποιεῖ, οὐκ ἀγνοεῖτέ με τὸν ὑμέτερον συνθεράποντα, οὐκ ἀγνοεῖτε τὸ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὀχύρωμα, οὗ τὴν φρουρίδα γνησίως ἐπανήρημαι, καὶ δι' οὗ τῶν ἡμετέρων ἐχθρῶν οὐ μόνον τὰ ὅπλα κατεκατεσκάμεθα, ἀλλὰ καὶ ζῶντας ἔτι τὴν ψυχὴν συγκατείρξαμεν πρὸς τὸ τῆς φιλανθρωπίας ἀληθῆ πίστιν ἐκφάναι. ἀλλ' ἐγὼ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τούτοις διὰ τὴν τῆς οἰκουμένης μάλιστα ἀνανέωσιν ἔχαιρον. πόθι γὰρ θαύματος ἦν ἄξιον ἀληθῶς ἔθνη τοσαῦτα εἰς ὁμόνοιαν ἐπαγαγεῖν, ἃ πρὸ βραχέος ἐλέγετο τὸν Θεὸν ἀγνοεῖν. πλὴν τί ἔμελλε γινώσκειν τὰ ἔθνη ταῦτα, ἃ οὐδεμίαν φιλονεικίας ἐπανήρηντο φροντίδα; τί οὖν νοεῖτε, ἀδελφοὶ ἀγαπητοὶ, ὡς ἡμᾶς αὐτοὺς αἰτιῶμαι; Χριστιανοί ἐσμεν καὶ οἰκτρᾷ διαθέσει αὐτῶν ἡ τοῦ ἁγιωτάτου νόμου διδασκαλία; ἀλλὰ τίς ἐστιν αἰτία, δι' ἣν ὁ τοῦ παρόντος κακοῦ ὄλεθρος ἐξεγήγερται; ὥτις ἀτοπίας; ὢ μισους ὑπερβολὴ πάσης ἀγανακτήσεως μέγεθος ὑπερπαίουσα· τίς ἡ τοῦ ληστηρίου τούτου ἀναπίμπρασται δεινότης, ἡ τὸν τοῦ Θεοῦ υἱὸν ἀρνεῖται ἐξ ἀμερίστου τοῦ πατρὸς οὐσίας πρόεληλυθέναι; ἆρ' οὐχὶ πανταχοῦ ἐστιν ὁ Θεός; καίτοι γε τοῦτον πάντοτε παρεῖναι ἡμῖν αἰσθανόμεθα, ἆρ' οὐχὶ διὰ τῆς τούτου δυνάμεως ἡ τῶν ὅλων συνίστηκεν εὐκοσμία, καίτοι γε τῆς τοῦ χωρισμοῦ

A *Const. Aug. catholicæ Ecclesiæ Nicomediensium.*

Omnes probe nostis, fratres dilectissimi, Dominum Deum scilicet et salvatorem Christum patrem et filium esse : Patrem dico sine principio, sine fine, parentem sæculi ipsius : Filium vero, hoc est Patris voluntatem, quæ quidem neque per cogitationem aliquam assumpta est, neque ad operum suorum perfectionem per substantiam extrinsecus quæsitam accepta; qui enim hoc intelliget, hic habebit ad omne supplicii genus indefessam tolerantiam. Sed Dei filius Christus omnium opifex, et immortalitatis ipsius largitor genitus est, quantum ad fidem spectat eam qua credidimus : genitus est, imo vero progressus est ipse, cum omnino in Patre esset, ad eorum quæ ab ipso facta sunt, ordinationem. Genitus igitur B individuo quodam processu, voluntas enim simulatque domicilio ipsius infixa est, ea quæ diversa indigent cura, secundum uniuscujusque qualitatem tractat atque administrat. Quid igitur est? quid inter Deum Patrem et Filium medium? nihil scilicet, ipsa enim rerum completio cognitione accepit voluntatis imperium, non quidem separata ex Patris essentia voluntatem separavit. Quod vero ad ista sequitur, quis est qui Dominum meum Christum filium reverentia magis ductus quam stultitia metuit? Num itaque patitur Deus? postquam augusti corporis habitatio ad notitiam propriæ sanctitatis properat : an cadit sub tactum illum quod separatum est a corpore? Num igitur separavit hoc quod a corporis humilitate ablatum est? num vero vivimus, licet ad mortem, animæ gloria corpus asciverit? Quid igitur hic in- C noxia et sincera fides dubitatione dignum offendit? nonne vides Deum augustius corpus elegisse, quo fidei indicia et virtutis suæ documenta voluit ostendere? et jam confusum a diabolo errorem, humani generis perniciem excutere, novamque religionis doctrinam dare ignorantiæ documento, indignas mentis cogitationes purgare, deinde vero mortis cruciatus retundere, ac immortalitatis præmia longe ante prædicere. Sed vos, quos ut deinceps fratres appellem, charitatis communio facit (non ignoratis me conservum vestrum), non ignoratis vestræ salutis præsidium, cujus curam ingenue suscepi, et per quod non solum armatos hostes nostros devicimus, verum etiam viventes adhuc coegimus humanitatis veram fidem pro- D fiteri. Ego vero in his bonis propter instaurationem orbis terrarum maxime gaudebam. Et enim admiratione plane dignum fuit tot gentes ad concordiam consensumque adduxisse, quæ paulo ante dicebantur Deum ignorare. Verum quomodo cognituræ erant gentes ea, quæ nullo contentionis studio intelligere curarent? Quid igitur cogitatis, fratres carissimi, quod nos ipsos accuso? Christiani sumus, et miserabili affectu dissentimus. Hæc igitur ipsa est fides nostra? hæc sanctissimæ legis doctrina? Sed quæ tandem est causa, ob quam præsentis mali pernicies excitata est? O rem absurdam! summum

Digitized by Google

odium, quod omnis indignationis magnitudinem excedit! Quæ tandem visa est hujus atrocitas? num Dei Filium negat ex individua Dei substantia processisse? Anne Deus ubique est? atqui hunc semper adesse nobis sentimus. Anne hujus potentia universitatis ornatus coaluit, atque separationis dissidio privatus est? Ne quid igitur a nobis actum sit, fratres carissimi, attendite, quæso, præsentis doloris probationem. Vos illius confessores fore promisistis, quem esse negatis, cum vobis istud exitiabilis ille doctor persuaserit. Quis obsecro innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet tyrannicæ crudelitatis socius. Nam quod excubaret et omnino vigilaret pro tyranno, ex multis undique potest intelligi, siquidem istud episcoporum, eorumque vere episcoporum cædes testantur: istud crudelissima Christianorum persecutio palam clamat. Neque certe de iis quibus me affecit contumeliis hoc loco verba faciam, per quas adversariorum contra me concursus quantum fieri poterat maxime procurabantur, qui et oculis tanquam speculatoribus me observavit. Quin etiam ministerio prope militari, quo tyranno opem ferret, perfunctus est. Ac nemo existimet me imparatum minusque instructum esse etiam ad istas res, si opus fuerit, confirmandas. Verissime enim ostendi potest, tum presbyteros, tum diaconos a me manifesto deprehensos, qui Asebium assidue stipabant. Sed hæc quidem omitto, quæ nunc non eo dicuntur a me, quod ipse ea graviter et iniquo animo feram, sed quo eos suæ ipsorum pudeat insaniæ. Illud solum metuo, illud animo verso, quod vos video in hujus criminis societatem vocari. Nam institutione Eusebii et conversatione conscientia vestra a veritate deflexit. Verum hujus rei expedita est et facilis curatio, si modo episcopum fidelem et integrum nacti, oculos ad Deum denuo converteritis: quod quidem in præsentia est in vestra situm potestate, quodque etiam dudum penes vestrum judicium fuerat, nisi Eusebius ipse, de quo dixi, pravo eorum qui eum juverunt consilio huc præceps ruisset, et rectum eligendi ordinem impudenter conturbasset. Sed quoniam mihi de hoc ipso Eusebio pauca dicenda sunt, quæso libenter, attendite. Non vos præterit concilium Nicææ celebratum, cui ipse, sicut conscientiæ meæ munus postulabat, interfui, non alio sane animo, quam ut tum concordiam inter omnes constituerem, tum omnium maxime ut reprimerem penitus et submoverem eam rerum perturbationem, quæ ex Arii Alexandrini amentia orta, illico ex absurdo et pernicioso conatu Eusebii vires collegit. Nam quanta concursione, amantissimi honoratissimique fratres, putatis istum Eusebium, utpote ipsa conscientia convictum, quanta cum ignominia mendaciis undique deprehensis, aggressum esse primum certos quosdam homines subornare qui pro eo deprecarentur: deinde a me auxilium petere, ne tanti sceleris damnatus de honoris sui gradu dejiceretur. Hujus rei testis est mihi Deus, qui tum mihi, tum vobis benignus perpetuo adsit, quod et meum pervertit judicium, et turpiter a veritate abduxit:

A διαστάσεως ἐστέρηται; μὴ οὖν ἡμῖν τι πέπρακται, ὦ ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, καταμάθετε νῦν, ἀξιῶ, τὰς βασάνους τῆς παρούσης ἀλγηδόνος. ὁμολογητὰς ὑμᾶς εἶναι τούτου ἐπαγγέλλεσθε, ὃν εἶναι ἀρνεῖσθε, ὑμᾶς τοῦ πανώλους διδασκάλου πείθοντος. ἱκετεύω, τίς ἐστι ὁ ταῦτα διδάξας οὕτως ἄκακον πλῆθος; Εὐσέβιος δηλαδὴ, ὁ τῆς τυραννικῆς ὠμότητος συμμύστης. ὅτι γὰρ πανταχοῦ τοῦ τυράννου γεγένηται προσφύλαξ, πανταχόθεν ἐστὶ συνορᾷν. τοῦτο μὲν γὰρ αἱ τῶν ἐπισκόπων σφαγαὶ διαμαρτύρονται, ἀλλὰ τῶν ἀληθῶς ἐπισκόπων· τοῦτο δὲ ἡ χαλεπωτάτη τῶν Χριστιανῶν ἐκδίωξις διαῤῥήδην βοᾷ. οὐδὲν γὰρ τῶν περὶ τῶν εἰς ἐμὲ γεγενημένων ὕβρεων νῦν ἐρῶ, δι' ὧν ὅτι μάλιστα αἱ τῶν ἐναντίων μερῶν ἐπραγματεύσαντο συνδρομαί. οὗτος καὶ ὀφθαλμοὺς κατασκόπους ὑπέπεμπε κατ' ἐμοῦ, καὶ μόνον οὐκ ἐνόπλους τῷ τυράννῳ συνεισέφερεν ὑπουργίας. μὴ δ' ἐμέ τις οἴεσθω εἶναι πρὸς τὴν τούτων ἀπόδειξιν B ἀπαράσκευον. ἔλεγχος γάρ ἐστιν ἀκριβὴς, ὅτι τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διακόνους τοὺς Ἀσεβίῳ παρεπομένους φανερῶς ὑπ' ἐμοῦ συνειλῆφθαι συνέστηκεν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν παρίημι, ἃ νῦν οὐκ ἀγανακτήσεως ἕνεκεν, ἀλλ' εἰς ἐκείνων αἰσχύνην ὑπ' ἐμοῦ προενήνεκται. ἐκεῖνο μόνον δέδια, ἐκεῖνο διαλογίζομαι, ὅτι ὑμᾶς ὁρῶ πρὸς τὴν τοῦ ἐγκλήματος καλεῖσθαι κοινωνίαν. διὰ γὰρ τῆς Εὐσεβίου ἀγωγῆς τε καὶ διαστροφῆς συνείδησιν τῆς ἀληθείας κεχωρισμένην ἀνειλήφατε. ἀλλ' ἔστιν οὐ βραδεῖα θεραπεία, εἴ γε ἐπίσκοπον πιστόν τε καὶ ἀκέραιον νῦν γοῦν λαβόντες, πρὸς τὸν Θεὸν ἀπίδητε· ὅπερ ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐν ὑμῖν ἐστι. καὶ πάλαι ἐχρῆν τῆς ὑμετέρας κρίσεως ἡρτῆσθαι, εἰ μὴ ὁ προειρημένος Εὐσέβιος δεινῇ (f. d. προαιρέσει) τότε συλλαβομένων αὐτῷ ἐνταῦθα ἐληλύθει. καὶ τὴν τῆς τάξεως ὀρθότητα ἀναισχύντως συνετεταράχει. ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ αὐτοῦ τοῦ Εὐσεβίου πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην ὀλίγα C προσῆκε φράσαι, μέμνηται ὑμετέρα ἀνεξικακία ἐπὶ τῆς Νικαέων πόλεως γεγενῆσθαι συνόδου, ᾗ καὶ αὐτὸς ἐγὼ προπόντως τῇ τῆς ἐμῆς συνειδήσεως λατρείᾳ παρήμην, οὐδὲν ἕτερον βουλόμενος, ἢ ὁμόνοιαν ἅπασιν ἐργάσασθαι. καὶ πρὸ πάντων ἐλέγξαι τε καὶ ἀποσείσασθαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο, ὃ τὴν μὲν ἀρχὴν εἰλήφει διὰ τῆς Ἀρείου τοῦ Ἀλεξανδρέως ἀπονοίας, ἰσχυροποιεῖτο δὲ παραχρῆμα διὰ τῆς Εὐσεβίου ἀτόπου τε καὶ ὀλεθρίας σπουδῆς. ἀλλ' αὐτὸς οὗτος Εὐσέβιος, προσφιλέστατοι καὶ τιμιώτατοι, μεθ' ὅσης νομίζετε συνδρομῆς, ἅτε δὴ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως αὐτῆς ἡττώμενος. μεθ' ὅσης δὲ αἰχύνης, τῇ πανταχόθεν ἐληλεγμένῃ ψευδολογίᾳ συνίστατο, ὑποπέμπων μέν μοι διαφόρους τοὺς ἀξιοῦντας ὑπὲρ αὐτοῦ, ἐξαιτούμενος δὲ παρ' ἐμοῦ συμμαχίαν τινὰ, ὅπως μὴ ἐπὶ τοσούτῳ ἐλεγχθεὶς πλημμελήματι, τῆς ὑπαρχούσης αὐτῷ τιμῆς ἐκβάλλοιτο. μάρτυς ἐστί μοι τούτου ὁ Θεὸς αὐτὸς, ὃς ἐμοί τε καὶ ὑμῖν φιλα- D γάθως ἐπιμένοι, ἐπεὶ κἀμὲ ἐκεῖνος περιέτρεψε, καὶ ἀπρεπῶς ὑφήρπασεν· ὃ καὶ ὑμεῖς ἐπιγνώσεσθε. πάντα μὲν γὰρ ἐπράχθη τότε καθὼς αὐτὸς ἐπόθει, πᾶν ὁτιοῦν κακὸν ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ διανοίας ἀποκρυπτόμενος. ἀλλὰ πρώην, ἵνα τὰ λοιπὰ τῆς τούτου σκαιότητος παρῶ, τί μάλιστα μετὰ Θεογνίου, ὃν τῆς ἀνοίας ἔχει κοινωνὸν, διεπράξατο, ἀκούσατε, παρακαλῶ. Ἀλεξανδρέας τινὰς τῆς ἡμετέρας πίστεως ἀναχωρήσαντας ἐνταῦθα κεκελεύκειν ἀποσταλῆναι, ἐπειδὴ διὰ τῆς τούτων ὑπηρεσίας ὁ τῆς διχονοίας ἠγείρετο πυρσός. ἀλλ' οὗτοι καλοί τε καὶ ἀγαθοὶ ἐπίσκοποι, οὓς ἅπαξ ἡ τῆς συνόδου ἀλήθεια πρὸς μετάνοιαν τετηρήκει, οὐ μόνον ἐκείνους ὑπεδέξαντο, καὶ παρ' ἑαυτοῖς ἠσφαλίσαντο, ἀλλὰ καὶ ἐκοινώνησαν αὐτοῖς τῆς τῶν τρόπων κακοηθείας. διὸ τοῦτο περὶ τοὺς ἀχαρίστους τούτους ἔκρινα πρᾶξαι· ἁρπαγέντας γὰρ αὐτοὺς ἐκέλευσα ὡς πορρω-

Digitized by Google

τάτω ἐξορισθῆναι. νῦν ὑμέτερόν ἐστι, πρὸς τὸν Θεὸν ἐκείνῃ τῇ πίστει βλέπειν, ἣ πάντοτε καὶ γεγενῆσθαι καὶ συνίστηκέναι καὶ εἶναι πρέπει, καὶ διαπράξασθαι. οὕτως ἐπισκόπους ἁγνοὺς τε καὶ ὀρθοδόξους, καὶ φιλανθρώπους ἔχοντες χαίρομεν. εἴ τις δὴ ἢ πρὸς μνήμην τῶν λυμεώνων ἐκείνων, ἢ πρὸς ἔπαινον ἀπρεπῶς ἐξαρθῆναι τολμήσει, παραχρῆμα τῆς ἰδίας τόλμης διὰ τῆς τοῦ θεράποντος τοῦ Θεοῦ, τοῦτ' ἔστιν ἐμοῦ, ἐνεργείας ἀναστηλώσεται. ὁ Θεὸς ὑμᾶς φυλάξοι, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί. A quod et vos cognoscetis. Nam tum omnia gesta sunt ex ejus sententia, qui perniciem omnem adhuc intra cogitationem suam abditam et occultam tenuit. Ac primum, ut cætera illius nequitiæ facinora præteream, audite, quæso, quid nuper cum Theognio, quem dementiæ socium habebat, perpetraverit. Ipse forte quosdam Alexandrinos qui a fide nostra defecerant, huc mitti jusseram, quandoquidem eorum opera dissidii flamma incensa erat. Sed isti honesti, bonique scilicet episcopi, quos vera concilii dijudicatio ad pœnitentiam agendam reservaverat, non solum eos admiserunt ad se, et secum tuto collocarunt, verum etiam illorum depravatis moribus communicarunt. Quamobrem ingratos istos aliquo pacto puniendos esse censui, et jussi, ut a suis abrepti sedibus longissime relegarentur. Jam vestrum est ea fide in Deum aciem mentis vestræ intendere, in qua vos semper mansisse constat, et nunc etiam manere decet, omnemque ætatem ita degere; ut episcopos integritate vitæ, doctrinæ puritate, tum benignitate etiam in omnes, eximios habentes, jure lætemur. Si quis autem temere pestes illas vel memoria, vel laudibus celebrare audeat, confestim servi Dei, hoc est mei ipsius opera pœnas suæ audaciæ dabit. Deus vos, fratres carissimi, incolumes servet.

EPISTOLA AD THEODOTUM.

(*Conc. t.* II, *p.* 283, *ed. Lab.*)

Νικητὴς Κωνσταντῖνος σεβαστὸς Θεοδότῳ. B *Victor Constantinus Augustus Theodoto.*

Ὅση τῆς θείας ὀργῆς ἡ ἰσχὺς πέφυκε, καὶ ἐξ ὧν Εὐσέβιός τε καὶ Θεόγνιος πεπόνθασιν εὐχερὲς καὶ σε μαθεῖν· οἳ εἰς τὴν ἁγιωτάτην παροινοῦντες θρησκείαν, τὸ τοῦ σωτῆρος Θεοῦ ὄνομα τῷ συστήματι τοῦ οἰκείου λῃστηρίου καὶ μετὰ τὸ τυχεῖν συγγνώμης ἐμίαναν. ὅτε γὰρ μάλιστα μετὰ τὴν τῆς συνόδου ὁμογνώμονα συμφωνίαν ἐχρῆν τὴν πρωτέραν ἐπανορθώσασθαι πλάνην, τότε τοῖς αὐτοῖς ἀτοπήμασιν ἐμμένοντες ἑάλωσαν. διὰ τοῦτο γοῦν ἡ θεία πρόνοια αὐτοὺς τοῦ ἑαυτῆς ἀπώσατο λαοῦ· ἐπειδὴ μηδὲ ἔφερε τὰς ἀκάκους ψυχὰς ὀλίγον ἀπονοίᾳ φθειρομένας καθορᾶν· καὶ νῦν μὲν ἀξίαν παρ' αὐτῶν ᾔτησε δίκην, μείζονα δὲ καὶ εἰς τὸ ἔξῆς διὰ τοῦ παντὸς αἰῶνος λήψεται. ὅπερ τῇ σῇ ἀγχινοίᾳ δηλωθῆναι δεῖν ἡγησάμην, ἵν' εἴ τις κακὴ παραίνεσις τῶν τοιούτων, ὡς ἔγωγε οὐκ οἶμαι τῇ σῇ ἐνεκαθίσθη προαιρέσει, ταύτην τῆς ψυχῆς ἀφελόμενος, καθαράν, ὡς προσῆκε, τὴν διάνοιαν, εἰλικρινῆ τε καθοσίωσιν, καὶ ἄχραντον πίστιν τῷ σωτῆρι Θεῷ παρασχίσθαι προθυμηθῇς. καὶ γὰρ τοῦτο προσῆκόν ἐστιν ὑπὸ τούτου πράττεσθαι, ὃ δ' ἂν ἀκεραίων τῶν τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐπάθλων ἀξιοῦσθαι βουλεύηται. ὁ Θεός σε διαφυλάξοι, ἀδελφὲ ἀγαπητέ. Quanta vis divinæ iræ extitit, etiam ex iis quæ Eusebio et Theognio acciderunt, facile licet tibi intelligere : qui in sanctissimam religionem debacchantes, Dei salvatoris nomen ipsa turma prædonum suorum etiam post impetratam veniam polluerunt. Nam tum maxime quando post concordem synodi consensionem, priorem errorem eos corrigere oportuit, absurdis istis opinionibus adhærescere deprehensi sunt. Ob hoc igitur divina providentia ex populi sui numero eos exturbavit; quoniam neque tulit minime malas mentes amentia illa corruptas videre : et nunc debitas ab iis pœnas exposcit, majores etiam deinceps in omni sæculo sumpturus. Quod prudentiæ tuæ indicare oportere putabam, ut si qua C perversa admonitio istorum (quod non existimo) tuo insideat animo, ea ex animo deleta, puram ut decet, cogitationem, veram sanctificationem, intemeratam fidem servatori Deo præbere studeas. Etenim consentaneum est hoc ab eo fieri, qui incorruptis æternæ vitæ præmiis dignus haberi constituerit. Deus te custodiat, frater dilecte.

EPISTOLA CONSTANTINI AD MACARIUM.

(*Euseb. Vit. Const. l.* III, *c.* 30-32.)

De ædificatione martyrii Servatoris nostri.

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς Μακαρίῳ. *Victor Constantinus Maximus Augustus Macario.*

1. Τοσαύτη τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐστιν ἡ χάρις, ὡς μηδεμίαν λόγων θεραπείαν τοῦ παρόντος θαύματος ἀξίαν εἶναι δοκεῖν. τὸ γὰρ τὸ γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου ἐκείνου πάθους ὑπὸ τῇ γῇ πάλαι κρυπτόμενον, τοσαύταις ἐτῶν περιόδοις λαθεῖν, ἄχρις οὗ διὰ τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ ἀναιρέσεως ἐλευθερωθεῖσι τοῖς ἑαυτοῦ θεράπουσιν D

1. Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad præsentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimæ illius passionis monumentum, sub terra jampridem occultatum tot annorum spatio delituisse, quo ad communi omnium hoste sublato, famulis ejus in libertatem vindicatis affulsit,

VALESII NOTÆ.

Μὴ δὲ μίαν λόγων θεραπείαν. Apud Socratem, Theodoritum ac Nicephorum legitur λόγων χορηγίαν, quod rectius puto.

Διὰ τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἐχθροῦ ἀναιρέσεως. Hostem publicum Constantinus hic appellat Licinium, post cujus exitium ait sacrum Domini sepulcrum, quod ante latuerat in lucem et conspectum hominum prodiisse. Occisus est Licinius anno Christi 326, ut scribitur in Fastis Idatii. Eodemque anno cum Helena Hierosolymam advenisset, sepulcrum Domini repertum est. Posset etiam publici hostis nomine, dæmoni hic intelligi, nisi quæ sequuntur verba repugnarent Neque enim diabolus tunc demum victus atque oppressus est, cum sepulcrum Domini egestis ruderibus

Digitized by Google

geret, omnem revera admirationem superat. Nam A tametsi omnes quotquot ubique terrarum sapientes habentur, in unum coacti, aliquid pro hujus rei dignitate dicere instituerint, ne ad minimam quidem ejus partem aspirare posse mihi videntur. Quippe hujus miraculi fides, omnem humanæ rationis capacem naturam tantum excedit, quantum humanis divina præcellunt. Quocirca hic unus mihi ac præcipuus semper est scopus, ut quemadmodum veritatis fides novis quotidie miraculis inclarescit, sic etiam mentes omnium nostrum ad sanctissimæ legis observantiam cum omni modestia et concordi alacritate incitentur. Quod quoniam omnibus perspectissimum esse confido, illud tibi in primis persuasum velim, nihil mihi antiquius esse, quam ut sacrum illum locum quem Dei jussu turpissima adjectione simulacri velut gravi quodam pondere exoneravi; et qui ab initio quidem Dei judicio sanctus fuit, postea vero B multo sanctior effectus est, ex quo dominicæ passionis fidem in lucem protulit; eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus.

ἀναλάμπειν ἔμελλε, πᾶσαν ἔκπληξιν ἀληθῶς ὑπερβαίνει. εἰ γὰρ πάντες οἱ διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης εἶναι δοκοῦντες σοφοί, εἰς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ συνελθόντες, ἄξιόν τι τοῦ πράγματος ἐθελήσουσιν εἰπεῖν, οὐδ' ἂν πρὸς τὸ βραχύτατον ἀμιλληθῆναι δυνήσαιντο· ἐπὶ τοσοῦτον πᾶσαν ἀνθρωπίνου λογισμοῦ χωρητικὴν φύσιν ἡ τοῦ θαύματος τούτου ὑπερβαίνει, ὅσῳ τῶν ἀνθρωπίνων τὰ οὐράνια συνεστηκέναι δυνατώτερα. διὰ τοῦτο γοῦν οὗτος ἀεὶ καὶ πρῶτος καὶ μόνος μοι σκοπὸς, ἵν' ὥσπερ ἑαυτὴν ὁσημέραι καινοτέροις θαύμασιν ἡ τῆς ἀληθείας πίστις ἐπιδείκνυσιν, οὕτω καὶ αἱ ψυχαὶ πάντων ἡμῶν περὶ τὸν ἅγιον νόμον σωφροσύνῃ πάσῃ καὶ ὁμογνώμονι προθυμίᾳ σπουδαιότεραι γίγνωνται. ὅπερ δ' οὖν πᾶσιν εἶναι νομίζω φανερὸν, ἐκεῖνο μάλιστα πεπεῖσθαι βούλομαι, ὡς ἄρα πάντων μοι μᾶλλον μέλει, ὅπως τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον τόπον, ὃν Θεοῦ προστάγματι, αἰσχίσταις εἰδώλου προσθήκαις ὥσπέρ τινος ἐπικειμένου βάρους ἐκούφισα. ἅγιον μὲν ἐξ ἀρχῆς Θεοῦ κρίσει γεγενημένον, ἁγιώτερον δ' ἀποφανθέντα, ἀφ' οὗ τοῦ σωτηρίου πάθους πίστιν εἰς φῶς προήγαγεν, οἰκοδομημάτων κάλλει κοσμήσωμεν.

Quod hanc ædem, mœnium, columnarum et marmorum venustate cæteras ecclesias superare voluerit.

11. Decet itaque prudentiam tuam, singula ad opus necessaria ita disponere et curare, ut non modo Basilica ipsa omnium quæ ubique sunt pulcherrima; sed et reliqua membra ejusmodi sint, ut omnes quantumvis eximiæ singularum urbium fabricæ, ab hac una facile superentur. Ac de parietum quidem substructione et elegantia, Draciliano amico nostro, agenti vices præfectorum prætorio; et præsidi provinciæ scias a me curam esse commissam. Jussit siquidem pietas nostra, ut artifices et operarii, et quæcumque ad hoc opus necessaria esse ex prudentia tua cognoverint, C protinus instante illorum sollicitudine dirigantur. De columnis vero et marmoribus, quæcumque et pretiosiora et utiliora esse ipso aspectu judicaveris, cura ut ad nos perscribas: ut cum ex litteris tuis cognoverimus quot et qualibus opus sit, ea undique possint comportari. Æquum est enim et qui præ totius orbis locis maxime admirabilis est locus, pro dignitate sua exornetur.

11. Προσήκει τοίνυν τὴν σὴν ἀγχίνοιαν οὕτω διατάξαιτε καὶ ἑκάστου τῶν ἀναγκαίων ποιήσασθαι πρόνοιαν, ὡς οὐ μόνον βασιλικὴν τῶν ἁπανταχοῦ βελτίονα, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ τοιαῦτα γίγνεσθαι, ὡς πάντα τὰ ἐφ' ἑκάστης καλλιστεύοντα πόλεως, ὑπὸ τοῦ κτίσματος τούτου νικᾶσθαι. καὶ περὶ μὲν τῆς τῶν τοίχων ἐγέρσεώς τε καὶ καλλιεργίας, Δρακιλιανῷ τῷ ἡμετέρῳ φίλῳ τῷ διέποντι τὰ τῶν ἐπαρχιῶν μέρη, καὶ τῷ τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντι, παρ' ἡμῶν τὴν φροντίδα ἐγκεχειρίσθαι γίνωσκε. κεκέλευται γὰρ ὑπὸ τῆς ἐμῆς εὐσεβείας, καὶ τεχνίτας καὶ ἐργάτας, καὶ πάνθ' ἅπερ εἰς οἰκοδομὴν ἀναγκαῖα τυγχάνειν παρὰ τῆς σῆς καταμάθοιεν ἀγχινοίας, παραχρῆμα διὰ τῆς ἐκείνων προνοίας ἀποσταλῆναι. περὶ δὲ τῶν κιόνων εἴτουν μαρμάρων, ἃ δ' ἂν νομίσειας εἶναι τιμιώτερά τε καὶ χρησιμώτερα, αὐτῆς συνόψεως γενομένης, πρὸς ἡμᾶς γράψαι σπούδασον. ἵν' ὅσων ἂν καὶ ὁποίων χρείαν εἶναι διὰ τοῦ σοῦ γράμματος ἐπιγνῶμεν, ταῦτα πανταχόθεν μετενεχθῆναι δυνηθῇ.

VALESII NOTÆ.

detectum est. Adde quod ἀναίρεσις, id est, cædes, melius de Licinio dicitur quam de diabolo.

Ἐπὶ τοσοῦτον πᾶσαν. Scribendum puto ἐπεὶ τοσούτῳ πᾶσαν, etc. In libro Fuk. scribitur ἐπὶ τοσοῦτο γὰρ, etc. D

Ὅπερ δ' οὖν. Hic locus ex Socrate et Theodorito emendatus est.

Δρακιλιανῷ τῷ διέποντι τὰ τῶν ἐπαρχιῶν μέρη. Et hic locus ex Socrate, Theodorito ac Nicephoro emendandus est in hunc modum: τὰ τῶν λαμπροτάτων ἐπαρχων μέρη. Id est: *Draciliano agenti vices Clarissimorum præfectorum Prætorio.* Extant certe duæ Constantini leges in codice Theodosiano, altera in titulo de usuris, altera de hæreticis, ad hunc Dracilianum scriptæ. Prior hanc habet inscriptionem: *Imp. Constantinus Aug. ad Dracilianum agentem vices præfectorum Prat.* Proposita autem est Cæsaræ in Palestina 15 kal. maias, Paulino et Juliano Coss. Secunda vero proposita dicitur kalendis septemb. Generasto, Constantino Aug. 7, et Constantio Cæsare Coss. Id est anno Christi 326. Quo etiam anno Constantinus hanc epistolam scripsit ac Macarium episcopum Hierosolymorum. Porro notandum est, præfectos Prætorio hic dici clarissimos. Nondum enim illustrissimatus dignitatem acceperant. Sed et in aliis Constantini legibus præfecti Prætorio clarissimi dicuntur, ut in his libris occurrit. Cæterum, ut præfecti Prætorio tantum clarissimi erant Constantini ætate, ita vicarii præfecturæ Prætorianæ ejusdem Constantini temporibus erant tantum perfectissimi, ut docet Epistola ad Probianum proconsulem Africæ. Apud Athanasium in Apologetico ad Constantium, pag. 794. Ἀντωνίῳ βάρχῳ, κεντηναρίῳ τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων τοῦ ἱεροῦ πραιτωρίου.

Συνόψεως γενομένης. Hoc loco σύνοψις formam significat ac delineationem futuri operis. Quo sensu sumitur etiam in Epistola Himerii rationalis Alexandriæ ad præfectum Mareotæ, quam refert Athanasius in Apologia, pag. 803. Postquam enim dixit Augustum et Cæsares permisisse Ischyræ ut ecclesiam in pago suo ædificaret, mandat præposito pagi illius, ut formam futuri operis quamprimum delineet, et ad officium suum mittat: Φρόντισον τοίνυν ἐν τάχει τὴν σύνοψιν ποιησάμενος, εἰς τὴν τάξιν ἀνενεγκεῖν.

Digitized by Google

Ut de pulchritudine conchæ, et de artificibus ac de materia Macarius ad præsides scribat.

III. Τὴν δὲ τῆς βασιλικῆς καμάραν, πότερον λακωναρίαν, ἢ δι' ἑτέρας τινὸς ἐργασίας γενέσθαι σοι δοκεῖ, παρὰ σοῦ γνῶναι βούλομαι. εἰ γὰρ λακωναρία εἶναι μέλλοι, δυνήσεται καὶ χρυσῷ καλλωπισθῆναι. τὸ λειπόμενον ἡ σὴ ὁσιότης τοῖς προειρημένοις δικασταῖς ἢ τάχος γνωρισθῆναι ποιήσει, ὅσων τ' ἐργατῶν καὶ τεχνιτῶν καὶ ἀναλωμάτων χρεία. καὶ πρὸς ἐμὲ εὐθέως ἀνενεγκεῖν σπουδάσει, οὐ μόνον περὶ τῶν μαρμάρων τε καὶ κιόνων, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν λακωναριῶν, εἴγε τοῦτο κάλλιον ἐπικρίνειεν. ὁ Θεός σε διαφυλάξοι, ἀδελφὲ ἀγαπητέ.

A III. Porro cameram Basilicæ, utrum laquearem, an alio quopiam operis genere faciendam censeas, certior a te fieri velim. Nam si laquearia fiet, auro quoque poterit exornari. Restat igitur ut sanctitas tua supra memoratis judicibus quamprimum significet, quot operariis et artificibus et sumptibus opus erit: utque ad me celeriter referat, non modo de marmoribus et columnis, sed etiam de lacunaribus, si hoc opus venustius esse censueris. Divinitas te servet, frater carissime.

MONITUM IN EPISTOLAS HELENÆ ET CONSTANTINI.

Occurrunt acta S. Silvestri græce in duplici Nanniano Codice, quantum quidem notatum inveni a Bonjoannio: in altero quorum signato G. numero XVII, occurrunt dumtaxat, pag. 8, prælaudatæ epistolæ. Recentior manus adscripsit titulum, quem habes heic, pag. 120, atque haustas illas fuisse ex Eusebio in vita S. Silvestri papæ et Magni Constantini. Equidem circumferuntur passim Acta Sylvestri auctore Eusebio latine edita, puta apud Mombritium Lipomanum Surium, præter alia a Metaphraste desumpta. Repetit et ex actis a se editis Combefisius in Bibliotheca Concionatoria, et quidem tamquam *ex ejus actis primariis et antiquis* ex Cod. Mazar. vulgatis, partem quamdam disputationis a S. Sylvestro habitæ cum Zambre Judæo præsente Constantino, adversus eosdem Judæos.

Verumtamen spuria esse hujusmodi acta Eusebioque perperam supposita, dubitare nos non sinit Gelasii papæ decretum dicentis: *Acta Sylvestri incerto Auctore descripta*, ubi notat etiam Baronius ad Martyrolog. sub die 31. Decemb. Non tamen inficiandum videtur, in opere illo utut suppositicio, quippe antiquissimo, quædam vera posse reperiri propter scriptoris vetustam ætatem, qui vera falsis, aut ex rumore, aut ex certis monumentis accepta immiscere potuit, ut suæ merci fidem et robur conciliaret. Hinc factum videtur, ut inde auctoritatem depromserit Hadrianus primus aliique nonnulli VII et VIII, sæculi scriptores, iisdemque usæ fuerint quædam ecclesiæ vetustam consuetudinem reveritæ.

Nicephorus ubi de Constantino agit refert passim ea, quæ si vera essent et genuina, omnem fidem fragmentis nostris assererent: puta inter Helenam D et Constantinum filium ultro citroque epistolas discurrisse: morbo gravissimo laborasse imperatorem: B jussisse, ut recutiti Romam convenirent coram se de religione disputaturi. Sed hæc Nicephorus ex adulterinis illis actis more suo deprompserit. Quamobrem cum omne genus quisquiliis suam historiam onerarerit Nicephorus, judicibus Casaubono et Cavæo; ex hominis istius fide nihil momenti accedere possit ad stabiliendam sinceritatem horum monumentorum.

Illud modo favere aliquatenus potest, quod Helenam matrem suam, *cum antea pietatem minime esset imbuta*, Constantinum piam admodum reddidisse scripserit Eusebius: ex quo potuisse aliquando eam a calumniis Judæorum in fraudem induci, minime abhorret. Adde revera in suis pandectis veternosos illos homines passim blasphemare, Christum nostrum propter maleficia fuisse cruce multatum. Deinde, C cum quæ hactenus exstant Acta Sylvestri sinceriora, edita, sive manu exarata, vel illas epistolas habeant, vel saltem rem ipsa quæ in illis continetur exponant: vix suaderi alicui potest, historiam integram proprio marte excogitasse antiquum illum scriptorem, qui actuum ipsorum primus parens fuit: qui certe ab ipsa Constantini ætate haud nimium remotus esse debet, quod Gelasii decretum abunde suadet.

Si qua ergo fides hujusmodi conjecturis pro adstruenda γνησιότητι harum epistolarum; possumus etiam ætatem earumdem assequi. Apparet enim sub primis Constantiniani Imperii temporibus fuisse exaratas. Nec tamen adeo solliciti fuimus de sinceritate horum monumentorum, quam ut qualiacumque haberi demum velint, prorsus non intercideret

VALESII NOTÆ.

Τὴν δὲ τῆς βασιλικῆς καμάραν, πότερον λακωναρίαν. Basilicarum cameræ duobus fere modis disponebantur. Aut enim lacunaribus ornabantur, aut opere musivo depingebantur. De lacunaribus testis est Constantini locus. De opere musivo Procopius in libro I de fabricis Justiniani, ubi sanctæ Sophiæ templum describit. Jam lacunaria duobus modis exornari solebant. Aut enim deaurabantur, aut pingebantur, quod primus instituit Pausias, de quo Plinius in libro 35, cap. 11. ita describit: *Idem et lacunaria primus pingere instituit: nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit.* Isidorus in libro XIX Originum: *Laquearia*, inquit, *sunt quæ cameram subtegunt et ornant: quæ et lacunaria dicuntur: quod lacus quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gypso, vel coloribus habeant pictos, cum signis intermicantibus.* Quem Isidori locum immerito reprehendit Salmasius in Notis ad Flavium Vopiscum, pag. 303 ubi negat lacunaria cameris unquam supposita fuisse. Atqui Plinius idem diserte affirmat, et Constantinus in hac Epistola. Vetus auctor quæstionum veteris et novi Testamenti in Quæst. 106. *Sicut enim ad ornamentum domus pertinet, si camera ejus habeat auro distincta laquearia*, etc.

Καλλωπισθῆναι τὸ λειπόμενον. Hoc loco secutus sum distinctionem Theodoriti ac Nicephori, qui post verbum καλλωπισθῆναι punctum apponunt. Idemque ante nos fecere omnes interpretes præter Musculum. Quod si quis malit distinctionem apponere post λειπόμενον, tum scribendum erit πλὴν ἡ σὴ ὁσιότης, etc., ut legitur in cod. Fuketii et Savilii.

Digitized by Google

EPISTOLA HELENÆ AD CONSTANTINUM.

(*Bibl. Gall., t.* XIV. *App., p.* 120.)

Victori, triumphatori, æterno, augusto, Constantino filio Helena, æterna, augusta.

Νικητῇ, τροπαιούχῳ, αἰωνίῳ, αὐγούστῳ, Κωνσταντίνῳ υἱῷ, Ἑλένη αἰωνία, αὐγοῦστα.

Veritatem sapiens ratio non repudiat, nec sane recta fides poterit unquam damnum sustinere. Divinæ igitur bonitati acceptum ferendum, quod dignus habitus fueris qui ab idolorum vanitate recederes : at errori tribuendum, quod credideris Jesum Nazarenum Deum esse verum, atque hunc in cœlis filium Dei esse : qui cum esset Judæus et propter maleficia damnatus, etiam sententia subeundæ cruci addictus oppetiit. Tuæ vero pietati ideo sanitas concessa fuit, quia primus inter imperatores idolis nuntium remisisti. Verus enim et æternus Deus ostendere volens, eos quos abnegasti, nequaquam esse veros Deos, indulsit tibi sanitatem, quo deposito omni idolorum metus, intelligere posses, quia nec exorati salutem conferre possunt, neque illam exacerbati auferre. Hujus superstitionis errorem deserentem pietatem tuam infirmitas deseruit. Jam porro ad omnipotentem Deum revertentem te virtus assequetur, quæ numquam superari queat. Quam colere incipiens, Davidicum regnum obtinebis et sapientissimi Salomonis. Futuri sunt enim tecum prophetæ, quibus locutus est Deus, et quæcumque per illos postulaveris, obtinebis, Vale, domine venerande, æterne, auguste, et fili honoratissime felicibus eventibus florens.

Τὴν ἀλήθειαν ὁ σόφος οὐκ ἀπωθεῖται λογισμός, οὔτε μὴν ἡ ὀρθὴ πίστις δυνήσεταί ποτε ζημίαν τινὰ ὑπομεῖναι. τῇ θείᾳ τοίνυν φιλανθρωπίᾳ ἐπιγραπτέον τὸ ἀξιωθῆναί σε τῆς τῶν εἰδώλων ἀποστῆναι ματαιότητος, τῇ πλάνῃ δὲ λογιστέον τὸ πιστεῦσαί σε Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον Θεὸν εἶναι ἀληθινόν. καὶ τοῦτον ἐν οὐρανοῖς υἱὸν Θεοῦ ὑπάρχειν· ὃς Ἰουδαῖος γενόμενος, καὶ ἐπὶ μαγείαις κατακριθείς, καὶ ἀποφάσει σταυροῦ καταδικασθείς ἀπέθανε. τῇ δὲ εὐσεβείᾳ τῇ σῇ, τούτου χάριν ἡ ὑγεία παρεσχέθη, διὰ τὸ πρῶτόν σε ἐν βασιλεῦσι τοῖς εἰδώλοις ἀποτάξασθαι. ὁ γὰρ ἀληθὴς καὶ αἰώνιος Θεὸς δεῖξαι βουλόμενος ἐκείνους, οὓς ἀπηρνήσω μὴ εἶναι Θεοὺς ἀληθεῖς, ἐχαρίσατό σοι τὴν ὑγείαν, ἵνα ἀποθέμενος πάντα τὸν τῶν εἰδώλων φόβον, εἰδέναι ἔχοις, ὡς οὔτε ὑγείαν παρασχεῖν ἐξευμενιζόμενοι δύνωνται, οὔτε μὴν ἀφελέσθαι ἀπεχθανόμενοι. ταύτης τῆς δεισιδαιμονίας τὴν πλάνην καταλιμπάνουσαν τὴν σὴν εὐσέβειαν κατέλιπεν ἡ ἀῤῥωστία. νῦν δὲ πρὸς τὸν παντοκράτορα Θεὸν ἐπανιόντα καταλήψεται δύναμις, ἥττηθῆναι μηδέ ποτε δυναμένη. ἣν ἀρξάμενος σέβειν, ἐγκρατὴς γενήσῃ τῆς τοῦ Δαβὶδ βασιλείας, καὶ τοῦ σοφωτάτου Σολομῶντος. ἔσονται γὰρ μετὰ σοῦ οἱ προφῆται, οἷς ἐλάλησεν ὁ Θεὸς, καὶ πάντα ὅσα ἂν δι' αὐτῶν αἰτήσῃ, λήψῃ· ἔῤῥωσο σεβάσμιε δέσποτα, αἰώνιε, αὐγοῦστε, καὶ υἱὲ τιμιώτατε αἰσίαις ἀποδάσεσι θάλλων.

Accepta igitur suæ matris epistola, imperator Constantinus, eaque lecta, cum probe intellexisset esse Judæorum vafritiem, quæ decipere niteretur parentem suam, per litteras respondit in hæc verba.

Δεξάμενος τοίνυν τὴν ἐπιστολὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος, καὶ ἀναγνοὺς, καὶ μαθὼν ἀκριβῶς εἶναι τὴν τῶν Ἰουδαίων σκαιωρίαν, ἐπὶ τῷ τῆς μητρὸς αὐτοῦ δελεασμῷ, ἔγραψε ταύτην διὰ γραμμάτων, ἔχων τὸν τύπον οὕτως.

EPISTOLA RESPONSORIA CONSTANTINI AD HELENAM.

(*Indidem.*)

Dominæ æternæ, augustæ, Helenæ matri, Constantinus filius, æternus, augustus.

Δεσποίνῃ αἰωνίᾳ, αὐγούστῃ, Ἑλένῃ μητρὶ Κωνσταντῖνος υἱὸς, αἰώνιος, αὔγουστος.

Qui omnium sæculorum moderator est Deus, qui gubernat, et imperat, et vivificat omnes nos; per virtutem quidem suam vitam et respirationem largitur cunctis principibus vero dignatus est mandare, ut hominibus jura sua tribuerent. Quanto igitur sublimiorem locum inter homines obtinemus, tanto humana in nos intenditur spes. Itaque omnium hominum oculi, omnium animi, omnium voluntates, quod nobis visum, fieri volunt, quodque nobis non arridet, evitant. Propterea, domina, æterna, augusta, non solum reprehensibilem, verum etiam commendabilem oportet esse voluntatem nostram, ac revera nihil esse honestum quod non velimus. Quæ autem dixi in nostris posita sunt dispositionibus. At Deum cognoscere, supra aciem mentis nostræ est.

Ὁ τοὺς σύμπαντας αἰῶνας πρυτανεύων Θεὸς ὁ κυβερνῶν καὶ διακρατῶν καὶ ζωοποιῶν πάντας ἡμᾶς· διὰ μὲν τῆς αὐτοῦ δυνάμεως ζωὴν καὶ πνοὴν παρέχει τοῖς σύμπασι, τοῖς δὲ βασιλεῦσι τῆς ἀνθρωπότητος τὸ δίκαιον νέμειν προστάξαι κατηξίωσεν. ὅσῳ οὖν ὑπέρτερον τόπον ἐν οἷς ἀνθρώποις κατέχωμεν, τοσοῦτον ταῖς τῶν ἀνθρώπων ἐκδεχόμεθα προσδοκίαις· τοιγαροῦν πάντων ἀνθρώπων οἱ ὀφθαλμοὶ, πάντων αἱ διάνοιαι, πάντων αἱ βουλαὶ, τὸ ἡμῖν δόξαν θέλουσι, καὶ τὸ ἡμῖν ἀβούλητον ἀποστείνονται· διά τοι τοῦτο, δέσποινα αἰωνία, αὐγοῦστα, οὐ μόνον ἀνεπίληπτον, ἀλλὰ γὰρ καὶ ἐπαινετὸν ὀφείλει ὑπάρχειν ἡμῶν τὸ βούλημα, καί ἀληθῶς μὴ εἶναι καλὸν πᾶν, ὃ μὴ βουλώμεθα. ταῦτα δὲ ἅπερ εἴρηκα, ἐν ταῖς ἡμετέραις ἀπόκεινται διοικήσεσι. Θεὸν δὲ νοῆσαι, ὑπὲρ τὴν ἡμετέραν ἐστὶ διάνοιαν.

Quamobrem quiescat nostræ temeritatis audacia. Conveniunt vero potius in unum Judæorum inspectores, nobis ipsis audientibus, atque de his disputent inter se, ut eorum caussificationibus argumentisque valeamus evidentiam et veritatem agnoscere rectæ fidei. Ita enim ex sanctis scripturis poterimus et illi et nos de veritate fieri certiores, universumque orbem

Διὸ δὴ σχολαζέτω τῆς ἡμετέρας αὐθαδείας ἡ τόλμη, παρήτωσαν δὲ μᾶλλον ἐπὶ τὰ αὐτὰ οἱ τῶν Ἰουδαίων ἐπίσκοποι, ἡμῶν ἀκροωμένων, καὶ περὶ τούτων διαβαλλέτωσαν εἰς ἀλλήλους, ἵνα ταῖς αὐτῶν δικαιολογίαις δυνηθῶμεν τὸ σαφὲς καὶ ἀληθὲς τῆς ὀρθῆς ἐπιγνῶναι πίστεως. οὕτως γὰρ ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν δυνήσονται καὶ ἑαυτοὺς καὶ ἡμᾶς περὶ τῆς ἀληθείας πληροφορῆσαι, καὶ πάντα δὲ τὸν

Digitized by Google

κόσμον ἐπὶ τὴν ὀρθὴν καὶ βεβαίαν προτρέψασθαι πίστιν. A ad rectam firmamque fidem exhortari. Vale, domina, mater, æterna, augusta, felicibus florida eventibus.

ἔρρωσο δέσποινα μήτηρ, αἰωνία, αὐγοῦστα, αἰσίαις ἐκβάσεσι θάλλουσα.

ANNO DOMINI CCCXXX.

EPISTOLA CONSTANTINI AD EPISCOPOS NUMIDARUM.

(*Conc. t.* 1, *col.* 1472, *ed. Col.*)

De Basilica catholicis erepta.

Cum summi Dei, qui hujus mundi auctor et pater est, cujus beneficio vitam carpimus, cœlum suspicimus, humana etiam societate gaudemus, hanc voluntatem esse constet, ut omne humanum genus in commune consentiat, et quodam societatis affectu, quasi mutuis amplexibus glutinetur : non dubium est hæreses et schisma a diabolo, qui caput est malitiæ, processisse. Et ideo quidquid ab hæreticis geritur, B ejus instinctu fieret, qui eorum sensus, mentes, cogitationesque possidet, nulla dubitatio est. Nam cum ejusmodi homines in sua potestate redegerit, iisdem usquequaque dominatur. Quid autem boni efficere insanus, perfidus, irreligiosus, profanus Deo contrarius, Ecclesiæ sanctæ inimicus potest, qui a Deo sancto, vero, justo, summo, atque omnium domino recedens qui nos constituit et in hac luce produxit, qui spiritum ad vitam, quam carpimus, dedit, et qui nos id quod suum esse voluit, et omnia sua voluntate perfecit, ad diaboli partem prono errore decurrit? Sed quia semel possessus animus a malo, necesse est doctoris sui operibus instare, ea perficiat quæ æquitati et justitiæ contraria videantur, ideirco, hi qui a diabolo possessi sunt ejus falsitati et nequitiæ C obsequuntur. Non autem miratum est a bonis improbos discedere. Nam sic recte proverbio signatum est, pares cum paribus congregari ; qui malo impiæ mentis infecti sunt, necesse est a nostra societate dissideant. Homo siquidem malus ut scriptura loquitur, de malo thesauro profert mala : bonus vero ex bono profert bonum. Sed quia, ut dictum est, hæretici et schismatici, qui bonum relinquentes et malum sectantes, ea perficiunt quæ Deo displiceant, diabolo, qui eorum pater est, adprobantur adhærere, rectissime et saplenter gravitas vestra facit, et secundum sanctum fidei præceptum ab eorum perversis contentionibus temperando, et iisdem remittendo quod idem sibi indebitum atque alienum usurpare contendunt : ne, sicuti est eorum perversitas maligna et perfida, D ad seditiones usque prorumperent, et inter turbas atque concentus sui similes incitarent, atque ita aliquid existeret, quod sedari non oporteret. Sceleratum quippe eorum propositum semper requirit diaboli opera perficere. Et ideo cum a sacerdotibus Dei per patientiam cum ipso suo patre superant. Sibi hi qui cultores Dei summi gloriam, illi vero damnationem comparant et condigna supplicia. Ex hoc quippe majus Dei summi existat justiusque judicium, quod eos æquo animo tolerat, et patientia condemnat, his omnia quæ ab ipsis processerunt, sustinendo. Deus siquidem se omnium vindicem promisit. Et ideo cum vindicta Deo permittitur, acrius de inimicis supplicium sumitur. Quod vos nunc famulos et sacerdotes Dei libenter fecisse cognovi, et satis gratulatus sum, quod de impiis et sceleratis, sacrilegis et profanis, perfidis, et irreligiosis, et Deo ingratis, et Ecclesiæ inimicis nullam vindictam poscitis, et ut idem potius ad veniam pertineant, postulatis. Hoc est vere ac penitus Deum nosse, hoc est præceptis insistere, hoc est feliciter credere, hoc est vere sentire, hoc est scire, quod major vindicta in contrarios Ecclesiæ provocetur, cum iisdem in sæculo parcitur. Accepta igitur epistola sapientiæ et gravitatis vestræ, comperi hæreticos sive schismaticos eam basilicam ecclesiæ catholicæ, quam in Constantina civitate jusseram fabricari, solita improbitate invadendam putasse, et frequenter tam a nobis quam a judicibus ex nostra jussione commonitos, et reddere, quod suum non erat, noluisse, vos autem imitatores patientiæ Dei summi, eorum malitiæ placida mente, ea quæ vestra sunt relinquentes, et potius locum vobis invicem alium fiscalem scilicet poscere. Quam petitionem, more instituti mei, libenter amplexus sum, et statim ad rationalem competentes dedi, ut domum bonorum nostrorum transgredi faciat, cum omni jure suo, ad domum ecclesiæ catholicæ, quam prompta liberalitate donavi, ac vobis tradi protinus jussi. In quo tamen loco sumptu fiscali basilicam erigi præcepi ad consularem quoque scribi mandavi Numidiæ, ut ipse in ejusdem Ecclesiæ fabricatione in omnibus sanctimoniam vestram juvaret. Lectores etiam Ecclesiæ catholicæ, et hypodiacones, reliquos quoque instinctu memoratorum quibusdam pro moribus ad munera, vel ad decurionatum vocati sunt, juxta statutum legis meæ ad nullum munus statui evocandos. Sed et eos, qui ducti sunt hæreticorum instinctu, jussimus protinus molestis perfunctionibus absolvi. De cætero etiam legem meam super ecclesiasticos catholicos datam custodiri, mandavi, quæ omnia ut vestræ patientiæ palam fierint, harum litterarum testificatione perscripta sunt. Et utinam quidem hæretici vel schismatici aliquando suæ saluti providerent, et detersis eorum tenebris ad visionem veræ lucis oculos aperirent, et a diabolo secederent, et ad Deum qui unus et verus, qui omnium judex est, vel sero confugerent. Sed quia constat eos in sua malitia manere, et in suis facinoribus mori velle, sufficit iisdem commonitio nostra et præcedens assidua cohortatio. Si enim jussionibus nostris obtemperare voluissent, ab omni malo liberarentur. Nos tamen, fratres, sequamur quæ nostra sunt, mandatis instemus, custodiamus divina præcepta, ex bonis actibus vitam nostram ab erroribus vindicantes, favente Dei misericordia, per rectum limitem dirigamus.

Digitized by Google

ANNO DOMINI CCCXXXII

EPISTOLA CONSTANTINI AD ANTIOCHENOS.

(*Eus. Vit. Const., lib.* III, *c.* 60.)

Hortatur imperator populum Antiochiæ ne Eusebium de sede episcopali Cæsareæ dimoveat.

Victor Constantinus Maximus Augustus, populo antiochensi.

Quam grata est et quam jucunda cunctis hujus sæculi prudentibus ac sapientibus viris vestra concordia. Ego certe vos, fratres, sempiterna benevolentia complecti constitui, tum religionis instituto, tum vivendi ratione, tum studio ac favore vestro provocatus. Hic profecto verus bonorum fructus est, sana mente et prudenti consilio cuncta agere. Quid enim magis vos deceat? Ne miremini igitur si fidem veritatis vobis salutis potius quam odii causam fuisse dixero. Certe inter fratres, quos una eademque animorum affectio, et incessus in recta justitiæ via, in purum sanctumque domicilium Deo duce spondet adscribere, quid spectabilius esse possit, quam omnium bonis concordiæ animo acquiescere? Præsertim cum divinæ legis institutio propositum vestrum ad majorem incitet perfectionem, et nos vestrum judicium optimis decretis confirmari cupiamus. Ac fortasse mirum vobis videbitur, quidnam sibi velit hoc nostri sermonis exordium. Equidem causam ejus rei exponere, nec gravabor nec recusabo. Fateor enim perlegisse me acta, in quibus ex honorificis testimoniis ac præconiis vestris in Eusebium, Cæsariensem Episcopum, quem ego quoque, et doctrinæ et modestiæ causa jamdudum probe novi, vos in eum propensos esse comperi, eumque vobis vindicare velle. Quid tunc existimatis mihi ad recti verique indagationem contendenti, in mentem venisse? Quantam curam ac sollicitudinem ob vestrum illud studium suscepisse me creditis? O fides sancta, quæ per verba ac præcepta Servatoris nostri, veluti expressam quamdam vitæ imaginem nobis exhibes, quam moleste etiam ipsa peccantibus resisteres, nisi ad quæstum et gratiam servire prorsus refugeres. Mihi quidem videtur

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς τῷ λαῷ Ἀντιοχέων.

Ὡς κεχαρισμένη γε τῇ τοῦ κόσμου συνέσει τε καὶ σοφίᾳ ἡ παρ' ὑμῶν ὁμόνοια· καὶ ἔγωγ' ὑμᾶς ἀδελφοί, ἀθάνατον φιλίαν φιλεῖν ἔγνωκα, προκληθεὶς τῷ τε νόμῳ καὶ τῷ βίῳ, καὶ ταῖς σπουδαῖς ταῖς ὑμετέραις. τοῦτ' οὖν ἐστιν ὡς ἀληθῶς, ὀρθῶς τὰ καλὰ καρποῦσθαι, τὸ ὀρθῇ τε καὶ ὑγιεῖ κεχρῆσθαι διανοίᾳ. τί γὰρ ἂν οὕτως ὑμῖν ἁρμόσειεν; οὐκ οὖν θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ τὴν ἀλήθειαν σωτηρίας μᾶλλον ὑμῖν, ἢ μίσους αἰτίαν φήσαιμι. ἐν οὖν τοῖς ἀδελφοῖς ς, οὓς μία τε καὶ ἡ αὐτὴ διάθεσις ὀρθῆς καὶ δικαίας ὁδοῦ πορείᾳ τῷ Θεῷ καταγγέλλεται, εἰς ἁγνήν τε καὶ ὁσίαν ἑστίαν ἐγγράφειν, τί ἂν τιμιώτερον γένοιτο (τοῦ δι' εὐτυχίας) τοῖς πάντων καλοῖς ὁμογνωμονεῖν; μάλιστα ὅπου τὴν πρόθεσιν ὑμῶν, ἡ ἐκ τοῦ νόμου παίδευσις εἰς καλλίω διόρθωσιν φέρει, καὶ τὴν ἡμετέραν οὖν κρίσιν βεβαιοῦσθαι τοῖς ἀγαθοῖς ἐπιθυμοῦμεν δόγμασι. θαμμαστὸν τοῦτο ἴσως ὑμῖν καταφαίνεται. τί δή ποτε τὸ προοίμιόν μοι τοῦ λόγου βούλεται; οὐ δὴ παραιτήσομαι, οὐδ' ἀρνήσομαι τὴν αἰτίαν εἰπεῖν. ὁμολογῶ γὰρ ἀνεγνωκέναι τὰ ὑπομνήματα, ἐν οἷς λαμπραῖς τ' εὐφημίαις καὶ μαρτυρίαις ταῖς εἰς Εὐσέβιον τῶν Καισαρέων Ἐπίσκοπον ὄντα, ὃν καὶ αὐτὸς παιδεύσεώς τε καὶ ἐπιεικείας ἕνεκεν καλῶς τε ἐκ πολλοῦ γινώσκω, ἑώρων ὑμᾶς ἐγκειμένους, καὶ αὐτὸν σφετεριζομένους. τί οὖν ἡγεῖσθέ με πρὸς ἀκριβῆ τοῦ κρείττονος ἐπιζήτησιν ἐπιγινόμενον διεντεθυμῆσθαι; τίνα δὲ ἐκ τῆς ὑμετέρας σπουδῆς ἀνειληφέναι φροντίδα; ὦ πίστις ἁγία, ἡ διὰ τοῦ λόγου καὶ τῆς γνώμης τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, εἰκόνα ὥσπερ ἡμῖν τοῦ βίου δίδως. ὡς δυσχερῶς ἂν καὶ αὐτὴ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἀντιβαίνῃς, εἰ μὴ τὴν πρὸς κέρδος ὑπηρεσίαν ὑρνήσαιο· καὶ ἔμοιγε δοκεῖ αὐτῆς τῆς νίκης περιγενέσθαι, ὁ τῆς εἰρήνης μᾶλλον ἀντιποιούμενος· ὡς ὅπου γέ τοί τινι τὸ πρέπον ἔξιστιν, οὐδεὶς ἂν ὁ μὴ τερπόμενος εὑρεθείη· ἀξιῶ τοίνυν ἀδελφοί, τοῦ χάριν οὕτω διαγινώσκομεν, ὡς θ' ἑτέρους

VALESII NOTÆ.

Οὐκ οὖν θαυμάσαιμ' ἄν. Corruptus est hic locus, cujus sensum assecutus sum prout potui. Ac primo quidem scribendum puto θαυμάσετε. Deinde scribe: οἷς μία τε καὶ αὐτὴ δι' ὀρθῆς τε καὶ δικαίας ὁδοῦ πορείᾳ τῷ Θεῷ κατεπαγγέλλεται, ut scribitur in optimo codice Fuketiano, cui ex parte subscribunt codices Saviliiae Turnebi.

Τί ἂν τιμιώτερον γένοιτο. Post hæc verba Scaliger aliique has voces inseruerunt τοῦ δι' εὐτυχίας, quas etiam in Moræi libro adscriptas inveni. Verum hanc illorum conjecturam probare non possum. Quid enim sibi vult δι' εὐτυχίας? Mallem omino legere: ἢ τοῖς πάντων καλοῖς χαίροντας ὁμογνωμονεῖν. Ait enim Constantinus, non decere Christianos aliorum bonis invidere, et vicinarum civitatum Episcopos, eo quod scientia ac virtute antecellant, a suis Ecclesiis abstrahere. Id enim Antiochenses facere voluerant, qui deposito Eustathio, Eusebium Cæsariensem episcopum sibi antistitem dari postulaverant. In Fuk. codice post verbum γένοιτο punctum in summo apponitur. Deinde legitur τοῦτο δι' εὐτυχίας τοῖς, etc. Nec aliter in libro Turnebi Savilius vero ad oram libri sui ita emendarat: τοῦ δι' εὐτυχίας τῆς πάντων καλῶς ὁμ. Quam lectionem sive ex conjectura, sive ex ms. codice profectam, equidem probare non possum. Malim certe ita legere: Τί ἂν τιμιώτερον γένοιτο τοῦ διευτυχοῦντας τοῖς πάντων καλοῖς ὁμογνωμονεῖν, ut is sensus sit quem supra posui.

Τὴν πρόθεσιν ὑμῶν. Non recte hunc locum cepit Christophorsonus. Intelligit enim Constantinus impetum illum animorum, quo Antiocheni Eusebium sibi episcopum adsciscere proposuerant. Sicut postea per κρίσιν, intelligit judicium quo eumdem elegerant. Lego igitur καὶ τὴν ἡμετέραν οὖν κρίσιν βεβαιοῦσθαι τοῖς ἀγαθοῖς, etc., ut scribitur in Fuk. ac Turnebi libro.

Ἐγκειμένους σφετεριζομένους. In veteribus schedis bibliothecæ Regiæ scribitur ἐγκειμένως, quod valde placet. Sed scripti codices Fuk. Savil. ac Turnebi aliam lectionem præferunt: ἐγκειμένους καὶ σφετεριζομένους.

Ἐπιζήτησιν ἐπιγινόμενον. Non dubito quin scribendum sit: ἐπειγόμενον ἐντεθυμῆσθαι. In codice Fuk. scriptum invent: ἐπιγενόμενον διεντεθυμῆσθαι. Posset etiam scribi ἐπεγειρόμενον.

Αὐτῆς τῆς νίκης περιγενέσθαι. Elegantissima sententia, quam Christophorsonus non intellexit. Mihi quidem, inquit Constantinus, ipsam victoriam vicisse videtur is qui paci maxime studet. Itaque post vocem ἀντιποιούμενος punctum ponendum est, ut habet codex Regius, Fuk. et veteres schedæ.

Digitized by Google

ὕδριν δι' ὧν αἱρούμεθα προστρίψασθαι; τοῦ χάριν ταῦτ' ἐπισπώμεθα, ἃ τὴν πίστιν τῆς ὑπολήψεως ἡμῶν καθαιρήσει; ἐγὼ μὲν οὖν ἐπαινῶ τὸν ἄνδρα, ὃς καὶ ὑμῖν τιμίς τε καὶ διαθέσεως ἄξιος δοκιμάζεται· οὐ μὴν οὕτω γ' ἐξησθενηκέναι τὸ παρ' ἑκάστοις κύριόν τε καὶ βέβαιον ὀφεῖλον μένειν χρή, ὡς μὴ ταῖς ἰδίαις γνώμαις ἕκαστος ἀρκεῖσθαι, καὶ τῶν οἰκείων παντας ἀπολαύειν. ἓν τε ἐφαμίλλῳ διασκέψει, εἰς τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς σύγκρισιν οὐχ' ἕνα μόνον, ἀλλὰ καὶ πλείους ἐκφῆναι. διὸ δὴ οὐδὲν οὕτ' ἐκπλήξεως οὔτε τραχύτητος ἐνοχλούσης ταῖς περὶ τὴν ἐκκλησίαν τιμαῖς, ὁμοίας τε καὶ διὰ πάντων ἐπίσης ἀγαπητὰς εἶναι συμβαίνει. οὐδὲ γὰρ εὔλογον, εἰς ἕτερον πλεονέκτημα ποιεῖσθαι τὴν περὶ τούτου ἐπίσκεψιν. τῆς πάντων διανοίας ἐπίσης, ἄν τ' ἐλάττους, ἄν τε μείζους εἶναι δοκοῖεν, τὰ θεῖα δόγματα ὑποδεχομένης τε καὶ φυλαττούσης. ὡς κατὰ μηδὲν τοὺς ἑτέρους εἰς τὸν κοινὸν νόμον ἐλαττοῦσθαι, εἰ δὴ τἀληθὲς γνώριμον διαῤῥήδην ἀποφαινόμεθα· ὡς οὐ κάθεξιν, ἀλλ' ἀφαίρεσιν μᾶλλον ἂν εἴποι τις ἔσεσθαι τ' ἀνδρὸς. καὶ βίας ἔργον οὐ δικαιοσύνης γενήσεσθαι τὸ γενόμενον. ἄν θ' οὕτως ἄν θ' ἑτέρως τὰ πλήθη φρονῇ, ὡς ἔγωγε διαῤῥήδην καὶ εὐτόλμως ἀποφαίνομαι, ἐγκλήσεως ὑπόθεσιν εἶναι τοῦτο, προκαλουμένην οὐ τῆς τυχούσης στάσεως ταραχήν· ἐπισημαίνουσι γοῦν τὴν τῶν ὀδόντων φύσιν τε καὶ δύναμιν, καὶ ἀρνειοὶ, ὅταν τοῦ ποιμένος τῆς συνηθείας τε καὶ θεραπείας ὑπολισθούσης ἐπὶ τὰ χείρω, τῆς πρὶν διαγωγῆς ἀποστερηθῶσιν. εἰ δὴ ταῦθ' οὕτως ἔχει, καὶ οὐ σφαλλόμεθα, τοῦτο πρῶτον θεάσασθε ἀδελφοὶ· πολλὰ γὰρ ὑμῖν καὶ μεγάλα ἐκ πρώτης ἀπαντήσεται. πρῶτον ἁπάντων, ἡ πρὸς ἀλλήλους γνησιότης τε καὶ διάθεσις, εἰ μηδὲν αὐτῆς ἐλαττωθὲν αἰσθήσεται. εἶθ' ὅτι καὶ δι' ὀρθὴν συμβουλὴν ἀφικόμενος, τὸ κατ' ἀξίαν ἐκ τῆς θείας κρίσεως καρποῦται. οὐ τὴν τυχοῦσαν χάριν εἰληφὼς, τῷ περὶ αὐτοῦ τοσαύτην ὑμᾶς ἐπιεικείας ψῆφον ἐνέγκασθαι· ἐπὶ τούτοις, ὃ τῆς ὑμετέρας συνηθείας ἐστὶν ἀγαθὴ γνώμη, σπουδὴν τὴν πρέπουσαν εἰσενέγκασθε εἰς ἐπιζήτησιν ἀνδρὸς οὗ χρῄζετε, ἀποκλείσαντες πᾶσαν στασιώδη καὶ ἄτακτον βοήν. ἀεὶ γὰρ ἄδικος ἡ τοιαύτη, κἀκτῆς τῶν διαφορῶν συγκρίσεως, σπινθῆρές τε καὶ φλόγες ἐξανίστανται. οὕτως οὖν τῷ Θεῷ τε ἀρίσαιμι καὶ

is victoriam ipsam vicisse, qui pacem magis requirit. Quippe ubi id quod honestum est, licet neminem reperias qui non eo maxime delectetur. Quæso igitur, fratres carissimi, cur id consilium capimus, ex quo injuria in alios redundet? Cur ea consectamur et arcessimus, quæ fidem opinionis nostræ eversura sunt? Equidem virum illum quem vos et honore et benevolentia dignum judicatis, plurimum laudo. Non tamen adeo despici oportet id quod apud singulos ratum firmumque manere debuerat, ut singuli contenti non sint sententiis suis, nec domesticis bonis omnes perfruantur, utque in disquirendis iis qui ex æquo digni sint episcopatu, non dicam unus aut alter, sed plurimi Eusebio pares non proferantur. Etenim cum asperitas et violentia nullam ecclesiasticis honoribus molestiam facessat, omnes similes inter se sunt, et æquali in pretio habendi. Neque enim rationi consentaneum fuerit, ut hujusmodi inquisitio ad aliorum fiat injuriam: quippe cum omnium mentes, sive humiliores sint, sive illustriores, divina decreta ex æquo suscipiant atque custodiant: adeo ut alii, quod quidem ad communem legem pertinet, nullatenus aliis inferiores sint. Quod si veritatem aperte proferre volumus, jure quis dixerit hoc non esse hominem retinère, sed abstrahere, et violentiæ potius id quod agitur opus esse, quam justitiæ. Et sive hoc modo, sive aliter sentit multitudo, ego quidem liquido et audacter affirmo, eam rem criminationibus causam præbere, et ingentis tumultus tempestatem excitare. Nam et agni dentium suorum vim ac robur ostentant, quoties pastoris cura ac sollicitudine in deterius labente, pristina gubernatione se destitutos vident. Quod si hæc ita se habent et nos opinione non fallimur, hoc primum omnium considerate, fratres (multa enim et maxima bona statim ab initio vobis nascentur). Num sincera inter vos charitas atque dilectio, aliquod sui detrimentum passura sit. Deinde vero illud perpendite, virum illum qui boni consilii causa ad vos venerat, debitum sibi honoris fructum ex divino judi-

VALESII NOTÆ.

Ταῖς ἰδίαις γνώμαις ἕκαστος ἀρκεῖσθαι. Id est, suis quisque limitibus contentus sit. Est enim γνώμη limes agrorum, unde Gromatici Scriptores dicti, qui de limitibus agrorum scripserunt. Eadem ratione ὅρος apud Græcos promiscue sumitur, tam pro sententia quam pro limite. Ut enim limes agros, ita sententia lites et controversias terminat. Porro scribendum videtur ἑκάστους ἀρκεῖσθαι. Sequitur enim καὶ τῶν οἰκείων πάντας ἀπολαύειν. Quanquam Fuk. ac Turnebi codex habet πάντων ἀπολαύειν.

Εἰς ἕτερον πλεονέκτημα. Scribendum est εἰς ἑτέρων πλεονέκτημα. Non decet, inquit Constantinus, ut hujusmodi deliberatio de eligendo in Eustathii locum episcopo, aliis injuriam afferat. Nec alias Ecclesias spoliare debetis. Paulo post assentior Scaligero et Christophorsono, qui τῆς πάντων διανοίας emendarunt. Atque ita in Fuk. et Savilii codice et in veteribus schedis scriptum inveni.

Ἄν τ' ἐλάττους, ἄν τε μείζους, id est, sive minoris urbis cujusmodi est Cæsarea, incolæ sint, sive majoris civitatis, cujusmodi est Antiochia. Omnes, inquit, tam μικροπολίται quam magnarum urbium cives, æquales sunt apud Deum. Quare minora oppida non sunt spolianda suis Episcopis. Idem paulo ante dixerat Constantinus: honores Ecclesiasticos similes esse omnes et æquali in pretio habendos.

Εἰς δὴ τἀληθὲς. Hæc ad præcedentem periodum referri possunt. Atque ita post verbum ἀποφαινόμεθα punctum notandum erit, et locus sic vertendus: adeo ut alii, quod quidem ad communem fidem pertinet, nullatenus inferiores sint, siquidem verum aperte volumus dicere. Quamobrem hoc non est hominem retinere, sed abripere, etc. Atque ita locus hic distinguitur in veteribus schedis.

Δι' ὀρθὴν συμβουλὴν ἀφικόμενος. Ex his colligitur, Eusebium nostrum Antiochiam venisse una cum reliquis episcopis, qui Eustathium Antiochenum episcopum in synodo condemnarunt; et Antiochenos post depositionem Eustathii eum penes se detinere voluisse. Hoc est quod supra dixit Constantinus οὐ κάθεξιν, ἀλλ' ἀφαίρεσιν μᾶλλον. Idem tradit Theodoritus in lib. 1, c. 21.

Ὃ τῆς ὑμετέρας συνηθείας. Scribendum puto ὅτι τῆς ὑμετέρας συνηθείας ἐστὶν ἀγαθὴ γνώμη σπουδὴν τὴν πρ. εἰσενέγκασθαι. Subauditur enim ἀπὸ κοινοῦ verbum θεάσασθε. Quod si quis vulgatam lectionem tueri velit, equidem non magnopere repugnabo.

Κἀκτῆς τῶν διαφορῶν συγκρίσεως. Melius, ni fallor, legeretur τῆς τῶν διαφορῶν συγκρούσεως, Id est, ex multorum hominum collisione scintillæ et flammæ excitari solent. Conjecturam nostram codex Fuk. no-

Digitized by Google

cio percipere; quippe qui non vulgari affectus sit beneficio, cum de ejus virtute tam honorificum suffragium tulistis. Postremo vestræ consuetudinis esse, curam ac diligentiam prudenti consilio congruentem adhibere, ut talem virum cujusmodi opus habetis, perquiratis, omni seditioso et immodesto clamore procul amoto. Semper enim hujusmodi clamores injusti sunt, et ex variorum hominum inter se collisione, scintillæ atque incendia excitari solent. Ita Deo et vobis placeam, ita secundum vota vestra vitam degam, ut vos diligo et tranquillum vestræ mansuetudinis portum amo. Ex quo ejectis illis sordibus, cum probis moribus concordiam inducite, firmumque navi signum imponite, cœlestem navigationis cursum gubernaculis, ut ita dicam, ferreis ad lucem ipsam dirigentes. Quocirca incorruptibiles merces in navem imponite. Quidquid enim navem corrumpere poterat, tamquam ex sentina exhaustum est. Proinde operam date, ut his omnibus bonis ita potiamini, ne quid imposterum inconsulto atque inutili studio aut statuisse omnino, aut ab initio aggressi esse videamini. Divinitas vos servet, fratres carissimi.

A ὑμῖν, κατ' εὐχάς τε τὰς ὑμετέρας διαζήσαιμι, ὡς ὑμᾶς ἀγαπῶ, καὶ τὸν ὅρμον τῆς ὑμετέρας πραότητος, ἐξ οὗ τὸν ῥῦπον ἐκεῖνον ἀπωσάμενοι, ἀντεισενέγκατε ἦθει ἀγαθῷ τὴν ὁμόνοιαν, βέβαιον τὸ σημεῖον ἐνθέμενοι, δρόμον τε οὐράνιον εἰς φῶς δραμόντες, πηδαλίοις θ', ὡς ἂν εἴποι τις, σιδηροῖς. διόπερ καὶ τὸν ἄφθαρτον φθαρτὸν ἡγεῖσθε· πᾶν γὰρ τὴν ναῦν λυμαινόμενον, ὥσπερ ἐξ ἀντλίας ἀνάλωται. διὸ δὴ νῦν προνοήσασθε τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ τῶν ἁπάντων οὕτως ἔχειν, ὡς ἂν μὴ δεύτερον ἀβούλῳ καὶ ἀλυσιτελεῖ σπουδῇ ἢ καθόλου τι πῆξασθαι, ἢ τὴν ἀρχὴν ἐπιχειρῆσαι μὴ συμφέρον δοκοίημεν. ὁ Θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

EPISTOLA II CONSTANTINI AD EUSEBIUM.

(*Eus., Vit. Const., lib.* III, *c.* 61.)

Laudatur S. Episcopus quod Antiochiam recusaverit.

Victor Constantinus Maximus Augustus Eusebio.

Epistolam tuam sæpius legi, et ecclesiasticæ disciplinæ regulam accuratissime observatam a te cognovi. Enim vero in ea sententia perstare, quæ et Deo accepta et apostolicæ traditioni congrua esse videatur, summæ pietatis est. Tu quidem beatum te in hoc ipso existimare debes, qui totius propemodum orbis testimonio, dignus universæ Ecclesiæ episco-

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς Εὐσεβίῳ.

Ἀνέγνων πληρέστατα τὴν ἐπιστολήν. καὶ τὸν κανόνα τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐπιστήμης εἰς ἀκρίβειαν φυλαχθέντα κατενόησα· ἐμμένειν γοῦν τούτοις ἅπερ ἀρεστά τε τῷ Θεῷ, καὶ τῇ ἀποστολικῇ παραδόσει σύμφωνα φαίνεται, εὐαγές. μακάριον δὴ σαυτὸν καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ νόμιζε, ὡς τῇ τοῦ κόσμου παντὸς, ὡς ἔπος εἰπεῖν, μαρτυρίᾳ, ἄξιος ἐκρίθης πάσης ἐκκλησίας ἐπίσκοπος εἶναι. εἰ γὰρ

VALESII NOTÆ.

bis tandem confirmavit, in quo diserte scribitur τῆς τῶν διαφορῶν συγκρούσεως.

Ἐξ οὗ τὸν ῥύπον ἐκεῖνον ἀπωσάμενοι. Christophorsonus hunc locum ita vertit: *Ex quo portu sordibus seditionis præteritæ ejectis, pacato mentis statu concordiam in earum locum inducite.* Vera in ea versione, multa sunt quæ probare non possum. Primo enim quod per ῥύπον ἐκεῖνον sordes seditionis intelligit, non placet. Mihi quidem videtur Constantinus innuere causam illam, propter quam depositus fuerat Eustathius; stuprum videlicet cujusdam mulierculæ, de quo Theodoritus in lib. I historiæ. Idem etiam significat Constantinus paulo post, ubi dicit: Πᾶν γὰρ τὴν ναῦν λυμαινόμενον, ὥσπερ ἐξ ἀντλίας ἀνάλωται. Id est, quidquid navim corrumpebat, tandem ex sentina exhaustum est. Ubi tamen Christophorsonus *sordes seditionis* iterum interpretatur. Verum quomodo sordes de seditione dici possint, equidem non video. De stupro vero quod Eustathio objiciebatur, quin optime dicantur nemo dubitare potest. Est autem hic metaphora a portibus, qui purgari solent, quoties luto et cujusque modi ruderibus oppleti sunt. Jam vero verba illa ἐξ οὗ, posset aliquis interpretari adverbialiter: atque ita legendum esset, ἀντεισενέγκατε, quod certe non displicet. Ita, inquit Constantinus, Deo placeam ut vos amo, et vestræ lenitatis portum diligo, postquam ejectis illis sordibus concordiam cum probis moribus induxistis. Certe hic sensus valde mihi arridet præ vulgata lectione. Jam enim concordes erant Antiochenses, et pacata erat seditio, tunc cum hæc scriberet Constantinus, ut patet ex initio hujus Epistolæ.

Δρόμον τε οὐράνιον εἰς φῶς δραμόντες. Scribendum puto δρόμον οὔριον. Est enim metaphora a navigatione. Sic οὔριος δρόμος apud Sophoclem pro felici cursu navigationis; et οὐριοδρομοῦσα ναῦς a Græcis

B dicitur, quæ secundo fertur vento.

Τὸν ἄφθαρτον φθαρτὸν ἡγεῖσθε. Tota hæc Epistola passim corrupta est; sed præcipue hæc clausura mendis scatet. Quid enim sibi volunt hæc verba? Ego non dubito quin legendum sit ἄφθαρτον φόρτον ἄγετε. Utitur enim hic Constantinus perpetua metaphora a navigatione, et Christianos comparat negotiatoribus qui mercaturæ causa navigant. Pergite, inquit, felici cursu ad lumen æternum, vexillo crucis in navibus vestris erecto, et incorruptas merces in navem imponite. Jam enim quidquid navem corrumpere poterat, exhaustum est. Ita levi ac prope nulla mutatione facta, elegans et apertus jam sensus existit.

C Τοῦ τῶν ἁπάντων. Scribendum videtur una voce τούτων, quomodo etiam Savilius in suo codice emendarat. In Fuk. codice legitur ἀπόλαυσιν τῶν ἁπάντων. Finis autem hujus Epistolæ sic restituendus videtur, ἢν καθόλου τι πράξασθαι, ἢν τὴν ἀρχὴν ἐπιχειρῆσαι μὴ συμφέρον δοκοίητε. Quam lectionem in versione mea secutus sum. Vocat autem Constantinus ἄβουλον σπουδήν, studium quod Antiochenses erga Eusebium declaraverant, cum eum sibi Episcopum ambirent. Potest etiam intelligi studium Antiochensium erga Eustathium, cujus abdicationem ægre ferentes, seditionem concitaverant. In manuscriptis codicibus Fuk. Sav. et Turnebi hic locus ita scribitur: ἐπιχειρῆσαι ὃ μὴ συμφέρον εἶναι ἡμεῖς δοκοίημεν. Sed planior est scriptura quam in veteribus schedis reperimus, ἐπιχειρῆσαι μὴ συμφέρον δοκοίημεν.

Πάσης ἐκκλησίας ἐπίσκοπος εἶναι. Baronius ad annum Domini 324 numero 145 hæc verba sic exponit: Ecclesiæ, inquit, Antiochenæ curam vocat Constantinus Episcopatum totius Ecclesiæ, quod Antiochia metropolis esset totius Orientis. Verum, quod pace summi viri dictum sit, alius videtur esse sensus hō-

Digitized by Google

ποθοῦσιν ἅπαντες εἶναί σε παρ' αὐτοῖς ταύτην σοι τὴν εὐδαιμονίαν ἀναμφισβητήτως συναύξουσιν· ἀλλ' ἡ σὴ σύνεσις, ἧγουν τάς τε ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ καὶ τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα καὶ τῆς ἐκκλησίας φυλάττειν ἔγνωκεν, ὑπέρευγε πεποίηκε, παραιτουμένη τὴν Ἐπισκοπίαν τῆς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν ἐκκλησίας. ἐν ταύτῃ δέ διαμεῖναι σπουδάζουσα, εἰς ἣν ἐκ πρώτης Θεοῦ βουλήσει τὴν Ἐπισκοπίαν ὑπεδέξατο. περὶ δὴ τούτου, πρὸς τὸν λαὸν ἐπιστολὴν ἐποιησάμην, πρὸς τε τοὺς ἄλλους συλλειτουργούς, οἳ καὶ αὐτοί περὶ τούτων ἐτύγχανόν μοι γεγραφηκότες. ἅπερ ἡ σὴ καθαρότης ἀναγνοῦσα, ῥᾳδίως ἐπιγνώσεται, ὅτι τῆς δικαιοσύνης ἀντιφθεγγομένης αὐτοῖς, προτροπῇ τοῦ Θείου πρὸς αὐτοὺς ἔγραψα. ὧν τῷ συμβουλίῳ, καὶ τὴν σὴν σύνεσιν παρεῖναι δεήσει, ὡς ἂν τοῦτο ἐπὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας τυπωθείη. ὁ Θεός σε διαφυλάξοι, ἀδελφὲ ἀγαπητέ.

patu judicatus sis. Nam cum omnes te apud se episcopum esse ambiant, hanc tuam felicitatem sine controversia adaugent. Verum rectissime fecit prudentia tua, quæ et mandata Dei, et apostolicam atque ecclesiasticam regulam custodire statuit, episcopatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, et in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandatu ab initio suscepisset. Porro hac de re ad populum litteras dedi, et ad collegas tuos, qui quidem etiam ipsi de iisdem rebus ad me scripserant. Quas ubi sanctitas tua perlegerit, facile cognoscet, me, quoniam refragari ipsis justitia videbatur, divini numinis impulsu ad eos scripsisse. Eorum consilio etiam prudentiam tuam interesse oportebit, ut hoc ipsum in Antiochenorum Ecclesia constituatur. Divinitas te servet, frater carissime.

EPISTOLA II CONSTANTINI AD MACARIUM.

(*Eus., Vit. Const., lib.* III, *c.* 52, 53.)

De loco Palestinæ qui vocatur Mambre.

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς, Μακαρίῳ καὶ τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις Παλαιστίνης.

Victor Constantinus Maximus Augustus, Macario et cæteris episcopis Palæstinæ.

I. Ἓν καὶ τοῦτο μέγιστον τῆς ὁσιωτάτης μου κηδεστρίας γέγονεν εἰς ἡμᾶς εὐεργέτημα, τὸ λανθάνουσαν μέχρι νῦν παρ' ὑμῖν ἐναγῶν ἀνθρώπων ἀπόνοιαν, διὰ τῶν πρὸς ἡμᾶς γνωρίσαι γραμμάτων. ὡς τῆς πρεπούσης ἐπανορθώσεως καὶ θεραπείας, εἰ καὶ βραδέως, ἀλλ' ὅμως ἀναγκαίως, δι' ἡμῶν τὸ παροφθὲν ἁμάρτημα τυχεῖν. καὶ γάρ ἐστιν ὡς ἀληθῶς δυσσέβημα παμμίγεθες, τοὺς ἁγίους τόπους ὑπὸ τῶν ἀνοσίων χραίνεσθαι μιασμάτων. τί οὖν ἐστιν ἀδελφοὶ προσφιλέστατοι, ὃ τὴν ὑμετέραν παρελθὸν ἐγχίνοιαν, ἡ προειρημένη διὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον εὐλάβειαν οὐχ οἷα τε γέγονεν ἀποσιωπῆσαι.

I. Sanctissimæ socrus meæ vel hoc unum maximum erga vos beneficium est, quod sceleratorum quorumdam nefariam audaciam, quæ apud vos hactenus occulta fuerat, suis ad nos datis litteris indicavit: ut quod diu neglectum est crimen, etiamsi sero, attamen necessario competenti cura et animadversione a nobis emendetur. Est enim revera impietas gravissima, ut loca sancta detestandis piaculis inquinentur. Quidnam vero illud est, fratres carissimi, quod cum vestram subterfugerit solertiam, nostra, ut diximus, socrus ob divini cultus reverentiam tacere non potuit?

Quod Servator noster ibidem visus est Abrahæ.

II. Τὸ χωρίον ὅπερ παρὰ δρῦν τὴν Μαμβρῆ προσαγορεύεται, ἐν ᾧ τὸν Ἀβραὰμ τὴν ἱστίαν ἐσχηκέναι μανθάνομεν.

II. Locus ille qui ad quercum Mambre vocitatur, in quo Abrahamum habitasse comperimus, fertur a su-

VALESII NOTÆ.

rum verborum. Nam cum omnes civitates Eusebium Episcopum habere vellent, ut paulo post testatur Constantinus, omnium consensu dignus erat Eusebius totius orbis episcopatu.

Ἧγουν τάς τε ἐντολάς. In codice Fuketii et Savilii scriptum est εἴπερ τάστε ἐντολάς. Malim tamen scribere ἤπερ τάς τε, etc. Paulo ante ubi legitur σύμφωνα φαίνεται, codex Fuketii et Savilii addunt εὐαγές.

Τῆς ὁσιωτάτης μου κηδεστρίας. In hujus loci interpretatione lapsi sunt omnes Interpretes Portesius, Musculus et Christophorsonus, qui *curam et sollicitudinem* verterunt, quasi legeretur κηδεμονίας. Atqui Constantinus de socru sua loquitur, Eutropia videlicet Syra, ex qua genita erat Fausta uxor Constantini. κηδέστρια enim Græce *socrum* significat, ut docent glossæ veteres in quibus ita legitur κηδεστὴς *socer*, κηδέστρια *socrus*. Certe quæ sequuntur verba, explicationem nostram aperte confirmant. Sequitur enim διὰ τῶν πρὸς ἡμᾶς γνωρίσαι γραμμάτων. Litteras intelligit quas Eutropia socrus ad ipsum miserat. Quare repudianda est emendatio Christophorsoni, qui πρὸς ὑμᾶς corrigit. Sed et quæ proxime sequuntur verba, idipsum satis significant: ἡ προειρημένα διὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον εὐλάβειαν, etc. Quis enim dixerit de cura et sollicitudine ἡ προειρημένη *supradicta cura et sollicitudo*. Frigidum prorsus id esset atque ineptum. At in versione nostra omnia plana sunt et aperta. Nam ἡ προειρημένη est supradicta socrus, quæ pro sua pietate ac religione tantum scelus dissimulare non potuit, sed Constantino genero per litteras indicavit, ut huic malo tandem mederetur. Erat igitur Eutropia Christiana, ut ex hoc loco discimus. Sed et filia ejus Fausta Christianam fidem professa est, et una cum Constantino viro suo in templo Apostolorum sepulta. Porro non omittendum est, quod ad oram codicis Regii adnotatum inveni. Illic enim e regione vocis κηδεστρίας, scholii vice adscribitur γένεσιρα; quasi Constantinus matrem suam Helenam intelligat, quod non probo. Certe Sozomenus socrum imperatoris Constantini fuisse dicit, quæ cum ad quercum Mambre venisset, et Gentilium piacula illic deprehendisset, rem ad Constantinum retulit. Eum vide in lib. II, cap. 3.

Εἰς ἡμᾶς εὐεργέτημα. Malim scribere εἰς ὑμᾶς, quanquam vulgata lectio ferri potest. Sed et initium hujus Epistolæ trajectis leviter vocabulis ita legi mallem, ἓν τοῦτο καὶ μέγιστον, etc.

Τὸ χωρίον παρὰ δρῦν τὴν Μαμβρῆ. Hic locus etiam dicebatur Terebinthus, distans triginta circiter millibus passuum ab urbe Hierosolyma, ut docet auctor Itinerarii Hierosolymitani, qui vixit temporibus Constantini Magni: *Inde Terebintho, millia* 9, *ubi Abraham habitavit et puteum fodit sub arbore Terebintho, et cum angelis locutus est et cibum sumpsit. Ibi basilica facta est jussu Constantini miræ pulchritudinis. Inde Terebintho Chebron; millia* 2 *ubi est memoria per quadrum ex lapidibus miræ pulchritudinis, in qua positi sunt Abraham, Isaac, Jacob, etc.* Sozomenus quoque in lib. II, cap. 3, locum illum Terebinthum vocari scribit. Sic autem dictus est hic locus ab arbore Terebintho, quæ illic omnium vetustissima et jam inde ab ipso mundi exordio esse dicebatur, teste Josepho in libro 5 de bello Judaico. Quanquam alii baculum esse dicebant unius ex Angelis qui Abrahæ apparuerunt

Digitized by Google

perstitiosis quibusdam hominibus omni modo contaminari. Nam et simulacra omni digna exitio juxta illam arborem erecta esse; et aram proxime exstructam, et impura sacrificia assidue illic peragi, ad nos relatum est. Quod quoniam et alienum a temporibus nostris, et ipsius loci sanctimonia indignum videtur, sciat Gravitas Vestra mandatum a nobis esse per litteras Acacio viro perfectissimo, Comiti et amico nostro, ut sine ulla dilatione et simulacra omnia quæ memorato in loco reperta fuerint, igni tradantur, et ara funditus evertatur: Utque omnes qui post jussionem nostram impium aliquid admittere eo loco ausi

A μεν, παντοίως ὑπό τινων δεισιδαιμόνων μιαίνεσθαί φασιν· εἴδωλά τε γὰρ παντοίας ἐξωλείας ἄξια παρ' αὐτὴν ἱδρύσθαι, καὶ βωμὸν ἐδήλωσε πλησίον ἱστάναι, καὶ θυσίας ἀκαθάρτους συνεχῶς ἐπιτελεῖσθαι. ὅθεν ἐπειδὴ καὶ τῶν καιρῶν τῶν ἡμετέρων τῷ κράτει ἡμετέρῳ ἀλλότριον, καὶ τῆς τοῦ τόπου ἁγιότητος ἀνάξιον καταφαίνεται, γινώσκειν ὑμῶν τὴν σεμνότητα βούλομαι, δεδηλῶσθαι παρ' ἡμῶν πρὸς ἀκάκιον τὸν διασημότατον κόμητα καὶ φίλον ἡμῶν, γράμματι, ἵν' ἄνευ τινὸς ὑπερθέσεως, καὶ τὰ εἴδωλα ὅσα δ' ἂν ἐπὶ τοῦ προειρημένου εὑρίσκοιτο τόπου, πυρὶ παραδοθῇ, καὶ ὁ βωμὸς ἐκ βάθρων ἀνατραπῇ. καὶ πᾶσι τοῖς τολμῶσι τιμωρίας ἄξιον, μετὰ τὴν ἡμετέραν κέλευσιν,

VALESII NOTÆ.

ex quo in terram defixo Terebinthus enata est. Ita Georgius Syncellus in Chronico. Mirum vero est, cum quercus ibidem fuerit sub qua Abraham tabernaculum posuerat, ut legitur in cap. 18 Geneseos, cur locus ipse a Terebintho potiusquam a quercu nomen acceperit.

B νοις. Illustris locus, qui sententiam Scaligeri prorsus evertit; nostram vero explicationem egregie confirmat. Ait enim Eusebius Terebinthum ipsam et angelos ab inimicis nostris illic superstitiose coli; inimicos vocans Gentiles ac Judæos. Citat hunc Eusebii locum etiam Damascenus lib. III de Imag.

Εἴδωλά τε γὰρ παντοίας ἐξωλείας ἄξια. Simulacra Angelorum intelligo qui Abrahæ illic apparuerant. Hæc enim simulacra colebant Gentiles. Sed et Terebinthum ipsam iidem Gentiles venerebantur, ut docet Eusebius in libro 5. Demonstrationis cap. 9. Quem quidem locum perperam accepit Scaliger in animadversionibus Eusebianis, pag. 192. Putavit enim Terebinthum illam summo honore a Christianis cultam fuisse, ejusque rei auctorem citat Eusebium. Verum Eusebius eo loco de Gentilibus loquitur, non de Christianis. Postquam enim dixit: Ὅθεν εἰσέτι καὶ νῦν παρὰ τοῖς πλησιοχώροις, ὡς ἂν θεῖος ὁ τόπος θρησκεύεται, καὶ θεωρεῖταί γε εἰς δεῦρο διαμένουσα ἡ τερέβινθος. Subdit ὅτε τε τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἐπὶ γραφῆς ἀναπέμενοι, δύο μὲν ἑκατέρωθεν, μέσος δὲ ὁ κρείττων ὑπερέχων τῇ τιμῇ· εἷς δ' ἂν ὁ δεδηλωμένος ἡμῖν κύριος αὐτὸς, ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, ὃν καὶ οἱ ἀγνῶτες σέβουσι. *Visitur illic Terebinthus, quæ etiamnum manet, et qui ab Abrahamo hospitio excepti sunt Angeli illic in tabula picti sunt, et medius inter hos cæteris longe prestantior et honoratior, ipse scilicet Dominus et Servator noster, ut supra dixi; quem quidem illi nescientes venerantur.* Vides Eusebium hic aperte loqui de Gentilibus, qui Christum ignorabant. Neque enim de Christianis hoc dici potest. Confirmat autem sententiam nostram Sozomenus in lib. II. c. 3, ubi de mercatu illo ad Terebinthum prolixe disserit. Scribit enim, æstivo tempore quotannis eo convenisse ex Palæstina, Phœnice et Arabia Judæos simul et Christianos ac Gentiles, partim commercii, partim religionis causa; et singulos suo ritu festivitatem celebrasse. Nam Gentiles, inquit, angelos adorabant; hostias et libamina iis offerentes. Erant igitur illic angelorum simulacra, quibus pagani victimas immolabant. Hieronymus de locis Hebraicis ubi de Arbochita scribit: *Quercus Abraham quæ et Mambre usque ad Constantini Regis tempora ibidem monstrabatur, et mausoleum ejus impræsentiarum cernitur. Cumque a nobis jam ibidem Ecclesia ædificata sit, a cunctis in circuitu gentibus Terebinthus superstitiose colitur, eo quod sub ea angelos Abraham quondam hospitio susceperit.* Multa hic de suo addidit Hieronymus. Eusebius enim ipse in libro de locis Hebraicis hæc tantum habet: Ἀρβώ. αὕτη ἐστὶ χεβρὼμ κώμη νῦν μεγίστη, μητρόπολις οὖσα τὸ παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων, καὶ γιγάντων οἰκητήριον, καὶ βασίλειον μετὰ ταῦτα Δαβίδ. κεκλήρωτο δὲ φυλὴ Ἰούδα, καὶ πόλις ἦν ἡ ἱερατική, μία τῶν φυγαδευτηρίων· αἰλίας ἐκ νότου διεστῶσα σημείοις β. πρὸς εἴκοσι. ἡ δρὺς Ἀβραὰμ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι θεωρεῖται, καὶ θρησκεύεται ἐπιφανῶς πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡ τερέβινθος, καὶ οἱ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες ἄγγελοι· πρότερον δὲ ἀρβὼ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη χεβρών; ἀπὸ χεβρών ἑνὸς τῶν υἱῶν Καλὲβ ὡς ἐν Παραλειπομέ-

Μιαίνεσθαί φασιν. Rectius in codice Regio, Fuk. et in schedis Regiis scribitur *μιαίνεσθαί φησιν*. Subauditur enim ἡ κηδίστρια.

Καὶ βωμὸν ἐδήλωσε. Supple ἡ κηδίστρια. *Retulit*, inquit, *Constantinus ad nos socrus nostra aram illic esse, in qua impura sacrificia offerantur.* De hac ara loquitur Eustathius in Hexameron, quam ait adhuc stetisse suo tempore ut et ipsam Terebinthum. Ex quo apparet, hoc Eustathii opus scriptum esse antequam Constantinus aram illam subverti jussisset. Sozomeni quidem ætate, nec ara nec arbor Terebinthus stabat. Mansit tamen superstitio Gentilium eo in loco, ut testatur Hieronymus. Adeo difficile est superstitionis fibras penitus evellere. Non omittenda sunt quæ de hoc scribit C Antoninus Martyr in itinerario. *De Bethleem*, inquit, *usque ad radicem Mambre sunt millia viginti quatuor: in quo loco requiescunt Abraham, Isaac et Jacob et Sara, simul et Joseph ossa. Est ibi basilica ædificata per quadrum, et atrium in medio discoopertum: et per medium cancellum ex uno latere intrant Christiani, ex alio vero Judæi, incensa deferentes multa. Nam depositio Jacob et David in terra illa, die primo post Natalem Domini devotissime celebratur, ita ut ex omni terra Judæorum conveniat multitudo, incensa deferens et luminaria. Et dant munera et serviunt ibidem.* Adde Hieronymum in epithaphio Paulæ.

Τῶν καιρῶν τῶν ἡμετέρων τῷ κράτει ἡμετέρῳ ἀλλότριον. Quatuor priora verba expunxit Christophorsonus, absuntque a Codice Regio, Fuk. et Sav. Verum si mei arbitrii res esset, mallem equidem sequentia verba expungere τῷ κράτει ἡμετέρῳ, quæ ad priorum interpretationem scholii vice addita fuisse mihi videntur. Καιρούς tempus imperii eleganter Græci dicunt. Porro D Imperatores id præcipuo studio ambibant, ut temporum suorum felicitas et clementia celebraretur. Nihil frequentius occurrit apud Latinos Historicos, et in legibus imperatorum. Apud Philostratum in libro 2. de vitis Sophistarum, ubi de Heliodoro loquitur, hæc vox corrupta est. Cum enim Heliodorus orationem exorsus esset coram Imperatore, ait Philostratus Imperatorem subito assurrexisse et retinendam censeo. *O Virum cui similem nondum vidi, O decus et ornamentum meorum temporum:* τῶν ἐμαυτοῦ καιρῶν εὕρημα. Sic enim legendum est. Eadem voce utitur Constantinus in Epistola ad Hæreticos, quæ legitur in fine hujus libri. Proinde vulgatam lectionem retinendam censeo. Verba autem illa τῷ κράτει τῷ ἡμετέρῳ transposita sunt, et locanda post vocem ἐπειδή.

Καὶ φίλον ἡμῶν. In codice Fuk. et Schedis Regiis legitur φίλον ἡμέτερον.

Τιμωρίας ἄξιον. Lego τιμωρίας ἄξιον ἦ. Id est, capitale sit. Quare hic nihil opus est emendatione Christophorsoni. Aliter tamen scripti codices Fuk. Sav. ac

Digitized by Google

ἀσεβές τι ἐν τῷ τοιούτῳ τόπῳ πραχθῆναι· ὃν καθαρῷ βασιλικῆς οἰκοδομήματι κοσμεῖσθαι διετάξαμεν, ὅπως ἁγίων ἀνθρώπων ἄξιον συνέδριον ἀποδειχθῇ. εἰ δέ τι παρὰ τὸ προσταχθὲν γενέσθαι συμβαίη, χωρὶς τινος μελλήσεως τῇ ἡμετέρᾳ ἡμερότητι δι' ὑμετέρων δηλαδὴ γραμμάτων γνωρισθῆναι πρέπει· ἵνα τὸν ἁλισκόμενον, ὡς παρανομήσαντα, τὴν ἀνωτάτω κόλασιν ὑποστῆναι προστάξωμεν. οὐ γὰρ ἀγνοεῖτε, ἐκεῖ πρῶτον τὸν τῶν ὅλων δεσπότην θεὸν καὶ ὦφθαι τῷ Ἀβραὰμ, καὶ διειλέχθαι. ἐκεῖ μὲν οὖν πρῶτον ἡ τοῦ ἁγίου νόμου θρησκεία τὴν καταρχὴν εἴληφεν· ἐκεῖ πρῶτον ὁ σωτὴρ αὐτὸς μετὰ τῶν δύο ἀγγέλων, τὴν ἑαυτοῦ ἐπιφάνειαν τῷ Ἀβραὰμ ἐπεδαψιλεύσατο· ἐκεῖ τοῖς ἀνθρώποις ὁ Θεὸς ἤρξατο φαίνεσθαι· ἐκεῖ τῷ Ἀβραὰμ περὶ τοῦ μέλλοντος αὐτῷ σπέρματος προηγόρευσε. καὶ παραχρῆμά γε τὴν ἐπαγγελίαν ἐπλήρωσεν· ἐκεῖ πλείστων ὅσων ἐθνῶν ἔσεσθαι αὐτὸν πατέρα, προεκήρυξεν· ὧν οὕτως ἐχόντων, ἄξιόν ἐστιν ὡς γέ μοι καταφαίνεται, διὰ τῆς ὑμετέρας φροντίδος, καὶ καθαρὸν ἀπὸ παντὸς μιάσματος τὸν τόπον τοῦτον φυλάττεσθαι, καὶ πρὸς τὴν ἀρχαίαν ἁγιότητα ἀνακαλέσασθαι, ὡς μηδὲν ἕτερον ἐπ' αὐτοῦ πράττεσθαι. ἥ τὴν πρέπουσαν τῷ παντοκράτορι καὶ σωτῆρι ἡμῶν καὶ τῶν ὅλων δεσπότῃ θεῷ τελεῖσθαι θρησκείαν. ὅπερ μετὰ τῆς δεούσης προσῆκον ὑμᾶς φυλάττειν φροντίδος, εἴ γέ μοι τὰ καταθύμια τῆς θεοσεβείας ἐξαιρέτως ἠρτημένα, ὥσπερ οὖν πέπεισμαι, ἡ ὑμετέρα σεμνότης πληροῦσθαι βούλεται. ὁ θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

A fuerint, debito supplicio afficiantur. Quem quidem locum puro basilicæ ædificio exornari præcepimus, ut idoneus sanctis viris consessus efficiatur. Quod si quid adversus præceptum nostrum geri contigerit absque mora ad clementiam nostram litteris vestris illud referri oportebit, ut quicumque deprehensus fuerit, tanquam violatæ legis reus extremo supplicio afficiatur. Neque enim ignoratis, universorum Dominum ac Deum illic primum Abrahæ visum eumque eo collocutum esse. Illic sacrosanctæ legis observantia primum cœpit. Illic primum Servator ipse una cum duobus angelis præsentiæ suæ copiam Abrahæ fecit. Illic Deus primum hominibus apparuit. Illic Abrahæ de futura ipsius progenie prædixit, atque illico pollicitationem implevit. Illic multo ante nun-
B tiavit, plurimarum gentium patrem atque auctorem ipsum futurum. Quæ cum ita sint, æquum esse videtur ut locus ille nostra cura ac diligentia, tum ab omni piaculo purus conservetur; tum in pristinam sanctitatem restituatur, ut inposterum præter cultum omnipotenti Deo ac Servatori nostro omnium Domino congruentem, nihil in eo loco peragatur. Quod quidem cum debita sollicitudine a vobis convenit observari, si quidem voluntatem meam, quæ ex Dei cultu præcipue dependet, adimplere, uti confido, gravitas vestra desiderat. Divinitas vos servet fratres carissimi.

EPISTOLA CONSTANTINI AD SYNODUM TYRIAM.

(*Eus., Vit. Const., l.* IV, *c.* 62.)

Episcopis suadet imperator ne Eusebius Cæsarea abstrahatur.

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος Σεβαστὸς Θεοδότῳ, Θεοδώρῳ, Ναρκίσσῳ, Ἀετίῳ, Ἀλφείῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις, τοῖς οὖσιν ἐν Ἀντιοχείᾳ.

C *Victor Constantinus Maximus Augustus, Theodoto, Theodoro, Narcisso, Aetio, Alpheo, et reliquis episcopis qui sunt Antiochiæ.*

1. Ἀνέγνων τὰ γραφέντα παρὰ τῆς ὑμετέρας συνέσεως, Εὐσεβίου τε τοῦ ἅμα ὑμῖν ἱερωμένου τὴν ἔμφρονα πρόθεσιν ἀπεδεξάμην. ἐπιγνούς τε τὰ πεπραγμένα σύμπαντα, τοῦτο μὲν τοῖς ὑμετέροις γράμμασι, τοῦτο δὲ τοῖς Ἀκακίου καὶ Στρατηγίου τῶν διασημοτάτων, διάσκεψίν τε τὴν δέουσαν ποιησάμενος, πρὸς τὸν λαὸν τῶν Ἀντιοχέων ἔγραψα, ὅπερ ἀρεστόν τε τῷ Θεῷ ἦν καὶ ἁρμόζον τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀντίγραφόν τε τῆς ἐπιστολῆς ὑποταχθῆναι τοῖς γράμμασι τούτοις ἐνετειλάμην, ὡς ἂν καὶ αὐτοὶ γινώσκοιτε ὅ, τι ποτὲ ἐτῷ τοῦ δικαίου λόγῳ προσκληθεὶς πρὸς τὸν λαὸν γράψαι προειλόμην. ἐπειδὴ τοῦτο τοῖς γράμμασιν ὑμῶν περιείχετο, ὥστε κατά γε τὴν τοῦ λαοῦ καὶ τὴν τῆς ὑμετέρας προαιρέσεως σύνεσίν τε καὶ βούλησιν, Εὐ-
D

1. Legi litteras a vestra sanctitate scriptas, et Eusebii collegæ vestri prudens propositum magnopere laudavi. Cumque cuncta quæ gesta sunt partim ex vestris, partim ex perfectissimorum virorum, Acacii et Strategii comitum litteris cognovissem, remque ut decebat accurate expendissem, scripsi ad populum Antiochenum, quid Deo acceptum et Ecclesiæ congrum esset. Ejus epistolæ exemplum his litteris subjici præcepi, ut et vos cognoscere possitis, quidam ego juris ratione provocatus scripserim ad populum Antiochenum, quandoquidem hoc litteris vestris continebatur, ut juxta populi et prudentiæ vestræ suffragium ac voluntatem, Eusebius sanctissimus Cæsariensium episcopus

VALESII NOTÆ.

Turnebi, quos hic sequi præstat. Paulo post scribe ex codice Fuk. Ὃν δὴ καθαρῷ βασιλικῆς, etc.

Προσῆκεν ὑμᾶς φυλάττειν. lego προσῆκον, vel προσήκει, ut legisse videtur Christophorsonus. In schedis Regiis scriptum reperi προσῆκον, ut conjeceram.

Θεοδότῳ. Hic Theodotus episcopus erat Laodiceæ in Syria; Narcissus vero ep scopus Neroniadis in Cilicia; Actius episcopus Lyddæ in Palæstina: omnes Arianarum partium fautores. Qui cum Antiochiam venissent una cum Eusebio Nicomediensi et Eusebio Cæsariensi, Eustathium deposuerunt, ut scribit Theodoritus in libro I historiæ cap. 21. Aetius tamen ad orthodoxorum partes postmodum se recepit, teste Philostorgio in lib. 3, cap. 12 et Athanasio. Jam Alpheus Apameæ in Syria episcopus, Theodorus denique Sydonis in Phœnice antistes nominantur inter episcopos qui Nicænæ synodo subscripserunt. De Theodoto loquitur etiam Athanasius in libro de synodis Arimini et Seleuciæ.

Ἀκακίου καὶ στρατηγίου. De Acacio Comite Orientis ni fallor, Constantinus supra in Epistola ad Macarium Hierosolymorum Episcopum. Strategius vero is est, qui alio nomine Musonianus dictus, de quo multa notavi ad lib. XVI Amm. Marcellini. Missus fuerat Antiochiam ab imperatore Constantino ad sedandum tumultum, ut dixit Eusebius supra.

Τῷ τοῦ δικαίου λόγῳ προσκληθείς. Malim scribere προκληθείς.

Προαιρέσεως σύνεσιν. Libentius legerim συναίρεσεως προαίρεσιν. Porro ex his verbis quæ a Christophorsono male accepta sunt, apparet Episcopos qui Antiochiæ convenerant, a Constantino per litteras petiisse, ut

Digitized by Google

Οὕτω μὲν οὖν τέλος ἔσχεν ἡ συσκευή, καὶ οἱ Μελιτιανοὶ καταισχυνθέντες ἀπεστράφησαν· οἱ δὲ περὶ Εὐσέβιον οὐδ' οὕτως ἠρέμησαν· ἔμελε γὰρ αὐτοῖς οὐ τῶν Μελετιανῶν, ἀλλὰ τῶν περὶ Ἄρειον, καὶ ἐφοβοῦντο μὴ παυσαμένων ἐκείνων, μηκέτι τοὺς ὑποκρινομένους εὕρωσι, δι' ὧν τοῦτο εἰσαγαγεῖν δύνωνται. παροξύνουσι τοίνυν πάλιν τοὺς Μελετιανούς, καὶ πείθουσι τὸν βασιλέα σύνοδον αὖθις ἐν Τύρῳ πελεῦσαι γενέσθαι, καὶ Κόμης Διονύσιος ἀποστέλλεται, καὶ στρατιῶται δορυφόροι δίδονται τοῖς περὶ Εὐσέβιον. καὶ ὁ μὲν Μακάριος δέσμιος διὰ στρατιωτῶν πέμπεται εἰς Τύρον, ἐμοὶ δὲ γράφει καὶ ἀνάγκην ἐπιτίθησιν, ὥστε καὶ ἀέκοντας ἡμᾶς ἀποστέλλεσθαι (3). τὴν μὲν οὖν πᾶσαν συσκευὴν γνῶναι δυνατόν, ἐξ ὧν ἔγραψαν οἱ ἐπίσκοποι τῆς Αἰγύπτου. πῶς δὲ παρ' αὐτῶν ἐξ ἀρχῆς συνετέθη, ἀναγκαῖον ἂν εἴη λέγειν· καὶ γὰρ ἐντεῦθεν θεωρεῖν τὴν κακονθείαν καὶ τὴν πανουργίαν ἔνεστιν. ἐπίσκοποί εἰσιν ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ἐγγὺς ἑκατόν· οὐδεὶς τούτων ἡμᾶς ᾐτιάτο, οὐ πρεσβύτερος ἐμέμφετο, οὐ τῶν λαῶν τις κατελάλει, ἀλλ' οἱ Μελετιανοὶ οἱ ἀπὸ Πέτρου ἐκβληθέντες, καὶ οἱ Ἀρειανοὶ ἦσαν οἱ τὴν ἐπιβουλὴν μερισάμενοι, καὶ οἱ μὲν τὸ κατηγορεῖν, οἱ δὲ τὸ δικάζειν ἑαυτοῖς ἐξεδίκευν· ἡμεῖς μὲν οὖν παρητούμεθα τοὺς μαὶ Εὐσέβιον ὡς ἐχθροὺς διὰ τὴν αἵρεσιν ὄντας. ἔπειτα τὸν λεγόμενον κατήγορον μὴ εἶναι πρεσβύτερον ὅλως ἐδείκνυμεν οὕτως. ὅτε Μελέτιος ὑπεδέχθη, ὡς μήποτ' ὤφελον, γνώσκων αὐτοῦ τὴν πανουργίαν ὁ μακαρίτης Ἀλέξανδρος, ἀπῄτησεν αὐτὸν βρεβίον (4) ὧν ἔλεγεν ἔχειν ἐπισκόπων ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, καὶ εἴ ἔχει τινὰς ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῆς. ταῦτο δὲ πεποίηκεν ὁ πάπας Ἀλέξανδρος, ἵνα μὴ Μελέτιος λαβὼν τὴν τῆς ἐκκλησίας παῤῥησίαν, πωλήσῃ

(1) Ita Reg. Editi vero, μελλῆσαι male.
(2) Reg. διαφυλάξει.
(3) Ita Reg. Editi autem ἐπιστέλλεσθαι minus recte.

(4) Reg. βρευίον, id est Catalogum. S. P. Benedictus Regulæ, c. 32 : *Ex quibus Abbas breve teneat*, id est, Catalogum. Infra item βρευίον in eodem ms. communius tamen scribitur βρεβίον.

Digitized by Google

πολλοὺς, καὶ ψεύσηται καθημέραν ὑπόβάλλων οὓς βούλεται. τῶν μὴν οὖν ἐν Αἰγύπτῳ πεποίηκε τὸ βρεβίον τοῦτο.

A haberet in Alexandrino agro : quod eo egit consilio Alexander Papa, ut ne Meletius, Ecclesiæ potestate confidenter assumpta, multas venderet ordinationes, neu quotidie mendaciis suis novos pro libidine subjiceret. Eorum igitur qui in Ægypto essent e suis, hoc breviarium edidit. (*Vid. hoc. Brev. Athan. Apol.*, p. 187.)

EPISTOLA CONSTANTINI AD CATHOLICOS ALEXANDRINÆ ECCLESIÆ.

(*Conc. t.* II, p. 441.)

Κωσταντῖνος μέγιστος Σεβαστὸς, τῷ λαῷ τῷ κατ' Ἀλεξάνδρειαν καθολικῆς ἐκκλησίας.

Ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, προσαγορεύω ὑμᾶς, ἐπικαλούμενος τὸ Θεὸν τὸν τῆς ἐμῆς βουλήσεως μέγιστον μάρτυρα, καὶ τὸν τοῦ ἡμετέρου νόμου μονογενῆ δημιουργὸν, ὃς καὶ τῆς ζωῆς προκαθέζεται τῶν ἁπάντων καὶ τὰς διχονοίας μισεῖ. πλὴν τί ἂν εἴποιμι ὅτι καλῶς ὑγιαίνομεν, ἀλλ' ἐξῆν καλλίονος ἀπολαῦσαι τῆς εὐρωστίας, εἰ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀμοιβαδεῖς ἠγαπᾶτε, ἀποσεισάμενοι τὰ μίση, δι' ὧν ταῖς τῶν ἐρεσχηλούντων τρικυμίαις, B τὸν λιμένα τῆς ἀγάπης ἐγκατελίπομεν. φεῦ τῆς ἀτοπίας ταύτης ὅσα καθ' ἑκάστην ἡμέραν συμπτώματος τοῦ συγκεχυμένου φθόνου κινεῖται. οὕτω πρὸς τὸν λαὸν τοῦ Θεοῦ μετῳκίσθησαν αἱ δυσφημίαι. ποῦ τοινῦν τῆς δικαιοσύνης ἡ πίστις ἀνακεχώρηκεν; ὅπου γε εἰς τοσοῦτον τῇ τοῦ σκότους ἄχλυϊ περιβεβλήμεθα, οὐ μόνον διὰ τὴν πολύπλοκον πλάνην, ἀλλὰ καὶ διὰ τὰ τῶν ἀχαρίστων ἐλαττώματα, τῶν μὲν τὴν ἄνοιαν βραβευόντων ἀνεχόμεθα, τῶν δὲ τὴν ἐπιείκειαν καὶ τὴν ἀλήθειαν διακρουσμένων αἰσθανόμενοι παρενθυμούμεθα. τί τὸ δεινὸν τοῦτο τῆς ἡμετέρας κακίας; τοὺς ἐχθροὺς οὐκ ἐλέγχομεν, ἀλλ' ἑπόμεθα τῷ λῃστηρίῳ, δι' οὗ ὁδόν τινα ἑαυτῇ, ἵν' οὕτως εἴπω, ἡ τῆς ἀπωλείας ἀπάτη μηδενὸς ἀντικειμένου ῥᾳδίως εἰργάσατο. ἆρα οὐδεμία ἐστὶν αἴσθησις, οὐδὲ κατὰ χάριν τῆς κοινῆς ἁπάντων φύσεως, εἴ γε τῶν τοῦ νόμου προσταγμάτων ἐμελήσαμεν; ἀλλ' ἐρεῖ τις, Κατὰ φύσιν ἡ ἀγάπη ἐξευρίσκεται, τί οὖν ὅτι ἡμεῖς C καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ νόμον πρὸς τῇ εὐφυίᾳ σχόντες, ἀνεχόμεθα τῆς ὀχλήσεως καὶ τοῦ θορύβου τῶν ἐχθρῶν πυρσοῖς τισιν ὡς ἔοικεν ἐξαπτομένων, καὶ οὐχ' ὁρῶμεν ὀφθαλμοὺς ἔχοντες, οὐδὲ αἰσθανόμεθα, καίτοι ταῖς τοῦ νόμου αἰσθήσεσιν ὄντες πεφραγμένοι· ὁπόση ἄρα πτόησις τὴν ἡμετέραν ζωὴν κατείληφεν, ὅπου γε ἡμῶν ἑαυτῶν οὕτως ἀμελοῦμεν, καὶ ταῦτα ὑπομιμνήσκοντος τοῦ Θεοῦ; εἶτα, οὐκ ἔστιν ἀφόρητον τὸ κακόν; οὐ πολεμίους ἡγεῖσθαι προσήκει τούτους; οὐ τὸν οἶκον καὶ τὸν λαὸν τοῦ Θεοῦ, ἐμπαροινοῦσιν ἡμῖν καὶ ἐγκαλοῦσί γε οἱ πανώλεις ἐκεῖνοι καὶ ἐπιπλήσσουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων ἡμῖν; μεθ' ὅσης δὲ ἀπονοίας τοῦτο πράττουσιν, ὑμᾶς αὐτοὺς ἐννοεῖν ἀξιῶ. οἱ γὰρ μωροὶ ἐπὶ τῆς γλώττης κειμένην ἔχουσι τὴν κακίαν. οὗτοι γοῦν μολιβδίνας τινὰς ὀργὰς περιφέρονται, ὡς ἑαυτοὺς μὲν κατ' ἀντίδοσιν πλήττειν, ἡμᾶς δὲ πρὸς κέρδος τῆς οἰκείας κολάσεως ἀπάγειν, καὶ ὁ μὲν καλῶς διδάξας, πολέμιος κρίνεται, ὁ δὲ τὴν φθόνου κακίαν προβεβλημένος ἐκεῖνος τὴν τοῦ λαοῦ ἡμερότητα, οὐδὲ ὄντος καταλαμβάνει, πορθεῖ, καταναλίσκει, καὶ ἑαυτὸν κακοθελεῖ, ἐγκωμίῳ κοσμεῖ καὶ συντίθησι, τὴν δὲ ἀλήθειαν ἀνατρέπει καὶ τὴν πίστιν ἀπατᾷ μέχρις οὗ τῷ οἰκείῳ συνειδότι, φωλεὸν καὶ κρυπτηρίαν ἐπιζητήσας εὕρῃ. αὕτη γοῦν αὐτοὺς ἡ σκαιότης ἀθλίους ποιεῖ, ὅταν προπετῶς ἑαυτοὺς ἀναξίους ὄντας ἀποδέχωνται, λέγοντες, φεῦ τῶν κακῶν, Ἐκεῖνος πρεσβύτερός ἐστι, καὶ ἐκεῖνος παῖς; ἐμοῦ ἅπτεται ἡ τιμὴ, ἐμοὶ ὀφείλεται. ἐκείνου περιαιρεθῇ, ἐπεὶ αὐτὸς μαυτῷ ἀφαρπάσας ἅπαντας, ἐπ' ἐξουσίας ἀπολέσει πειράσομαι. Λαμπρά τις ἡ τῆς μανίας ἐκβόησις, τάγματα καὶ συλλόγους, ἢ ἵν' οὕτως εἴπω ἀρχιερεσίαν τῶν ἀτόπων τούτων

Constantinus Maximus Augustus populo catholicæ per Alexandriam Ecclesiæ.

Dilecti fratres, saluto vos, invocans Deum, summum meæ voluntatis testem, et nostræ legis creatorem, qui omnium vitæ præsidet, et discordias odit. Verum quidnam potissimum dicam? An scilicet nos bene valere? Verum id quidem, sed multo felicius agere liceret, si vos mutuo, excussis odiis, amaretis : rixosorum enim hominum procellis occurrere debemus, quod portus dilectionis a vobis relictus sit. O rem absurdam! Vah! quantæ quotidie calamitates per invidiam omnia miscentem existunt! unde fit ut populus Dei infamia laboret. Quo igitur justitiæ fides recessit, cum tantarum tenebrarum caligine obvolvamur? neque id tam ex errore, qui multiplex est, quam malignorum hominum vitiis, dum et propugnatores verecundiæ sustinemus, et eos qui æquitatem et veritatem profligant, etiam cum id sensibus nostris percipiamus, negligendos putemus. Quodnam id genus nostræ perversitatis, si inimicos non reprehendimus, sed latrocinio nos comites damus? Unde fit ut viam quamdam sibi facillime straverit, nemine repugnante, perniciosissima fraus. Nullusne tandem sensus est ne pro dotibus quidem communis omnium naturæ, si legis præcepta contemnenda duximus? Sed dixerit aliquis : Saltem charitas, prout ductus naturæ est, reperitur. Admodum scilicet, qui et Dei lege, et bono ingenio instructi, toleramus tamen inimicos turbationum et tumultuum facibus quasi incendia miscere : idque neque oculis præditi cernimus, neque legis sententia imbuti sentimus. Quantus igitur stupor nostram vitam incessit, cum nostrimet tam incurii simus, etiam Deo admonente?

Quid igitur, num id mediocre aut tolerabile malum est? Num pro hostibus habendi sunt? Nonne in domum et populum Dei ante oculos nostros per sævitiam debacchantur, et probra jaciunt scelerati illi? Jam quanta id cum vesania faciant, vobis ipsis cogitandum relinquo. Stulti enim illi in lingua sua sitam habent malitiam, plumbeasque iras ita secum circumferunt, ut seipsos mutuis vicibus feriant, et nos secum ad auctarium sui supplicii abstrahant. Interim qui recta docet, hostis judicatur, qui autem invidiæ vitium præ se fert, populum mansuetum (quod minime oportuit) invadit, devastat, absumit, et semetipsum ultro corrumpit, gloriatur, extollit, veritatem subvertit, et fidem circumvenit, donec suæ conscientiæ cavernam et latibulum quæritando inveniat. Ferocitas igitur agrestis eos miseros facit, qui ita temere semetipsos, cum indigni sint, efferant, inclamantes : Hem scelera! illene presbyter est, aut

Digitized by Google

illene puer? Mea existimatio attingitur, mihi hoc ipsum debetur, ab illo ablatum est. Ego igitur omnibus spoliatis pro viribus nocebo. Luculentum insaniæ tumultum dicas, si acies, conciliabula aut comitia istorum importunissimorum conventum videas. O nostram in ecclesiam Dei perversitatem, spectaculumque maligni et dementis animi! Nunquamne tandem pudefient? nunquamne semetipsi improbabunt? nonquamne in animo morsus sentient, ut vel nunc saltem contra imposturam et rixas dignum aliquid animo concipiant et sentire videantur? Vis sola invidiæ est, suis fucis et pigmentis inniteus. Sed tamen nihil mali isti adversus episcopum vestrum potuere. Mihi credite, fratres, nihil aliud studio habent, quam afflictis nostris temporibus nullum sibi locum pœnitentiæ in hac vita relinquere.

A συστημάτων ἰδεῖν. εἰ τῆς ἀσεβείας ἡμῶν ἵν' οὕτως εἴπω, ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, ἀνοίας ἐστὶν ἐπίδειξις. εἶτα, οὐκ αἰδοῦνται; οὐκ αὐτοὶ ἑαυτοὺς ψέγουσιν; οὐδὲ τὰς ψυχὰς δάκνονται, ἵνα νῦν γοῦν καταντικρὺ τῆς ἀτάκτης καὶ τῆς ἀρισχηλίας ἄξιόν τι φρονεῖν δόξωσι; βία μόνη ἐστὶ τοῦ φθόνου τοῖς ἰδίοις ἐπεισεδομένη φαρμάκοις· οὐδὲν ἴσχυσαν εἰ πονηροὶ κατὰ τοῦ ἐπισκόπου ὑμῶν ἐμοὶ πιστεύσατε ἀδελφοὶ, οὐδὲν ἕτερον ἐστοχάσαντο, ἢ ἵνα κατατρίψοντες τοὺς ἡμετέρους χρόνους, μὴ δὲ μίαν χάριν ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ μεταμελείας ἔχωσιν. ἐπικουρήσατε τοίνυν ὑμῖν αὐτοῖς, φαρμακῶν τὸ φίλτρον τὸ ἡμέτερον, ἀγαπήσατε, καὶ παντὶ σθένει διώξατε τοὺς τὴν τῆς ἡμετέρας, ὁμονοίας, χάριν ἀφανίζειν ἐπιθυμοῦντας, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ἐπιδόντες, ὑμᾶς αὐτοὺς ἀγαπᾶτε. ἐγὼ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον Ἀθανάσιον, ἀσμένως προσηκάμην, οὕτως τε προσορθιγξάμην, ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν Θεοῦ ὅτα σεσεισμένος. ὑμέτερόν B ἐστι ταῦτα συνιέναι, οὐκ ἐμὸν κρίνειν. τὸν γὰρ παρ' ἐμοῦ πρόσρησιν, αὐτὸν Ἀθανάσιον ὑμῖν διακονήσασι τὸν αἰδεσιμώτατον ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἀνυσίων τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἐπιεικείας αὐτοῦ, ἥτις οὐκ ἀνοξίως τῆς εἰρηνικῆς μου πίστεως, εἰς τὸ ἀγαθὸν τείνουσα σωτηριώδους γνώμης κατέχεται διὰ παντὸς, καὶ ἕξει τὸν προτρέποντα λογισμόν. ὁ Θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

Ipsi igitur vobismetipsis auxilio estote: obtestor charitatem vestram, ipsi vos invicem diligite, et omni ope pro vestra concordia istos persequamini qui vestram concordiæ gratiam demoliri student: Deumque præ oculis habentes, in mutua charitate consistite. Ego enim episcopum vestrum Athanasium libenter recepi, eumque ut virum Dei allocutus sum. Vestri autem est, non mei judicii, ea de re cognoscere. Quantum autem attinet ad officium salutationis, colloquiique cum reverendissimo Athanasio, idoneum eum necessariumque arbitratus sum, qui vobis in sacris minister esset; ea est hominis in æquitate tuenda sedulitas: non indigna profecto, nec inepta nostræ pacificæ religioni, ut quæ dotes salutaris sententiæ semper foveat, et rationis adhortamenta sequatur. Deus vos conservet, dilecti fratres.

EPISTOLA CONSTANTINI HONORIFICE ARIUM AD SE ACCERSENTIS.

(*Conc. t.* II, *p.* 443.)

Jamdudum tuæ gravitati significatum est, ut ad C mea castra venires, quo posses nostro aspectu frui: unde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non extemplo factum fuerit. Jam igitur publico curru conscenso, nostra castra adire propera, ut nostram benignitatem et studium erga te expertus, in patriam redire queas. Deus te conservet, charissime. Data ad quintum Kalendas Decembris.

Νικητὴς Κωνσταντῖνος Μέγιστος, Σεβαστὸς.

Πάλαι μὲν ἐδηλώθη τῇ στερρότητί σου, ὅπως ἂν εἰς τὸ ἐμὸν στρατόπεδον ἥκοις, ἵνα τῆς ἡμετέρας θέας ἀπολαῦσαι δυνηθείης. θαυμάζομεν δὲ σφόδρα, μὴ παραχρῆμα τοῦτο πεποιηκότα. διόπερ νῦν ἐπιβὰς ὀχήματος δημοσίου, εἰς τὸ ἡμέτερον στρατόπεδον ἥκειν ἐπείχθητι, ὅπως ἂν τῆς παρ' ἡμῶν εὐμενείας τὸ καὶ ἐπιμελείας τυχὼν, ἐπὶ τὴν πατρίδα εἰκίσθαι δυνηθῇς. ὁ Θεός σε διαφυλάττοι, ἀγαπητέ. ἐδόθη τῇ πρὸ πέντε καλανδῶν δεκεμβρίων.

EPISTOLA CONSTANTINI DE SYNODO TYRI CELEBRANDA.

(*Conc. t.* II, *p.* 449.)

Victor Constantinus Maximus Augustus ad sanctam synodum Tyri congregatam.

Erat fortasse consentaneum, et ad præsentis temporis opportunitatem maxime accommodatum, carere omni contentione Ecclesiam catholicam, et Christi servos ab omnibus rixis solutos ac liberos esse. Sed quoniam nonnulli sceleratæ cujusdam contentionis furore incitati, ac (ne quid gravius dicam) vitam sua professione indignam agentes, omnia turbare et miD scere conati sunt (quod scelus super omnem calamitatem mihi sane positum esse videtur), propterea vos vestra (ut est in proverbio) sponte currentes hortor, ut nulla interposita mora, sed omni qua possitis celeritate, in unum locum confluentes, synodum instituatis, et egentibus opem feratis, in periculo positis fratribus medicinam adhibeatis, divulsa membra ad consensionem revocetis, errata omnia interea emendetis, dum ipsum tempus ferat, ut hisce tantis provinciis quæ maxime decet concordiam restituatis,

Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῇ κατὰ Τύρον.

Ἦν μὲν ἴσως ἀκόλουθον καὶ τῷ τῶν καιρῶν εὐκαιρίᾳ μάλιστα πρέπον ἀστασίαστον εἶναι τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ πάσης λοιδορίας τοὺς τοῦ Χριστοῦ νῦν ἀπηλλάχθαι θεράποντας. ἐπειδὴ δ' οὐχ ὑγιοῦς φιλονεικίας οἴστρῳ τινὲς ἐλαυνόμενοι, οὐ γὰρ ἂν εἴποιμι βιοῦντες ἑαυτῶν ἀναξίως τὰ πάντα συγχέειν ἐπιχειροῦσιν, ὅπερ πάσης συμφορᾶς ἐπέκεινα κεχωρηκέναι μοι δοκεῖ, τούτου χάριν θέοντας ὑμᾶς, τὸ τοῦ λόγου, προτρέπομαι χωρίς τινος ὑπερθέσεως εἰς ταὐτὸ συνδραμεῖν. καὶ πληρῶσαι τὴν συνόδον, ἐπαμῦναι τοῖς χρῄζουσιν ἐπικουρίας τοὺς ἀδελφοὺς ἰατρεῦσαι κινδυνεύοντας, εἰς ὁμόνοιαν ἐπαναγαγεῖν τὰ διεστῶτα τῶν μελῶν, διορθώσασθαι τὰ πλημμελούμενα ὡς καιρὸς ἐπιτρέπει· ἵνα ταῖς τοσαύταις ἐπαρχίαις τὴν πρέπουσαν ἀποδῶτε συμφωνίαν, ἣν, φεῦ τῆς ἀτοπίας, ἐλαχίστων ἀνθρώπων ἀπώλεσεν ὑπερηφία. ὅτι δὲ τοῦτο καὶ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων Θεῷ ἐστιν ἀρεστὸν, καὶ ἡμῖν πάσης εὐχῆς ὑπέρτερον, καὶ ὑμῖν αὐτοῖς, ἐάν γε τὴν εἰ-

Digitized by Google

ρήνην ἐπικαλέσησθε, οὐ τῆσγε τυχούσης ἕξιον εὐδοξίας, ἅπαντας ἀνθρώπους συνομολογεῖν ἡγοῦμαι. μὴ τοίνυν μέλλετε λοιπόν· ἀλλ', ἐπιτείνοντες ἐντεῦθεν ὅθεν τὰ τῆς προθυμίας, τοῖς προκειμένοις ὅρων ἐπιβῆναι σπουδάσατε τὸν προσήκοντα, μετὰ πάσης εἰλικρινείας δηλαδὴ καὶ πίστεως συνελθόντες. ἣν ἑκασταχοῦ μονονουχὶ φωνὴν ἀφεὶς ὁ σωτὴρ ἐκεῖνος ᾧ λατρεύομεν, ἀπαιτεῖ μάλιστα. παρ' ἡμῶν δὲ οὐδὲν τῶν εἰς τὴν ἐμὴν εὐλάβειαν ἡκόντων ἐνδεήσει. πάντα μοι πέπρακται, ὅσα γράφοντες ἐδηλώσατε. ἀπέστειλα οὖν πρὸς οὓς ἐβουλήθητε τῶν Ἐπισκόπων, ἵνα παραγενόμενοι, κοινωνήσωσιν ὑμῖν τῶν φροντισμάτων. ἀπέστειλα Διονύσιον τὸν ἀπὸ ὑπατικῶν, ὃς καὶ τοὺς ὀφείλοντας εἰς τὴν σύνοδον ἀφικέσθαι μεθ' ὑμῶν, ὑπομνήσει, καὶ τῶν πραττομένων, ἐξαιρέτως δὲ τῆς εὐταξίας κατάσκοπος παρέσται. ἐὰν γάρ τις, ὡς ἐγὼγε οὐκ οἶμαι, τὴν ἡμετέραν κέλευσιν καὶ νῦν διακρούσασθαι πειρώμενος, μὴ βουληθῇ παραγενέσθαι, ἐντεῦθεν παρ' ἡμῖν ἀποσταλήσεται, ὃς ἐκ βασιλικοῦ προστάγματος αὐτὸν ἐκβαλὼν, ὡς οὐ προσῆκον ὅροις αὐτοκράτορος ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐξενεχθεῖσιν μὴ ἀντιτείνειν, διδάξει. λοιπὸν ἔσται τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος ἔργον ὁμογνώμονι κρίσει, μήτε πρὸς ἀπέχθειαν, μήτε πρὸς χάριν, ἀκολούθως δὲ τῷ ἐκκλησιαστικῷ καὶ Ἀποστολικῷ κανόνι, τοῖς πλημμεληθεῖσιν εἴτουν κατὰ σφάλμα συμβεβηκόσι, τὴν ἁρμόττουσαν θεραπείαν ἐπινοῆσαι· ἵνα καὶ πάσης βλασφημίας ἐλευθερώσητε τὴν Ἐκκλησίαν καὶ τὰς ἐμὰς ἐπικουφίσητε φροντίδας, καὶ τὴν τῆς εἰρήνης χάριν τοῖς νῦν στασιαζομένοις ἀποδόντες, μεγίστην εὔκλειαν ὑμῖν αὐτοῖς προξενήσητε. ὁ Θεὸς ὑμᾶς διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

quam paucorum hominum delevit arrogantia. Nam hoc et Deo totius hujus universitatis domino gratum, et nobis quavis re vel optatissima magis jucundum, et vobis ipsis, si concordiam et pacem revocaveritis, magnæ gloriæ, vel omnium mortalium judicio consensuque futurum, plane arbitror. Nolite igitur cunctari, sed acerrimo studio his omnibus decet terminis præsentes controversias definite, ut pote qui cum omni puritate et fide coitis, quam in omni cœtu prope clarissima voce Salvator noster, cui servimus, in primis flagitat. Nihil vero, quod est nostrarum partium, nostræque prudentiæ, deerit : nam quæ litteris mihi vestris significastis, omnia curavi : scripsi ad quos volebatis episcopos, ut vestras curas et sollicitudines præsentia et laboribus suis adjuvarent.

Misi etiam Dionysium consularem, ut omnium rerum gerendarum eos admoneat qui vestræ synodo adesse debent, maxime vero, ut idem animadversor sit et custos conservandæ æquabilitatis et ordinis. Quod si quis (quod equidem non futurum arbitror) rejectos et spreto mandato nostro adesse noluerit, delegabimus aliquem, qui regia illum auctoritas in exilium ejectum docebit, hominem minime decere summi imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare. De cætero vestræ Sanctitatis partes sunt, non odio, vel gratia ulla, sed consentientibus studiis, secundum ecclesiasticam et apostolicam regulam, omnibus erratis errore aliquo admissis propriam curationem adhibere ut omni aliena contumelia Ecclesiam liberetis, et meas curas allevetis, et rebus turbatis per vos constitutis maximam vobis ipsi gloriam comparetis. Deus vos conservet, fratres dilecti.

MENTIO DE EPISTOLA CONSTANTINI AD DALMATIUM.

Hoc ubi rescriptum (inquit Athanasius, Apol. cont. Ar.) Ischyras dedisset (1), nihilo tamen minus eam denuo ubique pervulgant criminationem, ad ipsumque detulerunt imperatorem Constantinum, qui jam pridem accusationem de confracto calice Psammathiæ nobis præsentibus audierat et inimicorum deprehenderat calumniam. Tum vero litteras Antiochiam ad Dalmatium censorem misit, cui homicidii causam audiendam committebat.

(1) Scilicet epistolam in qua Ischyras, Athanasio scribens, suas de eo calumnias retractabat, imo et excusare conabatur ut pote violenter sibi ab inimicis sancti viri elicitas.

LIBELLUS FIDEI AB ARIO ET EUZOIO IMPERATORI CONSTANTINO OBLATUS.

(*Conc. t.* II, *p.* 464.)

Τῷ εὐλαβεστάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ δεσπότῃ ἡμῶν βασιλεῖ Κωνσταντίνῳ, Ἄρειος καὶ Εὐζώιος.

Religiosissimo sanctissimoque domino nostro imperatori Constantino Arius et Euzoius.

Καθὼς προσέταξεν ἡ θεοφιλής σου εὐσέβεια, δέσποτα βασιλεῦ, ἐκτιθέμεθα τὴν ἑαυτῶν πίστιν, καὶ ἐγγράφως ὁμολογοῦμεν περὶ Θεοῦ οὕτω πιστεύειν καὶ αὐτοί, καὶ οἱ σὺν ἡμῖν, ὡς ὑποστάπται.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν,, πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν ἐξ αὐτοῦ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον Θεὸν λόγον, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα, καὶ παθόντα, καὶ ἀνεστάντα, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, τὴν ἀπὸ περάτων ἕως περάτων. ταύτην δὲ τὴν πίστιν παρειλήφαμεν ἐκ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, λέγοντος τοῦ κυρίου τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς. Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη,

Nos quidem, sicut singularis tua erga Deum pietas, domine imperator, in mandatis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus, et de Deo cum ipsi, tum cæteri qui nobiscum sunt, ita credere confitemur, ut sequitur :

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Dominum Jesum Christum filium ejus, ex ipso ante omnia sæcula genitum Deum Verbum, per quem omnia facta sunt, tum quæ in cœlis, tum quæ in terris : qui descendit, et incarnatus est, et passus est, et resurrexit, et ascendit ad cœlos, et iterum venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. In carnis resurrectionem. In vitam venturi sæculi. In regnum cœlorum. In unam catholicam Ecclesiam Dei, ab una orbis terrarum ora ad alteram usque se porrigentem.

Digitized by Google

Hanc fidem a sacrosanctis Evangeliis accepimus, ipso Domino suis discipulis dicente: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Si vero ista non credimus, sicut universa catholica Ecclesia et scripturæ docent, quibus quidem omnino fidem adhibemus; judex noster Deus sit in præsentia, et in futuro judicio. Quapropter tuam pietatem obsecramus, imperator sanctissime, ut quoniam viri ecclesiastici sumus, et sensum tum ecclesiæ, tum sacrarum litterarum tenemus, nos pro tua sanctimonia, quæ et pacem conciliat, et Deum auguste veneratur, controversiis omnibus et inanibus argutiis sublatis, matri nostræ Ecclesiæ scilicet adjungas: uti et nos et ecclesia tranquille vitam degentes, inter nos mutuo pro pacato et pio regni tui statu, et pro universo hominum genere omnes communiter consuetas preces peragamus. A βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· Πῶς πᾶσα καθολικὴ ἐκκλησία, καὶ αἱ γραφαὶ διδάσκουσιν, αἷς κατὰ πάντα πιστεύομεν. κριτὴς ἡμῶν ἐστιν ὁ Θεὸς, καὶ νῦν, καὶ ἐν τῇ μελλούσῃ κρίσει. διὸ παρακαλοῦμέν σου τὴν θεοσέβειαν, θεοφιλέστατε βασιλεῦ, ἐκκλησιαστικοὺς ἡμᾶς ὄντας, καὶ πίστιν, καὶ τὸ φρόνημα τῶν ἁγίων γραφῶν ἔχοντας ἐνοῦσθαι ἡμᾶς διὰ τῆς εἰρηνοποιοῦ σου καὶ θεοσεβοῦς εὐσεβείας, τῇ μητρὶ ἡμῶν, τῇ ἐκκλησίᾳ δηλαδὴ, περιῳρημένων τῶν ζητημάτων καὶ περισσολογιῶν· ἵνα καὶ ἡμεῖς καὶ ἡ ἐκκλησία εἰρηνεύσαντες, μετ' ἀλλήλων τὰς συνήθεις ἐυχὰς, ὑπὲρ τῶν εἰρηνικῆς σου βασιλείας, καὶ παντὸς τοῦ γένους σου κοινῇ πάντες ποιησώμεθα.

APPENDIX
AD OPERA CONSTANTINI.

EPISTOLA MELCHIADI FALSO ADSCRIPTA
Seu testimonium de munificentia Constantini erga primitivam Ecclesiam.
(*Conc. t.* 1, *p.* 1562.)

Nemo, qui divinas Scripturas legit, ignorat, quod in principio nascentis ecclesiæ discipuli in unum congregati sunt cum multitudine credentium, in quibus erat cor unum et anima una, quique vendentes prædia et possessiones suas, afferebant pretia, et dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Futuram namque ecclesiam in gentibus apostoli prævidebant, maximeque quia Dominus prædixerat: *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium.* Vel quia expellendos se noverant a Judæa, et in gentibus dispergendos, Ecclesiamque congregandam ex rudi populo; idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes. At vero cum inter turbines et adversa mundi succresceret Ecclesia, eo usque pervenit, ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem sub suo degentes imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare ecclesias, et prædia tribuere posse constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa contulit, et fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit: adeo ut sedem imperialem, quam Romani principes possederant, relinqueret, et beato Petro, suisque præsulibus profuturam concederet. Idem vero B

SEVERINI BINII NOTÆ.

Epistola. Quæ hac epistola de Constantini donatione Melchiadi et Silvestro collata scribuntur, vera esse, non hinc tantum, sed etiam auctoritate Optati Milevitani probatissimi scriptoris firmissime confirmantur. Hic enim, l. 1 contra Parm. scribit, Constantino et Licinio 3 coss., anno nimirum Christi 313, Romæ in causa Cæciliani et Donatistarum synodum novemdecim episcoporum in Laterano in domo Faustæ, quæ Romani pontificis sedes erat, celebratam fuisse. Eam domum Melchiadi ab imperatore donatam esse, ille quidem non expresse scribit: sed cum nulla ratio appareat, ob quam necessum fuerit, ut conventus 19 dumtaxat episcoporum extra domum Melchiadis ampliora ædium spatia requireret, illam in qua synodus prædicta congregata fuit, domum Lateranensem sive Faustæ (sic dictam, quod quæ ante palatii Laterani hominis prædivitis fuerat, fisci inscriptione sub Nerone publicatam, Fausta Maximiani filia Romæ agens eam inhabitarit) Melchiadi Romano pontifici ab imperatore donatam esse, nemo prudens amplius dubitare potest: maxime cum prædictarum ædium huc usque per 13 sæcula continuata possessio nihil aliud indicet, aut præsumi concedat. Cum igitur hinc evidenter probatum sit, augustissimas Lateranenses ædes Melchiadi ejusque successoribus Romanis pontificibus ad inhabitandum ab imperatore concessas esse, certissimo indicio colligere licet, eumdem Christianæ religionis antistitem munificentia imperatoris, instar gentilitiæ superstitionis pontificis maximi publicas domos inhabitantis, in imperatorias ædes translatum, pari honore et gloria, quam haberent diversorum collegiorum antistites, a se donatum ac condecoratum voluisse. Quando autem id contigerit, infra in notis ad edictum Constantini dicemus. C

Melchiadi falso adscripta. Hanc epistolam Melchiadi adscriptam fuisse patet can. Futuram, 12, quæst. 1. Item can. Decrevit, distinct. 88, qui Melchiadis nomen præ se ferentes, ea quæ hic scribuntur, magna ex parte habent: et ex eo quod communiter hactenus post decreta Melchiadis papæ in conciliorum editionibus anterioribus subjuncta fuerit. Falso autem titulo ac nomine Melchiadis prænotatum fuisse, inde constat, qui mentionem faciant Nicæni concilii, quod omnium consensu post obitum Melchiadis papæ, postque baptizatum imperatorem, non sub Melchiade, sed sub Silvestro pontifice, anno Christi 325, qui est Constantini vigesimus, celebratum esse, omnes fere, ut infra patebit, historici consentiunt. Verius igitur fortasse fuerit, ipsum Isidorum compilatorem potius, quam collectorem, auctorem esse hujus epistolæ, quam ex tertio canone concilii Chalcedonensis, et fragmento quodam epistolæ 24, lib. 1 Gregorii papæ, et Nicæni concilii historia compilatam esse constat. Baron. anno 312, n. 80. D

Digitized by Google

præsidens in sancta synodo, quæ apud Nicæam congregata erat, cum querelam quorumdam conspiceret coram se delatam, ait: Vos a nemine dijudicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini. Dii etenim vocati estis, idcirco non potestis ab hominibus judicari. Ab illo etenim tempore, et deinceps, viri religiosissimi non solum possessiones et prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos domino consecrarunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honorem sanctorum martyrum per civitates, ac monasteria innumera, in quibus cœtus domino servientium conveniret. Denique reges et præsides ac magistratus, non solum hanc licentiam tribuere, sed etiam ipsi propria largiti sunt per universa regna terrarum, unde alerentur egentes, qui nihil in mundo possidebant, ecclesiæque Dei fabricarentur atque restaurarentur. Denique et ecclesiæ ejus rite famulantibus, servisque illius supplementa (ut absque necessitate essent) tribuerentur: ut hæc accipientes possent (secundum monita apostoli) orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarumque actiones facere pro omnibus hominibus, pro regibus, et qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam habeant. Et hoc bonum et acceptum esse coram Deo, idem magister gentium protestatur, cui sollicitudo omnium ecclesiarum incumbit, quippe episcopos regere per Spiritum sanctum constituit ecclesiam Dei. Quibus ait: *Pascite qui in vobis est, gregem Dei providentes non coacte, sed sponte secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Quibus et dicebat: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Quæ autem sint negotia sæcularia, sancti canones manifestant et inhibent, dum perspicue docent, quod A quidam qui in clero videntur electi, propter lucra turpia conductores alienarum possessionum fiant, et sæcularia negotia sub cura sua accipiant, domini quidem ministerium parvi pendentes, per sæcularium vero domos discurrentes, et propter avaritiam, patrimoniorum sollicitudinem sumentes. Decrevit namque supradicta sancta synodus, nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum et orphanorum ac viduarum, aut si forte episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat. Ubi liquido patet, quia alia sunt negotia sæcularia, alia ecclesiastica. Nonne Moyses in sæculo erat, cum crebro tabernaculum intraret et exiret? qui intus contemplatione B raptus, foris infirmantium negotiis urgebatur: intus Dei arcana considerans, foris onera carnalium portabat. Cujus typum sacerdotes in ecclesia agere debent, ut dum foras exeunt ad exercenda negotia pro necessitatibus subditorum, intus ad se redeant per contemplationem mandatorum: sicut Paulus, qui cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera, carnalium cubile perscrutatur. Sic et Jacob ascendentes et descendentes angelos vidit, quia videlicet rectores Ecclesiæ non solum Deum contemplando superna appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando condescendunt. Et Domini sacerdotes horum facta imitantur, et se custodiunt, et subditorum onera portant, et videntur tales esse, quales idem egregius prædicator præce- C pit: *ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; et qui gaudent, tanquam non gaudentes, et qui emunt; tanquam non possidentes.*

EDICTUM [a] CONSTANTINI AD SILVESTRUM PAPAM.

(*Conc. t. 1, p. 1330.*)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, scilicet, et Filii, et Spiritus sancti, imperator Cæsar Flavius Constantinus, in Christo Jesu, uno ex eadem Trinitate sancta, salvatore Domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, beneficus, Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper Augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum Silvestro urbis Romanæ episcopo et papæ, atque omnibus ejus successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem sæculi sessuri sunt, pontificibus, necnon et omnibus reverendissimis et Deo amabilibus catholicis episcopis, eidem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ per hanc nostram imperialem constitutionem subjectis in universo orbe terrarum, nunc et in posterum cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia a Deo patre omnipotente, et Jesu Christo Filio ejus, et Spiritu sancto cum omnibus vobis (*Galat.* v; I *Tim.* 1).

Ea quæ salvator [b] et redemptor noster Dominus

LECTIONES VARIANTES.

[a] In cod. ms. Justelli sic titulus habetur: *Incipit exemplar constituti Domni Const. imperatoris. Græcis dicitur* Θεσπέσια Κωνσταντίνου. D et 14; Ivo, cap. 5 Decreti, cap. 49; Gratianus, dist. 96 sub titulo Paleæ; Balsamon alique: verum integra extant in collectione Isidori Mercatoris quæ circa annum Christi 800 prodiisse fertur; ediderunteque Merlinus, Crabbus, Surius, Nicolinus, Binius aliique.

[b] Absunt hæc a quibusdam codicibus, nec ea habent Leo IX papa, epist. ad Leonem Achridanum, cap. 12, 13

SEVERINI BINII NOTÆ.

Edictum. Ea quæ de dominio et temporali regno Romanæ sedi collato hic enarrantur, verisimilia esse, præter ista quæ supra in notis præcedentis epistolæ diximus, ipsius imperatoris nunquam satis audata munificentia, in religionem Christianam pietas, superstitionis gentilitiæ justa æmulatio, satis aperte testantur. Quod Francorum Christianissimi principes suis ipsorum diplomatibus, ea a Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere professi sunt magnum sane de collatis a Constantino Romanæ ecclesiæ muneribus argumentum est. Nam si jam ante collata illa a Francorum regibus privilegia, dominio rerum Romana ecclesia potiebatur, non aliunde sane, quam jure sibi illud vendicasse potuit: certissimum enim est, nulla vi armorum, aut violenta grassatione id factum esse, cui imperatores orientales (qui Romanæ ecclesiæ, quam sub tributo redigere tantarunt, non parum infensi erant), non quidem non reclamarunt aut contradixerunt, sed potius amplissimis privilegiis ratum habuerunt. Hoc edictum a

Digitized by Google

Jesus Christus, altissimi Patris Filius, per suos sanctos apostolos Petrum et Paulum, interveniente patre nostro Silvestro summo pontifice et universali papa, mirabiliter dignatus est operari, liquida enarratione per hujus nostræ imperialis institutionis paginam, ad cognitionem omnium populorum in universo orbe terrarum studuit propalare nostra mansuetissima serenitas. Primum quidem nostram fidem, quam a prælibato beatissimo patre et oratore nostro Silvestro universali pontifice docti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes, et ita demum Dei misericordiam super nos diffusam annuntiantes, nosse vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam jussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis et surdis, manufactis, diabolicis compositionibus, atque ab omnibus Satanæ pompis recessisse, et ad integram Christianorum fidem, quæ est vera lux et vita perpetua, pervenisse; credentes, juxta id quod nos idem almificus et summus pater et doc-

SEVERINI BINII NOTÆ.

Græcis perfida donatione, quo juxta illud Virg. II, Æneid. *Timeo Danaos et dona ferentes*, donare solent acceptum, mutilatum esse, ac dolose depravatum, hæ rationes evidenter demonstrant. Principio enim primatum ecclesiæ Romanæ Constantino imperatori homini laico acceptum refert, quem ab ipso Deo et domino nostro Jesu Christo eidem in Petro collatum esse, ex iis quæ supra in notis ad vitam Petri, et alibi sæpe diximus, apertissime constat. Petro enim et Petri successoribus dictum est illud Matth. XVI: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prevalebunt adversus eam. Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, etc. *Hic est* ait Epiph. in Ancorato, *qui audivit, pasce oves meas, cui concreditum est ovile.* Oves ergo suas non unius civitatis aut regni, sed totius orbis terrarum; non unius sæculi, sedeas etiam, quæ usque ad mundi consummationem futuræ erunt, Petro ac Petri successoribus Christus dominus pascendas et gubernandas ipse tradidit. Itaque non sine dolo et fraude homini attribuitur, quod Deo auctori est attribuendum. Secundo, hoc eodem edicto idem imperator Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarchalem dignitatem contulisse narratur. Quod si verum est, quomodo Anatolius Constantinopolitanus episcopus, post Chalcedonense concilium absolutum, hanc dignitatem patriarchalem, Leone, Gelasio, aliisque Romanis pontificibus reclamantibus, sibi vindicasse scribitur? Quomodo Constantinopolitana ecclesia patriarchalis esse potuit hoc tempore, quo nomen Constantinopolis Byzantio nondum impositum fuit? Quare eadem fide Constantinopolitanam, patriarchatus; Romanam, primatus honore ac dignitate ab imperatore donatam esse, credere licet. Vide quæ diximus supra in notis ad epist. 3 Anacleti.

Hoc edictum de Constantini donatione, ex actis Silvestri papæ, sub Eusebii Cæsariensis nomine falso Græce scriptis, primum edidit Theodorus Balsamon, non ut rem gratam faceret Romanæ ecclesiæ, sed ut Constantinopolitanum patriarchatum ostenderet antiquissimum. Constat enim duplicia reperiri acta Silvestri; Latina primum, quæ et ad Græcos sunt derivata, ut quæ habentur in plerisque antiquis codicibus, et ex Latinis accepta, quæque a Metaphraste, Zonara, Cedreno, ab Hadriano I in epist. 1 ad Constantinum et Irenem imperatores, et epist. 3 ad Carolum regem Francorum summatim recitantur. Alia quæ post hæc non ante millesimum Christi annum cognita ab aliquo Græcorum commenta fuerunt, et sub Eusebii nomine ex libro de martyribus prodierunt, et hoc Constantini edicto a Græcis græce scripto, a Theodoro Balsamone in commentariis super nomocanone Photii recitato, aucta fuisse noscuntur, in Romanæ ecclesiæ odium et sui utilitatem. In odium, inquam, Romanæ ecclesiæ, ut quæ ipsa possidet, non a Christo (quod sanctissimos Romanos pontifices Gelasium, Nicolaum, aliosque adversus Græcos agentes sæpius protestatos esse infra videbitur) sed a Constantino imperatore ea accepisse diceretur: in sui vero utilitatem, eo quod in hoc edicto affirmatur, jam antiquitus sub Constantino ecclesiam Constantinopolitanam patriarchalem esse; quod a S. Leone, Gelasio, aliisque pontificibus impugnatum fuisse, sub sequentibus pontificibus cognoscemus.

Novatores hæretici magno conatu, studioque inani hoc Constantini edictum e Græco in Latinum translatum impugnantes, sciant se in his potius nostram causam agere, quam contra nos pugnare, qui profitemur cum Irenæo, Cypriano, aliisque sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis, Romanæ ecclesiæ privilegia non ab hominibus, sed a Christo in Petrum, a Petro in successores esse collata et transfusa.

Dominia rerum temporalium Ecclesiæ collatarum, ipsorum impp. donantium diplomatibus in originali extantibus, ipsa probat et quiete possidet. Jura autem eidem Romanæ ecclesiæ concessa S. Leo, Felix, Romanus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, aliique successores pontifices, qui a Constantini temporibus claruerunt, non hujus edicti Constantiniani sed potius divina et evangelica auctoritate contra earumdem impugnatores semper defenderunt. Nemo omnium eorum qui ante annum millesimum ecclesiæ præsederunt, quorum plures germana acta Silvestri, de quibus supra, viderunt et recitarunt, hujus edicti ullam mentionem fecisse legitur: utpote quodipsis actis commentitium edictum a græcis impostoribus necdum superadditum fuerit. Inter eos qui acta Silvestri hujus commentitii edicti additamento mala arte, mala fide Græcorum corrupta, ex oriente in occidentem translata bona fide acceperunt, eaque tanquam germana ac legitima et ab omni impostura et fraude pura defenderunt, primus reperitur fuisse Leo papa IX, qui in epistola ad Michaelem Constantinopolitanum, et Leonem Acridanum episcopos, anno redemptoris 1054, hujus edicti Constantiniani de donatione Silvestro facta meminit. Ex quo cum eidem multum fidei et auctoritatis accesserit, factum esse credo, quod posterorum etiam gravissimorum et doctissimorum plurimi absque aliqua suspicione fraudis et impostura, idem bona fide legerint et receperint. Tempore Benedicti papæ XII, anno nimirum Christi 1339, sub nomine Othon. III. imp. diploma quoddam apud Baron. tom. 12. integre excusum in lucem emersit, quo hoc idem de donatione facta edictum Constantinianum ab auctore Joanne diacono effictum et excogitatum esse scribitur: sed cum illud diploma multis iisdemque firmissimis argumentis a Baron. ibidem impugnetur, iisque ejusdem auctoritas enervetur; ad profligandum latius sæpe nominatum Constantini edictum, relicto illo Othonis suppositio diplomate, addo quod Gregor. VII, Alexander III, aliique posteri pontifices jurium Ecclesiæ acerrimi defensores hujus edicti velut rei vere gestæ non meminerunt, quodque Pipinus et Carolus Othone anteriores, Henricus, aliique impp. in suis diplomatibus, quibus S. Petro urbes et regiones donarunt, munificentissimi donatores, hoc Constantinianum edictum ne verbo quidem attigerint; eaque de causa pontifices donatarii nullam querelam interposuerint, suspectissimam reddunt fidem hujus edicti, quod juribus ac privilegiis ecclesiæ supra firmam petram fundatæ certioribus nequaquam derogat, aut derogare potest.

Digitized by Google

tor noster Silvester pontifex instruxit, in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium: et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum, per quem creata sunt omnia: et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificatorem universæ creaturæ. Hos, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, confitemur ita ut in Trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis, et unitas potestatis. Pater Deus, Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus, et tres unum sunt in Jesu Christo. Tres itaque formæ, sed una potestas. Nam sapiens retro semper Deus edidit ex se, per quod semper erant gignenda sæcula, verbum. Et quando eodem solo suæ sapientiæ verbo universam ex nihilo formavit creaturam, cum eo erat, cuncta suo arcano componens mysterio. Igitur perfectis cœlorum virtutibus, et universis terræ materiis, pio sapientiæ suæ nutu, ad imaginem et similitudinem suam, primum de limo terræ fingens hominem, hunc in paradiso posuit voluptatis. Quem [a] antiquus serpens et hostis invidens diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum, exulem ab eisdem fecit gaudiis: eoque expulso, non desivit [b] sua venenosa multis modis protelare jacula, ut a via veritatis humanum abstrahens genus, idolorum culturæ, videlicet creaturæ, et non Creatori deservire suadeat: quatenus per hoc eos, quos suis valuerit irretire insidiis, secum æterno efficiat concremandos supplicio. Sed Deus noster misertus plasmatis sui, dirigens sanctos suos prophetas, per hos [c] lumen futuræ vitæ, adventum videlicet Filii sui, Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, annuntians, misit eumdem unigenitum Filium suum et sapientiæ verbum. Qui descendens de cœlis propter nostram salutem, natus de Spiritu Sancto ex Maria virgine, verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. Deum perfectum, et hominem perfectum; ut Deus mirabilia perficiens, et ut homo humanas passiones sustinens: ita verbum hominem, et verbum Deum, prædicante patre nostro Silvestro summo pontifice, intelligimus, ut verum Deum, verum hominem fuisse, nullo modo ambigamus. Electisque duodecim apostolis, miraculis coram eis et innumerabilis populi multitudine coruscavit. Confitemur eumdem dominum Jesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum, crucifixum secundum scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in cœlos, atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum judicare vivos et mortuos, cujus imperii non erit finis. Hæc est enim fides nostra catholica orthodoxa, a beatissimo patre nostro Silvestro summo pontifice nobis prolata. Exhortamur idcirco omnem populum, et diversas gentium nationes, hanc fidem tenere, colere et prædicare, et in sanctæ Trinitatis nomine baptismi gratiam consequi, et dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem nostrum, qui cum Patre et Spiritu Sancto per infinita sæcula vivit et regnat, quem Silvester beatissimus pater noster universalis prædicat pontifex, corde devoto adorare. Ipse enim Dominus noster, misertus mihi peccatori, misit sanctos suos apostolos (*Hier. in psal.* CXXXVIII, *et ep. ad Eustochium virginem*), ad visitandum nos, et lumen sui splendoris infulsit nobis, ut abstractum a tenebris, ad veram lucem et agnitionem veritatis me venisse gratularemini. Nam dum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem [d], et multorum medicorum convenientium cura adhiberetur, nec ullius quidem cura promeruissemus salutem, ad hoc venerunt sacerdotes Capitolii, dicentes mihi debere fieri fontem in Capitolio, et compleri hunc innocentium sanguine et eo calente loto me [e], posse mundari. Et secundum eorum dicta, aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi pagauorum sacerdotes eos mactare, et ex eorum sanguine fontem repleri (*leg.* replere), cernens serenitas nostra lacrymas matrum eorum, illico exhorrui facinus: miseratusque eas [f], proprios illis restitui præcipimus filios suos, datisque vehiculis et donis concessis, gaudentes ad propria relaxavimus. Eadem igitur transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli SS. Petrus et Paulus, dicentes mihi: quoniam flagitiis posuisti terminum, et effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo domino Deo nostro, dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo monita nostra, et fac quodcumque indicamus tibi: Silvester episcopus hujus civitatis ad montem Soracte persecutiones tuas fugiens, in cavernis petrarum cum suis clericis latebram fovet. Hunc ad te cum adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua dum tertio te merserit, omnis te valetudo ista deseret lepræ. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes jussu tuo per totum orbem restaurentur ecclesiæ. Te autem ipsum in hac parte purifica ut relicta omni superstitione idolorum, Deum vivum et verum, qui solus est et verus, adores et excolas, ut ad ejus voluntatem attingas. Exurgens igitur a somno, protinus juxta id quod a sanctis apostolis admonitus sum, peregi: advocatoque eodem præcipuo et magnifico patre et illuminatore nostro Silvestro universali papa omnia a sanctis apostolis mihi præcepta dixi

LECTIONES VARIANTES.

[a] Leg. *cui*.
[b] Forte mel. *desiuit*
[c] Al. *misertus, plasma suum direxit, dirigens sanctos suos prophetas per quos.*
[d] Al. *nec unius quidem pervenit in salutem.*
[e] Al. *et calentem in eo loco me.*
[f] Al. *misertique illarum protinus.*

SEVERINI BINII NOTÆ.

Ipse enim. Hadrianus pontifex epist. ad Constant. et Iren, quæ secundo concilio inserta extat, hanc totam historiam eodem fere modo recenset, adeoque veritatem hujus edicti confirmat. Vide quæ diximu supra in notis ad vitam Silvestri.

Digitized by Google

verba : percontatique summus ab eo, qui isti dii essent Petrus et Paulus. Ille vero, non eos deos vere dici, sed apostolos Salvatoris nostri Domini Dei Jesu Christi, respondit. Et rursum interrogare cœpimus eumdem beatissimum papam, utrum istorum apostolorum imagines expressas haberet, ut ex pictura disceremus hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc idem venerabilis pater imagines eorumdem apostolorum per diaconum suum exhiberi præcepit : quas dum aspicerem, et eorum quos in somno videram, figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapis meis confessus sum eos esse, quos in somno videram. Ad hæc beatissimus idem Silvester pater noster, urbis Romæ episcopus, indixit nobis pœnitentiæ tempus intra palatium nostrum. Lateranense, in uno cilicio, ut de omnibus quæ a nobis impie peracta, atque injuste disposita fuerant, vigiliis, jejuniis, atque lacrymis et orationibus, apud Dominum Deum nostrum Jesum Christum salvatorem veniam impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum, usque ad ipsum præsulem veni. Ibique renuntians Satanæ, pompis et operibus ejus, vel universis idolis manufactis, credere me in Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum. Benedictoque fonte, illic me trina mersione [a] unda salutis purificavit. Positoque me in fontis gremio (*baptisterio seu lavacro Constantiniano*), manum de cœlo me contingentem propriis oculis vidi. De qua mundus exurgens, ab omni me lepræ squalore mundatum agnoscite [b] : levatoque me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit beati chrismatis unctione, et vexillum sanctæ crucis in mea fronte linivit, dicens : « Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in consignatione fidei. » Cunctusque clerus respondit : « Amen. » Et adjecit præsul : « Pax tibi. » Prima itaque die post perceptum sacri baptismatis mysterium, et post curationem corporis mei a lepræ squalore, agnovi non esse alium Deum, nisi Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quem beatus Silvester papa prædicat, trinitatem in unitate, et unitatem in trinitate. Nam omnes dii gentium, quos usque hactenus colui, dæmonia, opera hominum manufacta comprobantur. Etenim quantum potestatem idem Salvator noster suo apostolo B. Petro contulerit in cœlo ac terra, lucidissime nobis idem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens, ait : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Advertite potentes, et aure cordis intendite, quid bonus magister et dominus suo discipulo adjunxit, inquiens : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* (*Ibid.*) Mirum est hoc valde et gloriosum, in terra ligare et solvere, et in cœlo ligatum et solutum esse. Et dum hæc, prædicante beato Silvestro, agnoscerem, et beneficiis ipsius beati Petri integerrime sanitati me comperi restitutum.

[c] Utile judicavimus una cum omnibus nostris satrapis, et universo senatu, optimatibusque meis, etiam et cuncto populo Romanæ gloriæ imperio subjacenti, ut sicut in terris sanctus Petrus vicarius filii Dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui successores sunt ipsius principis apostolorum (*al.* qui ipsius p. a. gerunt vices), principatus potestatem, amplius quam terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum, et ejus successores, firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostram, terrenam imperialem potentiam (*al.* nost. est terr. i. potentia), sic ejus sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorari et amplius quam nostrum

LECTIONES VARIANTES.

[a] Al. add. *verbi* post *mersione*.
[b] Al. *agnovi*.
[c] Quidam codices post titulum sic incipiunt : *Postquam docente B. Silvestro, trina me mersione verbi salutis purificatum, et ab omni lepræ squalore mundatum beneficiis BB. Petri et Pauli apostolorum cognovi; utile*, etc.

SEVERINI BINII NOTÆ.

Qui isti dii essent Petrus et Paulus. Sicut Manue pater Samsonis, Jud. XIII, cum angelum Domini vidisset, uxori suæ dixit : *Moriemur, quia vidimus Dominum :* et mulier de anima Samuelis I Regum XXVIII : *Deos vidi ascendentes de terra;* ita imperator apostolorum principes, quos homines esse noverat, deos appellat : vel quia de ipsis sic apparentibus aliquid super humanum mente concepit, vel demum tales esse deos censuit, de quibus Scriptura, psal. LXXXI, ait : *Deus stetit in synagoga deorum : ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes.* Quo sensu idem imperator Constantinus ipsos episcopos, qui Nicææ ad concilium convenerant, deos nominavit. Vide Baron. ann. 324. num. 39.

Tunc idem venerabilis pater imagines apostolorum. Venerandas imagines Petri et Pauli, atque in primis Salvatoris nostri Jesu Christi, ad sua quoque tempora in Ecclesia conservatas esse, seque eas aspexisse, testatur Eusebius, lib. VII, cap. 14, in fine, his verbis : *Cum et nos Petri et Pauli apostolorum, et Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum variate expressas conservatasque aspexerimus*, etc. Quæ si in Palestina tot præliis devastata extabant, et visebantur; quanto magis Romæ eædem integræ atque sinceræ eorumdem vultus accuratius exprimentes asservari potuerunt, ubi iidem apostoli diutius vixerunt, et tandem martyrio affecti fuerunt ?

Benedictoque fonte. Baptisterii nimirum, qui adhuc extat, et a Marcellino ejus ætatis scriptore ethnico lib. XXVII hist. appellatur Constantinianum lavacrum : quibus verbis ipse imperatoris baptismo, præter multorum aliorum scriptorum fidem, testimonium non contemnendum præbet.

Utile judicamus una cum omnibus. Hæc græce et latine habentur in nomocanone Photii episcopi Constantinopolitani. Vide quæ supra diximus, et notas, quæ jussu Gregorii decimi tertii additæ sunt ad can. Constantin., dist. 96, aliosque plures. Patrimonii S. Petri S. Gregorius I in suis epistolis frequenter meminit.

Digitized by Google

imperium et terrenum thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriæ dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem : atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, et Constantinopolitanam [a], quamque etiam super omnes in universo orbe terrarum Dei ecclesias. Et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et ejus judicio, quæque ad cultum Dei, vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere præcepit cathedram; ubi et crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique magistri et domini imitator apparuit. Et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo, extenso collo, martyrio coronatus est. Illic usque in finem quærant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus : et ibi proni ac humiliati, cœlestis regis Dei Salvatoris nostri Jesu Christi famulentur officio, ubi superbi (*al.* superbo) terreni regis serviebant imperio.

Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intra palatium nostrum Lateranense eidem Salvatori nostro Domino Deo Jesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, et duodecim nos sciatis de ejus fundamentis, secundum numerum duodecim apostolorum, cophinos terræ onustatos propriis asportasse humeris : quam sacrosanctam ecclesiam, caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac prædicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta constituimus. Construximus quoque ecclesias beatorum Petri et Pauli primorum [b] apostolorum quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro (1) (cui nulla fortitudo prævalet elementorum) construximus, et crucem ex auro purissimo, et gemmis pretiosissimis per singulas eorum thecas posuimus, et clavis aureis confiximus. Quibus ecclesiis pro concinnatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus [c], et per nostram imperialem jussionem sacram, tam in oriente, quam in occidente, vel etiam septentrionali et meridiana plaga, videlicet in Judæa, Græcia, Asia, Thracia, Africa et Italia, vel diversis insulis, nostra largitate eis libertatem concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri pontificis successorumque ejus omnia disponantur. Gaudeat ergo una nobiscum omnis populus, et gentium nationes in universo orbe terrarum; et exhortantes, monemus omnes, ut Deo nostro et salvatori Jesu Christo immensas una nobiscum referant gratias, quoniam ipse Deus in cœlis desuper, et in terra deorsum, nos per suos sanctos apostolos visitans, sanctum baptismatis sacramentum percipere et corporis sanitatem dignos effecit.

Pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis, dominis meis beatissimis Petro et Paulo, et per eos etiam beato Silvestro patri nostro, summo pontifici, et universalis [d] urbis Romæ papæ, et omnibus ejus successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de præsenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis : deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium [e], id est, mitram, necnon et superhumerale, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum : verumetiam et chlamydem purpuream atque tunicam coccineam, et omnia imperialia indumenta, sed et dignitatem imperialium præsidentium equitum; conferentes etiam et imperialia sceptra simulque et cuncta signa, atque banda etiam [f], et diversa ornamenta imperialia, et omnem processionem imperialis culminis, et gloriam potestatis nostræ. Viris autem reverendissimis clericis in diversis ordinibus eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ servientibus, illud culmen singularitate, potentia et præcellentia habere sancimus, cujus amplissimus noster senatus videtur gloria adorari [g], id est, patricios atque consules effici, necnon et cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis militia ornatur, ita et clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis, cubiculariorum nempe et ostiariorum, atque omnium excubitorum [h], ornatur; ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus. Et ut amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus et hoc, clericorum ejusdem sanctæ Romanæ

(1) Æs Cyprium appellat Ado in chronico quinque pedes crassum.

LECTIONES VARIANTES.

[a] In codice ms. Justelli hæc præponitur præcedenti et tertio loco numeratur, secus atque apud Justinianum, Novella 3, in principio et in concilio Chalcedonensi, in can. 28, et alibi, ubi post Romanam cæteris præmittitur.

[b] Al. *principum*.

[c] Al. *decoravimus*.

[d] Forte legendum *universali*.

[e] Al. *frigium*. Nota *phrygium* ex pennis pavonum factum.

[f] Al. *Conta atque signa, banda etiam*. Apud Albericum de Rosate *baltheum* leges.

[g] Leg. *adornari*.

[h] Forte *excubiarum*.

SEVERINI BINII NOTÆ.

Decernentes sancimus. Hæc quæ de primatu Romanæ et patriarchali honore Constantinopolitanæ ecclesiæ collato subjunguntur, falsa ac surreptia esse, supra diximus in principio.

Construxisse nos intra palatium nostrum. De ecclesiis ab imperatore constructis, vide libellum de munificentia Constantini, et notas in eum conscriptas supra.

Digitized by Google

Ecclesiæ manipulis [a] et linteaminibus, id est, candidissimo colore decorari equos, et ita equitare. Et sicut noster senatus calceamentis utitur cum udonibus, id est, candido linteamine illustratis, sic utantur et clerici; et sic cœlestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus ipsi sanctissimo patri nostro Silvestro urbis Romæ episcopo et papæ, et omnibus qui post eum in successum, et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi Dei nostri, in eadem Dei magna catholica et apostolica Ecclesia, ex nostro indicto [b], ut quem placatus proprio consilio clericali [c] voluerit, et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumentem superbe agere. Decrevimus itaque et hoc, ut idem venerabilis pater noster Silvester summus pontifex, et omnes ejus successores pontifices, diademate (videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant, et in capite ad laudem Dei et pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus papa, quia super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona: nos phrygium quoque candidi nitoris [d], splendidam resurrectionem dominicam designans, ejus sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, et tenentes frenum equi illius, pro reverentia beati Petri, stratoris officium illi exhibuimus; statuentes, eodem phrygio omnes ejus successores singulariter uti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Unde ut pontificalis apex non vilescat, sed amplius etiam quam terreni imperii dignitas, et gloriæ potentia decoretur; ecce tam palatium nostrum, ut prædictum est, quamque urbem Romam et omnes totius Italiæ et occidentalium regionum provincias, loca et civitates, præfato [e] beatissimo pontifici nostro Silvestro universali papæ [f] concedimus atque relinquimus, et successorum ipsius pontificum potestati et ditioni, firma imperiali censura, per hanc divalem nostram et pragmaticum constitutum, decernimus disponendum, atque juri [g] sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permansurum [h]. Unde congruum prospeximus, nostrum imperium et regni potestatem in orientalibus transferri ac transmutari regionibus, et in Byzantiæ provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, et nostrum illic constitui imperium: quoniam ubi principatus sacerdotum et christianæ religionis caput ab imperatore cœlesti constitutum est, justum non est ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

Hæc vero omnia, et per alia [i] divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi illibata et inconcussa permanere decernimus. Unde coram Deo vivo, qui nos regnare præcepit, et coram terribili ejus judicio obtestamur, per hoc nostrum imperiale constitutum, omnes nostros successores imperatores, vel cunctos optimates, satrapas, etiam amplissimum senatum et universum populum, in toto orbe terrarum, nunc et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subjacentem, nulli eorum quoquo modo licere, hæc quæ a nobis imperiali sanctione sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, vel ejus omnibus pontificibus concessa sunt, refragari aut confringere, vel in quoquam convellere. Si quis autem (quod non credimus) in hoc temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subjaceat innodatus, et sanctos Dei principes apostolorum Petrum et Paulum sibi in præsenti et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo et omnibus deficiat impiis.

Hujus vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus beati Petri principis apostolorum posuimus, ibi eidem Dei apostolo spondentes, nos cuncta inviolabiliter conservare, et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinquere, ac beato patri nostro Silvestro summo pontifici et universali papæ, ejusque cunctis successoribus pontificibus, Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo annuente, tradimus [j] perenniter atque feliciter possidenda.

Et subscriptio imperialis: Divinitas vos conservet per multos annos sanctissimi ac beatissimi patres. Datum Romæ, sub tertio die Kalendarum Aprilium, domino nostro Flavio Constantino Augusto quater et Gallicano viris clarissimis consulibus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Lege *mappulis*.
[b] Add. *synclitu*.
[c] Forte *clericare*.
[d] Al. *Phrygium candido nitore splendidum*; vel, ut habet ms. Justelli, *frigium vero condido splendore nitidum*. Allis *antifrygium*.
[e] Al. *sæpefato*.
[f] Al. add. *contradentes atque relinquentes*.
[g] Al. *in jura*.
[h] Mel. *permanendum*
[i] Al. *hæc vero omnia quæ per hanc nostram imperialem sacram et per alia*.
[j] Forte mel. *tradidimus*.

SEVERINI BINII NOTÆ.

In Byzantiæ provinciam. Constantinus paulo post baptismum novam Romam omnis idololatriæ expertem ædificare proposuit: ideoque anno 324, Christi nati ab Illi restauratione divino numine prohibitus, Byzantium profectus, eam urbem mirifice exornavit, suo que nomine et imperiali sede condecoravit. Et sane non sine magna Dei providentia factum esse videtur, ut post translatam imperii sedem Constantinopolim, nullus unquam imperatorum orientalium vel etiam occidentalium sedem Romam transtulerit. Zonaras de Constante Heraclii nepote ait, eum de imperio in urbem Romam transferendo cogitasse quidem, sed nequaquam successisse: ut intelligamus non sine nutu divinæ voluntatis Romam urbium principem summo ecclesiæ principi destinatam esse. Vide quæ dicemus infra ad concil. Constant. I.

Constantino Augusto quater, et Gallicano coss. Duplex error in horum consulum chronologia. Primo enim mendosum est, Constantinum quartum consulem, Gallicanum non Licinium habuisse collegam. Secundo erroneum est res supra gestas hoc consulatu notari, qui in annum 315 Christi incidit: cum cer-

Digitized by Google

AUTOGRAPHUM AMORIS

ET CONCORDIÆ FŒDUS INTER IMPERATOREM CONSTANTINUM, SANCTUMQUE SILVESTRUM PAPAM, ET TIRIDITATEM, REGEM ARMENIÆ, DIVUMQUE GREGORIUM, ARMENIORUM ILLUMINATOREM.

(*Ex Coll. Conc. Mansi.*)

Voluntate atque potentia consubstantialis Sanctæ Trinitatis, patris incomprehensibilis, et unigeniti Filii ejus Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi, et vivificatoris ac liberatoris Spiritus Sancti, nostrum hoc Cæsareum in Deo firmum, atque immutabile testamentum litterarum monumentis relictum est potenti ac independenti mandato nostro semper victoris, et gloria Augusti, Constantini magni regis regum, atque Romanorum œcumenici quocumque terrarum orbis extenti, et insuperabilis principatus imperatoris, qui potentia veri Dei et gloriosæ crucis Christi virtute, a finibus vasti Oceani usque ad solis ortum victores universo dominamur in orbe; nec non jussu nostro maximi Romanorum pontificis Silvestri Petri et Pauli principum apostolorum successoris, qui clavibus regni cœlorum super omnes christianorum nationes ab occasu ad ortum ligandi, atque solvendi in cœlo et in terra potestatem habemus, universæque Christi Ecclesiæ præsidemus. His igitur tabulis testatum apud omnes relinquimus quod a Spiritu Sancto vocati, magnus Armeniorum rex Joannes, qui et Tiridates, atque vivus Christi martyr ac strenuus confessor domnus Gregorius orientalium et septentrionalium illuminator, nostri in Christo fratres dilectissimi, præcipuique sublimis hujus nostri principatus amici et fidelissimi duces, consiliorum nostrorum participes, ad nos huc pervenerunt, visendi studio Urbem hanc occidentis et orientis dominatricem, sanctorumque principum apostolorum hæredem, illorum præterea successorem, venerabilem papam atque gloriosum christianæ recens fidei dicatum imperatorem, magnamque potentissimam imperatricem Helenam. Qua de causa toto hoc nostro in Deo confirmato imperio exultante, summaque perfusa lætitia, obviam tantis viris nobilissimo processimus comitatu: atque ultro citroque consalutati et debito nos ipsos honore invicem prosecuti adorationem obtulimus nostro immortali regi Jesu Christo; mox vero Ecclesiam sanctorum apostolorum ingressi, sacras ipsorum reliquias venerati sumus, Christum sanctorum suorum glorificatorem benedicentes. (*Tum post alia perplura hæc sequuntur*): Voluntate divina, mediantibus Dei genitrice, sanctis apostolis et omnibus sanctis. Nos strenuissimi Latini, et insuperabiles Turcomanni; videlicet uterque rex, uterque pontifex, et utraque Romanorum et Armeniorum natio, in fraternam unionem, concordiamque unanimiter conjuravimus: hoc amicitiæ votum, ac fœdus inter nos sempiternum coram glorioso crucis Christi vexillo firmavimus; atque in fidem ejusdem fœderis nostri firmi et indelebilis hanc utriusque occidentalis et orientalis nationis fraternitatem tremendo ac pretiosissimo Jesu Christi sanguine conscripsimus; quatenus fidem, amorem et concordiam ita nobis ipsis invicem debeamus, quemadmodum et illi, qui frater noster effectus est Christo Deo: alterutros defendentes usque ad mortem, et super alterutros libentissime morientes: alterutrorum amicorum existentes amici, et inimicorum inimici: nullique ex duabus hisce nationibus audeant ensem. Adversus alterutrum stringere: quique hoc violabunt, gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur. Hoc autem fœdus inter has duas initium nationes, firmum usque ad sæculi consummationem permaneat; quicumque vero ab illo se substraxerit, a christiana sit sancta fide discissus, Cainique, Judæ, et Christicidarum sacerdotum maledictionem incurrat, dicant angeli et homines fiat. (*Deinde hæc iterum habet*:) Nos autem Sylvester supremus Romæ et totius mundi pontifex, postquam vidimus quod ornatissimus filius noster Constantinus imperator coronatum Armeniæ regem Tiridatem totamque Armeniorum gentem et regionem pro viribus suis magnificavit, summisque affecit honoribus: et

SEVERINI BINII NOTÆ.

tum sit ex præcedentibus, Constantinum non ante 324 annum Christi nati baptismate initiatum esse.

Bartolomeus quidam Picernus de Monte arduo Græco quodam exemplari asseveravit se in Latinum vertisse sermonem famosæ hujus donationis edictum et ea de re ad Julium II, Romanum pontificem, epistolam dedit in hæc verba: *Cum inter legendum in hac tua celeberrima bibliotheca* (Vaticanam, opinor, intelligit), *beatissime pater, occurrisset mihi libellus quidam Græcus, qui donationem Constantini continebat: æquum mihi visum est illum e Græco in latinum convertere, et eum tibi, sanctissime pater, inscribere debere, qui vicarius Christi et Petri ac Silvestri successor existis. Quippe cum multi sint, qui falsam Constantini donationem esse asseruerint: inter quos est Laurentius Vallensis, vir haud sane ineruditus, qui librum de falsa donatione Constantini scribere ausus sit. Cujus opinionibus optime refragatur reverendissimus cardinalis Alexandrinus juris utriusque consultissimus, et illius objecta diligentissime confutat. Existimabat vir ille fortasse, ut quod ipse non legerat, non posset apud alios reperiri. Nec mirum, quum tantæ mordacitatis extiterit, ut Aristotelem philosophorum principem carpere non dubitarit, et omnes linguæ latinæ auctores ita taxare, ut nemini pepercerit. Sed ne longior sim, Constantium ipsum audiamus.* Hæc ille: tum subjicit ipsius edicti elaboratam a se, ut gloriatur, versionem, vel ut alii sentiunt dumtaxat, interpolatam, veteri in quibusdam Latinitate commutata. Interpretationem hujus Picernatis recudit Coloniæ Agrippinæ Ortuinus a Graes Daventriensis presbyter anno 1535. Nos quæ reperimus Græca fragmenta apud Balsamonem, quorum duplex habetur versio Henrici Agylæi, altera Gentiani Herveti, bona fide repræsentavimus, reliqua etiam addituri, cum in manus nostras pervenerint. Et quidem Augustinus Steuchus, qui et ipse in hoc scammate certare voluit, quatuor se Græca vidisse exemplaria in eadem summi pontificis bibliotheca affirmat: cumque hæc jam sub prælo essent accepimus litteris R. P. Petri Possini soc. nostræ theologi eruditissimi nobisque amicissimi Roma datis 4. Junii etiamnum integram asservari in Vaticanis codicibus 614, folio 76, 789; fol. 185, 973; fol. 39, 1416; fol. 127, et forte etiam pluribus. Quod volui nescius ne esses.

Digitized by Google

ipsi pariter animo lubentissimo inclinavimus ad honorem strenui confessoris Jesu Christi et coepiscopi nostri Gregorii amplificandum. (*Et post alia subdit* :) Unde ipsum in nomine sanctissimæ Trinitatis, benediximus imponentes capiti ejus venerando dexteram divi Petri apostoli et sacrum linteum Jesu Christi; atque constituimus eum unaque cum illo suos etiam successores summum Armeniorum omnium patriarcham : volumusque ut in posterum pontifex Armeniæ ordinet patriarcham Georgianorum, et potestatem habeat alios instituendi episcopos super illos Armenios, qui inter alias Christianorum nationes ubique dispersi reperiuntur : tumque Albanensium regio sub peculiaris patriarchæ obedientiam redigatur; qui ex Albanensi rege promotus, ab eodem Armeniorum pontifice consecretur. Præterea quando tres patriarchæ, nimirum Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus novum patriarcham initiabunt, id fiat voluntate et concursu pontificis Armeniæ; fideique professionem, quam noviter electus patriarcha nobis significare deberet, pontifici Armeniorum significet; illum etenim in Asiæ media regione illa nostrum vicarium instituimus. (*Post alia tandem his concludit idem sanctus Silvester* :) Quamobrem ex hoc sublimi nostro mandato potestas pontifici Armeniorum tribuitur ligandi, atque solvendi in cœlo et in terra quemcumque juxta canones apostolicos ipse voluerit. Ab eodem igitur Armeniorum pontifice benedicti, sicut etiam a Christo Domino, a sanctis apostolis, cæterisque sanctis et a nobis ipsis benedicti : atque ab illo excommunicati, in eadem retineantur excommunicatione, quousque ad pœnitentiam convertantur.

ANNO DOMINI CCCXXI.

NAZARIUS.

NAZARII PANEGYRICUS,

CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.

(*Ex Pan. Vet. la Baume.*)

MONITUM.

Pronuntiata est hæc oratio, ut ex ipso initio manifestum est, anno Christi 321, kal. martiis, die natali Cæsarum Crispi et Constantini, cum ineunte quinto anno, vota quinquennalia solverent, ac decennalia susciperent. In quod tempus Constantini Magn quindecennalia concurrebant, ac pro ejus vicennalibus vota nuncupabantur. Aberat Constantinus, ad quem tamen Nazarius conversa oratione; « Præsentem, inquit, mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes. » Hæc oratio Nazario sine controversia adscribitur; de quo Euzebius in Chron. ad annum Christi 325 : *Nazarius*, inquit, *insignis rhetor habetur*. Et Hieronymus ad an. Chr. 337: *Nazarii rhetoris filia, in eloquentia patri coæquatur*. Hanc Eunomiam, virginem christianam appellat Arnaldus Pontacus in suis Chronic. fretus, ut ipse ait, quatuor Vaticanorum codicum auctoritate. Nazarii quoque apud Ausonium mentio est in professor. Burdigal. epigrammate 15. An vero Nazarius hic noster fuerit ille, quem clerus Massiliensis, in quo lectoris munere fungebatur, cum Oresio episcopo Arelatem ad synodum suffragiis delegavit, dubitat noster Joa. Bap. Guesnayrus in suis provinciæ Massiliensis annalibus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. Probat ejus diei lætitia, qua Constantini itidem et Cæsarum quinquennalia celebrantur, parem ab oratore eloquentiam afferri non posse.

Distributio. Videtur esse : I. De Cæsaribus Crispo et Constantino; II. De Constantino Augusto.

I. *Pars*. Jam Crispus Francos et Germanos exemplo patris obtriverat. Jam Constantinus secundum consulatum gerebat, *n.* 3. Quantus uterque sit existimari potest, tum quod patri Constantino, quantum ad speciem corporis virtutesque spectat, similes sint : tum quod sint illustribus ejus factis instituti, *n.* 4. Institutionem hanc utrique gratulatur.

II. *Pars*. Transiturus ad Constantinum, in summa ejus præclare gestorum varietate, *n.* 5, quod primum occurrit arripit. Constantinus domito Maxentio, *n.* 6, mitis et clemens est in victoria, *n.* 7. Cum crudeli hoc tyranno confertur, *n.* 8. Quem mitigare clementia atque ideo oblatis fœderis legibus voluerat, *n.* 9. Ille rejectis pacis conditionibus, *n.* 10. Constantini imagines solo affligit, *n.* 12. Cujus injuriæ non tam memor Constantinus, quam ejus, quæ illata erat patriæ, arma capit, *n.* 13. Adsunt ei quasi cœlo derepente lapsi milites, *n.* 14. Jampridem cœleste auxilium senserat cum ferocissimis regibus Ascarico et Regaiso captis imperium feliciter auspicatus erat, *n.* 16. Cum Francos, n. 17. Bructeros, Clamasos, Eruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes ad bellum coactos uno impetu fuderat, cum dissimulato habitu in mediam

Digitized by Google

aciem progressus cum duobus barbaris manus conseruit, *n.* 18. Sic igitur ad liberandam Italiam Alpes transgressurus, *n.* 19; Segusiam, *n.* 21; Taurinos, *n.* 22; Brixiam, Veronam, *n.* 25; Aquileiam, Mutinam capit, *n.* 27; ac tandem profligato Maxentii exercitu, ipsoque Maxentio Milvii pontis ruina oppresso, *n.* 28. Romam victor ingreditur, *n.* 30. Hujus victoriæ fama ubique spargitur, *n.* 32. Liberalitate et sapientia suum Romæ splendorem restituit, *n.* 35, quid non expectare præterea urbs debeat a Cæsaribus? Utriusque fortitudo et bonitas mirifice laudatur, *n.* 36.

In fine. Post tam multa sapienter a Constantino ordinata, id optandum unum dicit, ut ea perpetua sint, n. 38.

INCIPIT PANEGYRICUS.

I. Dicturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum ultra omnium sæculorum principes eminet, quantum a privatis cæteri principes recesserunt, et dicturus in cœtu gaudiorum exultantium, et lætitiæ gestientis, quam cumulatiorem solito beatissimorum. Cæsarum quinquennia prima fecerunt; sentio nullam eloquentiam nec optari nec concipi posse, quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut vestris studiis facultatem. Jactat quippe se nunc cum maxime alacris omnium ac beata devotio. Nec operta mentium rimari necesse est; extat in vultu cujusque hilaritatis publicæ decus; et in serenis frontibus animorum judicia prælegunter. Non enim se capit exundantis lætitiæ magnitudo, sed dedignata pectorum latebras, ita multa et candida foris prominet, ut intelligatur non ingentior esse quam verior. Nec vero mediocribus bonis gaudent, qui exultandi modum non habent.

II. Fruimur quidem nos præsentium maxima voluptate, sed lenocinatur his jam futuri ratio; et quæ temporibus disseparata sunt, animorum præsumptione junguntur. Quintumdecimum annum maximus princeps salutaris imperii degit, sed auguramur jam vicenalia, et venturi fidem superiorum felicitate sancimus. Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia et spes volucres constiterunt. Horum dehinc compotes, propagabimus optabilis boni seriem. Ita omnia, quæ ex principibus nostris prospere veniunt, continuatos fructus ferunt, nec magis recepta delectant, quam expectata juverunt. Verum quid agimus, vicenis, aut jam tricenis annis circumscribendo, quæ æterna sentimus? Ampliora sunt merita principum quam optata votorum. Eat quinimo in immensum felicis cursus imperii, nec humanorum terminos curent, qui semper divina meditantur. Certe cupitorum irriti non sumus, qui cum optemus maxima, id faciamus benignius quam securius; quod propter cœlestem in illo favorem tam certa adipiscendi spes est, quam optandi soluta libertas. Has igitur gratulationes, quæ præsentibus excitantur, quæque superiorum memoria vigent, aut quasi in posterum redundatura cogitatio avida depascitur; quis omnium queat flagrantissimis audientium studiis satisfacere dicendo? Jam vero cum publicas tantum utilitates amplecti velim, et unusquisque privatim suas cogitet, tremebunda proferatur oratio, quæ tacita reputatione vincenda est. In ipsis etiam publicis gestorum ingentium pro-

VARIORUM NOTÆ.

I.—*Quantum a privatis.* Idipsum Gregorius Magnus de Galliæ regibus dixit, lib. v, ep. 6, ad Childebertum Francorum regem. « Quanto » inquit « cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna, regni vestri profecto culmen excellit. »

Cæsarum quinquennia. Crispi, Constantini, Constantii, et Constantis, quos Constantinus eorum pater ante quinque annos Cæsares designarat. Ex quo loco patet non imperatorum modo quinquennalia ut observavimus, celebrari solita, sed et Cæsarum.

Nec hoc est. Neque opus est scrutari intimos animi recessus.

Operta mentium. Ut *amara curarum*, *abdita terrarum*; mox *optata votorum*, supra jam semel atque iterum observavi.

Nec vero hoc est. Et vero summis bonis lætantur, qui lætitiæ tuæ modum non ponunt.

II.—*Fruimur.* Jucundissime quidem fruimur bonis præsentibus, sed his jucunditatem addit futurorum spes occupata, et quæ temporum intervallo discreta sunt.

Disseparata. An *disparata?* ut Viennensis habet editio.

Quintumdecimum annum. Concurrebat 15 Constantini annus, cum Cæsarum quinquennalibus. Mos autem erat, ut in quinquennalibus vota publica pro decennalibus, decimoquinto anno vota pro vicennalibus obtinendis funderentur, ut Porphyrius poeta diserte testatur in eo panegyrico carmine, quod hoc ipso anno Christi 321, coram Constantino pronuntiavit, cujus fragmenta opera Pithæi in lucem exiere. Itaque in eo carmine:

> Sancte Pater (*inquit*), rector superum vicenia læta,
> Augusto, et decies crescant solemnia natis.

Id ipsum constat ex sexcentis numis, VOTIS X MULT. et VOTIS XX, id est, votis decennalibus multis, votis vicennalibus.

Et venturis hoc est. Et judicamus ex felicitate priorum temporum, quid in futurum sperare debeamus.

Id faciamus. Lege cum Acidalio: *Id facimus non benignius, quam securius*: Id est, vota nostra non sunt irrita: hæc vero desideramus, non magis ex propensa in principem voluntate, quam certa spe inducti id nos impetraturos.

Soluta, etc. Hoc est, expedita libertas.

Quæque. Et quæ præteritæ felicitatis recordatione animantur, aut *quæ* mens cupida præcipit olim abundanter percipienda.

Tremebunda. Id est, timida prodeat oratio, quæ erit infra tacitam cogitationem singulorum: imo vero qui publicas rerum præclare gestarum laudationes ex professo suscipiunt, cum videantur eas augere velle, merito timent ne ea minuant, quæ ita magna sunt, ut amplificari non possint.

Digitized by Google

fessa laudatio, cum augendi cupiditatem præ se ferat, non injuria minuendi metum faciunt, quæ spem amplificationis ex magnitudine sustulerunt.

III. Quis, oro, Constantine maxime? præsentem enim mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes : quis, inquam, aspirare laudes tuas valeat æquiparandi magis spe, quam gratia non tacendi? Quis tam potens fandi, cujus copia tam larga, tam felix, quæ cum virtutes attrectaverit, non aut circumventa numero, desperato exitu stupeat, aut obterat magnitudinem, aut splendore obsolefacta tantum nitoris habeat, quantum ex rerum luce collegerit? Cujus cum divina virtus, et ejus misericordia comes, appendixque victoria urbem Romam non præcipitantem exceperit, sed afflictam ac plane jacentem excitarit, recreavit, erexerit, cumque aliæ felicissimæ tuæ prius ac deinceps expeditiones non minus in se operis amplexæ sint, quam ex ipsis faucibus fati Roma servata; quid dignum magnitudine tua excogitari ac dici potest, in cujus laudibus id maximum non est, quod in terrarum orbe primarium est? Nobilissimorum quoque Cæsarum laudes exequi velle studium quidem dulce, sed non et cura mediocris est, quorum in annis pubescentibus non erupturæ virtutis tumens germen, non flos præcursor indolis bonæ, lætior quam uberior apparet, sed jam facta grandifera, et contra rationem ætatis maximorumque fructuum matura perceptio. Quorum alter jam obterendis hostibus gravis terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit; alter jam consulatum, jam venerationem sui, jam patrem sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reservet, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem. Rapitur quippe ad similitudinem suorum excellens quæque natura, nec sensim ac lente indicium promit boni, cum involucra infantiæ vividum rumpit ingenium. Unde enim principis maximi tam effusus in liberos animus, nisi quod in illis jam simulacrum sui conspicit?

IV. Commendet inferioribus suos sola necessitudo naturæ, et qualescumque diligant, qui in illis, quod ex se desiderent, non habent : præstantissimum principem hoc maxime juvat, quod in annis primoribus jam sunt ductæ lineæ, quibus virtutum suarum effigies possit includi : et pater optimus, sed melior imperator, non tam sibi quam reipublicæ gaudet, cum liberos sibi similes intuetur. Quibus ad perficienda, quæ ingenerata sunt bona non segnis virtutum opifex disciplina conjungitur : ut spes æquiparandi patris certa sit. Quippe indole similes, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior. Ipsum a tenero intuentes, in ipsum oculis ac mente conversi, nihil ab ejus contemplatione deflectunt, incerti mirentur, an diligant : nisi quod necesse est utrumque permixte simul fieri. Nam et amor, factorum commendator est, unde nascitur admiratio; et facta cum mira sunt, amorem invicem creant. Ita spectantibus liberis quidquid ab eo pulcherrime geritur, cum propter ipsum magis placuit, tum studio imitationis inolescit. Jam tibi quidem in erudiendo, imperator optime, non omnia proponebantur, quæ sequi velles. Nisi quod recte factorum contemplator acerrimus, si quid secus fieret, a spectandi cura pudentes oculos abstrahebas. Dabit enim veniam clementia tua, si audaciorem veritas facit.

V. Existimare quidem de principibus nemini fas est : nam et in vestibulo suo inquirentem repellit objecta veneratio, et si qui mentem propius adegerunt, quod oculis in solem se contendentibus evenit,

VARIORUM NOTÆ.

Professa laudatio. Παθητικῶς ut apud Ovidium :

Solaque deformem culpa professa facit, etc.

Cum augendi. Ita post Acidalium restitui pro *quam augendi*.

III. *Etsi conspectu abes.* Itaque non dicta est hæc oratio coram Constantino.

Revelli. Id est, avocari tamen a cogitationibus nostris non potes.

Quis inquam. Id est, quis inquam est qui cum laudes tuas celebrat, non id agat potius, ne taceat, quam quod speret se eas æquare posse dicendo?

Aspirare laudes. Modus loquendi valde insolens.

Aut obterat magnitudinem. Fortasse *aut obteratur magnitudine*.

Afflictam. Maxentianorum latrociniis et ferocia.

Cumque aliæ. Adversus Germanos et Francos, quorum reges Regaisum et Ascaricum bello captos morte mulctavit. — *Cumque aliæ*, etc. Id est, et cum cæteris felicissimis tuis antea et deinceps expeditionibus nihil minus aggressus fueris, quam Romam eripere ex impendenti exitio.

Quorum, etc. Id est, quorum in teneris annis prima semina virtutis olim extituræ apparent.

Alter jam obterendis. Crispus Francos et Alamannos per inaccessa itinera acerbissimo gelidissimæ hyemis tempore adortus, eos profligavit an. Christi 320. Id testatur Porphyrius poeta in panegyrico Constantini, « sed Crispi in fortia vires, non dubie ripas, Rhenum, Rhodanumque tueri ulteriora parant, etc. »

Alter jam consulatum. Nempe Constantinus Cæsar omnium, quos e Fausta Maximiani filia Constantinus Aug. susceperat, liberorum natu maximus, eodem an. Christi 320.

Declarat, etc. Id est, cum jam fortis sit supra ætatem.

Cum involucra, etc. Id est, cum generosa ejus indoles promicat trans involucra infantiæ.

IV. *Commendet*, etc. Id est, iis quorum conditio inferior est tua, charos reddat suos liberos una conjunctio naturæ, et ament eos qualescumque illi sint, quibus vident deesse nullam de suis *virtutibus*.

Ductæ lineæ. Qui pingendam tabellam suscipit, is lineam primum circumducit, atque operi suo veluti limites præscribit, intra quos artem suam exerceat.

Quippe indole similes. Alio modo legit Acidalius : *Quibus indoles similis, sed*, etc.

Sed, etc. Hoc est, hac in re parente suo beatior, quod patrem ipsum habeat discendi magistrum.

V. *Existimare quidem.* An quiadivinum quiddam habent principes, ut Pacati pan. n. 27 : *Si fas piumque mortalibus existimare cœlestia*.

Nam. Id est, nam occurrens majestas in primo aditu rejicit curiosius perscrutantem.

Propius adegerunt. Lege *adhibuerunt* vel *adjecerunt*.

Quod. Id est, contingit iis qui solem respiciunt fixis oculis.

Digitized by Google

prætricta acie, videndi facultate caruerunt; verum tu facis, principum maxime, ut patere videantur, quæ prius obstructa fuerant, qui tam optas totus videri quam cæteri recusabant. Non terror obtentui est, nec occultandis quæ plerumque intrinsecus latent, demorandoque aspectu ostentatio speciosa prohibetur. Obtutus hominum benignus receptas, nec intuentem iniquus fulgor retundit, sed serenum lumen invitat: nunc denique intelligimus, quæ desideranda in prioribus fuerant, postquam ea, quæ operta in cæteris veriti sumus, in te reserata veneramur. Igitur, ut facilis, beatissimi Cæsares, per omnes paternarum laudum vias ite securi. Non simplici quidem itinere humerosæ ejus virtutes ingrediuntur, sed omnia ad eumdem gloriæ exitum ferunt. Nullæ cupiditatum deflexiones, nullus erroris anfractus: ut verenda progredientibus non sit dispendiosa revocatio. Itaque maturiorem cursum instituistis, qui moram considerandi itineris non habetis. Sed mihi circumvento hac ipsa rerum copia, quæ potissimum capessenda sit via, qui aditus fiat incertum est: ita specie se multa offerunt paria, magnitudine congruentia.

VI. Verum ut in magnis domibus interiorem ornatum vestibula ipsa declarant, sic nobis venturis ad ingentium virtutum stupenda penetralia debet laudationis ingressum et prædicationis januam Roma præbere. Quæ demersa quondam tyrannidis impiæ malis, et quo major eo miserabilior, majestatis pristinæ decus ad misericordiæ ambitum conferebat. Tibi tamen, Constantine maxime, etiam in illa sui sorte venerabilis, quod quos impense amamus observantia illorum integra est, etiamsi fortuna dilapsa est. In abjectos officia gratiora sunt quæ non ex misericordia, sed ex honore venerunt. Sed nimirum recte a sapientibus ponitur connexio inter se apta virtutum. Sic enim mutuo et opera juvant, et fructum operæ partiuntur, ut facile appareat inseparabilis et indiscreta permixtio. Gessisti bellum, Imperator maxime, quod tibi non minus onus Urbis imposuit, quam ejusdem ærumna persuasit. Itaque non plus ex eo laudis fortitudini tuæ datum quam pietati tributum est, quod dum scelestos persequeris, miseros liberasti. Constituta enim et in perpetuum Roma fundata est, omnibus qui statum ejus labefactare poterant cum stirpe deletis.

VII. Non enim, qui bellorum eventus solent esse, per varios et volubiles casus Mars dubius erravit, nec fortunæ vicissitudo, quæ plerumque prosperis rebus triste aliquid agglutinat, victorum lætitiam vulneravit, sed tanta hostium et tam ampla cædes, tam felix et incruenta victoria fuit, ut credas non bello ancipiti dimicatum, sed solos impiorum pœnas expetitas. Tantum etiam inter arma bona conscientia sibi vindicat, ut jam cœperit non virtutis magis quam integritatis esse victoria. Spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, et quamvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen sese totam servatura divinitas; nec fieri potest ut cum spiritum quem ducimus, cum tot commoda quibus alimur divinum nobis numen impartiat, terrarum se curis abdicaverit, nec inter eorum vitas dijudicet quorum utilitates gubernat. Illa igitur vis, illa majestas fandi ac nefandi discriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, librat, examinat: illa pietatem tuam texit, illa nefariam illius tyranni fregit amentiam, illa invictum exercitum tuum, tot victoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem, tantis insuper viribus juvit quantas præstare aut Deus potuit, aut amor tuus debuit; ut horrendas acies, ut incognita ferri et corporum robora fulmineus miles everteret, ut quidquid instruxerat

VARIORUM NOTÆ.

Non terror. Id est, non torror obstaculo est, nec apparet superba ostentatio in tegendis virtutibus, quæ ut plurimum occultæ sunt, aut in retinendo aspectu.

Intrinsecus latent. Ita restituit Livineius pro *extrinsecus*.

Prohibetur. An potius *perhibetur*.

Benignus, etc. Humaniter admittis.

In te reserata. In te explicata veneramur.

Ad eumdem. Id est, ad eumdem gloriæ finem tendunt.

Ut verenda, etc. Id est, ut procedentibus non metuendum sit, ne necesse habeant cum dispendio aliquo sese revocare.

Sed. Mihi circumfuso ea ipsa rerum abundantia.

Specie, etc. Id est, pulchritudine æqualia, amplitudine similia.

VI. *Interiorem*, etc. Id est, judicatur ex limine ipso, qualis sit interior domus ornatus.

Prædicationis, etc. Id est, exornationis aditum.

Tyrannidis impiæ. Sub Maxentio.

Majestatis. Id est, eo referebat splendorem dignitatis pristinæ, ut dignior misericordia videretur.

Quod, etc. Id est, quia quos magnopere diligimus, non minus colimus, cum fortunam adversam experiuntur.

Quæ, etc. Id est, quæ conferuntur non tam habita ratione miseriæ, quam dignitatis eorum quibus impenduntur.

Connexio virtutum. Fuit hæc Stoicorum hominum opinio, ut variis in locis referunt Tullius et Horatius.

Sic, etc. Id est, nam sic operam sibi mutuam tradunt.

Juvant. Ita restitui ex veteri codice, pro *juvat*. Claud. Puteanus alio item modo legit, nempe *sic enim mutua se opera juvant*.

Onus Urbis. Quod susceperas cum Augusti nomine. Alii legunt *honos Urbis*, supra enim, *non ex misericordia, sed ex honore venerunt*.

Cum stirpe. Intellige de Maxentio cum Romulo filio in ea clade cæso.

VII. *Fortunæ*, etc. Id est, adversum quidpiam admiscet fortuna quæ solet admiscere prosperis quidpiam adversum, corrupit gaudia victorum.

Ut, etc. Id est, ut non tam fortitudini quam probitati tribuenda.

Servatura. Observatura seu intuitura. Infra, n. 26: *Quod pugnantem nemo servaret*, id est, intueretur. Alii tamen legunt *scrutatura*.

Nec, etc. Id est, nec discrimen ponat inter eorum animas, quorum utilitatibus studet.

Fandi. Id est, quæ dijudicat, quod fas ac nefas est.

Tot, etc. Id est, tot victoriarum recordatione, pleno animo inflammatum.

Ut horrendas, etc. Id est: Ut milites tui fulminis in-

Digitized by Google

diuturni sceleris longa molitio felici congressione consumeres.

VIII. O tuam, Imperator, non victoriam magis quam clementiam prædicandam! Gravate etiam apud animum tuum male pereunt. Invitus pugnasti, qui tam facile vincebas. Jamdudum quippe prævideras hominem non imperando habilem, non tantæ majestatis capacem; quod magnitudo male crediti muneris extra animi angustias effluebat: quod qui tueri nequeunt, ubi sub tanto onere fortunæ infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate. Quid ego referam infelicium indignissimas cædes? quid inexpletos libidinum pastus? quid miseras patrimoniorum direptiones? Sileantur hæc sane, non tantum ne sopitam malorum memoriam oratio mea suscitet, sed ne sanctissimas principis laudes dum aliena vitia depromimus, sermo talis incestet. Incrementum quidem adeptæ felicitatis est malorum commemorata depulsio; verum ut in segetibus, etiamsi multa quæ humum obsederant industria revellenda sunt, laborem tamen purgati soli nesciunt qui fructus editos intuentur; sic Constantini laudibus satis est dum efflorescentia bona cernimus ne mala excisa reputemus.

IX. Ferebas tamen, Imperator, ferebas illum in tantis malis ludentem, et cum omnia tu scires, vota hominum connivendo, patiendo, fatigabas: qui ne sic quidem injuste arma caperes, etsi nondum ab homine lacessitus, jam tamen vitiorum ejus inimicus. Sed, quod erat consentaneum clementiæ tuæ, experiebaris remedia molliora, ut quod leniri quam resecari malles mitior medicina sanaret. Quin extorques animo tuo et conveniendi studium, et concordiæ voluntatem? si concordiam quam veniam appellari fas est cum qui potest vincere optat ignoscere. Et non dubito quin hanc rationem cœlestis prudentia tua duxerit, quod conjunctione sua flagrantissimas hominis cupiditates vel extingueret penitus, vel modice temperaret. Nulla quippe est libido tam vecors, quam non capiat cum in consortium temperantia venerit. Dejicit oculos deformis ignavia, ubi ei pulchritudo virtutis objecta est. Tergiversari atque hærere petulantiam videas gravitate, modestia et decore confusam: ut appareat te, Imperator optime, concordia imperanda non illi impunitatem vexandæ Urbis datorum, sed leniorem petiisse victoriam; cum malles vitia ejus quam arma superare.

X. Sed profecto nulla vi possunt coire, quæ naturali divortio dissident: nec ulla tam fidelis est copula, quæ in diversum tendentia nexu suo teneat. Perpendit scilicet secum excellens prudentia tua, eique semper pietas applicata, omnes concordiæ commoditates; illam esse fundamentum ac radicem otii, bonorum civilium seminarium, quietis publicæ segetem, et almam pacis altricem. Sed *o quam* æger est ad honestatem recursus his, qui jam gradum ex nequitia protulerunt! Vocas ad societatem; appetitum tuum refugit, adversatur, horrescit; nihil sibi putat tecum commune, quia nihil simile est; jam certe quiescere virtuti integrum non est. Nam bellum animo gerere, armis abstinentem, non concordiæ ratio est, sed ignava dissensio.

XI. Licet non sit in his ratio desideranda qui semel de via præcipites ire cœperunt, mirari tamen nequeo, cum id delatum non amplexus sit, quod impudens esset si auderet optare. Utrum Urbis funestam illam lacerationem lente ac remisse te laturum putavit? Sed natura affert ut injuriæ ejus quem diligas etiam si re ipsa graves sunt, fiant tamen amore graviores: an credidit conserenda manu non inferiorem? Hoc vero quam opinari non potuerit exitus docuit, cum signis tam sæpe collatis, nihil unquam fuerit, quod aut spes aucuparetur, aut fortuna promitteret. Dolis, credo, existimavit decipi posse. Sed non virtus tua de congressione, quam prudentia est de fraude securior. Quis enim ad præsentiendum sagacior? quis vigilan-

VARIORUM NOTÆ.

star direrent armorum et corporum hostilium vim quam non norant, et feliciter everteres uno conflictu quidquid virium collegerat diuturno crimine.

VIII. *Gravate.* Id est, ægre est tibi quod improbi pereant; ægre adductus es ad pugnandum.

Non imperando habilem. Maxentium.

Quod, etc. Id est, quod angustiorem haberet animum, quam ut magno muneri male *ipsi* commisso par esset.

Ubi, etc. Id est, postquam imbecillus animus oppressus tanto munere fortunæ: dant licentiam faciendi quod impedire non possunt.

Sermo, etc. Id est, ejusmodi oratio corrumpat.

Adeptæ felicitatis. Adeptæ, παθητικῶς, sumitur Ovid. lib. IV Trist. eleg. 8, 19:

Ne cadat et multas palmas inhonestet adeptas.

Et Tullius: « Senectutem ut adipiscantur omnes optant, eamdem accusant adeptam. » Ubi aliqui legunt *adepti*, pro *adeptam*: sed male, ut observat Henricus Stephanus in præfatione libri *de Latinitate falso suspecta*. Multa ejus generis verborum exempla suppetunt apud auctores, quæ hic ego referre abstineo.

IX. *Remedia molliora.* Missis ad eum legatis si forte fœdus cum eo inire vellet: quod superbe ille recusavit ejectis atque eversis per summum ludibrium Constantini statuis.

Quin, etc. Id est, imo tibi imperas, ut ad congressum et concordiam cum eo venias, si tamen concordia potius quam venia dicenda est.

Concordiam quam veniam. Pro *magis quam veniam*. Ut in illo Plauti ex Rudente, *certum est mori, quam pati*, etc.

Quam. Hoc est, quam non sibi subjiciat.

Concordia, etc. Id est, te ad colloquium venire voluisse, non ut dares illi facultatem impune vexandi Urbem.

X. *Nec.* Nec vinculum ullum est tam arctum, quod nectendo retineat quæ in diversas partes tendunt.

O quam, etc. Hoc est, o quam ægre ad honestatem se revocant, qui jam nequitiæ semita processerunt.

Appetitum tuum. Id est, quod appetebas. Alii legunt *affectum tuum:* Alii, *amicum tuum.* — Desiderium tuum aversatur.

XI. *Mirari tamen nequeo.* Deest *non* vel *satis*.

Cum id, etc. Hoc est, quod non acceperit illud quod ipsi offerebas.

Sed natura affert. Fortasse *fert*.

Ejus, etc. Id est: Illatæ ab eo quem ames.

Quod, etc. Id est: Quod aut spe præciperet, aut, etc.

Dolis. Quibus adversus Severum, Galerium ac Maximianum usus erat.

Sed non, etc. Id est: Sed non magis metuendum

Digitized by Google

tior ad videndum? Quis contemplatur præsentia acrius, ventura prolixius, ambigua certius, captiosa felicius? Non hinc tecum Lynceus ille certaret, qui, ut poeta ferunt, parietum septa et arborum truncos visu facile trajiciebat; aut etiam ille quem eadem vetustas locuta est, cum in Siciliensi specula constitisset, conspicari solitum naves quæ Africæ portum subirent; cum prospectum hominis non aer offusus, quem crassiorem exhalatio maris faceret, non tantum disjunctarum regionum longinquitas impediret.

XII. Cum spes omnis frigere debuerit, et voluntas pacificandi alienata sit, quis dubitet divinitus armis tuis deditum, cum eo dementiæ processerit, ut ultro etiam lacesseret quem ambire deberet? O quam acres habes dolorum aculeos contumelia quam imponit inferior! ecce enim, proh dolor! verba vix suppetunt, venerandarum imaginum acerba dejectio, et divini vultus litura deformis. O manus impiæ! o truces oculi! Ita non caligastis? In quo lumen mundi obscurabatis, meritas ipsi tenebras non imbibistis? Commovere tandem, conscia virtus, nec permittas hoc furori, cui de te aliud non licebat. Sed quid tandem assequeris cæca dementia? Abqleri hic vultus non potest. Universorum pectoribus influxus est; nec commendatione ceræ, aut pigmentorum fucis retinet, sed desiderio efflorescit animorum: una demum Constantini oblivio est humani generis occasus. Nunc vero commendabiliorem injuria tua faciet patientiam ejus, avidius expetent quem pictura non reddit. Flagrantiora sunt animorum desideria cum oculorum solatia perdiderunt.

XIII. Nihil profecto gravius, nihil miserius Roma doluisti. Quamvis recondita alte magis gemeres, et ingestos quotidie luctus callo quodam obdurate patientiæ sustineres, confessus est se inconsultior dolor, nec timuit deprehendi, et male clausi signa mœroris per vultus indices exierunt. Hoc enim, Roma, tot vulneribus saucia vindicari volebas, cum tamen præstantissimus princeps injuriæ suæ negligens ulcisci tuas mallet. Ita ambo, benigni ratiocinatores officiorum, paria fecistis, tu voto, quo solo valebas, ille amore pariter et facultate, ut tantum bonorum tibi tribueret quantum te sibi velle recognosceret. Pugnasti igitur, Imperator, coactus quidem, sed hoc maxime victoriam meruisti, quia non desiderabas. Optasti pacem, sed ignosce si plus omnium vota valuerunt. Nec illa solita obsecundare cœptis tuis divinitas, in hoc refragata est; sed aliquid ex sententia tua non cedit, ut plus pro meritis iniret. Negata est concordia cui erat parata victoria.

XIV. In ore denique est omnium Galliarum, exercitus visos qui se divinitus missos præ se ferebant. Et quamvis cœlestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex et inconcreta substantia naturæ tenuis eludat; illi tamen auxiliatores tui aspici audirique patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species? qui vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum nescio quid umbone coruscl, et cœlestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Habent profecto et divina jactantiam, et cœlestia quoque tangit ambitio. Illi

VARIORUM NOTÆ.

prudentiæ, ne decipiatur in colloquio, quam virtuti, ne parum feliciter cum hoste manus conserat.

Lynceus ille. Simile quid habent Plinius, natur. Hist., l. VII, c. 21; Strabo Geograph.; VI Ælian. Variæ Hist., II, c. 13; Plutarchus Tullius, IV; Academ.; Valer. Maxim., l. IV, cap. ultimo, quorum verba, ne nimius sim, non refero.

Non tantum. Lege *non tanta* ut ex veteri codice emendat post Acidalium Gruterus.

Cum spes, etc. Hoc est. Postquam spes omnis infringi debuit, et depositus est animus sanciendæ pacis.

XII. *Habes.* Forte *habet.*

Quam, etc. Id est: Quæ infertur ab eo qui altero dignitate inferior est.

Venerandarum imaginum. Constantini imagines Romam de more perlatas, a Maxentio dejectas esse, supra dictum est in Constantini vita.

Divini, etc. Id est: Divinus vultus luto deformatus.

In quo lumen mundi. Lege cum Acidalio; *cum lumen mundi*, etc.

Commovere, etc. Id est: Imperator virtutis tuæ conscie te tandem excita.

Nec permittas furori. Ut furorem suum exerat in tuam imaginem is, cui non satis est animi, ut aliquid in te moveat.

XIII. *Ingestos*, etc. Hoc est: Et nova quotidie luctus argumenta quasicallum quoddam patientiæ tuæ obduceres.

Dolor, etc. Id est: Mœror se prodens.

Et male clausi, etc. Tuum de afflicta Roma dolorem dissimulare non potuisti: et quamvis illa injurias sibi illatas mallet, quam tibi; tu tamen ejus dolore potius ad bellum Maxentio indicendum inductus es.

Ambo. Roma quam alloquitur, et Constantinus de quo sermo est.

Ratiocinatores, etc. Id est: Boni æstimatores vestrorum officiorum, simile quidpiam fecistis, tu, o Roma, desiderio, quod unum facere poteras, ille et optando tibi bonum, et id tibi procurando.

Nec illa divinitas. Nec divinitas illa quæ tibi rebus in omnibus obsecundat, tuis votis non obsecuta est, cum fecit ut Maxentius oblatum fœdus non acciperet, sicque ampliorem tibi laudis segetem daret.

XIV. *In ore denique.* Utrum de Labaro intelligendum id? an quod olim Romanis mox ait contigisse, equites aut etiam legiones integræ Constantino e cœlo affuerint? Ea quidem de re nihil habet Eusebius. At Nazarius id in Gallorum omnium ore fuisse affirmat, præsente Constantino ipso, et coram variis omnium nationum populis.

Inconcreta, etc. Hoc est: Corporis expers.

Audirique patientes. Sic Horat., l. I, od. 2: *Patiens vocari Cæsaris ultor.* Et od. 19: *Vultus lubricus aspici.* Idem de Arte poet., 163: *Cereus in vitium flecti.*

Ubi meritum, etc. Hoc est: Postquam virtutis tuæ testimonium dederunt, sese hominum aspectui subduxerunt.

Flagrabant, etc. Id est: Emicabat in iis majestas nescio quæ, clypeis effulgentibus.

Et cœlestia, etc. Hoc est: Sane vel in cœlestes cadit ambitio.

Digitized by Google

cœlo lapsi, illi divinitus missi gloriabantur quod tibi militabunt. Dicebat hos, credo, Constantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat, divinas expeditiones jam divus agitabat. Magnus hic quoque pietatis tuæ fructus, quod quamvis particeps cœli ampliorem se fieri gratia tua senserit, et cujus munera in alios influere jam possent, in eum ipsum tua munera redundarint.

XV. Cedat tibi non recentium sæculorum modo, sed totius memoriæ vetustas, quamvis illa, recti appetens, et nullo unquam depravata in officio, glorietur penes se sanctitatis famam stetisse. Sed nec leguntur præconia hominum ubi quæruntur judicia divina. Illi igitur veteres, laudati vitæ moderatores, qui refrenandis cupiditatibus restricte compteque vixerunt, quorum omnis ætas armis conterebatur; quando tantam in prælio divinam opem pro merito integritatis habuerunt? ut qui longe a virtutibus tuis distant, in proximo saltem justitiæ gradu reponantur. Romano quodam in bello ferunt duos cum equis juvenes, spectatos forma pariter ac viribus, quia in dimicando præter cæteros insignes fuissent, jussu imperatoris ad remunerandam industriam requisitos. Ubi nulli inveniebantur, fides habita est divinos fuisse, quod cum laborem sedulo communicavissent, laboris pretium respuissent. Equidem historiæ non invitus assentior. Neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda, quæ se non vanam antiquitatis nuntiam pollicetur. Sed tamen illi, qui hoc annalium monumentis illigaverunt, verebantur ne apud posteros miraculi fides claudicaret. Estote, o gravissimi auctores, de scriptorum religione securi; credimus facta qui majora nunc sensimus. Magnitudo principis nostri gestis veterum fidem conciliat, sed miraculum detrahit. Pro auxilii copia negotiorum ratio metienda est. Duo quondam juvenes, sed nunc exercitus visi. Hoc certe uberius, nec infirmius veritate. Stat argumento duplici fides nixa. Sic Constantius juvari meruit, sic debuit Roma servari.

XVI. Magnum hoc, Imperator maxime, sed de tua pietate non mirum. Adesse tibi in omnibus summam illam majestatem, quæ te circumflexa tueatur, conjectura mentium tenebamus, etsi nondum ad fidem patebat oculorum. Etenim cum mens tua mortali contagione secreta, pura omnis, funditus sincera, ubique se promerendo Deo præstet, cum gloria tua humanum modum supergressa sit, quis est hominum quin opitulari tibi Deum credat, cum id et vita mereatur, et rerum magnitudo testetur? Parumper igitur ab instituto cursu non ingrato diverticulo recedamus. Tenebo hunc orationis modum, ut nec inhumane de cæteris muta sit, nec odiose de instantibus obloquatur. Tu, Imperator optime, inito principatu, adhuc ævi immaturus, sed jam maturus imperio, ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis. Tu exinde domi militiæque juxta bonus, nusquam gradum extulisti quin ubique te gloria quasi umbra comitata sit. Tu ferocissimis regibus, Ascarico et comite suo captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus. Ut Herculem ferunt tenerum adhuc atque lacténtem duos angues manu elisisse, ut jam infantulo indoles futuri roboris immicaret, sic tu, Imperator, in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per sævissimorum regum famosa supplicia ludebas.

XVII. Franci ipsi, præter cæteros truces, quorum vis cum ad bella effervesceret ultra ipsum Oceanum æstu furoris evecta, Hispaniarum etiam oras armis

VARIORUM NOTÆ.

Qui, etc. Id est: Qui se agnoscebat terrenis triumphis a te superari.

Ampliorem, etc. Id est: Expertus fuerit se clariorem fieri tuo beneficio, et qui aliis beneficia conferre posset, is gloriam a te beneficii loco acceperit.

XV. *Restricte, compteque. Contente*, ut Livineius putat, id est, parce. Plautus, Asinaria, sc. 1, act. 1: *Mater illum arcte contenteque habet.*

Duos juvenes. Castorem et Pollucem, Horat., l. 1, od. 12: *Hunc equis, illum superare pugnis nobilem.* Ambos Jovis ex Leda filios apud poetas celebratissimos. « Ea demum atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem, nemo dubitarit. Itaque et imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit, et reddidit plane quasi stipendium commilitonibus deis. » Florus, l. 1, cap. 11.

Ad remunerandam, etc. Id est: Quo eorum virtus præmio donaretur.

Neque enim, etc. Quasi diceret: Nec enim existimanda est ea in re veritatem corrupisse, nec temere se jactat vetustatis nuntiam.

Ne apud, etc. Hoc est: Ne prodigium apud posteros fidem non obtineret.

Estote, etc. Hoc est: Haud metuite ne parum fideliter res descripsisse videamini.

Hoc certe, etc. Id est: Hoc certe majus, nec minus verum.

XVI. *Quæ te*, etc. Hoc est: Quæ te circumcingens defendat, cogitatione divinando putabamus, quamvis nondum oculis contestatum illud esset.

Ubique, etc. Hoc est: Nihil omittat, in quo deum sibi conciliare possit.

Non ingrato. Hoc est: Non insuavi digressione.

Ut nec inhumane. Hoc est: Ut neque alias actiones parum humaniter sileam, nec in præsentibus commemorandis cum aliquorum invidia hæream.

Ævi immaturus. Atqui si Eusebio, Sozomeno et Eutropio fides est, qui cum anno ætatis 65 obiisse dicunt, imperii vero 32 tum agebat annum tertium supra tricesimum, sed plurimum ævi immaturum eum vocat præ Maximiano et Diocletiano, quos senes imperatores viderat.

Et comite. Id est, Regaïso, quem appellat non uno in loco.

Duos angues. A Junone ejus noverca in ejus cunabul.. immissos. Virg., Æneid., l. VIII, 288:

..... Ut prima novercæ
Monstra manu geminosque premens eliserit angues.

Infantulo immicaret. Malim cum Acidalio *in infantulo emicaret.*

Ludebas. Forte *præludebas*, Acidal.

XVII. *Ultra ipsum Oceanum.* Tangit Probi imperatoris tempora sub quo Francorum manus qui a Ponto, quo in loco captivi Franci tenebantur, « correptis navibus, Græciam, Asiamque populati, nec impune plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas. Et immenso itinere pervecti, Oceanum qua terras rum-

Digitized by Google

infestas habebat : ii igitur sub armis tuis ita concide- A laudis ex multiplicatione terroris est, magnificentius
runt, ut deleri funditus possent, nisi divino instinctu, congregata obteris, quæ scrupulosius dispersa sequereris. Innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed uno impetu tuo fusæ, dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam præstiterunt.

XIX. Uno hoc bello, si debitis laudibus immorari vacaret, dies integer conderetur. Nunc ita omnia prætervolans cecidit oratio, ut victoriarum tuarum non summam evolveret, sed ornamenta monstraret. His rebus semper e re publica gestis tanta vi tantoque successu, ut nunquam virtus tua intremuerit, prudentia hæserit, felicitas claudicarit, satis, ut opinor, probatum est perpetuam in te benignæ majestatis opem fluere : ut cœlestes exercitus tui non tunc primo missi, sed tum demum intellecti esse videantur. Talis igitur ad liberandam Italiam et tam tutus B accedis, ut cum res bellica cæcos habeat eventus, in te tamen dimicandi voluntatem pro victoriæ pignore teneres, etsi abessent auxilia divina. Aderat enim robustus, et florens, plenus virium, animi plenus exercitus, lætus armis, et militiæ munia exequens studio magis quam necessitate, quippe cui stipendia sunt pauciora quam prælia. Cum dico prælia, significo victorias, præterea tam amans tui quam tibi carus. Ignosce enim superba virtus, quantumvis fiduciæ et spiritus capias, amor principis facit militem fortiorem.

XX. Antiqua admodum res est quam proferam, sed non indigna memoratu. Illyrii quondam, despicientes Eropi regis infantiam, Macedones bello lacesserunt. Et prima quidem congressio secundum illos fuit; C verum Macedones cum bellum reficerent, regem suum in cunis ad aciem detulerunt. Cum illos ira, hos miseratio, illos signorum cantus, hos pueri vagitus

XVII. Quid memorem Bructeros? quid Chamavos? quid Cheruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina, et immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes sigillatim, dein pariter armati, conspiratione fœderatæ societatis exarserant. Tu tamen, imperator, cum tantam belli molem videres, nihil magis timuisti quam ne timereris. Adis barbaros, et dissimulato principis habitu, quam proxime poteras cum duobus accedis. Nunquam est excelsior principatus quam cum se publico submittit officio. Facis verba, spem illorum agitas, et versas credulitatem, negas te esse præsentem. O vere cæca barbaria, quæ in illo vultu signa principis non videris, quem nec sic quidem senseris, cum intra jactum teli securus sui staret, Constantinum esse! Qui hoc poterat non timere, dubitare quidquam potes per omnia subnixum Deo vadere? Invictos ducis, et solus timeris. Tot regna, tot populi et tantarum nationum congregatio, indignam se viribus tuis putat, quem credit absentem. Tibi tamen incrementum

VARIORUM NOTÆ.

pit, » id est, fretum Gaditanum proindeque et Hispanias, « atque ita eventu temeritatis ostenderant, nihil esse clausum piraticæ desperationi, quo navigiis pateret accessus. » Id ipsum ait Vopiscus in Probo.

Fortissimo Cæsari. Crispo qui an. 320 Francos vicit delevitque.

Cum memoria, Id est : cum decertaret acceptæ cladis recordatione potius exacerbata, quam perculsa.

Segusiensium civitatem. Segusium urbs Galliæ Cisalpinæ propter Duriam fluvium, ad radices Alpium Cottiarum, etc.

XVIII. *Bructeros.* Bructeri, Germaniæ populi, de quibus mentio est etiam in alio panegyrico. D

Chamavos. De his Germaniæ populis alibi etiam loquitur.

Cheruscos. Ultra Visurgim fluvium habitantes, ubi nunc ducatus Brunsvicensis.

Vangionas. Ad Rhenum, supra Moguntiam : ubi nunc Wormacia. *Worms.*

Tubantes. Quos alii Transisilana apud Frisiæ et Westphaliæ confinia : alii in ea parte Germaniæ, quæ nunc Westphalia dicitur, habitasse volunt.

Publico submittit. Id est : Vulgare munus fungitur. Venis ad colloquium, spem illorum moves.

Versas credulitatem. Melius quam *crudelitatem*, Id est, nimium credulos fallis, dum negas te esse præsentem.

Invictos ducis. Id est, tecum invictos milites ducis, tuque unus omnium maxime timeris. In Livineiensi editione est *invictos duces non times, et solus timeris*, quod non ita probatur.

Quem credit absentem. Id est, dum se absentem putat.

Tibi tamen. Hoc est : Inde tamen crescit laus tua, quod crescit numerus hostium, et majori cum laude collectos hostes frangis, quos esset difficilius dispersos persequi.

Dum collativam. Id est : Dum vires in unum conferunt.

Dies integer conderetur. Vide Plinii pan. n. 80 : « Cum tibi dies omnis, summa cum utilitate nostra, summa cum laude tua conderetur : » ubi plura vide ejus generis exempla.

XIX. *Cecidit oratio.* Alii legunt *tetigit.*

Non summam evolveret. Melius si transpositione facta legatur *non ornamenta evolveret, sed summam monstraret.*

E re publica. Hoc est : Ex utilitate publica.

Felicitas claudicarit. Id est, nutarit. Supra, n. 15 : *Ne apud posteros miraculi fides claudicaret.*

Sed tum demum. Hoc est : Sed tum tandem manifesti esse videantur.

In te tamen. Hoc est : tua tamen certandi voluntas, tibi victoriæ pignus foret.

Quippe cui, etc. Id est : Cum plures pugnas inierit, quam meruit stipendia.

XX. *Eropi regis.* Nota historia ex Justini. l. VII et Ammiani l. XXVI, ac Polybio.

Secundum illos. Hoc est, feliciter illis cessit, sed Macedonibus ad pugnam redeuntibus.

Digitized by Google

accenderet, mutata est ratio certaminis; vicerunt qui amore pugnabant. Quanto igitur est amor fidelior accepti beneficii memoria, quam præsumptione futuri, quod illic percepta res juvat, hic expectata blanditur, tanto tui animosius dimicaverunt, qui non puero spem gratiæ munerabatur, sed principi post natos homines benignissimo meriti debitum rependebant.

XXI. Primam igitur Segusiensium civitatem, quam primam iter dederat, victoria facilis amplexa est. Quæ resistendi pertinacia ita in se imperatoris vim convertit, ut pietatem tamen non alienaverit. Nam cum introitus vi manu quæreretur, et portarum inflammatio ignem late distulisset, cujus facilis per adjuncta contagio partu pestifero valescebat, maxima benignissimi imperatoris fuit cura, non modo ut incendium non adjutum senesceret, sed oppressum emori posset; et longe operosior clementia quam fortitudo ejus perspecta est: cum plus in conservanda urbe quam in capienda fuerat laboris oriretur. Itaque digrediens sic cupidam sui fecit, ut eam ad omne obsequium non victoriæ metus componeret, sed admiratio lenitatis.

XXII. Optima aiunt esse remedia quæ ad usum corrigendi nostri ex aliena calamitate nascuntur; verum animus pravitate, velut morbo impeditus, dilectum boni non habet. Ecce jam apud Taurinos vententem pugna gravior expectat, nec Segusiensium vastitas monet ut sibi caveant; nec cogitant quod cum principe res futura sit, quod neque vis ejus resistendi spem faciat, nec mansuetudo rationem. Campum late jacentem tantus miles oppleverat, ut non improbaret fiduciam qui instructos videret. Quæ enim illa fuisse dicitur species, quam atrox visu, quam formidolosa, operimento ferri equi atque homines pariter obsepti? Clibanariis in exercitu nomen est. Superne omnibus tectis equorum pectoribus demissa lorica, et crurum tenus pendens, sine impedimento gressus, a noxa vulneris vindicabat.

XXIII. Te tamen, Imperator, non terruit, nec quod tanto numero duplicabat armatura terrorem, nec quod vim armis numerus addebat. Certum est enim pro negotii modo animosam esse virtutem, quod ex se rerum captum suum temperat: in parvis prope ad securitatem remissa, in mediocribus modice intensior, ubi magna venerunt, juxta magnitudinem exantlandi operis erigitur. Illa armorum ostentatio, et operti ferro exercitus, qui imbelles oculos vulnerassent, invictas mentes incitaverunt: quod imbutus imperatoris exemplo totis animis ejus miles ardescit, cum invenit hostem quem vinci deceret. Cataphractos equites, in quibus maximum steterat pugnæ robur, ipse tibi sumis. His disciplina pugnandi est, cum aciem arietaverint, servent impressionis tenorem, et, immunes vulnerum, quidquid oppositum sine hæsitatione perrumpant.

XXIV. Sed tu, imperator prudentissime, qui omnes bellandi vias nosses, opem ex ingenio reperisti, quod tutissimum est, eludere, quod est difficillimum sustinere. Diducta acie, in irrevocabilem impetum hostes effundis, dein quos ludificandos receperas reductis agminibus includis. Nihil proderat contra tendere, cum ex industria tui cederent. Flexum ad insequendum ferreus rigor non dabat. Ita nostri proditos sibi clavis adoriuntur: quæ gravibus ferratisque nodis hostem vulneri non patentem cædendo defatigabant, ac maxime capitibus afflictatæ, quos ictu perturbaverant, ruere cogebant. Tunc ire præcipites, labi reclines, semineces vacillare, aut moribundi sedilibus attineri, permixta equorum clade impliciti jacere, qui reperto

VARIORUM NOTÆ.

Mutata est, etc. Id est: Mutatus est belli eventus.

Accepti, etc. Hoc est, accepti beneficii recordatio magis amorem firmat quam spes futuri.

XXI. *Segusiensium civitatem*. Segusium, *Suze*.

Quam primam. Id est, quæ prima occurrerat de via.

Quæ resistendi. Hoc est, quæ obstinate resistendo.

Vi manu quæreretur. Plerique interpretes inducunt voculam *vi*, quam ex glossemate in contextum putant receptam.

Cujus, etc. Hoc est, cujus facilis diffusio ex contiguis locis ortu novi incendii crescebat.

Partu pestifero. Alii legunt *pastu*, sed non hic opus mihi videtur emendatione. Loquitur enim de incendio tanquam de homine, qui adolescit, senescit, moritur.

Non modo. Id est, non modo ut incendium minueretur sublatis fomentis, sed ut obrutum posset extingui.

XXII. *Aliena calamitate*. Notus ille versiculus:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Dilectum boni. Non aptus est ad judicium de bono ferendum.

Taurinos. Augusta Taurinorum, *Turin*.

Quod neque, etc. Id est, quia ita fortis est *Constantinus* ut ei resisti non possit, et ita mansuetus, ut causam resistendi non habeat.

Operimento, etc. Hoc est, equi et homines ferro omni ex parte cooperti.

Clibanariis. Equitibus cataphractis: hoc est qui equis ferro undequaque septis, ipsi quoque ferrea lorica armati insiderent. De iis Claudianus:

Conjuncta per artem
Flexilis inductis hamatur lamina membris,
Horribilis visu. Credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.

κλίβανον verograece, est lorica ferrea.

Noxa. Id est, contra vulnera tutos præstabat.

XXIII. *Pro negotii*. Id est, fortitudinem exercere vim suam, prout res postulat.

Quod ex se. Quod se rebus attemperet et accommodet.

Quod imbutus. Id est, quod inductus.

Ipse tibi sumis. Supple *oppugnandos*.

Aciem arietaverint. Perruperint. Ducta metaphora ab arietum similitudine, quibus urbium muri subvertebantur.

Servent impressionis tenorem. Id est, in suscepta acriter oppugnatione constantes sint.

Immunes, etc. Id est, et securi contra vulnera quidquid objectum est absque mora disjiciant.

XXIV. *Quod*, etc. Id est, primum in eludendo hostium impetu, in quo plurimum securitatis est: deinde in eodem sustinendo, in quo plurimum difficultatis.

In irrevocabilem impetum. Ita diducis aciem, ut hostes progrediendi cupidos ac nimium se effundere ausos reductis agminibus derepente includas atque opprimas.

Effundis. Hoc est, irruere sinis.

Quos, etc. Id est, quos ad ludibrium admiseras.

Ludificandos. Παθητικῶς, vel fortasse legendum *Ludificando*.

Digitized by Google

sanciandi loco passim equitem effreni dolore fundebant. Ad unum interfectis, omnibus tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ transtulerunt, quod qui invulnerabiles habebantur sine tuorum vulneribus interissent. Antoninus imperator in toga præstans, et non iners nec futilis bello, cum adversum Parthos armis experiretur, visis cataphractis, adeo totus in metum venit, ut ultro ad regem conciliatrices pacis litteras daret. Quas cum rex immodicus animi respuisset, insolentia quidem barbari debellata est, sed patefactum est in his armis tantam inesse violentiam, ut et vincendus fideret, et superaturus timeret.

XXV. Quid ego referam post tantam et tam gravem pugnam quod apud Brixiam magnus quidem et acer equitatus esset, fuga quam visu astutior, et primo impetu tuo pulsus, Veronam usque contendit ad præsidia majora? Neque id dedecori fuit, quod excusati fugiunt qui tibi cedunt. Contingat quinimo timiditati miseræ res ostentanda, fuga quæ habuerit dignitatem. Ipsa autem Verona, freta immanibus copiis, quas in unum adventus tui formido conduxerat, cum multorum jam clades accepisset, facta est parumper metu cautior, non ratione felicior. Muris se ab impetu vindicat. Aderat quidem Ruricius, experientissimus belli, et tyrannicorum ducum columen. Per tota admodum mœnia magna vis hominum, et apud Brixiam plerique jam fracti : ut in corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet; sic illius multitudinis portio malo affecta, totum exercitum timoris contagio dissiparat. Quam faciles lapsus infirmitas haberet, cum eam intempestiva movit audacia, cum sæpe alias, tum maxime in illa obsidione perspectum est. Clausi impetum faciunt, et qui se aliquamdiu latendo a morte defenderant, facta pugnandi copia pœnas eruptionis temerariæ pependerunt. Idemque Ruricius magna suorum clade rejectus in mœnia, spe jam A lassa, sed adhuc mente vesana, cum se Veronam proripuisset, novos eodem egit exercitus, et præcipitante jam die bellum non detrectavit, pugnæ avidior quam salutis. Sed eum exitus magis quam merita fefellerunt. Nam furorem mors domuit, quem non potuerat, nec considerati ratio, nec victi formido sanare.

XXVI. O nox illa æternis sæculis monumentisque mandanda! cum spissis tenebris congressus fortunæ totum liceret, tu tamen, Imperator, non intutior tempore quam Deo tectior, sævissimo hosti multus instares, et libertate cædis exultans donum noctis duceres quod pugnantem nemo servaret, per infestas acies interritus vadis, densissima quæque perrumpis, dejicis, proteris. Mortis decus perdunt quos ignoratus affligis : nisi quod te ipsa vis tua cogit agnosci. Nihil B enim te permovent tubarum fractæ voces, horrendus militum clamor, permissa casibus vulnera, illisi cominus gladii, cadentium graves gemitus, arma late strepentia, et in unum quemdam sonitum diversi fragoris acta confusio, quod hæc omnia aut virtus negligit, aut ira non sentit. Nox ipsa, justissima bellantibus causa terroris, vehementiorem te agendis stragibus fecerat. Quod solum enim virtutis tuæ impedimentum est, miserationem tenebræ non habent : ut intelligi liceat quantum illo in bello vis tua perfecerit, pietate non retenta, et majestate secura. Prælio vix multa nocte confecto, fessus cædibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, sed hostili, ad obsidionis vigilias recurrebas. O fortuna! O præpotens Roma! Quam tu unquam gratiam pro tantis his laboribus referes? Nisi C quod indulgentissimus princeps, tanquam hoc ipsum tibi debeat, eo cariorem habet quo majore labore servavit.

XXVII. Et quoniam me ad Urbis commemorationem fors quædam intulit, non rerum ordo deduxit, neque revocare inde orationem fas est quo jamdudum contenta veniebat, prætereo te Aquileia, te Mutina,

VARIORUM NOTÆ.

Antoninus imperator. Antoninus plus adoptatus ab Adriano Romanæ rei præfuit anno Christi 138, obiit anno ætatis 70, imperii 23, cui successit M. Antoninus Verus ipsius gener.

XXV. *Apud Brixiam.* Brixia urbs Italiæ, in Cenomanis olim sub ducibus Mediolanensibus, nunc ditionis Venetæ *Bresse.* Ad Orientem habet Veronam, ad meridiem Bergomum; ad occasum Cremonam et Mantuam.

Quam visu astutior. Lege cum Livineio, *quam vi sua tutior.*

Quod excusati, etc. Id est, quia excusationem habent fugæ suæ, qui fugiunt ut tibi cedant.

Quin imo, etc. Hoc est, imo potius sinamus accidere timori rem prædicatione dignam nempe fugam quæ sit cum dignitate.

Quam faciles. Hoc est, quam facile concideret imbecillitas, cum alieno tempore sese audacius extulit.

Præcipitante jam die. Inclinante. Æneid. lib. II, 8 :

Et jam nox humida cœlo præcipitat.

Sed eum exitus. Sciebat Ruricius quid sua audacia mereretur, at bonum tamen prælii exitum sperabat, in quo deceptus est, sicque eum exitus magis quam merita fefellerunt.

Considerati ratio. Nec circumspecti, aut prudentis ratio, nec formido quæ in viros cadere interdum solet.

XXVI. *Spissis tenebris congressus.* Id est, certaminis mox *fortunæ totum liceret*, id est, eventus omnis penes fortunam esset. Ita autem locum interpretum omnium judicio depravatissimum emendandum puta pro *spiris tenebrisque*, ut extat in vulgaribus editionibus.

Instares. Lege *Instare*, et mox *ducere.*

Donum noctis. Id est, putares te a nocte beneficii loco accipere, quod nemo te observaret dimicantem.

Quos ignoratus affligis. Nesciunt enim se invicta manu tua perire.

D *Aut virtus*, etc. Hoc est, aut virtus spernit, aut militaris æstus, ac fervor ne sentit quidem.

Miserationem tenebræ non habent. Quia enim noctis tempore non videtur strages, non est miserationi locus.

Pietate, etc. Hoc est, cum pietas tua nulla re moveretur, et majestas esset in tuto.

Ad obsidionis vigilias. Vox *vigiliæ* videtur hic sumpta pro iis ipsis qui erant in excubiis.

XXVII. *Quo jamdudum.* Id est, quo jampridem contento cursu properabat.

Aquileia. Carnorum metropolis ad oram maris Adriatici. Emporium olim celeberrimum, *Aquilée.*

Mutina. Urbs olim Galliæ togatæ, nunc Italiæ, inter forum Lepidum ad occasum 15, et Bononiam ad ortum 20 mill. pass. distans. *Modène.*

Digitized by Google

cæterasque regiones, quibus propter insecutas incredibilium bonorum commoditates gratissima fuit ipsius oppugnationis injuria. Senserunt enim translatis ad fortissimum principem fortunarum suarum gubernaculis quam facile omnia ad salubrem cursum redirent, quæ ita deferebantur, ut mox aut malorum omnium scopulis illiderentur, aut miseriarum vadis adhærescerent. Prætereo inquam et hæc, et alia complura, quorum est et sigillatim onerosa moles, et omnium simul acervus onerosior. Nam quæ diducta ferre nequeas, his congregatis subire, spei importunioris est quam fiduciæ promptioris. Recuperata igitur Italia, hic primus fuit liberandæ Urbis gradus, et ad victoriam facilis ascensus, quod illum semper exedendæ Urbis visceribus inhærentem ex assuetis latebris vis divinitatis excussit. In quo quidem tantum momenti fuit ad perficiendæ rei facilitatem, ut non tam gloriandum sit virtuti tuæ, præstantissime Imperator, quod eum viceris, quam gratulandum felicitati, quod ad pugnam potueris evocare.

XXVIII. Non enim casu, non fiducia, factum putemus, ut ultro etiam exercitum educeret adversum eum, cujus adventus stridorem ipsum perhorresceret, nisi animum jam metu devium infestior deus, et pereundi maturitas perpulisset : quod ipsa ratio disponendi exercitus docuit illum mente perdita, implicatoque consilio, cum cum pugnæ locum caperet, ut interclusa fuga moriendi necessitatem imponeret, cum spem victoriæ non haberet. Quod quidem imperatori nostro optandum largiter fuit, qui hoc uno maxime offenditur, si certamen lubricum faciat spes prompta fugiendi. Relaxaverit acies, aut frons impulsa titubaverit, fiducia manuum ad pedes migrat. Non amas, Imperator, bella, nisi ferventem hostem in gradu suo præcisa fuga teneat, ut aut ferro concida., aut miseratione servetur. Apud Tiberim igitur suos instruxit, sic ripæ locatos, ut ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis unda fatalis allueret : ita vero multitudine suppeditante, ut ultra quam visus agi posset, extenta acies pertineret ; non quo frons imbecilla tractu invalido duceretur, sed tanta subsidiorum atque ordinum confirmatione, ut acies non porrectior quam robustior murum utrinque præberet ; quod eam nec constipatio contraxisset, nec longitudo tenuaret.

XXIX. Prætermittam hoc loco, Constantine maxime, disponendi militis tui miram incredibilemque rationem : hoc enim persequi vellem, quem tenuisset locum cœlestis exercitus dicam. Quanquam non illos arbitror stetisse nisi tecum ; difficillimam enim pugnæ partem tibi diligis, et tanquam pro fortunæ gradu modus virtutum debeatur, ita inter tuos non vis principatu magis excellere quam labore. Cumulatissimum quidem principis munus est, si manu cesset, non cessasse consilio ; sed tu non segnior gerere quam jubere, simul exercitus tuos monitu regis, opere juvas, incendis exemplo. Quod hic etiam facis promptius quam in cæteris præliis ; quod in præsenti erat tam ampla pugnæ merces, quam pugnator illustris ; et statim Roma victoris. Cujus rei cum imaginem cœpi, dicturus horresco. Invadis primus aciem, solus irrumpis. Obumbrant euntem telorum irriti jactus, sonat ictibus umbo securus. Hos quos trabalis hasta dejicit, insultans ferus proterit. Fulget nobilis galea, et corusca luce gemmarum divinum verticem monstrat. Auro clypeus, auro arma collucent. O quantam vim possides virtus, quæ in hoc habitu plus terroris præferas quam decoris ! Secuti hunc ardorem fortissimi milites, et dignos se ductu ejus imperioque testati, sic viritim laboraverunt, quasi summa res singulorum manu niteretur.

XXX. Non commemorabo hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim, et inter congestas alte cadaverum moles ægro nixu ac vix eluctantibus gurgitibus exeuntem, quodque illum ipsum tyrannum non mors virilis, sed fuga turpis prodidit, et dignum ignaviæ et sævitiæ exitu fluctus sanguinei necaverunt. Perstringi hæc satis est, quod et pridie prolixius mihi dicta sunt, neque pro dignitate exequi copia est, et ne pugna raptim gesta diutius narrata quam confecta videatur. O si nunc mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi ! Adhiberem omnes flosculos, et abuterer exquisito quodam lepore ac ve-

VARIORUM NOTÆ.

Propter, etc. Hoc est : Ob ea quæ consecuta commoda sunt.

Ad salubrem. Id est : In florentem statum restituerentur.

Quorum est. Hoc est : Quæ et singulatim persequi, difficile opus est et difficilius cuncta simul coacervare. Nam quæ divisa portare non possis, eadem collecta humeris tollere, spei audacioris est, quam paratioris fiduciæ.

XXVIII. *Animum.* Id est : Mentem jam pavore emotam.

Optandum. Id est Cupiendum magnopere fuit.

Si certamen. Id est : Si prælii dubium eventum faciat spes fugæ facilis.

Relaxaverit acies. Si forte acies de pugnandi alacritate nonnihil remiserit, aut frons exercitus, etc.

In gradu suo. Id est : Adempta fugiendi ratio efficiat immobilem.

Ita vero. Hoc est : Totam vero multitudinem efficiebant, ut ultra conjectum oculorum acies illa extenderetur.

Non quo frons. Non quo frons exercitus latior esset. proindeque imbecillior, sed ita numerosus erat exercitus, ut latus esset, quamvis bene constipatus, et fortis robustusque, quamvis in longam lineam extensus.

XXIX. *Hoc enim persequi.* Forte *hic enim*, etc., ut Grutero placet.

Sed tu, etc. Hoc est : Non tardior ad dimicandum, quam ad jubendum.

Obumbrant. Ὑποτύπωσις Constantini acriter in acie confligentis.

Hos quos, etc. Hoc est : Qui hasta valida dejecti sunt, *ex equis* eorum pedibus proteruntur.

XXX. *Dignum ignaviæ.* Ita restitui ex veteri codice post Acidalium et Livineium pro *dignum ignavia.*

Quod et pridie. Lege cum Acidalio et Livineio *pridem* pro *pridie.* Ex hoc vero loco, itidem et ex styli affinitate Claud. Puteanus inducitur ad credendum, hunc et superiorem panegyricum esse Nazarii. In quo ei admodum assentior : recte enim quod hoc in loco ait Nazarius, ad illum superiorem panegyricum videtur pertinere, ubi Maxentii clades fuse describitur.

Digitized by Google

nostate dicendi. Jam strepitus Martii, jam tubarum sonores festivis vocibus resultanti favore mutantur. Dicendus in Urbem ingressus est imperatoris; et in experimendo senatus populique Romani maximo gaudio, ingrata nisi et ipsa lasciviat oratio. Nullius post Urbem conditam dies Romano illuxit imperio, cujus tam effusa tamque insignis gratulatio aut fuerit, aut esse debuerit; nulli tam læti triumphi quos annalium vetustas consecratos in litteris habet.

XXXI. Non agebantur quidem ante currum vincti duces; sed incedebat tandem soluta nobilitas. Non conjecti in carcerem barbari; sed educti e carcere consulares. Non captivi alienigenæ introitum illum honestaverunt, sed Roma jam libera. Nihil ex hostico accepit, sed seipsam recuperavit, nec præda auctior facta est, sed esse præda desivit, et, quo nihil adjici ad gloriæ magnitudinem majus potest, imperium recepit, quæ servitium sustinebat. Duci sane omnibus videbantur subacta vitiorum agmina, quæ Urbem graviter obsederant. Scelus domitum, victa perfidia, diffidens sibi audacia et importunitas catenata; furor vinctus, et cruenta crudelitas inani terrore frendebant: superbia atque arrogantia debellatæ, luxuries coercita, et libido constricta nexu ferreo tenebantur. Sequebatur hunc comitatum suum tyranni ipsius teterrimum caput; ac, si qua referentibus fides est, suberat adhuc sævitia, et horrendæ frontis minas mors ipsa non vicerat. Injiciebantur vulgo contumeliosissimæ voces. Nam et ludibriis oppressoris sui auspicari libertatem juvabat, et mira cum voluptate conceptus e vita terror, insultatione interitus obterebatur.

XXXII. Quis triumphus illustrior? quæ species pulchrior? quæ pompa felicior? Dicam itaque, Imperator, quo uno satis mihi videor divinam gloriam tuam significaturus. Quot in illo turpitudinum notas extinxeras, tot in te laudum infulæ refulserunt. Fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem voluit, quominus omnia quo odium ejus pervaserat, spectaculum tyrannici funeris expiaret. Ubique jam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat fama velox, et ad celeritatem nuntii pennata victoria; insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod ad animum languidius accedunt quam aurium via manant, quam quæ oculis hauriuntur. Itaque tanti per Italiam concursus hominum excitabantur, tantæ ex oppidis effusiones, ut facile anteacti terroris testificatio in præsenti exultatione luceret. Pari studio missum ejusdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret. Et nondum satis tempestivo mari, affuerunt tamen navigantibus felices auræ, et fluctus secundi, beatissimamque victoriam ipsa etiam elementa juverunt. Caput, in quo titulus tantæ laudis circumferebatur, reddidit Tiberis, prosecuti sunt venti, maria servarunt. Quonam modo te, potens Africa, quanto lætitiæ fremitu, quam insolenti voluptate jactasti? nihil quippe est immoderatius quam post longam tristitiam repens gaudium. Impetu suo fervet; nec ut primum liberum, continuo defæcatum, statim purum est. Nam ut fistulæ cum diu interceptæ sunt, exitu dato, quo largiores, eo crassiores aquas evomunt; sic vota hominum metu interclusa turbide aliquid egerunt cum cumulata eruperunt.

XXXIII. Hæ victoriarum gratulationes. Nec minus uberes fructus reliquarum virtutum fuerunt. Implicatam quidem atque obsitam Urbem gravissimis malis evolverunt indefessa vis atque eximia fortitudo: sed quantum boni prudentia excogitavit, benignitas et clementia contulerunt? Quorum quid magis juverit difficilis æstimatio est. Nam et calamitate obsessis, finis est voti miseria liberari, et mox vacuitas miseriarum parum grata est, nisi lætitia consequatur. Ita pro se quæque officiis suis functæ fortitudo et liberalitas imperatoris, cumulatissimum Urbis beatitudinem exhauriendæ, et congerendis commodis reddiderunt. Facilior quidem et multo proclivior lædendi quam commodandi semper est via, vulnerare integrum quam sauciato mederi, dissipare

VARIORUM NOTÆ.

XXXI. *Educti e carcere consulares.* Huc pertinet illud Prudentii adversus Symmachum, l. I, 552, ad Romam:

Cum te pestifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Ut scis ipsa, patres.

Sane omnibus videbantur. Triumphalis Constantini post cæsum Maxentium in Urbem ingressus.

Tyranni. Maxentii.

Conceptus, etc. Hoc est, et insultando *cæsum Maxentium*, obterebant metum, quem conceperant eo vivo.

XXXII. *Omnia quo.* Malim *qua*, ut Bongarsio placet; vel *omnes quos*, ut vult Acidalius.

Languidius accedunt. Horat.:

Segnius irritant animos demissa per aures
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus...

Luceret. Forte *eluceret*. Acidal.

Vivus afflixerat. In alio pan. eidem dicto: *Quippe omni Africa, quam delere statuerat, exhausta.* Cur autem Maxentius in Africanos tantopere exarserit causam affert Zozimus, l. II: « Quod perlatam in Africam ejus imaginem Africani milites prohibuissent circumferri, et quod insuper Alexandro favissent, qui ex Præfecto prætorio imperatoriam purpuram induerat, quo per Volusianum interfecto, quotquot in Africa vel genere, vel opibus præstabant veluti Alexandri partium sectatores, aut necabantur, aut bonis spoliabantur. »

Nondum satis tempestivo mari. Maxentii enim clades in 8, kal. Octobris incidit.

Nec ut primum. Hoc est, nec statim atque licitum est gaudere, continuo purum atque expurgatum est. Nam ut tubi, cum longum clausi fuere, aperto meatu, quo crassiores, eo magis turbidas aquas evomunt; sic vota hominum timore suspensa aliquid tumultuosum præ se ferunt, ubi pleno cumulo eruperunt.

XXXIII. *Sed quantum.* Sed quantum ad splendorem Urbis contulit Imperatoris prudentia, dum ejus liberandæ rationes comminiscitur; tantum, etc.

Pro se quæque. Simile est illud Æneid. l. XII, 552:

Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.

Piget plura ejusmodi exempla proferre.

Exhauriendæ. Adde *calamitate.* Nam sine hac voce, quæ nescio quomodo extitit, mutilus est sensus.

Digitized by Google

rapta quam divulsa componere, cessit tamen rerum hæc conditio Principi nostro. Nam quidquid mali sexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimestris fere cura sanavit. Sanavit dico : redintegratio status pristini, permulcendo dolori satis est, non et arcessendæ gratulationi, nec amplius postules quam ut eum sui non pœniteat, qui solitario modo id egit ut recuperatis quæ amiserat non doleret, non etiam ut novorum adoptione gauderet. Prætereo, privatim reddita omnibus patrimonia, quos illa monstrosa labes extorres domo fecerat, prætereo inquam, quia vix sufficit oratio facta publicitus explicare : quanquam cum ex singulis sit coagmentata respublica, et quidquid in eam confertur, ad omnes proportione permanat; et vicissim necesse est quod sigillatim omnes adipiscuntur in commune reipublicæ redundare.

XXXIV. Jam illa vix audeo de tanto principe commemorare, quod nullam matronarum cui forma emendatior fuerit boni sui piguit, cum sub abstinentissimo imperatore species lucrosa non incitatrix licentiæ esset, sed pudoris ornatrix. Quæ sine dubio magna, seu potius divina laudatio, sæpe et in ipsis etiam philosophis, non tam re exhibita, quam disputatione jactata. Sed remittamus hoc Principi nostro, qui ita temperantiam ingenerare omnibus cupit, ut eam non ad virtutum suarum decus adscribendam, sed ad naturæ ipsius honestatem referendam arbitretur. Quid? faciles aditus, quid? aures patientissimas, quid? benigna responsa, quid? vultum ipsum augusti decoris gravitate, hilaritate permixta, venerandum quiddam et amabile renidentem quis digne exequi possit? Quarum rerum miraculo sic omnes devinciebantur, ut non tam omnes dolerent quod illum tyrannum ita diu tulerant, quam quod tali principe tam sero fruerentur.

XXXV. Longum est ex illo percensere beneficia principis, quæ in orbem sine modo redeuntia, contexta ejus benignitate fulserunt, ita infinita numero, commodis magna, ut nunquam oblivione gratiam obductura sit vel multitudo omnium, vel utilitas singulorum. Sensisti, Roma, tandem arcem te omnium gentium, et terrarum esse reginam, cum ex omnibus provinciis optimates viros curiæ tuæ pigneraveris : ut senatus dignitas non nomine quam re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret. Populi vero Romani vis illa et magnitudo venerabilis, ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrænis exultat, non abjecta languide jacet, sed sic assiduis divini principis monitis temperata est, ut, cum ad nutum ejus flexibilis et tenera ducatur, morigeram se non terrori ejus præbeat, sed benignitati. Placidam quippe rerum quietem, et profundum Urbi otium gentes perdomitæ condiderunt. Vacat remissioribus animis delectamenta pacis adhibere. Celeberrima quæque Urbis novis operibus enitescunt : nec obsoleta modo per vetustatem redivivo cultu insigniuntur; sed illa ipsa quæ antehac magnificentissima putabantur nunc auri luce fulgentia indecoram majorum parcimoniam prodiderunt. Circo ipsi maximo sublimes porticus, et rutilantes auro columnæ, tantum inusitati ornatus dederunt, ut illo non minus cupide conveniatur loci gratia quam spectaculi voluptate.

XXXVI. Tantorum Roma compos bonorum, quæ quidem ei sunt cum toto orbe communia, haurit insuper ingentis spei fructum, quem propositum sibi ex Cæsaribus nobilissimis habet, eorumque fratribus, quorum jam nomina ipsa veneramur, etsi vota nostra interim proferuntur. Nec Lacedæmoniis magis li-

VARIORUM NOTÆ.

Dissipare rapta. Alii legunt *dissipare parta.*

Bimestris fere cura. Videtur Constantinus Romæ duos menses ad componenda omnia commoratus, indeque Mediolanum, ac post in Germaniam concessisse.

Sanavit dico. Id est, quid dico sanavit? restitutio in pristinum statum sufficit ad leniendum dolorem, non ad invitandam lætitiam, nec potes plus exigere quam ut sui ipsius non tædeat illum, qui recuperatis iis rebus, quas perdiderat, solummodo id obtinuit ut non doleret, non etiam ut lætaretur acquisitione novarum rerum.

Non et arcessendæ. Nonne satis erit ad gratulationem imperatori nostro merendam?

Solitario modo. Pro eo quod est *solummodo*, vox posterioris ævi.

Quia vix, etc. Id est, quia par non est oratio commemorandis quæ populo attribuit, beneficiis. Quanquam cum ex singulis constet, etc.

XXXIV. *Forma emendatior.* Id est, egregia, eximia. Cicero de Amicitia : *mores emendati*, etc., et Horat. l. 1, ep. 16, ad Quintium :

Cum pateris sapiens emendatusque vocari.

Boni sui piguit. Suæ illam pulchritudinis piguit.

Arbitretur. Ita restitui pro *arbitremur*, sine qua emendatione, ut Acidalius notat, βαρβαρίζει τὸ suarum.

Renidentem. An *renitentem?* Apud Horat. l. III, od. 6 : *adjecisse prædam renidet.* Similiter apud Virgilium.

XXXV. *In orbem.* Hoc est, per circuitum sine fine revertentia, connexa vero per ejus bonitatem, etc.

Oblivione. Id est, oblivionem allatura gratiæ.

Curiæ, etc. Hoc est, tibi obstrinxeris.

Ad imaginem. Id est, ad speciem vetustatis restituta, non ex licentia effrænata lascivit.

Morigeram, etc. Id est, non gubernatur ejus terrore, sed ejus benignitate.

Vacat. Id est, fas est liberiore animo oblectamenta pacis usurpare.

Indecoram, etc. Hoc est, arguunt inhonestam majorum nostrorum parcimoniam.

Porticus. Nemini non notum Romæ insignes fuisse porticus bene multas : quarum aliæ duplices, ut ait Suetonius in Claudio, triplicesque, aut græco vocabulo tetrasticæ et pentasticæ a totidem ordinibus columnarum dicerentur. Pompeiana imprimis porticus commendatur.

Ut illo, etc. Id est, ut illuc fiat concursus non minus ad visendum locum, quam spectaculi causa.

XXXVI. *Cæsaribus nobilissimis.* Crispo et Constantino.

Eorumque fratribus. Constantem puta et Constantium, quorum nomina jam veneramur, etsi vota nostra differuntur, id est, etsi nondum asciti sunt in Cæsares.

Nec Lacedæmoniis. Apud Lacedæmonios regum erant familiæ duæ, altera Eurysthenidarum ab Eurysthene ejus auctore, altera Proclidarum, a Procle : ambæ ab Hercule : quare Heraclidæ dicebantur.

Digitized by Google

cuerit hoc instituto rempublicam tueri suam, cum regem nisi ex stirpe Herculis non haberent. Tuos, Constantine maxime, tuos liberos ac deinceps nepotes tecum optat ut tanto a pluribus petantur, quanto ad majora nascuntur. Declarant ecce rationem cupiditatemque votorum facta Crispi Cæsarum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata puriles annos gloriis triumphalibus occupavit: cujus ita jam uberes scatent laudes, ut plenæ possent videri, nisi cœpisse et patrem cogitaremus. Qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorumque omnium fruitur aspectu, sequefruendum omnibus præbet. Cruda adhuc hieme iter gelu intractabile, immensum spatio, nivibus infestum incredibili celeritate confecit: ut intelligamus, alacritatibus nihil asperum, qui ipsam quam a suis petebat tam laboriosam instituerit voluntatem.

XXXVII. Quæ tuum, Constantine maxime, mite pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, et videre victorem? Narravit utique exhausta bella, et hoc ad suam gratiam, non ad sui ostentationem, qualis excipiendo hoste, quam resistenti vehemens, quam facilis supplicanti. Audivit hæc frater intentus, et puerilem animum spes læta et blanda gaudia titillarunt; cumque miraretur fratrem, etiam sibi favit, quod ex annis ejus quam proximus tantæ gloriæ esset agnovit. Nunc te, Constantine maxime, omnes rogamus, cum præsentem laudaveris, cum jam reipublicæ flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas revertentem, neque enim persuaderi facile potest, ut si quando armis vestris contusa barbaria aliquid tamen moverit, sit ille animo, sit consilio tui similis. Temperet modo dextræ, manui parcat, et sit aliquid, quæsumus, in quo te iterum nolit imitari. Te vero, Constantine Cæsar, incrementum maximum boni publici, quibus votis amplectitur Romana felicitas? quæ de te tantum expectat quantum nomine polliceris: et licet ætas adhuc revocet ab imitatione virtutis paternæ, jam tamen ad pietatem ejus natura deducit? jam maturato studio litteris habilis, jam felix dextera fructuosa subscriptione lætatur. Delegat multa indulgentissimus parens, et quæ per te concedit, referri ad gratiam tuam mavult.

XXXVIII. Quid igitur his temporibus fortunatius, cum beneficio Constantini maximi, qui tam mature nobis Cæsares dedit, utamur maximis eorum commodis, et integra ætas supersit? Nihil imminuitur, et plurimum sumitur: ut, cum res largiter suppetat, spes tamen illibata permaneat. Quinquenniis igitur feliciter inchoatis, decennia Cæsarum nobilissimorum, ultra posteros nostros extendenda, quam impense rogare et orare nos conveniat, ipsis bonis temporum, et reipublicæ utilitatibus admonemur. Jacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa barbaria: Persæ ipsi, potens natio, et post Romanam magnitudinem in terris secunda, amicitiam tuam, Constantine maxime, non minus trepide, quam amabiliter petiverunt. Nulla in terris tam ferox natio est, quæ te non metuat aut diligat. Omnia foris placita, domi prospera, annonæ ubertate, fructuum copia. Exornatæ mirandum in modum, ac prope de integro conditæ civitates. Novæ leges regendis moribus et frangendis vitiis constitutæ. Veterum calumniosæ ambages recisæ, captandæ simplicitatis laqueos perdiderunt. Pudor tutus; munita conjugia. Securæ facultates ambitione sui gaudent, nec aliquis habendi quam plurimum metus: sed in tanta bonorum affluentia magna verecundia non habendi. Hic denique status rerum est, ut obtinendæ potius felicitatis votum geramus, quam augendæ cupiditatis. Unum modo est, quo fieri posset Roma felicior, maximum quidem, sed tamen solum, ut Constantinum, conservatorem suum, ut beatissimos Cæsares videat, ut fruendi copiam pro desiderii modo capiat, ut vos alacris excipiat; et cum reipublicæ ratio digredi fecerit, receptura dimittat.

VARIORUM NOTÆ.

Tanto a pluribus. Supple *populis.*

Nisi cœpisse, et patrem. Nisi subiret in mentem hæc fuisse sui patris initia. Vel si pro *patrem* legamus *partem*; sensus erit nisi veniret illud in mentem, partem esse tantum, cum quis ita incipit.

Alacritatibus. In veteri codice est *alacritati.* Ego lubenter legerim *alacritati ejus.*—Nihil vivido ejus animo esse difficile, qui prior habuerit illam voluntatem adeo strenuam, quam a suis militibus reposcebant.

XXXVII. *Videre victorem.* Non *victoriam* ut est in editione Puteana. Crispus autem de quo hic agitur anno Christi 320 vicit Alemannos.

Ad suam gratiam. Alii legunt *sui*; alii *tui*, alii *tuam*, id est, ut tibi gratificetur.

Frater. Constantinus.

Etiam sibi, etc. Hoc est, etiam aliquid inde lætitiæ in se derivavit, quod ex annis Crispi cui proximus erat, ætate, sensit quam propinquus esset tantæ laudi.

Temperet modo dextræ. Sit omnia tui similis, modo instar militis manum cum hoste non conferat, qua in re optamus ut deinceps iterum te nolit imitari.

Quantum nomine polliceris. Alludit ad Constantini nomen, quod ductum videtur a *Constantia.*

Jam felix. Hoc est, jam beata manus tua ad utiles subscriptiones adhibetur.

Per te concedit. Gruterus legit *per se concedit*: utrumvis elige.

Referri, etc. Hoc est tibi acceptum referri mavult.

XXXVIII. *Tam mature.* Cum Constantinus quintum, Crispus vero quindecimum annum ageret.

Maximis eorum commodis. Quæ nunc veluti præcoces fructus in antecessum percipimus, et cum maturam ætatem attigerint, supersint nobis commoda, quæ ab illa ætate solent percipi omnino integra, quasi ei nihil ante acceperimus.

In latere Galliarum. Id est, ad Rhenum: mox in *sinu tuo*, id est, in media Germania. Alii legunt *sinu suo.*

Persæ ipsi. Persæ legatos ad Constantinum miserunt de petenda ejus amicitia.

Calumniosæ ambages recisæ. Hoc de Constantino referunt Aurel. Victor et Euseb.

Nec aliquis, etc. Id est, nec timet qui opibus abundat, sed potius in tanta bonorum copia pudor est iis carere.

Ut obtinendæ. Id est, ut optandum nobis potius sit felicitatem perpetuam tenere, quam eamdem ampliorem habere.

Cum reipublicæ ratio. Hoc est, cum reipublicæ utilitas vos compulerit inde discedere.

Digitized by Google

APPENDIX AD NAZARIUM.

PANEGYRICI VETERES AB ALIIS CONSTANTINO DICTI.

INCERTI AUCTORIS PANEGYRICUS MAXIMIANO ET CONSTANTINO DICTUS.

MONITUM.

Panegyricus iste, ut legenti statim liquet, in celebritate nuptiarum Constantini et Faustæ Maximiani filiæ pronuntiatus est anno Christi 307, cum Maximianus e Lucaniæ secessu ad resumendum quod ægre dimiserat imperium, et struendas Constantino insidias Treveros, ubi is erat, accessisset, ibique Faustam conjugem simul cum Augusti nomine acciperet. Auctor incertus est. Hunc Æduum fuisse putat Sigonius : sed quo argumento nitatur haud apparet.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. — *Cum pro more celebrandæ sint oratione Constantini jam Augusti cum Fausta Maximiani filia nuptiæ, tum præcipue totius reipublicæ nomine id a se fieri dicit oportere, qui hac præsenti lætitia perfruatur.*

Distributio *videtur esse*. I. *De Constantini*. II. *De Maximiani laudibus*, n. 2.

I. Pars. — *Quid Maximianum moverit, ut hunc jure adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse vellet. Nimirum quod patrem Constantium non specie modo, sed continentia, fortitudine, justitia, prudentia repræsentaret*, n. 3. *Hujus comparationis singula capita persequitur*, n. 4. *Quod Cæsaris appellatione contentus expectare maluisset, ut ab eodem, quo pater suus, declararetur Augustus*, n. 5. *Quod jam dudum hunc sibi generum destinasset, cum in Aquileiensi palatio tabulam exhiberi jusserat, in qua Fausta Constantino adhuc puero galeam offerebat*, n. 6.

II. Pars. — *Transit ad Maximianum, quem laudat quod Gallias pacarit, quod Romana signa trans Rhenum barbaris gentibus intulerit, quod in Mauritania quinquegentanas nationes domuerit, quod post tot tantasque victorias Romæ triumpharit*, n. 8. *Ingeniose conqueritur quod reipublicæ curam ad tempus deposuerit*, n. 9.

In fine. — *Compellat utrumque imperatorem ex quorum nova affinitate nihil non sperandum dicit, sic enim fundandum deinceps imperium virtute juvenis et maturitate senioris*, n. 13. *Convertit orationem ad Constantium cœlo fruentem, quo adempto adhuc supersit et Maximiano filius, nec Constantino pater desit; denique multam sobolem Constantino precatur*, n. 14.

I. Dixerint licet plurimi multique dicturi sint ea, quibus omnia facta vestra summarumque virtutum merita laudantur, sacratissimi Principes, Maximiane, velis, nolis, semper Auguste, et Constantine oriens imperator; mihi tamen certum est ea præcipue isto sermone complecti, quæ sunt hujus propria lætitiæ, qua tibi Cæsari additum nomen imperii, et istarum cœlestium nuptiarum festa celebrantur : cætera enim in rempublicam beneficia vestra possunt multis occasionibus diversorum temporum prædicari : huic voto propria nunc debetur oratio, quod semel factum futurum est sempiternum. Equidem scio gaudentium studia nunc ita toto orbe florescere, quacumque Fama ultra naturam, qua fingitur discursus volucres mutuata, et plus quam mille vocibus sonora, pererebuit, ut omnium nationum gratulationibus consecretur; quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinæ vestræ concordiæ perpetuæque pietati hoc quoque pignus accessit, summorum nominum arctissima conjunctione venerabile, ut imperatori filiam collocaverit imperator? Sed tamen nos oportet omnes homines

VARIORUM NOTÆ.

I. *Velis, nolis.* Adulatorie dictum, quasi Maximianus invitus, et ad obsequendum tantum diis, abdicatam ante quatuor annos purpuram resumpsisset. Quod tamen regnandi cupiditate et solitudinis tædio ab eo factum tradunt Eutrop., Victor et alii. Maximianum harum nuptiarum tempore Augustum fuisse videtur esse contra fidem historiæ, ut observat Antonius Schonovius.

Oriens imperator. Tum enim cum habita est oratio, Constantinus ex Cæsare primum dictus est Augustus.

Nomen imperii. In aliquot exemplaribus est *nomen imper.* Quo fit ut legendum suspicer *nomen imperatoris*, potius quam *imperii*. Et vero infra n. 2 : *Et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accrevit.*

Nuptiarum festa. Constantini et Faustæ Maximiani ex Theodora filiæ. Eusch., Sozom., Zonar., etc.

Huic voto. Videtur auctor hanc orationem *votum* inscriptam voluisse. Nam, n. 13 : *Sicut huic voto congruit*, id est, huic orationi meæ : sic enim quia imperatores instar deorum colebant, et quidquid ad eos pertinebat sacrum erat, non mirum si *votum* appellat orationem, quam ipsi fortasse promiserat. Infra n. 7 : *Ita dicam, ut veritas meæ erga te devotionis appareat.*

Quacumque fama. Hoc est : *In quamcumque partem diffusa est fama supra naturam, qua exhibetur sub specie volantis alitis.*

Discursus volucres. Lege cum Acidalio, *Discursu volucris incitata, et plus quam*, etc.

Pignus accessit. Id est, Maximiani filia, infra n. 3, *cum ab eo pignus ipsi charissimum postularet.*

Sed tamen. Hoc est : *Sed tamen par est nos omnium maxime lætari.*

Digitized by Google

exultatione superare, qui hoc tantum reipublicæ bonum præsentes intuemur, et ipsa vultuum vestrorum contemplatione sentimus ita convenisse vos, ita non dexteras tantum, sed etiam omnes sensus vestros mentesque junxisse, ut, si fieri possit, transire invicem in pectora vestra cupiatis.

II. Quid enim aut tu carius dare, aut tu carius accipere potuisti, cum hac affinitate vestra et tibi, Maximiane, per generum juventa renovata sit, et tibi, Constantine, per socerum nomen imperatoris accreverit? Maximas itaque vobis, æterni principes, publico nomine gratias agimus, quod suscipiendis liberis optandisque nepotibus seriem vestri generis prorogando omnibus in futurum sæculis providetis ut Romana res, olim diversis regentium moribus fatisque jactata, tandem perpetuis domus vestræ radicibus coalescat, tamque sit immortale illius imperium quam sempiterna soboles imperatorum. Hæc est vera pietas, hæc voluptas conservandi generis humani, exemplum dare gentibus ad matrimonia studiosius expetenda, et liberos educandos, ut substituendis successionibus singulorum nihil obsit unumquemque esse mortalem, cum immortalis sit posteritate respublica. Quare si leges hæ, quæ mulcta cælibes notaverunt, parentes præmiis honorarunt, vere dicuntur esse fundamenta reipublicæ, quia seminarium juventutis, et quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt, quod huic vestro in rempublicam merito possumus dignum nomen adscribere? qui non plebeio germine, sed imperatoria stirpe rempublicam propagatis, ut quod millesimo anno post Urbem conditam evenisse tandem gratulabamur, ne mutatoria per novas familias communis salutis gubernacula traderentur, id est, omnibus duret ætatibus, imperatores semper Herculii.

III. Quemnam igitur utriusque vestrum præconii ac venerationis ordinem faciam? adhuc enim de amborum in hanc necessitudinem congruentibus votis communiter dixi. Et te quidem sentio, senior Auguste, majestate præcedere, te sequi, junior Imperator. Sed profecto sicut tuo, Constantine, socero ante est conciliata divinitas, quam ab eo pignus ipsi charissimum postulares; sic et nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt, quæ in te considerans tantus iste, et paterni et tui auctor imperii, lætatus est quod petisti. O divinum tuum, Maximiane, judicium, qui hunc tibi juro adoptionis nepotem, majestatis ordine filium, etiam generum esse voluisti! Divi, inquam, Constantii filium, in quem se prima illius juventa transfudit, in cujus ore cœlestes illius vultus natura signavit, qui aspectum illius ad deorum concilia translati adhuc desiderantibus nobis sufficit pro duobus. Neque enim forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium præsentant.

IV. Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus in hoc sacrum pectus admitteres; novum jam tum miraculum, juvenis uxorius? Sed, ut res est, mente præsaga omnibus te verecundiæ observationibus imbuebas, talem postea ducturus uxorem. Fortitudinem autem illius jam tum in principiis consecutus es. Multa ille Francorum millia, qui Batoviam, aliasque cis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, cepit, abduxit: tu jam ab ipsis eorum regibus auspicatus es, simulque et præterita illorum scelera punisti, et totius gentis lubricam fidem timore vinxisti. Liberavit ille Britannias servitute; tu etiam nobiles illic oriendo fecisti. Plurimas ille barbaras nationes victoria domuit, venia mitigavit; tibi cunctis hostibus alacritatis tuæ terrore compressis interim deest materia vincendi.

VARIORUM NOTÆ.

II. *Juventa renovata sit.* Maximianus enim tum sexagenarium annum attingebat.

Prorogando. Alii ex veteri codice *propagando*. Et vero mox *qui imperatoria stirpe rempublicam propagatis.*

Coalescat. Infra n. 13: *Perpetuis profecto affinitas ista coalescet stirpibus, quæ semper summos in republica viros ad concordiam copulavit.*

Voluptas conservandi. Melius Acidalius *voluntas.*

Cum immortalis sit. Dum alii homines aliis succedunt, etsi singuli mortales sint, fit tamen ut velut integra atque eadem semper sit respublica, et sic propagata posteritate velut immortalis.

Millesimo anno. Sub duobus Philippis, cum filius patri successit.

Id est, omnibus. Lege cum Grutero *idem*, vel cum aliis *id.*

III. *Junior.* Si cum sexagenario Maximiano conferatur, ipse enim Constantinus agebat annum 34.

Sed profecto. Versatur in lubrico loco, dubius utrius imperatoris laudes primum persequatur.

Et paterni et tui. Maximianus enim Constantium Constantini patrem, Cæsarem et Augustum fecerat.

Natura signavit. Idipsum confirmat alias his verbis *Inde est quod tanta ex illo in te formæ similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas: sic est index modestiæ rubor*, etc.

IV. *Primo ingressu adolescentiæ.* Locus insignis ad probandam et Constantii et Constantini continentiam: sed id in utriusque vita expendimus.

Multa ille Francorum millia. De Constantii expeditione sic scribitur in alio panegyrico: *Nec contentus eas vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed et feritatem ponere cogerentur.* Ibidem de Britannis post decimum tandem annum recuperatis.

Eorum regibus. Ascarico et Regaiso quos statim a Constantii morte turbas molientes Constantinus fregit, ac bello captos in theatrum induxit belluis dilaniandos. Eutrop.

Oriendo. His potissimum verbis nituntur, qui Constantinum in Britannia natum putant; quæ etsi in alium sensum detorqueri possint, tamen de natali Constantini ortu accipienda esse observavimus in ejus vita.

Tibi cunctis. Hoc est, *Postquam fregisti hostes omnes fortitudine tua territos.*

Digitized by Google

V. Justitiam vero patris atque pietatem sic imitaris et sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamque opem aut contra aliorum injurias, aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exolvere; idque ipsum coram gaudeas prædicari, quidquid tu juste ac liberaliter feceris, filium Constantii necessario præstitisse. Nam quid ego de prudentia dicam, qua te pene credimus fore ipso patre potiorem? qui veteres illos Romanæ reipublicæ principes, superiorem Africanum, Pompeiumque Magnum, ætatis cursum virtute prævectos, tam mature sumpto vincis imperio, tantarumque rerum sustines molem incipiente virtute. Gesseris enim multa fortiter licet, multa sapienter, cum per maximos tribunatus stipendia prima conficeres; sentias necesse est tantæ auspicia fortunæ, Imperator adolescens. Quanquam quid ego in te ætatis tuæ potius quam gravitatis nomen usurpo? cujus tanta maturitas est, ut cum tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, ut idem te, qui illum declararet Augustum. Siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius judicabas, si id non hæreditarium ex successione crevisses, sed virtutibus tuis debitum a summo Imperatore meruisses.

VI. Neque enim dubium quin tibi mature sacrum istud fastigium divinæ potestatis astrueret, qui te jam olim sibi genorum etiam antequam petere posses sponte delegerat. Hoc enim, ut audio, imago illa declarat in Aquileiensi palatio, ad ipsum convivii posita aspectum, ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo, sustinet atque offert tibi etiam tum puero galeam auro gemmisque radiantem, et pennis pulchræ alitis eminentem: ut te, quod vix ulla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem. Fortunatus pictor ille, quisquis fuit, et quamvis Apellem, ipsumque Parrhasium scientia vicerit, materia tamen imaginis quam arte felicior! Quanquam enim ipsi ferant difficillimam esse, præcipue cujusque formæ, imitationem, quia certis sui notis cito deformitas exprimatur, similitudo tamen pulchritudinis tam sit ardua quam rara est pulchritudo; non tantum tamen ille cepit laboris ex ore vestro divinas species transferendo, quantum divinitatis hausit cominus vos inspiciendo, intuendo sollicite et curiose ab hilaritate illius ætatis vultus immobiles et serios exigendo, promendo denique amoris vestri tacita præsagia; ut, quod invicem vobis verecundia negabat, libere vos in imagine cerneretis.

VII. Sed profecto hoc jam tum, Maximiane, divina mente præsumpseras, hoc cum ferret ætas, ut rogareris optaveras, cum tibi in illa jucundissima sede lætitiæ, harum nuptiarum gaudia prædestinabas; ut simul illam parvulam et hunc intuendo crescentem diu fruereris expectatione voti, quod hac conjunctione firmasti. Quid enim competentius, quid providentia tua dignius facere potuisti? quam ut ejus filio, quem tibi pridem et affinitate adsciveras, et majestate sociaveras, nunc ex intimis affectibus traderes summi pignus imperii? Hæc est tua, Maximiane, inter omnes principes propria largitio. Alii divitias, aut honores, aut ipsa etiam imperia, sed sola donarunt, tu animo majore quam cæteri pariter indulges, et quod pietas tua habet charissimum, et quod fortuna præcipuum. Nec tamen miranda ista in te est, Maximiane, animi magnitudo, in quem dii immortales tanta congesserunt et naturæ bona, et ornamenta fortunæ, ut quamvis maxi-

VARIORUM NOTÆ.

V. *Superiorem Africanum.* Id est, Scipionem Africanum majorem de quo vide Plinii paneg.

Pompeiumque. Is cum annorum esset adhuc 17, sub patre Pompeio meruit, anno vero ætatis 23, tres legiones ipse ad Syllam duxit, ac tertio post anno receptâ Italiâ et Nicomedia triumphavit. De cæteris ejus victoriis vide Plutarchum.

Mature sumpto vincis imperio. Nazar., n. 16: *Tu imp. opt. inito principatu adhuc ævi immaturus; sed jam maturus imperio ostendisti cursum ætatis non expectandum in festinatione virtutis.*

Tantarumque rerum. Hoc est, *Et hac prima ætate summarum rerum gestarum gloria præstares.*

Maximos Tribunatus. Hoc est, *Maximus Tribunus.*

Appellatione contentus. Huic loco consentiunt Eutropius, Zosimus, Victor, etc.

VI. *Imago illa.* De imagine ista nullibi, quod sciam, præterquam hoc in loco mentio est, sed nimirum levius quiddam est, quam ut locum habeat in historia.

Aquileiensi palatio. Aquileia in Italia Carnorum Metropolis, inter Concordiam urbem ad occidentem, Tergestum ad orientem, et mare Adriaticum, ad meridiem a quo de vix 9 milliar. distat. *Aquilée.*

Pulchræ alitis. Pavonem propter varium pennarum fulgorem pulchram alitem appellat.

Apellem. Apelles pictor fuit eximius, patria Cous (Cos autem una ex insulis Cycladibus est); is picturæ plura solus prope contulit, quam cæteri omnes. Floruit Alexandri Macedonis temporibus, qui tantum illi tribuit, ut ab uno illo pingi se voluerit. Moriens Venerem Cois quam inchoarat reliquit imperfectam, vel sic tamen ita præstantem ut eam nemo pictor ausus sit absolvere. Ovid.:

Si nunquam Venerem Cois pinxisset Apelles,
Mœsta sub æquoreis illa lateret aquis.

Parrhasium. Parrhasius itidem pictor fuit celeberrimus, patria Epheso, qui cum de picturæ laude cum Zeuxide contendisset, isque uvis apte et ex arte pictis aves fefellisset; Parrhasius non aves tantum, sed laudis suæ æmulum linteo expasso decepit. Vixit paulo ante Apellem.

Præcipue cujusque formæ. Lege cum Acidalio *præcipuæ*, id est, præstantis et eximiæ: mox *similitudo tamen*, lege *similitudo autem.*

VIII. *Mente.* Hoc est, *animo præceperas.*

Jucundissima sede lætitiæ. In eo loco ubi regnat *lætitiæ Bacchus dator*, et Æneid. I, 738.

Prædestinabas. Vox haud Ciceroniana pro eo quod est *animo præcipiebas.*

Ut simul. Id est, ut in imagine illa Faustam filiolam tuam, simul et puerum Constantinum crescentes dum videres, pasceres te jucunda expectatione desiderii tui, quod utriusque nuptiis firmasti.

Quid enim. Hoc est, *quid enim convenientius.*

Affinitate adsciveras. Cum Theodoram privignam suam Constantio collocavit.

Largitio. Hoc est, munificentia.

Digitized by Google

ma largiaris, ita penes te sint omnia quasi ea solus obtineas. Ut enim ille qui omnes aquas cœlo et terris præbet Oceanus semper tamen in motibus suis totus est; ita tu potes imperium, Maximiane, donare, non potes non habere. De quo ego cum ad id loci venero ita dicam, ut fortasse quibusdam videar audacior, veritas tamen meæ erga te devotionis appareat.

VIII. Nunc enim sequitur ut, quoniam virtutes tuas, Constantine Auguste, socero prædicavi, tu quoque, licet optime scias, tamen audias quanti te principis ornet affinitas. Hic est qui nomen, quod accepit a Deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit. Hic est qui, in ipso ortu numinis sui, Gallias priorum temporum injuriis efferatas, reipublicæ ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem. Hic, quod jam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. Hujus cum fratre rursus ac sæpius expeditionibus domita Germania, aut boni consulit ut quiescat, aut lætatur quasi amica si pareat. Tu ferocissimos Mauritaniæ populos inaccessis montium jugis, et naturali munitione sidentes expugnasti, recepisti, transtulisti. Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia populus excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret, stipatione sui vix ad portas urbis admitteret. Te rursus vicesimo anno imperatorem, octavo consulem ita ipsa amplexu quodam suo Roma voluit detinere, ut videretur augurari jam et timere quod factum est. Est enim, Imperator æterne, in quo uno querelam reipublicæ pene meruisti.

IX. Audi doloris nostri liberam vocem. Siquidem dii ipsi quod plerumque humanas res negligant, dum querimur ignoscunt, quibus aliud fortasse curantibus grandines ruunt, terræ dehiscunt, urbes hauriuntur. Quæ non illis hauriuntur volentibus, sed aut aliorsum aspicientibus, aut fatali rerum cursu urgente videntur accidere. Tale est, imperator, quod omnibus nobis incluso gemitu mœrentibus facere voluisti, non quidem tu reipublicæ negligentia, aut laboris fuga, aut desidiæ cupiditate ductus, sed consilii olim, ut res est, inter vos placiti constantia et pietate fraterna; ne quem totius vitæ summarumque rerum socium semper habuisses, in alicujus facti communitate desereres, ne vel illius, viderit quali, certe novæ laudi cederes. Verum longe diversa in vos erat causa declinandi aut sustinendi laboris. Quamquam etsi totam excusationem ætatis afferres, sic quoque tibi reipublicæ curis non erat abnuendum. An si maximus quisque natu gubernator est certissimus ad salutem, non is est optimus qui usu peritissimus imperator? aut te unquam Constantini liberi nostri nepotesque patientur, vel cum ad summam perveneris senectutem reipublicæ vela contrahere, quæ tam felicibus ventis etiam juvenis impleveris? Sed tamen utcumque fas fuerit eum principem, quem anni cogerent, aut valetudo deficeret receptui canere; te vero, in quo adhuc istæ sunt integræ solidæque vires, hic totius corporis vigor, hic imperatorius ardor oculorum, immaturum otium sperasse miramur. Quid enim aliud participi majestatis tuæ dari potuit veniam quietis, quam ut tu imperio succederes pro duobus?

X. Sed profecto exegit hoc ipsa varietas et natura fortunæ, cui nihil mutare licuerat, dum vos imperium teneretis, ut illa viginti annorum continua felicitas intervallo aliquo distingueretur: aut etiam dii immortales probare voluerunt tibi innixam stetisse rempublicam, cum sine te stare non posset. Quanquam in

VARIORUM NOTÆ.

Semper, hoc est tamen in aquarum suarum dispensatione integer manet.

VIII. *Æquatis*. Id est, paribus virtutibus.

In ipso ortu numinis sui. Simul Maximianus Cæsar factus est Gallias Carini Cæsaris vexationibus ac ferocia exacerbatas, et rebellionem meditantes compressit.

Quod jam falso. Id est, quod de veteribus imperatoribus Cæsare, Tiberio, Trajano referebatur, arma eos barbaris ultra Rhenum intulisse: Maximiani tempore fabulæ loco erat, adeo nihil simile visum ab his usque temporibus, donec ille omnium primus hæc fortitudinis exempla instauravit.

Cum fratre. Diocletiano.

Aut boni consulit. Mirifice Pacatus amavit hunc panegyricum, ex quo jam unum aut alterum locum pene exscripsit, n. 22: *Quæcumque natio barbarorum robore, ferocia, numero gravis unquam vobis fuit, aut boni consulit ut quiescat, aut lætatur quasi amica si serviat.*

Aut boni. Hoc est, *partim* id *æquo animo fert, ut pacem habeat, partim gaudet, quæ* nobis *subjecta est, quasi sponte jugum ferat.*

Populus excepit. Tangit triumphum quem Maximianus cum Diocletiano egit an. Chr. 298, Romam post subjectos Mauros reversus. Victores autem in Capitolium deducebantur.

Stipatione. Hoc est, *ut vix subire posset urbis portas, tanta te* populi *multitudo stipabat.*

Te rursus vicesimo anno. Maximianus imperium cum Diocletiano abdicavit anno Chr. 304 qui erat ejus imperii annus nonus post decimum, certe quidem si ab eo, quo Cæsar factus est, anno computantur.

IX. *Audi doloris nostri*. Plenus artificii locus, in quo levitatis notam a Maximiano amolitur.

Incluso, hoc est, *intimo* in *pectore gementibus.*

Ut res est. Hanc loquendi formulam hujus ætatis propriam esse supra notavimus.

Ne vel illius. Neve illius. Acidal.— Id est, *neve illi inferior esses, novæ quidem huic laudi, qualiscumque illa foret.*

In vos. Inter vos. Acidal.; vel *vobis*, Langius.

Abnuendum. Alii *abeundum*, malim *abstinendum*, vel *absistendum*, ut suspicatur Acidalius.

Constantini liberi nostri. Ita cum Rhenano lego et Daniele, pro *Constantini liberi nostri*, ut est in Puteana editione.

Quid enim aliud. Sensus est: Quid enim aliud fuit, quamobrem Diocletiano imperii tui socio veniam dederimus, quod quietem imperatoriis laboribus præposuerit, nisi quia sic effecit, ut tu pro duobus imperium administrares.

Digitized by Google

istis quidem partibus, non caruit pristina firmitate : ibi vero pene funditus corruit, unde tu, Maximiane, discesseras. Adeo illic plurimum habuerat stabilitatis asserta, ubi deserta maxime vacillavit, non aliter enim quam solet terra ventis, aut aquis subter immissis intervulsa sui soliditate nutare, ita cuncta Italia, atque ipsa Roma subducta repente qua sustentata fuerat dextera tua, contremuit ac pene consedit. Quod ego cursim transeo : cur enim vel recordemur adversa, cum videamus omnia tuo reditu restituta ? fecit enim Roma ipsa pro majestate nominis sui, ut ostenderet, posse se etiam imperatoribus imperare. Abduxit exercitus suos, ac tibi reddidit, et cum ad sedandos animos auctoritatem privati principis attulisses, supplices tibi manus tendens, vel potius queribunda, clamavit.

XI. Quousque hoc, Maximiane, patiar, me quati, te quiescere, mihi libertatem adimi, te usurpare tibi illicitam missionem ? An quod Divo Augusto post septuaginta ætatis, quinquaginta imperii non licuit annos, tam cito licuit? Ideone te mihi ille, cujus tot aras, tot templa, tot nomina cœlo, Hercules dedit, ut tu in suburbano otiosus sedens usum dicatæ mihi virtutis amitteres? Redde te gubernaculis meis, et quoniam tranquillo mari portum intrare properasti, vade per fluctus, mei quidem amore sollicitus, sed tua majestate securus. Et tamen, per te tibi steterit injuriam in mei restitutione patieris. Imperasti pridem rogatus a fratre, rursus impera jussus a matre. O cœlestem, imperator æterne, pietatem tuam, quæ tuum illum animum semper invictum sola vicit. Non potuisti resistere sanctæ illius parentis imperio, et invitus licet paruisti, et te illis vigiliis illisque curis, quas viginti annis expertus fueras reddidisti. Quibusnam, tu domina gentium, potes compensare beneficiis hoc tui imperatoris obsequium? qui tanto usu sciens, quantus sit imperandi labor, propter te non utitur illa, quam degustaverat voluptate, tantumque reipublicæ onus suscipit post quietem. Facilius fuerat jugiter imperasse : quamvis enim magnum laborem consuetudo non sentit, intermissa desiderant novas vires.

XII. Quanta opus fuit tibi, imperator æterne, providentia, quanta auctoritate, ut subsidia reipublicæ jacentia erigeres, exanimata recreares, dilapsa colligeres? mirabamur te post imperium esse privatum. Multo magis mirum est imperium ferre post otium. Solus hoc, ut dicitur, potuit deus ille, cujus sunt quod vivimus, et videmus, ut habenas male creditas, et cursum devio vectore turbatæ tranquillitatis reciperet, rursumque dirigeret. Cujus simile tu, imperator, etiam facile fecisti. Neque id mirum, cum enim a te recessit imperium, et privatus licet dici velles, inhæsit tibi ingenita majestas. Omnes exercitus vestri, omnesque provinciæ requiescere te post tanta opera utcumque æquo animo tulerunt, imperare desiisse nunquam crediderunt. Quid enim putas tibi, Maximiane, Jovem ipsum respondisse cum tu ingenti animo diceres : Recipe, Jupiter, quod commodasti. Hoc profecto respondit, non mutuum istud tibi tradidi, sed æternum : Non recipio, sed servo. Statim igitur ut præcipitantem rempublicam refrenasti, et gubernacula fluitantia recepisti; omnibus spes salutis illuxit. Posuere venti, fugere nubes, fluctus residerunt. Etiam sicubi adhuc in longinquioribus terris aliqua obversatur obscuritas, aut residuus undarum pulsus immurmurat, necesse est tamen ante tuos nutus, dilucescat, et sileat.

XIII. Dixi pro ratione temporis, sacratissimi Principes, ea quæ in vobis invicem, ut facitis, admirari, et amare debetis. Restat ut ipsa illa, quæ separatim de virtutibus vestris locutus sum, sicut huic votc congruit in sermonis fine conjungam. Dii immortales quanta romano imperio renovastis, quæ jam, ut res

VARIORUM NOTÆ.

X. *In istis partibus*, Id est, in Galliis, ubi hæc oratio dicebatur. Mox *ibi vero*, id est, in Italia, in qua Maxentius miras turbas excitavit.

Imperatoribus imperare. Id est, Maximiano, cui Roma pro suo jure præcipit, ut depositum resumat imperium. Eadem exercitus Maximiano abduxit, cum privatus in Lucaniam concessit, eidemque reddidit, cum adversus Maxentium cum copiis progressus est.

Ad sedandos animos. Prætorianorum cum Maxentio rebellantium.

Supplices tibi manus tendens. Nota ingeniosam urbis Romæ prosopopœiam, ad avertendam a Maximiano, si qua erat in receptione imperii, vel invidiam, vel notam levitatis aptissimam.

Vel potius. Duas has voculas Acidalius putat esse expungendas. Verum tamen extant in omnibus editionibus.

XI. *Divo Augusto*. Obiit enim anno ætatis 76 imperii vero anno 56. *Sueton.*

Ut tu. Hoc est, *ut mihi subtraneres virtutem, quam mihi consecraras.*

Per te tibi steterit. Locus corruptus. Fortasse, *tanti imperator tibi steterit :* nempe reip. pacem reddere, ut hæc gloria redimenda sit tibi aliqua injuria. Tangit illud quod de eo habet Eutrop. *Herculius Maximianus post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem et convitia militum tulit.*

Rogatus a fratre. Id est, a Diocletiano, *jussus a matre*, id est a patria.

Facilius. Hoc est, *facilius fuisset sine ulla intermissione imperium tenuisse.*

Intermissa. Hoc est, *si tamen est aliqua intermissio, novæ vires adhibendæ sunt.*

XII. *Deus ille*. Maximiani et Apollinis comparatio admodum ingeniosa. Is enim relictas, et devio vectori, nempe Phaetonti, male creditas habenas necesse habuit rursum dirigere, ut pacem turbato mundo referret.

Non recipio. In perpetuum, *sed servo*, ad tempus illud ipsum brevi tibi redditus.

Posuere. Æneid. VII, 27 :

> ... Cum venti posuere, omnisque repente
> Resedit flatus.

In longinquioribus terris. Indicat in Italia turbas a Maxentio excitatas.

Aliqua. Id est, *aliqui sunt tumultus, et reliquiæ excitatæ tempestatis fremunt.*

Ante tuos nutus. Lege *ad nutus tuos.*

XIII. *Renovastis*. Paulo enim ante Maximianus Aug. erat Constantii Aug. socer, nunc idipsum ait a diis immortalibus esse renovatum. Siquidem rursum Maximianus imperator est Constantini socer.

Digitized by Google

est, cesserant vetustati. Maximiano imperatori æterno, Constantinus imperator novus plus cœpit esse quam filius. Favet ille crescenti, adest iste seniori. Perpetuis profecto affinitas ista coalescat stirpibus, quæ semper summos in republica viros ad concordiam copulavit. Etenim si quamvis dissidentes familias Gracchi et Corneliæ matrimonium reduxit in gratiam, si pro divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa conflecit; quid sperandum est, cum sempiternam patris ac filii charitatem etiam nuptiarum fœdus astrinxerit? Quod si Publius Scipio bellum Punicum suscepit adolescens, ipsum postea superaturus Annibalem; si Marius a factione Sullana Urbem recepit senex, idque magno intervallo temporum evenisse memorabile est; quam facile nunc omnes metus ponat romana respublica, quæ defenditur conjuncti imperii duabus ætatibus: pariterque utitur virtute juvenis et maturitate senioris!

XIV. Te, pater, ex ipso imperii vertice decet orbem prospicere communem, cœlestique nutu rebus humanis fata decernere, auspicia bellis gerendis dare, componendis pacibus leges imponere: te, juvenis, indefessum ire per limites, qua romanum barbaris gentibus instat imperium, frequentes ad socerum laureas mittere, præcepta petere, effecta rescribere. Ita eveniet ut et ambo consilium pectoris unius habeatis, et uterque vires duorum. O felix in imperio, et post imperium felicior, audis enim profecto hæc, et vides, dive Constanti, quem curru pene conspicuo, dum vicinos ortus repetit occasu sol ipse invecturus cœlo excepit! Quanto nunc gaudio potiris, quanta voluptate perfrueris, cum talem hunc filium tuum, qui te primus patrem fecit, in imperii tui possessionem idem pater, idem socer, idem imperator induxerit? Hæc est tua præter omnes divos propria immortalitas, quam videmus, filius similis aspectu, similis animo, par imperii potestate. Inviderint licet nobis, nihil tamen auferre domui tuæ fata potuerunt. Nec Maximiano filius qualis tu eras, nec Constantino pater deest. Quin etiam, ut omnibus modis tua necessitudo renovetur, rursus hic socer, rursus hic gener est, ut beatissimus imperator semper ex tua sobole nepotibus augeatur.

VARIORUM NOTÆ.

Iste seniori. Locum hunc juxta Livineii suspicionem emendatum oportuit. Ante enim erat *iste senior*, in quo mendum esse nemo, opinor, non agnoscit.

Perpetuis profecto. In editione Puteana est *perpetuis profecto pietatibus affinitas ista*, etc. Cum Grutero erasi hanc vocem *pietatibus*, quæ quidem abest in codice Langiano. Alii pro *pietatibus*, legunt *pietas et affinitas ista*, etc.

Gracchi et Corneliæ. Tiberius Sempronius Gracchus prætor Galliam domuit. Consul an. U. C. 576, Hispaniam; altero consulatu Sardiniam subegit: bis triumphavit. Is graves cum Scipione Africano majore gessit inimicitias, quibus tamen reip. causa depositis ejus filiam Corneliam duxit conjugem.

Actiacam victoriam. Ad Actium an. U. C. 724. Relatum IV. Non. Sept. *Actium* autem urbs et promontorium est Epiri, ad os sinus Ambracii contra Nicopolim, ubi maritimo prælio victus est Antonius.

Gener Agrippa. Juliam Augusti filiam duxit: ter consul fuit. Huic Actiaci belli cura commissa est. Æneid., VI, 682:

> Parte alia, ventis et dis Agrippa secundis,
> Arduus, etc.

Suscepit adolescens. Cum annorum esset 24.

Annibalem. Annibal Amilcaris filius 19 annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne juravit. Exinde Saguntum Romanis fœderatam evertit, in Italiam trajecit, P. Scipionem apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium apud Trasimenum, Paulum et Varronem apud Cannas prælio vicit. Idem Campaniæ deliciis fractus primum a Fabio, tum a Valerio Flacco, iterum a Galerio, Graccho et Scipione superatus; ad ultimum ne Romanis traderetur, hausto quod sub annulum habebat veneno absumptus est. Aur. Victor.

Marius. C. Marius post Jugurtham ante currum actum, post Teutonas in Gallis, Cimbros in Italia victos, et triumphum actum, exactosque in exilio aliquot annos, Urbem cum Cinna et Sertorio ingressus eam a Syllana factione eripuit jam senior, factusque est septimum consul an. U. C. 668. Aur. Victor.

XIV. *Pater.* Compellat Maximianum: mox, *te, juvenis*, orationem convertit ad Constantium.

Componendis pacibus. Vox priscis bonæ latinitatis temporibus, aut nunquam, aut raro in plurali numero usurpata, sed in ejus ævi scriptoribus similia nonnulla identidem occurrunt, ut supra observavi.

Qua Romanum. Id est, *In eam imperii Romani partem quæ barbaris gentibus proxima est.*

Curru pene conspicuo. Ita restituendus fuit ex veteri codice pro *curru et pene conspicuo, dum vicino ortus*, etc. Sensus vero est: Quem sol ipse occidens et properans ad vicinos ortus, curru suo excepit in cœlum evehendum, quasi occidente Constantio, Constantinus toti terrarum orbi ortus esset. Alludit autem ad nummum, cujus in postera parte Constantius curru invectus, sinistra manu quatuor equos regens, dextram manui quæ cœlo extendebatur jungens.

Idem pater. Maximianus.

EUMENII PANEGYRICUS
CONTANTINO AUGUSTO.

PROŒMIUM.

Eumenii vita.

Eumenius origine Græcus in Galliis natus est Augustoduni: qua in urbe, temporibus illis florentissima, et bonarum artium velut sede, ipse *avum suum, cum esset octogenario major, quondam docuisse*, ait, *hominem Athenis ortum, Romæ diu cele-*

Digitized by Google

brem, mox in ipsa urbe perspecto et probato hominum amore doctrinæ, atque hujus ipsius operis veneratione detentum.

Ipse cum in aula Constantii Chlori Cæsaris esset magister sacræ memoriæ, id est, libellis et epistolis faciendis, signandisque rescriptis præesset, tanta cum ingenii et eloquentiæ præstantia amplissimum illud palatii munus obiit, ut in Æduensium Scholarum moderatoris demortui locum a Constantio suffectus sit. In cujus rei actis Constantius Eumenii eloquentiam et gravitatem commendat, et geminata ejus pensione, sexcena millia nummum (hoc est 26250 libras Francicas) ei pro salario attribuit. Quam pecuniæ summam Cæsari obsecutus accepit quidem, ut ipse ait, *quantum ad honorem spectabat*, eam vero ad Æduensium Scholarum instaurationem impendendi potestatem sibi fieri habita eam in rem hac elegantissima oratione petiit. Numerosam sibi sobolem fuisse alicubi testatur, ubi conversa ad Constantinum magnum oratione: *Maximas*, inquit, *numini tuo gratias ago, tibique quod superest commendo liberos meos, præcipueque illum jam summa fisci patrocinia tractantem, in quem me totum transtulit pietas.... Cæterum quod de omnibus liberis dixi, lata est, Imperator, ambitio. Præter enim illos quinque quos genui, etiam illos numero, quos provexi ad tutelam fori, ad officia palatii.*

Quo anno natus sit, et quo obierit incertum est. Certe haud admodum juvenem eum fuisse oportet anno Christi 296, tum cum hæc dicta est oratio, siquidem ejus filius jam tum magistratum gerebat amplissimum. Et in alio loco *subitam dicendi facultatem* negat bene sibi convenire, qui *mediæ ætatis amplius non esset*. Et alibi optans ut Constantinus Augustodunum aliquando veniat: *Sed enim*, inquit, *ista felicitas viderit, an adhuc meæ debeatur ætati.*

Quatuor panegyrici Eumenio tribui solent: unus quem pro restaurandis Æduensibus scholis Augustoduni dixit coram viro perfectissimo, hoc est, coram Lugdunensis primæ præside, opinor Rictiovaro ut in notis ostendo: anno 296, ut apparet ex imperatorum Cæsarumque victoriis quæ *n.* 21, perstringuntur, quæque in hunc tantum annum cadere possunt, ut in imperatorum Diocletiani, et Maximiani Augg. et Constantii Cæsaris vita observavi; v, quem Treveris coram Constantio Cæsare ut ex his verbis præcedentis patet: *Habenda est ratio temporis Cæsare stante dum loquimur.* Duobus Augustis, et Galerio Cæsare absentibus, ut manifestum est ex hoc loco præcedentis ubi eorum præclare gesta perstringens: *Hæc aliis*, inquit, *celebrabo temporibus iis ipsis, qui gessere, præsentibus*, sub finem anni Christi 296, post occisum Allectum, recuperatasque Britannias, ante Lingonicam Constantii victoriam, de qua verbum nullum est: cum Maximianus Aug. Mauros oppugnaret. Quanquam hunc nonnulli incerto auctori, et Rhenanus Mamertino aut Belgæ cuipiam adscribit. Fortasse quod hujus panegyrici auctor diu se silvisse initio dicit, cum tamen Eumenius hoc ipso anno panegyricum dixerit: tum quia habitam a se coram Maximiano orationem ait, quæ non extat. Sed ut hunc et sequentes duos panegyricos Eumenio tribuam facit et similitudo styli, et quod de institutione puerorum, et officio Palatino passim habet. Alius quem item Treveris die ejus urbis natali anno Christi 310, coram Constantino dixit paulo post ejus natales qui, si ut est in Kalendario vetere apud Bucherium, in tertium Kal. Mart. incidebant. In fine hujus orationis imperatorem invitat Æduensem urbem venire ne gravetur. Cumque anno sequenti imperator eam urbem ingressus restitui publica ædificia jussisset, et cives tributorum remissione sublevasset: Æduenses ipsum Eumenium, cujus eloquentiæ singulare principis beneficium acceptum referebant, statim ad imperatorem legarunt Treveros, ubi in celebri legatorum cœtu, qui eo undecunque ad quinquennalia principis celebranda venerant, Flaviensium nomine Constantino gratias acturus, alium panegyricum habuit.

MONITUM.

De hujus panegyrici auctore et quo loco ac tempore habitus sit, supra diximus in Eumenii Vita.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. — *Ostendit in laudandis imperatoribus et Cæsaribus difficile esse hominum expectationi respondere, se vero hunc orationi modum allaturum, ut eam præcipue Constantino consecret.*

Distributio *potest esse*: I. *De Constantini ad imperium electione.* II. *De variis ejusdem victoriis.*

I. pars. *De Constantini genere, quod hæreditarium ab avo Claudio et patre Constantio imperium acceperit,* n. 2. *Quod illud ipsum militando meruerit, imprimis quod adhuc adolescens in pugna manus cum Sarmarum duce conseruerit,* n. 3. *Quod Constantinus cæteris fratribus suis prælatus sit, ut patri Constantio, cui in omnibus rebus esset similis succederet,* n. 4. *Egregia utriusque comparatio, Constantius Bononiam incredibili celeritate cepit, et dum classis ad pervadendam Britanniam paratur, Bataviam et Frisiam a diversis Francorum regibus occupatam liberat, captos in deserta Galliarum loca transfert, Britannias decimo tandem anno recuperat,* n. 5. *Clementi utitur victoria, Francos iterum in suis sedibus vincit. Juxta Lingonas* LX. *Alamannorum millia cædit. Vindonis campos hostium strage complet: eosdem populos Rhenum glacie constrictum transmittere ausos ad deditionem cogit,* n. 6. *Caledonum, Pictorumque regiónem, Thulen et Fortunatas insulas usque progressus,* n. 7. *Constantinum prius imperii hæredem relinquit,* n. 8. *Redit ad Constantinum. Britanniæ cum propter multa, tum eo præcipue gratulatur quod prima eum Cæsarem viderit,* n. 9.

II. Pars. — *Mortuo patre Constantinus jam Augustus Ascario et Regaiso Francorum Regibus, quos bello ceperat punitis securitatem Galliis reddit, n.* 10. *Bructerorum fines ingressus eos internecione delet,* n. 12,

Digitized by Google

Reliquos Agrippinensi ponte facto ita terret, ut eo vix bene inchoato jam supplices obsidibus oblatis pacem petant, n. 15. Maximiani vitia obiter attingit, præsertim ingratum ejus in Constantinum animum, n. 14. Diocletiani (qui Salonæ adhuc privatus vivebat) in proposito constantiam laudat, n. 15. Iterum redit ad Constantinum : quam charus fuerit militibus, quos ab eo Maximiani promissa et largitiones avocare non potuerint, n. 16. Quanta alacritate adversus Maximianum Arelatem primum, tum Massiliam convolarint, n. 17. Massiliæ oppugnatio, n. 18. Constantini erga victos pietas, n. 21. Barbaros post ejus in Italiam discessum eruptionem meditantes repentino reditu suo reprimit : has victorias Apollini tribuit.

In fine. *Optat ut ad visendum Apollinis templum Æduam divertat : sic enim Urbem simul viderit esse restituendam, n. 22. Liberos suos orator imperatori commendat, n. 23.*

INCIPIT PANEGYRICUS.

I. Facerem, sacratissime Imperator, quod paulo ante mihi plerique suaserunt, ut quoniam majestas tua hunc mediocritati meæ diem in ista civitate celeberrimum ad dicendum dedisset, de eo ipso ducerem sermonis exordium, nisi me ab hoc duplex ratio revocaret, considerantem neque mediæ ætatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem, neque ad aures tanti numinis quidquam nisi diu scriptum, et sæpe tractatum afferri oportere. Nam qui apud imperatorem populi Romani dicit ex tempore, quantum sit non sentit imperium. Huc accedit quod jam satis multi sunt, qui me putant nimium multa dicturum : idque, arbitror, non ex ingenio meo, quod mediocre est, sed ex laudum vestrarum copia metiuntur. Quorum ego expectationem, invitus licet, fallam brevitate dicendi. Revera enim cogitaveram plura quæ dicerem, sed malo orationem meam respui. Itaque primum illud compendium faciam, quod cum omnes vos invictissimi Principes, quorum concors est et socia majestas, debita veneratione suspiciam, hunc tamen quantulumcumque tuo modo, Constantine, numini dicabo sermonem. Ut enim ipsos immortales deos quanquam universos animo colamus, interdum tamen in suo quemque templo ac sede veneramur; ita mihi fas esse dico omnium principum pietatem meminisse, laudibus celebrare præsentem.

II. A primo igitur incipiam originis tuæ numine : quod plerique adhuc fortasse nesciunt, sed qui te amant plurimum sciunt. Ab illo enim Divo Claudio manat in te avita cognatio, qui Romani imperii solutam et perditam disciplinam primus reformavit, immanesque Gothorum copias Ponti faucibus et Istri ore proruptas terra marique delevit; utinam diuturnior recreator hominum, quam maturior deorum comes. Quamvis igitur ille felicissimus dies proxima religione celebratus imperii tui natalis habeatur, quoniam te isto habitu primus ornavit; jam tamen ab illo generis auctore in te imperii fortuna descendit. Quin imo patrem tuum ipsum, vetus illa imperatoriæ domus prærogativa provexit; ut jam summo gradu, et supra humanarum rerum fata consisteres, post duos familiæ tuæ principes tertius imperator. Inter omnes, inquam, participes majestatis tuæ hoc habes, Constantine, præcipuum, quod imperator es, tantaque est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris imperium, nec possit fortuna

VARIORUM NOTÆ.

I. *Diem in ista civitate.* In aliis est *diem dicto in ista civitate*, sed voculam erasi, quam a veteri exemplari abesse ait Livineius, et quæ reipsa obscuritatem affert sententiæ.

In ista civitate. Opinor Treverensi, cujus tum dies natalis celebrabatur ut dicturus est n. 22.

Mediæ ætatis hominem. Id est, hominem progressa jam et matura ætate qualis ego sum, extemporali orationis genere uti non debere. *Ætas media* dicitur illa quæ est inter juventam et senectam. A tricesimo ferme sumitur ad quadragesimum annum. Dicitur a Tullio de senect. 76 : *ætas constans;* ab aliis ἀκμή, ætatis vigor.

Nisi diu scriptum. Respexit pro more suo Eumenius ad locum Tullii pro lege Manil. n. 2 : *Nam cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem : statuerimque nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere*, etc.

Orationem meam respui. Legunt alii *orationem meam desiderari*, alii *requiri*, alii *brevem esse, quam respui*, id est, quam renui, propterea quod tædium vobis afferat alii *respici*, id est magnifieri.

Itaque primum. Hoc est, *quare ea primum parte orationem contrahum, quod*, etc.

Invictissimi principes. Constantinus, Licinius et Maximinus.

Celebrare præsentem. Ex his verbis hanc orationem coram Constantino habitam fuisse patet.

II. *Fortasse nesciunt.* Haud mirum si hodie inter viros doctos controversia est utrum Constantinus in Britannia, an in Bithynia natus. Utrum ex Eutropia Claudii imperatoris aut ejus fratris filia natus sit. Siquidem vel Constantini ipsius tempore id multis ignotum fuisse ait Eumenius.

Gothorum copias. Claudius hostium exercitum ex variis gentibus conflatum, classem vero amplius mille navibus constantem plane delevit. Cæsa in eo bello Gothorum trecenta viginti millia. *Trebellius Pollio.* Et numi *Claudio Aug. Gothico.*

Utinam diuturnior. Nam duos tantum circiter annos imperavit, nempe a kal. apr. an. Chr. 304, ad kal. aug. an. 306. Idatius.

Quamvis ille. Sensus est : Quamvis felicissimus ille inaugurationis tuæ dies, magna populorum pompa et acclamatione celebratus sit; tuique imperii natalis eam ob rem habeatur, quod tum primum imperatorio habitu ornatus prodieris : jam tamen antea a Constantio tuo parente imperandi jus, et fortunam acceperas. *Barthius* inserta vocula legit, *dies diis proxima religione celebratus.* Adversar. libr. xiv, c. 9.

Quin imo. Imo et Constantium vestræ domui traditum ab eo tempore jus imperii ad eum honorem provexit, ut post duos familiæ tuæ, nempe Claudium et Constantium tertius imperator fieres.

Quod Imperator es. Id est, quod re ipsa imperator, et quod habeas a natura ut imperator sis. Lubenter voculam adderem, quam deesse suspicati sunt Livineius et Acidalius. Quod *imperator natus es.* Nam paulo post : *Imperium nascendo meruisti.* Sed deest veteris codicis auctoritas.

Digitized by Google

numini tuo imputare quod tuum est, omissis ambitu et suffragatione.

III. Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus te principem fecit. Imperium nascendo meruisti. Quod quidem mihi deorum immortalium munus et primum videtur et maximum, in lucem statim felicem venire, et ea quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam domi parta suscipere. Quamvis enim magna sit et admiranda felicitas quæ stipendiis in ordinem meritis, et militiæ gradibus emensis ad fastigium istud majestatis ascendit, et solis virtutis nixa radicibus ad tantum potentiæ robur invaluit; quod quidem etiam tu quantum per ætatem licuit consecutus es, et quamvis te supra omnes acquirendæ gloriæ moras fortuna posuisset, crescere militando voluisti, et adeundis belli periculis, ac manu cum hostibus etiam singulari certamine conserenda, notiorem te gentibus reddidisti, cum non posses esse nobilior. Magnum, inquam, est ab se profectum ad maxima pervenire; longe tamen aliud est, niti per ardua, et juga montium petere e plano, aliud ipsa ortus sui sublimitate fultum, verticem tenere fortunæ, et quæ summa sunt non sperare, sed habere.

IV. Sacrum istud palatium non candidatus imperii, sed designatus intrasti, confestimque te illi paterni lares successorem videre legitimum. Neque enim erat dubium, quin ei competeret hæreditas, quem primum imperatori filium fata tribuissent. Te enim tantum, ille et imperator in terris, et in cœlo Deus, in primo ætatis suæ flore generavit, toto adhuc corpore vigens, illa præditus alacritate ac fortitudine, qua cum bella plurima tum præcipue campis Vindonis gessit. Inde est quod tanta ex illo in te formæ similitudo transivit, ut signante natura vultibus tuis impressa videatur. Idem enim est, quem rursus in te colimus, aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis et in ore tranquillitas. Sic est index modestiæ rubor, sic testis sermo justitiæ. Accipe, Imperator, accipe nostrorum sensuum confessionem. Dolet quod Constantius excessit a nobis, sed dum te cernimus illum excessisse non credimus. Quanquam quid ego illum excessisse dico, cujus immortalia facta vivunt, et in ore omnium hominum oculisque versantur?

V. Quis enim non dico reminiscitur, sed quis non adhuc quodammodo videt quantis ille rebus auxerit ornaritque rempublicam? Qui adscitus imperio, primo adventu suo innumerabili hostium classe ferventem exclusit Oceanum, exercitumque illum, qui Bononiensis oppidi litus insederat terra pariter ac mari sepsit, cum reciprocos cursus illius elementi jactis inter undas vallis diremisset, ut quorum portas fluctus allueret, mare et quod tangerent perdidissent. Qui eodem exercitu virtute capto, clementia conservato, dum ædificandis classibus Britanniæ recuperatio comparatur, terram Bataviam, sub ipso quondam alumno suo a diversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgavit, nec contentus vicisse, ipsas in Romanas transtulit nationes, ut non solum arma, sed etiam feritatem ponere cogerentur. Nam quid ego de receptione Britanniæ loquar? Ad quam ita quieto mari navigavit, ut Oceanus ille, tanto vectore stupefactus, caruisse suis motibus videretur; ita pervectus, ut non comitata illum sit, sed præstolata victoria.

VI. Quid de misericordia dicam, qua victis temperavit? quid de justitia, qua spoliatis amissa restituit? quid de providentia, qua sociis sibi junctis se ejusmodi judicio dedit, ut servitutem passos juvaret recepta libertas, culpæ conscios ad pœnitentiam re-

VARIORUM NOTÆ.

Numini tuo. Id est, beneficii instar tibi dare, fortasse legendum fuerit *numini suo*, id est, ut fortuna sibi ascribere non possit, quod tuum jam erat, quod tuis natalibus debebatur citra ambitum et populi suffragia.

III. *Favoris eventus.* An *favoris ventus*? ut Bongarsio placet: certe quidem apud Tullium legitur, *ventum popularem, ventos concionum.*

Quamvis enim. Dictum illud in Diocletiani gratiam, qui tum privatus Salonæ vivebat. Ita enim ille ad imperium promotus fuerat.

Singulari certamine. Cum Sarmatarum duce quem victum ad Galerii sub quo militabat pedes adduxit. Zonaras.

Petere e plano. Livineii emendationem secutus sum. Sententia est: Magnum est hominem origine sua clarum ad supremas dignitates ascendere: majus est hominem e plebe ad summos honores sese erigere. In Puteana editione est *patere plano.*

IV. *Designatus intrasti.* Jam Constantius te sibi hæredem destinarat, cum aut te ex Italia ad se evocavit, aut ad eum ipse accurristi.

Primum imp. filium. Quem primum ex Helena suscepit, cum esset in primo ætatis flore. Antequam Theodoram Maximiani filiam conjugem accepit.

Vindonis. Infra, *Vindonissæ.* Vindonus seu Vindonissa urbs in Helvetia, ad Ambronicum pagum, propter Arolam fluvium nunc *Winsdich.*

V. *Exclusit Oceanum.* Defixis in portus aditu saxis et trabibus, ne Carausii classis, quæ oram hanc tenebat, Bononiensibus venire auxilio posset.

Eodem exercitu. Id est, præsidiariis quas Carausius Bononiæ collocarat copiis.

Terram Batavium. Non Batavicam, ut emendant aliqui. Nam sic Catullus Celtiberiam terram, et Tibullus Campaniam terram dicit:

Non tibi si pretium Campania terra daretur.

Alumno suo. Carausio Menapiæ non in Hungaria, sed in Flandria natum.

In Romanas transtulit nat. In Gallias Romanis subjectas, puta ut Ambianum, Bellovacum, Tricassinum et Lingonicum agrum colerent.

Ita quieto mari. Post recuperatas decimo tandem anno Britannias huc victor ingreditur.

VI. *Victis temperavit. A victis temperavit.* Barthius Advers. l. XIV, c. 9.

Se ejusmodi judicio dedit. Abundare videtur vox illa *judicio*: igitur illa ejecta sensus est. Talem se præbuit, et præstitit ut, etc.; alii legunt *se ejusmodi judicem* vel potius *se ejusmodi vindicem dedit*, etc.

Digitized by Google

vocaret impunitas? Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed a propriis ex origine suis sedibus, atque ab ultimis barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, et pacem Romani imperii cultu juvarent, et arma dilectu? Quid commemorem Lingonicam victoriam, etiam imperatoris ipsius vulnere gloriosam? quid Vindonis campos hostium strage completos, sed adhuc ossibus opertos? quid immanem ex diversis Germanorum populis multitudinem, quam duratus gelu Rhenus illexerat ut insulam, quam divortio sui idem amnis amplectitur, pedestri agmine ausa transmittere repente laxato flumine clauderetur, et demissis statim obsessa navigiis, ita se dedere cogeretur, ut, quod difficilius est sorte communi, eligeret, et ex æquo captivitati traderet, relatura cum reliquiis suis infamiam proditionis suorum.

VII. Dies me ante deficiet quam oratio; si omnia patris tui facta vel hac brevitate percurram. Cujus etiam suprema illa expeditio non Britannica tropæa, ut vulgo certum est, expetivit, sed diis jam vocantibus ad intimum terrarum limen accessit. Neque enim ille tot tantisque rebus gestis non dico Caledonum, aliorumque Pictorum silvas et paludes, sed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam, nec ipsas, si quæ sunt, Fortunatorum insulas dignabatur acquirere, sed, quod eloqui nemini voluit, iturus ad deos genitorem illum deorum, igneo cœli astra refoventem, prospexit Oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua, jam videret illic diem pene continuum. C Vere enim profecto illi superum templa patuerunt, receptusque est consessu cœlitum, Jove ipso dexteram porrigente. Quin imo statim sententiam rogatus, cui imperium decerneret, dixit ut decebat Constantium Pium: manifeste enim sententia patris electus es imperator. Quod quidem ita nos dicere cum veritas jubet, tum pietati tuæ, video, gratissimum est. Sed cur tantummodo privatis tuis affectibus blandiamur, cum omnium deorum fuerit illa sententia, et quidem jam pridem auctoritate præscripta, quamvis tum pleno firmata sit consilio? Jam tunc enim cœlestibus suffragiis ad salutem reipublicæ vocabaris, cum ad tempus ipsum, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti repentinus tuus adventus illuxit: ut non advectus cursu publico, sed divino B quodam advolasse curriculo videreris.

VIII. Non enim ulla Persarum, Cydonumve tela tam certis jactibus destinata fixerunt, quam tempestivus patri tuo terras relicturo comes affuisti, omnesque illius curas, quas præsaga et tacita mente volvebat, præsentiæ tuæ securitate laxasti. Dii boni, quanta Constantium Pium etiam in excessu suo felicitate donastis! Imperator transitum facturus in cœlum vidit, quem relinquebat hæredem. Illico enim atque ille terris fuerat exemptus, universus in te consensit exercitus, te omnium mentes oculique signarunt, et quanquam tu ad seniores principes de summa reipublicæ quid fieri placeret retulisses, prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt. Purpuram statim tibi cum primus copiam tui fecit egressus milites, utilitati publicæ magis quam tuis affec-

VARIORUM NOTÆ.

Propriis ex origine, etc. Francos non modo in Galliis et Batavia ubi grassabantur, sed etiam in Germanici maris parte septentrionali, id est, in originis suæ loco, victos in desertas Galliarum partes abduxit, ut et has terras colerent et Romana signa sequerentur.

Lingonicam victoriam. Constantius juxta Lingonas primum fugatus est a numerosissimo Alamannorum exercitu; mox ipso eodem die accensis suorum animis tanta vi integravit pugnam, ut LX. eorum millia ceciderit. EUTROP.

Quam, etc. Id est, *quam concretus gelu Rhenus invitarat.*

Divortio sui. Insulam Batavian quam olim teste Plinio prope centum m. pass. in longitudinem extensam, nunc multo angustiorem, Rhenus in duas partes se dividens undequaque involvit. Idem autem ille fluvius ex altera parte Rhenus dicitur, Vahalis ex D altera. Huc irrumpere ausos Francos obsedit pariter Constantius, et ad deditionem coegit.

Ut, etc. Id est, *ut quod gravius est, quam si sortem communem experti essent, seligerent quos obsides darent.*

VII. *Illa expeditio.* Adversus Pictos.

Genitorem deorum. Ita Oceanum appellat Homerus Iliad. Ξ, 201:

Ωκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Et divum Tethyn matrem, Oceanumque parentem. Fortasse quia solem communem omnium parentem, quem ignem esse Stoici putant, aquis suis pascit.

Diem pene continuum. Propter Sphæræ obliquitatem et solis deflectionem Juvenal. Satir. 2, 161:

Minima contentos nocte Britannos.

Tacit. in Jul. Agricolæ vita: *Nox clara et extrema Britanniæ parte, brevis, ut finem, atque initium lucis exiguo discrimine internoscas*, etc.

Dexteram porrigente. Extat Constantini nummus quadrijugo curru in cœlum evolantis desuper manus o cœlo porrecta: similem haud die nummum Constantio fuisse oportet.

Constantium pium. Id respondit, quod pium imperatorem deceret. Videtur autem Constantius peculiari quodam nomine *pius* dictus n. 8: *Dii boni quanta Constantium pium etiam in excessu suo felicitate donastis!* Al. pan.: *Erat ille, Maximiani suppositus, tu Constantii pii filius.*

Electus es. Ita restituendum fuit ad integritatem sensus, juxta veterem codicem.

Pietati tuæ. Nihil enim æque gratum tibi, quam si a patre electus sis imperator.

Auctoritate præscripta. Id est, irrevocabilis quasi præscriptionis jure.

VIII. *Cydonum*, etc. Cydones populi insulæ Cretæ, quorum urbs a Strabone *Cydonia*, a Ptolemæo *Cydonis*, ab aliis *Cydon* appellatur.

Omnesque illius curas. Ita Eusebius libro de vita Constantini. Addit vero Zonaras *Constantio ægrotanti, et ob cæterorum filiorum ineptam indolem mœsto, angelum astitisse qui juberet, Constantino relinquere imperium.*

Consensit exercitus. Annitente Eroco Alamannorum Rege, qui ei adversus Pictos Britanniæ populos auxilio venerat. VICTOR.

Et quanquam tu. Rhenani editionem sequor. In aliis enim est, *et quanquam tui ad seniores principes de summa republica*, mendose mea quidem sententia.

Digitized by Google

tibus servientes, injecere lacrymanti. Neque enim fas erat diutius fieri principem consecratum. Diceris etiam, imperator invicte, ardorem illum te deposcentis exercitus fugere conatus equum calcaribus incitasse. Quod quidem, ut verum audias, adolescentiæ errore faciebas. Quis enim te Cyllarus, aut Arion posset eripere, quem sequebatur imperium? Illa, inquam, illa majestas, quæ Jovis subjecta nutu, nec Iridi deum nuntiæ, sed prius commissa victoriæ, tam facile te comitata est, quam cito ad terras cœlo missa perveniunt. Sic modestiam tuam atque pietatem et differendi imperii conatus ostendit, et reipublicæ felicitas vicit.

IX. O fortunata, et nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti! Merito te omnibus cœli ac soli bonis natura donavit, in qua nec rigor est nimbis hiemis, nec ardor æstatis, in qua segetum tanta fœcunditas, ut muneribus utrisque sufficiat, et Cereris et Liberi, in qua nemora sine immanibus bestiis, terra sine serpentibus noxiis; contra pecorum mitium innumerabilis multitudo lacte distenta, et onusta velleribus: certe quidem propter quod vita diligitur, longissimæ dies, et nullæ sine aliqua luce noctes, dum quod illa littorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam cœli et siderum transit aspectus: ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat præterire. Dii boni, quid hoc est, quod semper ex aliquo supremo fine mundi nova deum numina universo orbi colenda descendunt? Sic Mercurius a Nilo, cujus fluminis origo nescitur, sic Liber ab Indis prope consciis solis orientis, deos se gentibus ostendere præsentes. Sacratiora sunt profecto mediterraneis loca vicina cœlo, et inde propius a diis mittitur imperator, ubi terra finitur.

X. Imperatoris igitur filius, et tanti imperatoris, et ipse tam feliciter adeptus imperium, quomodo rempublicam vindicare cœpisti? Ignobilem credo alicujus barbarorum manum repentino impetu, et improviso latrocinio ortus tui auspicia tentasse. Affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant: non dubitasti ultimis punire cruciatibus; nihil veritus gentis illius odia perpetua et inexpiabiles iras. Cur enim ullam reputet juste severitatis offensam imperator, qui quod fecit tueri potest? Tua clementia est, quæ parcit inimicis, et sibi magis prospicit, quam ignoscit. Te vero, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant. Hæc est enim vera virtus, ut non ament, et quiescant. Cautior licet sit, qui devinctos habet per veniam perduelles, fortior tamen est, qui calcat iratos. Renovasti, Imperator, veterem illam Romani imperii fiduciam, quæ de captis hostium ducibus vindictam morte sumebat. Tunc enim captivi reges cum a portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simulatque in Capitolium currum flectere cœperat imperator, abrepti in carcerem necabantur. Unus Perses, ipso Paulo qui dedentem se acceperat deprecante, legem illius severitatis evasit. Cæteri omnes in vinculis luce privati, aliis regibus dedere documentum, ut mallent amicitiam colere Romanam quam exasperare justitiam. Adeo et hoc boni confert pœna hostibus irrogata, ut non solum inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensius revereantur.

VARIORUM NOTÆ.

Neque enim. Neque enim diutius erat in luctu immorandum, ut cœlo donatum et consecratum Constantium deflereemus.

Calcaribus incitasse. Equum quidem calcaribus Constantinum incitasse refert Victor Schotti, cum effugiens Roma ubi obses religionis a Galerio tenebatur, veredis post se truncatis ad patrem in Britanniam convolaret: id vero ipsum præstitisset ut exercitus ipsum ad imperium deposcentis votis sese subduceret, nemo est, opinor, qui dixerit præter panegyristen istum.

Cyllarus. Castoris equus est, quem Juno a Neptuno acceptum ei tradidit. De hujus pernicitate passim apud poetas. Propert. l. II, eleg. 7:

Non mihi sat magnus Castoris iret equus.

Virg. Georg. III Pollucis equum fuisse dicit.

Talis Amyclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Sed hic fratrem pro fratre posuit licentia poetica, ut notat cum cæteris Virgilii interpretibus Servius.

Arion. Equus Adrasto a Neptuno datus, cujus pariter pernicitatem celebrat Statius l. VI, Thebaidos, aliique passim poetæ.

IX. *Prima vidisti.* Utrum nascentem, ut inde colligunt, quicumque Constantinum Britannum faciunt? an imperantem? Aut Cæsaris certe appellatione insignitum? ut contendunt alii. Id enim Eboraci, quæ Britanniæ civitas est, contigisse, nemini dubium est.

In qua nec rigor est. Auctor panegyrici respexit ad locum Taciti de Agricolæ vita, ubi idipsum habet *in lib. de Britanniæ situ, temperie, fertilitate.*

Propter quod. Non *quod propter* ut in vulgaribus editionibus est.

Quod, etc. Hoc est, *quod semper ex aliqua extrema parte mundi novi dii veniunt universo orbi colendi.*

Mercurius a Nilo. Plures Mercurii fuere. Alius in Cyllene Arcadiæ monte natus, de quo Æneid. l. VIII, 138. Alius in Bæoticis non procul a Tanagris in Corycio monte. Hic de eo sermo est, qui in Ægypto natus: notior vero est, quam ut ejus gesta commemorem.

Liber ad Indis. Atqui Thebanus erat, sed et Indos petiit, delevitque. Unde victor reversus divinis honoribus exceptus est.

Fluminis origo nescitur. De Nili origine Isaacus Vossius in commentario super ea re, quem tu consule.

Prope consciis. Id est, in ea fere parte, ubi oritur sol.

X. *Ignobilem credo*, etc. Tangit Maximiani de Bagaudis victoriam, quam ut Constantino aduletur elevat. Maximianus autem videtur tum obiisse.

Reges ipsos Franciæ. Ascaricum et Regaisum, qui contra fœdus cum Constantio initum se commoverant. Hos Constantinus in theatrum induxit belluis dilaniandos (Eutrop.).

Tua clementia. Alii *stulta clementia est*, id est, stultum est parcere inimicis ex metu, et sibi potius prospicere, quam ex pia quadam voluntate aliis ignoscere. Gruterus, *Tua clementia est*, id est, cautior est et utrumvis elige.

Vera virtus. Vera virtus est facere ut, vel qui te non ament, placide tibi obtemperent.

Unus Perses. Perses Macedonum Rex an. U. C. 576. Philippo patri successit. Is undecimo post anno a Paulo Æmilio victus ante victoris sui triumphalem currum ductus est. (*Livius l.* XL; *Justinus l.* XXXIII; *Plutarchus in Paulo Æmil.*; *Velleius Paterc.*, etc.)

Digitized by Google

XI. Inde est igitur, Imperator, pax ista qua fruimur. Neque enim Rheni jam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Quamlibet ille aut arescat æstu, aut resistat gelu, neutro hostis audebit uti vado. Nihil enim tam insuperabili vallo natura præclusit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur. Ille est inexpugnabilis murus, quem extruit fama virtutis. Sciunt posse se Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas; sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. Quid ipsos maneat ex regum suorum cruciatibus metiuntur, ideoque tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut comperta potestate desperent. Ubi nunc est illa ferocia? ubi semper infida mobilitas? Jam ne procul quidem Rhenum audetis accolere, et vix securi flumina interiora potatis. Contra hinc per intervalla disposita magis ornant limitem castella quam protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, et toto nostri greges flumine bicorni mersantur. Hæc est tua, Constantine, de Ascarici Regaïsique supplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda. semel acie vincitur, sine fine documento. Cladem suam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat; compendium est devincendorum hostium duces sustulisse.

XII. Ut tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur, nec sola hostes regum suorum supplicia mœrerent, etiam immissa, Bructeris vastatione fecisti, Imperator invicte. In quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto inopinantes adortus es, non quo aperto Marte diffideres, ut qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfugiis silvarum et paludium bellum solita frustrari fugæ tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi. Quidquid fuit pecoris, captum, aut trucidatum est. Vici omnes igne consumpti. Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati sævientes bestias multitudine sua fatigarunt. Hoc est, Imperator, fretum esse virtute sua atque fortuna, hoc est, non pacem emere parcendo, sed victoriam quærere provocando.

XIII. Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat, cum tamen hoc tu magis ad gloriam imperii tui, et ornatum limitis facias, quam ad facultatem quoties velis in hostium transeundi. Quippe cum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, et ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, et revera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solum superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius, et Barbarus Nicer, et Mænus invexit, ubi jam immani meatu ferox, et alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere. Servit profecto, Constantine maxime, ipsa rerum natura numini tuo, cum in illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam et stabilem firmitatem habitura. Junxerit quondam licet Hellesponti angustias classe connexa Persarum rex potentissimus, temporarius ille transitus fuit. Simili navium continuatione Baianum sinum straverit ab Augusto tertius Cæsar, delicata fuit illa vectatio principis otiosi. Hoc opus et difficile factu, et usu futurum est sempiternum. Certe quidem jam tibi in exordio sui hostium movit obsequia, qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.

XIV. Talibus te pro utilitate ac dignitate publica rebus intentum averterunt in se novi motus ejus hominis, quem successibus tuis maxime favere decuisset. De quo ego quemadmodum dicam adhuc ferme dubito, et de nutu numinis tui expecto consilium. Quamlibet enim merito pietatis tuæ questibus arguatur, debet tamen sibi vox privata moderari, præsertim

VARIORUM NOTÆ.

XI. *Fama virtutis.* Ita restitui post Acidalium pro *fama virtuti*.

Sciunt posse se, etc. Addidi *se* ex suspicione Livineii. Ita enim videtur sensus requirere.

Comperta potestate. Id est, ex quo intellexerunt quid possis. Gruterus mavult legi *cæpto ponte*; quia enim in ms. erat *pote* pro *ponte*, acceptum illud ab imperitis librariis pro *potestate*. Pro quo conjectura facere videtur illud, n. 13: *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis afflictæ gentis insultas..... ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint, qui jam serviunt inchoato.*

Castella. Varia erant disposita ad Rheni ripam castella, quibus Germanorum incursiones prohiberentur.

Flumine bicorni. Rheno lavantur. Virg. Georg. iv, 272:

Balantumque gregem fluvio mersare salubri.

Semel, acie, etc. Semel acie vicisti, sed hoc justæ severitatis exemplo in perpetuum eos comprimis.

Hostium duces. Videtur in eo loco nimius, sed nimirum, ut actum illud quod paulo duriusculum erat, hac arte emolliat.

XII. *Bructeris.* *Bructeri* Germaniæ populi, quos alii in Frisia Orientali, alii in Westphalia collocant, ubi nunc Markiæ comitatus.

XIII. *Agrippinensi ponte.* Agrippina colonia, *Cologne*, olim Agrippina Ubiorum, Agrippinæ Neronis matris patria. Urbs Germaniæ inferioris præclarissima ad Rhenum, libera et Emporium: media inter Treverim et Monasterium urbem, cujus Archiepiscopus Elector est imperii.

Persarum rex. Xerxes Darii Hystaspis filius paterni regni, atque odii in Græcos hæres navibus Hellespontum junxit, atque ut Eutropii verbo utar, *contabulavit* Olymp. 75. *Herodoti Diod., sic Justin. Plutarchus*, etc.

Tertius Cæsar. Caligula. Suet. c. 19: *Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles tria millium et sexcentorum fere passuum ponte conjungit*, etc.

In exordio sui. Supple *imperii*.

XIV. *Ejus hominis.* Maximiani quem a Maxentio pulsum, ejectum ex Italia, Treveris perhumaniter exceperat accepta etiam in uxorem Fausta ejus filia.

Quamlibet, etc. Id est, etenim licet tua in *eum* pieta

Digitized by Google

cum eum, qui tibi ex tantis beneficiis tuis, et tanto necessitudinum favore ingratus extiterit, adhuc contemplatui cogat ut quamvis irati revereat. Quid faciam igitur, ut tam profunda vulnera suspensa manu tractem? Usurpabo nimirum illa communia omnium facinorum patrocinia, quæ tamen plerumque etiam a sapientibus asseruntur, neminem hominem peccare nisi fato, et ipsa scelera mortalium actus esse fortunæ, contra autem deorum munera esse virtutem. Gratulare, Constantine, naturæ ac moribus tuis, quod te talem Constantius Pius genuerit, talem siderum decreta formarint, ut crudelis esse non possis. Illum autem non credo, cum venturus in lucem optionem vitæ, qua uteretur acciperet, sortem incurrisse fugiendam, quæ multis hominibus injustum, et postremo ipsi voluntarium ferret exitium. Ut enim alia mittam, hoc ipsum nonne fati necessitas tulit, ut ille pietati tuæ hanc referret vicem, quem tu ab Urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti?

XV. Quid, oro, sibi voluit? quid optavit? aut quid amplius adipisceretur his quæ a te fuerat consecutus? cui tu summa, et diversissima bona, privatum otium et regias opes dederas, cui digredienti ad annulos sederas, cui impensius etiam quam tibi occurrere obsequia nostra mandaveras, cujus omnibus jussis sic statueras obedire, ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii. Quisnam ille tantus fuit non ardor potentiæ, quid enim te imperante non posset? sed error jam desipientis ætatis, ut tot natus annos, gravissimas curas, et bellum civile susciperet? Nullis, ut res est, muneribus fortunæ explentur, quorum cupidates ratio non terminat, atque ita eos felicitas ingrata subterfluit, ut semper pleni sperum, vacui commodorum, præsentibus careant, dum futura prospectant. Atenim divinum illum virum, qui primus imperium et participavit et posuit, consilii et facti sui non pœnitet, nec amisisse se putat, quod sponte transcripsit. Felix beatusque vere, quem vestra, tantorum principum, colunt obsequia privatum. Sed et ille multijugo fultus, imperio et vestro tegitur lætus umbraculo, quos scit ex sua stirpe crevisse, et glorias vestras sibi juste vindicat. Hunc ergo illum, quæ ab illo fuerat frater ascitus, puduit imitari, huic illum in Capitolini Jovis templo jurasse pœnituit. Non mirum quod etiam genero pejeravit.

XVI. Hæc est fides, hæc religio Palatini sacrarii devota penetralibus, ut lente et cunctanter, jam scilicet cum illis belli consiliis, itinere confecto, consumptis copiis mansionum, ne quis consequi posset exercitus, repente intra parietes consideret purpuratus, et bis depositum tertio usurparet imperium, litteras ad solicitandos exercitus mitteret, fidem militum præmiorum ostentatione turbare tentaret; secure scilicet usurus exercitu quem venales manus habere docuisset? Quo quidem illius errore declaratum est, Imperator, quantus te militum tuorum amor complecteretur, qui te omnibus donis, quæ ille promiserat, omnibus honorum oblationibus prætulerunt. Rara illa virtus continentiæ, vix a paucis sapientiæ præceptoribus tamen aliquando servata, propter te, Constantine, omnium hominum est facta communis, nec solum hi quos ratio litterarum, vitæ quies mitigavit, sed etiam ille militarium ardor animorum, respectu tui, lucra contempsit. Fuerint aliqui exercitus alacritate ac viribus tuo similes; tibi uni contigit exercitum habere sapientem. Multi olim fortasse pravi duces, armis impares, largitione certarunt, sed brevis eorum fuit et caduca popularitas, quos facile vicit quis quis imitatus est. Hic firmus, hic æternus est reipublicæ custos, quem ipsum per se milites amant, cui non blandita, nec vendita servit adulatio, sed simplex et sincera devotio. Dona tua, Constantine, manifeste sunt grata militibus, sed hoc gratiora quod tua sunt. Quæcumque porrigis, manu tua fiunt acceptiora. Quam nemo potest tecum hac ambitione contendere? Insuperabile genus est largitionis, cum ipse militi præmium est imperator. Itaque tribuis tu qui-

VARIORUM NOTÆ.

habeat justam causam *de ipso* conquerendi, homo tamen privatus debet suo sermoni modum ponere.

Contemplatui cogat. Fœde corruptus locus, quem alii alio modo restituunt. Langius: *Adhuc contemplari cogamur, tuque quamvis iratus revercare.* Livineius *adhuc contemplatio in tui cogat, ut quamvis irati revereantur.* Acidalius legit *Revereamur.*

Usurpabo, etc. Id est, Utar communi illa defensione scelerum quam usurpare sæpe etiam *sapientes* solent.

Nisi fato. Nota callidam Stoicorum nequitiam, qui ut tuto sibi esse improbis liceret scelerum suorum causam in fatum nescio quod rejiciebant.

Illum autem credo. Negationem sustuli post Acidalium, ut sensus sit: cum animo tuo abeundum fuit in mortale corpus, o Constantine, te talem siderum decreta formarunt, ut crudelis esse non possis: Maximiano vero illa sors obtigit, quæ et ipsi, et multis aliis exitio fuit: *sortitio* autem illa ex Epicureorum doctrina sumpta est.

XV.— *Ad annulos sederas.* Veteres editiones sequor; sensusque est, honoris causa sederas ad sinistram, in qua Græcos et Romanos annulum gestare solitos testantur (*A. Gellius l.* x, *c.* 10, *et Macrob. Saturn.* vii, *c.* 13). In Puteana editione est *ad annula fœderas* an legendum *te ad aram annulo fœderaveras*, seu quando fœdus cum eo iniisti, seu cum ejus filiam in uxorem accepisti. Duplex hac enim obtinebat apud Romanos consuetudo. Alii legunt *sinister sederas*: alii *ad mulos sederas*, etc.

Divinum illum virum. Diocletianum, qui Salonæ ubi privatus vivebat per litteras a Maximiano ad resumendum imperium invitatus: *Utinam*, inquit, *Salonæ posseris visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum indicaretis.*

XVI.—*Bis depositum.* Primum Mediolani, ubi Diocletiani quem patris loco habebat exemplo, et auctoritate inductus deposuit purpuram. Tum resumptum imperium iterum Treveris abdicavit. Ac tandem tertio usurpavit imperium.

Secure scilicet. Εἰρωνικῶς: haud enim tutum est eo uti exercitu, qui venales habere manus didicerit.

Nec solum. Id est, Nec tantum illi quos ratio, disciplina et vita quietior mansuetiores fecit, verum etiam milites animo ardentiores; tua causa quæstum neglexerunt.

Digitized by Google

dem tuis exercitibus etiam plura quam cupiunt, sed tuum te magis nomen, tua de memoria patris auctoritas, tuæ ætatis gratia, tua denique ista venerabilis forma commendat.

XVII. Pulchrum enim, dii boni! et cœleste miraculum imperator adolescens, in quo illa, quæ jam summa est fortitudo, adhuc tamen crescit: in quo hic fulgor oculorum, hæc veneranda pariter et grata majestas præstringit simul et invitat aspectus. Talem magnum illum regem, talem Thessalum virum mente concipio: quorum summa virtus pulchritudini conjuncta celebratur. Non frustra enim doctissimi viri dicunt: naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator. Itaque te cum ingredientem milites vident admirantur, et diligunt, sequuntur oculis, animo tenent, Deo se obsequi putant, cujus tam pulchra forma est quam certa divinitas.

XVIII. Statim igitur ut fœdum illud facinus audierant, ultro a te proficiscendi signum petiverunt, cum viatica dares, idipsum sibi moram facere, plusque jam se quam sufficeret ex largitionibus tuis habere dixerunt. Inde arreptis armis portas petierunt, tot dierum iter a Rheno usque ad Ararim sine ulla requie peregerunt; inde fessis corporibus, animis flagrantibus, crescente in dies ardore vindictæ quanto propius accederent. Tum quidem tua, imperator, cura, qua refovendis eorum viribus a Cabillonensi portu navigia provideras, festinantibus pœne non placuit. Segnis ille et cunctabundus amnis nunquam fuisse tardior videbatur. Cærinis tacite labentibus, et ripis lente recedentibus, stare se, non ire clamabant. Tum vero usum pedum manibus aggressi incubuere remigiis, et naturam fluminis urgendo vicerunt, et tandem eluctati Araris moras, vix ipso Rhodano fuere contenti: parum illis videbatur concitus ruere, minus solito Arelate properare. Quid multa? Confitendum est, imperator, cum hoc tuo vigore corporis, hoc mentis ardore laborasti interdum, ut quem ducebas sequereris exercitum. Tanto enim omnes impetu ferebantur, ut cum illum Arelate deserto comperissent abiisse Massiliam, confestim navibus evolarent, effusoque cursu non jam Rhodani curricula, sed ipsa quodammodo ventorum flamina præverterent. Tantus illos incenderat amor numinis tui, ut quamvis scirent oppugnandam esse munitissimam civitatem, sufficere sibi crederent pervenire.

XIX. Massilia enim, ut audio, in profundum mare prominens, et munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu Mediterraneus refluit sinus, solis mille quingentis passibus terræ cohæret, qua firmissimus et turribus frequens murus opponitur. Quippe olim Græcos, Italosque illuc convenas, cum artibus ingenioque pollerent, etiam ipse docuit locus omnia, quæ bello usui forent largius in eam partem, quæ adiri posset impendere, cum natura in cæteris sumptum operis remisisset. Itaque illam tum gravi fato Cæsari portas pro duce seniore claudentem, terra marique, admotis machinis, aggeribus extructis, navalibus præliis sæpius oppugnatam, quam territam, vix obsessio diuturna patefecit, cum tamen Græculi magistratus et ipsum Cæsarem, et mox duces ejus et copias non tam viribus suis quam mœnibus repulissent. Atenim primo tuo, imperator, adventu, primoque impetu exercitus tui nihil ejusdem Massiliæ altitudo murorum, nihil creberrimæ turres, nihil loci natura remorata est, quominus et portum caperes, et urbem continuo, si velles. Quippe tanta fiducia murum omnem milites invaserant, ut statim sine dubio ascensuri fuissent, nisi in parandis quas admoverant scalis, conjecturam oculorum sublimitas fefellisset. Sed sic quoque multi, scalarum brevitate decepti, quod supererat ascensui extentis corporibus æquabant, et succedentium humeris sublevati jam intervalla pinnarum uncis manibus invaserant: adeo nihil periculi in vindictæ executione metuebant, ut sibi non murum scandere, sed ex æquo congredi viderentur.

XX. Sed, o singularem tuam, Constantine, pietatem, et sua semper officia etiam inter arma servantem! signum receptui dedisti, et victoriam distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne quid atrocius faceret miles iratus, quam clementiæ tuæ natura pateretur. In quo licet optimi imperatoris sollicitudine caveris, ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent, atque ultro veniam precarentur; nos tamen, qui mitissimos sensus tuos intuemur, nihil est enim tam perspicuum quam in pectore tuo bonitas,

VARIORUM NOTÆ.

De memoria patris. Præposito *de* apud ejus ætatis scriptores ferme sumitur pro eo quod est *propter*. Ita apud Tertullianum et Cyprianum cæterosque ejus ævi scriptores. — *De memoria*, etc. Propter patris tui recordationem.

XVII.—*Magnum illum regem.* Alexandrum, quem non minus formosum, quam fortem fuisse historici ferunt.

Thessalum virum. Achillem, cujus puchritudinem Homerus multis in locis laudat.

Naturam ipsam. Interdum tamen in turpi domicilio hoc est in fœdo corpore latet elegans et illustris anima. Vetus illud de Galba, viro quam ingenioso, tam deformi: *Ingenium Galbæ male habitat.*

Metari. Id est, *parare.*

Quantus illos. Quantus illo, ut legit Acidalius.

XVIII.—*Segnis ille.* Arar, vel Araris. *La Saône.* Fluvius Galliæ Comatæ, Sequanos ab Æduis separans, atque ad Lugdunum Rhodano congrediens. Oritur ex Vogeso monte in confinio Lotharingiæ. Claudianus. *Lentus Arar, Rhodanusque celer*, etc.

Ripis lente recedentibus. A portu enim solventibus, ut est apud Virg., Æneid. lib. III, 72, terræ videntur recedere: sed quia non satis celeriter provehebantur, ripæ lentius, quam optabant, videbantur ipsis recedere.

Incubuere remigiis. Æneid. VI, 294:

Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis
Hectorei socii.....

Arelate. Arles. Urbs Galliæ Narbon. Achiepisc., ad Rhodanum fluvium. De qua Ausonius in *Catal. clarorum urbium.*

XIX.— *Massilia. Marseille*, ad oram maris Mediterranei.

Græcos, Italosque illuc. In hanc urbem Galliarum vetustissimam, artes omnes et litteras Græci et Itali ex suis oris primum induxerant.

Pro duce seniore. Pompeio. Quod quidem ipsi

Digitized by Google

illi te intelligimus pepercisse, quem, si prima copiam habuisset irruptio, cripere ferro nemo potuisset. Ita, quod ad pietatem tuam pertinet, imperator, et illum, et omnes quos receperat, reservasti. Sibi imputet quisquis uti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita judicavit, cum per te liceret ut viveret : tu, quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam non merentibus pepercisti. Sed, ignosce dicto, non omnia potes : dii te vindicant et invitum.

XXI. Quod quidem nobis semper optandum est, ut prosperos habeas etiam ultra vota successus, qui omnem spem in gremio majestatis tuæ ponimus, et tuam ubique præsentiam, quasi dari possit, expetimus. Ecce enim, dum a limite paullisper abscesseras, quibus se terroribus barbarorum perfidia jactaverat scilicet, dum sibi illa proponunt quando perveniet? quando vincet? quando fessum reducet exercitum? cum repente audito reditu tuo velut attoniti conciderunt. Nec tuum pro republica votum amplius quam unius noctis cura tetigit. Postridie enim quam accepto illo nuntio geminatum itineris laborem susceperas, omnes fluctus resedisse, omnem quam reliqueras tranquillitatem rediisse didicisti ; ipsa hoc sic ordinante fortuna, ut te ibi rerum tuarum felicitas admoneret, diis immortalibus ferre quæ voveras, ubi deflexisses ad templum toto orbe pulcherrimum, imo ad præsentem, ut venisti, deum. Vidisti enim, credo, Constantine, Apollinem tuum, comitante victoria, coronas tibi laureas offerentem, quæ triennum singulæ ferunt omen annorum. Hic est enim humanarum numerus ætatum, quæ tibi utique debentur ultra Pyliam senectutem. Et imo, quid credo? vidisti, teque in illius specie recognovisti, cui totius mundi regna deberi vatum carmina divina cecinerunt. Quod ego nunc demum arbitror contigisse, cum tu sis, ut ille, juvenis, et lætus, et salutifer, et pulcherrimus imperator. Merito igitur augustissima illa delubra tantis donariis honestasti, ut jam vetera non quærant. Jam omnia te vocare ad se templa videantur, præcipueque Apollo noster, cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur, quæ te maxime oportet odisse.

XXII. Dii immortales, quando illum dabitis diem, quo præsentissimus hic deus omni pace composita, illos quoque Apollinis lucos, et sacras sedes et anhela fontium ora circumeat? Quorum scaturigines, leni tepore nebulosæ, arridere, Constantine, oculis tuis, et oculis sese inserere velle videantur. Miraberis profecto illam quoque numinis tui sedem, et calentes aquas sine ullo soli ardentis indicio, quarum nulla tristitia est saporis, aut halitus, sed talis haustu et odore sinceritas qualis fontium frigidorum. Dabis et illic munera, constitues privilegia, ipsam denique patriam meam ipsius loci veneratione restitues. Cujus civitatis antiqua nobilitas, et quondam fraterno populi romani nomine gloriata opem tuæ majestatis expectat, ut illic quoque loca publica, et templa pul-

VARIORUM NOTÆ.

exitio fuit. Vide *Comment. Cæsaris de bello Gallico.*

XX.— *Si prima.* Id est, *Si copia facta fuisset primo impetu irrumpendi.*

Quos receperat. Fortasse *quos decepcrat.* Ita placet Acidalio. Facit pro illa conjectura id quod est superius : *Ut inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent.*

Sed ignosce dicto. Mirificus locus, et, si quis alius est, artificii plenus. Quia enim Constantinus Maximianum aut revera strangulari jusserat, aut jussisse credebatur, necem hanc deorum ultioni attribuit, atque ipso invito contigisse ait. Quem locum pene exscripsit Pacatus in Theodosii paneg. n. 44 : *Sed bene est, quod non omnia potes, tui te vindicant et invitum.*

XXI. — *A limite.* A Rheni limitibus.

Quibus. Id est, *Quam terrificis minis ostentaverunt se nobis perfidi barbari, dum secum illud reputant.*

Barbarorum. Francorum.

Quando vincet? Adulatorie dictum : quasi Constantino unum et idem fuerit aliquo *pervenire et ibi vincere.*

Amplius quam unius. Id est, *Plus una nocte te sollicitum tenuit.*

Templum. Apollinis, quod Augustoduni erat celeberrimum : de quo in *Orat. pro restaur. schol.*, n. 9.

Apollinem tuum. Videtur Constantinus præcipuo cultu Apollinem coluisse, quod confirmant nummi aliquot in quibus sub Apollinis forma exhibetur. Titulus *soli invicto.* Sed hanc superstitionem felicissime ejuravit imperatorum omnium primus Christianus.

Pyliam Senectutem. Id est, Nestoris, ita dicti a Pylo patria, quæ agri Messeniaci oppidum est, in tractu occidentali Peloponesi, ubi regnabat. Cum autem Nestor tria sæcula vixisse tam sæpe apud auctores dicitur, non intelligendum, inquit Muretus, quasi trecentos annos vixisset, ut falso putant quicumque γενεὰν pro centum annis semper accipiunt, sed octogenario majorem : γενεὰν enim triginta sæpe annos significare tantum ostendit (*Variar. lect. liv.* x, *cap.* 8). Quanquam secus sentiunt Plautus, Propertius, Ovidius, Juvenalis et alii, qui non uno in loco trecentos Nestorem annos vixisse disertis verbis aiunt. Et vero nihil esset causæ cur Nestoris senectus tantopere celebraretur, si is nonaginta tantum annos attigisset.

Cujus ferventibus aquis. De aquis perjurii ultricibus multa referunt auctores. Apud Palicos in Sicilia fontem fuisse aiunt, in quem, teste Aristotele, *lib. de admirandis auditionibus*, n. 55, si inscriptam jusjurandi tabellam projiceret juraturus aliquis, supernatabat tabella : Si fidem servaturus erat, sin minus, ibat illa pessum, perjuro combusto. Macr., liv. v. Satur., cap. 19 : *Hanc aquam vitæ integris hominibus suavem esse, perjuris vero lethiferam.* Idipsum de eodem fonte tradit Diodorus Siculus, lib. xi, quem tamen Solinus, cap. 4, in Sardinia ponit ; in quo errare Salmasio et aliis visus est, qui in Sicilia eum fuisse volunt : cumque perjuris non necem, ut alii volunt, sed cæcitatem tantum attulisse. Idem Philostratus *in vita Apollonii* refert de fonte juxta Tyanam Cappadociæ urbem Jovi sacro, *qui et frigidus ebullire, et cum cæteris foret innoxius, perjuris pustulas lividentes, et vomicas facere calamitosas dicebatur.* Idem extat apud Plinium, lib. xxxi, cap. 2. De fonte alterius generis agit Ovidius Fast. lib. v, in quo dum se perjuri mercatores abluerent a Mercurio petebant, ut non præterita tantum, sed et futura perjuria aqua eluerentur :

> Ablue præterita perjuria temporis, inquit;
> Ablue præterita perfida verba fide.
> . . . . . .
> Nec curent superi si qua locutus ero.

XXII. — *Præsentissimus Deus.* Constantinus.

Apollinis lucos. Augustodunum, ubi hæc omnia.

Numinis tui. Id est, Apollinis.

Sed talis, etc. Id est, *Tam gustu et odore sincera, quam fontes gelidi* sunt sinceri.

Patriam meam. Hanc orationem aut Eumenii, aut

Digitized by Google

cherrima tua liberalitate reparentur ; sicut hic video hanc fortunatissimam civitatem, cujus natalis dies tua pietate celebratur, ita cunctis mœnibus resurgentem, ut se quodammodo gaudeat olim corruisse, auctior tuis facta beneficiis ; video circum maximum, æmulum, credo, Romano ; video basilicas, et forum, opera regia, sedemque justitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus et cœlo digna et vicina promittant. Quæ certe omnia sunt præsentia tua munera. Quæcumque enim loca frequentissime tuum numen illustrat, in his et hominibus omnia, et mœnibus, et muneribus augentur : nec magis Jovi Junonique recubantibus novos flores terra submisit, quam circa tua, Constantine, vestigia urbes et templa consurgunt. Ideoque hoc votis meis sufficit, ut patriam meam videas ducente pietate, quia statim erit restituta, si videris. Sed enim ista felicitas, viderit an adhuc meæ debeatur ætati.

XXIII. Interim quoniam ad summam votorum meorum tua dignatione perveni, ut hanc meam qualemcumque vocem, diversis otii et palatii officiis exercitam, tuis auribus consecrarem, maximas numini tuo gratias ago ; tibique, quod superest, commendo liberos meos, præcipueque illum jam summa fisci patrocinia tractantem, in quem me totum transtulit pietas ; cujus felix servitus, siquando respexeris, maxime tuæ conveniet ætati. Cæterum quod de omnibus liberis dixi, lata est, imperator, ambitio. Præter illos enim quinque quos genui, etiam illos quasi meos numero quos provexi ad tutelam fori, ad officia palatii. Multi quippe ex me rivi non ignobiles fluunt, multi sectatores mei etiam provincias tuas administrant. Quorum successibus lætor, omniumque honorem pro meo duco, et si forte hodie infra expectationem mei dixero, in illis me confido placuisse. Si tamen hoc quoque tuum mihi numen indulserit, ut ex hac oratione non eloquentiæ, quod nimium est, sed quantulæcumque prudentiæ, et devote tibi mentis testimonium referam, cedant privatorum studiorum ignobiles curæ : perpetua mihi erit materia dicendi, qui me probaverit imperator.

VARIORUM NOTÆ.

alicujus certe Æduensis rhetoris esse hinc liquet.

Hunc fortunatissimam civitatem. Trevorensem, ubi hanc orationem dicebat.

Præsentia tua munera. An *præsentiæ tuæ*.

Jovi, Junonique. Sumptum illud ex Homeri Iliad. ξ, 347, ubi de utroque agens : τοῖσι ὑπὸ χθὼν δῖα, etc.,

Ollis submisit tellus herbamque recentem,
Lotumque halantemque crocum, mœstumque hyacinthum,
Plurimus ut molli surgebat in aera sylva.

Statim erit restituta. Invitat Constantinum ut Augustodunum divertat, eamque urbem, uti Treveros, reficiendam curet.

XXIII. — *Otii et Palatii officiis.* Fuerat enim sacræ memoriæ magister. Præterea Mœnianis Scholis a Constantio præfectus fuerat, quod otii officium vocat.

Tuis auribus. Habita coram te oratione consecrarem.

Fisci patrocinia. Summa fisci patrocinia tractare nihil aliud est quam fungi munere advocationis fisci, seu esse advocatum et patronum fisci : quæ duo munera interdum ab uno eodemque gerebantur. Is autem causis fiscalibus pro fisco interveniebat, in aula apud comitem thesaurorum, id est, sacrarum largitionum ; in urbe, apud præfectum ærarii ; in provinciis vero, apud procuratorem Cæsaris. Atque hic quidem nihil decernere poterat, quin prius advocatum fisci audiisset (*l. ultima cod. de advocatis fisci*).

SYNOPSIS ORATIONIS

PRO RESTAURANDIS SCHOLIS AUGUSTODUNI (1).

In exordio *dicit quantum sibi metum affert loci insolentia, tantum se discendi causa recreari.*

Distributio. — I. *Augustoduni scholas esse instaurandas.* — II. *Qua ratione id possit sine sumptu publico fieri*, n. 3.

I. Pars. *Mentem imperatorum et Cæsarum esse ut non templa modo et publico opera, sed multo magis Æduenses scholæ, Bagaudicæ factionis irruptionibus collapsæ, ad Gallicæ nobilitatis educationem instaurentur*, n. 4. *Nullis principibus litteras tantæ umquam curæ fuisse*, n. 5. *Intellectum illud, cum harum scholarum moderatore mortuo alterius subrogandi curam susceperunt ipsi per sese, et ad hujus professionis commendationem eum elegerunt, qui officium in palatio gereret amplissimum*, n. 6. *Si veteres ei virtuti, cujus studio ducerentur, templa statuebant, Constantium pro suo erga litteras amore has scholas erectas velle*, n. 7. *Ab earum situ ipso probat instaurandas esse, cum quia in media urbe, tum quia inter Apollinis templum et Minervæ*, n. 9.

II. pars. *Senena millia numorum pro magisterii sui salario sibi a Constantio data ad hoc opus se collaturum*, n. 11. *Sic enim digniorem se hac principis liberalitate futurum, cum eum ipsam in patriæ usum contulerit : satis sibi esse ad gloriam quod ea summa ibi decreta sit. Ita futurum ut omnes intelligant se non avaritia ductum ad id officium accessisse*, n. 12. *Cuilibet pretio anteponere se litteras, quibus Gallicæ nobilitatis institutio sibi a Constantio commendatur*, n. 13. *Litteræ Constantii*, n. 14. *Hac Cæsaris humanitate ad instaurandas scholas incitari se*, n. 15. *Pecuniam illam scholis propter quas sibi data est libenter dare, et in quibus olim avus ipsius docuerit : velle se imperatorum in restituendis operibus publicis pietatem, quantum fert res sua, imitari*, n. 17. *Par esse ut non minus eloquentia, aut potius eloquentiæ sacra loca reflorescant liberalitate principis, quam cæteræ orbis partes*, n. 17.

(1) Hujus orationis quamvis textum edere non ad scopum nostrum pertineat, siquidem non ad Constantinum directa sit, synopsim tamen exponere par est, panegyrici sequentis illustrandi gratia, in quo ad illam ipsam orationem alluditur.

Digitized by Google

In fine *præsidem rogat ut ad id operam suam interponat apud imperatores et Cæsares, quo possit et novum hoc eorum in litteras beneficium celebrare, et* A *pueris eorumdem victorias, quas obiter recenset descriptas in porticibus ostendere*, n. 20.

EUMENII GRATIARUM ACTIO CONSTANTINO AUGUSTO

FLAVIENSIUM NOMINE.

MONITUM.

De hujus panegyrici auctore, et quo tempore ac loco pronuntiatus sit in Eumenii vita diximus.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio *reddit rationem cur Flaviensium nomine imperatori gratias agere Treveris maluerit quam Augustoduni, dum in ea urbe esset imperator.*

Distributio. — I. *Quam merito Constantinus Æduis subvenerit.* — II. *Quanta eorum causa fecerit*, n. 2.

I. Pars. *Ædui omnium primi fratres populi Romani a senatu appellati, iidem reipublicæ supra cæteros populos addicti, Galliarum adversus tyrannos quantum in ipsis fuit defensores; et ideo Constantii liberalitatem experti*, n. 3, *septem mensium obsidionem acerbissimam ferre maluerunt, ac demum Claudio imperatore, cujus opem implorarant, in Gothica expeditione occupato, cum auxilii spes nulla esset urbem hostibus diripiendam tradere, quam fidem suam violare*, n. 4. *Hunc usque quam bene meritis Æduis subvenerit; nunc quam graviter afflictis. Novi census acerbitate premebantur*, n. 5. *Accedebat soli iniquitas*, n. 6. *Magna ex parte vasta loca et squalida, abrupta itinera.*

II. Pars. *Eorum urbem ingreditur Constantinus mirifico concurrentium populorum studio*, n. 7. *Benigne singulos compellat quid omnium maxime sua causa factum velint*, n. 9. *Relaxat sensum, definit vectigalium numerum reliqua debita remissurus, quantum fisco suo deberent interrogat; iis septem millia capitum remittit, hoc est, quartam amplius partem censuum; utrum id sufficeret percontatus*, n. 10. *Quinque annorum reliqua vectigalia remittit.*

In fine *lustrum illud laudat, atque inde ad Quinquennalia principis laudanda orationem convertit*, n. 13.

INCIPIT ORATIO.

I. — Si Flavia Æduorum tandem æterno nomine nuncupata, sacratissime imperator, commovere se funditus atque huc venire potuisset, tota profecto coram de tuis in se maximis pulcherrimisque beneficiis B una voce loqueretur; tibique restitutori suo, imo, ut verius fatear, conditori, in ea potissimum civitate gratias ageret, cujus eam similem facere cœpisti. Sed quoniam id non potest, gestit animo quod natura non patitur; clamoresque suos quibus quotidie laudes tuas tollit in cœlum exaudiri a te non sinit interjecta longinquitas sua: id quod fieri decebat, gaudiorum patriæ meæ nuntium sponte suscepi, ut essem jam non privati studii litterarum, sed publicæ gratulationis orator. Nolui enim, sacratissime imperator, cum in illo aditu palatii tui stratum ante pedes tuos ordinem indulgentiæ tuæ voce divina, porrectaque hac invicta dextera sublevasti, nomini tuo gratias agere. Nec mihi verba quamvis imparata defuissent: quis enim aut præparare se ad beneficia tam C insperata potuisset, aut ab tanta gratulatione cohiberet? Sed habui rationem loci ac temporis, ne meus illo ardor animi, studiumque dicendi tibi quidem, quod mihi ad immortalitatem sufficeret, probaretur, sed propter assistentium paucitatem minus quam te dignum esset iret in populos; et te uno die de salute nostra multa tractantem moraretur oratio, quæ pro magnitudine meritorum tuorum festinare non posset.

II. Nunc itaque cum in hac urbe, quæ adhuc assiduitate præsentiæ tuæ præ cæteris fruitur, habebit enim felicitatis æmulam Flaviam nostram, totus tibi amicorum tuorum comitatus, et omnis imperii apparatus assistat, et cum omnes homines omnium fere civitatum aut publice missi, aut pro se tibi supplices adsint; dicam, imperator, ea quæ libenter agnoscas, D et cæteri nobis indulta non crederent, nisi te cognos-

VARIORUM NOTÆ.

I. — *Æterno nomine.* Augustodunum intelligit, quam urbem Eumenius Flaviam appellat. Credo ut Flavio Constantino potius aduletur, quam ex rei veritate. Cur enim apud Ammianum Marcellinum nulla hujus nominis mentio? maxime cum is apud imperatorem ageret, qui esset ex Flavia gente. An id ei nominis contigisse dicamus, quod Romæ: quæ cum olim Commodiana a Commodo Augusto dicta sit, nullum reliquit hujus nominis vestigium.

Commovere se funditus, etc. Haud absimile illud Tulli in Pison., n. 52: *Mihi Roma ipsa prope concussa sedibus suis ad complectendum conservatorem suum procedere visa est*, etc.

In ea potissimum civitate. Treverensi, ubi commorari imperatores solebant, cum in Galliis versabantur, proindeque ubi habitam hanc orationem volunt Livineius et Rhenanus.

Sed quoniam, etc. Id est, sed quoniam revera non potest ad tuos pedes accidere: saltem id gesti animo, quod supra rerum naturam et conditionem esse agnoscit.

Privati studii litterarum. Eumenium agnosce, quem Constantius Æduensibus scholis præfecerat.

Palatii tui. Describit infra quomodo Constantinus Augustodunum ingressus in Palatio exceptus sit, n. 8.

Divina. Hoc est, *divina et plena humanitatis tuæ voce erexisti.*

Cohiberet. Fortasse *cohibere*, vel, ut emendat Acidalius, *præparari* et *cohiberi.*

Quam te. Id est, *quam tuæ majestati conveniret.*

II. — *Felicitatis æmulam.* Imperatores identidem Augustoduni commorabantur.

Digitized by Google

cente dixissem. Primum est autem, sacratissime imperator, in agendis gratiis ostendere id quod indultum sit, non fortuitæ felicitatis, sed justæ fuisse clementiæ. Nam cum omnes homines coram non indigentes juvare boni sit principis, tum principue bene meritis et graviter affectis subvenire sapientis est. Quod cum ostendero, non tam studio prædicandæ patriæ meæ, quam officio demonstrandæ providentiæ tuæ, tum potissime beneficiorum tuorum magnitudinem prosequar, tam majore voto quam ingenio. Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Æduis se postulet anteponi? Qui primi omnium inter illas immanes et barbaras Galliæ gentes plurimis senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt, et cum a cæteris Rhodano ad Rhenum usque populis, ne pax quidem posset nisi suspecta sperari; soli et consanguinitatis nomine gloriati sunt, et nuper, ut media præteream, Divum Claudium, parentem tuum, ad recuperandas Gallias soli vocaverunt, et ante paucissimos annos, quod maxime prædicandum, plurima patris tui beneficia, partim rebus effecta perceperunt, partim animo significata, lætantur.

III. Fuit olim Saguntus fœderata, sed cum jam tædio Punici belli novare imperium omnis cuperet Hispania; fuit amica Massilia; protegi se majestate Romana gratulabatur; imputavere se origine fabulosa in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses; soli Ædui non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenua et simplici charitate fratres populi Romani crediti sunt appellarique meruerunt: quo nomine, præter cætera necessitudinum vocabula, et communitas amoris apparet, et dignitatis æqualitas. Deinde cum finitimæ nationes, ipsi illi Romanæ fraternitati, non gloriæ invidentes, et usque in perniciem sui odiis incitatæ, Germanos sibi auxiliarios dominos invocassent, princeps Æduus in senatum venit, rem docuit; cum quidem oblato consessu, minus sibi vindicasset quam dabatur, scuto innixus peroravit. Imperata ope, Romanum exercitum, Cæsaremque cis Rhodanum primus induxit. Semita enim Galliæ usque ad id temporis Transalpina Gallia nominabatur. Sed enim Ædui totum istud quod Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, cunctis Alpibus continetur Romano imperio tradiderunt, hibernis hospitaliter præbitis, suppeditatis largiter commeatibus, armis fabricandis, pedestribus equitumque copiis auxiliantibus. Ita in unam pacem sociatis omnibus Celtarum Belgarumque populis, eripuere barbaris quidquid junxere Romanis.

IV. Dicet aliquis: Vetera ista sunt; et quidem hoc sanctiora, quod vetera. Bonis enim meritis cum ætate dignitas et pondus accedit. Atque ut magnos natu parentes magis magisque in dies veneramur et colimus; fratrum vero æqualitas, et liberorum soboles blandiore licet, leviore tamen animos tangit affectu; ita beneficia antiqua graviora sunt, quamvis præsentia suaviora videantur. Sed tamen si illa vetustate obsoleverunt, quid hæc recentia quæ pueri vidimus? Attende, quæso, quanti sit, imperator, quod Divum Claudium, parentem tuum ad recuperandas Gallias primi sollicitaverunt, expectantesque ejus

VARIORUM NOTÆ.

Coram non indigentes. Livineius pro *coram* scriptum putat *gratiam : Mox indigentes*, id est, gratia *non indigentes :* ex qua voce conflatum est *coram*. Acidalius legit *etiam non indigentes*.

Graviter affectis. An *graviter afflictis* ut infra n. 5 : *Dixi quam bene meritis Æduis subveneris, imperator, sequitur ut dicam quam graviter afflictis*. Certe quidem in omnibus exemplaribus et editionibus est *affectis*, et vox illa hoc sensu usurpatur.

Tam majore voto Non hic emendatione opus, ut nonnullis videtur; nam Virgilius, Æneid. VI, 787 :

> Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
> Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Ita Lucretius, Plautus, Terentius et alii pro *tanto magis*; ac Tullius, pro Dejotaro, n. 8 : *Per dexteram te istam oro...non tam in bellis et in præliis, quam in fide firmiorem.*

Immanes et barbaras. Utrum dictum illud ab homine Gallo, et Romano imperatori gratuletur, an quod ei præter Æduos aliæ ipsi provinciæ barbaræ videbantur?

Ad recuperandas Gallias. A Tetrico tyranno occupatas.

Patris tui. Constantii.

III.—*Saguntus.* Hodie *Morviedro*, oppidum olim clarissimum Hispaniæ Tarraconensis in finibus Edetanorum, ab Annibale eversum: cum hi se et sua comburere accenso rogo, quam ei se tradere maluissent.

Massilia. Urbs Galliæ Narbonensis in ora Provinciæ, ad mare Mediterraneum, olim non solum scholarum celebritate, atque imporio, sed etiam morum integritate clarissima, ut apud Plautum in Casina *mores Massilienses* proverbii instar dicantur pro moribus integerrimis.

Mamertini Populi olim e Samo insula, a Messanensibus hospitio excepti, occupata urbe, illam Mamertinam appellarunt; unde Tullius, act. 4 et 7 in Verrem : *Messana urbs, Mamertina; et populi Messanenses, Mamertini* appellantur.

Ilienses. Antiqui Ilii incolæ. *Ilium* autem, quæ et *Troja*, urbs Phrygiæ minoris notissima inter Idam montem ad Orientem, et Ægæum mare ad Occidentem.

Ædui. De Æduis.

Princeps Æduus. Æduorum primarius magistratus, si Julio Cæsari credimus, Gallico quodam, sed corrupto vocabulo dicebatur *Vergobret*. An vero princeps Æduus alius ab eo fuerit nescio. Certe Julius Cæsar Divitiacum principem Æduum sæpe vocat, nunquam Æduorum magistratum.

Cis Rhodanum. Rhodanus, fluvius maximus Galliæ Narbonensis, ex Adura monte, e regione Rheni oriens, ad Lugdunum accepto Arari, Viennam, Valentiam, Avenionem, et Arelatem alluit. *Le Rhône.*

Pyrenæis montibus. Pyrenæi montes Galliam ab Hispania disterminant. De his Plinii *paneg.*

IV. — *Cum ætate.* Fortasse *ex ætate.*

Magnos natu. Ita restitui ex Acidalio. In Puteana edit. est *magno natu.*

Quæ pueri vidimus. Si Eumenius puer fuit sub Claudio secundo, anno nempe Christi 269, natum eum fuisse sub Galieno anno circiter 261 mihi verisimile fit.

Recuperandas Gallias. A Tetrico tyranno.

Digitized by Google

auxilium, septem mensibus clausi, et omnia inopiæ miseranda perpessi, tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cum fessi observare non possent. Quod si vobis et conatibus Æduorum fortuna favisset, atque ille reipublicæ restitutor implorantibus nobis subvenire potuisset, sine ullo detrimento Romanarum virium, sine clade Catalaunica, compendium pacis reconciliatis provinciis attulisset fraternitas Æduorum. Ob hæc igitur merita, et prisca divus pater tuus civitatem Æduorum voluit jacentem erigere, perditamque recreare, non solum pecuniis ad calendaria largiendis, et lavacris quæ corruerant extruendis, sed et metœcis undique transferendis, ut esset illa civitas provinciarum velut una mater, quæ reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset.

V. Dixi quam bene meritis Æduis subveneris, imperator, sequitur ut dicam quam graviter afflictis: qui locus nimium quantum plus mihi suppeditaret orationis, si fas esset audiente te rebus tristioribus immorari. Ut igitur in prædicandis laudibus patriæ meæ verecundia modum fecit, ne arroganter insurgerem, ita in commemorandis ejusdem malis et meus dolor, et tuorum aurium consuetudo cohibebit. Nihil enim libenter audis, nisi quos pro tuis gratuleris. Sed tamen, quæso, imperator, injunge patientiam sensibus tuis, ut quemadmodum præstantes scientia medici non aspernantur vulnera inspicere quæ sanant, ita nunc tu paulisper audias Æduorum labores quos sustulisti. Neque enim potes sine experimento misericordiæ ad laudem clementiæ pervenire. Jacebat illa civitas non tam innixa Romanis, quam virium defectione prostrata, ex quo eam novi census exanimaverat acerbitas. Nec tamen juste queri poterat, cum et agros qui descripti fuerant haberemus, et Gallicani census communi formula teneremur, qui fortunis nemini possimus æquari. Quo magis, imperator, clementiæ tuæ gratias agimus, qui remediis sponte concessis, fecisti ut quod non poteramus jure petere, juste obtinuisse videamur.

VI. Habemus enim, ut dixi, et hominum numerum qui delati sunt, et agrorum modum, sed utrumque nequam; hominum segnitia, terræque perfidia. Unde enim nobis Remus, aut Nervius, aut ipse ille de proximo Tricassinus ager, aut arator, quorum reditus cum labore contendunt? Quanquam merito quivis ignoscat ipsis cultoribus, quos piget laborare sine fructu. Siquidem ager qui nunquam respondet impendiis ex necessitate deseritur, etiam inopia rusticanorum, quibus in ære alieno vacillantibus nec aquas deducere, nec silvas licuit excidere. Ita quidquid olim fuerat tolerabilis soli, aut corruptum est paludibus, aut sentibus impeditum. Quin etiam ipse ille pagus Arebrignus manu scritur invida, cujus uno loco vitium cultura perexigua est: nam retro cætera,

VARIORUM NOTÆ.

Rebellibus Gallicanis. Bagaudis. De quibus supra. Bartholomæus vero, a Chassenæo juris doctor, idemque fiscalis Æducensis patronus, in hac ipsa oratione quam inseruit in suo *gloriæ Catalogo*, quem librum characteribus Gothicis ante 150 annos Parisiis edidit; in contextum addit: *Cumque omni tempore de populo Rom. bene meriti fuerint, tamen liberos in securitatem abduci, et agros suos vastari viderant.*

Quod si vobis. Flaviæ genti.

Subvenire potuisset. Gothico bello distentus. In quo quidem, si Trebellio fides est, cecidit barbarorum CCCXX millia: navium duo millia demersit. Cæsi in ea clade Peucini, Trutungi, Ostrogothi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ, etiam et Eruli, etc.

Sine clade Catalaunica. Cum Aurelianus, an. Chr. 274 Tetrici tyranni exercitum, ipso tradente Tetrico plane cecidit (*Vopiscus, Victor, Pollio, Zosimus et Zonaras*) *Catalaunum* autem urbs ampla Galliæ ad Matronam fluvium 20 leucis distat a Trecis meridiem versus, et totidem a Verduno in Orientem. *Châlons-sur-Marne.*

Ad Calendaria. Puta, inquit Livineius, Constantium pro liberalitate sua grandem reip. Flaviensium dedisse pecuniam, quam illi fœnori ad Calendas pro mere collocarent. Horat., Epod. 1, od. 2:

Jamjam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam,
Quærit kalendis ponere.

Gruterus legit ad *Caldaria*, id est, ad lavacra reficienda.

Metœcis. Id est, colonis: Μέτοικοι οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες, id est, metœci sunt, qui aliam urbem inhabitant priore relicta. (*Suidas, ex Aristophane in Equitibus*).

V. — *Nimium quantum.* Ita Tullius in oratore, n. 87: *Tales qui in dicendo nimium quantum valent*, sed et utrobique aliqui legunt *mirum quantum.*

Nisi quod tuis, etc. Corruptus locus, quem cum Acidalio restituo. Alii legunt *nisi pro quo tuis gratuleris.* Alii *nisi quos pro tuis gratuleris.*

Injunge. Id est, *Impera id animo tuo.*

Sine experimento misericordiæ. Malim *miseriæ*, id est, nisi audias, nisi agnoscas alienam miseriam, clemens nec esse, nec haberi potes.

Non tam innixa Romanis. Id est, non tam stabat hæc civitas, propter eam quæ inerat ipsi cum Romanis affinitatem, quam jacebat prostrata propter novum vectigal ipsi impositum.

Gallicani census. Census duplici modo fiebat, vel per capita, sive per focos; vel per agros, qui propterea describebantur a Censoribus, ut pro numero et modo agrorum esset vel major vel minor. Igitur sensus est: Nos quidem exanimat novi census acerbitas, qui aliarum provinciarum fortunas æquare non possumus. Nihil est tamen cur conqueramur, cum et agros qui descripti sunt habeamus, neque quidquam a nobis petatur, quam pro communi Gallici census formula debeatur.

VI.— *Rhemus. Rhemi*, populi quorum urbs Rhemi, seu Durocotorum in Gallia Belgica, ad fluvium Vidulam.

Nervius. Populi Galliæ Belgicæ, *ceux du Haynaut*; propter Tornacum ad Scaldim fluviam.

Quorum. Id est, *Quorum reditus æquant labores.*

Quibus. Id est, *quibus ære alieno oppressis.*

Ita. Sic terra illa quæ quondam erat utcumque bona, etc.

Pagus Arebrignus. Pagus non tantum sumitur pro villula ubi aliquot rusticorum casæ conjunctæ sunt, accipitur etiam pro toto jurisdictionis tractu. Quo sensu Cæsar, l. 1 de bello Gall., scribit Helvetiam totam in 40 divisam pagos; hodie 13 numerantur, quos *Cantones* appellamus. Sic Dionysius agrum Romanum ait fuisse in tractus quosdam distributum. *Arebrignus* autem est pagus Æduorum circa Ararim fluvium.

Manu seritur invida. Ita extat in aliquot veteribus exemplaribus, id est, ægre admodum seritur. In Puteana editione est *inani fertur invidia.*

Perexigua est. Ita legit Acidalius pro *perspicua est.*

Digitized by Google

silvis et rupibus invia, securarum sunt cubilia bestiarum. Illa autem quæ subjecta et usque Ararim porrecta planities fuit quidem, ut audio, aliquando jucunda, cum per singulorum fines continua cultura procursus fontium vallibus patentibus evehebat; nunc autem interclusis vastitate meatibus, quidquid humilitate sua fuerat uberius in voraginem et stagna conversum. Ipsæ denique vineæ, quas mirantur ignari, ita vetustate senuerunt, ut culturam jam pene non sentiant: radices enim vitium, quarum jam nescimus ætatem, millies replicando congestæ altitudinem debitam, scrobibus excludunt et ipsam propaginem non debitam, sed obtectam, produnt imbribus eluendam et solibus perurendam. Nec possumus, ut Aquitanis aliisque provinciis familiare est, novis vitibus locum ubique metari, cum supra saxa perpetua sint, infra humilitas pruinosa.

VII. Nam quid ego de cæteris civitatibus illius regionis loquar, quibus illacrymasse te ipse confessus es? vidisti enim, non ut per agros aliarum urbium, omnia fere culta, aperta, florentia, vias faciles, navigera flumina ipsas oppidorum portas alluentia; sed statim ab eo flexu, e quo retrorsum via ducit in Belgicam, vasta omnia, inculta, squalentia, muta, tenebrosa; etiam militaris via sit confragosa, et alternis montibus ardua atque præceps, ut vix semiplena carpenta, interdum vacua transmittat. Ex quo sæpe accidit ut obsequia nostra tarda sint, cum paucarum frugum nobis difficilior sit evectio, quam cæteris plurimarum. Quo magis, Imperator, pietati tuæ gratias agimus, qui cum scires itinerum regionum nostrarum aditum atque aspectum tam fœdum tamque asperum, tamen illo deflectere, et urbem illam sola opis tuæ expectatione viventem illustrare dignatus es. Boni principis est libenter suos videre felices, sed melioris invisere etiam laborantes. Dii boni! quisnam illa tum nobis illuxit dies, jam enim ad prædicanda remedia numinis tui ordine suo pervenit oratio, cum tu, quod primum nobis signum salutis fuit, portas ipsius urbis intrasti? quæ te habitu illo in sinum reducto, et procurrentibus utrinque turribus amplexu quodam videbantur accipere.

VIII. Miratus es, Imperator, unde se tibi tanta obviam effunderet multitudo, cum solitudinem ex vicino monte vidisses. Omnes enim ex agris omnium ætatum homines convolaverunt, ut viderent quem superstitem sibi libenter optarent. Quod enim ad propagandos aliorum principum solemni verborum more juratur tibi, Constantine, soli, ultra omnium nostrum fata victuro: secure vovemus, cui tam longa ætas propria debeatur. Magna est profecto vis post

VARIORUM NOTÆ

Ararim. Araris. *La Saône.*

Porrecta planities. Augustodunum *ab oriente et meridie montibus elevatur nemorosis; a septentrione vero et occidente vallibus deprimitur; saltem circa ejus medietatem a qua planities amœnissima in septentrionem ad longitudinem 12 millia passuum; ubi undequaque fontes rivulique circumfluunt.* Hæc Bartholomæus a Chassenæo in suo *gloriæ mundi Catalogo*, lib. XII, cap. 60. Plura de Æduensis urbis origine, dignitate et situ videri possunt apud Petrum a sancto Juliano, et Joannem Munerium, qui ambo commentarios eam in urbem ediderunt.

Cum per singulorum fines. Sensus est: cum assiduo cultu humum aut lapides hinc et inde aggerendo, veluti canales quidam ad altitudinem aliquam attollebantur, quibus per patentes valles in singulorum terras fontes inducerentur.

Conversum. Adde *est.* Sensus erit: Nunc autem quidquid propter humilitatem loci melius irrigatum ab his aquis fuerat, adeoque et pinguius et uberius, id omne mutatum est in atram quamdam ac lutulentam voraginem.

Quas mirantur ignari. Id est, vineæ quas mirantur, qui ad luxuriam quamdam foliorum, et ad sarmentorum inutilem silvam attendunt, ignari quid in iis vitii lateat.

Radices enim. Radices millies repastinatæ tantam fibrarum et surculorum silvam egerant, ut scrobes ad debitam altitudinem fodi non possent, proindeque ipsa vitium propago non satis obtecta, vel corrumperetur imbribus, vel solis ardoribus ureretur. Pro *ipsam propaginem non debitam, sed obtectam*, lege *ipsam propaginem non obtectam.* Vox enim *debitam* e superiore versu in hunc haud dubie irrepsisse notat Cl. Puteanus, nisi forte cum Livincio legeris *non diditam, sed obtectam* nempe leviter, etc.

Aquitanis. Populi eam Galliæ partem incolentes, quæ Garumna, montibus Pyrenæis et Oceano definitur. *La Guyenne.*

VII. — *Cæteris civitatibus.* Augustodunum erat Æduensis ditionis caput, cui suberant aliæ civitates, ut ex Tacito supra probavimus.

Navigera, id est, *Aptos ad navigandum fluvios.*

Muta, hoc est, *Plena silentii et tenebrarum.*

Via sit confragosa. Via situ confragosa. Livin. Cum enim viæ militares planæ esse ubique solerent, et ad comportandos commeatus faciles, vel via militaris apud Æduos erat confragosa, quod maxime facit ad regionis illius exaggerandam miseriam.

Alterius, id est, *Propter montes interjectos.*

Tarda sint. Ut si quando obsequii nostri ratio exigit ut cibaria tibi et commeatus afferamus, non nisi ægre et tarde id fiat, atque serius quam vellemus.

Cum. Id est, *Cum pauca cibaria transportare nobis sit difficilius, quam aliis longe plura.*

Cæteris plurimarum. Non videtur abs re huic loco attexere quod Chassanæus hoc loco addit ex ms: *Horum locorum, imperator, ingenium est hujusmodi, ut te eorum aspectum non horruisse loco sit summi beneficii, recreasse vero plane non hominis, sed divinum opus omnes fatebuntur, nos proprie benevolentia colemus sempiterna.*

Itinerum. Fortasse abundat vox ista.

Jam. Hoc est, *Nunc cursus orationis eo deductus est ut commemorem quæ remedia attulerit* his malis *tua majestas.*

Quæ te. Hoc est, *Quæ urbs te videbatur excipere curvo sinu* suo, *et turribus utrinque projectis quasi amplectendo.*

VIII — *Obviam effunderet.* Constantini in Augustodunum urbem ingressus.

Ad propagandos. Anton. Schonovius addit *annos.*

Solemni verborum more. Variæ erant ejusmodi acclamationes. Nam apud Tertull. Apologet. acclamat populus: *De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.* Apud Senecam, ep. 31 et 71: *Tanto melior, surge et inspira*, et l. VI Natur. Quæstion.: *Vade fortiter, vade feliciter.*

Secure vovemus. Tutum est tibi longos annos precari: haud dubie enim vota nostra implebuntur, siquidem tibi etiam absque votis nostris longa ætas debetur ut optimo principi.

Digitized by Google

diuturnam ægritudinem atque mœstitiam surgentium gaudiorum. Caluit in nobis ultra vires nostras animus ad lætitiam, et quodam præsagio futuræ felicitatis elati, tanta te exultatione suscepimus, quasi jam indulgentiam quam daturus eras haberemus. Exornavimus vias quibus in palatium pervenitur paupere quidem supellectile : sed omnium signa collegiorum, omnium deorum nostrorum simulacra protulimus, paucissima clarorum instrumenta modulorum, per compendia sæpius tibi occursura protulimus. Divites nos crederet, qui veritatem studio æstimaret. Sedenim providentiam tuam latere non potuit, quamvis bene dissimulata paupertas, intellexisti officiosam et honestam inopum vanitatem.

IX. Sponte nos ad numinis tui aditum vocas ; sponte affari, sponte quid opis desideraremus, interrogare dignatus es. Hæc sunt, Imperator, vera beneficia, quæ non precibus efflagitata, sed ex voluntaria tua bonitate proveniunt, et citra ullam petendi molestiam, adipiscendi voluptatem dederunt. Neque enim parvi negotii est imperatorem totius orbis pro se peculiariter rogare, sub tantæ majestatis aspectu perfricare frontem, vultum componere, confirmare animum, verba concipere, trepidanter dicere, apte desinere, expectare responsum. Has omnes difficultates, Imperator, verecundiæ nostræ remisisti, non solum ultro percunctando, quid remedii posceremus, sed etiam tibi ipsi suggerendo quæ nos tacebamus, dum nos jacentes ad pedes tuos clementissimo attollis affatu. Vidimus misericordiam tuam humentibus oculis eminentem. Ibant per hæc ora lacrymæ, nobis salutares, tibi gloriosæ ; et nos invicem jam dolore discusso flebamus gaudio. Nam sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus votis imber ubertat ; ita lacrymæ tuæ pectora nostra gaudiis irrigabant : ut quamvis nefas esset te flente lætari, vinceret tamen gratulatio religionem, cum lacrymæ illæ pietatis essent indices, non doloris.

X. Et hæc quidem nobis ad summam gratulationem sufficere potuissent, etiamsi remediorum nostrorum spem distulisses, et quibus nos opibus levaturus esses, dubium reliquisses : sed tam prompta in te est natura bonitatis, ut quod pia mente conceperis, statim voce declares. Sic ingenui largique fontes ut ubique prosint, ire festinant ; sic celeriter in terras cœlo missa perveniunt ; sic denique divina illa mens, quæ totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitavit illico fecit. In quo tamen, Imperator, si consilium amici callidioris admitteres, esset quod fortasse reprehenderetur ; nimium te scilicet facile ea quæ sis tributurus aperire, et sine ullo artificio cito promere, quæ sperari diu debeant. Nescis, Imperator, tua commendare beneficia, præstandi celeritate occupas tempus optandi. Sedenim indulgentiæ celeritate vicisti, Imperator, ipsa elementa quibus animamur et vivimus. Diu venturi hominis partus optatur, diu vagitus inconditi locuturam differunt vocem ; diu fruges hyems cohibet, ver elicit, æstas flore solidat, calor ematurat ; tu nobis vitam pariter totam dedisti ; tu fructus meritorum tuorum statim nos metere, et in conditis referre jussisti. Relevaturus censum, definisti numerum. Reliqua debita remissurus, quantum deberemus interrogasti. Quæ interrogatio manifesta promissio fuit. Nam cum is qui omnia potest quid sibi debeatur interrogat, non curiose percunctatur ut sciat, sed liberaliter cupit audire quantum remittat.

XI. Separate igitur utraque dicam : neque enim quasi per saturam confundenda sunt tanta beneficia. Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum ; et tamen utrum sufficeret hoc nobis sæpius requisisti. O nos utrumne verecundos dicam nimium, an satis gratos? qui reticuimus, hæsimus, indulgentiæ tuæ ample fluenti modum fecimus. Plus adhuc præstare cupiebas, si ausi fuissemus exposcere. Quantum sit hoc, Imperator, bene-

VARIORUM NOTÆ.

Caluit. Id est, *Animus lætitia gestiit.*

Quasi jam. Hoc est, *Quasi jam frueremur beneficio, quod accepturi eramus.*

Omnium signa collegiorum. Adducor facile ut putem in collegiis eruditorum hominum signa et imagines asservari solitas. Hæ vero prolatæ sunt ad solemnem Constantini ingressum exornandum.

IX.—*Petendi molestiam.* Vetus est effatum *nihil carius emi, quam quod precibus emendum est.* Et vero beneficii sui gratiam extinguit, qui non votum rogantis occupat. Vide *Senecam de beneficiis.*

Majestatis aspectu. Gruteri emendationem in contextum inserui, pro eo quod erat antea *majestatis affectu.*

Remisisti. Frequens apud ejus ævi scriptores loquendi modus. Ita pan. 11, n. 18 : *Parvi autem, Imperator, putas esse Beneficii, quo rogandi mihi periculum remisisti?*

Ubertat. Lege *uberat.*

Tibi ipsi. Id est, *Tecum ipse disquirendo.*

X.—*Cœlo missa.* Tale illud pan. 7, n. 8 : *Illa, inquam, illa majestas, quæ Jovis subjecta nutu, nec Iridi deum nuntiæ, sed pennis commissa victoriæ, tam facile te comitata est, quam cito ad terras cœlo missa perveniunt.*

Amici callidioris. Id est. *Ab astutiore aliquo peteres.* Retineo vocem *amici* quæ abest in editione Puteana.

Solidat. Virg. Georg. l. 1, 179 :

Area tum primum creta solidanda tenaci.

Ematurat. An *maturat.*

Et in conditis referre. Metaphora ducta a messoribus, qui non simul et metunt, et messes condunt in horrea. Mos autem bonorum principum semper fuit, attritis bello, vel alia calamitate civitatibus ac provinciis, onerum fiscalium vacatione aut indulgentia subvenire.

XI.—*Per saturam. Satura*, ut Festus l. XVII scribit, erat cibi genus ex variis rebus conditum, vel secundum aliorum interpretationem genus carminis, in quo multis de rebus conjunctim et confuse disputabatur : ex quo satura lex quæ multis aliis conferta legibus olim dicebatur ; vel νόμος πολλὰ περιέχων, id est, lex quæ de pluribus rebus loquitur. Dicta a copia rerum, quasi a saturitate. Hinc satyræ nomen quod vitiorum genus omne insectetur. Inde etiam saturum carmen.

Septem millia capitum. Capita sunt tributa, quæ in singula capita indicebantur. Glossæ veteres : *Tributum capitulare*, ἐπικεφάλαιος φόρος.

Indulgentiæ. Id est, *temperationem adhibuimus liberalitati tuæ largiter sese effundenti.*

Digitized by Google

ficium, quam necessarium nobis, quam utile etiam devotionis officiis, non queo satis dicere. Remissione ista septem millium capitum, viginti quinque millibus dedisti vires, dedisti opem, dedisti salutem; plusque in eo consecutus es quod roborasti, quam recidisti in eo quod remisisti. Quater tantum tibi firmum certumque redditum est, id quod irrito petebatur. Siquidem desperatio perferendi debiti etiam id quod dari poterat inhibebat, nec erat ratio conandi, cum non esset spes ulla complendi. O divinam, Imperator, tuam in sananda civitate medicinam! Sicut ægra corpora et onerata stupentium tormore membrorum, resecata aliqua sui parte sanantur, ut inminuta vigeant quæ exaggerata torpebant; ita nos nimia mole depressi, levato onere consurgimus.

XII. Nescit taxare indulgentiam tuam, qui te putat septem millia capitum sola donasse. Donasti omnia quæ stare fecisti. Quanquam enim adhuc sub pristina sarcina vacillemus, tamen levior videtur, quia non omnis perfertur: exonerandi præsumptio dat patientiam sustinendi. Certe et nunc liberi parentes suos chariores habent, et mariti conjuges non gravate tuentur, et parentes adultorum non pœnitet filiorum quorum onera sibi remissa lætantur. Ita omnium pietas olim fessa respirat, et suos quemque juvat numerare securum, cum plures adjuvant obsequia paucorum. Quo magis spe futuri temporis elevamur. Recreatur animus securitate præteriti remissisque reliquis nihil est quod respectandum timendumque sit, quod aliquid virium venturis pensitationibus necet. Ita duorum temporum, quæ sunt maxima, molestia liberati sumus, unum, atque id minimum, brevi labore transigimus. Nam cum præteritum tempus pro modo suo longum, futurum autem infinitum sit; præsens tempus breve, et semper in partem utramque, mutabile, cum et a præterito relinquatur, et transeat in futurum; unus hic annus prope sensum non habet difficultatis, duorum temporum indulgentiis coarctatus, et quasi terminus quidam positus felicitati et utriusque confinis, quæ nos et præterito liberos facit, et in futuro securos.

XIII. Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum quod merito hanc imperii tui æquavit ætatem! Nobis ergo præcipue te principem dii creaverunt, quibus singulis hæc est nata felicitas, ex quo tu imperare cœpisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. Illa enim quinto incipiente suscepta, omnibus populis jure communia, nobis hæc propria quæ plena sunt. Præclara fertur Catonis oratio de lustri sui felicitate. Jam tunc enim in illa vetere republica, ad censorum laudem pertinebat si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent. Quid ergo nos convenit gratulari de hoc indulgentiæ tuæ lustro? lustro quo licet nulla frugum cessarit ubertas, fecisti tamen ut omnia videantur fuisse largiora quam fuerint. Valet enim nos tantum habuisse; quantum debere desinimus, valet plena fuisse horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis hærcamus. Hoc nobis est ista largitio quod terra mater frugum, quod Jupiter moderator auraram. Quidquid illi parcius dederant, nobis tamen ex beneficio tuo natum est.

XIV. Quænam toto orbe terrarum auri argentique metalla tam larga sunt, quis Tagus, quisve Pactolus tanto fluxerunt auro, quantum liberalitate tua consecuti sumus? non enim majoris est muneris abs te accepisse. Quin imo, quanto est durius extorqueri, quod proprium fuerit, quam non acquirere quod fuerit alienum; tanto dulcior est remissa solvendi necessitas, quam lucrandi optata commoditas. Quam multi, Imperator Auguste, quos inopia latitare per

VARIORUM NOTÆ.

Quam utile. Hoc est, *quam utile etiam ad præstanda obsequia, quibus tibi devovemur integra.*

Remissione ista. XXV mille homines centum pendebant. Itaque huic eidem numero cum quartam amplius census partem remisisset, dedit vires 25 millibus: effecitque ut minore suo incommodo deinceps tributum solverent.

Plusque in eo consecutus es. Plusque tibi consecutus es sublevando alios, atque ut facilius census pendere possent efficiendo, quam tibi ademisti suum septem millibus tributum remittendo.

Quater tantum, etc. Rotundat numerum: nam quater septem XXVIII conficiunt; Augustoduni vero censa duntaxat erant XXV millia capitum. Hunc autem locum alii alio modo legunt, sed male meo quidem judicio.

Exaggerata. Alii legunt *exacervata*, alii *exacerbata.*

XII. — *Taxare.* Id est, *æstimare.*

Septem millia. Id est, *septem hominum millia beneficio complexum esse. Complexus es omnes quos pendendo tributo pares fecisti.*

Quia non omnis perfertur. In editione Puteana est *quia nemo vicino præfertur.* Alii sublata voce *nemo* legunt *quia nemo præfertur.* Acidalius *quia non omnis porro feretur.* Alii *quia non perferetur.* Ex his omnibus conjecturis ita mihi restituendus integritati visus est locus.

Exonerandi. Παθητικῶς. — *Exonerandi.* Id est, fiducia certa levationis *oneris.*

Olim fessa. Antea oppressa.

Cum plures. Hoc est, *cum multitudo capitum singulorum onus minuit.*

Remissis. Hoc est, *et remissis iis quæ solvenda restabant, nihil est quod cavendum sit.*

Quod aliquid. Id est, *quod aliquatenus minuat facultatem* solvendi *in posterum tributi.*

Unum. Præsens videlicet tempus, atque id minimum.

Sit. Hoc est, *et a præterito dividatur.*

Et utriusque. Id est, *et inter utriusque temporis fines medius.*

Confinis. Legendum alii putant *confiniis* vel *confinium.*

XIII. — *Nobis ergo.* Id est, *nostra præcipue causa.*

Æquavit ætatem. Lustrum imperii tui.

Illa enim. Confert Quinquennalia Constantini, cum remissione tributi in quinque annos, quam singulis concessit.

De lustri sui felicitate. Nullibi, quod sciam, extat illa oratio; laudatur tamen a veteribus grammaticis.

Larga fluxissent. An *large?*

Cum in nullis reliquis. Cum expediti simus cura solvendi, quod reliquum erat.

Hoc nobis est. Tua illa liberalitas nobis instar est abundantis terræ, etc.

Digitized by Google

saltus, aut etiam in exilium ire compulerat, ista remissione reliquorum in lucem exeunt, in patriam revertuntur, desinunt pristinam accusare pauperiem, desinunt odisse agrorum suorum sterilitatem, resumunt animos operi, præparant culturam, melioribus annituntur auspiciis, revisunt domos, referunt vota templis? Præsertim cum tu omnium nostrorum conservator adveneris, et quasi ille majestatis tuæ comes A et socius, flagrabit tota civitas, gaudiis perstrepet, et cum proficisceris fortasse retinebit. Dabis enim veniam, amoris nostri contumeliam feres. Omnium sis licet dominus urbium, omnium nationum, nos tamen etiam nomen accepimus tuum jam, non antiquum. Bibracte quidem hucusque dicta est Julia, Pola, Florentia: sed Flavia est civitas Æduorum.

VARIORUM NOTÆ.

XIV. — *Ille majestatis tuæ comes. Quem velit*, inquit Livineius, *non expedio: Forsitan Faustum e Minervina filium.* Acidalius legit: *et pietas illa majestatis tuæ comes*, etc., ut pietas vocetur benignitas illa qua Constantinus in Flavienses erat usus.

Amoris nostri contumeliam. Quod cum injuriosum tibi esse videatur, tamen ex amore tui faciemus.

Bibracte quidem. Hoc est, inquit *Valesius in sua notitia Galliarum*, *Bibracte* quidem in Æduis, ut et *Pola* Istriæ, et *Florentia* Tuscorum a Julio Cæsare nomen acceperunt, et *Juliæ* sunt cognominatæ: at civitas Æduorum primaria, nimirum *Augustodunum*, a Flavio Constantino, et Flavio Constantio, restitutoribus suis *Flavia*, incolæ *Flavienses* appellantur.

INCERTI PANEGYRICUS,

CONSTANTINO AUGUSTO.

PROŒMIUM.

Habita est hæc oratio anno Christi 313, post Maxentii cladem, mense opinor Januario, Treveris, antequam Constantinus, inde ad pacandos Germaniæ tumultus discederet. Auctor incertus. Tamen Cl. Puteanus hunc Nazario tribuit: *Quod*, inquit, *conjicio ex stylo, et ex loco panegyrici Nazarii Constantino dicti qui sic incipit:* Non commemorabo, inquit, hic tectas continuis stragibus ripas, non oppletum acervis corporum Tiberim: perstringi hæc satis est. Quod et pridie prolixius mihi dicta sunt. *Nempe in hac ipsa oratione qua fusius describitur prælium quo Maxentius debellatus est a Constantino. Deinde ex ordine, quo omnes Panegyrici constituuntur in veteribus libris: subjicitur enim huic Panegyricus Nazarii, qui incipit:* Dicturus Constantini, etc.

SYNOPSIS PANEGYRICI.

In exordio. *Accessurum se ad imperatorem laudandum negat, nisi nefas esset ei, quem propter res leviores sæpe laudasset, propter recuperatum imperium non gratulari.*

Distributio I. *Quam fortiter Constantinus adversus Maxentium bellum susceperit.*—II. *Quam feliciter confecerit.*

I. Pars. *Dissuadentibus amicis, auspiciis adversantibus, imperii sociis pene desperantibus, cum quarta tantum exercitus parte Alpes transgressus, iturus adversus hostes duplo plures, cataphractos, et pro facinorum conscientia nunquam cessuros*, n. 2. *Maxentium Severus, Galerius, et Maximianus adorti erant cum ingenti exercitu, omnes infeliciter*, n. 3. *Sed pro* B *Constantino justitia pugnabat. Hujus virtutes cum Maxentii vitiis conferuntur*, n. 4.

II. Pars. *Segusium*, n. 5, *Taurinos*, n. 6, *Mediolanum*, n. 7, *Veronam*, n. 8, *Aquileiam capit, ubi expertinacioribus alios morte afficit, alios gladiis in vincula mutatis constringi jubet*, n. 11. *Victo ad septimum ab urbe milliare Maxentio, eoque inter fugiendum e Milvio ponte in Tiberim collapso*, n. 14, *victor et triumphans in urbem ingreditur*, n. 19. *Quam dissimilis Cinnæ, Mario, et Syllæ*, n. 20. *Quam clemens erga cives, erga milites bonus, quos victoriarum socios habiturus in inferiorem Germaniam secum deducit*, n. 21. *Constantii gloriam superat*, n. 24. *Ob quæ omnia singularibus a senatu honoribus donatur*, n. 25.

In fine. *Jovem precatur pro æternitate Principis*, C num. 26.

INCIPIT PANEGYRICUS.

I. Unde mihi tantum confidentiæ, sacratissime Imperator, ut post tot disertissimos homines, quos et in urbe sacra, et hic rursus audisti, dicere auderem: nisi nefas esse ducerem, et commissi cujusdam sacrilegii religionem vererer, si is, qui semper res a numine tuo gestas prædicare solitus essem, hæc tanto majora pristinis silentio præterirem; per quæ non pars aliqua servata, sed universa sibi est respublica restituta? Neque enim ignoro, quanto inferiora sint ingenia nostra Romanis. Siquidem latine et diserte loqui illis ingeneratum est, nobis elaboratum: et si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiæ imitatio nostra derivat. Sed quamvis conscius mihi infirmitatis ingenitæ, et inchoati potius studii quam eruditi; cohibere me silentio ne- D

VARIORUM NOTÆ.

I.—*Et in urbe sacra.* Romæ. *Et hic.* Opinor Treveris, unde Constantinus discessum parabat in Germaniam.

Illis ingeneratum est. Nobis ingenerata dicuntur, ad quæ facti videmur a natura, sic ut nullo nobis labore constent: elaborata vero ea quæ non sine magna contentione efficimus.

Imitatio. Hoc est, *imitando detorquemus* in *nostros usus.*

Digitized by Google

queo, quo minus de recuperata Urbe, imperioque romano, et tandem ex diuturna convulsione solidato, et ipse aliquid coner effari : ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudita videatur. Etenim si in rebus bellicis ipsisque præliis non solum tubæ ac litui, sed etiam Spartanæ tibiæ incentivum aliquod feruntur habuisse ; credo, quia magnos animos parvo licet modulo sufficit incitari : cur ego in me de tuo favore diffidam, ut sermonem meum studio potius tui cultus quam suis viribus metiaris? Experiar igitur, ut possum, quanquam oppletis auribus tuis, ut sic dixerim, insusurrare, sine æmulandi fiducia cupidus imitandi.

II. Ac primum illud arripiam, quod credo neminem adhuc ausum fuisse; ut ante de constantia expeditionis tuæ dicam, quam de laude victoriæ. Transacto enim nutu adversi ominis, et offenso revocati, utar libertate erga te nostri amoris, quem tunc inter metus et reipublicæ vota suspendimus. Tene, Imperator, tantum animo potuisse præsumere, ut bellum tantis opibus, tanto consensu avaritiæ, tanta scelerum contagione, tanta veniæ desperatione conflatum, quiescentibus cunctantibusque tunc imperii tui sociis, primus invaderes? Quisnam te Deus, quæ tam præsens hortata est majestas, ut, omnibus fere tuis comitibus et ducibus non solum tacite mussantibus, sed etiam aperte timentibus, contra consilia hominum, contra haruspicum monita ipse per temet liberandæ Urbis tempus venisse sentires? Habes profecto aliquod cum illa mente divina, Constantine, secretum, quæ, delegata nostri diis minoribus cura, uni se tibi dignatur ostendere. Alioquin, fortissime Imperator, sic quoque, cum viceris, redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite dispositis exercitibus tutum reliqueras : sed hoc majores pro te suscepimus metus, quod nobis potius quam tibi consulebas, nostramque pacem magis quam bellum, quod aggrediebare, firmaveras.

III. Næ tu, Imperator, nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis vere providere; qui non omnia tecum arma movisti, cum tua conservatio, salus nostra sit. Et quid opus erat ipsi Rheno instructis et militibus et classibus, quem jam pridem barbaris nationibus virtutis tuæ terror obstruxerat? An ostentare voluisti diligentiam tuam, divisis copiis inter custodiam pacis et belli ; aut etiam jactanter et gloriose probare liberandæ Urbi te sufficere cum paucis? vix enim quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es : ut appareret penitius considerantibus, id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitus petere victoriam. Duxerat magnum Severus exercitum, et hostem suum perfidia desertus armaverat. Majores postea copias Maximianus admoverat, et ipse transfugis circumcisus videbatur prospere refugisse. Ipse denique qui pater illius credebatur,

VARIORUM NOTÆ.

Recuperata urbe. Post Maxentii cladem.

Et tandem. Id est, *et firmato post multorum annorum agitationem.*

Ut inter tantos. Hoc est. *Ut inter tot eloquentium oratorum applausus.*

Tubæ ac litui. Hoc differunt quod *tuba* recta esset, *lituus* incurvus; illa peditum foret, hic vero equitum: sæpe tamen promiscue accipiuntur ab auctoribus.

Spartanæ tibiæ. Λακεδαιμόνιοι τὰς ἐξοδούς, etc. Lacedæmonii non ad tubarum fragorem, sed ad tibiarum et lyræ modulos cytharæque, prælium inibant. *Pausanias in Laconicis.* Plutarchus : περὶ μουσικῆς.

Ut sermonem. Hoc est, *ut orationem meam æstimes potius ex studio tibi placendi, quam ex sua tenuitate.*

Oppletis. Aliorum oratorum sermonibus.

II.— *Transacto enim nutu.* Id est, significatione adversi ominis. Alii legunt *metu* pro *nutu*. Mox pro *offenso* legam *offensa*, vel offensione. Infra dicit contra Haruspicum monita id bellum esse susceptum : quare crediderim primum ductum esse auspicium, quod adversum fuit, tum illud idem revocatum ac repetitum, iterum adversum fuisse. Hoc, et ea quæ consequuntur, huic loco, qui multum vexavit interpretes lucem afferent. — *Transacto.* Id est, *Nam prætermisso et metu quem incutiebat infelix auspicium, et offensione quæ fuit in eodem iterando.*

Imperii tui sociis. Galerio et Licinio Augg., Severo et Maximino Cæsaribus.

Comitibus et ducibus. Comites, unius; Duces, multarum civitatum rectores erant, quæ singulæ suos comites haberent.

Tacite mussantibus. Æneid. xi, 346 : *sed dicere mussant.* Æneid. xii, 657 : *Mussat rex ipse Latinus.*

Contra haruspicum monita. Haruspices vates fuere vel Hetrosci, vel ab Hetruscis haruspicinam edocti : quorum ars in eo præcipue versabatur, ut inspectis victimis futura prænuntiarent. Qui autem vocem illam ab *hara* seu ab hostia sumpta in hara cum Donato repetunt, haruspices scribunt : qui vero ab *aris* cum Isidoro deductum volunt, scribunt aruspices. Quæ hic sunt de infelici omine, de haruspicibus, de adverso auspicio, fortasse accipienda sunt de Labaro, quod sub hujus expeditionis initium Constantino visum est. Crucem enim mali apud Romanos ominis fuisse, nemo opinor nescit. De prodigio illo vide Constantini vitam, ad annum 307.

Quæ. Id est, *quæ cum nostri curam diis minoribus committat.*

Reliqueras. Majorem exercitus partem ad Rhenum adversus Francos tutandum reliquerat.

III. — *Qui non.* Id est, *qui non omnes copias tecum duxisti.*

Arma. Copias, exercitus.

Divisis copiis. Aliis ad Rhenum relictis, aliis in Italiam ductis.

Quod nos fugit. Hoc est, *Quod nos præ amore tui trepidi non agnovimus.*

Hostem suum. Maxentium, adversus quem Severus Cæsar a Galerio Augusto missus, Maxentii artibus proditus a suis, raptim fugere necesse habuit pene solus, mox vel Ravennæ, vel Romæ in via Appia a Maxentio ipso interfectus est.

Et ipse transfugis. Maximianus Herculius præclare secum actum putabat, quod Maxentii manus effugisset, amissis copiis pene omnibus, quæ item ad Maxentium transfugerant.

Qui pater illius credebatur. Adversus eos, qui Maxentium Maximiani verum filium fuisse putant, multum facit hic locus, et n. 4 : *Ut omittam quod erat ille Maximiani suppositus*, etc.; iterumque : *Ut falso generi invideamus*, etc.; et illud Victoris : *Maxentium suppositum ferunt arte muliebri tenere mariti animum laborantis auspicio pravissimi cœpti a puero*, etc.; id est, a prole mascula. Deinde Anonymus Valesii. *De cujus* (Maxentii) *origine mater ejus cum quæsitum esset, Syro quodam genitum esse, respondit.*

Digitized by Google

discissam ab humeris purpuram detrahere conatus, senserat in illud dedecus sua fata transisse. Mille et sexaginta annis contractas ex toto orbe divitias monstrum illud, redemptis ad civile latrocinium manibus, ingesserat. Adhoc aliena matrimonia, innocentium capita cum bonis passim donando, usque ad mortem devotionis obstrinxerat parricidas : omnes autem insidiatos sibi, aut palam aliquid pro libertate conatos, pœnis affecerat, armis oppresserat. Et inter hæc utebatur ejus urbis majestate quam cœperat ; totam Italiam conductis ad omne facinus satellitibus oppleverat.

IV. Hæc omnia, Imperator, cum cogitares, scires, videres, nec te paterna gravitas, nec tua natura temerarium esse pateretur; dic, quæso, quid in consilio nisi divinum numen habuisti? An illa te ratio ducebat (sua enim cuique prudentia deus est), quod in tam dispari contentione non poterat melior causa non superare; et innumerabiles licet ille copias pro se objiceret, pro te tamen justitia pugnaret? Ut enim omittam illa quæ non decet comparari ; quod erat ille Maximiani suppositus, tu Constantii Pii filius ; ille despectissimæ pravitatis, detortis solutisque membris, nomine ipso abusiva appellatione mutilato ; tu, quod sufficit dicere, tantus ac talis : ut hæc, inquam, omittam; te, Constantine, paterna pietas sequebatur, illum, ut falso generi non invideamus, impietas ; te clementia, illum crudelitas ; te pudicitia soli dicata conjugio, illum libido stupris omnibus contaminata ; te divina præcepta, illum superstitiosa maleficia, illum denique spoliatorum templorum, trucidati senatus, plebis romanæ fame enectæ piacula ; te abolitarum calumniarum, te prohibitarum delationum, te conservatio, atque homicidiarii sanguinis gratulatio. In tam diversa causarum ratione divino consilio, Imperator, hoc est, tuo, non militum multitudinem, sed partium merita numerasti.

V. Magnus Alexander cum præter Macedonas suos cunctæ Græciæ, universo Illyrico innumerabilem dilectum posset indicere, nunquam majores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus quidquid excederet, et turbam potius quam exercitum. Tu vero etiam minoribus copiis bellum multo majus aggressus es ; tanto scilicet tua virtute propria potior, quanto ille numero instructior. Et ille quidem contra leves Medos, et imbelles Syros, et Parthorum arma volatica, et Asiaticos, optantes mutare servitium, rem gessit prælii unius eventu ; tibi vincendi erant milites, pro nefas ! paulo ante Romani, armis omnibus more primæ classis armati, et pro facinorum conscientia nunquam nisi morte cessuri. Probavit hoc prima obstinatio eorum, qui sub ipsis Alpium jugis munitissimo licet muro ac situ tenentes oppidum ausi fuerunt te imminente resistere, ac portas claudere ; non credentes illi quidem, ut audio, te ipsum adesse : quis enim crederet tam cito a Rheno ad Alpes imperatorem cum exercitu pervolasse? sed qui tamen non solum præsenti numini tuo, verumetiam nuntiato nomini cedere debuissent. Luerunt igitur illico dementiæ suæ pœnas, cum oblatam sibi a clementia tua veniam recusassent. Neque enim vallo fossaque obsessio inchoata est, nec cuniculis agendis, nec machinis admovendis, nec incutiendo ariete tentati quassatique sunt muri, sed statim injectæ faces portis, scalæ propugnaculis ; nec solum fundis eminus telisque missilibus, sed hastis, gladiis. Ita res simul cœpta et patrata, junctusque rebellibus fuit conatus et exitus.

VI. Gomphos, urbem Thessaliæ, quoniam abnuc-

VARIORUM NOTÆ.

Mille et sexaginta annis. Bellum enim Maxentii illud incidit in an. U. C. 1060.

Ad hoc aliena. Id est, *præterea alienas conjuges, innocentium hominum vitam, et bona sine discrimine parricidis dando, eos* ita *sibi devinxerat, ut* suam ipsi vitam *devoverent.*

IV. —*In consilio.* Alii *in consilium.*

Sua cuique Deus. Respexit ad illud Æneid. IX, 185 :

An sua cuique deus fit dira cupido?

Dispari contentione. Supra enim n. 3. Constantinum alloquens, *vix quarta parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus es.*

Erat ille. Elegans Maxentii et Constantini oppositio. Illius mores, crudelitatem, libidines, stupra, proscriptiones, calumnias et magicas artes vide apud *Euseb. Zonaram, et Eutrop.*, etc.

Constantii pii. Extat numerus in Tristani commentariis histor. cujus titulus *D. Constantio pio principi.*

Nomine mutilato. Indicare videtur Maxentium a Maximiano dictum truncato et mutilato nomine.

Soli dicata conjugio. Igitur Minervinam, ex qua Crispum suscepit, uxoris loco habuit. Vide Constantini Vitam.

Abolitarum calumniarum. Victor Schotti de illo : *Commodissimus multis rebus fuit, calumnias sedare legibus severissimis*, etc. Idipsum habet Euseb. et pan. 6, n. 8.

V.—*Cunctæ Græciæ.* Varii variis temporibus fuere Græciæ limites. Itaque si late sumitur, Epirum, Macedoniam, et Thessaliam complectitur : si vero strictius, Achaiam tantum, Peloponnesum, et insulas.

Universo Illyrico. Illyricum inter Macedoniam, ad ortum : Istriam, ad occasum ; Pannoniam, ad septentrionem ; et mare Adriaticum, ad meridiem. — *Universo Illyrico.* Id est, *cum posset ex universa Illyria innumerabiles copias contrahere, numquam plus quadraginta millibus militum conduxit, existimans inutile esse imperatori quidquid hunc numerum superaret.*

Leves Medos. Medi Persis, Parthis, et Assyriis finitimi ad mare Caspium habitant.

Tibi vincendi erant. Elevat quantum potest Alexandri victorias, ut Constantini virtus major appareat.

More primæ classis armati. Id est, cataphracti.

Oppidum. Segusiam.

Cuniculis agendis. Nota rationem expugnandarum urbium illo tempore usurpatam. Vide *Lipsium de militia Romana.*

Simul cœpta et patrata. Sallust., Jugurt. : *Uno die inter duos Reges cœptum, atque patratum bellum fuit.*

VI.—*Gomphos.* Gomphi, urbs Thessaliæ, apud Epiri confinia, primoque inde venientibus occurrens, Bouno finitima : a Larissa supra 40 mill. pass. in

Digitized by Google

ret obsequium, C. Cæsar uno die sustulit. Sed ille Græculos homines adortus est, tu subalpinos; ille solos incolas, tu etiam militare præsidium: ille non potuit captos a direptione defendere, tibi licuit clementiam tuis victoribus imperare. Sed illi quidem Gomphensium clades documento cæteris fuit, tibi paulo post alia in Taurinatibus campis pugna pugnata est, non trepidantibus ex victoria tua rebellibus, sed iratis incensisque ad ulciscendum animis, quos fortunæ inclinatio restringere debuisset: nec vero temere ac passim vagis hostibus, ut facile palantes cæderentur; sed acie in cunei modum structa, descendentibus retro in altitudinem lateribus; quæ cum prima avide confligeret, reflexa impeditos certamine circuiret. Sed tu id providens, præmissis utrinque qui obviam irent, et simul si quid insidiarum lateret excuterent; ipse obfirmato illo capite, dejectaque acie in fugam versa, tanto majorem in processu stragem edidisti, quanto amplioribus subsidiis instructa constiterat. Ita usque ad Taurinatium muros fusi cæsique, obseratasque nacti portas ab incolis, etiam corporum suorum mole clauserunt.

VII. Quid tibi aliud sperare potuisti, miles infelix, turpissimo illi tunc devote prodigio? jam enim non insulto, sed dolco. Constantinum tu tantum sanguinis fundere coegisti. Cui, quia salutem vestram a vobis impetrare non licuit, pene displicuit ipsa victoria. At non Taurinatibus, neque cæteris Italiæ civitatibus idem animus fuit, qui te, Imperator, exultantes gaudio certatim ad se vocaverunt. Missæ ab omnibus legationes, oblati undique commeatus: ut appareret quandiu desiderassent, cui se tam prompte bello adhuc restante committerent. Qui fuit dies ille, quo Mediolanum ingressus? quæ gratulatio principum civitatis? qui plausus populi? quæ securitas intuentium te matrum, te virginum? quam duplici fructu fruebantur, cum pulcherrimi imperatoris formam viderent, et licentiam non timerent? Ostentare se omnes, et tripudiare, sine ullo de reliquiis belli metu, et auspicium victoriæ tuæ pro consummatione metiebantur. Non transpadana provincia videbatur recepta, sed Romana. Quis enim crederet tantis successibus tuis ullum obstaculum fore, quo minus omnes exercitus se clementiæ tuæ traderent, cum virtutis experimentum novissent? Muros vi ceperas, acie palam viceras. Quis tam demens videbatur, ut aut obsideri auderet, aut congredi? præsertim cum tu, dies aliquot Mediolani resistens, tempus sibi omnibus consulendi dedisses, ut de te sperarent.

VIII. Sed enim ærumnosa illa, et jampridem media ætate nostra civili sanguine maculata Verona, maximo hostium exercitu tenebatur, acerrimis ducibus, pertinacissimoque præfecto; scilicet ut quam coloniam Cnæus Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus everteret. O miserabilem Veronensium calamitatem, quos non tam tua, quam intestina satellitum pressit obsidio! quippe Athesis ille saxis asper, et gurgitibus vorticosus, et impetu ferox, oppugnationem prohibebat, omnemque retro regionem evehendis copiis tutam defensamque præstabat. Quod tamen ne diutius hostem juvaret, providentia tua factum est, cum superioribus in locis, qua lenior amnis, et ignari hostes erant, exercitus parte projecta ancipiti periculo, clausos obsessosque pejora experiri armis coegisti, adeoque omnes qui eruptionem tentaverant cecidisti, ut ipse etiam dux cum parte copiarum ad ar-

VARIORUM NOTÆ.

occasum distans; de qua Statius l. IV Syl. *Et crebris iter alligare Gomphis.*

Uno die sustulit. De hac Cæsaris expeditione vide Dionem l. XLI.

Taurinatibus campis. In campis qui circa Taurinum sunt. *Taurinum* autem urbs Italiæ subalpinæ, Pedemontii caput. Hodie *Turin.*

Quos fortunæ. Id est, *quos fortuna inclinata coercere debuisset.*

Sed, etc. Id est, *sed exercitu composito in figuram cunei lateribus retro abeuntibus in profunditatem; ut dum anterior* pars exercitus nostri *certaret animose, latera* hostium *explicata circumdarent* nostros *occupatos certamine. At tu prævidens illud, præmissis qui occurrerent obviam, et simul explorarent, an aliquid insidiarum lateret: tu ipse conjecto in fugam pertinaci illo rostro, et facie cunei aperta, tanto majorem fecisti stragem in progressu certaminis, quanto,* etc.

Acie in cunei modum. Id est, exercitu in cunei modum composito. *Cuneus autem multitudo peditum, quæ primo angustior, inde latior, et adversariorum ordines rumpit. Milites caput Porcinum appellant extremam partem cunei.* VEGETIUS.

VII.—*Turpissimo.* Id est, *quem tam prodigiosa ac turpis clades manebat.*

Qui fuit dies ille. Triumphalis Constantini in urbem Mediolanum ingressus.

Auspicium victoriæ. Ex felici victoriæ initio, de ejusdem confectione existimantes.

VIII.—*Jampridem media ætate.* Id est, ante 30 circiter annos cum *Sabinus Julianus invadens imperium a Carino in campis Veronensibus occisus est.* VICTOR SCHOTTI. —Itaque auctor hujus panegyrici tum agebat annum 60 cum hanc orationem habuit. Certe quod media ætate sua contigisse istud ait, id est, cum esset in flore ætatis, quæ *ætas media* dicitur. *n.* 1. *not.* 3. *Verona* autem urbs est ad fluvium Athesim, Tridentum inter, et Mantuam. *Verone.*

Pertinacissimo præfecto. Ruricio viro strenuissimo.

Coloniam. De illa colonia Tacit. hist. l. III: *Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem qua prævalebant: simul coloniam copiis validam in rem famamque videbant.*

Pompeianus. Utrum Ruricium intelligit, natum forte in Pompeii oppido? an Carinum fortasse e familia Pompeii? An demum Constantinum?

Athesis. Fluvius ex finibus Rhætorum Tridentum et Veronam alluens, et in mare Adriaticum se exonerans l'*Adige.* De quo Virgil. Æn., IX, 680.

Gurgitibus. Id est, *Crebris vorticibus rapidus.*

Evehendis copiis. Advehendo commeatu. Infra n. 18, ad Tybrim, *tu Romæ tuæ altor copiis subvehendis. Seneca de Benef* l. VI, *c.* 7. Nec fluminibus gratias agimus, quamvis aut magna navigia patiantur, et ad subvehendas copias largo ac perenni alveo excurrant.

Projecta. An *trajecta?* Schonovius.

Pejora. Hoc est, *pejorem sortem ferre.*

Qui eruptionem tentaverant. Aut *qua eruptio tentata erat.* Sic enim Lipsius et Livineius legunt. Non *qua eruptio tentaverat,* ut est in editione Puteana.

Dux. Nempe Ruricius.

Digitized by Google

cessenda auxilia muris excesserit, majorem miser adducturus exercitum, ut majore comitatu cladis occideret. Quo quidem tempore præcipua apparuit tua, Imperator, cura simul et animi magnitudo, qui redeunti illi, minore exercitu congredi, quam obsidionem intermittere maluisti, ne respirare clausis, aut effugere, aut imminere tergo liceret.

IX. Et primo quidem, ut audio, aciem instruxeras duplicem, mox proviso adversariorum numero, explicari statim in frontem ordines, et extendi latius arma jussisti, ex tuo animo nimirum animos tuorum omnium metiens, quamvis gravius inde pondus infringi posse impetu pauciorum. Laudare me existimas, Imperator, cuncta quæ in illo prælio feceris? Ego vero iterum queror. Prospexeras omnia, disposueras universa, summi imperatoris officia compleveras, cur ipse pugnasti? cur te densissimis hostium globis miscuisti? cur salutem reipublicæ in pericula tanta misisti? An nescire nos putas, quod dum nimio rapereris ardore, in media hostium tela deveneras et nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani et vota deceperas? Toto quippe impetu ferebare, torrenti similis amni, quem abruptæ radicitus silvæ, et convulsa funditus saxa sequerentur. Quid tibi est, Imperator, cum inferiore fortuna? Illos pugnare fas est, quibus suo cujusque fato aut vincendum est, aut cadendum; tu, cujus ex vita omnium fata pendent, ad ullum discrimen accedas? inter tot tela gladiosque versere? Quis hoc a te exigit? aut quis pati possit, ut quidquam in te belli casibus liceat? Deceat te, Imperator, hostem ferire? Imo non decet laborare.

X. Spectavit ex edito monte Xerxes navale certamen. Augustus aliud agens vicit apud Actium Fuit etiam qui sublatus in scalas invicem nexas concurrentes eminus vidit exercitus, ut nec interesset periculo, et adesset eventui. Ignava, inquies, sunt hæc exempla: sed tuta; graviorque metus est periculi tui, quam lætitia victoriæ. An non ipsi te, cæsis fugatisque hostibus, interfectoque etiam ipso eorum duce, comites et Tribuni corripuere lacrymantes, amplexique illud tuum anhelum pectus, cruentas manus, et quidquid de sanguine profundæ cædis emerserat, hinc atque inde clamarunt: quid egeras, Imperator? In quæ nos fata projeceras, nisi te divina virtus tua vindicasset? Quæ hæc est impatientia? aut quo tibi manus nostras, si versa vice pugnas ipse pro nobis? Hæc ego non dicerem, Imperator, neque ab aliis dicta memorarem, nisi beneficio tuæ lenitatis tutior esset nostra in verbis, quam tua in armis audacia. Nova enim quadam varietate naturæ, confusoque virtutum temperamento, idem es in prœliis ferocissimus, et parta securitate mitissimus.

XI. Cum enim dato obsessis tempore pœnitendi, Aquileiam quoque de legatis eorum ac supplicibus recepisses, cunctique se tibi dedidissent, quos obsidendo servaveras, ignovisti omnibus, et vitam quam desperaverant reddidisti. Et quidem jussisti arma deponere, ut multo tutius victoris pietate tegerentur, ut tamen pertinaciæ suæ merita sentirent, corripi eos vincirique jussisti, non ad supplicium, sed vitam; ne conscientiæ timore diffugerent, graviterque delinquerent, conservarique iterum non mererentur, si servati non fuissent. Sed unde tanto hominum numero tot vincula, quæ continere militares, et paulo ante armatas manus possent? Stupere milites qui producendos suscepérant, et custodiæ curam abnuere, et prorsus nescire quid facerent; ipsi etiam qui tibi in consilio erant, ipse etiam præfectus hærere; cum tu divino monitus instinctu de gladiis eorum gemina manibus aptari claustra jussisti, ut servarent deditos gladii sui, quos non defenderant repugnantes.

VARIORUM NOTÆ.

Qui redeunti illi. Qui Veronam redeunti, post irruptionem factam, occurrere maluisti, cum ea tantum parte exercitus, quæ accincta erat ad bellum, in quo non erat parum periculi: quam ad copias omnes tecum educendas obsidionem intermittere, et obsessis dare locum aut respirandi, aut effugiendi, aut te insequendi.

IX.—*Mox proviso.* Hoc est, *mox explorato hostium numero.*

Ex tuo, etc. Id est, *ex fortitudine tua æstimans fortitudinem tuorum omnium, ac ratus molem exercitus hosti licet graviorem, posse perrumpi vigore pauciorum.*

Iterum queror. An *iterum quæro?* neque enim, ut notat Acidalius, antehac questus fuerat, sed quæsierat, ut ratio suscepti belli sibi redderetur.

Toto quippe impetu. Simile illud pan. 2, n. 5: *Toto quippe prælio ferebare, non aliter quam magnus amnis solet hybernis imbribus auctus et nubibus.*

Quid tibi est. Loco movenda fuit integra hæc phrasis juxta Acidalii mentem: quod nemini non probandum confido. In editione Puteana: *Quid tibi est, Imperator, cum inferiore fortuna? toto quippe impetu ferebare, torrenti similis*, etc.

X.—*Ex edito monte.* Ex monte Ægaleo, qui e regione Salaminis erat, Xerxes spectabat classem, quæ a Græcis plane deleta est. *Herodot.* VII; *Justin. l.* III; *Diod. Sic.*

Aliud agens. Bellum Actiacum fortasse sumit pro Siculo, in quo Augustus per Agrippam, aliosque exercitus duces, Pompeium inter Mylas et Naulochum superavit, an. U. C. 718. *Dum ipse tam arcto somno devinctus esset, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur.... Neque prius surrexisset, ac militibus in conspectum fuisset, quam a M. Agrippa fugatæ essent hostium naves.* Suet. Augusto cap. 16. Nam in Actiaco bello, *dextrum navium Julianarum M. Lurio commissum, Lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat.* Velleius, l. II, c. 85.

Sublatus in scalas. Quis ille tandem fuerit, nusquam reperi.

Comites. De Comitibus supra n. 2. not. 3.

Projeceras. An *projecisses.*

Quo tibi manus nostras? Aut quo tibi manus nostras poscis?

Graviter. An *gravius?* ut Acidalio placet.

De gladiis eorum. Militum enses in vinculorum formam conflari jussit.

Gemina gladiis. Hoc est, *Conflari retinacula apta geminis manibus vinciendis.*

Digitized by Google

XII. O pulcherrimum, et qui omnium oculis subjici debuisset, triumphum virtutis et clementiæ tuæ! cujus enim potentiæ fuit hostibus arma deripere, ejus humanitatis deditos ad impunitatem suis armis alligare, atque ita vincire, ut eos ferri illius; quod contra te gesserant, quotidie pœniteret? Gladius ille quem in te distrinxerat hostis infestus, ipse domini sui manus tenuit, et paratus ad cædem, custos factus est ad salutem. Magnus poeta dum bellorum toto orbe surgentium discursum apparatumque describit. *Et curvæ*, inquit, *rigidum falces conflantur in ensem?* Triste nimirum tempus id, cum instrumenta cultui pecudum præparata, in cædem hominum verterentur. At nunc rigidi illi mortiferique mucrones in salutaria vincla curvantur, et exarmatum hominem non interimunt, sed coercent; deditosque hostes gladii sui collisi obtusique tutantur, qui nihil illis prodesse integri acutique potuerunt.

XIII. Omnium ergo armorum ministeria ad diversos effectus arbitrio tuo serviunt, Imperator, tibi vincunt gladii, tibi servant; te pugnante feriunt, te ignoscente custodiunt. Ut Deus ille mundi creator et dominus eodem fulmine suo nunc tristes, nunc lætos nuntios mittit: ita eadem sub numine tuo tela inimicos, aut supplices tuos pernicie, aut conservatione discernunt. Eripuisti, Imperator, adversariis tuis gladios, ne quis incumberet dolori. Superasti, et eosdem manibus suis innoxios reddidisti. Ut et clementiæ et vindictæ tuæ satisfaceres; quorum sanguini peperceras arma fregisti. Vita enim hominum, diu parta, semper servanda est, si liceat: ferrum inventu facile, usu mutabile. Ideo quæ erant reparabilia conflasti, quod redivivum non erat reservasti. Quid simile fabulæ ferunt? conversa esse humana corpora in fontes, aut pecudes, aut aves? Fœda et degener talis conversio. Gladius mutatus in manicas: hoc est quod securitas post timorem, quod umbraculum post calorem. Splendorem mutatio perdidit, sed aciem retudit.

XIV. Studium et humanitas tua hortata est, Imperator, hucusque ut exultatio nostra verbis illud luderet. Sed jam ad potiora redeamus. Recuperata omni cis Padum Italia, ipsa jam ad te supplices manus Roma tendebat, cui portentum illud insederat, nihil conari ausum ad tot nuntios suarum cladium. Quippe ipsa se vilissimi hominis obsidebat ignavia, et degeneres animos timor arguebat. Stultum et nequam animal nusquam extra parietes egredi audebat. Ita enim aut prodigiis, aut metus sui præsagiis monebatur. Pro pudor! intra parietum custodias, Imperator. Non ille aspirare in campum, non exerceri armis, non pulverem pati. Astutus quidem, ne virorum officia tentantem in illo palatio marmoratis parietibus incedere. Nam in Salustianos hortos ire, peregrinatio et expeditio putabatur. Et hæ quidem deliciæ toto illo tempore, quo orbem obsederat, semet incluserat, turpissimam hanc ejus formidinem protegebant. Non enim se imbellem, sed beatum, non inertem, sed securum videri volebat. Quoties milites in concionem vocabat, se solum cum illis imperatorem, alios per limites pro se militare jactabat. Fruimini, aiebat, dissipate, prodigite. Hæc erat miserorum brevis et caduca felicitas.

XV. Ac ne tum quidem cum tot adversa suorum prælia comperisset, obviam ire conatus est ad resistendum, cum Padi limite, aut Apennini jugis uteretur; sed litteras calamitatum suarum indices supprimebat. Interdum etiam palam, ut usque ad portas veniretur optabat; non intelligens majestatem illam Urbis qua

VARIORUM NOTÆ.

XII. — *Magnus poeta.* Virgilius, Georg. l. I, 508.

XIII.—*Nunc tristes, nunc lætos.* Locus hic revocat in mentem illud *Senecæ l.* II *Quæst. c.* 41 : Jovi tres manubias dari, quarum prima moneat, secunda prosit, tertia adhibitis consilio diis emittatur : quod quidem iisdem pene verbis confirmat *Festus.*

Ne quis incumberet dolori. Clarior erit sententia si legatur, ut est in codice Pithœano, *Ne quis incumberet dolore superatus*, vel ut suspicatur Puteanus, *ne quis incumberet dolore super acie.*

Vita enim hominum. Id est, *nam vita humana diutino labore procurata, retineri perpetuo debet quantum fas est, contra vero ferrum facile invenitur, et ad quoscumque usus adhibetur. Quamobrem ferrum quod revocari poterat in pristinam formam, conflando mutasti : conservasti vero quod revocari non poterat, nempe vitam.*

Hoc est. Quasi dicas, *id est ferrum prius timoris causam, nunc securitatis causam fuisse.*

Quod securitas. Quod hoc loco est conjunctio.

Splendorem, hoc est, *splendorem hac mutatione amisit.*

XIV.— *Ut exultatio.* Id est, *ut lætitiam nostram hoc lusu verborum significaremus.*

Cis Padum Italia. Loquitur Treveris homo Gallus.

Portentum illud. Maxentius.

Degeneres animos. Sumptum illud ex Æneid. l. IV, 13.

Stultum et nequam animal. Durum verbum, sed tamen Tullius haud multo honorificentius adhibet in virum consulem, quem præsentem in senatu compellabat : et *Seneca de Benefic. l.* II, *c.* 16, timidissimum animal appellat Alexandrum.

Aut metus, etc. Id est, *Eo metu, quem auspicia ei incutiebant.*

Monebatur. Lege *movebatur*, ut suspicantur omnes interpretes : vel si hanc scripturam retinueris, sensus erit, ita facere eum admonebat metus, quem sua ei auspicia incutiebant.

Ne virorum officia. Lubenter inseram *quidem* : ut sit, *ne virorum quidem officia tentantem.—Ne virorum officia.* Hoc est, *ne quidem ut viri saltem officium esset, deambulare in eo palatio, cujus parietes sunt e marmore.*

Salustianos hortos. Quos C. Crispus Salustius, historicus insignis, vir opulentus, idemque magnificus, sub Quirinale extra Pomœrium ad Collatinam portam adornavit. Is Tullii temporibus vixit; neque desunt qui scribant Terentiam Marci Ciceronis uxorem, ab eo repudiatam, Salustio nupsisse.

Orbem obsederat. Forte legendum *Urbem.*

Se solum. Id est, *se unum pariter et illos imperatores esse, alios in finibus pro se arma ferre.*

XV.—*Cum*, etc. Hoc est, *Cum Padi liberum transitum, et Apenninorum montium haberet.*

Padi limite. Padus fluvius Italiæ maximus, ex Vesuro monte in Gallia subalpina oriens, non longe ab Augusta Taurinorum discurrit, ubi Placentiam, Ferrariamque alluit. In mare Adriaticum multis ostiis effunditur *le Po.*

Digitized by Google

pridem admotos exercitus sollicitaverat, jam flagitiis ipsius deformatam, et sedibus suis pulsam, ad tua auxilia transisse; nec ullis præmiis posse corrumpi quos tibi, præter liberalitatem tuam, et sacramenti fidem, tot victoriarum gloriæ dicavissent. Quis enim miles, qui ductu atque auspiciis tuis toties felicissime dimicasset vulnera illi sua venderet? belli jam pene confecti summam concederet? Atenim tu idipsum de ardore totius exercitus sentiens, sine ulla hæsitandi mora, qua brevissimum per eos iter est, rapto agmine advolasti; celeritatem illam in agendo Scipionis; et Cæsaris, tunc maxime cupienti Romæ repræsentans. Hæc est fiducia imperatoris invicti, et suorum mentibus freti, non dubitare, nec trahere bellum, sed proximum quodque pugnæ tempus putare victoriam, non enim res erat tibi, uti Quinto Maximo cum Annibale victore, ut post res asperas locum tempusque captares, sed urgere te successus tuos, et continuare victorias, sed quam primum subvenire Urbi decebat. Sapientis enim est imperatoris fractis rebus cunctando consulere, secundis non deesse fortunæ.

XVI. Itaque unum jam timebatur, ne ille conterritus his viribus, graviter afflictus, et in arctum redactus, boni consuleret, et debitas reipublicæ pœnas obsidione differret. Quippe omni Africa, quam delere statuerat, exhausta, omnibus insulis exinanitis, infiniti temporis annonam congesserat. Sed divina mens, et ipsius Urbis æterna majestas nefario homini eripuere consilium, ut ex inveterato illo torpore ac fœdissimis latebris subito prorumperet, et consumpto per desidias senio, ipsum diem natalis sui ultima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum sacrum et religiosum inchoando violaret. At quomodo instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? Ita prorsus ne quis evadere, ne quis, ut fit, loco motus referre gradum, et instaurare prælium posset; cum a fronte armis, a tergo Tiberi flumine premeretur. In quo ille non mehercule cogitavit necessitatem resistendi, sed propinquitatem refugiendi. Nisi forte jam sentiens diem sibi venisse fatalem ad solatium suæ mortis voluit secum trahere quam plurimos, ut omnes essent exitus sui comites, qui scelerum participes extitissent. Quid enim aliud illum sperasse credendum est, qui jam ante biduum palatio emigraverat, et cum uxore ac filio in privatam domum sponte concesserat, ut res est, ominibus terribilibus agitatus, et nocturnis pulsus ultricibus; ut tu jam olim exspectatus habitator sacris illis ædibus diu exhalatis expiatisque succederes? Et adeo ipse verum sibi dixerat, et venturo tibi cesserat, quamvis in prælium ingrederetur armatus, cum excedendo palatio jam se abdicasset imperio.

XVII. Ad primum igitur aspectum majestatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus hostes territi, fugatique, et angustiis Milvii pontis exclusi; exceptis latrocinii illius primis auctoribus, qui desperata venia locum quem pugnæ sumpserant texere corporibus, cæteri omnes in fluvium abiere præcipites, ut tandem aliquod cædis compendium fessis tuorum dexteris eveniret, cum impios Tiberis hausisset. Ipsum etiam illum cum equo, et armis insignibus, frustra conatum per abrupta ripæ ulterioris evadere, idem Tiberis correptum gurgite devoravit, ne tam deforme prodigium vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicujus viri fortis gladio telove cecidisset. Et aliorum quidem hostium corpora et arma præceps fluvius volvendo devexit, illum autem eodem quo extinxerat loco tenuit, ne diu populi Romani lætitia dubitaret, si putaretur aliquo profugisse, cujus mortis probatio quæreretur.

XVIII. Sancte Tybri, quondam hospitis monitor

VARIORUM NOTÆ.

Admotos exercitus. Primum a Severo Cæsare, tum a Galerio ipso, demum a Maximiano Herculio; qui omnes a suis militibus proditi, fugere necesse habuerunt.

Quos tibi, etc. Id est, *Quos non tantum liberalitas tua et sacramenti religio tibi addixerat, sed etiam gloria ex tot victoriis* tecum relatis.

Scipionis. De Scipione Africano *in Plin. paneg. n. 13. not. 9.*

Cæsaris. Quanta celeritate Romam Cæsar cum Pompeio pugnaturus venerit, vide ejus comment. De bello Gallico, et cæteros Romanæ historiæ scriptores.

XVI.—*Ne ille conterritus.* Lipsius ita emendat hunc locum l. I, c. 22: *Ne ille conterritus, suis rebus graviter afflictis, et in arctum redactis mora consuleret.*

Africa exhausta. Aurel. Victor ait: *Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendique jusserat.*

Omnibus insulis. In primis Sicilia et Sardinia.

Consumpto senio. Malim *sexennio*, ut vult Petavius, l. II de Doctrina temp. c. 37; sex enim annos tyrannidem occupavit donec ultima sexennii illius die, priusquam septenarium numerum inchoaret, victus, in Tiberim delapsus est, ut dicit infra.

Vernula purpuratus. Maxentius. Haud absimile illud Pacati in Theodos. de Maximo Tyranno. *Ille quondam domus tuæ negligentissimus vernula.*

Cum uxore. Magnontia Urbica, prioris Galerii conjugis filia, cujus nummos refert Tristanus in comment. historicis.

Ac filio. Is fuit Marcus Aurelius Valerius Romulus, cujus extat nummus *Divo Romulo n. v. filio* (id est, nostræ urbis) *filio.* Extant item et alii, quos refert *Tristanus in comment. histor.*

Diu exhalatis. Id est, *multo ante tetro spiritu perpurgatis.*

Adeo ipse. Hoc est, *adeo ipse animo id præsagierat.*

XVII.—*Angustiis.* Hoc est, *et cum transire non possent simul omnes propter arctius spatium Milvii pontis.*

Milvii pontis. Pons in Tiberi prope Romam, nulla re notior quam Maxentii clade.

Latrocinii illius. Bellum illud latrocinium vocat, tum quod Maxentii exercitus ex plebecula constabat, tum quod ipse ad rapiendum alienum imperium pugnabat.

Locum quem pugnæ sumpserant. Respexit ad illud Salustii de Bello Catilin.: *Quem quisque pugnando vivus locum ceperat, eum amissa anima vivus tegebat.*

Tandem aliquod, etc. Id est, *ut manus tuorum cædendo, fessæ tandem desisterent ab occidendo.*

Ne tam deforme. Hoc est, *ne monstrum illud tam turpe hanc saltem obeundo laudem referret, quod*, etc.

Ne diu populi. Id est, *Gaudium esset dubium.*

XVIII.—*Sancte Tybri.* Æneid. Tybri pater.

Monitor Æneæ. Æneid. VIII:

> Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno,
> Populeas inter senior se attollere frondes, etc.

Digitized by Google

Æneæ, mox Romuli conservator expositi, tu nec falsum Romulum diu vivere, nec parricidam Urbis passus es enatare. Tu Romæ tuæ altor copiis subvehendis, tu munitor mœnibus amblendis, merito Constantini victoriæ particeps esse voluisti, ut ille hostem in te propelleret, tu necares. Neque enim semper es rapidus et torrens, sed pro temporum ratione moderatus. Tu quietus armatum Coclitem revexisti. Tibi se placido Cœlia virgo commisit. At nunc violentus et turbidus hostem reipublicæ sorbuisti, et ne tum laterum obsequium, eructato cadavere prodidisti. Reperto igitur, et trucidato corpore, universus in gaudia et vindictam populus Romanus exarsit : nec desiit tota Urbe, qua suffixum hasta ferebatur caput illud piaculare fœdari : cum interim, ut sunt joci triumphales, rideretur gestantis injuria, cum alieni capitis merita paterctur.

XIX. Sed quid ego hucusque jocularia ? Tecta ipsa, ut audio, commoveri, et altitudo culminum videbatur attolli, quacumque numen tuum tardo molimine currus inveheretur : tanta te populi densitas, tanta senatus stipatio provehebat simul et attinebat. Felices qui te propius aspicerent, longius positi nominabant : quos præterieras, loci quem occupaverant pœnitebat. Vicissim omnes inde discedere, hinc sequi : certare innumerabilis multitudo, et impulsu vario fluctuare, et tantum sibi hominum animi post illam sexennii cladem superesse memorabant. Ausi etiam quidam ut resisteres poscere, et queri tam cito accessisse palatium, et cum ingressus esses non solum oculis sequi, sed pene etiam sacrum limen irrumpere. Inde omnibus circumfusis, ut inde excederes opperiri, prospicere, optare, sperare : ut viderentur eum, a quo obsidione liberati fuerant obsidere. Gloriatus sit licet, et vere, summus orator humeris se Italiæ in patriam reportatum te, Constantine, senatus populusque Romanus et illo die et aliis, quacumque progressus es, et oculis ferre gestivit. Nec quidquam aliud homines diebus munerum sacrorumque ludorum, quam te ipsum spectare potuerunt; qui tuus esset fulgor oculorum, quæ totius corporis circumfusa majestas, quæ oris dignitas. Gaudere cuncti spectaculorum mora, et familiaribus sibi artificibus ob hoc solum favere, quod te præsente certarent.

XX. Nam quid ego de tuis in curia sententiis atque actis loquar, quibus senatui auctoritatem pristinam reddidisti, salutem, quam per te receperant, non imputasti, memoriam ejus in pectore tuo sempiternam fore spopondisti ? Dicerem plura de divinis orationibus tuis, de oblata potius quam impetrata benignitate : nisi mallem dicta reticere, dum propero facta laudare. Quamlibet verba tua in senatu habita nobis nota sint, tamen qualia fuerint, clementiæ tuæ gloria nuntiavit. O tandem felix civili, Roma, victoria ! Irrupit olim te Cinna furiosus, et Marius iratus, qui non solo se Octavii consulis capite satiarunt, sed luminibus ci-

VARIORUM NOTÆ.

Romuli conservator. Cum Amulii jussu Romulus cum Remo fratre in profluentem projectus esset, Tiberinus amnis aquas repressit, ne forte utrumque involveret. Sed notius illud, quam ut in eo immorer. Videri possunt *Florus*, *Victor et alii*.

Falsum Romulum. Id est, Maxentii filium, cui Romulo nomen, ut supra dictum. Fortasse etiam Maxentium ipsum, quem falsum Romulum per jocum appellat, quomodo auctor orationis in Tullium quæ Sallustio attribuitur, Tullium vocat *Romulum Arpinatem*. Et Lepidus ap. Salust. hist. l. I, de Sylla : *Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet.*

Altor copiis subvehendis. Altor propter commeatus quos subvehit : *supra, n. 7, not. 5.*

Armatum Coclitem. Horatium, quod in prælio oculum alterum amisisset, dictum *coclitem*. Is adversus Porsennam Etruscorum Regem Tarquinios in urbem restituere conantem, pro ponte sublicio stetit, et aciem hostium solus sustinuit, donec ponte interciso ipse in Tiberim decidit, et armatus ad suos transnatavit. *Livius, l. 2; Florus, l. I; Aurel. Victor.*

Cloelia. Hæc in Porsennæ castris captiva cum esset, deceptis custodibus, et equo quem fors dederat arrepto, Tiberim noctu trajecit. Cætera quæ de illa referuntur, vide apud *Dionys. Halyc., Livium, Plutarchum.*

Cum interim. Hoc est, *et interea illudebatur, ut est mos jocandi in triumphis, cum contumelia illius a quo ferebatur, qui patiebatur injurias debitas alieno capiti.*

Ut sunt joci triumphales. Hunc militum Romanorum morem, acclamandi, jocandi, dicteria in triumphantem jaciendi notant Dionys. l. VII : Ἐ*ρίτται γὰρ*, etc. *Permittitur enim victores deducentibus iambos, et dicteria jacere in clarissimos viros, et ipsos imperatores, quemadmodum Athenis solebant pompam in plaustris ducentes scommatis obvios impetere.* Et Livius, l. V, de Camillo : *Dictator recuperata ex hostibus patria, triumphans in Urbem redit, interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus ac parens patriæ, conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur.* Et Martialis l. I, epig. 4 :

> Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi,
> Materiam dictis, nec pudet esse ducem, etc.

XIX.— *Tecta ipsa.* Mirifica ὑποτύπωσις Constantini post Maxentii cladem Romam ingredientis. Videri potest *Euseb. hist. l. IX, c. 8, et in vita Constantini.*

Inde discedere. Gruterus suspicatur legendum, *in edita ascendere.*

Tantum sibi, etc. Id est, *Homines mirabantur, quod tot cives adhuc superessent post illam sex annorum stragem.*

Animi. Aut lege cum Acidalio *admirabundi* pro *animi*. Aut mox cum Lipsio *admirabantur*, pro *memorabant.*

Sexennii. Quo Maxentium Tyrannidem in Italia tenuisse dictum est supra.

Summus orator. Tullius, orat. post reditum in senat., n. 38 : *Cum me populus Romanus revocarit, respublica implorarit, Italia cuncta pene suis humeris reportarit.*

Oculis ferre gestivit. Pan. 6, n. 8 : *Te primo ingressu tuo tanta lætitia, tanta frequentia populus excepit, ut cum te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre gestiret.*

Diebus. Solemnes hujusmodi ingressus largitionibus, ludis, spectaculis celebrari solitos nemini non notum.

Gaudere cuncti. Id est, *Amare omnes moram quæ esset in spectaculis, et notos sibi gladiatores adeo amare, tantum quod pugnarent coram te.*

XX. — *Salutem.* Hoc est, *noluisti ut quam eis vitam servaras, beneficii loco a te acceptam referrent.*

Felix civili, etc. Hoc est, *Beata Roma* propter *civilem victoriam.*

Cinna furiosus. L. Cornel. Cinna primo consulatu legem de exulibus revocandis ferens, ab Octavio collega prohibitus et honore privatus, urbe profugit : vocatisque ad pileum servis, accersitisque C. Mario, Carbone, et Sertorio, Urbem quatuor exercitibus obsessam captamque ingressus an. U. C. 667, Octavium

Digitized by Google

vitatis extinctis exempla, quæ nunc toto sexennio passa es reliquerunt. Vicit tibi iterum ante portam Collatinam Sylla : felix, si se parcius vindicasset, sed enimvero multis capitibus Rostra complevit. Constantinus victoriæ licentiam, fine prælii terminavit : gladios ne in eorum quidem sanguinem distringi passus est quos ad supplicia poscebat.

XXI. Deditam sibi idem Sylla exarmatamque legionem in villa publica trucidavit, perculsumque morientium gemitu senatum, monuit ne timeret, quod ipse jussisset. At iste victor non modo hostium, sed etiam victoriæ suæ, quidquid militum bello superfuit, tibi reservavit. Tibi enim jam militant, quos exutos armis imperator adversus hostes barbaros rursus armavit. Jam obliti deliciarum circi maximi, et Pompeiani theatri, et nobilium lavacrorum : Rheno Danubioque prætenduntur, excubias agunt, latrocinia compescunt, certant denique cum victoribus ut civili bello victi hostibus comparentur. Nec tamen id mirum videri potest cum qualemcumque militem fortissimum facias tuo, Imperator, exemplo. Non enim fessus prœliis et expletus victoriis, ut natura fert, otio te et quieti dedisti, sed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexisti ad inferiorem Germaniæ limitem ; magna scilicet intercapedine temporis, ac brevi locorum distantia post annuam expeditionem statim bello auspicatus, a Tiberi ad Rhenum, imo, ut omen et similitudo nominis sit, et tua, Imperator, magnitudo animi pollicetur, a Tusco Albula ad Germanicum Albim prolaturus imperium.

XXII. Quisnam iste est tam continuus ardor? quæ divinitas perpetuo vigens motu? Omnium rerum intervalla sunt. Cessat terra novalibus, dicuntur interdum flumina resistere, et ipse dies noctibus acquiescit ; tu, Constantine, solus infatigabilis bellis bella continuas, victorias victoriis cumulas. Quasi præterita sint obliterata si desinas, non putas te vicisse nisi vincas. Ruperat fidem gens levis et lubrica barbarorum et robore atque audacia lectis eruptionis auctoribus, institisse Rheno nuntiabantur. Illico obvius affuisti, et præsentia tua ne auderent transitum terruisti. Etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quod inhibita eruptione non foret materia victoriæ ; sed inopinato consilio usus abeundo enim, simulato nuntio, majoris in superiore limite tumultus occasionem stolidis ac ferinis mentibus obtulisti in nostra veniendi ; relictis in occulto ducibus qui securos adorirentur. Quo cum venissent, consilium tuum sequitur fortuna. Toto Rheni alveo oppleto navibus devectus terras eorum ac domos mœstas lugentesque populatus es, tantamque cladem vastitatemque perjuræ genti intulisti, ut vix post illud nomen habitura sit.

XXIII. Ite nunc omnes, si placet, barbaræ nationes, et exitiales vobis movete conatus : habetis exemplum. Quamvis enim imperator noster amicorum regum admittat obsequia ; idque ipsum valeat ad laudem victoriæ, quod a nobilissimis regibus timetur et colitur ; augeri tamen gloriam virtutis suæ gaudet, quoties provocatur. Nam quid hoc triumpho pulchrius,

VARIORUM NOTÆ.

interfecit, inimicos cecidit. Iterum et tertium consulem seipsum fecit. Quarto consulatu cum bellum contra Syllam pararet ; Anconæ ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidatus est. *Appian. de bell. civil. ; Plutarchus in Mario ; Aurel. Victor.*

Marius iratus. Is post gestos sex consulatus, post Jugurtham victum et ante currum actum, post Teutonas in Galliis, Cimbros in Italia domitos, victus a Sylla et in carcerem conjectus periisset, nisi immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruisset, fugissetque protinus in Africam. Ex quo exilio cum Cinna et Sertorio Urbem reversus, cædibus replevit omnia. *Livius, Velleius, Victor, Plutarchus in Mario.*

Ante portam Collatinam. Collatina porta Romæ, a Collatia oppido, ad quod per eam portam fiebat iter. *Festus.*

Sylla. Cum rogatione Sulpicia imperium ejus transferretur ad Marium, in Italiam regressus, corruptis adversariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit, Urbe potitus Sulpitium interfecit, Marium fugavit, proscriptionis tabulas proposuit. Novem millia deditorum in villa publica cecidit, an. U. C. 672. Dictatura vero tertio post anno deposita, Puteolos concessit, et morbo, qui phthiriasis vocatur, interiit. *Appianus, Plutarchus, Aur. Victor.*

XXI. — *Sed etiam victoriæ suæ.* Sumptum illud e Tullio pro Marcello, n. 12 : *Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti.* Pacat. in Theod. n. 45 : *Tu ipsius victoriæ victor, ita omnem cum armis iram deposuisti.*

Adversus barbaros. Germanos, contra quos ordinatis in Urbe rebus profectus est anno sequenti.

Obliti deliciarum. Quibus diffluebant sub duce Maxentio.

Pompeiani Theatri. Cn. Pompeius omnium primus mansurum (*ut ait Tacit. l.* XIV, *c.* 20), theatrum extruxit lapide quadrato ad exemplum illius, quod Mitylenis viderat bello Mithridatico. Erat autem in modum hemicycli, cujus ab utroque cornu scenæ erant, cum singulis aris, quarum una Bacchi, altera ejus dei erat, in cujus honorem ludi fiebant.

Nobilium lavacrorum. Thermæ Trajani, Titi, Agrippæ, Syriacæ, Commodianæ, Severianæ, Antonianæ, Alexandrinæ, Neronianæ, Diocletianæ, Romæ nobiles fuerunt.

Prætenduntur. Forte *prætendunt*, ut Livineio placet. Pacati pan. n. 10 : *Vix Iberum tuum videras, jam Istro prætendebas*, id est, tendebas, ut Æneid. l. II, 29 : *Hic sævus tendebat Achilles.*

Cum victoribus. Id est, addunt se illis, una cum illis pugnaturi contra communes hostes, ut qui ante civili bello victi sunt, hostilibus bellis nullo modo se aliis inferiores promant.

A Tusco Albula. Qui et Tiberis, teste Plinio : sic ab aquarum albedine dictus est fluvius Hetruriæ celebratissimus, Romam interluens. Is de seipso apud Ovidium, l. v Fastor. 645 :

> Venit et Alcides turba comitatus Achiva.
> Albula, si meminî, tunc mihi nomen erat.

Virgil. Æneid. l. VIII, 332 :

> Amisit verum vetus Albula nomen, etc.

XXII.—*Cessat terra.* Hoc est, *Quiescit humus novalium tempore.*

Noctibus acquiescit. Id est, *Per noctes quiescit.*

Gens levis et lubrica. Ita Francos appellat ut Romano Imperatori blandiatur, quod supra observavi.

Lectis eruptionis. Id est, *Afferebatur nationem mobilem et fallacem Rheno insedisse selectis sibi ducibus ad eruptionem faciendam.*

Etiam. Lege : *Et jam.*

Simulato nuntio. Id est, *Dissimulans nuntium tibi allatum esse gravioris seditionis in superioribus finibus imperii concitatæ.*

Digitized by Google

quod cædibus hostium utitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, et pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, tantam captivorum multitudinem bestiis objici, ut ingrati et perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quam ex ipsa morte patiantur? Inde est quod cum exitum differre liceat, perire festinant, seseque letalibus vulneribus et mortibus offerunt. Ex quo ipso apparet, quam magnum sit vicisse tam prodigos sui.

XXIV. Facile est vincere timidos et imbelles, quales amœna Græcia, et deliciæ Orientis educunt, vix leve pallium, et sericos sinus vitando sole tolerantes, et siquando in periculum venerint, libertatis immemores, ut servire liceat orantes. Romanum vero militem, quem qualemque ordinat disciplina, et sacramenti religio confirmat, aut trucem Francum, ferina sola carne distentum, qui vitam pro victus sui vilitate contemnat, quantæ molis sit superare, vel capere? Quod tu, imperator, et nuper in Italia, et in ipso conspectu barbariæ paulo ante fecisti. Ita sine ullo discrimine omnia genera bellorum, armorum, hostium uni tibi cedunt, cedunt ex omni etiam memoria condita litteris monumenta virtutum. Nec vero tantummodo vetera illa Dictatorum, et consulum ac deinceps magnorum principum, sed etiam rectissima et pulcherrima divi patris tui facta superasti, sordet enim alios ex proximo tempore comparare, ipsum inquam divum Constantium jam primis imperii tui lustris, rerum gestarum laude cumulasti.

XXV. Invitus hoc forte accipis, Imperator, sed ille, dum dicimus, gaudet cœlo, et jampridem vocatus ad sidera adhuc crescit in filio, et gloriarum tuarum gradibus ascendit. Purgavit ille Bataviam, advena hoste depulso, tibi se ex ultima barbaria indigenæ populi dedidere. Ille Oceanum classe transmisit, tu et Alpes gradu, et classibus portus Italicos occupasti. Recuperavit ille Britanniam, tu nobilissimas Africi maris insulas, quæ populi Romani fuere provinciæ. Ignoscat, inquam, divus ipse Constantius. Quid habeo quod comparem Italiæ, Africæ, Romæ? Merito igitur tibi, Constantine, et nuper senatus signum dei dedit, et paulo ante Italia scutum et coronam, cuncta aurea dedicarunt, ut conscientiæ debitum aliqua ex parte relevarent. Debetur enim divinitati et simulacrum aureum, et virtuti scutum, et corona pietati.

XXVI. Quamobrem te, summe rerum sator, cujus tot nomina sunt, quot gentium linguas esse voluisti, quem enim te ipse dici velis scire non possumus : sive in te quædam vis mensque divina est, qua toto infusus mundo omnibus miscearis elementis, et sine ullo extrinsecus accedente vigoris impulsu per te ipse movearis : sive aliqua supra omne cœlum potestas es, quæ hoc opus tuum ex altiore naturæ arce despicias : te, inquam, oramus et quæsumus, ut hunc in omnia sæcula principem serves : parum est enim optare tantæ virtuti tantæque pietati, quem longissimum habet vita progressum. Est certe summa in te bonitas, est et pietas, et ideo quæ justa sunt velle debes : nec abnuendi est causa, cum possis. Nam si est aliquid, quod a te benemeritis denegetur, aut potestas cessavit, aut bonitas. Fac igitur, ut quod optimum humano generi dedisti, permaneat æternum, omnesque Constantinus in terris degat ætates. Quamvis enim, Imperator invicte, jam divina soboles tua ad reipublicæ vota successerit, et adhuc speretur futura numerosior : illa tamen erit vere beata posteritas, ut cum liberos tuos gubernaculis orbis admoveris, tu sis omnium maximus imperator.

VARIORUM NOTÆ.

XXIII. — *Pompam*, etc. Hoc est, *Magnificentiam largitionum ex barbarorum spoliis auget.*

Bestiis objici. Reipsa Constantinus Francorum reges Regaisum et Ascaricum bello captos belluis dilaniandos jussit Treveris in theatrum induci, et pan. 7, n. 12 : *Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidiæ erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine sua fatigarunt.*

Exitum differre. Forte *exitium*, id est, mortem.

Tam prodigos sui. Nulli enim æque in bello metuendi, quam qui de salute sua non sunt solliciti.

XXIV. — *Vix leve pallium.* Sumpsit hunc locum Pacatus pan. n. 33 : *Illos tenero perlucentes amictu, et vix leve carbasum vitando sole tolerantes*, id est, ad vitandum solem.

Quem qualemque. Forte *quem qualemcumque*, ut suspicatur Livineius, id est, Quem qualiscumque sit, disciplina militaris et fortem facit, et ordinat.

Trucem Francum. A quo sæpe Romani male habiti erant.

Pro victus, etc. Id est, *ita vilem in modum educati sunt.*

In Italia. Cæsis Maxentianis.

In conspectu barbariæ. In Germaniæ finibus.

Patris tui. Constantii.

Ex proximo tempore. Ut Numerianum, Carinum, Carum, Probum, Florianum, Tacitos et alios deinceps ejus ævi imperatores haud multo clariores.

XXV. — *Invitus.* Id est, *Fortasse illud audis non lubenter.*

Jampridem. Ante 7 annos, nempe anno Christi 306.

Ex ultima barbaria. Francos contra initum cum patre fœdus rebellantes domuit.

Africi maris insulas. An Sardiniam et Siciliam, ubi Maxentium grassatum legimus? Mare autem Mediterraneum in quo sita sunt, Africum utcumque appellat propter vicinam Africæ.

Africæ. Extat nummus salvis Augg. et Cæs. *Fel. Karth.* Id est, Felix Carthago.

XXVI. — *Quot gentium linguas.* Sua enim apud varias gentes varia esse non tantum Jovi, sed singulis diis nomina, notum est.

Miscearis elementis. Alludit ad illud Æneid. l. VI, 726 :

..... Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Soboles tua. Constantinus, quem ex Fausta Maximiani filia jam susceperat.

Digitized by Google

MONUMENTA VETERA
AD DONATISTARUM HISTORIAM PERTINENTIA.
AB ANNO CHRISTI CCCIII AD ANNUM CCCL.

ANNO CHRISTI CCCIII.

Origo schismatis donatiani (1).

Primo loco audi qui fuerint traditores, et plenius auctores schismatis disce. In Africa duo mala et pessima admissa esse constat : unum in traditione, alterum in schismate ; sed utraque mala et uno tempore, et iisdem auctoribus videntur esse commissa. Debes ergo, frater Parmeniane, discere, quod intelligeris ignorare. Nam ferme ante annos sexaginta et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas ; quæ alios fecerit martyres, alios confessores ; nonnullos funesta prostravit in morte (2), latentes dimisit illæsos. Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti (3)? quid ministros plurimos ? quid diaconos in tertio ? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos ? Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illius temporis, ut damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ legis impie tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Rusiccadensis, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, et homicida Purpurius Limatensis (4) qui interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus est, dicens : *Et occidi, et occido, non eos solos, sed et quicumque contra me fecerit* (5). Et Menalus (6), qui ne thurificasse a suis civibus probaretur, oculorum dolorem fingens ad consessum suorum procedere trepidavit. Hi et cæteri, quos principes tuos fuisse paulo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem (7) (quia basilicæ necdum fuerant restitutæ), in domum Urbani Carisi conseserunt die 3 iduum maiarum, sicut scripta Nundinarii tunc diaconi testantur (8), et vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem (9) in novissima parte istorum libellorum, ad

(1) Ex sancto Augustino, tom. IX, col. 774.

(2) Germanensis vetus codex, *funestam prostravit in mortem.*

(3) Verbum, *suffulti*, abest a Germanensi codice.

(4) In eodem ms., *Liniatensis.*

(5) Ex Optato, l. I, ad veterem codicem Germanensem recensito et correcto.

(6) *Menalius*, in Germanensi ms. Vide epistolam Constantini ad Celsum.

(7) « Persecutionem tradendorum codicum » appellat Augustinus in l. III contra Cresconium, n. 29; et Cirtensis istius concilii tempus notat in Brevic. Collat., n. 32.

(8) Vide Gesta apud Zenophilum consularem.

(9) In Optati editis additur, *rerum.* Abest a Germanensi codice ut subintelligatur, *membranarum.*

A implendam fidem adjunximus. Ili episcopi interrogante Secundo Tigisitano, traditisse se confessi sunt. Et cum ipse Secundus a Purpurio increparetur, quod et ipse diu apud stationarios (1) fuerit, et non fugerit, sed dimissus sit, non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat : jam omnes erecti (2) cœperant murmurare ; quorum spiritum Secundus metuens, consilium accepit a filio fratris sui Secundo minore, ut talem causam Deo servaret. Consulti sunt qui remanserant, id est Victor Garbiensis, Felix a Rotario, et Nabor a Centurion (3). Ili dixerunt talem causam Deo debere servari. Et dixit Secundus, *Sedete omnes :* tunc dictum est ab omnibus, *Deo gratias.* Et sederunt. Habes ergo, frater Parmeniane, qui manifesto fuerint traditores. Deinde non post longum
B tempus iidem ipsi, tot et tales ad Carthaginem profecti traditores thurificati (4), homicidæ, Majorinum, cujus tu cathedram sedes, post ordinationem Cæciliani ordinaverunt, schisma facientes. Et quoniam traditionis reos principes vestros fuisse monstratum est, consequens erit ostendere eosdem fuisse et auctores schismatis. Quæ res ut clara et manifesta esse omnibus possit, ostendendum est ex qua radice sese usque in hodiernum erroris protenderint rami, et ex quo fonte rivulus iste maligni liquoris occulte serpens usque in tempora nostra manaverit. Dicendum est, unde, et ubi, et a quibus ortum constet hoc alterum malum ; quæ convenerint causæ, quæ fuerint operatæ personæ, qui auctores hujus mali, qui nutritores ; a quibus sint inter partes de imperatore
C postulata judicia, qui sederint judices, ubi sit actum concilium, quæ sint prolatæ sententiæ. De divisione agitur : et in Africa, sicut et in cæteris provinciis, una erat Ecclesia, antequam divideretur ab ordinatoribus Majorini, cujus tu hæreditariam cathedram sedes. Videndum est quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis cathedram sederit alteram, quæ ante non fuerat ; quis altare contra altare erexerit, quis ordinationem fecerit salvo altero ordinato ; quis jaceat sub sententia Joannis apostoli, qui dixit multos antichristos foras exituros : *Quia non erant,*

(1) Germanensis ms. , *apud Stationarium*, singulari numero.

D (2) In excusis, *omnes hæretici.* Emendatur ex manuscripto Germanensi.

(3) Germanensis ms. : *Victor Gabrensis, Felix a Rotario, et Nabor a Centurionis.*

(4) In editis, *conjurati.* Aptius in Germanensi ms., *thurati ;* seu, *thurificati.*

Digitized by Google

inquit, *nostri ; nam si essent nostri, mansissent nobiscum* (I *Joan.*, II, 18, 19). Ergo qui in una manere cum fratribus noluit, hæreticos secutus, quasi antichristus foras exivit. Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat : per Lucillam scilicet nescio quam, feminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum et potum, os, nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur : et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione discessit irata. Irascenti et dolenti, ne disciplinæ succumberet, succurrit subito persecutionis innata tempestas. Iisdem temporibus Felix quidam diaconus, qui propter famosam nescio quam de tyranno imperatore tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens apud Mensurium episcopum delituisse dicitur. Quem cum postulatum Mensurius publice denegaret, relatio missa est. Rescriptum venit, ut si Mensurius Felicem diaconum non reddidisset, ad palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro et argento plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quæ quasi fidelibus senioribus commendavit, commemoratorio facto, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur : ita ut si ipse non rediret, reddita pace christianis, anicula illa illi redderet, quem in episcopali cathedra sedentem inveniret. Profectus causam dixit, jussus est reverti, ad Carthaginem pervenire non potuit. Tempestas persecutionis peracta et definita est : jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio libertas christianis est restituta. Botrus et Celesius (1), ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, ut absentibus Numidis soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, et manus ei imponente Felice Autumnitano episcopus ordinatur. Botrus et Celesius de spe sua dejecti sunt. Tunc brevis auri et argenti (2) sedenti Cæciliano, sicuti delegatum a Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Convocantur supra memorati seniores, qui faucibus avaritiæ commendatam ebiberant prædam : cum reddere cogerentur, subduxerunt communioni pedem (3). Non minus et ambitores, quibus ordinari non contigit : necnon et Lucilla, quæ jam dudum ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis, potens et factiosa femina, communioni misceri noluit. Sic tribus convenientibus causis et personis factum est ut malignitas haberet effectum. Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitio nutrivit, avaritia roboravit. Ab his tribus personis contra Cæcilianum causæ conflictæ sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigisitanum missum est (1), ut Carthaginem veniretur. Proficiscuntur omnes supra memorati traditores : suscepti hospitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non a catholicis, quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Interea ad basilicam, ubi cum Cæciliano tota civica frequentia fuerat (2), nullus de supra dictis accessit. Tunc a Cæciliano mandatum est : *Si est quod in me probetur, exeat accusator et probet.* Illo tempore a tot inimicis nihil in illum potuit confingi : sed de ordinatore suo, quod ab iis falso traditor diceretur, meruit infamari. Iterum a Cæciliano mandatum est, ut *si Felix in se*, sicut illi arbitrabantur, *nihil contulisset, ipsi tamquam adhuc diaconum ordinarent* Cæcilianum. Tunc Purpurius solita malitia fretus, quasi et Cæcilianus filius sororis ejus esset, sic ait : *Exeat huc quasi ut imponatur illi manus in episcopatu, et quassetur illi caput de pœnitentia.* His rebus compertis tota Ecclesia Cæcilianum tenuit, ne se latronibus tradidisset. Illo tempore aut reus debuit expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Ecclesia populis : plena erat cathedra episcopalis : erat altare loco suo, in quo pacifici episcopi retro temporibus obtulerunt, Cyprianus, Carpophorus (3), Lucianus et cæteri. Sic exitum est foras, et altare contra altare erectum est : et ordinatio illicita celebrata est ; et Majorinus, qui lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante episcopus ordinatus est a traditoribus, qui in concilio Numidiæ, ut superius diximus, crimina sua sibi confessi sunt, et indulgentiam sibi invicem tribuerunt. Manifestum est ergo exisse de Ecclesia et ordinatores qui tradiderunt, et Majorinum qui ordinatus est. Interea de suorum criminum fonte, qui apud eos e multorum flagitiorum venis exuberaverat, unum traditionis convicium in ordinatorem Cæciliani derivandum esse putaverunt : providentes quod fama duas res similes uno tempore loqui non posset, ut crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam : et cum possent ipsi ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes ubique litteras, livore dictante conscriptas, quas inter cæteros actus habemus in posterum. Adhuc Carthagine positi præcesserunt se epistolis suis, ut rumoribus falsis cunctorum auribus insererent mendacium, sparsa fama per populos. Et dum de uno celebrata sunt falsa, supra dictorum verissima crimina sub silentio latuerunt. Frequenter solet erubesci de crimine, sed illo tempore non fuit cui erubesceretur : quia præter paucos catholicos peccave-

(1) Germanensis vetus codex constanter, *Cœlestius*. Et sic in se Augustinus in psalmo Abecedario contra Donatistas.

(2) Hic aliquid deesse videtur.

(3) Sic Germanensis ms. At editi, *subduxerunt communioni plebem* : minus recte, siquidem mox dicturus est, totam civicam frequentiam cum Cæciliano fuisse contra schismaticos Donatistas congregatam.

(1) In Germanensi ms., *scriptum est*.

(2) Sic Germanensis ms. At editi, *tota civitas in frequentia fuerat*.

(3) Ex Germanensi ms. additur, *Carpophorus*, qui omissus erat in excusis.

Digitized by Google

rant universi ; et quasi imago (1) fuerat innocentiæ, A inter multos nefas admissum. Parum erat traditionis facinus, quod per Donatum Masculitanum et cæteros supra dictos constabat admissum : etiam ingens flagitium schismatis traditioni junxerunt. Vides ergo, Parmeniane, hæc duo crimina, tam mala, tam gravia, traditionis et schismatis, ad tuos principes pertinere.

(1) Excusi, *et quod imago*. Castigantur ad Germanensem ms.

Episcoporum partis Majorini preces ad Constantinum.

Rogamus te, o Constantine optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit ; et ab hoc facinore immunis est Gallia : nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt : petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, et cæteris episcopis partis Donati.

TENOR EDICTI IN CHRISTIANOS A DIOCLETIANO ET MAXIMIANO LATI ET PROMULGATI.

(*Vide lib. de Morte persecut. Lactantii, t.* VII, *cap.* 12 *et* 13, *col.* 215 *et* 214, *et notas Baluzii in eadem capita col.* 316 *et* 317 *ejusdem tomi.*)

TENOR EJUSDEM EDICTI.

(*E x Eusebio, lib.* VIII *Hist. eccles. cap.* 2.)

De ecclesiarum eversione

Hæc omnia nostris temporibus completa sunt, B tunc cum ædes sacras solo æquari ac funditus subverti ; sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari, oculis nostris vidimus : Et ecclesiarum pastores, alios quidem turpiter modo hic modo illic sese occultantes : alios vero ignominiose comprehensos, et inimicorum ludibrio expositos conspeximus. Tunc cum prout alius sermo propheticus prænotaverat, effusus est contemptus super principes eorum : et errare fecit eos in invio, non autem in via (*Psal.* CVI). Verum nefas mihi esse duco, tristes calamitates quæ ad extremum illis acciderunt, oratione explicare : quippe cum nec dissensiones et injurias quibus ante persecutionem mutuo inter se certarunt commemorare nobis decorum sit. Quamobrem ea duntaxat de illis tradere nobis propositum C est, ex quibus æquitatem divini judicii perspicere possimus. Proinde neque eorum qui in persecutione concussi sunt, nec eorum qui salutis suæ prorsus naufragium fecerunt, et sua sponte in profundum aquarum gurgitem demersi sunt, mentionem facere constitui : sed ea sola in hanc universalem historiam deinceps conjiciam, quæ primum quidem mihi ipsi, deinde vero et posteris usui esse possint. Abhinc ergo eorum qui divinæ religionis testes extiterunt, sacra certamina describere ordiamur. Nonusdecimus agebatur annus imperii Diocletiani, cum mense dystro quem Romani martium vocant, appetente die festo Dominicæ passionis, proposita sunt ubique imperialia edicta, quibus ecclesiæ quidem ad solum usque dirui ; sacri vero codices flammis absumi jubebantur : utque honorati quidem infamia notarentur : plebeii vero libertate spoliarentur, si in christianæ fidei proposito permansissent. Et primum quidem contra nos edictum hujusmodi fuit. Sed non multo post aliæ rursus litteræ supervenerunt, quibus mandabatur ut omnes ubicumque ecclesiarum antistites, primum quidem conjicerentur in vincula ; deinde vero diis sacrificare, omnibus modis cogerentur.

Συντετέλεσται δῆτα καθ' ἡμᾶς ἅπαντα, ὁπηνίκα τῶν μὲν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτουμένους, τὰς δὲ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς· τούς τε τῶν ἐκκλησιῶν ποιμένας αἰσχρῶς ὧδε κἀκεῖσε κρυπταζομένους· τοὺς δὲ ἀσχημόνως ἁλισκομένους, καὶ πρὸς τῶν ἐχθρῶν καταπαιζομένους· ὅτε καὶ κατ' ἄλλον προφητικὸν λόγον, ἐξεχύθη ἐξουδένωσις ἐπ' ἄρχοντας αὐτῶν· καὶ ἐπλάνησεν αὐτοὺς ἐν ἀβάτῳ καὶ οὐχ ὁδῷ ἀλλὰ τούτων μὲν οὐχ ἡμέτερον διαγράφειν τὰς ἐπὶ τέλει συνθρωπὰς συμφοράς· ἐπεὶ καὶ τὰς πρόσθεν τοῦ διωγμοῦ διαστάσεις τε αὐτῶν εἰς ἀλλήλους καὶ ἀτοπίας, οὐχ ἡμῖν οἰκεῖον μνήμῃ παραδιδόναι· διὸ καὶ πλέον οὐδὲν ἱστορῆσαι περὶ αὐτῶν ἔγνωμεν, ἢ δι' ὧν ἂν τὴν θείαν δικαιώσαιμεν κρίσιν. οὐκοῦν οὐδὲ τῶν πρὸς τοῦ διωγμοῦ πεπειραμένων, ἢ τῶν εἰς ἅπαν τῆς σωτηρίας νεναυαγηκότων, αὐτῇ τε γνώμῃ τοῖς τοῦ κλύδωνος ἐκπορῥιφέντων βυθοῖς, μνήμην ποιήσασθαι προήχθημεν· μόνα δὲ ἐκεῖνα τῇ καθόλου προσθήσομεν ἱστορίᾳ, ἃ πρώτοις μὲν ἡμῖν αὐτοῖς· ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς γένοιτ' ἂν πρὸς ὠφελείας· ἴωμεν οὖν ἐντεῦθεν ἤδη τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας τῶν τοῦ θείου λόγου μαρτύρων ἐν ἐπιτομῇ διαγράψοντες. ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας· Δύστρος μέν· λέγοιτο δ' ἂν οὗτος μάρτιος κατὰ Ῥωμαίους, ἐν ᾧ τῆς τοῦ Σωτηρίου πάθους ἑορτὴς εἰσελαυνούσης, ἤπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα, τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν, τὰς δὲ γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι προστάττοντα· καὶ τοὺς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους, ἀτίμους. τοὺς δὲ ἐν οἰκετίαις, εἰ ἐπιμένοιεν ἐν τῇ τοῦ χριστιανισμοῦ προθέσει, ἐλευθερίας στερεῖσθαι προαγορεύοντα, καὶ ἡ μὲν πρώτη καθ' ἡμῶν γραφή, τοιαύτη τις ἦν. μετ' οὐ πολὺ δὲ ἑτέρων ἐπιφοιτησάντων γραμμάτων, προσετάττετο τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προέδρους πάντας τοὺς κατὰ πάντα τόπον, πρῶτα μὲν δεσμοῖς παραδίδοσθαι. εἶθ' ὕστερον πάσῃ μηχανῇ θύειν ἐξαναγκάζεσθαι.

Digitized by Google

ANNO DOMINI CCCIV.

EXECUTIO EDICTI PRÆCEDENTIS IN AFRICA.

ACTA SANCTI FELICIS EPISCOPI.

(*Ex Baluzio t. Misc.* II, *p.* 77.)

MONITUM BALUZII AD ACTA S. FELICIS EPISCOPI TUBYZACENSIS.

Primus, hæc acta edidit Surius, sed valde mendosa et mutila. Postea integriora nobis in tomo duodecimo sui Spicilegii dedit vir clarissimus Lucas Dacherius, ex schedis, ut ipse præfatur, viri item clarissimi Petri Francisci Chiffletii. Nos illa diligenter contulimus cum quatuor antiquis et optimis codicibus manuscriptis bibliothecæ Colbertinæ, et vel ob eam rationem hic addidimus. Præterea cum hinc, sicut ex historia passionis sanctorum Saturnini et Dativi, et ex actis purgationis Felicis episcopi Aptungitani et Cæciliani Carthaginensis, intelligamus originem traditorum, quo nomine nihil aut vulgatius, aut contumeliosius fuit in Ecclesia Africana, peti ex initio persecutionis quam describit Lactantius, officii nostri esse arbitrati sumus cum ille conjungere vetera illius ævi monumenta sincera quæ reperiri possent, emendata ex fide veterum exemplarium.

Incipit Passio sancti Felicis episcopi Tubyzacensis, qui propter legem Domini decollatus est 18 *kalendas februarii.*

In diebus illis, Diocletiano octies et Maximiano A septies coss. Augustis, exivit edictum eorumdem Cæsarum vel imperatorum super omnem faciem terræ, et propositum est per colonias et civitates principibus et magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos extorquerent de manibus episcoporum et presbyterorum. Tunc programma positum est in civitate Tubyzacense die nonarum januariarum. Tunc Magnilianus curator ipsius civitatis jussit ad se perduci presbyteros, quia Felix episcopus Carthaginem erat profectus, Januarium presbyterum, Fortunatium et Septiminum lectores jussit ad se perduci. Quibus Magnilianus curator dixit: Episcopum habetis? Januarius presbyter respondit: Habemus. Magnilianus curator dixit: Ubi est? Januarius presbyter respondit: Nescio. Magnilianus dixit: Libros deificos habetis? Januarius respondit: Habemus. Magnilianus dixit: Date illos igni aduri. Januarius presbyter, Fortunatius et Septiminus lectores dixerunt: Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus curator dixit: Eritis ergo sub officio donec Annulino proconsuli rationem reddatis. Postera autem die Felix episcopus a Carthagine venit Tubyza. Cumque ejus adventum Magnilianus comperisset, statim eum sibi per officium præsentari constituit. Qui cum dicto citius advenisset, Magnilianus curator dixit ad eum: Tu es Felix episcopus hujus civitatis? Felix episcopus dixit: Ego. Magnilianus curator dixit: Da libros vel membranas qualescumque penes te habes. Felix episcopus dixit: Habeo; sed non trado legem Domini Dei mei quem ego colo. Magnilianus dixit: Ergo major est Deus tuus a diis nostris? Felix episcopus dixit: Grandis et metuendus est Deus noster,

BALUZII NOTÆ.

Incipit passio. Ita codices 59 et 930 bibliothecæ Colbertinæ. At codex 401 sic habet: *Incipit passio sancti Felicis episcopi Bituzacensis* 18 *kal. januarii.* Brevius codex 316, *Passio sancti Felicis episcopi.*

Diocletiano octies. Ita recte omnia vetera exemplaria et editio Dacheriana. Male apud Surium, ubi scriptum est: *Diocletiano novies et Maximiano octies consulibus.* Nam certum est edictum fuisse propositum eo anno quo Diocletianus VIII, et Maximianus VII, consules fuere.

Tunc. Id est, Diocletiano IX et Maximiano VIII, consulibus. Nam hæc referenda sunt ad annum qui sequitur post initium persecutionis; cum hæc acta Carthagine et in Africa sint mense januario.

Tubyzacense. Ita codices 59 et 930. Sed codex 401 habet *Tubizocense*, 316 et editio Dacheriana *Tubzocense.* Nihil autem moror editionem Surianam, quam tot veterum exemplarium consensus ostendit esse mendosam in hoc loco. Hæc civitas in codice 930 vocatur Tupuza pro Tubyza, nullo discrimine. Nota enim est permutatio litterarum. Tubyzam ego puto fuisse civitatem Numidiæ, eam fortassis cujus episcopus Frumentius Tubusicensis, ut apud Victorem Vitensem legit Abrahamus Ortelius, nominatus reperitur inter episcopos qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei anno sexto regis Vandalorum Hunerici. Sed in editionibus Sirmondi et Chiffletii legitur *Tubursicensis.* In collatione porro prima Carthaginensi cap. 121, mentio est servi Dei episcopi Turbursicensis Buræ, cap. 142, Maurentii episcopi ecclesiæ Tubursicensis, et cap. 202, Januarii episcopi de Tubursicu seu Tubursico Numidiarum. Certe tanta est difficultas in constituendis veris nominibus civitatum Africæ, propter eorum inter se similitudinem et affinitatem, ut affirmare non ausim utrum hic apud Victorem legendum sit *Tubusicensis*, quemadmodum in codice suo vidit Ortelius, an *Tubursicensis*, ut alii. Nam, exempli gratia, in notitia illa episcoporum Africæ Rusticus episcopus Tipasensis nominatur inter episcopos Numidiæ, et Reparatus Tipasitanus inter episcopos Mauritaniæ Cæsariensis. Rursum inter episcopos provinciæ Byzacenæ ponitur Felix Forontonianensis, et paulo post Bonifacius Frontonianensis. Sufficiunt enim hæc exempla. Interim omittendum non est, in eadem collatione Carthaginensi cap. 187, nominari Martinianum loci Tibuzabetensis episcopum.

Magnilianus. Ita constanter scriptum est in veteribus libris bibliothecæ Colbertinæ. Ado et Dacherii editio habent *Magnellianus*, Suriana et Martyrologium Romanum *Magdellianus.*

Ubi est. Hanc totam pericopen, quæ in codicibus 401 et 930 non invenitur, exhibent codices 59 et 316, et editio Dacheriana. Eamdem habet etiam Suriana.

Date illos igni aduri. Hanc jussionem Magniliani curatoris et responsionem martyrum defuisse in veteri exemplari Chiffletii hinc colligi potest, quod omissa est in editione Dacheriana. Eam tamen exhibent omnia nostra vetera exemplaria (uno 316 excepto) et editio Surii. Et sane constat sensum non esse integrum in illis exemplaribus quæ illam magistratus interlocutionem et clericorum responsionem non habent.

Digitized by Google

qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Nam dii vestri lapides sunt, manu hominum facti, de quibus scriptum est : *Oculos habent et non videbunt, aures habent et non audient, os habent et non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis.* Magnilianus curator dixit : Primum est quod imperatores jusserunt, quia nihil est quod loqueris. Quapropter trade libros omnes quos habes, ut possint, sicut constitutum est, igni aduri. Felix episcopus dixit : Melius est ut corpus meum tradam igni quam Scripturæ dominicæ per me videantur aduri : quia bonum est Deo obedire perpetuo regi et immortali quam imperatori hujus sæculi iniqua jubenti. Magnilianus dixit : Jam dixi tibi quia primum est quod imperatores jusserunt quam ea quæ loqueris. Felix episcopus dixit : Primum est præceptum Dei custodire quam hominibus obedire. Magnilianus curator dixit : Interim in hoc triduum recogita tecum ; quia si in hac propria civitate ea quæ præcepta sunt implere neglexeris, ad proconsulem ibis, et ea quæ nunc loqueris, apud ejus acta prosequeris. Post diem autem tertium Magnilianus curator jussit sibi sanctum Felicem episcopum præsentari. Ad quem cum Felix episcopus fuisset adductus, idem Magnilianus dixit : Deliberasti tecum quidnam melioris consilii videaris assequi ? Felix dixit : Sermo meus unus est : in quo cœpit, in hoc etiam Deo præsule finiet. Quæ enim primo locutus sum, hæc et nunc eadem loquor, et ante proconsulem aliud penitus non sum dicturus. Magnilianus curator dixit : Ibis ergo jam nunc ad proconsulem, et ibi redditurus es in examine rationem. Tunc viros suos his allocutus est verbis : Quoniam Felix episcopus juxta imperatorum decreta ea quæ nobis mandare dignati sunt facere nullo modo maturavit, vobis comitantibus Carthaginem perducatur. Felix episcopus dixit : Deo gratias. Tunc designatus est illi ductor Vincentius nomine decurio civitatis Tubyzacensis. Profectus est autem Felix episcopus Carthaginem. Ubi cum venisset, oblatus est legato proconsulis. Cui idem legatus dixit : Quare Scripturas non tradis supervacuas ? Felix episcopus dixit : Habeo quidem, sed non do. Scripturæ quæ a nobis habentur, supervacuæ non sunt, nec tradi a nobis ullo modo possunt. Tunc jussit eum legatus in ima carceris mitti. Ubi cum Felix episcopus fuisset ingressus, Dominum Deum suum deprecatus est dicens : Domine Deus, omnium creator et conditor, Domine Jesu Christe, ne me derelinquas, quia propter te et propter testamentum tuum hæc patior. Miserere mei, et recipe spiritum meum, et derelinque in hoc sæculo corpus mortale, ut a te, Domine, sicut promittere dignatus es, tecum merear suscipere immortale. In te enim semper, Domine, vivens, numquam adversus me habebit mors potestatem. Post dies autem sedecim, hora noctis quarta, de carcere productus Felix episcopus Anulini proconsulis illico est præsentatus aspectibus. Cui Anulinus proconsul dixit : Quod tibi nomen est ? Felix episcopus dixit : Christianus sum. Anulinus proconsul dixit : Non te de vocabulo quæsivi professionis, sed percunctatus sum quo nomine nuncuperis. Felix episcopus dixit : Sicut tibi jam dixi, hoc nunc et iterum dico, quia Christianus sum et episcopus. Tunc iratus Anulinus proconsul quod ei nomen suum dicere noluisset, ait illi : Habes Scripturas supervacuas ? Felix episcopus dixit : Habeo Scripturas ; sed non sunt, ut asseris, supervacuæ : quas cognosce a me nequaquam esse tradendas. Tunc Anulinus proconsul transmisit eum Romæ ad præfectum prætorii. Cumque Felix episcopus ibidem advenisset, et eidem præfecto oblatus fuisset, jussit eum in carcere recipi et majoribus vinculis alligari. Post dies autem duodecim jussit eum præfectus prætorii post imperatores navigare. Tunc Felix episcopus navem conscendit catenarum duris nexibus colligatus, et fuit in subsanio navis quatuor diebus et quatuor noctibus jacens sub pedibus equo-

BALUZII NOTÆ.

Apud ejus Acta. Hæc est vera et germana lectio. Male in codicibus 59, 401 et 930 : *apud eum actu.*

Examine. Ita codices 401 et 930. Alii habent *examinatione.*

Tunc viros suos. Mirum est quomodo fieri potuerit, ut depravatissima lectio hic obrepserit in codicibus 59, 401 et 930 ; ubi legitur : *Uxor itaque ejus virum suum iis allocuta est verbis.*

Nullo modo. In eisdem tribus codicibus scriptum est *nulla ratione.*

Ut a te, Domine. Hæc est lectio eorumdem trium veterum exemplarium. Sed codex 346 et editio Dacheriana habent : *Attende, Domine, sicut nobis promittere dignatus es, ut tecum merear suscipere immortalitatem.* Nos retinuimus lectionem quæ sincerior esse videtur, et quæ plurium veterum exemplarium auctoritate nititur.

Numquam adversus me. Secuti hic quoque sumus fidem veterum librorum. Nam editio Dacherii habet : *numquam inimicus adversus me habebit potestatem.*

Sedecim. Codex 401 Colbertinus habet *duodecim.*

Non te de vocabulo. In quatuor vetustis codicibus Colbertinis legitur : *Non tibi vocabulum quæsivi professionis.*

Ad præfectum prætorii. Editio Suriana addit *Idibus Julii*, inepte sane. Nam cum ista agerentur mense januario, ridiculum est dicere martyrem missum fuisse idibus juliis ad præfectum prætorio. Neque vero illud incidisse potuit etiam in idus februarias. Quippe Felix episcopus apprehensus est postridie nonas januarii, deinde triduo repositus in carcere ut secum deliberaret an scripturas deificas traditurus esset, quarto postea die missus est ad proconsulem, post dies sedecim quam Carthaginem pervenisset, proconsuli oblatus est, et tunc missus Romam ad præfectum prætorio. Fiunt dies unus et viginti. Adde aliquot dies pro itinere a Tubyza usque ad Carthaginem. Missus est ergo Felix Romam sub finem mensis januarii.

Duodecim. Ita quatuor exemplaria bibliothecæ Colbertinæ. Dacheriana editio habet *quatuordecim.* Suriana *novem.*

Post imperatores. Id est, ad Maximianum Herculium, qui tenebat Italiam, quem vero tum in Campania fuisse propterea certum est.

Subsanio. Ita tria vetera exemplaria. Quartum habet *subsannio*, editio Dacheriana *subsanno.* Surius : *et fuit in capsa navis diebus quatuor.* Ex quo patet per subsanium vel subsannium intelligi debere imam partem navis.

Digitized by Google

rum, panem non comedens, nec aquæ quippiam bibens. Jejunus autem venit Nolam. Tunc cognitor ejusdem civitatis venientem Felicem episcopum sibi præsentari constituit vinculis gravioribus innodatum. Cui idem cognitor sic ait : Felix, quomodo huc venisti? Felix episcopus dixit : Quomodo Deus voluit. Cognitor dixit : Si in tua propria civitate vel apud Carthaginem Scripturas deificas tradidisses, ad me huc usque minime advenisses. Felix episcopus dixit : Habeo quidem Scripturas divinas; sed, sicut diversis inquirentibus me respondisse non nescis, hoc etiam tibi præsens modo certissime manifesto, quia eas nullo modo trado. Cognitor dixit : Si Scripturas deificas tradere nolueris, capite plecteris. Felix episcopus dixit : Plus paratus sum plecti capite quam libros dominicos sacrilegio tradere. Tunc memoratus cognitor jussit ut sacra imperatorum recitarentur. Cumque a Vincentio scriba quæ constituta fuerant legerentur, cognitor dixit : Quoniam iste homo tantum in eadem confessione duravit, secundum præceptum hunc eumdem Felicem episcopum gladio animadverti constituo. Felix episcopus elevans oculos ad cœlum dixit : « Deus, gratias tibi ago, qui per quinquaginta et sex annos in isto sæculo virginitatem meam in me custodire dignatus es. Domine Deus cœli et terræ, Domini nostri Jesu Christi Pater, propter te et propter legem tuam et pro timore tuo hoc patior, et cervicem meam flecto ad victimam. Accipe spiritum meum de hoc mortali sæculo. Solus enim es Deus vivens atque invictus et permanens gloriosus in sempiterna sæcula sæculorum. Amen. » Completa hac oratione, ductus a militibus, ibidem, id est, in Nola, decollatus est die octavo decimo kalendas februarii, ibique in Nola corpus ejus positum est, et reliquiæ ejus ad almam Carthaginem per religiosos Dei servos et matris Ecclesiæ filios perlatæ sunt et positæ in via quæ dicitur Scillitanorum. In eodem autem venerabili loco multa mirabilia fiunt, et languores universi curantur in nomine Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Deo Patre honor et laus et gloria in Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EADEM ACTA

Ex veteri editione Suriana collata ad editiones Mombritii, Baronii, Cotelerii, Baluzii et Acherii : atque ad mss. Cod. Ursicampi 1, *S. Cornelii Compendiensis* 1, *S. Victoris Parisiensis* 1, *Cœlestinorum Parisiensium* 1, *S. Mariani Autisiodorensis* 1,

A Prout edita est ab eruditissimo Theodorico Ruinart, presbytero et monacho Benedictino congregationis S. Mauri, inter acta sincera et selecta primorum martyrum, p. 374 et seq.

Admonitio Theodorici Ruinart in acta sancti Felicis Episcopi et Martyris.

1. Cum animadverterent christianæ religionis hostes plurimum ad fidelium animos in suo proposito confirmandos valere divinarum Scripturarum lectiones, codicibus sacris bellum indixere, mandantes ut ubique terrarum flammis absumerentur. Hoc edictum per omnes imperii Romani provincias promulgatum, multos Ecclesiæ martyres peperit, præcipueque in Africa, ubi complures hac occasione mortem pertulere : alii vero qui pœnarum metu perterriti prodiderunt sacros codices, famoso *Traditorum* nomini originem præbuerunt. Cumque nomen istud Cæciliano episcopo Carthaginensi cæterisque catholicis Donatistæ attribuissent, multis tumultibus ecclesia Africana agitata fuit. Inter alios autem qui pro sacrorum librorum defensione martyrium in Africa pertulerunt, primus recensetur Felix episcopus, cujus Acta quæ a variis referuntur, ex veteri Suriana editione mutuati sumus, propterea quod ibi sinceriora et puriora haberi videantur : tametsi inficiari nolim aliquot loca aliarum editionum ac codd. mss. ope restitui aut saltem illustrari debere; quæ singillatim expendenda sunt.

2. Primo inquirendum est cuinam civitati Felix episcopus præfuerit. Ex quatuor codd. mss. bibliothecæ Colbertinæ, ad quos hujus martyris Actorum editionem adornavit eruditus Baluzius, tom. II Miscellaneorum, duo Felicis sedem appellant *Tubisacensem* : quibus consentiunt alii codd. mss., unus scilicet bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis, alter RR. PP. cœlestinorum ejusdem urbis, ac tertius sancti Melanii Redonensis, ut discimus ex aliquot schedis ante istius bibliothecæ incendium descriptis, quæ penes nos sunt. Alii vero 2 codd. Colbertini et unus sancti Cornelii Compendiensis, cum Mombritio et editione Acheriana Spicilegii tom. XII, *Tubizocensem* seu *Tubzocensem* aut *Tubzuzensem* præferunt : quibus consentiunt aliquot vetera martyrologia. At *Tibiurensem* appellat vetus editio Suriana, pro quo nomine *Thibarensem* reposuit cardinalis Baronius, ad annum 302, num. 118 ; quod nomen in novæ editionis Surianæ Acta invectum est. Quæ vero ex his lectio præferenda sit, incertum : cum nulla urbs sub istis nominibus in ullis Africæ

BALUZII NOTÆ.

Gladio anim. constituo. Turbat me locus ille. Nam supra præfectus Felicem misit ad Herculium, nimirum ut causa Felicis finem acciperet in præsentia imperatoris. Et tamen cognitor Nolanæ civitatis judicium sibi præsumit, et Felicem capite plecti jubet. Verum id ita intelligi debet ut cognitor dicatur causam istam suscepisse judicandam *secundum præceptum*, ut dicitur infra, id est ex delegatione Maximiani tum præsentis.

Invictus et permanens. Ita tres vetusti codices Colbertini. Quartus habet, *vivificans permanes.* Editio Dacherii, *vivificans et permanens.*

In Nola. Editio Surii docet hæc acta esse Venusii, quæ civitas est regionis Apuliæ.

Octavo decimo. Hæc est lectio trium veterum exemplarium. In quarto et in editione Dacherii legitur *nonodecimo* : apud Surium, *tertio kalendas septembris.* Sed in vetustis martyrologiis passio sancti Felicis refertur ad diem 9 kal. novembris.

Ad almam. Hæc addita sunt ex codicibus manuscriptis. Epithetum est autem urbis Carthaginis, ut patet etiam ex actis Collationis Carthaginensis inter catholicos et donatistas. Alibi vocatur splendidissima, ut in actis purgationis Felicis Aptungitani, et celsissima, ut in actis Collationis Carthaginensis.

Digitized by Google

notitiis habeatur. Civitas quidem *Thibarensis* aut *Tibarensis* nota est, ad cujus urbis plebem Cyprianus epistolam 58 novæ editionis, alias 56, scripsit; et inter Patres concilii Carthaginensis de Baptismo, *Vincentius a Thibari* sententiam dixit. At Thibaris nomen ex conjectura Baronius reposuit : nullum enim laudat ms. codicem ad id probandum : nec constat an fuerit provinciæ proconsularis. Ad Zeugitanam quidem esse referendam censet Oxoniensis editor in notis ad laudatam epistolam, quamvis antea dixerit in notis ad Concil. Carthag. de baptismo, hanc sibi videri esse Taboram in Mauritania Cæsariensi. Unde non magis certum est Felicem Thibaritanum episcopum fuisse, quam Tubursicensem, ut suspicatur clariss. Baluzius, aut Tuburbitanum, ut ad marginem suæ editionis noster Acherius annotavit. Id tamen est incommodi in priori illa opinione, quod *Tubursicum* urbs Numidiæ fuerit : cum Felix provinciæ proconsularis fuisse videatur, utpote qui a curatore civitatis ad proconsulem missus fuerit : quin et ejus sedes non longe a Carthagine distitisse dicenda est, si Actis Surianis fides adhibeatur, in quibus una die Felix Carthaginem profectus dicitur, et postera die ad sedem suam reversus fuisse.

5. Alterum caput in quo Suriana Acta ab aliis discrepant, Felicis clericos respicit. Hos Surius *Aprum presbyterum*, *Cyrum et Victorem lectores* appellat : quos aliæ editiones cum mss. *Januarium presbyterum*, *Fortunatum* seu *Fortunatianum et Septiminum lectores* vocant. His consentiunt vetera martyrologia quæ Felici *Audactum et Januarium presbyteros*, *Fortunatianum et Septimium lectores*, socios adjungunt. Sed eadem Martyrologia Surio favent in loci designatione. Unanimi quippe consensu referunt Felicem Venusiæ in Apulia martyrium consummasse; quamvis editiones Baluziana et Acheriana cum omnibus mss. quos videre licuit, eumdem Nolæ passum commemorent.

4. Non minus inter se dissentiunt Acta edita in assignando tempore, quo idem sanctus Felix martyrium pertulit. Id die 18 kalendas februarii contigisse cum mss. codd. referunt editiones Acheriana et Baluziana : quod ad 3 kalendas septembris revocat editio Suriana, quam postremam sententiam alteri præferendam censemus. Cum enim edictum de comburendis libris anno 303 Nicomediæ mense martio promulgatum fuerit; vix quisquam sibi persuadeat ipsum nonnisi anno sequenti in Africam pervenisse : quod tamen dicere debent qui primam sententiam amplectuntur. Certum quippe est ex Actis Felicem apprehensum fuisse, statim atque edictum istud in Africa promulgatum fuit. Surianæ editioni favet etiam ipse Actorum contextus, *Diocletiano octies... exivit edictum*, etc. *Tunc programma propositum est*, etc. In altera enim opinione hæc verba, *Tunc programma*, de anno qui his verbis *Diocletiano octies*, etc. designatur, intelligi non potest. Hæc vero omnia optime congruunt cum Suriana seu Baroniana lectione. Nam Diocletiano octies et Maximiano septies Coss., id est anno 303, mense martio, primum edictum adversus christianos de libris comburendis, etc., Nicomediæ latum est : quod quidem edictum ad diversas imperii Romani provincias transmissum, mense junio in Africam pervenit : eoque in civitate, cui Felix episcopus præerat, promulgato, cum ipse sacros libros tradere constanter renueret, ad diversa tribunalia, etiam trans mare perductus, tandem die 30 augusti apud Venusium Apuliæ urbem gladio percussus martyrium complevit. Ejus tamen festivitatem mense octobri celebrant martyrologia Usuardi, Adonis, Romana Rosweydi, Galesinii et Baronii : at die præcedenti recolitur in Flori et Notkeri martyrologiis. Sed his omnibus præferri debet sinceri martyrologii Bedæ auctoritas, cujus verba, quæ Surianam lectionem egregie confirmant, hic describo : 3 *kal. sept.*, *in Venusiana civitate Apuliæ natale SS. Felicis episcopi Tubzocensis, et Audacti, et Januarii presbyteri, et Fortunatiani et Septimini lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magneliano curatore, inde multis diu vinculis et carceribus macerati et in Africa et in Sicilia; tandem in occisione gladii consummati sunt. Felix quinquaginta sex annorum virgo obiit. Sunt autem inter Carthaginem et Tibzocam* (mss. in margine *Tibiucam*, an *Tibisram*) *millia passuum triginta quinque*. Eadem usque ad hæc verba, *sunt autem*, etc., habentur in vetustissimo cod. ms. Christinæ Reginæ Sueciæ apud Florentinium, et apud Lucam Holstenium in animadversis ad martyrologium Romanum ad diem 30 augusti : nisi quod Januarius inter Felicis socios non recensetur : sed exprimitur dies quo tenti sunt, 18 kalendas julii. Porro nostri Felicis memoria apud Græcos etiam celebris est, qui ejus festum die 16 aprilis commemorant.

ACTA

SANCTI FELICIS EPISCOPI ET MARTYRIS,

Ex codd. mss. et editis.

I. Diocletiano octies et Maximiano septies consulibus, Augustis, exivit edictum imperatorum et Cæsarum, super omnem faciem terræ; et propositum est per colonias et civitates principibus et magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos peterent de manu episcoporum et presbyterorum. Tunc programma positum est in civitate Tibiurensi, die nonarum juniarum. Tunc Magnilianus (*al.* Magnellianus) jussit ad se perduci seniores plebis. Eadem die Felix episcopus Carthaginem fuerat profectus. Aprum vero presbyterum ad se jussit perduci, et Gyrum (*Bar.* Cyrum) et Vitalem lectores. Quibus Magnilianus curator dixit : Libros deificos habetis? Aper dixit : Habemus. Magnilianus curator dixit : Date illos igni aduri. Tunc Aper : Episcopus noster apud se illos habet. Magnilianus curator dixit : Ubi est?

NOTÆ THEODERICI RUINART.

1. *Diocletiano et Maximiano*. Suriana editio mendose, *Diocl.* IX et *Max.* VIII. Mendosius sine ullo ms. Baronius, *Constantio Chloro et Galerio Maximiano* IV.

Eadem die. Hæc verba desunt in aliis ed. et mss.

Digitized by Google

Aper dixit : Nescio. Magnilianus curator dixit : Eritis ergo sub officio, donec Anulino proconsuli rationem reddatis.

II. Postera autem die Felix episcopus venit Carthagine Tibiuram. Tunc Magnilianus curator jussit Felicem episcopum ad se perduci per officialem. Cui Magnilianus curator dixit : Felix episcope, da libros vel membranas quascumque habes. Felix episcopus dixit : Habeo, sed non do. Magnilianus curator dixit : Prius est quod imperatores jusserunt, quam quod tu loqueris. Da libros, ut possint igni aduri. Felix episcopus dixit : Melius est me igne aduri, quam Scripturas deificas : quia bonum est obedire Deo magis quam hominibus. Magnilianus curator dixit : Prius est quod imperatores jusserunt, quam id quod tu loqueris. Felix episcopus dixit : Prius est præceptum Domini quam hominum. Magnilianus dixit : Recogita tecum.

III. Post tertium autem diem jussit curator Felicem episcopum ad se perduci, et dixit ei : Recogitasti tecum ? Felix episcopus dixit : Quæ prius locutus sum, et modo loquor, et ante proconsulem ea sum dicturus. Magnilianus curator dixit : Ibis ergo ad proconsulem, et ibi rationem reddes. Tunc assignatus est illi Vincentius Celsinus decurio civitatis Tibiurensium.

IV. Tunc profectus est Felix a Tibiura, octavo kalendas julias ligatus deductus est ; ligatum vero jussit in carcerem trudi. Alia autem die productus est Felix episcopus ante lucem : cui dixit proconsul : Quare scripturas supervacuas non reddis ? Felix episcopus dixit : Habeo, sed non dabo. Tunc jussit eum alligatum in ima carceris mitti. Post sexdecim autem dies Felix episcopus productus est de carcere in vinculis, hora noctis quarta, ad Anulinum proconsulem : cui dixit Anulinus : Quare scripturas supervacuas non reddis ? Felix episcopus respondit : Non sum eas daturus. Tunc jussit illum Anulinus proconsul ad præfectum prætorio mitti, idibus julii. Tunc præfectus jussit eum suo carcere recipi, et majoribus vinculis ligari. Post dies autem novem jussit eum præfectus ad imperatores navigare.

V. Tunc Felix episcopus ascendit navim cum vinculis magnis, et fuit in capsa navis diebus quatuor. Volutatus sub pedibus equorum panem et aquam non gustavit : jejunus in portum pervenit, et in civitate Agrigento exceptus est a fratribus cum summo honore. Inde venerunt in civitatem nomine Catanam : ibi similiter sunt excepti. Inde Messanam venerunt. Inde Taurominium : ibi similiter sunt excepti. Postea fretum navigarunt in partes Lucaniæ civitatem, nomine Rulo. Inde profecti sunt Venusium, quæ est civitas regionis Apuliæ. Tunc præfectus jussit Felicem de vinculis eripi, et dixit : Felix, quare scripturas dominicas non das ? aut forsitan non habes ? Cui respondit : Habeo quidem, sed non do. Præfectus dixit : Felicem gladio interficite. Felix episcopus dixit voce clara : Gratias tibi, Domine, qui me dignatus es liberare.

VI. Et ductus est ad passionis locum (cum etiam ipsa luna in sanguinem conversa est) die tertio kalendas septembris. Felix episcopus elevans oculos in cœlum, clara voce dixit : Deus, gratias tibi. Quinquaginta et sex annos habeo in hoc sæculo. Virginitatem custodivi, evangelia servavi, fidem et veritatem prædicavi. Domine Deus cœli et terræ, Jesu Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum ; cui est claritas et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen.

ACTA MARTYRUM

SATURNINI PRESBYTERI, FELICIS, DATIVI, AMPELII ET ALIORUM,

Ex Baluzio, Miscell. t. II, p. 56, ex ms. cod. Bibl. Colbert.

MONITUM BALUZII

ad acta sanctorum Saturnini, Dativi et sociorum.

Addidimus hunc titulum ex codice 930 bibliothecæ Colbertinæ. Decrat enim in editionibus Surii et Henschenii. Cum autem ille sit vetus, et in eo quædam, quæ ad historiam sanctorum martyrum pertinent, contineantur quæ in actis ipsis non habentur, visum est alicujus momenti eum dare qualem invenimus in veteri codice. Scripta sane sunt ista, quod negari non potest, ab aliquo Donatista, sed docto et erudito ; dignaque mihi visa sunt quæ cum Lactantio conjungerentur, cum ob similitudinem argumenti, tum ob elegantiam sermonis. Quamquam enim ea non sint ipsamet acta martyrum quæ in collatione Carthaginensi laudata sunt, ut apparet ex sancto Augustino, opus est tamen antiqui scriptoris, et qui non admodum remotus fuit ab ævo Diocletiani. Fal-

NOTÆ THEODERICI RUINART.

IV. *Deductus est. Ed. ol. et mss. add.* Carthaginem. *Proconsul.* Hæc quæstio in aliis edit. et mss. coram proconsulis legato habita dicitur ; hinc forte supra legendum, *Legatus eum jussit in carcerem trudi* ; et hic, *proconsulis legatus : Quare*, etc.

Jussit. Aliæ ed. et mss. *Transmisit eum Romæ.* At ex his quæ sequuntur in utraque editione hic præfectus videtur tunc in Africa fuisse.

V. *In portum pervenit.* Aliæ ed. et mss. *pervenit Nolam*, ubi ab ejus civitatis Cognitore interrogatus, et capite damnatus est. Mirum est autem hunc martyrem ad imperatores transmissum, a cognitore aut alio quolibet condemnatum fuisse : nisi forte ii ex imperatoris speciali mandato, qui tunc in ea regione versabatur, agerent. Porro aliqui codd. asserunt Felicis corpus Carthaginem delatum fuisse.

Agrigento. Agrigentum, Catana, Messana et Tauromininum, Siciliæ civitates notissimæ, olim episcopales sub Panormitano metropolita, cui nunc solum Agrigentum subjicitur ; nam Messana in metropolim erecta est, Catana archiepiscopum Montis-Regalis agnoscit. Tauromininii vero sedes episcopalis extincta est.

Rulo. Hujus civitatis nomen in Italiæ notitiis non habetur, Lucania vero olim pars erat magnæ Græciæ, quæ basilicatæ hodiernæ, regni Neapolitani provinciæ, magnam partem cum aliquot vicinis regionibus comprehendebat. Venusium vero civitas est episcopalis sub Acherontino Metropolitano, ad radices Apennini montis, principatus titulo ornata.

Digitized by Google

luntur ergo vehementer qui auctoritate Augustini abutuntur ut probent ea esse ipsa proconsularia gesta excepta a notariis, cum e contra ex testimonio Augustini colligatur non extare hodie ea gesta, sed tantum historiam quam Donatista ille ex iisdem gestis concinnavit. Nam Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. 17, docet gesta martyrum notata fuisse Diocletiano IX et Maximiano VIII consulibus, pridie idus februarii, cum in hoc libro scriptum simpliciter sit, absque ulla temporis nota, bellum ex quo orti sunt traditores commotum fuisse temporibus Diocletiani et Maximiani. Præterea quæ in capite 16 et sequentibus dicuntur de Mensurio et Cæciliano, ea profecto non pertinent ad gesta proconsularia, et lecta in collatione Carthaginensi non fuisse recte observatum est a Baronio.

Incipiunt confessiones et actus martyrum Saturnini presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelii cæterorumque infra scriptorum, qui propter collectas et scripturas dominicas sub Anulino tunc proconsule Africæ die pridie idus februarii Carthagine Dominum confessi, diversis locis temporibusque discretis beatissimum sanguinem profuderunt.

I. Qui religionis sanctissimæ fide exultat et gloriatur in Christo, quique dominica veritate gaudet, errore damnato, ut Ecclesiam catholicam teneat, sanctamque communionem a profana discernat, acta martyrum legat, quæ necessario in archivo memoriæ conscripta sunt, ne sæculis transeuntibus obsolesceret gloria martyrum et damnatio traditorum. Aggredior itaque cœlestes pugnas novaque certamina gesta per fortissimos milites Christi, bellatores invictos, martyres gloriosos, aggredior, inquam, ex actis publicis scribere, non tam ingenio præditus, quam civili quo illis sum amore conjunctus, consultu quidem hoc faciens, duplici scilicet modo, ut et imitatoribus eorum ad martyrium animos præparemus, et quos vivere in perpetuum atque cum Domino Christo regnare confidimus, etiam confessionis ipsorum pugnas atque victorias, cum in litteris digerimus, æternæ memoriæ conferamus. Sed non invenio, fratres dilectissimi, quibus utar exordiis, quove principio laudis aggrediar sanctissimorum martyrum felicissimam confessionem. Magnis enim rebus magnisque virtutibus rapior: et quidquid est quod in ipsis aspicio, hoc totum divinum atque cœleste admiror, in devotione fidem, in vita sanctitatem, in confessione constantiam, in passione victoriam. Quæ res quanto solæ in suis virtutibus fulgent, tanto sunt omnes in singulis martyribus clariores. Placet igitur in principio causam ipsius belli tractare totiusque mundi discrimen necessario breviter omni celeritate discurrere; ut agnita veritate, et præmia Martyrum et pœnas quis noverit traditorum.

II. Temporibus namque Diocletiani et Maximiani bellum diabolus Christianis indixit isto modo ut sacrosancta Domini testamenta Scripturasque divinas ad exurendum peteret, basilicas dominicas subverteret, et ritus sacros cœtusque sanctissimos celebrari Domino prohiberet. Sed non tulit exercitus Domini Dei immane præceptum, sacrilegamque jussionem perhorruit; et mox fidei arma corripuit, descendit in prælium, non tam contra homines quam contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo gentilibus Scripturas dominicas atque testamenta divina profanis ignibus comburenda, a fidei cardine cecidere nonnulli, conservando tamen eas, et pro ipsis libenter suum sanguinem effundendo, fortiter fecere quamplurimi, quique pleni Deo, devicto atque prostrato diabolo, victricem palmam in passione gestantes, sententiam in traditores atque in eorum consortes, qua illos ab Ecclesiæ communione rejecerant, cuncti martyres proprio sanguine consignabant. Fas enim non fuerat ut in Ecclesia Dei simul essent martyres et traditores. Advolabant igitur undique versum ad certaminis campum immensa agmina confessorum: et ubi quisque hostem repererat, castra illic dominica collocabat. Namque in civitate Alutinensi in domo Occani Felicis, cum bellica caneret tuba, do-

BALUZII NOTÆ.

I. *In archivo memoriæ.* Infra, cap. 9. *Ejusque confessionem in memoriam una cum cæterorum confessionibus redigens.* Ubi Baronius annotat memoriam dictum fuisse locum in quo gesta proconsularia asservabantur. Verum cum id nullo veterum testimonio comprobet, et res obscura sit, nondum mihi persuasum est veram esse interpretationem illam. Notum est fuisse in palatio Imperatorum magistros memoriæ, qui dictabant ad memoriam, de quibus multa pro suo more dixit Salmasius in Notis ad scriptores historiæ augustæ pag. 207 et 480. Verum hæc memoria diversa fuit ab ea cujus hic mentio. Puto autem hic memoriam significare codices publicos, in quibus causæ scribebantur quæ in foro agitabantur, ne earum memoria aboleretur. Sed in initio hujus historiæ, ubi legitur acta martyrum ideo in archivo memoriæ conscripta esse ne sæculis transeuntibus obsolesceret gloria martyrum, existimo eam vocem diverso sensu positam esse, et hic non referri ad codices publicos, quorum custodia non erat penes clerum, sed ad libros Ecclesiasticos, in quibus conscripta erant gesta martyrum ad memoriam omnium sempiternam.

II. *Testamenta.* In codice Colbertino scriptum est, *sacramenta*, id est, mysteria: quod eodem recidit.

Alutinensi. Ita Surius et codex Colbertinus. Editio Henschenii habet *Abitinensi*, ex duobus antiquis codicibus, ut ipse ait. Sane in collatione Carthaginensi legimus Maximum et Victorem episcopos Abitinenses, et in concilio Carthaginensi sub Cypriano adfuit Saturninus episcopus ab Abitinis. Ego tamen, qui scio periculosam esse quamlibet mutationem in nominibus propriis, præcipue vero in nominibus civitatum Africæ, veterem lectionem retinui.

Occani. In codice Colbertino legitur *octavi*. Sic etiam in Trevirensi scriptum fuisse admonet Henschenius.

Bellica tuba. Ne quis existimare possit hæc dicta esse more rhetorum, non autem stylo simpliciter historico, proferendus est locus insignis ex actis sanctæ Euphemiæ martyris, quæ hac ipsa persecutione fervente ad Deum translata est apud Chalcedonem. Illic ergo scriptum est fuisse in ea civitate *templum Martis et insigne illius simulacrum. Vocabant autem edicta cives ad festum et eos qui habitabant circa Chalcedonem. Minabantur vero mortem et supplicia iis*

Digitized by Google

minica signa gloriosi martyres erexerunt; ubique celebrantes ex more dominica sacramenta, a coloniæ magistratibus atque ab ipso stationario milite apprehenduntur, Saturninus presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore et Felice lectoribus, Maria sanctimoniali, Hilarione infante, itemque Dativus, qui et senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Guinalius, Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Elautus, Felix, Margareta major, Honorata, Regiola, Victorianus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, secunda Matrona, Januaria.

III. Qui apprehensi producebantur alacres ad forum. Adhuc in primum certaminis campum prior Dativus ibat, quem sancti parentes candidum senatorem cœlesti curiæ genuerunt. Ibat etiam presbyter Saturninus numerosa vallatus propagine liberorum: cujus partus partem sibi sociam martyrio destinavit, partem sui nominis pignus Ecclesiæ relinquebat. Hos agmen dominicum sequebatur, in quo fulgebat cœlestium splendor armorum, scutum fidei, lorica justitiæ, salvationis galea, et gladius bifrons sermo Dei: quorum præsidio fulti, spem victoriæ fratribus promittebant. Sed jam ad supradictæ civitatis pervenerunt forum. Ibi primum congressi, confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In isto namque foro jam pro scripturis dominicis dimicaverat cœlum, cum Fundanus civitatis quondam episcopus scripturas dominicas traderet exurendas: quas cum magistratus sacrilegus igni apponeret, subito imber sereno cœlo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro scripturis dominicis, elementis furentibus, devastabatur. De hac igitur civitate martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt; directique ad Carthaginem, alacres ac læti per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant. Qui cum ad officium Anulini tunc proconsulis pervenirent, starentque in acie constanter ac fortiter, sævientis impetus diaboli dominica constantia retundebant. Sed cum non contra omnes simul milites Christi diabolica rabies prævaleret, singulos in certamina postulavit. Quorum certaminum pugnas non tam meis exequar quam martyrum dictis; ut et sævientis hostis audacia in tormentis atque in ipsa sacrilega invectione noscatur, et Christi Domini præpotentis virtus in tolerantia martyrum atque in ipsa confessione laudetur.

IV. Cum igitur ab officio proconsuli offerrentur, suggereretur quod a magistratibus Alutinensium transmissi essent Christiani qui contra interdictum Imperatorum et Cæsarum collectam dominicam celebrassent, primum proconsul Dativum interrogat cujus esset conditionis et utrum collectam fecisset: qui cum se christianum et in collecta fuisse profiteretur, auctor ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur, statimque jubetur officium eumdem in equuleum sublevare extensumque ungulis præparare. Sed cum carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, starentque sævientes in dictis, et denudatis ad vulnera martyris lateribus, erectis ungulis imminerent, subito sese per medium Thelica fortissimus martyr tormentis subjecit et clamavit, Quia christiani sumus nos, Nos, inquit, collegimus. Statimque proconsulis furor exarsit, et ingemiscens, spiritali gladio graviter vulneratus, martyrem Christi gravissimis ictibus tutudit, in equuleum suspensum extendit, ungulis perstridentibus laniavit. At contra gloriosissimus Thelica martyr media de ipsa carnificum rabie hujusmodi preces Domino cum gratiarum actione effundebat: Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei Filius, libera servos tuos. Talia precanti proconsul, Quis est, inquit, auctor tecum congregationis vestræ? Qui crudelius sævienti carnifici clara voce respondit: Saturninus presbyter et omnes. O martyrem primatum omnibus dantem. Non enim presbyterum fratribus prætulit, sed presbytero fratres confessionis consortio copulavit. Quærente igitur proconsule Saturninum, ostendit non quod illum prodiderit, quem secum adversus diabolum pariter dimicare cernebat, sed ut illi panderet integre se celebrasse collectam, quando cum ipsis etiam presbyter fuerat. Manabat igitur cum voce sanguis Dominum deprecantis, et præceptorum Evangelii memor, inimicis suis veniam martyr in ipsa corporis sui laniamenta poscebat. Inter ipsos namque vulnerum gravissimos cruciatus, tortores pariter et proconsulem his vocibus exprobrabat. Injuste facitis, infelices, contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad hæc peccata. Peccatis, infelices, adversus Deum facitis. Custodimus præcepta Dei altissimi. Injuste agitis, infelices; innocentes laniatis. Non sumus homicidæ, non fraudem fecimus. Deus, miserere. Gratias tibi ago. Pro nomine tuo, Domine, da sufferentiam. Libera servos tuos de captivitate hujus sæculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere. Et cum ictibus ungularum concussa fortius latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, proconsulem sibi dicentem audivit: Incipies sentire quæ vos pati oporteat. Et adjecit: Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incor-

BALUZII NOTÆ.

ad quos erant venturæ, si non persuaderentur ut adorarent dæmones. Tubæque clare sonantes et terribiliter erant signum conveniendi ad templum. Acta sancti Alexandri martyris hac ipsa persecutione sublati, apud Surium die 13 Maii: *Itaque omnes audita præconum voce et tubæ clangore, parati erant cum imperatore in Jovis templo præsto esse.*

IV. *In ipsa laniamenta.* Ita omnino codex Colbertinus. Idem autem hoc loco valet vox *in* ac *inter*; ut infra, cap. 11, *animam in tormenta carceris ponens.*

Digitized by Google

ruptum. Domine Jesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus; tu es spes nostra, tu es spes Christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Cui talia oranti cum a diabolo per judicem diceretur, custodire te oportuit jussionem Imperatorum et Cæsarum, defatigato jam corpore, forti atque constanti sermone victor animo proclamavit: Non curo nisi legem Dei, quam didici. Ipsam custodio, pro ipsa moriar, in ipsa consumor, præter quam non est aliud. Talibus itaque dictis gloriosissimi martyris in suis tormentis magis ipse Anulinus torquebatur: cujus tandem rabies ferocitate saginata, postea recluſum in carcere, passione condignum martyrem destinavit.

V. Post hunc Dativus a Domino in certamine erigitur, qui Thelicæ ad fortissimum prælium de proximo conjunctus est: qui cum pendendo in equuleo extensus, se voce sæpius repetita christianum esse et collectam fecisse fortiter proclamaret, emersit sanctissimæ Victoriæ martyris frater, vir sane togatus, sed a religionis christianæ sanctissimo cultu ipsis temporibus alienus; qui suspensum in equuleo martyrem profanis vocibus hactenus arguebat: Hic est, ait, Domine, qui per absentiam patris nostri, nobis hic studentibus, sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate una cum Secunda et Restituta ad Alutinensem coloniam secum usque perduxit, quique numquam domum nostram ingressus est nisi tunc quando quibusdam persuasionibus puellares animos illiciebat. Sed non tulit Victoria clarissima martyr Domini collegam et commartyrem suum falso appeti Senatorem, statimque christiana libertate prorumpens, Nullius, inquit, persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Alutinensem coloniam veni. Hoc possum per cives probare. Omnia mea sponte atque voluntate perfeci. Nam et in collecta fui, et dominicum cum fratribus celebravi, quia christiana sum. Tunc impudens advocatus maledicta exaggerabat in martyrem. Et contra martyr gloriosus de equuleo cuncta vera responsione solvebat.

VI. Inter hæc Anulinus ardescens, premi ungulas in martyrem jubet. Statim carnifices nuda præparataque ictibus latera cruentis vulneribus invenerunt. Advolabant truces in manus jussis velocibus, secretaque pectoris, diruptis cutibus visceribusque divulsis, nefandis aspectibus profanorum annixa crudelitate pandebant. Inter hæc martyris mens immobilis; et licet membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen martyris integer inconcussusque perdurat. Denique dignitatis suæ memor Dativus, qui et Senator, tali voce preces Domino sub carnifice rabiente fundebat: O Christe Domine, non confundar. His dictis, beatissimus martyr quod a Domino poposcerat, tam facile meruit quam breviter postulavit. Denique mox proconsul mente concussa, lingua volente parcere prosilivit. Cessavere carnifices. Fas enim non erat martyrem Christi in commartyris suæ Victoriæ causa torqueri. Namque cum contra eum etiam Pompeianus suspicionis indignæ sævus accusator accederet, calumniosamque conjungeret actionem, despectus a martyre est et percussus. Quid agis hoc in loco, diabole? Quid contra martyres Christi adhuc usque conaris? A Senatore Domini ac martyre et potestas simul et forensis rabies superata est. Sed clarissimus martyr etiam pro Christo tortus, cum interrogatus utrum in collecta fuisset, profiteretur constanter et diceret cum collecta fuisset se supervenisse et dominicum cum fratribus congrua religionis devotione celebrasse auctoremque ejusdem collectionis sanctissimæ unum fuisse, in sese rursus proconsulem acrius excitavit; cujus recrudescente sævitia, geminata martyris dignitas iterato ungulis sulcantibus exaratur. At martyr ad vulnerum cruciatus sævissimos pristinam suam repetens orationem, Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est presbyter noster.

VII. Hujus cum latera, duri trucisque carnificis magistra crudelitate monstrante, aduncis ungulis raderentur, Saturninus presbyter ad prælium postulatur: qui cœlestis regni contemplatione consideratis parva admodum ac levia suos commartyres sustinere, congredi etiam ipse taliter cœpit. Nam dicente proconsule, Tu contra jussionem imperatorum et Cæsarum fecisti, ut hos omnes colligeres, respondit presbyter Saturninus, Domini Spiritu suggerente securus: Dominicum celebravimus. Proconsul ait: Quare? Respondit: Quia non potest intermitti dominicum. Qui mox ut hæc dixit, contra Dativum statim jubet aptari. Spectabat interea Dativus laniamenta corporis sui potiusquam dolebat, et cujus ad Dominum mens animusque pendebat, nihil dolorem corporis æstimabat; sed tantum Dominum precabatur dicens: Subveni, rogo, Christe, habe pietatem, serva animam meam, custodi spiritum meum, non confundar. Rogo, Christe, da sufferentiam. Cui cum a proconsule diceretur, Ex hac splendidissima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, et non contra præcepta imperatorum et Cæsarum facere, fortius atque constantius acclamabat: Christianus sum. Qua voce diabolus superatus, Parce, inquit. Simulque illum in carcerem tradens, passioni condignæ martyrem reservavit.

VIII. At vero presbyter Saturninus recenti martyrum sanguine delibutus, cum penderet in equuleo, admonebatur in eorum fide persistere in quorum cruore perstabat. Hic cum interrogaretur utrum auctor ipse esset et omnes ipse adunasset, et diceret: Etiam, ego præsens in collecta fui, Emeritus lector ad certamen exiliens, congrediente presbytero: Ego sum auctor, inquit, in cujus domo col-

BALUZII NOTÆ.

VII. *Ad bonam mentem.* Vide quæ dicta supra sunt ad caput XXXIV Lactantii, lib. de Mort. persecut., tom. VII, col. 219.

Digitized by Google

lecta facta fuit. At proconsul qui jam totiens victus fuerat, impetus Emeriti perhorrebat; et tamen in presbyterum versus, Quare contra præceptum, inquit, faciebas, Saturnine? Cui Saturninus : Intermitti dominicum non potest, ait. Lex sic jubet. Tunc proconsul : Non tamen debuisti prohibita contemnere, sed observare potius, et non rem facere contra præceptum imperatorum. Et meditata jamdiu in martyribus voce, terrorem suæ iræ commovit; cui non pigro paretur obsequio. Nam carnifices in senile corpus presbyteri ruunt, et grassante rabie, rupta nervorum connexione, discerpunt. Ingemiscenda supplicia et novi generis in sacerdotem Dei exquisita tormenta videres, quasi in pabulo vulnerum famis rabie sævire carnifices, apertisque visceribus, ad horrorem videntium inter ruborem sanguinis, ossa nudata pallere, et nec inter moras torquentium, exclusam animam corpus supplicio pendente deserere. At tali voce Dominum presbyter precabatur : Rogo te, Christe, exaudi. Gratias tibi ago, Deus : Jube me decollari. Rogo, Christe, miserere. Fili Dei, subveni. Cui proconsul : Quare contra præceptum facis? Et presbyter : Lex sic jubet, lex sic docet, inquit. O admiranda satis ac prædicanda presbyteri doctoris divina responsio! Legem sanctissimam etiam in tormentis presbyter prædicat, pro qua libenter supplicia sustinebat. Legis denique voce deterritus Anulinus : Parcam, inquit, eumque in custodiam carceris redigens, exoptato supplicio destinavit.

IX. At vero Emerito applicito, in tua, inquit proconsul, domo collectæ factæ sunt contra præcepta imperatorum? Cui Emeritus sancto Spiritu inundatus : In domo mea, inquit, egimus dominicum. At ille : Quare permittebas, ait, illos ingredi? Respondit : Quoniam fratres mei sunt, et non poteram illos prohibere. Sed prohibere, inquit, illos debuisti. At ille : Non potui, ait, quoniam sine dominico non possumus. Statim etiam ipse in equuleo jubetur extendi extensusque vexari. Qui cum validos ictus innovato carnifice pateretur : Rogo, ait, Christe, subveni. Contra præceptum Dei facitis, o infelices. Et interloquenti proconsuli : Non oportuerat te eos suscipere, respondit : Non potueram quin susciperem fratres meos. At proconsul sacrilegus : Sed prior, inquit, erat jussio imperatorum et Cæsarum. Contra religiosissimus martyr, Deus, inquit, major est quam imperatores. Rogo, Christe, tibi laudes. Christe Domine, da sufferentiam. Cui talia precanti hæc proconsul injecit : Habes ergo scripturam aliquam in domo tua? Et respondit : Habeo, sed in corde meo. Et proconsul : In domo, inquit, tua habes, an non? Emeritus martyr ait : In corde meo illas habeo. Rogo, Christe, tibi laudes. Libera me, Christe, in nomine tuo. Breviter patior, libenter patior. Christe, non confundar. O martyrem apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis sacræ idoneum diligentemque custodem, qui traditorum facinus perhorrescens, scripturas dominicas, ne perderet, inter secreta sui pectoris collocavit. Quo cognito, proconsul : Parce, inquit. Ejusque confessionem in memoriam una cum cæterorum confessionibus redigens : Pro vestris meritis omnes, inquit, secundum confessionem vestram pœnas meritas persolvetis.

X. Sed jam ferina rabies ore cruento tormentis martyrum saginata languebat. Sed cum Felix nomine et passione processisset in prælium, ecclesque Domini omnis incorrupta invictaque perstaret, tyrannus mente prostratus, voce demissus, anima et corpore dissolutus : Spero vos, inquit, hanc partem potius eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis. Contra quæ confessores Domini, invicti martyres Christi, tanquam ex uno ore dixerunt : Christiani sumus, non possumus nisi Domini legem sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire. Qua voce percussus inimicus Felici dicebat : Non quæro utrum christianus sis, sed an collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas. O stulta judicis et ridenda interrogatio! Christianus, inquit, utrum sis tace. Et addidit : Si in collecta fuisti? Respondit : Quasi christianus sine dominico possit, aut dominicum sine christiano celebrari. An nescis, Satanas, in dominico christianum et in christiano dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse? Cum nomen audieris, frequentiam Domini disce; et cum collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris a martyre et rideris, tali responsione confunderis. Collectam, inquit, gloriosissime celebravimus, ad scripturas dominicas legendas in dominicum convenimus semper. Qua confessione confusus graviter Anulinus, fustibus cæsum, exanimem, cœlesti concilio martyrem properantem ad siderea tribunalia, expleta passione, consociat.

XI. Sed Felicem sequitur alius Felix nomine pariter et confessione atque ipsa passione consimilis. Pari etenim virtute congressus, etiam ipse fustium læsione quassatus, animam in tormenta carceris ponens, superioris Felicis est martyrio copulatus. Post hos suscepit certamen Ampelius custos legis, scripturarum divinarum fidelissimus conservator. Hic quærente proconsule an in collecta fuisset, hilaris atque securus alacri voce respondit : Cum fratribus, inquit, feci collectam, dominicum celebravi; et scripturas dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas. Christe, tibi laudes refero. Exaudi, Christe. Qui cum hæc dixisset, cervicibus contusis, quasi jam in tabernaculum dominicum lætus cum fratribus relegatur. Hunc sequitur Rogatianus : qui confessus Domini nomen, supradictis fratribus jungebatur illæsus. Quintus vero Applicitus, egregie nomen Domini magnificeque confessus, cæsus fustibus in carcerem truditur, condigno martyrio reservatus. Hunc sequebatur et Maximianus, in confessione par, in congressione consimilis, in victoriæ triumphis æqualis. Post quem junior Felix spem salutemque Christianorum dominicum esse proclamans, cum similiter etiam ipse fustibus cæderetur : Ego, inquit, devota mente celebravi dominicum, collectam cum fratribus feci, quia chris-

Digitized by Google

tianus sum. Qua confessione supradictis fratribus meruit etiam ipse sociari.

XII. At junior Saturninus, martyris Saturnini presbyteri progenies, in certamen optatum festinus accessit, approperans patris virtutibus gloriosissimis adæquari. Cui cum proconsul furibundus diabolo suggerente dixisset : Et tu, Saturnine, interfuisti? Respondit Saturninus, Christianus sum. Non a te quæro hoc, ait, sed utrum egeris dominicum. Cui Saturninus respondit : Egi dominicum, quia Salvator est Christus. Quo nomine Salvatoris audito, Anulinus exarsit, et in filium patrium instaurat equuleum. Extensoque Saturnino : Quid, inquit, Saturnine, profiteris? Vides ubi positus sis. Habes aliquas scripturas? Respondit : Christianus sum. Proconsul vero ait : Ego quæro an conveneris et an scripturas habeas. Respondit : Christianus sum. Aliud non est nomen quod post Christum oporteat nos sanctum observare. Qua confessione diabolus inflammatus : Quoniam permanes, inquit, in obstinatione tua, etiam te oportet tormentis affici. Dic an aliquas scripturas habeas. Et ad officium dixit : Vexa illum. Ibant in adolescentis latera paternis vulneribus lassati tortores, et adhuc humectantem in ungulis patrium sanguinem cognato filii cruori miscebant. Videres per hiantium vulnerum sulcos de lateribus antea genitoris sanguinem fluere, et cruorem filii paterno permixtum ungulis rorantibus emanare. At juvenis gemini sanguinis admixtione recreatus, medelam potius quam tormenta sentiebat, et recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat : Scripturas dominicas habeo, sed in corde meo. Rogo, Christe, da sufferentiam. Spes est vitæ. Anulinus inquit : Quare contra præceptum faciebas? Respondit : Quia christianus sum. Quo audito : Parce, inquit. Et statim cessante tormento in patrium consortium relegatur.

XIII. Interea mergebat in noctem horis labentibus dies, et consumptis cum sole tormentis, defecit atra tortorum rabies, et cum sui judicis crudelitate languebat. Sed legiones dominicæ, in quibus Christus, perpetuum lumen, armorum cœlestium corusco splendore fulgebat, fortius atque constantius in certamina prosilibant. Cum vero adversarius Domini tot martyrum præliis gloriosissimis victus, tantisque ac talibus congressionibus superatus, desertus a die, comprehensus a nocte, deficiente jam carnificum rabie, profligaturus cum singulis congredi ulterius non valeret, totius exercitus Domini animos percontatur, devotasque sanctorum mentes tali interrogatione propulsat : Vidistis, inquit, eos qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult ex vobis ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad hæc confessores Domini, gloriosi martyres Christi, læti ac triumphantes simul, non ex proconsulis dictis, sed ex victoria passionis Spiritu sancto ferventes, fortius clariusque tamquam ex uno ore dixerunt : Christiani sumus. Qua voce prostratus est diabolus, et concussus Anulinus confususque, omnes sanctos in carcerem trudens, illos martyrio destinavit.

XIV. Et ne devotissimus feminarum sexus florentissimusque sacrarum virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur, omnes feminæ, Christo Domino auxiliante in Victoria congressæ sunt et coronatæ. Etenim Victoria sanctissima feminarum, flos virginum, decus et dignitas confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturæ bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis et integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio lætabatur. Huic namque ab infantia jam clara pudicitiæ signa fulgebant, et rudibus adhuc annis, apparebat rigor castissimus mentis et quædam dignitas futuræ passionis. Denique postquam plena virginitas ultimum ætatis tempus explevit, cum puella nolens et reluctans in nuptias a parentibus cogeretur, invitamque tradere sponso prædo suggereret, clam se per præceps puella dimittit, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terræ suscipitur. Neque fuerat postmodum pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. Liberata igitur nuptialibus tædis, illusoque simul cum parentibus sponso media pene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad ædem pudicitiæ portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit, ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetuam virginitatem sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit. Hæc ergo ad martyrium properans, florentem pudicitiæ palmam triumphali dextera præferebat. Namque interroganti proconsuli quid profiteretur, clara voce respondit : Christiana sum. Et cum a Fortunatiano fratre togato ejusque defensore vanis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit : Mens mea est, inquit, numquam mutata sum. Ad hæc proconsul : Vis, inquit, ire cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit : Nolo, quia christiana sum; et illi sunt fratres mei qui Dei præcepta custodiunt. O puellam divinæ legis auctoritate fundatam! O virginem gloriosam æterno Regi merito consecratam! O beatissimam martyrem evangelica professione

BALUZII NOTÆ.

XIV. *Ad ædem pudicitiæ*. Id est, ad templum Dei. Figurata et elegans loquendi ratio, ut quæ virginitatem suam dedicare ac consecrare Christo volebat, intelligeretur. De æde pudicitiæ patriciæ, quæ Romæ in foro boario erat ad ædem rotundam Herculis, mentio est apud T. Livium lib. x et Festum. Eam in regione octava fuisse scribit P. Victor.

Sacr. crinem servavit. Non totondit ergo Victoria crinem suum cum se Christo consecravit. Quippe olim feminis Christianis interdictum erat ne comam deponerent, etiam quibus placebat perpetuæ professio continentiæ. Sed tamen paulo post, ut in epistola 48 ad Sabinianum scribit Hieronymus, in Ægypti ac Syriæ monasteriis hic mos fuit ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverent et sæculum conculcarent, crinem monasteriorum matribus offerrent desecandum.

Digitized by Google

clarissimam quæ dominica voce respondit ! Hi sunt fratres mei qui Dei præcepta custodiunt. Quibus auditis, Anulinus deposita judicis auctoritate, ad persuasionem puellæ descendit. Consule tibi, inquit. Vides enim fratrem tuum providere cupientem saluti tuæ. Cui martyr Christi : Mens mea est, inquit, numquam mutata sum. Nam et in collecta fui, et dominicum cum fratribus celebravi, quia christiana sum. Mox cum hæc Anulinus audisset, furiis agitatus exarsit, et puellam sacratissimam martyrem Christi in carcerem una cum cæteris relegans, passioni omnes reservavit.

XV. Sed Hilarianus adhuc supererat, unus de natis presbyteri martyris Saturnini, qui ætatem suam parvulam ingenti devotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans jungi, diras tyranni minas non tam exhorruit quam in nihilum duxit. Huic cum diceretur : Patrem tuum aut fratres tuos secutus es ? subito brevi de corpore vox juvenilis auditur, et angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis : Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo et cum fratribus meis feci collectam. Audiebas patris Saturnini martyris vocem per dulcis filii meatus exire et confitentem Christum Dominum linguam de fratris exemplo secuturam. Sed proconsul stultus, non intelligens contra se non homines, sed Deum in martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingentes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiæ posse terreri. Denique amputabo, inquit, et comam tibi et nasum et auriculas, et sic te dimitto. Ad hæc Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus, qui jam didicerat a majoribus suis tormenta contemnere, clara voce respondit : Quidquid facere volueris, fac, quia christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur; ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur dicentis : Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur, hic diabolus superatur et vincitur, hic martyres Christi de passionis futuræ gloria æterna congratulatione lætantur.

APPENDIX AD ILLA ACTA
QUIBUS CONTINETUR ACCUSATIO DONATISTARUM IN MENSURIUM ET CÆCILIANUM.

De qua Optatus lib. I, § 19 *et* 20, *p.* 18 *et* 19. *Vide ibi notam* 44.

XVI. Verum quoniam nos, ut supra diximus, schismatis tempus admonuit confessionibus tantis ac talibus martyrum decreta conjungere constitutionesque sanctissimas amicorum Dei gestis superioribus catenare, necessario breviter cuncta quæ martyres in carcere ex auctoritate legis divinæ sanxerunt, servandaque posteris reliquerunt, discurram, nec lapsorum superbiam atque audaciam traditorum in hac ipsa mea festinatione præteream. Cogit enim me transcendere nihil gestorum fides, amor legis, Ecclesiæ status, salus publica, vita communis. His enim de rebus Ecclesia catholica quæ sit poterit recognosci, si labes pestifera traditorum nefandis actibus suis sententiaque martyrum omnibus sæculis declaretur. Postquam igitur supradictos martyres Christi exoptatus carcer recepit, confessores qui priores illic detrusi fuerant, victricibus palmis triumphales dexteras venientibus adjungebant. Veniebant præterea ad eumdem locum et ex diversis Provinciæ partibus alii quoque quamplurimi confessores; inter quos erant episcopi, presbyteri, diaconi, cæterique clerici, qui legem Domini asserentes, collectam dominicumque constanter et fortiter celebrabant, quique scripturas dominicas divinaque testamenta de flamma atque de incendio conservantes, seipsos diris ignibus cruciatibusque diversis, Machabæico more, pro divinis legibus obtulerunt.

XVII. Ea igitur tempestate, cum horridus carcer crassæque tenebræ intra se clausos retinerent testes fidelissimos Dei, et ingentia catenarum pondera devota membra vincirent, cum debilitaret fames, fatigaret sitis, frigus quateret, turba comprimeret, latera ipsa recenti ungularum laceratione disrupta ferverent, inter catenas et ferrum instrumentaque tormentorum ex auctoritate legis divinæ, quod sibimet posterisque martyribus conservarent, celebrantes concilium, cœlestia decreta condebant. Vere enim vivus ille Spiritus sanctus confessorum mentes æternis aspirando et divinis colloquiis exercebat. Sed post crudelem tempestatem ac persecutionis horribiles minas, quibus christianam religionem tyrannica rabies infestaverat, quo iterum purior ac serenior christiani nominis pax æterna lucesceret, nec defuit traditorum omnium callidissima fraus conspiratioque pestiferorum naufragorum diabolica arte composita, quæ sub prætextu religionis religionem impugnaret, fidem everteret, legem divinaque jura turbaret; maxime cum etiam Mensurius Carthaginensis quondam episcopus recenti scripturarum traditione pollutus, sceleris sui amentiam pejore cœpisset ferocia publicare : quippe qui combustorum veniam librorum a martyribus poscere atque implorare debuerat, ut delicta sua majoribus flagitiis cumularet, eo animo sæviebat in martyres quo divinas tradiderat leges. Etenim hic tyranno sævior, carnifice crudelior, idoneum sceleris sui ministrum diaconum suum elegit Cæcilianum; idemque lora et flagra cum armatis ante fores carceris ponit, ut ab ingressu atque aditu cunctos qui victum potumque in carcerem martyribus afferebant, gravi affectos injuria propulsaret. Et cæ-

BALUZII NOTÆ.

XV. *Comam.* Editiones habent *collum*, omnino contra mentem proconsulis. Nam his infantem minis terrere volebat, quo modo si verbera minaretur aut præcipitium ex edito loco, non tamen periculoso. At colli amputatio ultra progreditur, nec inter minas pueriles censeri potest. Melius igitur codex Colbertinus, qui *comam* habet. Sunt enim pueri amatores comarum suarum. Hinc Statii carmen de coma Earini.

XVI. Quæ deinceps sequuntur, quia manifestas calumnias continent in Mensurium episcopum Carthaginensem et diaconum ejus Cæcilianum, qui et ipse postea fuit episcopus Carthaginensis, omissa sunt in secunda editione Surii et Henscheniana.

Digitized by Google

debantur à Cæciliano passim qui ad alendos martyres veniebant, sitientibus intus in vinculis confessoribus pocula frangebantur ante carceris limina, cibi passim lacerandi canibus spargebantur, jacebant ante carceris fores martyrum patres matresque sanctissimæ, et ab extremo conspectu liberorum excussi, graves nocte dieque vigilias ad ostium carceris exercebant. Erat fletus horribilis et acerba omnium qui aderant lamentatio, prohibere pios martyrum complexus, et divelli a pietatis officio christianos, Cæciliano sæviente tyranno et crudeli carnifice.

XVIII. Interea martyres Christi non carceris squalor, non viscerum dolor, non denique ulla rerum penuria commovebat; sed meritis jam Domino et confessione vicini direxerunt in posteros salutem, quæ communem christiani nominis progeniem ab omni recidiva communione traditorum secerneret, tali sub comminatione : *Si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cœlestibus non habebit.* Et hanc sententiam suam sancti Spiritus auctoritate conscriptam tali comparatione firmabant. *Scriptum est*, inquiunt, *in Apocalypsi : Quicumque adjecerit ad librum istum apicem unum aut litteram unam, adjiciat illi Deus innumerabiles plagas ; et quicumque deleverit, deleat partem ejus Dominus de libro vitæ. Si ergo additus apex unus, aut littera una dempta de libro sancto radicitus amputat, et sacrilegum facit, et subvertit auctorem, necesse est omnes eos qui testamenta divina legesque venerandas omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi profanis ignibus tradiderunt exurendas, æternis gehennæ ardoribus atque inexstinguibili igne torqueri. Et ideo, ut supra diximus, si quis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cœlestibus non habebit.* Hæc communicantes singuli ad passionis gloriam festinabant, supremaque testatione unusquisque martyrum cruore proprio consignabat. Exinde Ecclesia sancta sequitur martyres, et detestatur execratæ perfidiæ traditores.

XIX. Igitur cum hæc ita sint, quisnam est divini juris peritia pollens, fide præditus, devotione præclarus, religione sanctus, qui judicis Dei memor veritatem ab errore discernat, a fide perfidiam disjungat, simulationemque fictam a certa et integra sanctitate recludat, separet a stante lapsum, ab integro vulneratum, a justo reum, ab innocente damnatum, a custode legis proditorem, a confessore Christi nominis negatorem, a martyre Domini persecutorem, et unum atque idem esse existimet et Ecclesiam martyrum et conventicula traditorum? Nemo scilicet, quoniam hæc inter se ita repugnant contrariaque sibi sunt ut lux tenebris, vita morti, sanctus angelus diabolo, Christus antichristo, Paulo Apostolo dicente : *Quasi filiis dico, dilatamini et vos, et nolite conjungi cum infidelibus. Quæ est enim participatio justitiæ ad iniquitatem, aut quæ communicatio luminis ad tenebras, quæ particula est fideli cum infideli, quæ est autem conventio templi Dei cum simulacris? Vos autem templum Dei vivi estis. Dicit enim : Quia inhabitabo in eis et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod discedite de medio eorum et separamini, dicit Deus omnipotens, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens* (II *Cor.* VI). Quamobrem fugienda bonis et vitanda est semper religiosis conspiratio traditorum, hypocritarum domus, Pharisæorumque sententia. Utinam adoptiones filiorum filiarumque Dei in sancta Ecclesia spiritaliter nati digne succedant, et non alienis facinoribus immersi, pro luce tenebras et pro vita mortem, interitum sibi pro salute acquirant. Talis est enim Ecclesia Domini, quæ una semper singularisque contra sese et in partes duas dividi non potest, sed post teterrimam persecutionis noctem turbinesque pestiferos tyrannorum, ad deceptionem innocentium prædamque populorum diabolus versutia callidissimæ fraudis adinvenit; ut quos aperta persecutionis clade transvorare non valuit, nec in sacrilego sæculo idolorum servitio mancipandos delictorum nexibus in perpetuam perniciem potuit retinere, eos pollutis traditionibus jungens sibi, sub prætextu sanctissimæ religionis exstinguat. Denique illi falsi sacrorum ritus fictaque mysteria non tam in salutem quam in perniciem miserorum celebrantur, cum erigit altare sacrilegus, celebrat sacramenta profanus, baptizat reus, curat vulneratus, veneratur martyres persecutor, legit Evangelia traditor, hæreditatem cœli promittit divinorum testamentorum exustor : quos Dominus increpat et objurgat in Evangelio dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare et aridam facere unum proselytum, et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ dupliciter plus quam estis vos.* (*Matth.* XXV.) Et propheta polluta eorum sacrificia respuens ait : *Sacrificia eorum tamquam pannus illotus. Omnis qui tetigerit illum, inquinabitur* (*Ose.* IX). Sed et per Aggæum clarissimum Prophetarum : *Interroga*, inquit Dominus, *sacerdotes legem. Si acceperit homo carnem sanctam in summo vestimenti sui, et tetigerit summitas vestimenti ejus aliquam partem panis, vini, aut olei, si sanctificabitur? et dixerunt sacerdotes : Non. Et dixit Aggæus : Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid, si inquinabitur? Et dixerunt sacerdotes : Inquinabitur. Et dixit Aggæus : Sic et populus hic : et gens hæc coram me, dicit Dominus, et omnis quicumque accesserit illic, inquinabitur* (*Agg.* II).

XX. Fugienda est ergo et execranda pollutorum omnium congregatio vitiosa, et appetenda omnibus

BALUZII NOTÆ.

XIX. *Pannus illotus.* Ita codex Colbertinus. Editiones habent, *panis luctus.* Quo etiam modo habetur apud Oseam in omnibus editionibus. Nescio autem unde orta sit hæc lectio in veteri codice. Sed eam confirmant sequentia; ubi pro eo quod in vulgatis Oseæ codicibus legitur, *omnes qui comedent eum contaminabuntur*, scriptum est in veteri codice, *omnis qui tetigerit illum inquinabitur.*

Digitized by Google

beatissimorum martyrum successio gloriosa, quæ est Ecclesia sancta, una et vera catholica, ex qua martyres profecti sunt, et a quibus divina testamenta servata sunt. Hæc enim sola persecutionis infestæ impetum fregit, hæc legem Domini usque ad effusionem sanguinis conservavit : in hac virtutes populi sancti Spiritus præsentia frequentantur, baptisma a Salvatore perficitur, vita perpetua reparatur. Semper enim illis propitius Deus adest, Dominus Christus collætatur, et gaudet Spiritus sanctus, in confessoribus victor, in martyribus triumphator. Postremo cum nec Mensurius, nec minister ejus Cæcilianus ab hac immani crudelitate cessare vellent, Anulino proconsule aliisque persecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres isti, corporeis alimentis destituti, paulatim et per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente, cesserunt et ad siderea regna cum palma martyrii migraverunt, præstante Domino nostro Jesu, qui cum Patre regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EADEM ACTA

EX EDITIONE THEODERICI RUINART.

Ex mss. cod. S. Cornelii Compendiensis 1, *Monasterii B. Petri de Pratellis* 1, *S. Benedicti Floriacensis* 1, *RR. PP. Cælestinorum parisiensium* 1, *RR. PP. Fuliensium* 1, *et editionibus Baluziana et Bollandiana inter se collatis.*

ADMONITIO THEODERICI RUINART

In acta ss. Saturnini et sociorum.

I. Quamvis Saturnini aliorumque martyrum, de quibus hic agimus, nomina apud sanctum Augustinum expressa non habeantur ; nemo tamen dubitat, quin ii ipsi sint, quorum acta a Donatistis producta, et a catholicis ut germana agnita et recepta fuerunt in collatione Carthaginensi, quæ anno 411 inter episcopos catholicos et Donatistas habita est. His actis usi sunt catholici adversus Donatistas, ut ostenderent etiam tempore persecutionis concilium duodecim episcoporum congregari potuisse, quandoquidem tunc Christiani collectas et sacros conventus celebraverant. Id refert Augustinus in Breviculo collationis die 3, cap. 17 : *Catholici*, inquit, *respondebant multo facilius duodecim homines in domum convenire potuisse eo tempore, quo etiam congregationes plebium fieri solebant, quamvis persecutione sæviente, sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se collectam et dominicum egisse.*

II. Verum hæc acta, quæ tunc temporis pura et genuina habebantur, paulo post a Donatistis, ut consulum nomina tollerent, aliquatenus depravata fuere, qui adjunctis initio præfatione brevi, ac in fine longiori appendice, multas calumnias adversus Mensurium Carthaginensem episcopum aliosque catholicos his inseruerunt. Remansere tamen integra ac intacta quæ de quæstionibus publicis a notariis excepta fuerunt, aut saltem quæ ibi collector refert, ex Actis publicis, quod ipsemet attestatur, desumpta sunt : quæ cum, ut ait Baronius, inoffenso percurri possint pede, detractis Donatistarum additamentis, ea proferre visum est. Si quis vero plura cupit, eruditissimum Baluzium adeat, qui tomo II Miscellaneorum integram Donatistæ auctoris collectionem exhibet. Porro hanc nostram editionem ad mss. codd. et editos simul inter se collatos adornavimus.

III. Tempus quo isti martyres passi sunt, ex Augustino discimus loco superius laudato, ubi consulum nomina, quæ nobis Donatistæ invideruntur, his verbis refert : *Gesta martyrum, quibus ostendebatur tempus persecutionis, consulibus facta sunt Diocletiano novies et Maximiano octies, pridie idus februarias*, id est, anno 304, die 12 februarii, quo quidem die eorumdem martyrum memoriam celebrat Usuardus, quam martyrologium Romanum die præcedenti, nescio qua de causa, consignavit. Sed ibi quæstionis quidem, non vero consummati martyrii tempus designatur, ut ex actis patet. De eorum enim morte nihil scimus præter ea quæ ab auctore Donatista his verbis referuntur : *Anulino proconsule aliisque persecutoribus interim circa alia negotia occupatis, beati martyres isti corporeis alimentis destituti, paulatim et per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente cesserunt, et ad siderea regna cum palma martyrii migraverunt, præstante Domino nostro Jesu, qui cum Patre*, etc. His conformis est actorum titulus in codd. mss. Colbertino 1, Compendiensi et Pratellensi, quem ideo actis præmisimus. Et quidem in ipsis actis martyres in carcerem retrusi, *passioni condignæ reservati*, seu *destinati* passim dicuntur. Favet etiam donatistæ scriptori, quod hi sancti martyres non uno, sed diversis diebus, immo et mensibus in kalendario Carthaginensi celebrentur. Nam Rogatus... kal. julii annotatur ; Felix, Eva et Regiola 3 kal. septembris ; Ampellus pridie kal. ejusdem mensis. Januarius.... kal. octobris, et tandem Victoria... kal. novembris. Dubitari tamen potest an Januarius hic memoratus sit ex horum martyrum, de quibus nunc agimus, numero. Videtur enim esse Januarius Beneventanus episcopus, qui cum Sosio, cujus festum in eodem kalendario die sequenti celebratur, Puteolis prope Neapolim passus est. Sic et Victoriæ plures in Africa passæ sunt, ex quibus unam Augustinus laudat inter viginti martyres qui Hippone celeberrimam basilicam habebant, eamque cum Valeriana et Fidentio episcopo enumerat serm. 325, qui de iisdem 20 martyribus, inscriptus est.

IV. Porro plures etiam martyres in Numidia occasione sacrorum librorum occubuisse discimus ex rescriptis Secundi Tigisitani episcopi ad Mensurium Carthaginensem, ubi, teste sancto Augustino in Breviculo collationis die 3, cap. 13. Secundus narrat *in Numidia persecutores quæ egerint, et qui comprehensi, et Scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi, et gravissimis suppliciis excruciati et occisi sunt.* Hæc sub Floro contigere, quem *Numidiæ persecutorem* appellat Optatus lib. III ad Parmenianum.

Digitized by Google

ACTA

SANCTORUM SATURNINI, DATIVI ET ALIORUM PLURIMORUM MARTYRUM IN AFRICA.

Ex codd. mss. et editis inter se collatis.

Incipiunt confessiones et actus martyrum Saturnini presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelii, cæterorumque infra scriptorum, qui propter collectas et scripturas dominicas sub Anulino tunc proconsule Africæ die pridie idus februarii Carthagine Dominum confessi diversis locis temporibusque discretis beatissimum sanguinem profuderunt.

I. Temporibus Diocletiani et Maximiani bellum diabolus Christianis indixit isto modo ut sacrosancta Domini testamenta (*Colb.* sacramenta) scripturasque divinas ad exurendum peteret, basilicas dominicas subverteret, et ritus sacros cœtusque sanctissimos celebrari Domino prohiberet. Sed non tulit exercitus Domini Dei tam immane præceptum, sacrilegamque jussionem perhorruit; et mox fidei arma arripuit, descendit in prælium, non tam contra homines quam contra diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo gentilibus scripturas dominicas atque testamenta divina profanis ignibus comburenda, a fidei cardine cecidere nonnulli, conservando tamen eas, et pro ipsis libenter suum sanguinem effundendo, fortiter finiere (*Ed.* fecere) quamplurimi, quique pleni Deo, devicto atque prostrato diabolo, victricem palmam in passione gestantes, sententiam in traditores atque in eorum consortes, qua illos ab Ecclesiæ communione rejecerant (*Pratel.* rejicerent) cuncti martyres proprio sanguine consignabant. Fas enim non fuerat ut in Ecclesia Dei simul essent martyres et traditores.

II. Advolabant igitur undique versum ad certaminis campum immensa agmina confessorum; et ubi quisque hostem reperiebat, castra illic dominica collocabat. Namque in civitate Abitinensi in domo Octavi Felicis, cum bellica caneret tuba, dominica signa gloriosi martyres erexerunt; ubique celebrantes ex more dominicum, a coloniæ magistratibus atque ab ipso stationario milite apprehenduntur, Saturninus presbyter cum filiis quatuor, id est, Saturnino juniore et Felice lectoribus, Maria, Sanctimoniali, Hilarione (*Boll.* Hilariano) infante, itemque Dativus, qui et Senator, Felix, alius Felix, Emeritus, Ampelius, Rogatianus, Quintus, Maximianus, Thelica, Rogatianus, Rogatus, Januarius, Cassianus, Victorianus, Vincentius, Cæcilianus, Restituta, Prima, Eva, Rogatianus, Givalius (*al.* Guinalius), Rogatus, Pomponia, Secunda, Januaria, Saturnina, Martinus, Dantus, Felix, Margarita, Major, Honorata, Regiola (*Boll.* Regula), Victorinus, Pelusius, Faustus, Dacianus, Matrona, Cæcilia, Victoria, Herectina, Secunda, item Matrona, Januaria: qui apprehensi producebantur alacres ad forum.

III. Ad hoc in primum certaminis campum prior Dativus ibat, quem sancti parentes candidum (*Baron.* candidatum) senatorem cœlesti curiæ genuerunt. Ibat etiam Saturninus presbyter numerosa vallatus propagine liberorum; cujus partus partem sibi sociam martyrio destinavit, partem sui nominis pignus Ecclesiæ relinquebat. Hos agmen dominicum sequebatur, in quo fulgebat cœlestium splendor armorum, scutum fidei, lorica justitiæ, salvationis galea, et gladius bifrons (*al.* vibrans) sermo Dei: quorum præsidio fulti, spem victoriæ fratribus promittebant. Sed jam ad supradictæ civitatis pervenerunt forum. Ibi primum congressi, confessionis palmam magistratus elogio sustulerunt. In isto namque foro jam pro dominicis scripturis dimicaverat cœlum, cum Fundanus ipsius civitatis quondam episcopus scripturas dominicas traderet exurendas: quas cum Magistratus sacrilegus igni apponeret, subito imber sereno cœlo diffunditur, ignis scripturis sanctis admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque ipsa regio pro scripturis dominicis, elementis furentibus, devastatur.

IV. De hac igitur civitate martyres Christi exoptata prima vincula susceperunt, directique ad Carthaginem, alacres ac læti per totum iter hymnos Domino canticaque psallebant. Qui cum ad officium Anulini tunc proconsulis pervenirent, starentque in acie constanter ac fortiter, sævientis impetus diaboli dominica constantia retundebant. Sed cum non contra omnes simul milites Christi diabolica rabies prævaleret, singulos in certamina postulavit. Quorum certaminum pugnas non tam meis exequar quam martyrum dictis; ut et sævientis hostis audacia in tormentis at-

NOTÆ THEODERICI RUINART.

II. *Reperiebat.* Ita cod. Comp. alii mss. cum editis, *repererat.*

Abitinensi. Sic cum 2 mss. Henschenianis cod. Comp. At alii editi et mss. *Alutinensi:* et sic ubicumque in Actis hoc nomen repetitur. Porro Alutina, si urbs unquam fuit, ignota est: Abitina vero civitas est episcopalis in provincia proconsulari, cujus episcopi Victor et Maximus memorantur in collatione Carthag. Vide Augustin., lib. VII contra Donatist. et lib. III contra epist. Parmeniani. Quin et concilio Carthag. sub S. Cypriano adfuit Saturninus episcopus *ab Avitinis.*

Octavi. Sic mss. Colbert. 1, Trevir. apud Henschenium et Cœlestin. At Comp. habet, *Octavii.* Cæteri mss. et editi, *Occani.*

Dominicum. Sic Comp. cum Boll. alii, *dominica cramenta.*

Æva. Boll. *Primæva.* At legendum *Prima, Eva*, ut ex mss. patet, et ex kalendario Carthaginensi, ubi in kal. sept. sic habetur, *Felicis, Evæ et Regiolæ.* Baron. et Surius pro *Eva*, habent *Fua.* Cod. Floriac. *Euva.*

Dantus. Bar. *Datus.* Baluz. *Elautus*, mss. Fuliensis et Pratell., *Clautus.*

Major. Videntur esse diversæ Margarita et Major. Non enim est altera Margarita.

Victorinus. Baluz. cum mss. Ful. et Pratell. *Victorianus.*

Herectina. Boll. hic *Heredina.* In titulo, *Beredina.* ms. Pratel. *Hecretina.*

Item. Soli Boll. habent, *item.* Unde Baluz. *secunda Matrona*, quasi altera Matrona.

III. *Ipsius.* Soli Boll. habent, *ipsius.*

Digitized by Google

que in ipsa sacrilega invectione noscatur, et Christi Domini præpotentis virtus in tolerantia martyrum atque in ipsa confessione laudetur.

V. Cum igitur ab officio proconsuli offeruntur, suggeriturque quod a magistratibus Abitinensium transmissi essent Christiani qui contra interdictum imperatorum et Cæsarum collectam et dominicum celebrassent, primum proconsul Dativum interrogat cujus esset conditionis et utrum collectam fecisset: qui cum se christianum et in collecta fuisse profiteretur, auctor ab ipso collectionis sanctissimæ postulatur; statimque jubetur officium eumdem in equuleum sublevare extensumque ungulis præcidi. Sed cum carnifices jussa crudelia atroci velocitate complerent, starentque sævientes in dictis (*Comp.* in diguitis) et denudatis ad vulnera martyris latcribus, erectis ungulis imminerent, subito sese per medium Thelica fortissimus martyr tormentis objecit (*al.* subjecit), et clamavit: Christiani sumus nos, Nos, inquit, collegimus. Statimque proconsulis furor exarsit, et ingemiscens, spiritali gladio graviter vulneratus, martyrem Christi gravissimis ictibus tutudit, in equuleum suspensum extendit, ungulis perstridentibus lanjavit. At contra gloriosissimus Thelica martyr media de ipsa carnificum rabie hujusmodi preces Domino cum gratiarum actione effundebat: Deo gratias. In nomine tuo, Christe Dei Fili, libera servos tuos.

VI. Talia precanti proconsul, Quis est, inquit, auctor tecum congregationis vestræ? Qui crudelius sæviente carnifice clara voce respondit: Saturninus presbyter et omnes. O martyrem primatum omnibus dantem! Non enim presbyterum fratribus prætulit, sed presbytero fratres confessionis consortio copulavit. Quærente igitur proconsule Saturninum, ostendit, non quod illum prodiderit, quem secum adversus diabolum pariter dimicare cernebat, sed ut illi panderet integre se celebrasse collectam, quando cum ipsis etiam presbyter fuerat. Manabat igitur cum voce sanguis Dominum deprecantis, et præceptorum Evangelii memor, inimicis suis veniam martyr inter ipsa corporis sui laniamenta poscebat. Inter ipsos namque vulnerum gravissimos cruciatus, tortores pariter et proconsulem his vocibus exprobrabat. Injuste facitis, infelices, contra Deum facitis. Deus altissime, noli illis consentire ad hæc peccata. Peccatis, infelices, adversus Deum facitis. Custodite præcepta Dei altissimi. Injuste agitis, infelices, innocentes laniatis. Non sumus homicidæ, non fraudem fecimus. Deus, miserere. Gratias tibi ago. Pro nomine tuo, Domine, da sufferentiam. Libera servos tuos de (*al.* in) captivitate hujus sæculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere. Et cum ictibus ungularum concussa fortius latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, proconsulem sibi dicentem audivit: Incipies sentire quæ vos pati oporteat. Et adjecit: Ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Domine Jesu Christe, christiani sumus, tibi servimus; tu es spes nostra, tu es spes christianorum. Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo reddimus, Domine Deus omnipotens. Cui talia oranti cum a diabolo per judicem diceretur, custodire te oportuit jussionem imperatorum et Cæsarum, defatigato jam corpore, forti atque constanti sermone victor animo proclamavit: Non curo nisi legem Dei, quam didici. Ipsam custodio, pro ipsa moriar, in ipsa consummor, præter quam non est alia. Talibus itaque dictis gloriosissimi martyris in suis tormentis magis ipse Anulinus torquebatur: cujus tandem rabies ferocitate saginata, Parce, inquit, reclusumque in carcerem passioni condignæ martyrem destinavit.

VII. Post hunc Dativus a Domino in certamine erigitur, qui Thelicæ fortissimum prælium de proximo cominus cum penderet equuleo spectaverat extensus: idemque cum se voce sæpius repetita christianum esse, et collectam fecisse fortiter proclamaret, emersit Fortunatianus sanctissimæ martyris Victoriæ frater, vir sane togatus, sed a religionis christianæ sanctissimo cultu ipsis temporibus alienus; qui suspensum in equuleo martyrem profanis vocibus hactenus arguebat: Hic est, ait, o Domine, qui per absentiam Patris nostri, nobis hic studentibus, sororem nostram Victoriam seducens, hinc de splendidissima Carthaginis civitate una cum Secunda et Restituta ad Abitinensem coloniam secum usque perduxit, quique numquam domum nostram ingressus est nisi tunc quando quibusdam persuasionibus puellares animos illiciebat. Sed non tulit Victoria clarissima martyr Domini collegam et commartyrem suum falso appeti senatorem, statimque christiana libertate prorumpens, Nullius, inquit, persuasione profecta sum, nec cum ipso ad Abitinas veni. Hoc possum per cives pro-

NOTÆ THEODERICI RUINART.

V. *Dominicum*. Sic cod. Comp. et recte ut patet non solum ex num. 7 et 8, infra; sed ex ipsomet Augustino in Breviculo collationis die III, cap. 17: *Sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se collectam et dominicum egisse.* Utrumque distinguere videtur Tertull., lib. de Fuga: *Sed quomodo colligemus? quomodo dominica solemnia celebrabimus?* Collecta cuilibet conventui competit; dominicum vero designat sacra mysteria. Cyprian. epist. ad Cæcilium: *Numquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mysticum calicem*, etc. Porro Boll. habent, *collectam sive dominicum;* aliæ edit. et mss. *collectam dominicam.*

Præcidi. Sic Comp., alii mss. et edit., *Præparare*. Officii nomine designantur publici ministri, qui proconsulibus, præsidibus aut magistratibus in publicis muniis inserviebant; hinc officiales.

Thelica. Comp. et Cœlest. *Tuzelita*. Pratell. *Talezita;* et sic deinceps, licet in generali enumeratione, ut cæteri, habeant *Thelica*.

VI. *Victor animo*. Boll. *victrix anima*. Baron. autem et Surius *sermone victor proclamavit*.

VII. *Fortunatianus*. Nomen non exprimitur apud Baron., Sur. et Balux. nec in mss. Fuliensi et Pratell. Aliqui codd. habent *Fortunatius*.

Digitized by Google

bare. Omnia mea sponte atque voluntate perfeci. Nam et in collecta fui, et dominicum cum fratribus celebravi, quia christiana sum. Tunc impudens advocatus maledicta exaggerabat in martyrem. Et contra martyr gloriosus de equuleo cuncta vera responsione solvebat. Inter hæc Anulinus ardescens premi ungulas in martyrem jubet. Statim carnifices nuda præparataque ictibus latera cruentis vulneribus invenerunt. Advolabant truces manus jussis velocibus leviores, secretaque pectoris, disruptis cutibus visceribusque divulsis, nefandis aspectibus profanorum annixa crudelitate pandebant. Inter hæc martyris mens immobilis perstat; et licet membra rumpantur, divellantur viscera, latera dissipentur, animus tamen martyris integer inconcussusque perdurat. Denique dignitatis suæ memor Dativus, qui et senator, tali voce preces Domino sub carnifice rabiente fundebat: O Christe Domine, non confundar. His dictis, beatissimus martyr quod a Domino poposcerat, tam facile meruit quam breviter postulavit.

VIII. Denique mox proconsulis mente concussa, lingua, Parce, prosilivit (*id est* dixit). Cessavere carnifices. Fas enim non erat martyrem Christi in commartyris suæ Victoriæ causa torqueri. Namque cum contra eum etiam Pompeianus suspicionis indignæ sævus accusator accederet, calumniosamque conjungeret actionem, despectus a martyre est et retusus (*al. codd.* percussus). Quid agis hoc in loco, diabole? Quid contra martyres Christi adhuc usque conaris? A Senatore Domini ac martyre et potestas simul et forensis rabies superata est. Sed quoniam debuerat clarissimus martyr etiam pro Christo torqueri, cum interrogatus utrum in collecta fuisset, profiteretur constanter et diceret cum collecta fuisset se supervenisse et dominicum cum fratribus congrua religionis devotione celebrasse auctoremque ejusdem collectionis sanctissimæ non (*in al. deest* non) unum fuisse, in sese proconsulem rursus acrius excitavit; cujus recrudescente sævitia, geminata martyris dignitas iterato ungulis sulcantibus exaratur. At martyr inter vulnerum cruciatus sævissimos pristinam suam repetens orationem, Rogo, ait, Christe, non confundar. Quid feci? Saturninus est presbyter noster.

IX. Ejus cum latera, duri trucisque carnificis magistra crudelitate monstrante, aduncis ungulis raderent, Saturninus presbyter ad prælium postulatur: quique cœlestis regni contemplatione considerans parva admodum ac levia suos commartyres sustinere, congredi etiam ipse taliter cœpit. Nam dicente proconsule: Tu contra jussionem imperatorum et Cæsarum fecisti, ut hos omnes colligeres, respondit presbyter Saturninus, Domini Spiritu suggerente: Securi Dominicum celebravimus. Proconsul ait: Quare? Respondit: Quia non potest intermitti dominicum. Qui mox ut hæc dixit, contra Dativum statim jubetur aptari. Spectabat interea Dativus lanienam corporis sui potius quam dolebat; et cujus ad Dominum mens animusque pendebat, nihil dolorem corporis æstimabat; sed tantum ad Dominum precabatur dicens: Subveni, rogo, Christe, habe pietatem, serva animam meam, custodi spiritum meum ut non confundar. Rogo, Christe, da sufferentiam. Cui cum a proconsule diceretur: Ex hac splendidissima civitate magis debueras alios ad bonam mentem vocare, et non contra præceptum imperatorum et Cæsarum facere, fortius atque constantius acclamabat: Christianus sum. Qua voce diabolus superatus, Parce, inquit. Simulque illum in carcerem trudens, passioni condignæ martyrem reservavit.

X. At vero presbyter Saturninus recenti martyrum sanguine delibutus (*al.* delibuto), cum penderet in equuleo, admonebatur in eorum fide persistere in quorum cruore perstabat. Hic cum interrogaretur utrum auctor ipse esset et omnes ipse adunasset, et diceret, Etiam, ego præsens in collecta fui, Emeritus lector ad certamen exiliens, congrediente presbytero, Ego sum auctor, inquit, in cujus domo collectæ factæ sunt. At proconsul qui jam toties victus fuerat, impetus Emeriti perhorrebat; et tamen in presbyterum versus, Quare contra præceptum faciebas, inquit, Saturnine? Cui Saturninus, Intermitti dominicum non potest, ait. Lex sic jubet. Tunc proconsul: Non tamen debuisti prohibita contemnere, sed observare potius, et non rem facere contra præceptum imperatorum. Et meditata jamdiu in martyribus voce, tortorem sævire commonuit; cui non pigro paretur obsequio. Nam carnifices in senile corpus presbyteri ruunt, et grassante rabie, rupta nervorum connexione, discerpunt illud in gemiscenda supplicia et novi generis in sacerdotem Dei exquisita tormenta. Videres quasi in pabulum vulnerum fame rabida sævire carnifices, apertisque visceribus, ad horrorem videntium inter ruborem sanguinis, ossa nudata pallere, et ne inter moras torquentium, exclusa anima corpus supplicio pendente desereret, tali voce Dominum presbyter precabatur: Rogo, Christe, exaudi me. Gratias tibi ago, Deus: Jube me decollari. Rogo, Christe, miserere. Dei Fili subveni. Cui proconsul: Quare contra præceptum faciebas? Et presbyter, Lex sic jubet, lex sic docet, inquit. O admiranda satis ac prædicandi presbyteri doctoris divina responsio! Legem sanctissimam etiam in tormentis presbyter prædicat, pro qua libenter supplicia sustinebat. Legis denique voce deterritus Anulinus, Parce, inquit; eumque in custodiam carceris redigens, exoptato supplicio destinavit.

XI. At vero Emerito applicito: In tua, inquit proconsul, domo collectæ factæ sunt contra præcepta

NOTÆ THEODERICI RUINART.

VIII. *Parce.* Aliæ edit. *Lingua volente parcere.* Codd. Fuliens. et Comp. *proconsul..... linguæ nolenti parcere;* Baluz. *volenti.*

Inquit. Boll. addunt, *secundum quod profiteris.* Comp. pro *profitaris*, habet, *poteras.*

X. *Commonuit.* Baluz. et Pratell. *terrorem iræ suæ commovit.*

Digitized by Google

imperatorum? Cui Emeritus sancto Spiritu inundatus: In domo mea, inquit, egimus dominicum. At ille: Quare permittebas, ait, illos ingredi? Respondit: Quoniam fratres mei sunt, et non poteram illos prohibere. Sed prohibere, inquit, illos debuisti. At ille: Non poteram (*al.* potui), quoniam sine dominico non possumus. Statim etiam ipse in equuleo jubetur extendi, extensusque vexari. Qui cum validos ictus innovato carnifice pateretur: Rogo, ait, Christe, subveni mihi. Contra præceptum Dei facitis, o infelices! Et interloquendo proconsul, Non oportuerat te, inquit, eos suscipere. Respondit: Non poteram nisi susciperem fratres meos. At proconsul sacrilegus, Sed prior, inquit, erat jussio imperatorum et Cæsarum. Contra religiosissimus martyr, Deus, inquit, major est, non imperatores. Rogo, Christe, tibi laudes refero. Christe Domine, da sufferentiam. Cui talia precanti hæc proconsul injecit: Habes ergo scripturas aliquas in domo tua? Et respondit: Habeo, sed in corde meo. Et proconsul, In domo tua, inquit, habes, an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo. Rogo, Christe, tibi laudes. Libera me, Christe, patior in nomine tuo. Breviter patior, libenter patior. Christe Domine, non confundar. O martyrem Apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. O martyrem legis sacræ idoneum diligentissimumque custodem, qui traditorum facinus perhorrescens, scripturas dominicas, ne perderet, intra secreta sui pectoris collocavit. Quo cognito, proconsul: Parce, inquit. Ejusque professionem in memoriam una cum cæterorum confessionibus redigens, Pro meritis vestris omnes, inquit, secundum confessionem vestram pœnas meritas persolvetis.

XII. Sed jam ferina rabies ore cruento tormentis martyrum saginata languebat. Sed cum Felix nomine et passione processisset in prælium, aciesque Domini omnis incorrupta invictaque perstaret, tyrannus mente prostratus, voce demissus, anima et corpore dissolutus, Spero vos, inquit, hanc partem potius eligere, qua possitis vivere, ut jussiones conservetis. Contra quæ confessores Domini, invicti martyres Christi, tamquam ex uno ore dixerunt: Christiani sumus, non possumus nisi Domini legem sanctam usque ad effusionem sanguinis custodire. Qua voce percussus inimicus Felici dicebat: Non quæro utrum christianus sis, sed an collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas. O stulta judicis et ridenda interrogatio! Christianus, inquit, utrum sis tace. Et addidit: Si in collecta fuisti? Responde: Quasi christianus sine dominico esse possit, aut dominicum sine christiano celebrari. An nescis, Satanas, in dominico christianum et in christiano dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse? Cum nomen audieris, frequentiam Domini disce; et cum collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris a martyre et rideris, tali responsione confunderis. Collectam, inquit, gloriosissime celebravimus, ad scripturas dominicas legendas in dominicum convenimus semper. Qua confessione confusus graviter Anulinus, fustibus cæsum exanimem, cœlesti concilio, martyrem properantem ad siderea tribunalia, expleta passione, consociat. Sed felicem alius sequitur Felix nomine pariter et confessione atque ipsa passione consimilis. Pari etenim virtute congressus, etiam ipse fustium illisione quassatus, animam in tormenta carceris ponens, superioris Felicis est martyrio copulatus.

XIII. Post hos suscepit certamen Ampelius custos legis, scripturarumque divinarum fidelissimus conservator. Ille quærenti proconsuli an in collecta fuisset, hilaris atque securus alacri voce respondit: Cum fratribus feci collectam, dominicum celebravi; et scripturas dominicas habeo mecum, sed in corde meo conscriptas. Christe, tibi laudes refero. Exaudi, Christe. Qui cum hæc dixisset, cervicibus contusus, in carcerem quasi jam in dominicum tabernaculum lætus cum fratribus relegatur (*al.* religatur). Hunc sequitur Rogatianus: qui confessus Domini nomen, supradictis fratribus jungebatur illæsus. Quintus vero applicitus, nomen Domini egregie magnificeque confessus, cæsus fustibus in carcerem truditur, condigno martyrio reservatus. Hunc sequebatur et Maximianus, in confessione par, in congressione consimilis, in victoriæ triumphis æqualis. Post quem junior Felix spem salutemque christianorum dominicum esse proclamans, cum similiter etiam ipse fustibus cæderetur, Ego, inquit, devota mente celebravi dominicum, collectam cum fratribus feci, quia christianus sum. Qua confessione supradictis fratribus meruit etiam ipse sociari.

XIV. At junior Saturninus, martyris Saturnini presbyteri sancta progenies, in certamen optatum festinus accessit, approperans patris virtutibus gloriosissimis adæquari. Cui cum proconsul furibundus diabolo suggerente dixisset: Et tu, Saturnine, interfuisti? Respondit Saturninus: Christianus sum. Non a te quæro hoc, ait, sed utrum egeris dominicum. Cui respondit Saturninus: Egi dominicum, quia Salvator est Christus. Quo nomine Salvatoris audito, Anulinus exarsit, et in filium patrium instaurat equuleum. Extensoque Saturnino: Quid, inquit, Saturnine, profiteris? Vides ubi positus sis. Habes scripturas aliquas? Respondit, Christianus sum. Proconsul vero ait: Ego quæro an conveneris, et an scripturas ha-

NOTÆ THEODERICI RUINART.

XI. *Memoriam.* Hic memoriæ nomine videtur intelligi codex in quo describebantur causæ forenses, quæ coram proconsule agebantur. Hinc memoriales dicti qui ejusmodi instrumenta servabant. De memorialibus videsis Glossar. Cangii.

XII. *Confusus.* Boll. *qua professione concussus.* *Ad siderea.* Boll., *prope ante ipsa tribunalia.*

XIII. *Maximianus.* Boll. et Comp. *Maximus.*

Digitized by Google

beas? Respondit, Christianus sum. Aliud non est nomen quod post Christum oporteat nos sanctum observare. Qua confessione diabolus inflammatus: Quoniam permanes, inquit, in obstinatione tua, etiam tormentis oportet te affici. Dic an aliquas Scripturas habeas? Et ad officium dixit: Vexa illum. Ibant in adolescentis latera paternis vulneribus lassati tortores, et adhuc humectantem in ungulis patrium sanguinem cognato filii cruori miscebant. Videres per hiantium vulnerum sulcos de lateribus nati, antea genitoris sanguinem fluere, et cruorem filii paterno permixtum ungulis rorantibus emanare. At juvenis genuini (*Ed.* gemini) sanguinis admixtione recreatus, medelam potius quam tormenta sentiebat et, recepta in tormentis fortitudine, fortissimis vocibus exclamabat: Scripturas dominicas habeo, sed in corde meo. Rogo, Christe, da sufferentiam. Spes est in te. (*Ed.* vitæ) Anulinus inquit: Quare contra præceptum faciebas? Respondit: Quia christianus sum. Quo audito, parce, inquit. Et statim cessante tormento, in patrium consortium relegatur.

XV. Interea mergebat (*f.* vergebat) in noctem horis labentibus dies, et consumptis cum sole tormentis, defecit atra (*Boll.* defatigata) tortorum rabies, et cum sui judicis crudelitate languebat. Sed legiones dominicæ, in quibus Christus, perpetuum lumen, annorum cœlestium corusco splendore fulgebat, fortius atque constantius in certamina prosiliebant. Cum vero adversarius Domini tot martyrum præliis gloriosissimis victus, tantisque ac talibus congressionibus superatus, desertus a die, comprehensus a nocte, deficiente jam carnificum rabie, profligatus cum singulis congredi ulterius non valeret, totius exercitus Domini animos percontatur, devotasque confessorum mentes tali interrogatione propulsat: Vidistis, inquit, eos qui perseveraverunt, quid sustinuerunt, vel quid in sua confessione perstantes adhuc habeant sustinere. Et ideo qui vult vestrum ad indulgentiam pervenire, ut salvus esse possit, profiteatur. Ad hæc confessores Domini, gloriosi martyres Christi, læti ac triumphantes simul, non ex proconsulis dictis, sed ex victoria passionis Spiritu sancto ferventes, fortius clariusque tamquam uno ex ore dixerunt: Christiani sumus. Qua voce prostratus est diabolus, et concussus (*al.* concidit). Anulinus confususque, omnes in carcerem trudens, sanctos illos martyrio destinavit.

XVI. Et ne devotissimus feminarum sexus florentissimusque sacrarum virginum chorus certaminis tanti gloria privaretur, omnes feminæ, Christo Domino auxiliante, in Victoria congressæ sunt et coronatæ. Etenim Victoria sanctissima feminarum, flos virginum, decus et dignitas confessorum, honesta natalibus, religione sanctissima, moribus temperata, in qua naturæ bonum candida pudicitia relucebat, respondebatque pulchritudini corporis fides pulchrior mentis et integritas sanctitatis, ad secundam palmam restitutam se in Domini martyrio lætabatur. Huic namque ab infantia jam clara pudicitiæ signa fulgebant, et in rudibus jam annis apparebat rigor castissimus mentis, et quædam dignitas futuræ passionis. Denique postquam plena virginitas adultum ætatis tempus explevit, cum puella nolens et reluctans in nuptias a parentibus cogeretur, invitæque sibi traderent sponsum parentes, ut prædonem fugeret, clam sese per præceps puella dimittit, aurisque famulantibus supportata, incolumis gremio terræ suscipitur. Neque fuerat postmodum etiam pro Christo Domino passura, si pro sola tunc pudicitia moreretur. Liberata igitur nuptialibus tædis, illusoque simul cum parentibus sponso, media pene de ipsa nuptiarum frequentia prosiliens, ad ædem pudicitiæ portumque pudoris Ecclesiam intacta virgo confugit, ibique consecrati Deo dicatique capitis in perpetua virginitate sacratissimum crinem inconcusso pudore servavit. Hæc ergo ad martyrium properans, florem pudicitiæ palmam triumphali dextera præferebat. Namque interroganti proconsuli quid profiteretur, clara voce respondit: Christiana sum. Et cum a Fortunatiano fratre togato ejusque defensore vanis argumentationibus mente capta esse diceretur, Victoria respondit: Mens mea est, numquam mutata sum. Ad hæc proconsul: Vis ire, inquit, cum Fortunatiano fratre tuo? Respondit: Nolo, quia christiana sum; et illi sunt fratres mei qui præcepta Dei custodiunt. O puellam divinæ legis auctoritate fundatam! O virginem gloriosam æterno Regi merito consecratam! O beatissimam martyrem evangelica professione clarissimam, quæ dominica voce respondit: Hi sunt fratres mei qui præcepta Dei custodiunt. Quibus auditis, Anulinus deposita judicis auctoritate, ad puellæ persuasionem descendit. Consule tibi, inquit. Vides enim fratrem tuum providere cupientem saluti tuæ. Cui martyr Christi: Mens mea est, inquit, numquam mutata sum. Nam et in collecta fui, et dominicum cum fratribus celebravi, quia christiana sum. Mox cum hæc Anulinus audisset, furiis agitatus exarsit, et puellam sacratissimam, martyrem Christi in carcerem una cum cæteris relegans, passioni omnes dominicæ reservavit.

XVII. Sed Hilarianus adhuc supererat, unus de natis presbyteri martyris Saturnini, qui ætatem suam parvulam ingenti devotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans jungi, diras tyranni minas non tam exhorruit quam in nihilum duxit. Huic cum diceretur: Patrem tuum aut fratres tuos se-

NOTÆ THEODERICI RUINART.

XVI. *Fugeret.* Baluz. et aliquot mss., *invitamque traderesponso præda suggereret.*

Crinem. Hinc colligit Baluzius, virginitatem professas tunc comam non deposuisse. Idem probatur ex Optato, lib. VI, et Ambrosio ad Virginem lapsam, cap. 8. Alia erat consuetudo in Ægypto et Syria, ut refert Hieronymus epistola ad Sabinianum. De hac re vide Menardum nostrum in notis ad Sacramentarium Gregorianum, pag. 212, et Hist. monastic. Orientis lib. I, cap. 12.

Digitized by Google

cutus es? subito brevi de corpore vox juvenilis auditur et angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis : Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo et cum fratribus feci collectam. Audiebas patris Saturnini martyris vocem per dulcis filii meatus exire, et confitentem Christum Dominum linguam de fratris exemplo securam (*al. ed. et mss.* secuturam). Sed proconsul stultus, non intelligens contra se non homines, sed Deum in martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingentes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiæ posse terreri. Denique amputabo, inquit, et comam tibi et nasum et auriculas, et sic te dimitto. Ad hæc Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus, qui jam didicerat a majoribus suis tormenta contemnere, clara voce respondebat : Quidquid facere volueris, fac, quia christianus sum. Mox in carcerem recipi etiam ipse jubetur; ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur dicentis : Deo gratias. Hic certaminis magni pugna perficitur, hic diabolus superatur et vincitur, hic martyres Christi de passionibus futuræ gloriæ æterna congratulatione lætantur.

ANNO DOMINI 314 (1).

GESTA PURGATIONIS FELICIS EPISCOPI APTUNGITANI,

QUI ORDINAVIT CÆCILIANUM EPISCOPUM CARTHAGINENSEM, HABITA CARTHAGINI APUD ÆLIANUM PROCONSULEM AFRICÆ, VOLUSIANO ET ANNIANO COSS.

Edita a Papirio Massono necnon ad finem Optati et a Baluzio Miscell., t. II, p. 81, ex veteri ms. olim Bibl. Thuanæ, nunc Colbertinæ.

MONITUM BALUZII AD ACTA PURGATIONIS FELICIS EPISCOPI, ETC.

Unicum exemplar vetus istorum actorum habuimus ex bibliotheca Thuana, illud ipsum nimirum ex quo collationem Carthaginensem et hæc gesta superiori sæculo desinente edidit Papirius Massonus. Et ille quidem ea postposuerat actis purgationis Cæciliani, ordinem fidemque ejusdem veteris exemplaris secutus. Sed et tempus repugnat, et auctoritas sancti Augustini, qui cum in eumdem errorem incidisset, docuit post-ea lib. II Retractat. cap. 27 absolutionem Felicis præcedere debere. « Absolutionem, inquit, Felicis Aptungensis ordinatoris Cæciliani non hoc ordine posuimus quo postea nobis clarui Consulibus diligenter inspectis, sed tamquam post Cæcilianum fuerit absolutus, cum ante sit factum. » Quo loco respicere eum ad hæc gesta Felicis et Cæciliani satis constat. Item idem Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. 24 : « Inveniet posterius ab imperatore Constantino absolutum esse Cæcilianum quam Felicis causam ab Æliano proconsule discussam atque purgatam. » Sed id tamen intelligendum est de secunda ac tertia Cæciliani absolutione, non autem de prima, qua Cæcilianus absolutus est in concilio Romano, ut recte notat Henricus Valesius in dissertatione de schismate Donatistarum cap. 11. Nam ita docet nos ipse Augustinus in epistola 152, nomine concilii Cirtensis scripta ad Donatistas : « Nam et ordinem Consulum et dierum qui expressus est si quis nunc diligenter advertat, inveniet primo Cæcilianum episcopali judicio fuisse purgatum. Deinde non multo post Felicis Aptungensis causa ab Æliano Proconsule examinata est, ubi eum constitit innocentem, in qua causa ad comitatum mitti jussus est Ingentius. Et longe postea ipse Imperator causam inter partes cognovit atque finivit. » Vide eumdem in libro de unico baptismo contra Petilianum cap. 16, et in libro ad Donatistas post collationem cap. 33. Recte præterea observat idem Valesius maximam partem horum gestorum proconsularium temporis injuria periisse, priorem videlicet, in qua acta municipalia et interrogationes ac professiones curatorum ac stationarii continebantur. Hæc autem ab imperatore Constantino ita fieri jussa sunt, ut omnis criminandi occasio adimeretur Donatistis, qui de synodo Romana sive de Melchiadis Papæ judicio frequentissime apud Constantinum conquesti, affirmabant non omnem causam ab episcopis illic auditam fuisse. Nam Melchiades silentio transmiserat Felicem episcopum Aptungitanum et reliquos ordinatores Cæciliani, quos Donatistæ dicebant reos esse traditionis. Itaque imperator volens, ut dixi, omnem criminandi ansam ipsis adimere, mandavit Vero, ut vocatur apud sanctum Augustinum, seu potius Lucrino Verino agenti vicariam præfecturam per Africam ut de crimine traditionis, quod Felici objiciebatur, diligenter inquireret. Cum vero ille jussionem principis exequi cœpisset, incommoda valetudine tentus, ut ad Probianum scribit Constantinus, necessario postea abstinuit a cognitione ejusdem negotii. Quare Ælianus proconsul Africæ *partibus ejus functus, id negotium ad examen suum atque jussionem credidit esse revocandum*, ut ait Constantinus. Ex quibus verbis colligitur Ælianum partes vicarii non suscepisse mandato principis, ut putavit Valesius, sed propria sponte, ob repentinum videlicet Vicarii morbum : quamquam sententia viri clarissimi juvari posset ex libro primo Optati, ubi scriptum est Constantinum ad Ælianum proconsulem scripsisse *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publice*

(1) Sed quæ ibi narrantur, pertinent ad ea quæ gesta sunt tempore persecutionis, anno 303 et 304.

BALUZII NOTÆ.

XVII. *Comam.* Sic Baluz. ex cod. Colb. Consentiunt codd. Ful. et Pratell. At. edit. habent, *collum*, sed qui collo amputato posset dimitti? Cod. Com., *Amputabo tibi nasum.*

Lætantur. Multa sequuntur contra Mensurium et Cæcilianum ejus diaconum postea in sede Carthaginensi successorem a Donatistis conficta, quæ ideo omittimus.

Digitized by Google

quæreretur, et ex Augustini epistola CLXII, in qua scriptum est Felicem Aptungitanum *ad ejusdem Principis jussionem* proconsularibus gestis fuisse purgatum. Verum hæc verba sic accipienda sunt ut quoniam Constantinus ad Verinum Vicarium scripserat de inquisitione criminum quæ Felici objiciebantur, et is morbo impeditus est sacræ jussioni parere, Ælianus proconsul, qui partibus ejus functus, cognitionem et judicium istius causæ suscepit, *ad ejusdem principis jussionem* fecisse dicatur, quia rem fecit quam princeps jusserat, tamenetsi specialia ad eum rescripta non emanassent. Nam quomodo fieri potest ut sat cito post morbum Verini, quem evenisse postremis diebus mensis Januarii aut sub initium Februarii colligi non absurde potest ex lege primi codicis Theodos. *De curatoribus Kalendarii*, quomodo, inquam, fieri potest ut sat cito de hoc morbo admoneri potuerit Constantinus ut novum ejus rescriptum ex Gallia ad Ælianum pervenire potuerit ante diem 15 kalendas Martias? Itaque necesse est, ut dixi, verba Optati et Augustini benigne interpretari, ita nimirum ut Ælianus de causa Felicis cognoverit auctoritate rescripti dati ad Verinum Vicarium, cujus partibus pro necessitate temporis functus est. Cæterum postea Donatistæ id reprehenderunt in causa Felicis, quod episcopus cum esset, proconsulari judicio, non vero ecclesiastico, purgatus fuit, quam criminationem graviter refellit Augustinus in eadem epistola. Idem ei vitio verterunt (ut docet Augustinus in Breviculo diei tertiæ cap. 24) quod abfuerit cum Ælianus de causa ejus inquireret, et dixerunt eum præsentem debuisse purgari, ut legitur in collatione tertia Carthaginensi cap. 571. Contra catholici cap. 574 reposuerunt *majoris esse innocentiæ documentum quod absens purgatus est Felix*.

GESTA PURGATIONIS FELICIS.

Desunt plurima.

. . . . . .

..... in municipio Autumnitanorum Gallienus duumvir dixit: Quoniam præsens es, Cæciliane, audi litteras domini mei Ælii Paulini, viri spectabilis agentis

BALUZII NOTÆ.

Autumnitanorum. Id est; Aptungitanorum sive Aptungensium, ut apud sanctum Augustinum frequenter. Sed in veteri codice et heic et infra Autumnitani vocantur qui alibi Aptungitani. Immo viri clarissimi qui novissimam epistolarum sancti Augustini editionem curarunt, adnotant ad epistolam 43 (quæ est 162 in antiquis editionibus) pro eo quod illic legitur *Felicis Aptungitani*, editiones Amerbachii et Erasmi et decem manuscriptos codices habere *Autumnitani*. Aptungis porro fuit municipium provinciæ proconsularis, ut manifestum est ex hoc loco Augustini in Breviculo diei tertiæ, cap. 16, ubi ait hanc esse catholicæ Ecclesiæ consuetudinem ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent.

Ælii Paulini. Nulla dubitatio est quin hic locus sit egregie mendosus. Nam eo tempore quo hæc gesta sunt, Ælius Paulinus non erat Vicarius Africæ, ut planum est vel ex epistola Constantini ad Probianum. Sane Paulinus ea dignitate ornatus multo ante fuerat, nimirum anno Christi 303, cum persecutio fervebat in Africa, cum Alfius Cæcilianus esset Duumvir Aptungitanorum, ut scribitur infra pag. 20 col. 2 in iisdem gestis. Verinum porro fuisse Vicarium Africæ ineunte anno 314, Volusiano et Anniano consulibus, qua tempestate hæc gesta sunt, colligitur ex eadem epistola Constantini. Nam ex libro sancti Augustini contra Donatistas post collationem cap. 33, discimus cognitionem de causa Felicis cœptam esse 15 Kalendas Martias. Immo vicariam præfecturam obtinuisse in ipsis anni initiis probare videtur lex prima Codicis Theodosiani *De curatoribus Kalendarii*, quæ 3 Kal. Februarii ab eo proposita est sub consulatu eorumdem Volusiani et Anniani. Omnino enim sentio cum viris doctissimis Francisco Jureto et Jacobo Gothofredo Vicarium illum Africæ de cujus morbo agit Constantinus in epistola ad Probianum, Verinum fuisse; ut propterea emendandum sit nomen ejus in eadem epistola, ubi librariorum vitio vocatur Verus. Mirum enim videri non debet heic mutatum esse in Verum, qui apud Augustinum in libro ad Donatistas post collationem cap. 33, degeneravit in Valerium et Valerianum, ut dicemus infra. Itaque pro nomine Ælii Paulini, quod in hæc gesta irrepsit, substituendum est nomen ejusdem Verini, qui aliquot etiam post annis vicariam præfecturam Africæ gessisse reperitur apud sanctum Augustinum in Breviculo diei tertiæ, cap. 22: *Addiderunt etiam illi suæ falsitati convincendæ magnum aliud firmamentum, recitantes ipsius Constantini litteras scribentis ad Verinum Vicarium ut libero eos dimittat arbitrio, se jussisse insinuans ut de exilio remearent*. Idem in epistola 152, nomine Cirtensis Concilii scripta ad Donatistas: *Tertio protulerunt litteras ejusdem Constantini ad Verinum Vicarium datas, ubi eos graviter detestatur, ac propterea dicit de exilio relaxandos et furori suo dimittendos, quia jam Deus cœperat in illos vindicare*. Sumpsit autem ista sanctus Augustinus ex actis collationis tertiæ Carthaginensis cap. 548, ubi ita habetur in editionibus Massoni, Pithœi, et Binii: *Ubi recitatur epistola Constantini ad Vicarium Vicarium destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis*. Vidit Juretus mendum heic esse, et in Miscellaneis ad Symmachum pag. 312, recte conjecit legi debere *ad Verinum Vicarium*; quam emendationem amplexus est Henricus Valesius in Dissertatione de schismate Donatistarum, cap. 17. Sane in antiquissimo exemplari ex quo gesta Collationis illius edidit Massonus, diserte scriptum est *ad Vicarium Verinum*. Non viderant Augustinum, neque hæc Miscellanea Jureti, neque demum vetus exemplar qui editioni operum Optati Episcopi Milevitani præfuerunt anno 1631, post mortem illustrissimi Episcopi Aurelianensis Gabrielis Albaspinæi. Nam si vidissent, haud dubio abstinuissent a periculosa illa nimiumque temeraria emendatione quam huic loco adhibuerunt. Quum enim putarent vocem *Vicarium* bis heic positam esse superflue vitio librariorum, semel tantum posuerunt contra fidem actorum et veteris libri, tum etiam repugnante sancto Augustino. Qui error retentus est a nupero editore operum Optati et in novissima Conciliorum editione Parisiensi. Magis miror de ea quæ prodiit anno 1644, ex typographia regia: quam cum fama sit procuratam a viris eruditissimis, et quidem in hac civitate Parisiensi, ubi facile consuli poterat vetus codex in loco difficili et obscuro, rejecta ab illis est lectio quæ in prioribus editionibus extabat, et retenta temeritas editoris operum Optati. His ita constitutis, cum certum sit epistolam Constantini, quæ refertur in indiculo collationis tertiæ, eam esse quam Augustinus in capite 33 libri ad Donatistas ait a Constantino scriptam esse ad Vicarium Valerium (sive Valerianum, ut habet codex vetus bibliothecæ Colbertinæ), Crispo et Constantino iterum Consulibus, certum quoque est mendum heic esse apud Augustinum,

Digitized by Google

vicariam præfecturam, quid jubere sit dignatus secundum epistolam ad nos datam, quæ declarare te compellit, et scribam quem habuisti tunc temporis administrationis tuæ, et tabularium. Sed quoniam tabularius ejus temporis vita functus est, et omnes actus administrationis tuæ, secundum fidem litterarum ejusdem mei domini, tecum perferre debebis, et ad Coloniam Carthaginensem cum scriba tuo proficisci necesse est; præsens est curator, sub cujus præsentiam vos compellimus: quid ad hoc respondes? Cæcilianus dixit: Mox ad me epistolam Ælii Paulini viri spectabilis agentis vicariam præfecturam pertulistis, statim ad scribam Miccium misi, ut veniret, ut acta ipsius temporis confecta mihi obtulisset, et usque adhuc inquirit, quoniam non modicum tempus est, ex quo duumviratum administravi; anni sunt undecim. Itaque cum invenerit, parebo tanto præcepto. Gallienus duumvir dixit: Tua interest jussioni parere, vides enim jussionem esse sacram. Cæcilianus dixit: Devotus sum tanto præcepto. Item, cum paulo post scriba Miccius supervenisset, Fuscius duumvir dixit: Audisti et tu, Micci, quod et tu una cum Cæciliano necessarius es ire ad officium viri spectabilis vicarii, instructionem ejus temporis ut vobiscum perferatis. Ad hæc quid dicis? Miccius respondit: Magistratus suppleto anno omnes actus suos domum suam tulit: si mei in cera possint inveniri inquiro. Et cum quæreret, Quintus Sisenna duumvir dixit: Quod cognovit officium, respondit. Apronianus dixit: Si omnes actus suos tulerat magistratus, unde acta, quæ tunc emissa erant, vel confecta tanto tempore? Et cum diceret, Ælianus proconsul dixit: Et mea interrogatio, et singularum personarum responsio actis continetur. Agesilaus dixit: Sunt præterea et aliæ epistolæ huic rei necessariæ: interest ut legantur: Ælianus proconsul dixit: Lege Cæciliano audiente,

BALUZII NOTÆ.

et pro Valerio reponendum esse Verinum. Rursum cum hinc constet Verinum fuisse Vicarium Africæ sub consulatu eorumdem Cæsarum, qui in annum Christi 321 incidit, et ex variis constitutionibus Codice Theodosiano comprehensis colligatur eum annis quoque 318 et 319, eamdem vicariam præfecturam administrasse, patet eum non solum convaluisse ex morbo quo detinebatur tempore absolutionis Felicis, sed etiam continuatam ei fuisse potestatem. Sed tamen negotium hoc mihi facessit idem Augustinus; qui in eodem capite 33 libri ad Donatistas, ait Constantinum ad Eumalium Vicarium scripsisse de purgatione Cæciliani, Sabino et Rufino Conss. 4 Idus Novembris, id est, anno Christi 316 exeunte; cujus epistolæ fragmentum idem Augustinus describit in libro tertio contra Cresconium cap. 71, eamdemque in Collatione tertia Carthaginensi lectam fuisse docet in Breviculo diei tertiæ cap. 19, ubi ejus sensum refert. Et antea quidem, id est, anno superiore, Domitium Celsum Africæ Vicarium fuisse docet inscriptio legis unicæ Cod. Theodos. *De his qui filios involant alienos*, data Kalendis Augustis Constantino Aug. IV et Licinio IV Consulibus. Quare oportet remotum aliquantisper fuisse Verinum, ut spatium daretur Celso et Eumalio, et dein Africæ redditum, sicut post Ælianum reperimus in Codice Theodosiano Catullinum Africæ Proconsulem fuisse per annos Christi 315 317, 319, et hoc ultimo anno Proculum quoque ea dignitate ornatum, ac postea Ælianum eam recepisse anno 320, annoque 324, Hilarianum proconsulare hoc imperium habuisse, et rursum Ælianum proconsulatu Africæ fulgentem anno Christi 326.

Cum scriba tuo. In veteri codice legitur, *cum scripta tua*. Massonus emendavit, omnino recte, quod sequentia ostendunt.

Ut veniret et acta. In vetusto exemplari et in editione Massoni legitur, *venit ut acta*. Nos emendavimus. Certa autem est emendatio.

Inquirit, quoniam. In veteri libro et in editione Massoni, *inquirit et quoniam*. Particulam *et*, quæ sensum dividebat ac turbabat, nos sustulimus.

Anni sunt undecim. Ergo Cæcilianus duumviratum gesserat in municipio Aptungitanorum anno Christi 303, eo nimirum quo edictum de diruendis basilicis et comburendis sacris scripturis propositum est in Africa, ut docent etiam sequentia.

Suppleto anno. Id est, expleto, finito.

Si mei in cera. Hæc emendatio nostra est, quam puto placituram viris doctis. Nam antea nullo sensu legebatur in veteri codice: *sed in ei in cera possit*. Massonus vocem *sed* mutaverat in *si*. Sensus autem istius loci ita mihi videtur posse constitui. Magistratus codices publicos domum suam tulit post expletum annum suæ potestatis, atque adeo illi non sunt apud me. Habeo tantum ceratas tabulas in quibus primo prescripta sunt acta; et inquiro utrum actûs quos Proconsul petit, in eis inveniantur. Nam *plerumque*, ut Priscianus ait in libro primo Grammaticæ, *in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, et postea delere*. Hoc erat officium notariorum et scribarum, qui ea tabulis ceratis excipiebant quæ dictabantur. Hieronymus, epist. 140 ad Principiam: *Stylus scribit in cera, calamus vel in charta vel in membranis aut in quacumque materia quæ apta est ad scribendum. Mea autem lingua in similitudinem scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam signorum compendio brevitatum Evangelii strictumque sermonem exaravit in tabulis cordis carnalibus.* Sexta synodus, act. 12: *Misit nos sanctissimus Patriarcha noster ad sanctissimum Patriarcham Constantinopoleos, deferentes ad relegendum in notis.* Hinc apud Possidium, in Vita sancti Augustini, cap. 6: *Apertis notariorum tabulis disputatio cœpta*. Porro ceratis tabulis utebantur notarii propter facilitatem delendi, ut docet Priscianus. Hieronymus, epist. 44, ad Chrysogonum: *Ita nostræ es necessitudinis penitus oblitus ut illam epistolam quam in corde Christianorum scriptam Apostolus refert, non parva litura, sed imis, ut aiunt, ceris eraseris.*

Ælianus proc. cujus crebra mentio apud Augustinum et in collatione tertia Carthaginensi, tum etiam in codice Theodosiano, ut supra vidimus. Itaque cum eum constet eadem prorsus tempestate Proconsulis dignitatem habuisse in Africa quo Volusianus et Annianus gesserunt consulatum, sub quibus habitum est Concilium Arelatense in causa Donatistarum, facile adducor ut credam veram esse eorum sententiam qui suspicantur ad eum scriptam esse epistolam Constantini de episcopis Africanis Arelatem mittendis intra diem kalendarum Augustarum, ac pro Ælasio, cui inscribitur in veteri codice Thuano et in editionibus vulgatis, reponendum esse Ælianum. Cur autem ad proconsulem potius quam ad Vicarium scripta sit, non alia esse ratio potest quam quia eo tempore Vicarius incommoda veletudine detinebatur, ut docet Constantinus Aug. in epistola ad Probianum Æliani successorem. Unde patet corrigendum esse lemma istius epistolæ in tomis Conciliorum, ubi dicitur scripta ad Vicarium Africæ. Non est mirum autem Æliani nomen mutatum esse in Ælasium in codice depravatissimo, id est, Thuano, ex quo unico prodiere omnes usque ad hunc diem istius epistolæ editiones.

Digitized by Google

ut agnoscat an ipse dictaverit. Agesilaus recitavit. Volusiano et Anniano consulibus, 14 kalend. Septembris, in jure apud Aurelium, Didymum, Speretium sacerdotem Jovis Optimi Maximi duumvirum recitavit. Splendidæ coloniæ Carthaginensium Maximus dixit : Loquor nomine seniorum christiani populi catholicæ legis. Apud maximos imperatores, causa agenda erit contra Cæcilianum et Felicem, qui principatum ejusdem legis omnia conatur invadere. Contra ipsos documenta criminum ejus conquiruntur. Nam cum persecutio esset indicta Christianis, id est, ut sacrificarent, aut quascumque Scripturas haberent, incendio traderent; Felix qui tunc episcopus fuit Autumnis, consensum attulerat, ut de manu Galatii Scripturæ traderentur, ut igni concremari possent, et erat tunc temporis magistratus Alfius Cæcilianus, quem præsentem videre dignaris. Et quoniam ejus temporis officium incumbebat, ut ex jussione proconsulari omnes sacrificarent, et si quas Scripturas haberent, offerrent secundum sacram legem, quæso, secundum sens est, et senem vides, et non potest ad comitatum sacrum pergere : apud acta deponat, utrumne jam de pactione secundum ab eodem habita litteras dederit, et utrum ea quæ in litteris contulerit vera sint, ut horum actus et fides in judicio sacro detegi possit. Astanti Cæciliano Speretius duumvir dixit : Audis quæ apud acta sint deposita. Alfius Cæcilianus dixit : Zamæ eram propter lineas comparandas cum Saturnino. Et cum veniremus illo, mittunt ad me in prætorio ipsi Christiani, ut dicerent : Sacrum præceptum ad te pervenit? Ego dixi : Non, sed vidi jam exempla. Et Zamæ et Furnis dirui basilicas, et uri Scripturas vidi. Itaque proferte, si quas Scripturas habetis, ut jussioni sacræ pareatur. Tunc mittunt in domum episcopi Felicis, ut tollerent inde Scripturas, ut exuri possent secundum sacrum præceptum. Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare consueti fuerant. Inde cathedram tulimus, et epistolas salutatorias, et ostia omnia combusta sunt secundum sacrum præceptum. Et cum ad domum ejusdem Felicis episcopi mitteremus, renuntiaverunt officiales publici illum absentem esse. Nam cum posteriori tempore adveniret Ingentius scriba Augentii, cum quo ædilitatem administravi, dictavi epistolam eidem collegæ, quam feci ad eumdem episcopum Felicem. Maximus dixit : Præsens est, eadem epistola ei offeratur, ut eamdem recognoscat. Respondit : Ipsa est. Maximus dixit : Quoniam recognovit epistolam suam, hanc lego, et oro plena actis inseratur. Et recita-

BALUZII NOTÆ.

Volusiano. Heic locus vacuus relictus erat in veteri exemplari et in editione Massoni. Nos Volusiani nomen addidimus ex fastis et codice Theodosiano, præcipue vero ex Augustino, qui in libro ad Donatistas post collationem, cap. 33, de hac ipsa re agens ait : *Ælianus proconsul causam Felicis audivit Volusiano et Anniano Cons. Kalendas Martias.* Contigit ergo ista Felicis purgatio anno Christi CCCXIV.

XIIII *Kal.* Ita vetus exemplar, cum Massonus ediderit XIII. Sed pro eo quod isthic legitur gesta hæc esse XIIII Kal. Septembris, apud Augustinum, ut paulo ante vidimus, hæc inquisitio refertur ad XV Kal. Martias; atque hinc emendanda esse ait Baronius acta purgationis Felicis, quæ alioqui depravata atque mendosa satis esse pronuntiat. Sed hic Baronium reprehendit Valesius in dissertatione de schismate Donatistarum, cap. 11, eo inter cætera argumento quod intra unius diei spatium tot gestorum documenta perlegi, tot personæ interrogari non potuerint; ac propterea necesse esse ait ut in plures dies protracta sit tantæ causæ cognitio. Itaque contendit ab Æliano inchoatam XV Kalendas Martias, sed propter necessitates publicas et provinciæ negotia intermissam, et finitam demum XIII Kalendas septembris, id est, sexto mense post initium gestorum. Equidem ut facile concesserim hanc quæstionem pluribus diebus agitatam fuisse, ita gravate admodum crederem tanto tempore sub judice pependisse cognitionem quam Augustinus in epistola LXXII vocat diligentissimum examen et diligentem ac terribilem inquisitionem; præsertim cum Optatus in libro primo doceat Constantinum Imp. scripsisse in Africam *ut remotis necessitatibus publicis de vita Felicis Autungitani publice quæreretur.* Et cum necesse sit existimare mendum esse in libro Augustini ad Donatistas aut in hoc loco gestorum, et quæ ab Augustino referuntur extra mendum esse, hinc constet quod cognitionem de causa Felicis ab Æliano susceptam esse ait quarto ferme mense post judicium Melchiadis, quod initio mensis octobris proxime præteriti factum fuerat, non video quomodo repudiari possit Baronii sententia, qui hunc locum gestorum pronuntiavit emendandum esse ex libro Augustini ad Donatistas.

Duumvirum splendidæ. In veteri libro et in editione Massoni legitur : *Duoviru recitavit. Splendidæ.* Nos sustulimus vocem *recitavit*, quæ omnino superflua hic erat, et sensum turbabat.

Apud Max. Imperatores. Constantinum et Licinium, qui tum temporis remp. administrabant.

Cum persecutio esset indicta. Anno Christi CCCIII, ut toties diximus supra. Hinc ortum vocabulum traditorum in Africa.

Jussione proconsulari. Id est, Anulini, quem fuisse tum proconsulem Africæ produnt acta martyrum qui tum apud Africam exagitati sunt pro nomine Christi.

Secundum sens est. Ita vetus exemplar. Massonus edidit, *Secundus senex est*, nullo sensu. Heic enim non agitur de Secundo, sed de Alfio Cæciliano exduumviro Aptungitanorum.

Epistolas salutatorias. Infra : *Epistolas salutatorias de basilica protulerit.* Difficile est explanare quid heic intelligatur per epistolas salutatorias. Neque enim mihi hactenus probatur quod quidam ex hoc loco colligunt epistolas salutatorias eas esse quibus quis alicui salutem impertit. Manifestum quippe est hic agi de codice quodam venerando, quem Alfius Cæcilianus duumvir ex basilica aptungitana sustulit, haud dubie ut ureret. Nam post cathedram episcopalem et epistolas salutatorias sublatas, etiam *ostia omnia combusta sunt secundum sacrum præceptum.*

Ingentius scriba. Qui postea Decurio fuit civitatis Ziquensium, et tunc convictus est falsasse et interpolasse epistolam quam Alfius Cæcilianus scripserat ad Felicem episcopum aptungitanum. Augustinus, epist. 152, nomine concilii Cirtensis scripta ad Donatistas : *Ingentius confessus fuerat in cognitione Æliani proconsulis falsum se fecisse adversus Felicem Cæciliani ordinatorem.* Idem in libro ad Donatistas post collationem, cap. 32 : *Ingentius, qui eidem judicio contra Felicem falsum se feciste confessus est.* Vide epistolam Constantini ad Probianum, cujus mentio in his Augustini locis.

Digitized by Google

vit : *Cæcilianus parenti Felici salutem. Cum Ingentius collegam meum Augentium amicum suum conveniret, et inquisisset anno duoviratus mei, an aliquæ Scripturæ legis vestræ secundum sacram legem adustæ sint..... quam Galatius unus ex lege vestra publice epistolas salutatorias de basilica protulerit. Opto te bene valere. Hoc signum quod deprecatorium ad me miserant Christiani, et ipse cujus est precatorium : et dixisti, Tolle clavem, et quos inveneris in cathedra libros, et super lapide codices, tolle illos : sane vide officiales ne tollant oleum et triticum. Et ego dixi tibi : Tu nescis quia ubi Scripturæ inveniuntur, ipsa domus diruitur? Et dixisti : Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis. Tollat aliquis de vestris in area ubi orationes facitis, et illic ponantur ; et ego venio cum officialibus, et tollo. Et nos illo venimus, et omnia tulimus, secundum sacrum præceptum.* Maximus dixit : Quoniam ejus epistolæ lectio apud acta recitata est, quam ipse agnovit se misisse, quæ dixit, quæsumus actis hærcant. Speretius duumvir dixit : Quæ dixisti scripta sunt. Agesilaus dixit : Ad præsentem epistolam recognovit ; residuam partem, quam nunc legit, falsam esse dicit. Cæcilianus dixit : Domine, usque ad hoc dictavi usquequo habet, *Opto te, parens charissime, bene valere.* Apronianus dixit : Semper sic falsum, per terrorem, per scenam, per irreligiosam mentem actum est ab his qui catholicæ Ecclesiæ consentire noluerunt. Nam Paulino hic administrante vices præfectorum, subornatus est quidam privatus homo, qui modum cursoris haberet, qui ad Catholicæ unitatem veniret, atque eos induceret et terreret. Detecta igitur factio est. Nam componebatur Felici religiosissimo episcopo per mendacium, ut videretur Scripturas prodidisse et exussisse. Ingentius quidem, cum hoc totum quidquid agebat, obesset sanctitati et religioni Cæciliani, subornatus est ut veniret cum litteris veluti Felicis episcopi ad Cæcilianum duumvirum, et ei confingeret a Felice se esse mandatum. Dicat ipsa verba quibus hoc est conflictum. Ælianus proconsul dixit : Dic. Apronianus dixit : *Dic*, inquit, *amico meo Cæciliano, quod codices accepi pretiosos deificos undecim, quiaque me nunc convenit ut illos restituam, dic quod anno magistratus tui eos exusseris, ne reddam illos.* Qua de re igitur de Ingentio quærendum est, quatenus hæc machinata sint ac fabricata, et quatenus voluerit circumscribere magistrum ad mendacium, ut Felicem aspergeret infamia : dicat a quo missus sit, verumtamen machinationem istam in conscientiam Felicis, quo Cæciliani pudori et initio derogaret. Est enim quidam qui per Mauritaniam et Numidiam legatus missus sit ex adversa parte. Et astante Ingentio Ælianus proconsul dixit : Cujus præcepto ea suscepisti agenda, quæ tibi objiciuntur? Ingentius dixit : Ubi? Ælianus proconsul dixit : Quoniam fingis te non intelligere quod interrogaris, dicam apertius : Quis te ad magistratum Cæcilianum misit? Ingentius dixit : Nemo me misit. Ælianus proconsul dixit : Quomodo ergo venisti ad magistratum Cæcilianum? Ingentius dixit : Cum venissemus, et ageretur causa Mauri ab Utica episcopi, qui episcopatum sibi redemit, ad urbem ascendit Autumnitanus episcopus Felix, ut tractaret, et dixit, Nemo communicet, quia falsum admisit. Et dixi illi ego e contra : Nec tibi, nec illi, qui traditor es. Dolui enim causam Mauri hospitis mei, quia communicaveram cum illo in peregre, quia evasi persecutionem. Exinde ivi in patriam ipsius Felicis, duxi mecum tres seniores, ut viderent an verum tradidisset, an non. Apronianus dixit : Non ita venit ad Cæcilianum quærere de Cæciliano. Ælianus proconsul Cæciliano dixit : Quomodo ad te venit Ingentius? Cæcilianus respondit : Domi ad me venit : prandebam cum operariis ; venit illuc ; stetit in janua. Cæcilianus ubi est? dixit. Respondi : Hic. Ego dico ei : Quid est? Omnia recte? Omnia, dicit. Respondi illi : Si non fastidis prandere, veni, prande. Dicit mihi : Revertor huc. Venit illuc solus. Dicere mihi cœpit : Ecce sic mihi curare et inquirere an adusta fuerit Scriptura anno duumviratus mei. Dico illi ego : Molestus es mihi, tu homo immissus es : laxa hinc te a me. Et sprevi illum a me. Et venit illo iterato cum collega meo, cum quo fui ædilis. Ait mihi collega meus : Felix noster episcopus misit huc hominem, ut facias illi litteras, quia accepit codices pretiosos, et noluit revocare illos : scribas illo, quod anno duumviratus tui combusti sunt. Et dixi ego : Hæc est fides Christianorum? Ingentius dixit : Domine, veniat et Augentius. Et ego honorificus sum, et honor meus pereat, et hujus latera habemus. Ælianus proconsul Ingentio dixit : Revinceris alio titulo. Ælianus proconsul dixit ad Officium : Apta illum. Cumque aptaretur, Ælianus proconsul dixit : Suspendatur. Cumque suspenderetur, Ælianus proconsul Cæciliano dixit : Quomodo ad te Ingentius venit? Respondit : Misit huc me Felix, dixit, noster,

BALUZII NOTÆ.

Collegam meum. Antea legebatur *collega meus*, non solum in editionibus, sed etiam in antiquo exemplari manuscripto. Verum cum hæc verba referri debeant ad Augentium, qui fuit collega Alfii Cæciliani, necessaria visa est emendatio quam nos huic loco adhibuimus.

Hoc signum. Hic locus refertur etiam infra pag. 21. col. 1, sed multum diversus.

Paulino adm. vices præf. Anno Christi 303 cum cœpta persecutio est in Africa, ut supra diximus.

Modum cursoris. Codex vetus et editio Massoni habent *modicum*, manifesto errore. Modum cursoris dixit, id est, formam, speciem. Vox est latina.

Scribas illo. Id est, illi. Sic plerique veteres, qui etiam *alio* frequenter scribebant pro *alii*. Sic apud Commodianum, lib. 1, cap. 30 : *periturο creditis uno.* et cap. 33 : *Uno crede Deo.*

Hujus latera. Retinui scripturam veteris exemplaris. Editio Massoni habet *ejus litteras*, quod fortassis rectius est.

Suspendatur. Constantinus in epistola ad Probianum : *Eumdem ipsum Ingentium suspensum actis, quæ suberant, pervidimus.* Optatus libro primo : *Ingentius scriba publicus pependit sub metu imminentium tormentorum.*

Digitized by Google

ut scribas illo, quia est unus perditus nescio qui, habens penes me codices pretiosos, et nolo illos restituere. Itaque fac litteras, quia adusti sunt, ne revocem illos. Et ego dixi : Christiani fides hæc est? Et cœpi illum corripere. Et ait collega meus : Scribe illo, Felici nostro. Et sic ego epistolam dictavi, quæ paret usquequo dictavi. Ælianus proconsul dixit : Audi sine metu recitationem epistolæ tuæ. Recognosce quousque dictaveris. Agesilaus recitavit : *Opto te, parens charissime, multos annos bene valere.* Ælianus proconsul Cæciliano dixit : Huc usque dictasti? Respondit : Huc usque; reliquum falsum est. Agesilaus recitavit : *Hoc signo, quod deprecatorium ad me misisti, nisi ego et tu et cujus est precatorium : et dixisti, Tolle clavem, et quos invenies in cathedra libros, et super lapide codices, tolle illos : sane vide, officiales ne tollant oleum et triticum. Et ego dixi tibi : Tu nescis quia ubi Scripturæ inveniuntur, ipsa domus diruitur? Et dixisti ; Quid ergo faciemus? Et dixi ego vobis : Tollat aliquis de vobis in areis ubi orationes facitis, et illic ponantur; et ego venio cum officialibus, et tollo. Et nos illo venimus et omnia tulimus secundum placitum, et adussimus secundum sacrum præceptum.* Maximus dixit : Quoniam ejus epistolæ tenor etiam apud acta recitatus est, quam ipse agnovisse ac misisse dixit, quæsumus hoc actis tuis hæreat. Speretius dixit : Quæ dixistis scripta sunt. Cæcilianus respondit, Cillo est falsum, quousque est epistola mea, quousque dixit, *Bene vale, parens charissime.* Ælianus proconsul dixit : Quem dicis addidisse ad epistolam? Cæcilianus dixit : Ingentium. Ælianus proconsul dixit : Professio tua actis hæret. Ælianus proconsul Ingentio dixit : Torqueris, ne mentiaris. Ingentius dixit : Erravi, huic epistolæ ego addidi, dolens causa Mauri hospitis mei. Ælianus proconsul dixit : Constantinus Maximus semper Augustus et Licinius Cæsares, ita pietatem Christianis exhibere dignantur, ut disciplinam corrumpi nolint, sed potius observari religionem istam, et coli velint. Noli itaque tibi blandiri, quod mihi dicas, decurionem te esse, ac propterea non possis torqueri. Torqueris, ne mentiaris, quod alienum Christianis esse videtur. Et ideo dic simpliciter, ne torquearis. Ingentius dixit : Jam confessus sum sine tormento, Apronianus dixit : Dignare de eo quærere, qua auctoritate, quo dolo, qua insania circuierit Mauritanias omnes, Numidias etiam, qua ratione seditionem commoverit catholicæ Ecclesiæ. Ælianus proconsul dixit : Ad Numidias fuisti? Respondit : Non, domine : sit qui probet. Ælianus proconsul dixit : Nec in Mauritania? Respondit : Negotiari illo fui. Apronianus dixit : Et in hoc mentitur, domine (nam ad Mauritaniæ situm nonnisi per Numidias pergitur), quatenus dicit se in Mauritania fuisse, non fuisse in Numidia. Ælianus proconsul Ingentio dixit : Cujus conditionis es? Ingentius respondit : Decurio sum Ziquensium. Ælianus proconsul dixit ad officium : Submitte illum. Quo submisso, Ælianus proconsul Cæciliano dixit : Falsa dicis quæ dixisti? Cæcilianus respondit: Non, domine. Is qui scripsit epistolam, jube veniat. Amicus ipsius est. Ipse dicet, quousque dictavi epistolam. Ælianus proconsul dixit : Quis est ille, quem venire desideras? Cæcilianus dixit : Augentium, cum quo fui ædilis. Non possum probare nisi per ipsum Augentium, qui scripsit epistolam, quousque dictavi illi : ipse dicere potest. Ælianus proconsul dixit : Constat ergo falsam esse epistolam? Cæcilianus respondit : Constat, domine, non mentior in sanguine meo. Ælianus proconsul dixit : Cum duumviratum egeris in patria tua, oportet fidem verbis tuis habere. Apronianus dixit : Nec novum est illis hoc facere. Cæterum et actis addiderunt quod voluerunt. Jam artificium est illis. Ælianus proconsul dixit : Ex professione Cæciliani, qui acta falsata esse dicit, atque epistolæ plurima addita, manifestum est qua voluntate hæc gesserit Ingentius : et ideo recipiatur in carcerem. Est enim arctiori interrogationi necessarius. Felicem autem religiosum episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas Scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprascripta manifesta est, nullas Scripturas deificas vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quod Felix episcopus religiosus, illis temporibus, neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodaverit, neque tale aliquid fieri jusserit. Agesilaus dixit : De his qui ad potestatem vestram instruendam venerunt, quid jubet Potestas tua? Ælianus proconsul dixit : Revertantur ad sedes suas. *Expliciunt gesta purgationis Felicis episcopi Autumnitati ordinatoris Cæciliani Carthaginis.*

GESTA PURGATIONIS CÆCILIANI.

PROŒMIUM AD ACTA PURGATIONIS CÆCILIANI.

Actorum istorum vetus exemplar, ex quo edita sunt a Massono, extat in bibliotheca Thuana, sed depravatissimum et contaminatissimum, ut ante me observavit illustrissimus cardinalis Baronius. Meminit autem illorum Optatus Milevitanus in libro primo, ubi etiam admonet se ea subjunxisse operi suo. *Harum namque plenitudinem rerum*, inquit, *in novissima parte*

BALUZII NOTÆ.

Constantinus. Locus heic vacuus erat relictus in veteri codice et in editione Massoni. Dubium autem non est quin Constantini nomen scribi debuerit.

Decurionem. In veteri codice et in editione Massoni legitur, *Dei cultorem;* et quamvis hæc lectio tolerari possit propter ea quæ antecedunt, malumus tamen amplecti conjecturam Baronii, quia in epistola Constantini ad Probianum videbamus Constantinum ex actis istis collegisse Ingentium *ideo minime tortum quod se decurionem Ziquensium civitatis asseveraverit.* Nam decurionum hoc erat privilegium quod torqueri non poterant, ut diximus ad Lactantium.

Ex professione. Hæc et quæ sequuntur usque ad finem sententiæ, extant etiam apud Augustinum, lib. III adversus Cresconium, cap. 70.

Felicem autem. Hanc partem sententiæ describit Optatus in libro primo, et addit : *Unde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude illo judicio recessit.*

Digitized by Google

istorum libellorum ad implendam fidem adjunximus. Certe in veteri libro verba quæ sequuntur scripta sunt post collectionem istorum et aliorum quorumdam actorum. *Expliciunt sancti Optati episcopi libri numero* VII, *vel gesta purgationis Cæciliani episcopi et Felicis ordinatoris ejusdem.* Meminit eorumdem Augustinus epist. CLXII, ubi adnotat ea lecta non fuisse in collatione Carthaginensi, quia tempus non fuit. Vide etiam epistolam 165, et lib. III contra Cresconium cap. 29, ubi fragmenta quædam istorum actorum describuntur.

Incipiunt gesta ubi constat traditorem Silvanum, qui cum cæteris ordinavit Majorinum, cui Donatus successit.

Constantino Maximo Augusto et Constantino juniore nobilissimo Cæsare conss., idibus decembribus, A Sexto Thamugadiensi inducto, et applicito Victore grammatico, adsistente etiam Nundinario diacono, Zenophilus vir clarissimus consularis dixit : Quis vocaris? Respondit : Victor. Zenophilus v. c. consularis dixit : Cujus conditionis es? Victor dixit : Professor sum romanarum litterarum, grammaticus latinus. Zenophilus v. c. consularis dixit : Cujus dignitatis es? Victor dixit : Patre decurione Constantiniensium, avo milite, in comitatu militaverat. Nam origo nostra de sanguine Mauro descendit. Zenophilus v. c. consularis dixit : Memor fidei et honestatis tuæ simpliciter designa quæ causa fuerit dissensionis inter Christianos. Victor dixit : Ego dissensionis originem nescio : unus sum de populo Christianorum. Siquidem cum essem apud Carthaginem, Secundus epi- B scopus cum Carthaginem tandem aliquando venisset,

BALUZII NOTÆ.

Ordinavit Majorinum, cui Donatus a quo Donatistæ, successit in cathedra Carthaginensi. Itaque primo pars Majorini dicebatur quæ postea pars Donati dicta est, ut legitur in epistola 68 sancti Augustini. Collatio tertia Carthaginensis, cap. 220 : *Libellus Ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani, traditus a parte Majorini.* Quæ verba descripsit etiam sanctus Augustinus in eadem epistola. Quare verissimam puto sententiam Henrici Valesii, qui in dissertatione de schismate Donatistarum, cap. 4, verba illa ex libro primo Optati, *Datæ a Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio et cæteris episcopis partis Donati*, sic emendanda esse pronuntiat ut, sublato nomine Donati, Majorini nomen heic reponatur.

Constantino. Assentior eidem Valesio, qui in eadem dissertatione, cap. 3, probat adversus Baronium hæc gesta non esse anno Christi 306, sed 320.

Thamugadiensi. In veteri libro et in editione Mas- C soni legitur *Thamugudiensi.* Nostram emendationem confirmant acta Concilii Carthaginensis sub Cypriano, in quibus legitur nomen Novati a Thamugade. Et apud sanctum Augustinum celebre est nomen Gaudentii Thamugadiensis episcopi partis Donatistarum; adversus quem idem sanctus duos libros scripsit, quorum et ipse meminit lib. II, cap. 59 Retractationum. Item apud eumdem in epistola LXI legitur : *Debeo autem Thamugadensibus ejusmodi ministerium charitatis.* Lex porro secunda codicis Theodosiani *De honorariis codicillis*, quæ est Constantii, accepta dicitur Thamugadi; ubi Jacobus Gothofredus annotat eam urbem fuisse in Mauritania Tingitana, ejusque nomen corruptum esse in Notitia imperii et in utroque Itinerario. In collatione prima Carthaginensi, cap. 128, nominatur Faustinianus episcopus plebis Tamogadensis, et in Notitia Episcoporum Africæ Secundus Tamogaziensis inter Numidas.

Nundinario. Hic totius istius inquisitionis auctor D fuit, ut se ulcisceretur adversus Silvanum, Cirtensem episcopum, a quo læsus erat Augustinus, epist. 162 : *Extant gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam diaconus a Silvano Cirtensi episcopo, quantum ipsis gestis intelligitur, degradatus, cum ei* (sic legendum, ut recte habet prima editio Parisiensis, non *eis*) *satisfacere per aliorum episcoporum litteras frustra conatus esset, multa patefecit iratus et in judicium publicum protulit : inter quæ id quoque commemoratum legitur, quod Lucillæ pecunia corruptis episcopis, in Carthaginensi Ecclesia, in Africæ capite, altare contra altare levatum est.* Idem, epist. 165 : *Recita illi gesta apud Zenophilum consularem, ubi Nundinarius quidam diaconus iratus Silvano, quod ab eo fuerit excommunicatus, hæc omnia judiciis prodidit, quæ certis documentis et responsionibus testium et recitatione gestorum et multarum epistolarum luce clarius constiterunt.*

Vir clarissimus. Hæc duo vocabula sic plerumque scribuntur in veteribus libris, V. C. Sed hoc loco ponuntur in veteri codice uti nos edidimus. Quas notas cum librarius non intelligeret, deinceps posuit *Vicarius* pro *vir clarissimus*, inepto errore, quem tamen Massoni editio retinuit in aliquot locis. Alii putarunt notas illas explicandas esse per hæc verba, *vir consularis*, quos in Miscellaneis suis ad Symmachum pag. 282 reprehendit, et merito, vir eruditissimus Franciscus Juretus. Certe si ista interpretatio valeret, Zenophilus heic consequenter bis vocaretur consularis. Quo nihil fingi potest absurdius. Eadem ratione explicandæ essent notæ illæ apud Gruterum pag. 193, in illa inscriptione ubi Postumius Lampadius *V. C. Cons. Camp.* nominatur : quas tamen per *vir clarissimus* exponendas esse probat altera inscriptio apud Gruterum pag. 283, in qua legitur *Decimius Geminianus vir clariss. Consularis provinciæ Bæticæ.* Quin et Consules ipsi ordinarii et præfecti Urbi, quorum dignitas erat supra dignitatem consularium, consulares tamen dicti reperirentur, si vera esset interpretatio quam nos refellimus. Extant enim apud Gruterum, pag. 195, aliquot inscriptiones in quibus *Ti. Fabius Titianus V. C. Cos. ordin. et Præf. urbi* nominatur. Quare necesse est mendosum esse codicem Gemeticensem epistolarum sancti Augustini, in quo notæ illæ per *vir consularis* explicantur in relatione Anulini Proconsulis Africæ ad Constantinum, quæ extat in epistola 88 sancti Augustini in nova editione; cum tamen in collatione tertia Carthaginensi, ubi eadem relatio reperitur inserta, exponantur per *vir clarissimus*, omnino recte. Nam cum hoc non sit nomen famæ et celebritatis, ut ait idem Juretus, sed honoris et dignitatis, et conjungebatur cum titulis eorum ad quos scribebatur, et ipsi qui clarissimi erant, se eo nomine decorabant; sicut olim Reges nostri primæ stirpis se in titulis suis vocabant viros illustres, ut cuivis notum est, et observatum etiam a Sirmondo in Notis ad Ennodium, pag. 19.

Constantiniens. sive Cirtensium. Cirta enim dicebatur ante quæ tum Constantina vocabatur. Vide Valesium in dissertatione de schismate Donatistarum cap. 5.

Secundus Episcopus. Tigisitanus, *qui tunc agebat in Numidia primatum*, ut in epistola 162 ait Augustinus. Idem principatum Concilii Cirtensis tenuit, ut ibidem Augustinus scribit, ubi præsentes et confessos traditores reliquit Deo judicandos, et eos in episcopalibus sedibus manere permisit. Vide eumdem in libro primo contra epistolam Parmeniani, cap. 3; Breviculo diei tertiæ, cap. 13; et lib. I contra Gaudentium, cap. 37.

Digitized by Google

dicantur invenisse Cæcilianum episcopum nescio quibus non recte constitutum, illi contra alium instituerunt. Inde illic apud Carthaginem cœpta dissensio est; et inde originem scire dissensionis plene non possum, quoniam semper civitas nostra unam Ecclesiam habet, et si habuit dissensionem, nescimus omnino. Zenophilus v. c. consularis dixit: Silvano communicas. Victor respondit: Ipsi. Zenophilus v. c. consularis dixit: Cur ergo intermisso eo cujus innocentia purgata est? Et adjecit: Asseveratur præterea te aliud certissime scire, quod Silvanus traditor sit, de eo confitere. Victor respondit: Hoc nescio. Zenophilus v. c. consularis Nundinario diacono dixit: Negat se Victor scire quod Silvanus traditor sit. Nundinarius diaconus dixit: Scit ipse num tradidit codices. Victor respondit: Fugeram hanc tempestatem; et, si mentior, peream. Cum incursum paterenmur repentinæ persecutionis, fugivimus in montem Bellonæ. Ego sedebam cum Marte diacono; et Victor presbyter, cum ab eodem Marte quærerentur omnes codices, negavit se habere. Tunc Victor dedit nomina omnium lectorum. Ventum est ad domum meam. Cum absens essem, ascensum est a magistratibus, et sublati sunt codices mei. Cum ego venissem, inveni codices sublatos. Nundinarius diaconus dixit: Tu ergo respondisti apud acta, quoniam dedisti codices. Quare negantur hæc quæ prodi possunt? Zenophilus v. c. consularis Victori dixit: simpliciter confitere, ne strictius interrogeris. Nundinarius diaconus dixit: Legantur acta. Zenophilus v. c. consularis dixit: Legantur. Et dedit Nundinarius, et exceptor recitavit. Diocletiano VIII, et Maximiano VII consulib. 14 kalendas junias, ex actis Munatii Felicis flaminis perpetui curatoris

BALUZII NOTÆ.

Cæcilianum Episcopum Carthaginensem catholicum, Mensurii successorem, tot tempestates perpessum a parte Donati ut propterea nomen ejus valde inclaruerit. Notissima est historia calamitatum ejus.

Alium instituerunt. Majorinum, cui Donatus successit, ut ante diximus.

Unam Ecclesiam habet. Id est, nos Cirtenses nescimus divisionem. Neque enim duos episcopos habemus, ut pleræque civitates Africæ, quæ unum habent partis Donati, alium partis Cæciliani. Nos unicum tantum habemus, sed qui Donato communicat, Cæciliano non communicat. Postea tamen Cirtenses duos habuerunt episcopos, Fortunatianum nimirum et Petilianum, ut patet ex collatione prima Carthaginensi, cap. 65, 138, et sequenti.

Silvano, Episcopo Cirtensi, qui cum Secundo Tigisitano primate Numidiæ et cæteris ordinavit Majorinum adversus Cæcilianum.

Intermisso eo. Vir doctissimus Henricus Valesius in dissertatione supra laudata cap. 3, hæc verba interpretatur de Cæciliano, cujus innocentia multis tum indiciis probata fuerat. Verum hæc interpretatio non caret difficultate. Quippe hæc non dicebantur Carthagine, sed in Numidia, cujus Consularis erat Zenophilus. Præterea Victor nondum dixit se non communicare cum Cæciliano. Itaque dubium est utrum hæc accipi debeant de Cæciliano, an vero de Felice Aptungitano.

Purgata. Ita vetus codex. Massoni editio habet *probata*. Legitimam porro esse nostram emendationem probatur etiam ex Collatione tertia Carthaginensi cap. 571, ubi ita legitur: *Donatistarum prosecutio, qua dicunt præsentem Felicem debuisse purgari.* Et cap. 574: *Prosecutio catholicorum, majoris esse innocentiæ documentum quod absens purgatus est Felix.* Sanctus Augustinus epist. 162: *Nec de Felicis Aptungitani causa negligentiam consecutam, sed ad ejusdem Principis jussionem proconsularibus gestis etiam ipsum fuisse purgatum.* Et infra de eodem Felice: *Non debuit episcopus proconsulari judicio purgari.* Idem lib. III contra Cresconium grammaticum, cap. 61: *Publica monimenta proclamant dictam esse causam et ad debitum finem esse perductam usque ad purgationem Felicis Aptungensis.*

Traditor. Traditores dicebantur qui tempore persecutionis scripturas divinas et supellectilem ecclesiasticam tradiderant ministris reipublicæ. Et magna in hoc querela erat Donatistarum, qui catholicos, eos nimirum qui Cæciliano communicabant, passim vocabant traditores et pregeniem traditorum. Contra catholici proditionem imputabant Donatistis, quos appellabant hæredes traditorum et schismaticorum, adeo ut Optatus Milevitanus manifestum esse dicat principes eorum fuisse traditores.

Num. In veteri codice legitur *non*. Massonus reposuit *nam*. Utraque lectio falsa est. Ea vero vera quam nos retinuimus.

Montem bellonæ. Prope Cirtam.

Nestrictius interrogeris. Id est, ne torquearis. Acta purgationis Felicis, p. 21, col. 2: *Est enim arctiori interrogationi necessarius.*

Diocletiano VIII. Id est, anno Christi 303, quo cœpit persecutio.

XIV. *Kal. Jun.* Ita omnino vetus exemplar et editio Massoni. Quo etiam modo habetur apud Augustinum, lib. III contra Cresconium, cap. 29. Sed idem tamen epist. 165, mentionem faciens istorum actorum, undecimo Kalendas Junias gesta esse commemorat, certo, ut mihi videtur, errore. Nam et in ipsis actis quæ nos heic edidimus, et in exemplari quod extare monuimus in libro tertio contra Cresconium, diserte et constanter notatus est dies XIV Kal. Junias. Excidit autem hæc emendatio viris doctissimis qui recensendis emendandisque Augustini epistolis operam suam nuper contulerunt utiliter in publicum. Sed falsa profecto est clarissimi viri Joannis Broci Biturigis conjectura, qui in dissertatione de epocha Concilii Cirtensis scribit mensem Junium in hoc Augustini loco mutandum esse in Januarium, ita ut quæ heic referuntur de Munatio Felice, gesta fuerint mense Januario qui post cœptam persecutionem proximus fuit. Frustra inquam, cum et omnes veteres libri et omnes editiones uno consensu mensem Junium præferant, et ista res nihil habeat commune cum actis Concilii Cirtensis.

Munatii Felicis. In epistola 165 sancti Augustini legitur *Numatium*, sed emendata est ex libro tertio contra Cresconium in novissima editione. Sirmondus tamen in notis ad Ennodium, p. 93, prætulit lectionem quæ Munatii nomen habet. Valesius vero in annotationibus ad Eusebium, p. 161, Munatium maluit quam Numatium. Recte, ut opinor. Quippe frequens est in antiquis inscriptionibus nomen Munatiorum, qui etiam plerumque Felices vocantur; ut videre est apud Gruterum, p. 66 et 1124.

Flaminis perpetui. In veteri codice legitur *præpositi*, propter notas illas PP. quas cum librarius non intelligeret, eas per vocem *præpositi* explicavit. Sed apud Augustinum, lib. III contra Cresconium, cap. 29, et lib. IV, cap. 56, reperta est vera lectio. Flaminum porro qui per provincias constituti erant, alii erant temporarii, alii perpetui, ut observatum est a viris eruditissimis.

Digitized by Google

coloniæ Cirtensium. Cum ventum esset ad domum in qua Christiani convenichant, Felix flamen perpetuus curator Paulo episcopo dixit : Proferte scripturas legis, et si quid aliud hic habetis, ut præcepto et jussioni parere possitis. Paulus episcopus dixit : Scripturas lectores habent, sed nos quod hic habemus, damus. Felix flamen perpetuus curator Paulo episcopo dixit : ostende lectores, aut mitte ad illos. Paulus episcopus dixit : Omnes cognoscitis. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit : Non eos novimus. Paulus episcopus dixit : novit eos officium publicum, id est, Edusius et Junius exceptores. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit : Manente ratione de lectoribus, quos demonstrabit officium, vos quod habetis date. Sedente Paulo episcopo, Montano, et Victore, Deusatelio, et Memorio presbyteris, adstant Marte cum Helio et Marte diacones, Marcuclio, Catullino, Silvano, et Caroso subdiacones, Januario, Heraclo, Fructuoso, Miggine, Saturnino, Victore Samsurici, et cæteris fossoribus, contra scribente Victore Aufidii, in brevi sic : Calices duo aurei, item calices sex argentei, urceola sex argentea, cuccumellum argenteum, lucernas argenteas septem, cereofala duo, candelas breves æneas cum lucernis suis septem, item lucernas æneas undecim cum catenis suis, tunicas muliebres 82, mafortea 38, tunicas viriles 16, caligas viriles paria 13, caligas muliebres paria 47, coplas rusticanas 19. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Marcuclio, Silvano, et Caroso fossoribus dixit : Proferte hoc quod habetis. Silvanus et Carosus dixerunt : Quod hic fuit, totum hoc ejecimus. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Marcuclio, Silvano, et Caroso dixit : Responsio vestra actis hæret. Posteaquam in bibliothecis inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Silvanus capitulatam argenteam et lucernam argenteam, quod diceret se post orcam eas invenisse. Victor Aufidii Silvano dixit : Mortuus fueras, si non illas invenisses. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Silvano dixit : Quære diligentius, ne quid hic remanserit. Silvanus dixit : Nihil remansit, totum hoc ejecimus. Et cum apertum esset triclinium, inventa sunt ibi dolia IV et orcas sex. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit : Proferte scripturas quas habetis, ut præceptis imperatorum et jussioni parere possitis. Catulinus protulit codicem unum pernimium majorem. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Marcuclio et Silvano dixit : Quare unum tantummodo codicem dedistis? Proferte scripturas quas habetis. Catulinus et Marcuclius dixerunt : plus non habemus, quia subdiacones sumus : sed lectores habent codices. Felix flamen perpetuus Curator reipublicæ Marcuclio et Catulino dixit : Demonstrate nobis lectores. Marcuclius et Catulinus dixerunt : Non scimus ubi maneant. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Catulino et Marcuclio dixit : Si ubi manent non nostis, nomina eorum dicite. Catulinus et Marcuclius dixerunt : Nos non sumus proditores. Ecce sumus, jube nos occidi. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit : Recipiantur. Et cum ventum esset ad domum Eugenii, Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit Eugenio : Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis, et protulit codices quatuor. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Silvano et Caroso dixit : Demonstrate cæteros lectores. Silvanus et Carosus dixerunt : Jam dixit episcopus quia Edusius et Junius exceptores omnes noverunt. Ipsi tibi demonstrent ad domos eorum. Edusius et Junius exceptores dixerunt : Nos eos demonstramus, Domine. Et dum ventum fuisset ad domum Felicis sarsoris, protulit codices quinque. Et cum ventum esset ad domum Victorini, protulit codices octo. Et cum ventum fuisset ad domum Projecti, protulit codices quinque majores et minores duos. Et cum ad grammatici domum ventum fuisset, Felix flamen perpetuus curator Victori grammatico dixit : Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis. Victor grammaticus ob-

BALUZII NOTÆ.

Paulo episcopo Cirtensi; qui convictus est instrumenta dominica tradidisse, etiam quæ diligenter fuerant occultata, ut ait Augustinus in epistola 165.

Præcepto et jussioni. In veteri libro et in editione Massoni legitur : *ut præceptum est, ut jussioni*, etc. Emendatum est ex his quæ sequuntur.

Posteaquam in bibliothecis. Ita omnino vetus exemplar. Verum Augustinus hunc locum referens, lib. III contra Cresconium, cap. 29, ita scribit : *Posteaquam apertum est in bibliothecam.* At in libro quarto, cap. 56, idem habet : *Posteaquam perventum est ad bibliothecam.* Massonus ex hac duplici editione Augustiniana suam composuit, et ita scripsit : *Posteaquam perventum est in bibliothecam.* Ego lectionem veteris libri puto veram esse. Bibliothecæ vocantur in his actis armaria in quibus libri erant inclusi. Unde paulo post Silvanus tum subdiaconus ait : *Nihil remansit, totum hoc ejecimus.* Valerius, in Vita sancti Pontii martyris, cap. 2, *copiam voluminum librorumque, quos bibliothecæ portare non poterant, in suo parvo corpusculo transfundens.* Possidius, in Vita sancti Augustini, cap. 31 : *Monasteria virorum ac fœminarum continentium cum suis præpositis plena Ecclesiæ dimisit, una cum bibliothecis libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus.*

Capitulatam arg. Vetus exemplar habet : *capitulata argentea et lucerna argentea.* Pro quibus Massonus ista substituit : *capitula argentea et lucernas argenteas*, prorsus male. Quippe in variis horum gestorum locis et apud Augustinum mentio est unius tantum lucernæ. Nam Augustinus hunc ipsum locum pluries refert, et in duobus locis scribit, *capitulatam argenteam et lucernam argenteam*, uti nos reposuimus. Quare emendandus est idem Augustinus, lib. IV contra Cresconium, cap. 56, ubi *capsulam* legitur pro *capitulatam.* Infra, p. 24, col. 1, pro *capitulatam* legitur *tabulam.* Itaque aut mendosus est hic locus aut per capitulatam intelligitur tabula.

Mortuus fueras. Hunc locum refert Augustinus epist. 167, et lib. III contra Cresconium, cap. 29, et lib. IV, cap. 56.

Orcam. Male apud Augustinum legitur *arcam.* Orca est vas fictile, ut pluribus testimoniis ostendit vir clarissimus Carolus Dufresnius in suo Glossario.

Felicis sarsoris. Id est, opificis marmorarii.

Digitized by Google

tulit codices II et quinliones quatuor. Felix flamen perpetuus curator Victori dixit : Profer scripturas, plus habes. Victor Grammaticus dixit : Si plus habuissem, dedissem. Et cum ventum fuisset ad domum Eoticii Cæsarianensis, Felix flamen perpetuus curator Euticio dixit : Profer scripturas quas habes, ut præcepto parere possis. Euticius dixit : Non habeo. Felix flamen perpetuus curator Euticio dixit : professio tua actis hæret. Et cum ventum fuisset ad domum Coddeonis, protulit uxor ejus codices sex. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ dixit : Quære, ne plus habeatis, profer. Mulier respondit : Non habeo. Felix flamen perpetus curator reipublicæ Bovi servo publico dixit : Intra, et quære, ne plus habeat. Servus publicus dixit : Quæsivi, et non inveni. Felix flamen perpetuus curator reipublicæ Victorino, Silvano et Caroso dixit : Si quid minus factum fuerit, vos contingit periculum. Quibus lectis, Zenophilus v. c. consularis Victori dixit : confitere simpliciter. Victor respondit : Non fui præsens. Nundinarius diaconus dixit : legimus epistolas episcoporum factas a Forte, et legit exemplar libelli traditi episcopis a Nundinario diacono. Testis est Christus et angeli ejus quoniam tradiderunt quibus communicastis, id est, Silvanus a Cirta traditor est et fur rerum pauperum. Quod omnes vos episcopi, presbyteri, diacones, seniores scitis de quadringentis follibus Lucillæ, clarissimæ fœminæ, pro quo vobis conjurastis ut fieret Majorinus episcopus : et inde factum est schisma. Nam et Victor fullo vestri præsentia et populi dedit folles viginti ut factus esset presbyter, quod scit Christus et angeli ejus. Et recitatum est exemplum epistolæ. Purpurius episcopus Silvano coepiscopo in Domino salutem. Venit ad me Nundinarius diaconus filius noster, et petiit has litteras deprecatorias a me ad te, sanctissime, dirigerem, ut si fieri posset, pax inter te et ipsum sit. Hoc enim volo fieri, ut nemo sciat quid inter nos agatur. Si volueris, scripto tuo (agatur) ut et ego solus ibi in re præsenti veniam, et dissensionem ipsam de inter vos amputem. Manu sua enim mihi tradidit libellum rei gestæ, pro qua causa tuo præcepto fuerit lapidatus. Non est verum ut pater castiget filium contra veritatem, et scio quia vera sunt quæ in libello mihi tradito sunt conscripta. Quære remedium quomodo poterit ibi maliguitas ista extingui antequam flamma exsurgat, quæ post demum extingui non poterit sine sanguine spiritali.

BALUZII NOTÆ.

Hinc opus sarsorium apud Ennodium, cum variæ discolorum marmorum crustæ committuntur, ut unum corpus et unam quasi picturam efficiant; quemadmodum illic annotavit Sirmondus.

Bovi servo publico. Officiali, apparitori.

Epistolas episcoporum quas pro Nundinario scripserant ad Silvanum episcopum Cirtensem et ad clerum plebemque ejusdem civitatis. Meminit harum epistolarum sanctus Augustinus epist. 162, 165.

A Forte. Verum est Fortem quoque scripsisse pro Nundinario. Attamen oportet ejus nomen heic loco non suo positum esse, aut postea desunt aliquot verba quæ doceant epistolas episcoporum factas a Forte et cæteris.

Exemplar lib. tra. episcopis. Hæc verba desunt in veteri exemplari, per incuriam videlicet et oscitantiam librarii. Supplenda autem sunt ex libro tertio sancti Augustini contra Cresconium, cap. 29.

Fur rerum pauperum. Ideo Silvanus dicitur fur rerum pauperum quia viginti folles, quos Victor fullo dederat ut fieret presbyter, apud se retinuerat, nullaque eorum pars pervenerat ad populum, in quo pauperes, ut legitur infra, p. 25, col. 1. Præterea idem cum reliquis episcopis, quos propterea sanctus Augustinus in libro primo contra Parmenianum, cap. 3, vocat fures ecclesiasticæ argenti, diviserat quadringentos folles quos Lucilla clarissima fœmina dedit ut Majorinus fieret episcopus; quorum nullam partem ad pauperes pervenisse scribitur pag. 24, col. 2, et p. 25, col. 1.

De quadring. fol. Hic locus restitutus est ex Augustino. Male enim in veteri exemplari scriptum est: *scitis et vos et Lucilla consul felix pro quod vobis*, etc. Scriptum erat in antiquiori codice *Lucilla C. F. pro quod*. Itaque cum librarius non intelligeret notas illas, perperam interpretatus est.— *Follibus.* Monetæ genus. Vide Glossarium Dufresnii et Jacobi Gothofredi Notas ad Codicem Theodosianum. Vide etiam Sirmondum ad sermonem 39 sancti Augustini, ubi conjicit follium et solidorum nostratium eumdem valorem esse vel affinem.

Lucillæ. Fœmina fuit dives et factiosa : *quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem*, ut ait Optatus, *dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum et potum os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, et cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed necdum vindicati, correpta, cum confusione irata discessit. Irascenti et dolenti, ne disciplinæ succumberet, occurrit subito persecutionis enata tempestas.* Meminit autem hujus loci sanctus Augustinus libro primo contra Parmenianum, cap. 3 et in epistola 162.

Inde factum est schisma. Optatus paulo post locum heic descriptum : *Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit. Ab iis tribus personis contra Cæcilianum causæ conflctæ sunt ut vitiosa ejus ordinatio diceretur* : — a Botro nimirum, Celesio, et Lucilla. Itaque iracundia referri sine dubio debet ad Lucillam, ambitus ad Botrum et Celesium, qui apud Carthaginem ordinanari cupiverant, avaritia ad Episcopos qui Majorinum ordinarunt, qui folles quadringentos, quos Lucilla dederat, inter se diviserunt, et amore pecuniæ episcopum levarunt adversus Cæcilianum. Erat autem Majorinus domesticus Lucillæ, ut idem Optatus docet.

Purpurius episcopus. Limatensis, quem homicidam vocat Optatus, quod interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diceretur, confessus sit dicens : *Et occidi non eos solos, sed et quicumque contra me fecerit.* Sumpsit ista Optatus ex actis Concilii Cirtensis, quæ extant apud sanctum Augustinum lib. III contra Cresconium, cap. 27. Limata ergo fuit civitas Numidiæ.

Lapidatus. Id est, degradatus, ut ait Augustinus, adeoque contumelia affectus. Infra, p. 23, col. 1, *a quibus lapidarentur pro veritate.* Vide Glossarium Dufresnii.

Non est verum. Id est æquum. Livius, lib. XXXII : *Cæterum et sociorum audiri postulata verum esse.* Apud sanctum Ambrosium, epist. 70 legitur : *Tributarios perditum iri nequaquam justum et æquum.* Pro quo in vetustissimo codice ms. Ecclesiæ Bellovacensis vidi scriptum *verum*.

Sine sanguine spiritali. Locus est elegantiæ non vulgaris. Sanguinem spiritalem fundi ait cum dis-

Digitized by Google

Adhibete conclericos et seniores plebis ecclesiasticos viros, et inquirant diligenter quæ sunt istæ dissensiones, ut ea quæ fiunt secundum fidei præcepta fiant. Non declinabis ad dextram vel ad sinistram. Libenter autem aurem commodare nolis malis instructoribus, qui nolunt pacem. Omnes nos occiditis, *et alia manu*, Vale. Item et exemplum epistolæ. Purpurius episcopus clericis et Senioribus Cirtensium in Domino æternam salutem. Clamat Moyses ad omnem senatum filiorum Israel, dixitque illis, quæ Dominus jubeat fieri sine consilio seniorum nihil agebatur. Itaque et vos, carissimi, quos scio omnem sapientiam cœlestem et spiritalem habere, omni vestra virtute cognoscite quæ sit dissensio hæc et perducite ad pacem. Dicit enim Nundinarius diaconus quod nihil vos lateat unde hæc dissensio est inter carissimum nostrum Silvanum et ipsum. Tradidit enim mihi libellum in quo omnia sunt conscripta. Dixit enim et vos non latere. Ego scio quia auris non est. Bonum quærite remedium quomodo extinguatur hæc res sine periculo animæ vestræ; ne subito cum personam accipitis, in judicio veniatis. Justum judicium inter partes judicate secundum gravitatem vestram et justitiam. Cavete vobis ne declinetis in dexteram neque in sinistram. Dei res agitur, qui scrutatur cogitationes singulorum. Elaborate nemo sciat quæ sit conjuratio hæc. Vera sunt quæ libello continentur, non est bonum. Dicit enim Dominus: *Ex ore tuo condemnaberis, et ex ore tuo justificaberis* (*Matth.* XII). Item alia recitata. Silvano fratri carissimo Fortis in Domino æternam salutem. Venit ad me filius noster Nundinarius diaconus, et retulit ea quæ inter te et illum contigerunt per malivoli intercessum, qui vult animas justorum a via veritatis avertere. Cum hæc audirem, mente defectus sum, quod talis dissensio inter vos venit. Dei enim sacerdos ut ad hoc veniat quod non nobis expediat fiat. Nunc ergo petite cum ut, quod potest, cum ipso pax Domini salvatoris Christi sit. Non ad publicum veniamus et a gentibus damnemur. Scriptum est enim: *Videte ne dum mordetis, et causamini in invicem, ab invicem consumamini* (*Gal.* V). Ergo peto Dominum ut tollatur de medio nostrum hoc scandalum, ut possit res Dei cum gratiarum actione celebrari, Domino dicente: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quæ pax potest esse ubi dissensio est, æmulationes sunt? Nam cum ego a militibus essem ass. separatus et in illo venissem, cum injuria tali, Deo commendavi animam meam, et remisi tibi, quia Deus videt mentes hominum et eorum, sive a te ad illos perductus sum, sed Deus nos liberavit, et tecum servimus. Ergo, sicuti dimissum est nobis, et vos reconciliamini paci, ut in nomine Christi possimus cum gaudio pascha celebrare. Nemo sciat. Fratribus et filiis, clero et senioribus, Fortis in Domino æternam salutem. Venit ad me filius meus Nundinarius diaconus vester, et retulit de ea quæ contra vos sunt gesta, necnon utique a vobis debuit componi, ne ventum esset ut talem insaniam passi, a quibus lapidarentur pro veritate, quod et vos et nos scimus, sicuti nobis retulistis et scriptum est: *Non est sapiens quisquam inter vos qui possit judicare inter fratres? sed frater cum fratre judicatur, sed apud infideles* (I *Cor.* VI). Sicuti vos cum in judicio non intenditis, sic ad hoc exilitum est ut gentibus demus tale exemplum, ut qui per nos Deo credebant, ipsi nobis maledicant, cum ad publicum pervenimus? Ergo, ne ad hoc veniatur, vos, qui spiritales estis, facite ut nemo sciat, ut cum pace Pascha celebremus, et hortemini eos paci reconciliari, et dissensio non sit, ne cum ad publicum ventum fuerit, incipiatis et vos periclitari si hoc factum fuerit, et postea vobis imputetis. Dabitis quam plurime, tu possessor Donati presbyter, singuli Valeri et Victor, qui omnia scitis actum, date operam ut pax sit vobiscum. Item alia recitata. Fratri Silvano Sabinus in Domino æternam salutem. Pervenit ad nos Nundinarius filius tuus, non tantum ad me, sed et ad fratrem nostrum Fortem, fortem et gravem querelam referens. Miror gravitati tuæ, sic te egisse cum filium tuum, quem tu nutristi et ordinasti. Si enim ædificium terræ structum sit, non additur quid cœleste, quod per manum sacerdotis ædificatur. Sed non est tibi mirandum, Scriptura dicente: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (I *Cor.* I). Et iterum dicit: *Potius dilexerunt homines tenebras magis quam lucem* (*Joan.* III). Sicuti et tu facis. Sufficiat vobis omnia scire, super quod et frater noster Fortis tibi scripsit. Nunc petierim de charitate tua, frater benignissime, ut suppleas dictum Esaiæ prophetæ: *Expellite malignitatem de animis vestris, et venite, disputemus, di-*

BALUZII NOTÆ.

cordiæ gladius sævit in Ecclesiam, cum Episcopi dissident cum clericis, cum hæ dissensiones erumpunt in vulgus et dant locum sermonibus.

Purpurius episcopus. Hæc non extant in veteri codice, neque in editione Massoni, ubi locus vacuus relictus est. Nos itaque addidimus, quia ex contextu sequentis epistolæ apparet et istius et superioris eumdem esse auctorem.

Silvano. Et hanc quoque vocem nos addidimus. Nam hoc relictus erat locus vacuus in veteri exemplari et in editione Massoni. Certum quippe est hanc epistolam scriptam esse ad Silvanum, cum in ea agatur de discordia quæ inter illum erat et Nundinarium diaconum.

Fortis. Episcopus, cujus jam supra mentio. Cujusnam vero sedis Episcopus fuerit, mihi non est compertum. In collatione prima Carthaginensi, cap. 163, memoratur Fortis episcopus Cediensis.

Pacem celebrare. Leg. *Pascha*, quod sequentia probant. Pag. 23, col. 2, *ut cum pace Pascha celebremus*. Et infra: *Nundinarius in pace tecum Pascha celebret.*

Fratribus et filiis. Id est, Clericis et Senioribus Ecclesiæ Cirtensis, ut in superioribus.

Judicatur, sed apud. Ita vetus codex. Massonus edidit: *judicio contendit, et hoc apud.*

Fratri Silvano Sabinus. Et hæc quoque nos addidimus; quæ neque in veteri libro habentur, neque in editione Massoni. Certa autem est hæc restitutio. — Sabinus, episcopus Numida.

Digitized by Google

cit Dominus (*Isa.* 1). Et iterum : *Projicite malum de medio vestrum.* Sic et tu fac. Subjuga et averte seditionem, quæ noluerunt esse pacem inter te et filium tuum. Sed filius tuus Nundinarius in pace tecum Pascha celebret, ne res ad publicum veniat præterea jam omnibus nobis nota. Rogaverim te, frater benignissime, mediocritatis meæ compleas petitionem. Nemo sciat. Item alia recitata. Fratri Forti Sabinus in Domino æternam salutem. Quæ sit charitas juxta omnes collegas, certus sum peculiariter, tamen secundum Dei voluntatem qui dixit : *Quosdam diligo super animam meam.* Silvanum te coluisse certus sum. Quare non dubitavi hæc scripta ad te dare, quia scripta tua ad eum facta dari feci propter nomen Nundinarii : et qui impigre agit, semper res Dei impetu procedit. Ne prætendas excusationem. Occupatio namque nos diebus istis stringit, et incunctanter commovet circa hæc usque ante diem solemnissimum Paschæ, ut per te fiat pinguissima pax, ut digni cohæredes Christi inveniamur, qui dixit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Et iterum. Peto ut facias. *Et alia manu.* Opto te in Domino bene valere et nostri memorem esse. Vale. Sed rogo te, nemo sciat. Quibus lectis Zenophilus v. c. consularis dixit : Et actis et litteris quæ recitatæ sunt traditorem constat esse Silvanum ; et Victori dixit : Simpliciter confitere utrum scias eum aliquid tradidisse. Victor dixit : Tradidit, sed non me præsente. Zenophilus v. c. consularis dixit: Quid administrabat tunc Silvanus in clero? Victor respondit : Sub Paulo episcopo orta est persecutio, et Silvanus subdiaconus fuit. Nundinarius diaconus respondit : Quando ventum est illic, ait, ut factus esset episcopus, respondit populus : Alius fiat, exaudi, Deus. Zenophilus v. c. consularis Victori dixit : Dictum est a populo, Silvanus traditor? Victor dixit : Ego ipse luctatus sum episcopus. Zenophilus v. c. consularis Victori dixit : Ergo scichas traditorem? De hoc confitere. Victor respondit : Traditor fuit. Nundinarius diaconus dixit : Vos seniores clamabatis : Exaudi, Deus, civem nostrum volumus, ille traditor est. Zenophilus v. c. consularis Victori dixit: Clamasti ergo cum populo quod traditor esset Silvanus, et non deberet fieri episcopus? Victor dixit : Clamavi et ego et populus. Nos enim civem nostrum petebamus integrum virum. Zenophilus v. c. consularis dixit : Qua causa putabatis eum non mereri? Victor dixit : Integrum petebamus, et civem nostrum.

A Sciebam enim causam imperatorum (*f. ante imperatores*) ad hoc nos esse venturos, dum enim talibus committitur. Item inductis et applicitis Victore Samsurici et Saturnino fossoribus, Zenophilus v. c. consularis dixit : Quis vocaris? Respondit : Saturninus. Zenophilus v. c. dixit : Cujus conditionis es? Saturninus respondit : Fossor. Zenophilus v. c. consularis dixit : Silvanum scis esse traditorem? Saturninus dixit : Scio lucernam tradidisse argenteam. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Quid aliud? Saturninus respondit : Aliud nescio, nisi quia de post orcam eam ejecit. Et remoto Saturnino, Zenophilus v. c. consularis dixit adstanti : Et tu, quis vocaris? Respondit : Victor Samsurici. Zenophilus v. c. consularis dixit : Cujus conditionis es? Victor dixit : B Artifex sum. Zenophilus v. c. dixit : Tabulam argenteam quis tradidit? Victor respondit : Non vidi. quod scio, hoc dico. Zenophilus v. c. consularis dixit Victori : Licet jam constiterit ex responsione eorum qui supra sunt interrogati, tamen tu confitere utrum Silvanus traditor sit. Victor dixit : Secundo petito quomodo hoc dimisit ut duceremur ad Carthaginem, ore ipsius episcopi audivi. Data est mihi lucerna argentea, et capitulata argentea, et has tradidi. Zenophilus v. c. Victori Samsurici dixit : A quo audisti? Victor dixit : A Silvano episcopo. Zenophilus v. c. consularis Victori dixit : Ab ipso audisti quod tradidisset? Victor dixit : Ab ipso audivi quod suis manibus tradidisset illas. Zenophilus v. c. dixit : Ubi audisti? Victor dixit : In basilica. Zenophilus v. C c. consularis dixit : Apud Constantinam? Victor dixit : Ibi cœpit alloqui populum dicens : De quo dicunt me traditorem esse, de lucerna et capitulata? Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : Quid aliud putas ex his esse quærendum? Nundinarius dixit : De cupis fisci, quis illas tulit? Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit ; Quas cupas? Nundinarius dixit : In templo Sarapis fuerunt, et tulit illas Purpurius episcopus ; acetum quod habuerunt, tulit illum Silvanus episcopus, Dontius presbyter, et Lucianus. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit: Sciunt id factum qui assistunt? Nundinarius respondit : Sciunt. Diaconus Saturninus dixit : Dicebant majores nostri quia sublatæ sunt. Zenophilus v. c. consularis dixit : A quo sublatæ dicuntur? Saturni- D nus dixit : A Purpurio episcopo, et acetum a Silvano et Dontio et Superio presbyteris et Luciano diacono. Nundinarius dixit : Viginti folles dedit, et fac-

BALUZII NOTÆ.

Diebus istis. Paschalibus.

Quid administrabat. Hic locus mendosus est apud sanctum Augustinum, ubi sic legitur, lib. III contra Cresconium, cap. 29 : *Quis administrabat? Tunc Silvanus in clericatu respondit, sub Paulo.* Et lib. IV, cap. 56 : *Qui administrabat? Tunc Silvanus in clericatu victor respondit : sub Paulo.* Hinc ergo emendandus utrobique est Augustinus.

Silvanus subdiac. fuit. Meminit hujus loci Augustinus in epistola 165. Is ergo ex Subdiacono Pauli Cirtensis episcopi, in cathedra ejus postea locatus est.

Civem nostrum. Id est, Donatum, ut constat ex pagina sequenti extrema.

Tabulam. Jam supra monuimus aut mendosum esse hunc locum, aut per tabulam debere intelligi capitulatam cujus et hoc et apud Augustinum mentio est.

Acetum. Sive acetabulum. Vide Glossarium Dufresnii.

Superio. Vetus exemplar et editiones omnes habent *Luciano*, certo errore. Nos Superii nomen ideo substituimus, quia infra, dum ista repetuntur, semper Superii nomen ponitur pro Luciano. Lucianus enim diaconus tantum fuit, ut statim dicitur.

Digitized by Google

tus est presbyter Victor? Saturninus dixit. Et cum diceret, Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Cui dedit? Saturninus dixit : Silvano episcopo. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Ergo, ut fieret presbyter, Silvano episcopo viginti folles præmium dedit? Saturninus dixit : Dedit. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Ante Silvanum positum est? Saturninus dixit : Ante cathedram episcoporum. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : A quo pecunia sublata est? Nundinarius dixit : Ipsi episcopi diviserunt eam inter se. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : Donatum desideras exhiberi? Nundinarius dixit : Utique veniat, de quo clamavit populus biduo post pare : Exaudi, Deus, civem nostrum volumus. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : Certe clamavit hoc populus? Respondit : Clamavit. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Traditorem clamavit Silvanum? Saturninus dixit : Utique. Nundinarius dixit : Quando factus est episcopus, non illi communicavimus, quia dicebatur traditor esse. Saturninus dixit : Quod dicit, verum est. Nundinarius dixit : Vidi quia Mutus harenarius tulit eum in collo. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Sic factum est? Saturninus dixit : Sic. Zenophilus v. c. consularis dixit : Vera sunt omnia quæ dicit Nundinarius, quia ab harenariis factus est episcopus Silvanus? Saturninus dixit : Vera Nundinarius dixit : prostibulæ illic fuerunt. Zenophilus v. c. consularis Saturnino dixit : Harenarii illum gestaverunt? Saturninus dixit : Ipsi eum tulerunt, et populus. Nam cives in area martyrum fuerunt inclusi. Nundinarius diaconus dixit : Numquid populus Dei ibi fuit? Saturninus dixit : In casa majore fuit inclusus. Zenophilus v. c. consularis dixit : Certa omnia quæ dicit Nundinarius, vera sunt? Saturninus dixit : Vera. Zenophilus v. c. consularis dixit : Tu quid dicis? Victor dixit : Vera sunt omnia, Domine. Nundinarius dixit : Purpurius episcopus tulit centum folles. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : De quadringentis follibus quos putas interrogandos? Nundinarius dixit : Lucianus diaconus exhibeatur, quia ipse totum scit. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : Iine sciunt? Nundinarius dixit : Non sciunt. Zenophilus v. c. consularis dixit : Exhibeatur Lucianus. Nundinarius dixit : Sciunt isti acceptos esse quadringentos folles ; sed quia episcopi eos diviserunt, nesciunt. Zenophilus v. c. consularis Nundinario et Victori dixit : Scitis acceptos esse folles a Lucilla? Saturninus et Victor dixerunt : Scimus. Zenophilus v. c. consularis dixit : Pauperes non acceperunt? dixerunt : Nemo nihil accepit. Zenophilus v. c. consularis Saturnino et Victori dixit : Nihil de fano Sarapis sublatum est? Saturninus et Victor dixerunt : Purpurius tulit cupas, et Silvanus episcopus, et Dontius et Superius presbyteri, et Lucianus diaconus tulerunt acetum. Zenophilus v. c. consularis dixit : Responsione Victoris grammatici et Victoris Samsurici et Saturnini claruit vera esse omnia quæ suggessit Nundinarius. Submoveantur et exeant. Zenophilus v. c. consularis dixit : Quos alios putas interrogandos? Nundinarius dixit : Castum diaconum, ut dicat si non est traditor. Ipse illum ordinavit. Et inducto et applicito Casto diacone, Zenophilus v. c. consularis dixit : Quis vocaris? Respondit : Castus. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit : Cujus conditionis es? Castus dixit : Nullam dignitatem habeo. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit ; Licet nunc per Victorem grammaticum quam etiam per Victorem Samsurici et Saturninum venerunt in confessionem quæ Nundinarius obicit, tamen etiam tu confitere utrum traditor sit Silvanus. Castus respondit : Dicebat quod invenerit lucernam post orcam. Zenophilus v. c. consularis dixit Casto : Etiam de cupis de fano Serapis sublatis et aceto confitere. Castus respondit : Purpurius episcopus tulit cupas. Zenophilus v. c. consularis dixit : Acetum quis? Respondit Castus quod tulerunt inde acetum Silvanus episcopus, Dontius et Superius presbyteri. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit : Confitere quot folles dedit Victor ut presbyter fieret? Castus dixit : Obtulit, Domine, sacellum, et quid habuerit, nescio. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit : Cui datum est sacellum? Castus dixit : Illo tulit eum in casa majore. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit : Populo non est divisa pecunia? Castus respondit : Non est data, nec vidi. Zenophilus v. c. consularis Casto dixit : De follibus quos Lucilla dedit, populus minutus nihil accepit? Castus dixit : Non vidi accipere neminem. Zenophilus v. c.

BALUZII NOTÆ.

Ante cathedram. episcopor. Ergo jam tum certus ac fixus erat episcopalis cathedræ locus in Ecclesia.

Ipsi Episcopi. Ergo plures Episcopi ordinaverunt presbyterum Victorem fullonem.

Ab harenariis. Non a clero, nec ab honoratis, sed a plebecula, in qua fuerint harenarii, cujusmodi tandem generis fuerunt homines illi. Unde paulo post dicitur, *prostibula illic fuerunt*, ut ostenderetur electionem Episcopi per vim ac seditionem factam esse. Qui locus evincit justissimam esse constitutionem synodi Laodicenæ, quæ sancivit ne turbis liceret electiones Episcoporum facere.

Gestaverunt. Id est, levaverunt, tulerunt thronum Episcopi.

Area martyrum. Aream plerique interpretantur cœmeterium, auctoritate sumpta ex libro Tertulliani ad Scapulam, ubi ait sub Hilariano præside de areis sepulturarum nostrarum acclamatum ab adversariis nostris fuisse *Areæ non sint.* Verum in isto loco area martyrum non potest intelligi de cœmeterio, cum constet ædificium fuisse, in quo furens plebecula populum Dei sive cives honoratos inclusit, ut libertatem haberet constituendi quem vellet episcopum. Unde infra, p. 25, col. 1, cum Crescentianus subdiaconus interrogatus esset a Zenophilo utrum præsens fuisset cum Silvanus factus est episcopus, respondit : *Præsens cum populo fui, inclusus in casa majore.* Jam ergo habemus aream martyrum et casam majorem civitatis Cirtensis eamdem rem fuisse.

Nullam dign. habeo. Interrogatio ergo Zenophili non erat de dignitate ecclesiastica, sed de conditione civili.

Digitized by Google

consularis Casto dixit : Quo ergo pervenerunt ? Castus dixit : Nescio. Nundinarius dixit : Utique vel audisti vel vidisti si dictum est pauperibus : Dat et vobis de re sua Lucilla. Castus dixit : Non vidi aliquem accipere. Zenophilus v. c. consularis dixit : Manifesta est Casti confessio quod folles quos Lucilla donavit, populo divisos esse nesciret, et ideo amoveatur. Et applicito Crescentiano subdiacono, Zenophilus v. c. consularis dixit : Quis vocaris ? Respondit : Crescentianus. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Simpliciter sicut et cæteri confitere utrum scias traditorem Silvanum. Crescentianus dixit : Priores qui fuerunt clerici, ipsi retulerunt singula. Zenophilus vir clarissimus consularis Crescentiano dixit : Quid retulerunt? Crescentianus dixit : Referebant quod traditor esset. Zenophilus vir clar. consularis Crescentiano dixit : Dixerunt illum traditorem ? Et adjecit : Qui dicebant? Crescentianus dixit : Qui cum illo conversabantur in plebe, dixerunt quod aliquando tradidisset. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : De Silvano dicebant? Crescentianus dixit : Utique. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : cum factus fuisset episcopus, præsto fuisti? Crescentianus dixit : Præsens cum populo fui, inclusus in casa majore. Nundinarius diaconus dixit : Campenses et harenarii fecerunt illum episcopum. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Mutus harenarius certe eum sustulit? Dixit : Manifeste. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Cupas de fano Sarapis scis esse sublatas? Crescentianus dixit : Plures dicebant quod Purpurius episcopus ipse sustulerit cupas et acetum, quod ad senem nostrum Silvanum pervenenisset, et filii Ælionis dicebant. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Quid audisti ? Crescentianus dixit : Acetum sublatum a scne Silvano et Dontio et Superio presbyteris et Luciano diacono. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Ex quadringentis follibus quos Lucilla donavit, populus aliquid accepit? Crescentianus dixit : Nihil inde nemo accepit, nescio, nec quis illos erogaverit. Nundinarius dixit : Aniculæ numquam inde aliquid acceperunt? Crescentianus dixit : Nihil. Zenophilus v. c. consularis dixit : Certe quotiens aliquid tale donatur, omnes inde populares publice accipiunt. Crescentianus dixit : Non audivi vel vidi dedisse illum aliquos. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Nihil ergo datum est de quadringentis follibus populo? Crescentianus dixit : Nihil. Utique pervenisset aliqua partiuncula ad nos. Zenophilus v. c. consularis dixit : Quo ergo sublati sunt? Crescentianus dixit : Nescio. Nemo nihil accepit. Nundinarius dixit : Victor quot folles dedit ut fieret presbyter? Crescentianus dixit : Vidi allatos cophinos cum pecunia. Zenophilus v. c. consularis Crescentiano dixit : Cui dati sunt cophini ? Crescentianus dixit : Episcopo Silvano. Zenophilus v. c. consularis dixit : Silvano dati sunt? Crescentianus dixit : Silvano. Zenophilus v. c. consularis dixit : Populo nihil datum est? Respondit : Nihil. Necesse est ut et nos aliquid acciperemus, si distribuerentur sicut solet. Zenophilus v. c. consularis Nundinario dixit : Quid aliud de Crescentiano putas esse requirendum? Nundinarius dixit : Ipsud est. Zenophilus v. clar. consularis dixit : Quoniam de omnibus Crescentianus subdiaconus simpliciter confessus est, submoveatur. Item inducto et applicito Januario subdiacono, Zenophilus v. clar. consularis dixit : Quis vocaris? Respondit..... *Cætera desunt.*

ANNO DOMINI 304.

TENOR EPISTOLARUM

MENSURII AD SECUNDUM TIGISITANUM, ET SECUNDI AD MENSURIUM, DE TRADITIONE MENSURII.

(*Ex Augustino in Breviculo Collat. diei* 3, *cap.* 13, *n.* 25, *t.* IX, *col.* 638.)

Tunc Donastistæ aliquantum prælocuti sunt, quòd Mensurius qui fuerat ante Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis episcopus, tempore persecutionis tradiderit persecutoribus sanctas scripturas. Et hoc ut probarent, legerunt ejus epistolam ad Secundum Tigisitanum datam, qui tunc habebat primatum episcoporum Numidiæ. In qua epistola videbatur Mensurius velut de suo crimine confiteri : qui tamen non scripserat se sanctos codices tradidisse, sed potius ne a persecutoribus invenirentur abstulisse atque servasse ; dimisisse autem in basilica novorum quæcumque reproba scripta hæreticorum, quæ cum invenissent persecutores et abstulissent, nihil ab illo

BALUZII NOTÆ.

Campenses. In veteri codice legitur *Campeses*, eadem ratione qua frequenter scribitur *Monteses* pro *Montenses*. Per campenses autem intelliguntur qui in campis et agris habitant, ut vox ipsa loquitur. Alii sunt Campenses apud Hieronymum in epistola 57, qui et cum Arianis conjunguntur et cum Tarsensibus hæreticis. Rursum alii sunt Campitæ, ut habet editio Mariani Victorii, sive Campates, ut Joannes Andreæ episcopus Aleriensis et Desiderius Erasmus ediderunt, apud Hieronymum in fine dialogi adversus Luciferianos. Hi enim fuere iidem cum Montensibus, id est, Donatistis. Falluntur enim Erasmus et Victorius, qui existimant Montenses dictos a Montani hæresi. Falluntur, inquam, ut patet etiam ex epistola 133 ejusdem Hieronymi.

Cætera desunt. Præter ultimam partem horum gestorum, quæ desideratur, lecta sunt apud Zenophilum Consularem gesta Concilii Cirtensis, ut docet Optatus Milevitanus in libro primo : *Hi et cæteri, quos principes tuos fuisse paulo post docebimus, post persecutionem apud Cirtam civitatem, quia basilicæ necdum fuerant restitutæ, in domum Urbani Carisi consederunt die* III *Iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarii tunc diaconi testantur.* Lapsus est autem, ut hoc obiter moneam, in hujus loci interpretatione vir illustrissimus Gabriel Albaspinæus, Episcopus Aurelianensis, persecutionem quæ heic commemoratur referens ad Maxentium, cum ex gestis Concilii Cirtensis appareat heic agi de persecutione Diocletiani. Quod etiam manifeste colligitur ex Augustino, in Breviculo diei tertiæ, cap. 17. Porro gesta Concilii Cirtensis habentur, ut monuimus, apud Augustinum.

Digitized by Google

amplius postulasse. Verumtamen quosdam Carthaginensis ordinis viros postea suggessisse proconsuli, quod illusi fuerant qui missi erant ad Christianorum scripturas auferendas et incendendas, quia non invenerant nisi nescio quæ ad eos non pertinentia; ipsas autem in domo episcopi custodiri, unde deberent proferri et incendi: proconsulem vero ad hoc eis consentire noluisse. In eisdem etiam litteris lectum est, eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, et ultro dicerent se habere scripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, et ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos. Quidam etiam in eadem epistola facinorosi arguebantur et fisci debitores, qui occasione persecutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, et quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, et in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum. Crimen tamen Donatistæ non ingerebant Mensurio, nisi de codicibus traditis: mentitum eum quippe dicebant, quod illi non fuerint codices sancti, et peccatum suum tegere voluisse, quamvis et ipsam fictionem criminarentur. Recitarunt etiam rescripta Secundi Tigisitani ad eumdem Mensurium pacifice data, ubi et ipse narravit, in Numidia persecutores quæ egerint: et qui comprehensi et scripturas sanctas tradere nolentes, et multa mala passi et gravissimis suppliciis excruciati et occisi sunt: eosque honorandos pro martyrii sui merito commendavit, laudans eos non tradidisse scripturas sanctas, illius mulieris exemplo, quæ duos exploratores in Jericho (*Josue* II), in quibus figurarentur duo testamenta, vetus et novum, tradere persecutoribus noluit. Quod quidem exemplum si sub hac figura est intelligendum, Mensurium potius adjuvabat. In suis enim litteris Mensurius reprehendebat eos qui scripturas sanctas, quamvis eas non traderent, se tamen habere faterentur; quod mulier illa non fecit. Neque enim eos exploratores qui quærebantur, apud se esse confessa est, sed negavit. Scripsit etiam Secundus, et ad se ipsum missos a curatore et ordine centurionem et beneficiarium, qui peterent divinos codices exurendos, eisque respondisse, *Christianus sum et episcopus, non traditor*. Et cum ab eo vellent aliqua Ecbola, aut quodcumque accipere, neque hoc eis dedisse, exemplo Eleazari Macchabæi (II *Mac.* VI, 24), qui nec fingere voluit suillam carnem se manducare, ne aliis præberet prævaricationis exemplum. Hæ litteræ Mensurii et Secundi donec legendo terminarentur, Catholici patienter audierunt; quamvis testati fuerint eas esse familiares, nec ad causam Ecclesiæ pertinere.

Et n. 27. Hoc autem quod ei objecit Purpurius, detentum eum fuisse a curatore et ordine ut scripturas daret, idem Secundus in litteris quas Mensurio rescripserat, pene confessus est, ubi ait missum ad se fuisse a curatore et ordine centurionem et beneficiarium, et a se scripturas petitas, vel quælibet ecbola; quæ quidem se non tradidisse dixit: sed cum ipse illic commemoraverit tot martyres, qui cum tradere noluissent, excruciati et occisi sunt; quomodo ipse detentus et convictus et nolens aliquid tradere, nihil pati et dimitti potuerit, nec Mensurio scripsit, nec Purpurio respondit. Non enim centurioni et beneficiario dixit se scripturas non habere, sed respondit se omnino non tradere. Quod illi auditum quomodo illo dimisso renuntiare potuerint sine suo exitio, non apparet; præsertim quia idem Secundus non quoslibet infimos, sed etiam patresfamilias, cum hoc idem persecutoribus respondissent, crudelissimis mortibus dixit occisos.

IDEM EX EODEM.

(*Lib.* I *contra Gaudentium, cap.* 37, *n.* 47, *col* 735.)

Hoc autem Secundus etiam in litteris suis ad Mensurium datis, quas vos ipsi protulistis atque recitastis, sine ambiguitate confessus est, quod non tradiderit, sed quod ad eum pervenerint a curatore et ordine missi persecutores; quos ei Purpurius Limatensis objecit, ut scripturas traderet: quas cum ab illo peterent, se respondisse, *Christianus sum et episcopus, non traditor*, eisque nihil omnino tradere voluisse. Quod ei vultis ut credamus, cum et vos ipsi quam sit incredibile videatis, fervente illa persecutione detentum episcopum sive conventum ut scripturas dominicas traderet, nullis traditis fuisse dimissum. Nempe contendebatis non potuisse episcopos ad ordinandum episcopum ad civitatem Cirtensem persecutionis tempore convenire. Quomodo ergo persecutio illa fervebat, si potuit episcopus propter scripturas tradendas teneri, nullisque traditis impune dimitti?

ANNO 305.

ACTA CONCILII CIRTENSIS

Quæ commemorantur ab Optato, lib. I, § 14, *p.* 14. (*Ex Augustino, lib.* III *contra Cresconium cap.* 27, *n.* 30, *tom.* IX, *col.* 510).

Diocletiano octies, et Maximiano septies consulibus, quarto nonas martii, Cirtæ, cum Secundus episcopus Tigisitanus primæ cathedræ consedisset in

VALESII NOTÆ.

Ecbola. Hic dicuntur ejectamenta, seu res quarum nullus est usus. Huc pertinet illud Silvani in actis supra relatis lib. III, contra Cresconium cap. 29: *Nihil hic remansit, totum hoc ejecimus.*

Diocletiano octies. Gesta hæc Cirtensis Concilii in exemplari quod Carthaginensis collationis tempore diligentius inspectum fuit, consignata erant anno *post Consulatum Diocletiani novies et Maximiani octies, tertio nonas Martias*, id est, anno Christi 305, ut testatur Augustinus infra in Breviculo collationis, die 3, cap. 17. Apud Optatum, lib. I contra Parmenianum, idem Cirtensis consessus notatur habitus *post persecutionem, die 3 Iduum Maiarum*, ubi *persecutionem*, non Maxentii, uti Albaspinæus voluit, sed *codicum tradendorum*, ex Augustino in fine capitis præcedentis intelliges. Cessavit hæc persecutio consulatu Diocletian IX et Maximiani VIII.

Digitized by Google

domo Urbani Donati, idem dixit : Probemus nos primo, et sic poterimus hic ordinare episcopum. Secundus Donato Masculitano dixit : Dicitur te tradidisse. Donatus respondit : Scis quantum me quæsivit Florus ut thurificarem, et non tradidit me Deus in manibus ejus, frater : sed quia Deus mihi dimisit, ergo et tu serva me Deo. Secundus dixit : Quid ergo facturi sumus de martyribus? Quia non tradiderunt, ideo et coronati sunt. Donatus dixit : Mitte me ad Deum, ibi reddam rationem. Secundus dixit : Accede una parte. Secundus Marino ab Aquis Tibilitanis dixit : Dicitur et te tradidisse. Marinus respondit Dedi Pollo chartulas, nam codices mei salvi sunt. Secundus dixit : Transi una parte. Secundus Donato Calamensi dixit : Dicitur te tradidisse. Donatus respondit : Dedi codices medicinales. Secundus dixit : Transi una parte. *Et alio loco :* Secundus Victori a Rusiccade dixit : Dicitur te tradidisse quatuor Evangelia. Victor respondit : Valentianus curator fuit, ipse me coegit ut mitterem illa in ignem. Sciebam illa deletitia fuisse. Hoc delictum mihi indulge, et indulget mihi et Deus. Secundus dixit : Transi una parte. *Et alio loco :* Secundus Purpurio a Limata dixit : Dicitur te necasse filios sororis tuæ duos Milei. Purpurius respondit : Putas me terreri a te, sicut et alteri? Tu quid egisti, qui tentus es a curatore et Ordine ut Scripturas dares? Quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti aut jussisti dari quodcumque? Nam non te dimittebant passim. Nam ego occidi et occido eos qui contra me faciunt. Ideo noli me provocare ut plus dicam. Scis me de nemine tractare. Secundus minor patruo suo Secundo dixit : Audis quæ dicat in te? Paratus est recedere, et schisma facere, non tantum ipse, sed et omnes quos arguis, quos scio quia dimittere te habent, et dare in te sententiam, et remanebis solus hæreticus. Ideo quid ad te pertinet, quis quid egit? Deo habet reddere rationem. Secundus Felici a Rotaria centurioni et Victori a Garbe dixit : Quid vobis videtur? Responderunt : Habent Deum, cui reddant rationem. Secundus dixit : Vos scitis et Deus. Sedete. Et omnes responderunt : Deo gratias.

ANNO DOMINI 311.

SUMMA ACTORUM CONCILII CARTHAGINENSIS

EPISCORUM 70 NUMIDARUM, QUI CÆCILIANUM DAMNAVERUNT ET MAJORINUM ORDINARUNT.

De quo Optatus lib. 1, § 19, *p.* 18.

(*Ex Augustino in Breviculo Collat. diei* 3, *cap* 14, *n.* 26, *t.* IX, col. 639).

Et recitatum est a Donatistis concilium ferme septuaginta episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverunt, quod ad eos venire noluerit, tamquam a traditoribus ordinatus, et quia cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegæ Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maxime Felix Abtugnensis acerbius accusatus est, ita ut *fons malorum omnium diceretur*. Deinde sententiæ a singulis dictæ sunt, primitus a Secundo Tigisitano, qui eorum Princeps fuit; deinde a cæteris, quibus expresserunt se Cæciliano et collegis ejus non communicare.

SENTENTIA MARCIANI UNIUS EX EPISCOPIS

Qui huic Concilio Carthaginensi aderant.

(*Ex Auctore Libri contra Fulgentium Donatistam Augustino perperam ascripti, cap.* 26, *in Appendice, t.* IX *Aug.*, col. 774.

Marcianus vester inter cæteros talem sententiam protulit dicens, quam utique septuaginta qui aderant non improbabant. In Evangelio suo, *inquit*, Dominus ait : Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola ; omnem palmitem in me non afferentem fructum, excidet et projiciet, et omnem manentem in me et fructum ferentem purgat illum. Sicut ergo palmites infructuosi amputati projiciuntur ; ita thurificati, traditores, et qui in schismate a traditoribus ordinantur, manere in Ecclesia Dei non possunt, nisi cognito ululatu suo per pœnitentiam reconcilientur. Unde Cæciliano in schismate a traditoribus ordinato non communicare oportet.

ANNO DOMINI 312.

EPISTOLA

CONSTANTINI AD ANULINUM AFRICÆ PROCONSULEM

Ut restituantur Ecclesiæ Catholicæ quæ ad eam pertinebant (Vide supra, col. 479).

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD ANULINUM PROCONSULEM AFRICÆ.

De immunitate Clericorum Ecclesiæ Catholicæ, cui Cæcilianus præest. (Vide supra, col. 481).

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD CÆCILIANUM

Qua pecunias Ecclesiis donat et eos reprehendit qui in Africa Catholicam Ecclesiam impugnabant. (Vide supra, col. 481).

NOTÆ.

Consedisset in domo. Optatus lib. 1 : *Quia basilicæ*, ait, *necdum fuerunt restitutæ, in domum Urbani Carisii consederunt.*

Delitilia fuisse. In mss. *delitilia fuisse.*

Et indulget mihi et Deus. Sic mss. At editi, *et indulgebit mihi Deus.*

A Limata. Optimæ notæ Corbeiensis codex, *a Liniata.* In Aug. epistola 43, nonnulli codices *Liniacensem* ferunt, pro *Limatensem.*

A Rotaria centurioni. Idem Corbeiensis codex, *a Rotoria Centurionis.* Alii etiam mss. habent genitivo casu, *Centurionis.* Multo aliter legebat Optatus, qui de eodem Cirtensi consessu agens lib. 1, ait, *Consulti sunt qui remanserant, id est, Victor Garbiensis, Felix a Rotario, et Nabor a Centurion. etc.*

Collegæ Ceciliani. Inter Cæciliani collegas ibi traditionis nomine commemoratos, fuerunt Novellus Tyzicensis et Faustinus Tuburbitanus, ex lib. post collationem ad Donatistas, cap. 22.

Digitized by Google

RELATIO

ANULINI PROCONSULIS AD IMPERATOREM CONSTANTINUM,

Cum libello donatistarum imperatori oblata.

(Vid. supra, col. 479.)

Episcoporum partis Majorini preces ad Constantinum.

Rogamus te, o Constantine optime imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros imperatores persecutionem non exercuit; et ab hoc facinore immunis est Gallia : nam in Africa inter nos et cæteros episcopos contentiones sunt : petimus ut de Gallia nobis judices dari præcipiat Pietas tua. Datæ a Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, et cæteris episcopis partis Donati.

ANNO DOMINI 313.

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS

Qua concilium Romæ fieri jubet ad judicandam causam Cæciliani. (Vide supra, col. 478.)

DE ROMANO CONCILIO SUB MILTIADE (1).

Dati sunt judices (2), Maternus ex Agrippina civitate, Rheticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis, et ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino ter et Licinio ter Coss. sexto nonas octobres (3) die sexta feria (4). Cum consedissent Miltiades episcopus urbis Romæ, et Rheticius et Maternus et Marinus episcopi Gallicani, et Merocles a Mediolano, Florianus a Cæsana, Zoticus a Quintiano, Stemnius ab Arimino (5), Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Savinus a Terracina, Secundus a Prænesto, Felix a Tribus Tabernis, Maximus ab Ostia (6), Evandrus ab Ursino, Donatianus a Foro Claudii : his decem et novem consedentibus episcopis, causa Donati et Cæciliani in medium missa est. A singulis in Donatum (7) dictæ sunt sententiæ : *Quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Testes inducti a Donato, confessi sunt se non habere in Cæcilianum quod dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est (8) his etiam verbis : *Cum constiterit Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit* (1), *suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo.* Sufficit ergo et Donatum tot sententiis percussum esse, et Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab episcopis (2) credidit. Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit : *O rabida furoris audacia ! Sicut in causis Gentilium fieri assolet, appellationem interposuerunt* (3).

Eunomius et Olympius episcopi in Africam missi, Carthaginensibus contra partem Donati declarant ubi sit Catholica, et sententiam a concilio Romano pro Cæciliano dictam corroborant (4).

Eodem tempore idem Donatus petiit, ut ei reverti licuisset, et nec ad Carthaginem accederet (5). Tunc a Filumino suffragatore ejus Imperatori suggestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur; et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius et Olympius. Venerunt, et apud Carthaginem fuerunt per dies quadraginta, ut pronuntiarent ubi esset Catholica. Hoc seditiosa par Donati fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti. Novissima sententia eorumdem episcoporum Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam esse Catholicam, quæ esset in toto terrarum orbe diffusa; et sententiam decem et novem episcoporum jamdudum datam dissolvi non posse. Sic communicaverunt clero Cæciliani, et reversi sunt. De his rebus habemus volumina actorum. Quod si quis voluerit, in novissimis partibus legat. Inter hæc Donatus ultro prior ad Carthaginem rediit. Quo audito Cæcilianus ad suam plebem properavit. Hoc modo iterum renovellatæ sunt partes. Constat tamen et Donatum tot sententiis esse percussum et Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronuntiatum.

ANNO DOMINI 314.

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD ABLAVIUM,

Qua Cæcilianum et alios episcopos Afros ad oppidum Arelatense mitti jubet. (Vid. supra, col. 485.)

(1) Ex Optato, lib. 1.

(2) In Germanensi ms., loco *judices*, legitur *principes*.

(3) In eodem codice : *Constantino quarto et Licinio, sexto nonas octobris.* Apud Augustinum in libro post Collationem, n. 56 : *Constantino ter et Licinio iterum consulibus, sexto nonas octobres.*

(4) Anno Christi 313.

(5) Germanensis ms. : *Florianus a Sinna, Zonticus a Quintiano, Stennius ab Arimino.*

(6) Idem ms. : *Maximus a Tribus-Ostiis.*

(7) Donatum a Casis Nigris, ex August. in Brevic. Collat. 3, cap. 12 et 17.

(8) Idem ms., *coagulatum est.*

(1) Idem codex, *in aquila professione constiterit.*

(2) In eodem codice deest, *ab episcopis.* — Germanensis codex, *appellandum esse episcopus credidit, et cætera.*

(3) Verba hæc Constantini leguntur in epistola ad episcopos scripta post Arelatense Concilium. Prolata ergo fuerunt a Constantino, cum ad ipsum Donatistæ ab Arelatensi judicio appellarunt. Confer Augustini epist. 43, n. 20.

(4) Ex Optato, lib. 1.

(5) Sic locum hunc Germanensis manuscripti auctoritate restitutum imus. Nam in Optati editis legebatur, *ut ei reverti ad Carthaginem contingeret :* quam licentiam revertendi Carthaginem, ubi schisma fecerat, Donatum illum jam damnatum, et hunc quidem non Carthaginis, sed Casarum-Nigrarum episcopum, petere ausum fuisse nemo facile crediderit, ut jam observavimus supra, in Breviculo Collationis die 3, cap. 20.

Digitized by Google

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS,

Qua Chrestum ad concilium in Arelatensem civitatem convenire jubet. (Vide supra, col. 485).

EPISTOLA

ARELATENSIS SYNODI AD SILVESTRUM PAPAM,

(Vid. infra, col. 815.)

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD EPISCOPOS

Post Synodum Arelatensem Scripta. (Vide supra.)

ANNO DOMINI 321.

RESCRIPTUM

CONSTANTINI AD VALERIUM *seu* VERINUM.

In indice collationis 3, *cap.* 549. Recitatur epistola Constantini ad Vicarium Verinum destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis.

Ibid. c. 550. Prosecutio Catholicorum, quæ dicit pro se magis epistolam facere Constantini, quia non de Cæciliano aliquid judicatum est, sed furori suo ipsi permissi sunt.

Augustinus in lib. post Collat. cap. 33, *testatur has* ad Valerium *seu* Verinum Vicarium de illorum exilio soluto, et eorum furore Deo vindici dimittendo litteras datas Crispo et Constantino iterum consulibus tertio Nonas Maias, id est, post quartum annum et mensem fere sextum, *elapsum a tempore rescripti Eumalio directi. Confer Breviculum Collat.* 3, *c.* 22, *et epist.* 141, *n.* 9, *tom.* II, *op. Aug.*

ANNO DOMINI 330.

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD DONATISTAS,

Qua episcopos partis Donati ad finiendam causam Cæciliani adesse jubet. (Vid. supra, col. 489.)

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD CELSUM,

Qua promittit Constantinus ad Africam se venturum, ut inter Cæcilianum et Donatum de Schismate in Africa facto judicet. (Vid. supra, col. 489.)

EPISTOLA

CONSTANTINI AD EPISCOPOS NUMIDAS,

Ubi hæretici tulerunt basilicas a Catholicis ut ad aliam basilicam faciendam sibi locum vel domum eis dent. (Vid. suppra, col. 551.)

EPISTOLA CÆCILIANI AD FELICEM.

CÆCILIANUS PARENTI FELICI SALUTEM.

Cum ingentius collega meus Augentianum amicum suum conveniret, et inquisisset anno duoviratus mei, an aliquæ scripturæ legis vestræ secundum sacram legem adustæ sunt, quam Galatius unus ex lege vestra publice epistolas salutatorias de basilica protulerit. Opto te, parens charissime, bene valere.

PETRONIUS, ANNIANUS et JULIANUS, DOMITIO CELSO vicario Africæ.

Quoniam Lucianum, Capitonem, Fidentium et Nasutium episcopos, et Mammarium presbyterum, qui secundum cœleste præceptum Domini Constantini Maximi invicti semper Augusti ad Gallias cum aliis legis ejus hominibus venerant, dignitas ejus ad lares proprios venire præcepit; angarialem his cum annonaria competentia usque ad Arelatensem portum secundum imperatum æternitatis ejusdem clementissimi principis dedimus, frater, qua inde Africam navigent. Quod solertiam tuam litteris nostris scire conveniat. Optamus te, frater, felicissimum bene valere. Hilarius princeps obtulit IV Kalendas Maias. Triberis.

De Constantini judicio apud Mediolanum habito, ubi rursum absolutus est Cæcilianus.

In indice Collationis Carthag. 3, cap. 516, legitur, *Recitatio judicii Constantini, quo apud se quoque Cæcilianum fuisse purgatum post Arelatense concilium significat Imperator.* Ibid., cap. 521. *Interlocutio quod inter partes sententiam tulerit Imperator.* Ibid., cap. 523 : *Interlocutio hoc ipsum significans ex rescripto Principis superius recitato.* Rescriptum istud ad Eumalium vicarium Africæ, laudat Augustinus in Breviculo Collat. III, n. 37; et lib. post Collationem, n. 56, ubi datum dicit *Sabino et Ruffino consulibus, quarto idus novembres* (1). Ipsam quoque Constantini sententiam secundum Cæcilianum dictam ex eodem rescripto affert in lib. III contra Crescon., n. 82 : *Insero adhuc*, ait, *et verba Constantini ex litteris ejus ad Eumalium vicarium, ubi se inter partes cognovisse, et innocentem Cæcilianum comperisse testatur. Cum enim narrasset in his quæ supra locutus est, quemadmodum ad judicium ejus post episcopalia judicia partes perductæ fuerint : In quo pervidi, inquit, Cæcilianum virum omni innocentia præditum, ac debita religionis suæ officia servantem, eique ita ut oportuit servientem; nec ullum in eo crimen reperiri potuisse evidenter apparuit, sicut absenti fuerat adversariorum suorum simulatione compositum.* Confer. epist. 43, n. 20, t. 2.

Aliquanto post illud judicium, *legem contra partem Donati dedit severissimam*, ut testatur Augustinus in epistola 105, n. 9. *Primus adversus* eorum *errorem multa constituit, et eis basilicas jussit auferri*, ex lib. II contra Litteras Petiliani, n. 205 : præcepitque *ut loca congregationum* ipsorum *fisco vindicarentur* ex ejusdem Augustini epist. 88, n. 3. Legis Constantini contra Donatistas mentio fit a Gratiano in l. II cod. Theod., tit. *Ne sanctum Baptismo iteretur.*

EPISTOLA

CONSTANTINI IMPERATORIS AD CATHOLICAM.

(*Vid supra, col.* 491.)

ANNO DOMINI 340.

DONATISTÆ CUJUSDAM SERMO

DE VEXATIONE DONATISTARUM TEMPORIBUS LEONTII ET URSATII.

Nunc primum editus ex Codice ms. Bibliothecæ Illustriss. et Reverend. episcopi Catalaunensis, quingentorum circiter annorum, opus vetusti admodum auctoris.

IN SEQUENTEM SERMONEM ADMONITIO.

Etsi subsequens instrumentum, quod nondum edi-

(1) Die 10 novem. anni 316.

Digitized by Google

tum fuerat, non paucas in Catholicos calumnias concineat, haud debuit tamen a nobis omitti; cum magnam lucem tum Optati dictis, tum Donatistarum historiæ afferat. Sermo est habitus 4 Idus Martii in solemni et anniversaria commemoratione quorumdam Donatistarum qui apud suos pro martyribus habebantur. Inscribitur in manuscripto : *De passione sanctorum Donati et Advocati.* At in ipso sermone neutrius nomen habetur : fit tantum ibi mentio Honorati episcopi Scilibensis aut potius Sicilibensis in provincia proconsulari, qui ex Abvocatensi oppido Carthaginem venerat. Unde non Donati, neque Advocati, sed Honorati potius Passio dici deberet. Describitur autem illic militaris executio adversus aliquot Donatistas Carthagini gesta : in qua erepta est eis basilica. De tempore nihil constat; nisi quod dicitur ibi, *Cæciliano Eudinepiso tunc instante res gesta, assentiente Leontio, Duce Ursatio, Marcellino tunc Tribuno.* Cæcilianus Eudinepisus non alius est a Carthaginensi Episcopo. Nam et postea persecutio ista vocatur Cæcilianensis, erectique dicuntur in memoriam martyrum tituli, *ne alios quandoque postmodum episcopatus nomine gestæ rei expertes deceperit parricida.* Quibus verbis Cæcilianum Carthaginensem designari perspicuum est. Cum ergo is Sardicensis concilii tempore, hoc est anno 347, e vivis sublatus fuerit, et Gratus ejus successor huic Concilio interfuerit, necesse est ea quæ hic narrantur, ante hunc annum contigisse. Leontii et Ursatii velut operariorum unitatis in Donatistas sævientium non uno in loco fit mentio. Apud Optatum nostrum libro III §. 1, p. 50 et 51 : *Ab operariis unitatis multa quidem aspere gesta sunt, sed ea quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino?* et eodem in libro § x, p. 66 et 67 : *Displicent vobis tempora, nescio cujus, Leontii, Ursatii, Macarii et cæterorum..... Fuit primo tempestas sub Ursatio..... secuta est pluvia sub Gregorio..... post pluviam secuti sunt lapides sub Operariis unitatis,* Cresconius apud Augustinum dicit Silvanum Cirtensem communicare noluisse Ursatio et Zenophilo persequentibus, et ideo actum esse in exilium. Petilianus quoque Donatista commemorans eos comites qui Donatistis infensi fuerant, Ursatium inter eos commemorat : *Periit*, inquit, *Macarius : periit Ursatius, cunctique comites vestri, Dei pariter vindicta perierunt, Ursatium namque barbarica pugna prostratum sævis unguibus alites, canumque avidi dentes morsibus discerpserunt.* In Actis Collationis Carthaginensis diei 3, cap. 238, refertur epistola Januariani aliorumque episcoporum Donatistarum, in qua persecutores Donatistarum ita enumerant : *Nam ut omittamus quantus sanguis christianus effusus sit, per Leontium, Ursatium, Macarium, Paulum, Taurinum, Romanum, cæterosque executores, quos in sanctorum necem a principibus sæculi meruerunt; quando plurimi venerabiles sacerdotes occisi, alii in exilium relegati, christianitas late vexata, sacra stuprata virginitas, proscripti divites, spoliati pauperes, ablatæ basilicæ, atque acti in fugam profugi sacerdotes,* quibus consimiles sunt eæ calumniæ quæ in præsenti recitantur instrumento. De Marcellino tribuno in Africa nihil habemus : nam is profecto diversus est ab eo qui collationi Carthaginensi præfuit. Constat enim hæc contigisse Constantis imperatoris tempore, etiam antequam Paulus et Macarius in Africam mitterentur. Quippe in omnibus locis modo citatis Leontius et Ursatius Macario et Paulo ac Taurino præmittuntur : et aperte Optatus Ursatium aliis priorem fuisse ostendit : Leontium vero qui semper Macario præponitur, ejusdem ætatis cum Ursatio fuisse constat ex præsenti instrumento, in quo eodem tempore Leontius comes, et Ursatius dux fuisse perhibentur. Ursatium autem jam a temporibus Silvani Cirtensis et Zenophili pro Catholica pugnasse constat. Qui Zenophilus, anno 320, de causa Silvani cognovit, ut constat ex actis supra relatis. Videntur itaque, quæ hic referuntur contigisse circa annum 340, aut paulo post, certe antequam Macarius mitteretur in Africam circa annum 348. Donatus autem ille, cujus fit mentio in titulo, videtur esse idem cum Donato Bagaiensi qui cum Marculo passus est; de quo Optatus lib. III, § 4, p. 63, cujus etiam mentio fit martyrologio in Usuardi ad diem 1 Martii, ubi dicitur passus sub Ursatio duce et Marcellino tribuno, quod cum actis nostris concinit. Sed Donatus ille ex Augustino, Homilia XI in Joannem, in puteum missus dicitur, quod nulli e martyribus cujus fit hic mentio, convenire potest : cum omnes in basilica a militibus cæsi fuerint. Ergo alienus est titulus ab ipso sermone, uti jam observatum est. Cæterum opus istud est Afri cujusdam scriptoris non infantis, et licet in Ecclesiam catholicam egregie maledici, attamen haud indocti et imperiti : imo hominis est in sacris litteris et in christianæ doctrinæ præceptis non mediocriter versati, qui multa præclara profert, utinam in meliori causa. Antiquum esse scriptorem stylus aperte convincit, patetque, sermonem habitum eo tempore quo Donatistarum secta vigebat in Africa. Nomen scriptoris ignotum.

4. *Idus Martii Sermo de Passione SS. Donati et Advocati.*

I. Si manifesta persecutionum gesta non otiose conscripta sint, nec inconsulte in honorem martyrum et ædificationem credentium anniversaria solemnitate leguntur : cur non magis subdolæ fraudes et blandæ deceptionis insidiæ conscribantur pariter et legantur, quæ sub obtentu religionis animas fraudulenta circumventione subvertunt. Magis enim necessaria instructio illic est, ubi professa hostilitas non est, quia hostilis societas ad decipiendum facilis et proxima est, *et inimici*, inquit, *hominis domestici ejus* (*Matth.* x,

VALESII NOTÆ.

1.— *Subdola fraudes et blandæ deceptionis insidiæ.* Fatetur ergo hic scriptor persecutionem in Donatistas non fuisse similem persecutioni ethnicorum in Christianos. Hujus acta manifesta esse dicit : illius vero obscura et minus nota. De utriusque discrimine lege Optatum lib. III, § 8, p. 64.

Digitized by Google

36). Ideo alienum ab officio religionis et pietatis erit non solum martyrum glorias invida quodammodo taciturnitate comprimere, sed eo patrocinante silentio deceptoria subtilitate celare quod salutare est. Quid enim tam periculose tacetur a prudentibus, quam inutiliter a simplicibus ignoratur. Quoniam quidem, ut facile est, incautos appellatione nominis Christi a fallacibus decipi, ita necesse est fugere hoc nomen ministros Antichristi. Proditione ergo luporum latentium sub vestitu ovium aut liberabuntur instructi, qui imperitia fallebantur, aut contumaces vitio suo perient sine culpa et periculo prædicantium Christianorum ergo causa repetendi quæ gesta sunt, et utilitatis et justitiæ plena sunt, quia fideles commemorando corroborantur, et rudes quosque ad tolerantiam tentationum instigant, et inimicos detegendo condemnant. Prædicet ergo patientissimam filiorum suorum fidem pia mater Ecclesia. Recognoscat et fructum operis sui latronum crudelissimorum spelunca. Ergo jam veniamus ad causas.

II. Res apud Carthaginem gesta est Cæciliano Eudinepiso tunc instante, assentiente Leontio comite, duce Ursatio, Marcellino tunc tribuno, Diabolo tamen omnium istorum consiliatore existente. Primo etenim ut inveterato draconi mos est insitus, quasi non ipse jamdudum persecutione manifesta christiani nominis impugnator exstiterit, eos quos aperta persecutione superare non potuit, callida fraude circumvenire molitus est, ut eo facilius deceptio proderet, quo deceptionis auctor latuisset. Sed quibus præcepta divina semper sunt arma victricia, tam blandientis intellexerunt insidias quam minis sævientis tunc territi non sunt. At ubi ergo non blandiendo cautos vigilantesque fefellit, sciens invidus artifex illos quos jamdudum publica strage dejecerat, ad eum quem negaverunt reverti per pœnitentiam posse, ipsumque Dominum ad suscipiendam dolentium exomologesim promptum utpote non volentem mortem morientis, quantum ut revertatur et vivat, mentes quas in prælio tormentorum metu subegit, blandimentis adversus tempora pacis erexit, ablata humilitate, qua sola posset ira Dei indignantis mitigari, insinuat quæ superbia qua certissime scivit Deum gravius offendi, posse tenere lapsos illicite rursus ecclesiasticos honores insinuans, quos tunc tenuerant sacramentorum cœlestium desertores. Tantumdem horum falsa proditione nunc lætus, quam imbecillitate fidei nuper gavisus. Imo securior modo cum quasi episcopi vel Christiani dicuntur, quam tunc cum nominis negatione ruerunt: tantum inimicos habens ibi nomine nuncupari suos, dummodo tali fraude tutius, ut jam diximus, teneat, quos falsa appellatione ludificat: non solum oblectans inani gloria miseros, sed et regali amicitia muneribusque terrenis circumscribens avaros.

III. Tamen insatiabilis prædo moleste ferens quod non omnes hac arte possederit, subtilius argumentum ad violandum fidei sinceritatem invenit salutis inimicus. Christus, inquit, amator unitatis est, unitas igitur fiat: ante plebem nimis sibi semper obsecutam, ideoque a Deo desertam, Catholicam vocans ut de præjudicio nominis, qui communicare noluerunt, hæretici dicerentur. Mittit pecunias quibus vel fidem caperet, vel professione legis occasionem faceret avaritiæ. Sed cum his omnibus illecebrantibus tentamentis rigidus atque inflexibilis tenor justitiæ devotius obsisteret, jubentur intervenire judices, coguntur ut cogant sæculi potestates, circumdantur vexillationibus domus, proscriptionum minæ protenduntur divitibus, profanantur sacramenta, superinducta gentilitatis caterva, conventicula sacra fiunt, luculenta convivia.

IV. Jam quæ dicta vel gesta sunt, illic inter epulas lascivientium juvenum et ubi præsto fuerint aspernamenta fœminarum scelus est edicere fidelissimi fratres. Quanta repente rerum mutatio! Basilica in popinam, ne turpius dicam, conversa est. Qui dolor videre in domo Dei tantum piaculum, locum illum castis precibus et votis assuetum, incestis operibus, et spuriis vocibus profanari! Quis, oro, hominum cujuslibet extremæ conditionis intra suos parietes id fieri pateretur? Nemo hoc vellet, nisi qui et facere posset. Quis talia vel filiis diaboli auctoribus gesta negat, vel facti auctores christianos appellat, nisi qui aut ipsum diabolum excusatum velit, aut de Christo Domino aliter sentit? Quanta serpentis industria! Quanta his malis expediendis incubuit, ut tam sua familia divino nomine titulata se celaret ex nomine, quam nomen suis operibus infamaret! O veneranda divinæ patientiæ virtus! quæ tantum se extendente mali nequitia sustinens patitur, ut facta subdoli hostis sibi vel suo nomini reputet. Ne quisquam æstimet leve, quid accidere quotiens schismata et hæreses oriuntur, quarum utique ministerio profano et opere adulterino Deum et Christum infamat Satanæ transfiguratio.

VALESII NOTÆ.

II.—*Cæciliano.* Cæcilianus is est proculdubio Carthaginensis; nam postea Cæcilianensis vocatur ista persecutio, et ejus auctor episcopus. Contigerunt ergo hæc tempore Cæciliani episcopi, qui basilicam quam Donatistæ obtinebant, Ursatii opera recuperare conatus est.

Eudinepiso. Videtur istud fuisse Cæciliani cognomen.

Aperta persecutione. Ethnicorum scilicet in Christianos.

Tenere lapsos illicite rursus ecclesiasticos honores. Donatistæ discesserant ab Ecclesia sub hoc obtentu, quod catholici traditionis et idololatriæ reos ad episcopatum provexissent, aut in episcopatu reliquissent.

III.—*Unitas igitur fiat.* Hinc dicebantur operarii unitatis Leontius, Ursatius, Paulus et Macarius, quia Donatistas invitos ad unitatem Ecclesiæ compellebant.

Catholicam vocans. Diffiteri non potest scriptor ille, quin catholica diceretur Ecclesia quæ Cæciliano communicabat.

Mittit pecunias. Imperator Constans non miserat primitus Paulum et Macarium ad faciendum unitatem, sed cum eleemosynis, ut testatur Optatus, lib. III, § 3, p. 55, idem de Leontio et Ursatio docet hujus scriptor.

Digitized by Google

V. Sed ne a propositis longius evagemur, sacrarum virginum stupra prætereamus, ab illis sacerdotum Dei dissimulo cædes, contumelias, prædas et spolia taceo, ut etiam ipsi intelligant pauca nos de multo consulto decerpere, et ea breviter ac verecunde proferre, utpote qui non vindictam de inimicis studeamus exigere, sed miserorum animas de lupi rapacis faucibus et de ipso jam pene draconis ore liberare. Poterat igitur disciplinæ salutaris eversor castitatem fidei unitatis vocabulo violare, id est, unitatem ipsam sibi non Deo cogere. Quod neque rectores hujus mundi, et harum tenebrarum fieri præcipiebant, ut id quod jubebatur quale fuisset persona præcipientis indicaret. Quæ et quanta inter hæc edita Ecclesiæ Dei et Christi gloriosa exempla? quæ Christianæ professionis signa? exilia quæ? veræ fidei et integræ devotionis indicia publicata, quibus palam factis nullum potuit veritas latuisse, nisi qui contra suam conscientiam secundum Prophetæ sententiam, spem suam in mendacio ponere destinasset.

VI. Ad ultima veniamus illa quæ deficientibus fallaciis et fatigatis insidiarum machinamentis in apertas minas, manifestasque furias eruperunt. Erat tunc videre militum manus traditorum furiis ministrantes, quæ ad perpetrandum tanti facinoris opus memoratorum mercede conductæ sunt : circumstabant denique diligentissima curiositate, inspicientes ne quid illic nitius gerere crudelitati mercenariæ licuisset, quæ illam tam curiosi spectaculi intentionem non tam defensio pravæ assertionis, quam exactionem locati sanguinis profitebatur. At vero populus Dei ante, licet opinionem futuræ cædis et audierit et ex ipsa dispositione cognoverit, non solum fugatus non est imminentis exitiosæ mortis metu, quin potius ad orationis domum voto passionis animosius convolavit, ubi cum fides sacris lectionibus pascitur et imperata jejunia continuis precibus saginantur, cumque ipsa prece in manu Dei commendantur animæ iniquorum manibus propinatæ, ex castris ecce ad instar dominicæ passionis cohors militum progreditur ad Christianorum necem a Pharisæis neotericis procurata. Manus contra innocuas ad Dominum extensas armantur fustibus dexteræ, quasi minus martyrium dicerent, qui non gladiis, sed impia cæde fustibus trucidabantur.

VII. Quamquam Honoratum sanctissimi Scilibensis episcopi jugulum tribuni gladius etsi non penetravit, tamen compunxit, atque ita et illic tam ministros diaboli furor detexit, quam gloriosi antistitis patientia Christi Ecclesiam manifestavit : quia nec alius ostendebatur Christi Domini servus, quam ille qui hæc eadem patiebatur, quæ et ipse passus est Dominus : *Non est*, inquit, *servus major domino suo; si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Joan.* xv, 20). Quare cæsi hi servi Dei sunt qui a sæculo diliguntur, ostendant ipsum Dominum a sæculo fuisse dilectum. Si autem sæculum nonnisi eos qui sui sunt diligit, necesse est eos odio habeat quos de sæculo Dominus Jesus elegit. *Si de sæculo essetis*, inquit, *sæculum quod suum esset, amaret; sed quia de sæculo non estis, sed ego elegi vos de sæculo, propterea odit vos sæculum* (*Ibid.* xv, 19).

VIII. Denique hujus odii semper exitus effusione sanguinis signatus est sicut et nunc pactum conventionemque sceleris non aliter quam consignatione sanguinis transegerunt, cum omnis ætas et sexus clausis admodum oculis cæsa in media basilica necaretur. Basilica, inquam, intra cujus parietes et occisa et sepulta sunt corpora numerosa, et illic ex titulationibus nominum persecutionis etiam Cæciliianensis usque in finem memoria prorogatur : ne alios quandoque post modum Episcopatus nomine gestæ rei expertes deceperit parricida.

IX. Nam et anniversalis dies religiosa devotione non immerito celebratur : est enim honorandus dies iste, in quo et omnis Ecclesia Dei confessa, et post ejus Christi Domini æterni judicis dextera coronata est. Viderit enim cur non omnes permiserit summa pietas trucidari, tamen corda conspiciens omnium martyrum præmio muneravit, quos tota devotione pati voluisse prospexit qui non sanguinem sed fidem credentium quærit. Illum autem sanguinis omnium necesse est teneri reum quem totam interficiendam locasse plebem non est incertum.

X. Adhuc autem quod dementiæ majoris fuit, etiam post tam nefarium factum eamdem basilicam possidendam homicida putavit, quasi amore loci succumberet. Cæteri qui evaserunt Christiani a quibus videbat vitam ipsam seculi præsentis contemni, illis opinor se placiturum putavit post sanguinis maculam, quorum sanguinem appetivit, post traditionis ruinam, quos ideo persequebatur, quia communionis ejus contagium declinabant, ipsos communicaturos sibi post perpetratum homicidium promittebat. O imprudentia vanitati dementiæque permixta! qua obcæcatus latro deterrimus, id consilium statuendum putaret quo sua ipsa dispositione nescius impediretur.

XI. Jam violentiam ipsius potestatis ante oculos

VARIORUM NOTÆ.

VII.—*Honoratum.* Nomen est proprium episcopi satis commune apud Afros. Male ergo inscribuntur hæc acta Donati et Advocati passio, cum potius dici deberent Honorati Sicilibensis episcopi.

Scilibensis. Legendum *Sicilibensis.* In concilio Carthaginensi sub S. Cypriano sententiam dixit *Satius a Siciliba.* Concilio Carthaginensi anni 419, adest *Prætextatus Sicilibensis* unus ex episcopis provinciæ proconsularis. Et collat. Carth. interfuit episcopus *Sicilibensis.* Quadratianus nomine. Nota urbs ex Itinerario Antonini, ubi dicitur *Sicilibra :* apud Anonymum Ravennatem *Siciliba.* Hæc sita erat in provincia proconsulari et utrumque Tuburbum oblique respiciebat a majori M. passuum 18 distans.

VIII.— *Titulationibus.* De hujusmodi titulis sepulcrorum martyrum consule quæ diximus in nota 78, ad lib. III, p. 61.

IX.—*Anniversalis dies religiosa.* Festum agebant diem Donastitæ in commemorationem eorum qui interfecti aut male mulctati fuerant in illa occasione.

Digitized by Google

proponendam quod tunc visum est, nunc animo revolvendum. Cum Dei sacerdos ante aram sacri nominis mactaretur, cum catechumenus puer expers disciplinæ sacramentorum pene exanimis gratiam lavacri salutaris sitientissime postularet : Subvenite, ait, catechumeno mihi : anima jam Deo scilicet proxima, hoc sibi magnum voluisse contingere ultima voce signabat, si ad instar dominicæ passionis aqua sanguini jungeretur.

XII. At vero memoratus episcopus ex Abvocatensi oppido Carthaginem hospes adveniens tanta catholicæ istius humanitate hospitalitatis exceptus est, ut non ante post itineris tanti laborem vel aquæ modicum sumeret, quam sui sanguinis poculo traditorum fauces avidissimas satiasset. Unde quærendum puto qualis esse possit apostasia, si digne talis appellatur catholica. Nam et hoc ad injuriam magnopere procuravit nominis inimicus, ut eam vulgo dici fecisset catholicam, ubi impune committitur quicquid publico jure damnatur.

XIII. Interea cum traditorum votis tribunus obsequi paravisset, cumque ardorem sævitiæ sanguinis copia satiasset, basilicam rursus aliqui fratres ingressi qualia pro tempore poterant obsequia martyribus exhibebant. Quæ tunc animorum perturbatio ! qui profluvii lacrymarum ! qui lamentationum gemitus ! quæ inter cadavera trucidatorum discurrens pietas uniuscujusque jacentis faciem dignoscere properavit ! Ubi cum filii parentum, filiorum parentes prostrata corpora reperirent, videres alios suorum amplexibus inhærentes, alios repentino visu percussos consedisse semianimes, nonnullos colligendis corporibus pias manus accommodantes ; dum diversi sexus corpora aliter quam decebat jacentia, contegunt, dum membra sævis ictibus comminuta, etiamsi non officiis, locis tamen suis reddunt. Vespertinum jamjamque tempus diei illius lucem tentabat excludere, atque ita e diversis locis corpora numerosa statim festinanterque gesta sunt, ita tamen religiose laborantes ditabat Spiritus, ut ubi pastor percussus jacebat, illo et ovium grex de passione colligeretur, quod divinitus factum ipsa res protestata est ; ut qui Deo sacrificium semet obtulerant aram Dei circum per ambitum coronent, ut Episcopus cui obsequia exhibebantur a populo sacerdotium administranti, etiam martyrio promotus comitatu et obsequio suorum commartyrum frueretur.

XIV. O vere divinum et longe diversum a sapientia humana, sicut ipse Dominus ait per prophetam : *Non sunt*, inquit, *cogitationes meæ sicut vestræ, neque vestræ sicut meæ : sicut enim distat cœlum a terra, ita distant viæ meæ a viis vestris, et cogitationes vestræ a sensu meo* (*Is.* LV, 9). In acie denique nationum adversarium interfecisse victoria est : in nostro certamine occidi ab inimico triumphus est. Valde enim misere vincit, qui homicida post victoriam vivit. Gaude et exulta pia mater Ecclesia, quæ disciplinis erudita cœlestibus, inaccusabili atque illibata conflictatione luctaris. Si enim resistendum est, mente non armis resistis, si non manu sed fide congrederis. Hæc te pugnarum diversitas probat in sæculo, coronat in cœlo, commendat Domino Christo. Sic vincit qui post victoriam vinci nescit : sic triumphat cujus non finitur triumphus. Tibi soli licet pie congredi, beneficium alieno maleficio consequi, pura et virgine conscientia coronari per Christum cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI 348.

PASSIO MARCULI SACERDOTIS DONATISTÆ,

QUI SUB MACARIO INTERFECTUS A DONATISTIS PRO MARTYRE HABEBATUR.

(*Ex Analectorum Mabillonii tom.* IV, *p.* 105, *Collata ad codicem ms. Corbeiensem quingentorum circiter annorum*).

Annotatio Mabillonii in passionem Marculi.

Ut suos Ecclesia catholica martyres, sic Donatistæ et suos se habere gloriabantur. Hos inter insigniores fuerunt Donatus Bagaiensis episcopus, et Marculus presbyter, quem a Macarianis, seu traditoribus (sic illi catholicos appellabant) ex abrupti montis supercilio actum in præceps, necatumque jactabant. Res ita se habet. Constans imperator super deploratissimo Africanæ ecclesiæ statu a Grato Carthaginensi episcopo pulsatus, Paulum et Macarium *primitus non ad faciendam unitatem misit*, teste Optato Milevitano lib. III, *sed cum eleemosynis, quibus sublevata per ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas*. Hi duo dum munere suo egregie fungerentur, *et pauperes ubique dispungerent, et ad unitatem singulos hortarentur* : restitere in primis Donati duo, alter Carthaginensis, Bagaiensis alter, Donatistarum factionis antistites. Et ille quidem ipsi imperatori contumelias ingessit ; hic Agonisticos (quos vocabat) seu Circumcelliones adversus Paulum et Macarium armavit. Legati vero a Taurino comite militem armatum, qui eorum furorem comprimeret, impetrarunt. *Occisi plurimi, detruncati multi*, quos pro martyribus Donatistæ habuerunt. Ex his unus est Marculus, de quo Dativus episcopus Novapetrensis Donatista in collatione Carthaginensi, cap. 188: *Ad-*

VARIORUM NOTÆ.

XI. — *Subvenite ait*, etc. Egregia sententia, si pro bona causa proferretur.

XII. — *Memoratus episcopus*. Honoratus scilicet episcopus Sicilibensis : quod autem dicitur advenisse Carthaginem ex Abvocatensi oppido, intelligendum non de urbe cujus erat episcopus ; nam nulla est urbs hujus nominis episcopalis in Africa, sed de aliquo oppido vicino unde Carthaginem profectus fuerat.

Ubi impune committitur quicquid publico jure damnatur. Sarcasmus est et lusus in voce *Catholici*, quæ rem universalem significat. Ecclesia dicitur catholica quia universalis : at catholicæ Ecclesiæ illudens iste scriptor, alio vocem istam torquet, ut dicatur catholica, quia impune illic committitur, quod jure publico et communi damnatur. Allusio sane frigida et ridicula.

Digitized by Google

versarium non habeo, inquit, *quia illic est dominus Marculus, cujus sanguinem Deus exiget in die judicii.*

Catholici apud Augustinum sub finem tractatus II in Joannem negant Marculum a se præcipitatum, sed se ipsum præcipitem egisse dicunt : « Proferunt Donatistæ nobis nescio quos in persecutione suos martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est : ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romanæ talia supplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines? Quid autem respondent nostri? Quid gestum sit nescio. Tamen quid tradunt nostri? Quia ipsi se præcipitaverunt, et potestates infamaverunt..... Sed illi qui se mortuos coli voluerunt, famosiorem mortem non invenerunt. » Optatus in lib. III, id ipsum significare videtur his verbis : « Sic invenit Donatus Bagaiensis unde contra Macarium furiosam conduceret turbam : ex ipso genere fuerunt qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant. Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes, se præcipites dabant : » quibus verbis Marculum indicare videtur Optatus. Attamen in consequentibus idem auctor, non inficiatur, Marculum et Donatum a militibus Macarianis occisos. « Invitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter martyres ponitis : per quos, tamquam per unicam religionem, vestræ communionis homines jurant : quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se sileri non patitur. Et ex ipsis nominibus contra unitatem inconsiderate latrat invidia, et aspernantes aliqui accusandam aut fugiendam æstimant unitatem, quod Marculus et Donatus dicantur occisi et mortui. Quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi, etc. » Denique idem martyris titulum prædictis abrogat, quod *Christianorum nullum senserint bellum* : quod non amaverint pacem, *in qua prima sunt fundamenta martyrii* : quod nullam habuerint charitatem, sine qua inane est martyrium.

Nihilominus cum hæc acta in bibliotheca sancti Galli reperissemus, ea in lucem dare amicorum consilio statuimus ad illustrandam antiquitatem. Alium codicem, in quo eadem acta continentur, nobis pro sua benevolentia utendum commodavit vir doctrina et eruditione clarus, idemque antiquitatis ecclesiasticæ, maxime Africanæ, studiosissimus Antonius Faurus, doctor Sorbonicus : qui codex ab Adelelmo episcopo Ecclesiæ Laudunensi concessus est anno 921. In eodem codice exstat Macrobii epistolæ fragmentum de Isaac et Maximiano martyribus Donatistis, his actis mox subjiciendum. Cæterum Marculi acta legerat Rabanus, qui Martyrologio suo eum adscribit ad diem 7 kal. decembris cum horum actorum brevi compendio. Variat dies in codicibus mss. Sancti Gallensis habet 3 kal. Laudunensis 8 kal. ejusdem mensis. Annum 348 his Macarianis turbis Baronius assignat.

In additionibus Molani ad Usuardum ex notho Bedæ Martyrologio, fit mentio de quodam Marculo ad 6 kal. decembris his verbis : *In Nicomedia beati Marculi sacerdotis et martyris, qui temporibus Constantis tyranni persecutiones maximas pertulit : ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Idem auctor in appendice Usuardi secundo editi suspicatur, hunc esse Marculum pseudomartyrem Donatistam. Baronius id negat in notis ad martyrologium Romanum, in quo ad eumdem diem hæc leguntur. *Nicomediæ sancti Marcelli presbyteri, qui Constantii tempore ab Arianis e rupe præcipitatus martyr occubuit.* Quidam vir doctus Molani conjecturæ favens opinatur, pro *Nicomediæ* legendum, in Numidia ; deinde Marculi nomen retinendum : et pro *ab Arianis*, scribendum, *a Macarianis*, quod veri simillimum est. Attamen in additionibus ad Bedæ Martyrologium apud Bollandi socios, fit mentio non semel de Marcello martyre in Nicomedia ad 5 *kal. decembris*. Primum quidem ex duobus codicibus in hæc verba : *In Nicomedia Marcelli, Petri, Serenæ, Victorini.* Deinde ex duobus aliis, *Nicomedia natale sanctorum Petri, Marcelli, et Sereni, quorum alter pro fide Christi crucifixus, alter fuit capite plexus :* ubi in uno e duobus mss. deest *Marcelli* nomen. At in duobus aliis tres omnino leguntur his verbis : *Nicomedia Petri, Marcellini et Sereni.* Verisimile est, Marcellum quemdam Nicomediæ passum esse. Sed cum Marculum Donatistam eodem fere die necatum quidam legerent, eumdem cum Marcello esse putaverunt : adeoque Marcui genus mortis Marcello tribuerunt.

INCIPIT PASSIO BENEDICTI MARTYRIS MARCULI.

8 (al. *die* 3) *kal. decembris.*

Quoniam multorum martyrum passiones et gloriæ in sublimem memoriam eximio olim sermone digestæ ad magnam utilitatem proficiunt populorum, dum ad incentivum virtutis et laudis Ecclesiæ semper auribus recitantur ; idcirco me quoque et honor martyris tanti, et communis omnium devotionis profectus accendit, ut passionem Marculi gloriosi, sacerdotali etiam honore fulgentem (*al.* fulgentis), traditorum nuper scelere consummatam (*in Corb.* consummatum), indigna (*in Corb.* indiga) licet, sed plena amoris oratione decurrerem. Justum enim ac satis dignum est, ut antiquorum testium laudibus recentium (*in Corb.* præcedentium) quoque martyrum virtus adjuncta glutinetur. Sicut enim (*Deest in Corb.* enim) illos gentilis sævitia diabolo parens destinavit ad regnum ; sic et hos traditorum rabies Antichristo serviens misit ad cœlum. Et quia prætermittendus non est superioris vitæ memorabilis cursus ; de virtutibus Marculi gloriosi (*al.* gloriosis), etsi propter multitudinem nequeunt omnia, propter testimonium tamen vel pauca dicenda sunt.

Ille namque olim prælectus et prædestinatus a Domino, mox ubi primum beatæ fidei rudimenta suscepit, statim mundanas litteras respuens, forense exercitium et falsam sæcularis scientiæ dignitatem suspensa ad cœlum mente calcavit, et a calumniosis tribunalium septis ad sanctissimam Ecclesiæ transiens scholam, dum verum magistrum elegit Chris-

Digitized by Google

tum, sic inter principales Christi discipulos meruit honorari. Quæ vero in illo fuerit probitas conscientiæ, quæ illustrium morum innata verecundia, quæ gratia spiritalis in vultu; non arbitror diu multumque laborandum, cum superiorem ejus vitam illa res probet, quod (*in Corb.* quæ) meruit sacerdotium. Sacerdotium vero qualiter gesserit inde fit (*in Corb.* sit) clarum, cui pro præmio Dominus dignatus est præstare martyrium.

Igitur dum in his officiis cœlestium præceptorum laudabiliter conversatur (*in Corb.*, conversatus), dum summus pontifex constitutus cum cæteris sanctis bono et sacerdotio suo fruitur; ecce subito de Constantis regis tyrannica domo et de palatii ejus arce pollutum Macarianæ persecutionis murmur increpuit: et duabus bestiis ad Africam missis, eodem (*deest in Corb.* eodem) scilicet Macario et Paulo, execrandum prorsus ac dirum Ecclesiæ certamen indictum est; ut populus christianus ad unionem (*in Corb.* unitatem) cum traditoribus faciendam nudatis militum gladiis, et draconum præsentibus signis, et turbarum vocibus cogeretur. Sed Macarius qui ex his duabus bestiis tetrior fuit, cum hoc negotium sanguinis in reliquis provinciis per subtilitatem diu attentasset (*in Corb.* jam tentasset), in Numidia tamen, et erga Marculum gloriosum aperta crudelitatis barbaræ et inauditæ feritatis indicia publicavit. Nam cum ad eum antiquissimorum patrum sanctissimus chorus, et adunatum concilium sacerdotum decem e numero suo probatos Episcopos legationis causa misisset (*in Corb.* misissent), qui eum salutaribus monitis aut a tanto scelere revocarent, aut certe (quod contigit) priores ipsi ad devotissimi certaminis campum et ad fidei aciem prosilirent; sic divinitus gubernata est nobilium cura pastorum, ut quæcumque (*in Corb.*, quocumque) illa erat crudelitas quæ ovibus impendebat, ante ipsorum membra laniaret.

Inter hos igitur et sanctissimus Marculus venit: qui cum cum in quadam possessione reperissent, cui Vegesclæ nomen est, statim hac ejus qui sacrilegæ unitati præerat humanitate suscepti sunt, ut ad columnas singulas vincti, nudatis publice sacerdotalibus membris, acerbis fustium (*al.* funium) ictibus cæderentur. Hic jam constantiam Marculi gloriosi quis enarrare sufficiat? quis eloquentiæ viribus explicare prævaleat, aut inauditam persecutoris insaniam, aut Christi Domini circa martyrem suum præsentem stupendamque tutelam? Inde enim contra eum acriori sævitia immitis feritas concitata est, quod et diabolum futuri jam martyris invidia stimularet, et Spiritum sanctum præcursoris Antichristi nequitia non lateret. Qui cum animum divina constantia roboratum sustinere non posset, fragilitati corporis certamen doloris indixit. Circumdant igitur Christi fortissimum bellatorem cruentæ latronum manus, et barbaræ militum classes in carnifices repente mutatæ. Cumque eum ad columnam duris nexibus conarentur astringere; prompte ille continuo occasionem tantam ostentandæ Dei virtutis arripuit: nam in columnam ipsam ita ultro vinculis brachiorum et digitorum nodis instrinxit, ut eum inde nulla valeret pœna divellere, nulla posset crudelitas separare. Quo facto intelligere potuit persecutor, Dei servum pro ejus nomine exoptare potius quam timere tormenta; nec dolorem corporis posse sentire quorum Spiritus complectitur Christum, et spes jam possidet regnum.

Sæviebat itaque contra unum multiplex carnificum numerus, et sacratos conficiens (1) artus dura fustium pœna laniabat, ac reciprocante tormento, in quantum supplicii ictus infligebat a tergo, in tantum pectus columnæ duritia retundebat. Pulsabat corpus ex omni parte crudelitas, nec quicquam, nisi Dei laudem, illustris lingua proferebat. Anhelabat rabies: jam lassitudine tortorum, et perseverantia patientis feritas victa languebat. Tale denique illic tunc miraculum Christus martyris sui membris indutus ostendit, ut ad eum non solum dolorem adire non sineret; verum etiam ab ejus corpore universas sævitiæ notas atque omnia carnificinæ signa detergeret. Quo prælio victus ac subactus inimicus, nulla jam pœnarum crudelitate (*al.* carnificii) contentus, atrocissimæ, quantum sibi videbatur, sententiæ et passioni eum manifestissimæ destinavit. Tunc eum secum per aliquas Numidiæ civitates quasi quoddam (2) crudelitatis suæ spectaculum ducens, nesciens feritas et gentilibus (*al.* gentibus) stuporem, et Christi hostibus confusionem, et fidelibus Dei servis incentivum gloriosi certaminis exhibebat.

At vero postquam exquisitum atque truculentum genus mortis invenit, statim eum secum ad castellum Novæ-Petræ, quod ardui montis præcipitio et nomine et vicinitate conjunctum est, sub arctissima militum prosecutione perduxit. Quo in loco tantam martyri suo Dominus lætitiam præstitit, tantum gaudium de vicina passione concessit, ut quatriduum illud, quo illic a corona impendente dilatus est, jam non inter ærumnas sæcularium pressurarum, sed inter triumphos regnorum cœlestium debeat numerari. Quantum enim exultare poterat, qui post laboriosam peregrinationem carnis et mundi ad videndum Deum et Christum completo itinere festinabat, qui proficiscens ad angelorum consortium, sanctorum quoque complexum pene jam paradisi limen intrabat?

Erat illi assidua ac jugis oratio, erat continua de devotione meditatio; habebat in sermone Evangelium, in cogitatione (*al.* contradictione) martyrium; et tam voce quam sensu divinis virtutibus deditus, hoc proferebat ore quod inclusum gestabat in pectore. Adhuc etiam spiritalem justitiam sitiens, et promerendo Deo totus inserviens, ultimum quatridui illius diem jejunio terminavit, scilicet ut illucescente Dominico, in quo erat et ipsius passio consummanda, ad offerendum geminum sacrificium acceptior Deo fieret devota anima sacerdotis: ut summus Pontifex non solum ab illecebris sæculi, verum etiam a cibis ejus alienus,

(1) *Ita emendatum ex cod. Corb. al.* confitentis, *male*
(2) *Deest in Corb.* quoddam.

Digitized by Google

ad imponendas Christi altaribus hostias tam purus accederet, ut fieri pro Christo hostia ipse mereretur. Denique tantum apud Dominum illo jejunio potuit, tantum purificatione illa Christi in se præsentiam provocavit (1), ut ei revelatione cœlesti ante passionem suam præmium fuerit passionis ostensum. Nam ubi majora noctis spatia exacta sunt, et vicinum luci tempus advenit, cujus opportunitas inde semper orationibus atque omnibus divinis rebus accepta est, quod (*in Corb.*, quo) jam et nascenti adscribitur diei, tamen adhuc humana opera et negotia conquiescunt. In hoc igitur tempore ad celebranda sacramenta sacerdos exsurgens, non tam (2) a somno expergefactus, quam (*in Corb.* est) ad orandum Deum gaudio recentis visionis incensus, prius tamen quam ad ipsa mysteria veniretur, quid ei divinitus esset ostensum, in gaudium præsentium fratrum fideli sermone patefecit. Videbam, inquit, tria hæc mihi munera de æternis thesauris Domini largientis oblata, ex nitidissimo argento poculum factum, et coronam auro rutilo refulgentem, et sublimissimam palmam, quæ plena lætitia antecedentium numerum triumphorum (*in Corb.* munerum triumphos) expleret. Magnam, fratres, martyri suo Dominus imminentis gloriæ fiduciam præstitit, magnam veritatem futuræ circa ipsum suæ dignationis expressit. Neque enim aliquid est quod obscurum, aut ambiguum in hac revelatione videatur, in qua accepit calicem, quem fuerat in passione bibiturus; in qua sumpsit coronam, quæ ei peracto martyrio debebatur; in qua meruit et palmam, per quam victoriam sperans, esset jam de congressione securus.

Post hæc peractis ex more solemniis, dum adhuc aliqua noctis momenta (*in Corb.* somnia) superessent, subito cum Macarii feralibus jussis pervigil (*ita in Corb. al.* pervigilis) nequitiæ nuntius supervenit, qui crudelissimæ mortis manifestam sententiam gestans, et innumeras martyris glorias, et execrandum persecutorum facinus consummaret. Cui cum clausas adhuc fores custodum cura rescrasset, agnovissetque quid ejus tam immaturus pertulisset adventus, continuo in planctum eorum corda conversa sunt. O quanta fuit illius viri gratia! quam generalis circa ipsum amor omnium! quam commune desiderium, ut in passione ejus ad pias lacrymas etiam custodum immanitas et militaris duritia flecteretur. In quo quidem fletu ac perturbatione cunctorum solus ipse perseverabat intrepidus, qui consummationis suæ horam appropinquasse gaudebat. Neque enim vel conturbatus poterat esse vel tristis, quem gaudentem fides, et pacatum fecerat divina revelatio.

Illic tunc unus ex ipsorum militum numero teterrimus carnifex et qui timentibus cæteris ad perficiendam illustris viri mortem solus esset a diabolo præparatus, factum suum sermone præcurrens, enarrare martyrium audientibus cunctis (*in Corb.* omnibus) cœpit, cujusmodi somnium (*in Corb.* quemadmodum omnia) etiam ipse vidisset. Cum nocturna, inquit, quiete detinerer, videbam subito apparuisse te mihi durissimis veluti nexibus vinctum, ac gravibus omnino (*in Corb.* admodum) vinculis oneratum, atque eadem postmodum vincula mea manu esse resoluta, propter quod spera veniam et indulgentiam secuturam. Non incongrua igitur visione absurdum somnium quod carnifex vidit, nec sine causa utique quod viderat retulit, Caiphæ scilicet sacrilegi secutus exemplum; ut qui ipse interfecturus fuerat Dominum, ipse de ejus passione prophetaret. Nam alligatum recte viderat martyrem eum, qui adhuc in habitatione corporea constitutus, et gemino carcere mundi et carnis inclusus, temporalis vitæ angustiis stringebatur. Ille enim corporis vinculum, ille mundi carcerem sentit, qui ejus tentationibus agitatur. Resolutum quoque a se esse non irrationabiliter somniaverat, cujus crudelibus manibus oportebat eum interventu mortis a corpore separari; qui ei post gravissimos nexus sæcularium pressurarum ad regnorum cœlestium libertatem iter fuerat in passione facturus. Magnis enim nos vinculis relaxari, cum liberati de hoc mundo ad Dominum properamus, Apostolus probat dicens: *Dissolvi et cum Christo esse multo melius est.* Quod simili ratione etiam Simeon ille justissimus demonstravit, qui securitate vicinæ mortis accensus, evasurum se vitæ hujus molestias lætabatur: *Nunc dimittis*, inquit, *Domine, servum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Qui numquam utique dimittendum se cum omni gaudio testaretur, nisi qui (*in Corb.* quia) conditione corporis, quasi quibusdam vinculis tenebatur.

Nulla denique mora, nullum spatium temporis intercessit, quin statim crudelissimus carnifex antelucano latrocinio aggrederetur implere quod viderat. Nam continuo infestus urgebat, ut productus de custodia Dei testis, ad præruptam naturalis petræ celsitudinem atque asperrimæ rupis præcipitium duceretur. Hoc enim immitissimum genus mortis elegerat et cruentus ac barbarus profanæ unitatis exactor, et detestanda omnibus sæculis sævitia traditorum. Egrediebatur itaque de domo Marculus gloriosus, custodum excubiis ac militum classe circumdatus, atque ab ipsis persequentibus honoratus. Egrediebatur constantia christiani vigoris erectus, hospitia jam humana derelinquens, et ad mansiones properans angelorum. Egrediebatur vultu lætus, festinus incessu, non tam præsentem pœnam, quam futuram cogitans gloriam. Iter quoque ipsum quo ad supplicium ducebatur, tale illi fuerat procuratum, ut extructis undique versum terræ molibus, ac paulatim in altum aggeribus elevatis, ad passionis suæ insigne fastigium perveniret, ipsa montis famulante natura: ut primo humilia collis juga, dehinc arduos vertices calcans velut per gradus quosdam in sublime conscendens, etiam cum ipso corpore cœlo ac sideribus propinquaret: ut adhuc in mundo positus esset celsior mundo; et quicquid pretiosum, quicquid elatum videtur in sæculo, sub plantis suis jacere gauderet.

(1) *In Corb.* purificationem Christi in se præsentia provocavit.

(2) *Deest in Corb.* tam.

Digitized by Google

Mox ubi vero ad ipsum petræ culmen ascensum est, inde universi milites partim metu, partim dolore secedentes, tam inaudito facinori etsi conscientia intererant, vel opere interesse noluerunt.

Tunc immanissimus carnifex qui duplici crudelitate, et præcipitio armatus et ferro, geminam mortem gestabat in manibus, crudeli dextera in præceps impulit martyrem, et cum in tetrum chaos demersisse credidit, cui cœlorum sublimitas debebatur. Sed enim sacrosanctum corpus terræ soliditate subducta a celsitudine ad ima (1) descendens, per vacua liquidi aeris spatia ferebatur, neque quicquam offensionis in illa inanitate reperiens, velocitatem sui cursus ipso impetu duplicabat. Qua pernicitate itineris spatio vertigo nutrita est inter commoti aëris concitos strepitus tanta divinitus moderatio procurata est, ut immunia (*in Corb.* immunita) cunctis asperitatibus membra supra ipsam saxorum duritiam, velut super mollissimos thoros (in Corb. mollissimum stratum) ac sinus placidissimos ponerentur. Tunc victrix anima naturali cursu velocius cœlum petit, quam descenderat Corpus ad terram; ut scilicet passione perfecta utraque substantia antiquissimis originis suæ principiis redderetur omnipotentis Dei manibus, circa totum martyrem suum clementer operantibus : qui et spiritum ejus adjuvantibus Angelis ad æternas sedes jussit imponi, et corpus intactum auris blandientibus cinctum, a famulantibus ventis leniter supportatum, in media petrarum crepidine collocari.

Confusa sunt igitur virtutibus Christi persecutorum exquisita ingenia, et traditorum iniqua consilia, qui ad hoc tale supplicium cogitaverant, ne unquam in testimonium eorum a populis Dei memoria martyris posset honorari. [Putaverant enim in illo præcipitio corpus per frustra discerpi, et acutis cautibus laniari, ut cui ademerant vitam, nec sepultura superesset] (2). Putaverant nihil pervenire usque ad terram posse, quod collectum pia fraternitas sepeliret. Cum per illa montis ardui confragosa singulæ rupes singula sibi membra tenuissent, vel certe cum semel integrum corpus inter fissuras petrarum aut rimosas latebras scopulorum hiatu aliquo fuisset absorptum : ecce consecratis artubus dura saxa et rupes asperæ pepercerunt; et quem traditores occidere non timuerunt, montes lædere timuerunt. Exceptis enim ipsis, Creatorem suum omnis creatura veneratur; nec in hac causa ad promerendum Deum deesse poterat montibus sensus, quibus ad ejus laudem etiam vocem scriptura concessit.

Interea Marculum gloriosum beatam certaminis sui perfecisse victoriam intra solas militum conscientias celabatur. Ita enim nocturno silentio furtivum consummaverant scelus, ut nec vel (*in Corb.* id) in castello, in quo fuerat asservatus, tam de extraneis quam de fratribus sciri (*in Corb.* nemo scire) potuisset, nisi rem gestam divinæ virtutes (*in Corb.* divina virtus) et cœlestia signa prodidissent. Nam ubi primum diei albescentis ingressus pallorem globi noctis infudit, et discolorem cœli faciem tenebrarum ac lucis discordia variavit, continuo sub ejusdem montis gremio splendida nubes apparuit, quæ interdum fulgore (*Ita in Corb. In al.* fulgure) promicante consciam (*in Corb.* contestantem) se de martyris corpore blando lumine testabatur. Neque enim illa matutinis roribus gravida fusco tegmine vividos (*al.* subitos) obumbraverat colles ; sed candido vellere tota præfulgens sic membra felicia contegebat, ut cessantibus paulisper humanis officiis amictum quodammodo sepulturæ ipsa interim exhibere videretur ; quæ ad hoc (*in Corb.* huc) interdum tremulo (*al.* tumulo) fine discissa, per flexuosos hiatus corusco igne vibrabat, ut aut tantæ passionis ignaros stupendis magnalibus admoneret, aut quia adhuc erat aliqua de vicinitate noctis obscuritas, inveniendi corporis viam devote quærentibus demonstraret.

Ilis igitur admirabilibus Dei admonitus fraternitatis fervor (*al.* ardor) exarsit, totusque ille subito locus exultanti clamore completus est, ac religioso discursu vota invicem communia nuntiaverunt. Tunc derelictis domibus raptim omnis sexus atque ætas egressa ad montem pariter ac nubem desiderio martyris convolabat : nec ullam illic animam poterat aut senectutis debilitas, aut pueritiæ infirmitas, aut sexus fragilitas retardare. Omnes enim unius fidei ardor accenderat. Cum vero ad illa loca quæ præcipitio subjacebant, festinans turba venisset ; quos conglobatos fecerat intentio una currendi; mox per totum montem quærendi corporis cura dispersit. Erat illic cernere divisa per singulos officia pietatis. Alii enim condensos duris stirpibus sentes manu celeri pertractabant, alii tortuosis petrarum dehiscentium foveis testes oculos inserebant : alii, ne forte festinatio esset illusa, sollicitis luminibus etiam quæ jam respexerant saxa lustrabant. Postremo, quia et hoc sine Domino esse non poterat, desideratum ab omnibus locum quæ ad hoc missa fuerant fulgura prodiderunt, et exoptatum fratribus corpus index nubis candor ostendit. Qui tunc illic fuit omnium mixtus cum gaudiis fletus, qui circa illustria membra complexus ? Vix denique a cunctis satietate percepta, suprema ingenti obsequia fratrum lætitia celebrata sunt, et religiosus (*al.* gloriosus) sepulturæ honor cum triumphis maximis restitutus est. Totum enim in gloriam nominis sui repræsentaverat Dominus, quidquid fraudare tentaverat inimicus. O memorabile beati Marculi atque insigne martyrium ! o appetendum devotis omnibus inconcussæ virtutis exemplum ! o necessarium universis ecclesiasticis gradibus documentum, quo ejus laudabilis vitæ meritum pervenit ad palmam, in primordiis fidei renuntians mundo, in tirociniis dignam se exhibens sacerdotio, in sacerdotio munera honorata martyrii, in martyrio divinarum virtutum testimonium ! Cui est honor et gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. *Explicit.*

(1) *Ita emendatum ex cod. Corb. Male* alma.
(2) *Hæc desunt in cod. Corb.*

Digitized by Google

PASSIO MAXIMIANI ET ISAAC DONATISTARUM AUCTORE MACROBIO.

Cujus pars edita fuerat a Reverendo admodum Patre Joanne Mabillonio Analectorum tome IV, p. 119, nunc autem integra prodit et emendatior ex codice ms. Corbeiensi.

Incipit Passio SS. Martyrum Isaac et Maximiani, quæ est 7 kal. septembris.

Opportunus me, fratres, et lætus scribendi ad vos gloriosæ exhortationis ardor accendit, et illustris occasio, quoniam testium Christi testis indignus has litteras feci, ut qui minus idoneus sum Domino perhibere martyrium, vel martyribus ejus admitterer dicere testimonium. Et hoc quoque prorsus ad tales extremum scripto proferre de talibus non auderem, nisi per alium vobis talia nuntiarem, æmulatione inculpabili devoti pectoris inviderem. Scio enim quicquam plenius aliquem referre non posse, nisi qui potuit pati et ipse vel facere. Is vero qui neutrum meruit, solam culpam non congrue referendo commisit : sed aliam et non sæpius revelat causam, nisi quod impune gerunt quicquid ad laudes Christi audacter gesserint gaudia. Congruit igitur, fratres, credo vobis procuratum repentinæ virtutis exemplum, ut geminos martyres Ecclesiæ Carthagine Isaac et Maximianum, seu Maximinianum pariter et Isaac Dominus rapuisset ad cœlum, 'quorum triumphos exsequi quemquam' per ordinem posse tam credo difficile, quam quicquid fecerit Christus, non modo terrena præconia, verum etiam cœlestia non valent numerare. Quippe cum sic raptum subito totius agonis percurrerint gesta, ut nesciam quæ sint prima vel secunda, seu tertia, et sic immensam semel omnes glorias præpropera celeritate confuderint, ut ante compleverint pene quam cœperint, aut, ut verius dixerim, semel utrumque in illis innati sint. Unde igitur incipiam, unde limen tantæ laudis ingrediar, unde rursum ejusdem liminis exitum claudam. Aperire conturbor, et claudere fatigor. Si vitæ totius memorare mores incipiam, revertenti martyrio facere videbor injuriam; si ad prædicationem martyrii dirigam gressus, tantæ vitæ contemptor tenebor adstrictus. Premor cuncta percurrere, et scio me cuncta nequire. Undique mihi onus devoti laboris accedit, sed contra unum levamen sententia Evangelii recordata succurrit, ut martyrii securus jam monumento conetur exponere quando Dominum Jesum Christum finem vitæ cernerit laudasse. Siluerat hic apud Carthaginem persecutionis immanitas, ut longioris temporis cessatione nutriret pejores insidias, et ubique hoste grassante, hic solum tacebant formidines atque terrores, ut nihil jam moturas ipsas sæculi diceres potestates. Nulli jam prima terribiles aures et pectora quatiebat, sola de vobis martyribus infinitis Numidiæ opinionis consolatio fratrum animos exigebat, frequentabatur apud omnes gloriarum vestrarum velut propria gratulatio, sicut et vos hodie collætamini quasi de vestro martyrio, cum repente diabolus iterum fremens sopitas furoris flammas in pœnis accendit, et insana, suæ grassationis arma commovit. Quibus idcirco reor diutius illum cessasse, quia cunctos exercitus Christi putaverat sibi mancipasse. At ubi cognovit Ecclesiam Domini fortioribus cunctis quotidiana exercitatione valere, sensit protinus spei suæ se fraudibus irridere, et atrocioribus stimulis concitatus requirebat cujus aptum sibi diligeret judicis pectus, sed nec segnior et Proconsule desideriis ejus parem se ipse subjecit, et feralis edictis proposito sacrilegæ unitatis iterum fœdus celebrari constitutis cruciatibus imperavit, legem scilicet addens insuper traditorum, ut perenni quos Christus pro se mandat recipi ab omnibus pellerentur, nec quasi contra unitatis fœdera molirentur, nec moras proinde triumphorum suorum sustinens Christus, segnes dividere hoste provocante proprios non permisit exercitus. Sed elegit statim robustum de viris fortibus militem Maximianum, quem de tali certamine faceret gloriosum. Non quod cæteri impares essent; sed ut de uno totum bellum singulari dimicatione prosterneretur, quem jam bene sciens de prima confessione magnanimum, cumulata virtute produxit armatum, ut non esset illud vacuum vel inane, quod illi dignatus est Dominus ante diem passionis ostendere. Nam fuerat ei pridie cum quibusdam fratribus in domo laudabilis viri de sobrietate Christiana convivium, qui cum calicem potaturus acciperet, necnon subinde miscuisset, ecce protinus se corona descendens intra calicis oras infudit, et intus inclusa cohærens utrobique lateribus mixta et ipsum conclusit, sic splendido sanguineoque colore diffulgens, ut instar passionis in sanguine et splendore pariter futuræ in cœlo proderet dignitatis. Hoc illi miraculum gaudebundus cunctis præsentibus demonstrabat, et omnes ut secum exinde computassent dilectionis animo conrogabat, et volebat esse commune quodcumque contigerat. At postquam et ipse cœpit ebibere, nullo modo coronæ ambitus rumpebatur, sed commixti modo semetipsa sensim subtrahendo debrevians, immo vel colligens, cum potus quantitate

VARIORUM NOTÆ.

Incipit passio. Hujus auctor Macrobius Donatista et suorum in urbe Roma occultus Episcopus, de quo Gennadius in lib. de Scriptoribus Eccl. c. 5. Cresconius objiciebat catholicis tres alios præter Marculum a Macarianis occisos. Illi sunt procul dubio duo isti martyres Maximianus et Isaac, cui tertius adjungendus est Donatus. Verba Augustini hæc sunt, l. III, contra Cresc., c. 49: *De aliis autem tribus quorum mortes variter obiecisti quid vel quomodo factum ab eis quos nosse existimo, fateor, non quæsivi.* Tres istos objecerat Cresconius, quoniam eorum passionis acta circumferebantur. Scripserat autem Macrobius hanc epistolam ad plebem Carthaginis, ut ex fine hujus instrumenti constat.

Siluerat hic apud Carthaginem persecutionis immanitas. Optatus etiam l. III, § 4, observat in provincia proconsulari neminem armatum esse visum.

Digitized by Google

subducto bibi nitebatur, ut interius ad quem venerat animum faceret coronatum. Denique ille continuo de tali securitate jam fretus in posterum diem ebrietatem pridiani calicis eructabat, et intra medullas inclusa magnanimitate fœcundi pectoris, videbatur sperare victoriam. Sed quid pluribus callidæ mentis celeritate nec pedum protinus fore certamen ultro provocaturus ascendit, et funestos apices tamquam diaboli ibi membra discerperet, manu rapida dissipavit. Inde confestim raptus ad tribunal, in fundum sine ulla dilatatione Proconsulis jussu vallatus est et fera caterva tortorum. Ex hinc igitur referre quis possit Christi virtutem, aut laniantium feritatem, carnificum pœnas, aut Christi victorias; diuturnam furoris insaniam, aut Christianæ tolerantiæ pertinaciam? Surgebant in ictus expressos plumbatorum vim suis conatibus geminantes tortores horrendi, et iram judicis gestantes in manibus decertabant sæviendo, quis possit fortior inveniri? Sed contra aderat Christus, qui militis sui membris indutus retundebat deintus quidquid impendebat foris carnifex furiosus. Agebant illi acriori pene tormenta, indignantes frustra se tantam irrogasse sævitiam, necnon reparatam fortius augebat et Dominus sua fortitudine sustinentiam. Mutabant illi recentiores insaniæ crudeliores se carnifices, et ad unum de innocente homicidium faciendum tot demutatæ parum fuerunt classes immites, nec ex alia parte Dominus desinebat perseverantiæ suæ in melius demutare constantiam. Non deficeret vis ponderosi supplicii, nisi virgarum juberetur et postmodum laniatione disrumpi, ut quod vehemens illa contusio miserat in tumorem, posteriores plagæ discissis artubus aperirent: quæ sic totum corpus fecerant laniatum, ut unum vulnus fecissent tota laniamenta membrorum. Nec his tamen cessit, qui velut alienus sui corporis de omnibus triumphavit. Sic illic bellum gestum est inter corpus et pœnas, inter sacrilegos et devotum, inter animi vires et laniantes, inter militem Christi et milites diaboli, inter patientem et judicem, et unus sufficit afflictus contra tantam dimicare suppliciorum hostiumque gloriosius multitudinem, ut in uno certamine non unam victoriam reportasset. Posset illic adipisci supremi cruciatus examen (*in Corb.* examine) qui cum triumpho mittit (*in Corb.* mitteretur) ad mortem, sed oportebat ut interim retardasset ad eum quem Christus illi delegarat comitem. Nam tunc illic illustris Isaac de luctamine sui socii non retinens gaudium, inter fraternos populos publica exultatione sancti Spiritus ferebatur, qui plenus cœlesti constantia liberius proclamabat: Traditores (*in Corb.* traditoribus), venite, salvate vestræ unitatis insaniam (*in Corb.* satiate vestræ crudelitatis insaniam). Cujus ad vocem Proconsul furibundus auctorem clamoris instanter officium conturbabat inquirere.

Sed non deerant traditores qui milites præcessissent: ex quibus statim ministri ipsi sacrilegi de uno minime satiati, et alterum tradiderunt propriis manibus similiter victimari; ut patrum illorum mensura super (*in Corb.* per) illos manifestius posset (*in Corb.* possit) impleri. Continuo judex vehementer incensus, remoto illo, quem paulo ante torquebat, in hunc contorsit acrius quod furebat: quasi qui unam necdum digesserat, et alteram conciperet iracundiam. Repetebant iterum furiariam defatigati tortores, quorum lassa jam brachia faciebat sola crudelitas fortiora. Liciebat idemtidem classis illa carnivorum violentiam plumbatorum, et totas vires imponderans egestis nisibus gementi rabie grassabatur, quasi ipsa quod irrogaverat pateretur. Qualis fuerat sustinentia patientis, ubi gemebat grassatio sævientis! Sed nec in secundo permissus est diabolus superare, quia victoriam Christi quæ fervebat fas non erat in aliquo posse succumbere. Denique sic rursus postquam plumbatis nihil valuere tormenta, similiter virgas admovit immanitas furiosa, ut in nullo dispari genere tolerantiæ discreparent cœlestes armigeri, et in nullo videretur hostis leniori supplicio mitigari.

Laniabatur Isaac, nomen scilicet victimæ, virgis rumpentibus, patientiam sui nominis imitatus, et cæsoribus iterum atque iterum repetitis, inconcussa permanebat devotio confitentis. Patuerant omnes compagines ruptis conjunctionibus madidatæ; et quasi per tot vulnera exitum reperiret, vox illa videbatur confessionis præconia resonare. Nemo enim putet pro levi castigatione plagas tunc fuisse virgarum, quæ pro certo lanienam vicerant ungularum: adeo ab ipso judice ungulæ fastiditæ sunt. Jam non erant vulnera, sed secreta corporis denudata; nec ab ullo dici poterat cæsus, qui madentibus frustis fuerat enervatus. Jam virgarum cesserant fasces, obtunderentur pene si tantos comminuerent bipennes aut falces. Jam truces ministri ægris ictibus victæ feritatis hiatus languidos anhelabant, et adhuc esurientia membra mandendis ac devorandis pœnis omnibus inhiabant. Tunc illic insultavit cruciatibus corpus, mens læta sævientibus tot torquentibus unus et tortus ac judici judicatus nulla protinus mora sententiam retardavit, sed ambos judex pari sorte conjungens ad exillum religavit: quibus in carcerem trusis, Isaac statim martyrii consummavit effectum; et, quod plus est, semel omnes carceres et corpus dimisit et mundum, ne in aliquo visionis ejus revelatio falleretur. Sic enim cuncta per ordinem percurrit (*in Corb.* præcucurrit), ut et in ipsa revelatione propemodum quod passus ejus (*in Corb.* passurus) fuerat ante jam passus sit. Nam cum quietis sopore paululum teneretur, videbatur sibimet cum ministris imperatoris habere certamen, non aliunde scilicet, quam unde sustinuit passionem. Et hoc plane non fuerat aliud nisi devotionis indicium, ut quod vigilans desiderio retractabat etiam dormiens pateretur: ut quod Propheta de se professus est in eodem compleretur. *Ego*, inquit, *dormio, et cor meum vigilat.*

Vigilabat ergo devotio illa jam conamina virtutis exercens, et ministros (*in Corb.* conamine virtutes exercens, et ministris, etc.) nequitiæ cum jussioni-

Digitized by Google

bus regis constantius repellebat audacius repugnantes. Quos cum diuturno certamine superaret, ipsum quoque imperatorem respexit subito venientem : qui cum ad complendam jussionem ab eodem cogeretur, fortior refutabat sacrilegæ jussionis imperium, et minantis (*in Corb.* minanti) sæva supplicia. Ipse quoque oculum se illi pariter eruturum frequenti comminatione terribilis promittebat. Cum his diu certationibus inter semetipsos ferocius dimicarent, non passus est tantum se differri victorem : sed injecta fortiter manu moram suæ comminationis irrupit, et oculum violenter eliciens, viduata facie (*in Corb.* facies) sedem luminis evacuavit. De cujus victoria protinus juvenis miræ claritudinis visus est triumphare, et coronam subinde radiatam capiti ejus imponere : quibus radiis multæ fratrum atque sororum facies ejus videbantur infixæ, quam cum illi pro præmio traderet (*in Corb.* tradere) gaudens, adversarium quoque magnis exprobrationibus ludificabat irridens. Tunc hostis vehementi dolore compulsus jussit eum pœnis sævientibus laniari, ut quasi pœnam suam posset ulcisci. Sed ille jam victor cernebat se gestantium manibus ad superiora subduci, et volantem celerius ad cœlorum sublimia sublevari : quo cum lætus ascenderet, senis cujusdam vociferantis audiebat vocem desuper dicentem : Væ tibi sæculum quia peristi. Hoc clamore ter iterato, visionis pervenit ad metam, et iteravit postmodum faciendo quod viderat.

Quid igitur hac visione manifestius? quid agi per diem posset expressius, quando in actibus digestus est visus? Nunc oppugnasse se contra ministros regis sic in nocte sibi soli conspexit, sicut per diem nobis postmodum demonstravit : sic lumen imperatori eruisse, sic eum habebat vincendo cæcasse, sic præmia coronæ sortitus est, sic et publice coronatus est; sic coronæ radiis plurimos inhærere viderat vultus, sicut passioni ejus universus populus fuerat excubaturus : sic volavit ad cœlum, sicut propere meruit adipisci martyrium. Hoc solum plane de dictis ejus adhuc usque restitisse cognoscitur, quod mundo prophetavit interitum, quod cum, omnes siquidem scimus non fuisse mentitum, aliquis fortasse de fratribus expavescat, et Maximianum imparem dicat, quia prior confessus, superstes est modico tempore reservatus. Absit fratres ut dividantur, quia æquali prælio pugnaverunt ; nam si per diversas horas venientes ad vineam Dominus de pacto mercedis æquavit, quomodo dispares judicat quos uno tempore laborantes invenit? Sed quod Isaac prior videtur excedere, inde magis eos dico Dominum comparasse : ut sicut ille huic confessionis incitamentum suggesserat, sic eum et hic provocaret pariter ad coronam. Ambos voluit Dominus sibimetipsos esse doctores, ut de vicissitudine documenti fecisset æquales; ne unus in omnibus antecederet, et unus in omnibus videretur se ipse sequentem. Nunc vero ambo se invicem præcesserunt, et ambo se invicem consecuti sunt.

Sed reclusis interim custodia carceris, navis scilicet ad exilium præparatur : quod non humano consilio credo fuisse dispositum, quia claruit superna dignatione provisum. Ad hoc enim sic voluit eos Dominus sibimet unius diei dilatione concludi, ut secundum visum martyris sui faceret populorum excubationibus honorari, nam consummato Isaac perfecti martyrii notius cunctorum aures impleverat. Ad cujus corpus universa continuo fraternitas lætis cursibus properaverat, quibus cum sepultura corporis a carnificibus negaretur, excubias omnes, ne inhumatum corpus abjiceretur, cum magna exultatione tenuerunt, illic tota die cum nocte populi triumphantes, psalmis, hymnis, canticis in testimonium cunctis gloriose decantabant : et omnis ætas ac sexus interesse tantis gratulationibus ardenti cupiditate gaudebat. Quale fuit illud, fratres, quod Dominus suis martyribus ad honorem dignatus est procurare, ut XVIII kal. Sept. die sabbato ad instar Paschæ permitteretur populus vigilias celebrare. Sic ergo peractus est dies, et nox ita consumpta est. Mox ubi dies alter exortus est, et exspectabatur proconsul qui de corporis humatione jussisset, quid forsitan concederet miser, quod negasse nec homicidis nec adulteris ullus judicum solet, nisi e contra traditorum sæva pernicies ad crudelitatis capienda consilia vigilaret! quorum suggestione proconsul tunc coactus populos (1) a carcere jussit expelli, et vivum pariter cum defuncto, marinis fluctibus mergi, ne quasi permitteret eos dignitatem martyrum venerari.

Quam stulta crudelitas, quæ corpora voluit nostris manibus abnegare, quasi venerationem nobis de mente posset auferre : aut si illi non sepelirentur in terra, non possent aliter regna intrare cœlestia? Sed accessit illis ad felicitatis argumentum, ut et defuncti post terrena supplicia pro Christo marinis quoque vexationibus quaterentur, ne ullus locus remaneret in mundo, ubi non irriserant inimicum. Hoc illis ad cumulos triumphorum providerat Dominus, ut et in majori odio sæculi laborassent, et in defunctis corporibus posset sicut et in vivis exhibere virtutem. Veniunt ergo ad carcerem milites et triarii fustibus onerati, et via cædis populos repellentes, cunctos pene fecerant vulneratos. Tantum enim debuit martyrum dignitati concedi, ut pro sepultura eorum mererentur et alteri confiteri. Postea quam vix valuerunt universos excludere defunctum pariter et superstitem, ex utroque latere non par militum numerus deducebat. Delusit se nesciens immanitas vana, ut ipsa illis præbuisset obsequia, quibus negavit aliena. Jam littus accesserant maris, jam navis acceptos martyres vehebat ut mergeret. Ast ubi profundi æquoris altitudinem perniciter introivit, non segnius satellites Satanæ celerabant jussa complere, devinctos scilicet funibus, et binas orcas arena confertas singulorum cervicibus pedibusque nectentes, intervallo non modico ab invicem separatos demergente pondere dimiserunt (*in Corb.* demerserunt). Quos sinu (*in Corb.* ut in se) pelagus projectos ut agnovit, continuo quasi

(1) *Ita emendatum ex cod. Corb. Male in editis* protinus.

Digitized by Google

flammis totum cœlestibus urerctur, sacrosanctos artus tenere non potuit : sed convolutis deorsum desuper fluctibus, ad ejicienda corpora detrusas arenas funditus abradebat, et ab imo fundo ad superiora terga subvertens undis resilientibus removebat. Mergebantur scrutantes fluctus de summis cumulis ad inferiora rapienda vasto impetu descendentes ad fundum, et tempestivum mare de inferioribus repulsum egesto potiori iterum citabatur parturiens membra sanctorum, donec impulsibus rapidis undarum turbo depressos artus excussit, et immensum pondus eliciens, corporibus raptis victor tandem fluctus evasit. Erigebantur proinde violentius cumuli solidatis aquarum montibus elevati, ut congeries conglobata securius onerosa membra subveheret, ne victa iterum laborassent, et sub adunatis undique molibus pelagi facta testudine pugnabat unda cum pondere, ne oneri violento valida maris terram contingeret aperire (1).

Sed adhuc restabat alterius laboris opus scilicet et conamen, ut intervallo infinito discretos, in unum coleri congregatione colligeret, ne alienum sacrilegium ejus negligentiæ remaneret. Ducebant hinc aquæ, hinc geminis cornibus volumina sinuantia, et pari sibimet coitione (*in Corb.* cohibitione), subvecta corpora cominus inhiabat (*in Corb.* communis inibat). Jam venientis occursus ex utraque cornuum breviare cœperat medium, et utraque per partes propinquante, conventu de intervalli longitudo decrescens venerat in angustum : cum semel utrique plenis spatiis exemptis tota intercapedo consumpta est, et redactis omnibus simul et undarum corporumque celebrata concordia est. Obsidebantur hæc igitur a fratribus littora, quasi jam certius adventantes martyres ulla præcederet fama, et diebus noctibusque sollicite per momenta, defixis obtutibus sperabatur quod credebant quandoque de Dei solita virtute venturum. Cum subito post bis ternos dies templa Christi venire gaudebant, et occurrentes cuncti, quomodo poterant, oculis exsultante alacritate pendebant (*in Corb.* pandebant) : quorum extensis manibus optata membra cum tropæis suis unda festinans velut in gaudium resonans tradidit, et compoti desiderio devota fraternitas cum amplexibus lætis accepit.

Sic beati martyres sepulturam debitam receperunt, et optatum reddiderunt fratribus obsequium, et frustrata Christus exhibuit consilia traditorum, ne aut insepulta tantorum corpora remanere permitteret, aut devotionem populi ex parte ulla fraudasset, aut nefandos vota crudelitatis implere (*in Corb.* nefandorum crudelitatem impleri) cum blasphemia sui nominis immotus aspiceret.

Lugeat nunc demensa (2) sævitia perfidorum, quæ dominicarum noluit recordari virtutum : non timuit eum posse de mari corpora liberare, quem novit ab inferis etiam animas posse (3) eruere : aut si nihil aliud vel nec cetus qui evomisset acciperet, perdidit misera crudelitas quo credebat magnum se comperisse consilium, cui nec mare voluit ferre consensum. Male commendavit desideria sua, quæ contra creatorem suum pelagus negare non potuit. Quid agit humana (*in Corb.* humiliando) jam rabies, ubi mare non persequitur martyres? quid agit sceleratorum feritas, sæva ubi maria revocant ad sepulturam? aut quales a persecutoribus judicantur, quos et ipsa elementa violare timuerunt? O beatæ passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est Christus tot exhibere magnalia! O felix exitus, qui talibus contigit, quem pro illorum meritis tantis virtutibus decoravit! in devotione constantia, in passione tolerantia, in morte victoria, miraculum (1) in sepultura.

Ad vos nunc, fratres, cuncta jam redeunt, quæ vos ad regna cœlestia deduxerunt. Vos exempla ista compellunt, quæ illos primo per vos ad has glorias compulerunt. Magistros vos illis confessionum frequentia crebris opinionibus fecerat, et ipsi nunc vobis de martyrio suggerunt. Similiter documenta vestra vos adhortantur quæ alios adhortata sunt. Tendunt ad vos e cœlo jam brachia, opperientes tempus quo vobis occurrant. Properate graviter, concurrite pertinaciter, exspectant vobiscum simul capere dignitatem. Eia agite, fratres, accelerate quantocius, ut et de vobis non aliter gaudeamus. Inveniat apud vos reditus noster unde glorietur, sicut et de his secessio nostra sortita est gaudia gloriarum. Sed euntes ad tropæa vestra veniamus : ut sicut vobis horum victorias nuntiavimus, sic postmodum vestras huc ad Carthaginem secuturis cæteris nuntiemus.

Explicit (2) *epistola beatissimi martyris Macrobi ad plebem Karthaginis de passione martyrum Isaac et Maximiani. Deo gratias, amen.*

(1) *Ita emendatum ex cod. Corb.*
(2) *Deest in Corb.*
(3) *Deest in Corb.*

ANNO DOMINI 348 AUT 349.

EX CONCILIO CARTHAGINENSI.

Cum Gratus episcopus Carthaginensis in concilio una cum collegis suis consedisset, et qui ex diversis provinciis Africanis convenerunt..... Idem Gratus episcopus dixit : Gratias Deo omnipotenti et Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus finem, et respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa, qui imperavit religiosissimo Constanti (3) Imperatori, ut votum gereret unitatis, et mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum et Macarium.

Ex Concilio Carthaginensi I (4).

Gratus episcopus dixit : Gratias Deo omnipotenti et Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus finem, et respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa : qui imperavit religiosissimo Constanti imperatori, ut votum gereret unitatis, et mitteret ministros sancti operis famulos Dei Paulum et Macarium.

(1) *In Corb.* mirabilis ; *in editis* magnalibus.
(2) *Cætera desunt in ms. Corb.*
(3) In editis Constantino.
(4) Anno Christi 348, vel circiter.

Digitized by Google

Ejusdem concilii sunt canones contra Donatistas duo : I, ut baptisma in Trinitate susceptum non iteretur; II, de martyrum sepulcris et honorificentia.

Ad Donatistas pertinent duo hujus concilii Canones sequentes.

I.

Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, et interrogatum in Trinitate secundum Evangelii fidem et Apostolorum doctrinam, et confessum bonam conscientiam in Deum, de resurrectione Jesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, et in aqua iterum intingi. Universi episcopi dixerunt. Absit, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, et satis esse alienum a sincera fide et catholica disciplina. Gratus episcopus dixit : Magna beatitudo a Deo patre per Dominum Christum concessa est tempore nostro, ut liceat religiosis mentibus insinuare ecclesiasticam disciplinam, ut auditores percipientes regulam rectam et Deo placentem, præmia meritorum bonorum percipiant, ut in ipsis Deus in omnibus et pro omnibus honoretur. Discussus est titulus necessarius rebaptizationis, in quo plus schismatis rabies delitescebat, et habita moderatione, legis vigor et auctoritas fidei custodita est. Illud sane sapientissimis vestris sensibus insinuare contendo, licet vestra prudentia sit instructa et a Deo docta, et mereatur in pace et unitate consequi desuper munera larga ; tamen et ego unus ex vobis, et qui parem vobiscum sollicitudinem gero, propter Ecclesiasticum ordinem illud insinuare curabo.

II.

Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad (1) passiva corpora, quæ sepulturæ tantum propter misericordiam ecclesiasticam, commendari mandatum est, redigat, ut aut insania præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut alia ratione peccati disjunctos, non ratione vel tempore competenti, quo martyria celebrentur, martyrum nomine appellet. At si quis ad injuriam martyrum, claritati eorum adjungat infamiam, placet eos, si laici sint, ad pœnitentiam redigi : si autem sunt clerici, post commonitionem, et post cognitionem, honore privari. Universi dixerunt : Recte statuit sanctitas vestra. Hoc et singulis conciliis statutum est.

De indulgentia et arbitrii libertate Donatistis concessa a Constantino (2).

In indice Collat. 3, cap. 544, legitur : *Prosecutio Donatistarum, qua principi Constantino libellum asserunt proprios dedisse majores, et eo principem motum agendi eis dedisse licentiam.* Ibid., c. 549 : *Recitatur epistola Constantini ad vicarium Verinum destinata, qua libertatem agendi tribuit Donatistis.* Ibid., c. 550 : *Prosecutio catholicorum, quæ dicit pro se magis epistolam facere Constantini, quia non de Cæciliano aliquid judicatum est, sed furori suo ipsi permissi sunt.* Ibid., c. 552 : *Donatistæ petunt ut judex (Marcellinus) de permissa sibi a Constantino arbitrii libertate pronuntiet.* Augustinus in lib. post Collat., n. 56, testatur has ad Valerium seu Verinum vicarium de illorum exsilio soluto, et eorum furore Deo vindici dimittendo litteras datas Crispo et Constantino iterum consulibus, tertio nonas maias, id est, post quartum annum et mensem fere sextum, elapsum a tempore rescripti Eumalio directi. Confer Breviculum Collat. 3, n. 40, et epist. 141, n. 9.

De Pauli et Macarii persecutione quam injusta Donatistarum expostulatio (1).

Ab operariis unitatis multa quidem aspere gesta sunt : sed ea quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino ? Imputate majoribus vestris, etc., illis primo qui populum Dei diviserunt, et basilicas fecerunt non necessarias. Deinde, Donato Carthaginis, qui provocavit ut unitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio, Donato Bagaiensi, qui insanam collegerat multitudinem, a qua ne Macarius violentiam pateretur, ad se et ad ea quæ ferebat tutanda, armati militis postulavit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri ; repleta est unaquæque civitas vociferantium : nuntiata unitate fugistis omnes, etc. Fugerunt igitur omnes episcopi cum clericis suis, aliqui sunt mortui : qui fortiores erant, capti et longe relegati sunt. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro, nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere, etc.

Quis negare potest rem, cui tota Carthago principaliter testis est, imperatorem Constantem Paulum et Macarium primitus non ad faciendam unitatem misisse, sed cum eleemosynis, quibus sublevata per Ecclesias singulas posset respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas (2) ? Qui cum ad Donatum patrem tuum venirent, et quare venerant indicarent, ille solito furore succensus in hæc verba prorupit : *Quid est imperatori cum Ecclesia ?* Et de fonte levitatis suæ multa maledicta effudit : non minus quam et in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minime dubitavit, *Gregori, macula senatus, dedecus præfectorum*, et cætera talia. Cui Donato Præfectus patientia episcopali rescripsit, etc. Miserat enim (Imperator) ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insanivit ? cur iratus est ? cur quod missum fuerat repudiavit ? Et cum illi qui missi fuerant dicerent se ire per provincias singulas, et accipere volentibus se daturos ; ille dixit, ubique se litteras præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur, etc.

Veniebant Paulus et Macarius, qui pauperes ubique dispungerent, et ad unitatem singulos hortarentur.

(1) Ad *deest in qq. mss.*
(2) Anno 321.

(1) Ex Optato, lib. III.
(2) Constans ab anno Christi 337, quo pater ipsius Constantinus obiit, Italiæ, Africæ et aliquot aliis imperii partibus præfuit ad annum 350. Factum de quo hic agitur refertur ad annum 347, vel circiter.

Digitized by Google

Et cum ad Bagaiensem civitatem proximarent, tunc alter Donatus, ut supra diximus, ejusdem civitatis episcopus, impedimentum unitati et obicem venientibus supra memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca et per omnes nundinas misit, Circumcelliones Agonesticos nuncupans, ad prædictum locum ut concurrerent invitavit. Et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paulo ante ab ipsis episcopis impie videbatur esse succensa. Nam cum hujusmodi hominum genus ante unitatem per loca singula vagaretur, cum Maxido et Fasir, ab ipsis insanientibus (1) sanctorum duces appellarentur, nulli licuit securum esse in possessionibus suis : debitorum chirographa amiserant vires, nullus creditor illo tempore exigendi habuit potestatem. Terrebantur omnes litteris eorum, qui se sanctorum duces fuisse jactitabant, etc. Unde cum a (2) vestræ partis episcopis invidia tunc fieret, Taurino illo tempore comiti scripsisse dicuntur, hujusmodi homines in Ecclesia corrigi non posse mandaverunt, ut a supra memorato comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum epistolas ire militem jussit armatum per nundinas, ubi Circumcellionum furor vagari consueverat. In loco Octavensi (3) occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi. Quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras aut mensas potuerunt numerari. Ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri cœpissent, Clarius presbyter in loco Subbulensi (4) ab episcopo suo coactus est ut insepultam faceret sepulturam. Unde proditum est, mandatum fuisse fieri quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est. Eorum postea convaluerat multitudo. Sic invenit Donatus Bagaiensis unde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerunt, qui sibi percussores sub cupiditate falsi martyrii in suam perniciem conducebant : inde etiam illi qui ex altorum montium cacuminibus viles animas projicientes se præcipites dabant. Ecce quali ex numero sibi episcopus alter Donatus cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi qui thesauros ferebant, quos pauperibus erogarent, invenerunt in tanta necessitate consilium, ut a Silvestro (5) comite armatum militem postularent; non per quem vim alicui facerent, sed ut vim a Donato supra memorato episcopo dispositam prohiberent, etc.

Querelam per ordinem deponitis, sub Leontio, sub A Ursacio injuriatos esse quam plurimos, sub Paulo et Macario aliquos necatos, a sequentibus eorum nescio quos ad tempus esse proscriptos. Quid hoc ad nos? quid ad Ecclesiam catholicam? Quidquid objicitis, vos fecistis, qui pacem a Deo commendatam noluistis libenter excipere, etc. Aliqui accusandam aut fugiendam æstimant unitatem, quod Marculus et Donatus dicantur occisi vel mortui : quasi omnino in vindicta Dei nullus mereatur occidi, etc. Legimus enim in Ezechiele propheta parietem dealbatum, cui Deus comminatus est tempestatem, pluviam, et lapides petrobulos, et accusationes (*Ezech.* XIII, 13), etc. Et istæ quatuor res non poterant uno tempore fieri. Fuit primo tempestas sub Ursacio (1) : agitatus est paries, sed non cecidit, ut haberet pluvia ubi operaretur. B Secuta est pluvia sub Gregorio : udatus est paries, sed non maduit, ut haberent lapides ubi operarentur. Post pluviam secuti sunt lapides sub operariis (2) unitatis : dispersus est paries, sed fundamentis suis se iterum reparavit. Jam tria peracta sunt, etc.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ MACROBII DONATISTÆ,

De passione Maximiani et Isaac Donatistarum, ad plebem Carthaginensem.

(*Ex Mabillon., Vetera Analecta, p.* 185.)

. . . . . .

tamen cessit, qui velut alienus sui corporis de omnibus triumphavit. Sic illic bellum gestum est inter corpus et pœnas, inter sacrilegos et devotum, inter animi vires et lanianles, inter militem Christi et militem diaboli, inter patientem et judicem, et unus C sufficit afflictus contra tantam dimicare suppliciorum hostiumque gloriosius multitudinem, ut in uno certamine non unam victoriam reportasset. Posset illic adipisci supremi cruciatus examen qui cum triumpho mittit ad mortem, sed oportebat ut interim retardasset ad eum quem Christus illi delegarat comitem. Nam tunc illic illustris Isaac de luctamine sui socii non retinens gaudium, inter fraternos populos publica exultatione sancti Spiritus ferebatur, qui plenus cœlesti constantia liberius proclamabat : Traditores, Venite, salvate vestræ unitatis insaniam. Cujus ad vocem Proconsul furibundus auctorem clamoris instanter Officium conturbabat inquirere.

Sed non decrant Traditores qui milites præcessis- D sent : ex quibus statim ministri ipsi sacrilegi de uno minime satiati, et alterum tradiderunt propriis manibus similiter victimari ; ut Patrum illorum mensura super illos manifestius posset impleri. Continuo judex vehementer incensus, remoto illo, quem

(1) Germanensis Ms., *cum Axido et Fasirab, ipsis insanientibus.*

(2) Ex Germ. codice addidimus particulam, *a*, quia de ea dicit invidia quam episcopi Donatistæ Paulo et Macario faciebant.

(3) Idem Ms., *Octaviensi.*

(4) Idem Ms., *Clarus presbyter in loco Subbulensi.*

(5) In Germanensi codice *Silvestre*, Quem Taurinum antea, nunc Silvestrem comitem vocat, forte ut hacce interpretatione molliat verbum convicii. Nam Leontius, Ursacius, Taurinus, nomina videntur, iis qui Donatistas emendarunt judicibus vel ducibus afflicta, cum suas illi pœnas compararent ad martyrum persecutiones, « quarum prima, » inquit Optatus in eodem libro tertio, « fuit ut leo, secunda ut ursus. »

(1) Germanensis codicis auctoritate restituimus hic, *sub Ursacio;* et infra, *sub Gregorio* : item paulo post, *sub Operariis unitatis :* quæ omnino desiderantur in excusis. Tres Optatus recenset ex ordine, quas quærebantur illi persecutiones : primam Ursacii, de qua etiam lib. III contra Cresconium, n. 34; secundam Gregorii præfecti, qui supra laudatur; tertiam vero Pauli et Macarii. Præterit hic Leontium quem initio libri tertii junxit Macario, ac postea ipsi junxit aut præmisit Ursacio.

(2) Paulo et Macario.

Digitized by Google

paulo ante torquebat, in hunc contorsit acrius quod furebat, quasi qui unam necdum digesserat, et alteram conciperet iracundiam. Repetebant iterum furiariam defatigati tortores, quorum lassa jam brachia faciebat sola crudelitas fortiora. Liciebat idemtidem classis illa carnivorum violentiam plumbatarum, et totus vires imponderans egestis nisibus gementi rabie grassabatur, quasi ipsa quod inrogaverat pateretur. Qualis fuerat sustinentia patientis, ubi gemebat grassatio sævientis! Sed nec in secundo permissus est diabolus superare, quia victoriam Christi quæ fervebat fas non erat in aliquo posse succumbere. Denique sic rursus postquam plumbatis nihil valuere, tormenta similiter admovit iminanitas furiosa, ut in nullo dispari genere tolerantiæ discreparent cœlestes armigeri, et in nullo videretur hostis leniori supplicio mitigari.

Laniabatur Isaac, nomen scilicet victimæ, virgis rumpentibus, patientiam sui nominis imitatus, et cæsoribus iterum atque iterum repetitis, inconcussa permanebat devotio confitentis. Patuerant omnes compagines ruptis conjunctionibus madidatæ; et quasi per tot vulnera exitum reperiret, vox illa videbatur confessionis præconia resonare. Nemo enim putet pro levi castigatione plagas tunc fuisse virgarum, quæ pro certo lanienam vicerant ungularum. adeo ab ipso judice ungulæ fastiditæ sunt. Jam non erant vulnera, sed secreta corporis denudata; nec ab ullo dici poterat cæsus, qui madentibus frustis fuerat enervatus. Jam virgarum cesserant fasces, obtunderentur pene si tantos comminuerent bipennes aut falces. Jam truces ministri ægris ductibus victæ feritatis hiatus languidos anhelabant, et adhuc esurientia membra mandendis ac devorandis pœnis omnibus inhiabant. Tunc illic insultavit cruciatibus corpus, mens læta sævientibus tot torquentibus unus et tortus ac judici judicatus nulla protinus mora sententiam retardavit, sed ambos judex pari sorte conjungens ad exilium religavit: quibus in carcerem trusis, Isaac statim martyrii consummavit effectum; et, quod plus est, semel omnes carceres et corpus dimisit et mundum, ne in aliquo visionis ejus revelatio falleretur. Sic enim cuncta per ordinem percucurrit, ut et in ipsa revelatione propemodum quod passus ejus fuerat ante jam passus sit. Nam cum quietis sopore paululum teneretur, videbatur sibimet cum ministris imperatoris habere certamen, non aliunde scilicet, quam unde sustinuit passionem. Et hoc plane non fuerat aliud nisi devotionis indicium, ut quod vigilans desiderio rectratabat etiam dormiens pateretur, ut quod propheta de se professus est in eodem compleretur. *Ego*, inquit, *dormio*, *et cor meum vigilat*.

Vigilabat ergo devotio illa jam conamina virtutis exercens, ministros nequitiæ cum jussionibus regis constantius repellebat audacius repugnantes. Quos cum diuturno certamine superaret, ipsum quoque imperatorem respexit subito venientem: qui cum ad complendam jussionem ab eodem cogeretur, fortior refutabat sacrilegæ jussionis imperium, et minantis sæva supplicia. Ipse quoque oculum se illi pariter eruturum frequenti comminatione terribilis promittebat. Cum his diu certationibus inter semetipsos ferocius dimicarent, non passus est tantum se differri victorem: sed injecta fortiter manu moram suæ comminationis irrupit, et oculum violenter eliciens, viduata facie sedem luminis evacuavit. De cujus victoria protinus juvenis miræ claritudinis visus est triumphare, et coronam subinde radiatam capiti ejus imponere: quibus radiis multæ fratrum atque sororum facies ejus videbantur infixæ, quam cum illi pro præmio traderet gaudens, adversarium quoque magnis exprobrationibus ludificabat irridens. Tunc hostis vehementi dolore compulsus jussit eum pœnis sævientibus laniari, ut quasi pœnam suam posset ulcisci. Sed ille jam victor cernebat se gestantium manibus ad superiora subduci, et volantem celerius ad cœlorum sublimia sublevari: quo cum lætus ascenderet, senis cujusdam vociferantis audiebat vocem desuper dicentem: Væ tibi, sæcule, quia peristi. Hoc clamore ter iterato, visionis pervenit ad metam, et iteravit postmodum faciendo quod viderat.

Quid igitur hac visione manifestius? quid agi per dies posset expressius, quando in actibus digestus est visus? Nunc oppugnas e se contra ministros Regis sic in nocte sibi soli conspexit, sicut per diem nobis postmodum demonstravit: sic lumen imperatoris eruisse, sic cum habebat vincendo cæcasse, sic præmia coronæ sortitus est, sic et publice coronatus est; sic coronæ radiis plurimos inhærere viderat vultus, sicut passioni ejus universus populus fuerat excubaturus: sic volavit ad cœlum, sicut propere meruit adipisci martyrium. Hoc solum plane de dictis ejus adhuc usque restitisse cognoscitur, quod mundo prophetavit interitum, quod eum, omnes siquidem scimus non fuisse mentitum, aliquis fortasse de fratribus expavescat, et Maximianum imparem dicat, quia prior confessus, superstes est modico tempore reservatus. Absit fratres videantur, quia æquali prælio pugnaverunt, nam si per diversas horas venientes ad vineam Dominus de pacto mercedis æquavit, quomodo dispares judicat quas uno tempore laborantes invenit. Sed quod Isaac prior videtur excedere, inde magis eos dico Dominum comparasse: ut sicut ille huic confessionis incitamento suggesserat, sic eum et hic provocaret pariter ad coronam. Ambos voluit Dominus sibimetipsos esse Doctores, ut de vicissitudine documenti fecisset æquales; ne unus in omnibus antecederet, et unus in omnibus videretur se ipse sequentem. Nunc vero ambo se invicem præcesserunt, et ambo se invicem consecuti sunt.

Sed reclusis interim custodiis carceris, navis scilicet ad exilium præparatur, quod non humano consilio credo fuisse dispositum, quia claruit superna dignatione provisum. Ad hoc enim si voluit eos Dominus sibimet unius diei dilatione concludi, ut secundum visum martyris sui faceret populorum

Digitized by Google

excubationibus honorari, non consummato Isaac per fecti martyrii nuntius cunctorum aures impleverat. Ad cujus corpus universa continuo fraternitas lætis cursibus properaverat, quibus cum sepultura corporis a carnificibus negaretur, excubias omnes, ne inhumatum corpus abjiceretur, cum magna exultatione tenuerunt, illic tota die cum nocte populi triumphantes, psalmis, hymnis, canticis in testimonium cunctis gloriæ Domini decantabant : et omnis ætas ac sexus interesse tantis gratulationibus ardenti cupiditate gaudebant. Quale fuit istud, fratres, quod Dominus suis martyribus ad honorem dignatus est procurare, ut XVIII Kalend. Septembris die sabbato ad instar Paschæ permitteretur populus vigilias celebrare. Sic ergo peractus est dies, et nox ita consumpta est. Mox ubi dies alter exortus est, exspectabatur proconsul quid de corporis humatione jussisset, quid forsitan concederet miser, quod negasse nec homicidis nec adulteris ullus judicum solet, nisi e contra traditorum sæva pernicies ad crudelitatis capienda consilia vigilarent ! quorum suggestione proconsul tunc coactus protinus a carcere jussit expelli vivum pariter cum defuncto, et marinis fluctibus mergi, ne quasi permitteret eos dignitatem Martyrum venerari.

Quam stulta crudelitas, quæ corpora volvit nostris manibus abnegare, quasi venerationem nobis de mente posset auferre : aut si illi non sepelirentur in terra, non possent aliter regna intrare cœlestia ? Sed accessit illis ad felicitatis augmentum, ut et defuncti post terrena supplicia pro Christo marinis quoque vexationibus quaterentur, ne ullus locus remaneret in mundo, ubi non irriserant inimicum. Hoc illis ad cumulos triumphorum providerat Dominus, ut et in majori odio sæculi laborassent, et in defunctis corporibus posset sicut et in vivis exhibere virtutem. Venerant ergo ad carcerem militum cuncti et trivarii fustibus onerati, et via cædis populos repellentes, cunctos pene fecerant vulneratos. Tantum enim debuit Martyrum dignitati concedi, ut pro sepultura eorum mererentur et alteri confiteri. Postea quia vix valuerunt universos excludere defunctum pariter et superstitem, ex utroque latere non paris militum numerus deducebat. Delusit se nescius immanitas vana, ut ipsa illis præbuisset obsequia, quibus negavit aliena. Jam littus accesserat maris, jam navis acceptos martyres vehebat ut mergeret. Ast ubi profundi æquoris altitudinem perniciter introivit, non segnius satellites Satanæ celerabant jussa complere, devinctos scilicet funibus, et binas orcas arena contectas singulorum cervicibus pedibusque nectentes, intervallo non modico ab invicem separatos demergente pondere dimiserunt. Quos sinu pelagus projectos ut agnovit, continuo quasi flammis totum cœlestibus urerctur, sacrosanctos artus tenere non potuit : sed convolutis deorsum desuper fluctibus, ad ejicienda corpora detrusas arenas funditus abradebat, et ab imo fundo ad superiora terga subvertens undis resilientibus removebat. Mergebantur scrutantes fluctus de summis cumulis ad inferiora rapienda vasto impetu descendentes ad fundum, et tempestivum mare de inferioribus repulsum egesto potiori iterum citabatur parturiens membra sanctorum, donec impulsibus rapidis undarum turbo depressos artus excussit, et immensum pondus eliciens, corporibus raptis victor tandem fluctus evasit. Erigebantur proinde violentius cumuli solidatis aquarum montibus elevati, ut congeries conglobata securius onerosa membra subveheret, ne victa iterum laborassent, et sub adunatis undique molibus pelagi facta testudine pugnabat unda cum pondere ; ne oneri violento valida maris terga contigere aperiret.

Sed adhuc restabat alterius laboris opus scilicet et conamen, ut intervallo infinito discretos, in quo quinquies unum celeri congregatione colligeret, ne alienum sacrilegium ejus negligentiæ remaneret. Ducebant hinc aquæ, hinc geminis cornibus volumina sinuantia, et pari sibimet coïtione subvecta corpora quominus inhiabat. Jam venientis occursus ex utraque cornuum brevi æquiperant medium, et utraque per partes propinquante conventu intervalli longitudo decrescens venerat in angustum : cum semel utrique plenus spatiis exemptis tota intercapedo consumpta est, et redactis omnibus simul et undarum corporumque celebrata concordia est. Obsidebantur hæc igitur a fratribus littora, quasi jam certius adventantes Martyres ulla præcederet fama, et diebus noctibusque sollicite præmonita, defixis oppantibus sperabatur quod credebant quandoque de Dei solita virtute venturum. Cum subito post bis ternos dies ad exemplum umere scilicet geminatum templa Christi venire gaudebant, et occurrentes cuncti, quomodo poterant, oculis exsultante alacritate pendebant : quorum extensis manibus optata membra cum tropæis suis unda festinans velut in gaudium resonans tradidit, et compoti desiderio devota fraternitas cum amplexibus lætis accepit.

Sic beati Martyres sepulturam debitam receperunt, et optatum reddiderunt fratribus obsequium, et frustrata Christus exhibuit consilia Traditorum, ne aut insepulta tantorum corpora remanere permitteret, aut devotionem populi ex parte ulla fraudasset, aut nefandos vota crudelitatis implere cum blasphemia sui nominis immotus aspiceret.

Lugeat nunc demensa sævitia perfidorum, quæ Dominicarum noluit recordari virtutum : non timuit eum posse de mare corpora liberare, quem novit ab inferis etiam animas posse eruere : aut si nihil aliud vel nec cetus qui se vomisset acciperet, perdidit misera crudelitas quo credebat magnum se comperisse consilium, cui nec mare voluit ferre consensum. Male commendavit desideria sua, quæ contra creatorem suum pelagus negare non potuit. Quid agit humana jam rabies, ubi mare non persequitur mortes? Quid agit sceleratorum feritas, sæva ubi maria revocant ad sepulturam ? aut quales a persecutoribus judicantur, quos et ipsa elementa violare timuerunt ? o beatæ passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est

Digitized by Google

Christus tot exhibere magnalia ! o felix exitus, qui talibus contigit, quem pro illorum meritis tantis virtutibus decoravit! In devotione constantia, in passione tolerantia, in morte victoria, magnalibus in sepultura.

Ad vos nunc, fratres, cuncta jam redeunt, quæ vos ad regna cœlestia deduxerunt. Vos exempla ista compellunt, quæ illos primo per vos ad has glorias compulerunt. Magistros vos illis confessionum frequentia crebris opinionibus fecerat, et ipsi nunc vobis de martyrio suggerunt. Similiter documenta vestra vos adhortantur quæ alios adhortata sunt. Tendunt ad vos e cœlo jam bracchia, operientes tempus quo A vobis occurrant. Properate naviter, concurrite pertinaciter : exspectant vobiscum simul capere dignitatem. Eia, agite, fratres, accelerate quantocius, ut et de vobis non aliter gaudeamus. Inveniat apud vos reditus noster unde glorietur, sicut et de his secessio nostra sortita est gaudia gloriarum. Sed euntes ad tropæa vestra veniamus : ut sicut vobis horum victorias nuntiavimus, sic postmodum vestras huc ad Carthaginem secuturis cæteris nuntiemus.

Explicit epistola beatissimi Martyris Macrobi ad plebem Carthaginis de passione Martyrum Isaac et Maximiani. Deo gratias, amen.

ANNO DOMINI 333.

ANONYMI ITINERARIUM

A BURDIGALA HIERUSALEM USQUE,

ET AB HERACLEA

PER AULONAM ET PER URBEM ROMAM MEDIOLANUM USQUE,

ANTE ANNOS MILLE ET TRECENTOS

SIMPLICI SERMONE SCRIPTUM EX ANTIQUISSIMO CODICE P. PITHŒI EDITUM.

HIC : CIVITAS BURDIGALA, UBI EST FLUVIUS GARONNA, PER QUEM FACIT MARE OCEANUM ACCESSA ET RECESSA, PER LEUCAS PLUS MINUS CENTUM.

Mutatio Stomatas	Leuc.	VII.	B Civitas Arelate	M.	VIII.
Mutatio Sirione	L.	IX.	*Fit a Burdigala Arelate usque, millia* CCCLXXI,		
Civitas Vesatas	L.	IX.	*mutationes* XXX, *mansiones* XI.		
Mutatio Tres Arbores	L.	V.	Mutatio Arnagine	M.	VIII.
Mutatio Oscineio	L.	VIII.	Mutatio Bellinto	M.	X.
Mutatio Scittio	L.	VIII.	Civitas Avenione	M.	V.
Civitas Elusa	L.	VIII.	Mutatio Cypressita	M.	V.
Mutatio Vanesia	L.	XII.	Civitas Arausione	M.	XV.
Civitas Auscius	L.	VIII.	Mutatio ad Lectoce	M.	XIII.
Mutatio ad sextum	L.	VI.	Mutatio Novem Craris	M.	X.
Mutatio Ilungunverro	L.	VII.	Mansio Acuno	M.	XV.
Mutatio Bucconis	L.	VII.	Mutatio Vancianis	M.	XII.
Mutatio ad Jovem	L.	VII.	Mutatio Umbenno	M.	XII.
Civitas Tholosa	L.	VII.	Civitas Valentia	M.	IX.
Mutatio ad Nonum	M.	IX.	Mutatio Cerebeliaca	M.	XII.
Mutatio ad Vicesimum	M.	XI.	C Mansio Augusta	M.	X.
Mansio Elusione	M.	IX.	Mutatio Darentiaca	M.	XII.
Mutatio Sostomago	M.	IX.	Civitas Dea Vocontiorum	M.	XVI.
Vicus Ilebromago	M.	X.	Mansio Luco	M.	XII.
Mutatio Cedros	M.	VI.	Mutatio Vologatis	M.	IX.
Castellum Carcassione	M.	VIII.	*Inde ascenditur Gaura mons.*		
Mutatio Tricesimum	M.	VIII.	Mutatio Cambono	M.	VIII.
Mutatio Hosverbas	M.	XV.	Mansio Monte Seleuci	M.	VIII.
Civitas Narbone	M.	XII.	Mutatio Daviano	M.	VIII.
Civitas Biterris	M.	XVI.	Mutatio ad Fine	M.	XII.
Mansio Cessarone	M.	XII.	Mansio Vapineo	M.	XI.
Mutatio foro Domiti	M.	XVIII.	Mansio Catorigas	M.	XII.
Mutatio Sortantione	M.	XVII.	Mansio Ilebriduno	M.	XVI.
Mutatio Ambrosio	M.	XV.	*Inde incipiunt Alpes Cottiæ.*		
Civitas Nemauso	M.	XV.	Mutatio Rame	M.	XVII.
Mutatio Ponte Ærarium	M.	XII.	Mansio Byrigantum	M.	XVII.

Digitized by Google

Inde ascendis matronam.

Mutatio Gesdaone. . . . . M. X.
Mansio ad Marte. . . . . M. IX.
Civitas Secussione. . . . . M. XVI.

Inde incipit Italia.

Mutatio ad Duodecimum . . . . . M. XII.
Mansio ad Fines. . . . . M. XII.
Mutatio ad Octavum. . . . . M. VIII.
Civitas Taurinis. . . . . M. VIII.
Mutatio ad Decimum. . . . . M. X.
Mansio Quadratis. . . . . M. XII.
Mutatio Ceste . . . . . M. XI.
Mansio Rigomago. . . . . M. VIII.
Mutatio ad Medias. . . . . M. X.
Mutatio ad Cottias. . . . . M. XIII.
Mansio Laumello. . . . . M. XII.
Mutatio Duriis. . . . . M. IX.
Civitas Ticeno. . . . . M. XII.
Mutatio ad Decimum. . . . . M. X.
Civitas Mediolanum. . . . . M. X.
Mansio Fluvio Frigido . . . . . M. XII.

Fit ab Arelate ad Mediolanum usque, millia CCCCXXV, *mutationes* LXIII, *mansiones* XXII.

Mutatio Argentia. . . . . M. X.
Mutatio Ponte Aurioli. . . . . M. X.
Civitas Vergamo. . . . . M. XIII.
Mutatio Tollegatæ. . . . . M. XII.
Mutatio Tetellus. . . . . M. X.
Civitas Brixa. . . . . M. X.
Mansio ad Flexum. . . . . M. XI.
Mutatio Beneventum. . . . . M. X.
Civitas Verona. . . . . M. X.
Mutatio Cadanio. . . . . M. X.
Mutatio Auræos. . . . . M. X.
Civitas Vincentia. . . . . M. XI.
Mutatio ad finem. . . . . M. XI.
Civitas Patavi. . . . . M. X.
Mutatio ad Duodecimum . . . . . M. XII.
Mutatio ad Nonum. . . . . M. XI.
Civitas Attino. . . . . M. XI.
Mutatio Sanos. . . . . M. X.
Civitas Concordia. . . . . M. IX.
Mutatio Apicilia . . . . . M. IX.
Mutatio ad Undecimum. . . . . M. X.
Civitas Aquileia . . . . . M. XI.

Fit a Mediolano Aquileiam usque, millia CCLI, *mutationes* XXIV, *mansiones* IX.

Mutatio ad Fornolus . . . . . M. XI.
Mutatio ad Undecimum . . . . . M. XII.
Mutatio Castra. . . . . M. XII.

Inde sunt Alpes Juliæ.

Ad Pirum summas Alpes . . . . . M. IX.
Mansio Longatico . . . . . M. XII.
Mutatio ad Nonum . . . . . M. VIII.
Civitas Emona . . . . . M. XIII.
Mutatio ad Quartodecimo . . . . . M. X.
Mansio Hadrante . . . . . M. XIII.

Fines Italiæ et Norici.

Mutatio ad Medias . . . . . M. XIII.
Civitas Celeia . . . . . M. XIII.
Mutatio Lotodos . . . . . M. XII.
Mansio Ragindone . . . . . M. XII.
Mutatio Pultovia . . . . . M. XII.
Civitas Petovione . . . . . M. XII.

Transis pontem, intras Pannoniam inferiorem.

Mutatio Ramista . . . . . M. IX.
Mansio Aqua viva . . . . . M. IX.
Mutatio Popolis . . . . . M. X.
Civitas Jovia . . . . . M. IX.
Mutatio Sunista . . . . . M. IX.
Mutatio Peritur . . . . . M. XII.
Mansio Lentolis . . . . . M. XII.
Mutatio Cardono . . . . . M. X.
Mutatio Coconis. . . . . M. XII.
Mansio Serata. . . . . M. X.
Mutatio Bolentia . . . . . M. X.
Mansio Maurianis. . . . . M. IX.

Intras Pannoniam superiorem.

Mutatio Serena . . . . . M. VIII.
Mansio Vereis . . . . . M. X.
Mutatio Jovalia . . . . . M. VIII.
Mutatio Mersella . . . . . M. VIII.
Civitas Mursa . . . . . M. X.
Mutatio Leutuoano . . . . . M. XII.
Civitas Cibalis. . . . . M. XII.
Mutatio Celena . . . . . M. XI.
Mansio Ulmo . . . . . M. XI.
Mutatio Spaneta . . . . . M. X.
Mutatio Vedulia . . . . . M. VIII.
Civitas Sirmium . . . . . M. VIII.

Fit ab Aquileia Firmium usque, millia CCCCXII. *mansiones* XVII, *mutationes* XXXIX.

Mutatio Fossis. . . . . M. IX.
Civitas Bassianis . . . . . M. X.
Mutatio Noviciani. . . . . M. XII.
Mutatio Altina . . . . . M. XI.
Civitas Singiduno . . . . . M. VIII.

Finis Pannoniæ et Mysiæ.

Mutatio ad Sextum . . . . . M. VI.
Mutatio Tricornia Castra . . . . . M. VI.
Mutatio ad Sextum Miliare . . . . M. VII.
Civitas Aureo Monte . . . . . M. VI.
Mutatio Vingeio . . . . . M. VI.
Civitas Margo. . . . . M. IX.
Civitas Viminatio . . . . . M. X.

Ubi Diocletianus occidit Carinum.

Mutatio ad Nonum . . . . . M. IX.
Mansio Municipio. . . . . M. IX.
Mutatio Jovis Pago . . . . . M. X.
Mutatio Bao . . . . . M. VII.
Mansio Idomo. . . . . M. IX.
Mutatio ad Octavum. . . . . M. IX.
Mansio Oromago. . . . . M. VIII.

Finis Mysiæ et Daciæ.

Mutatio Samartorum . . . . . M. XII.
Mutatio Cametas. . . . . M. XI.
Mansio Ipompeis. . . . . M. IX.
Mutatio Rappiana . . . . . M. XII.

Digitized by Google

Civitas Naisso . . . . . M. XII.
Mutatio Redicibus . . . . . M. XII.
Mutatio Ulmo . . . . . M. VII.
Mansio Romansiana . . . . . M. IX.
Mutatio Latina . . . . . M. IX.
Mansio Turribus . . . . . M. IX.
Mutatio Translitis . . . . . M. XII.
Mutatio Ballanstra . . . . . M. X.
Mansio Meldia . . . . . M. IX.
Mutatio Scretisca . . . . . M. XII.
Civitas Serdica . . . . . M. XI.

Fit a Sermio Serdicam usque, millia CCCXIV, *mutationes* XXIV, *mansiones* XIII.

Mutatio Extvomne . . . . . M. VIII.
Mansio Buragara . . . . . M. IX.
Mutatio Sparata . . . . . M. VIII.
Mansio Iliga . . . . . M. X.
Mutatio Soneio . . . . . M. IX.

Finis Daciæ et Thraciæ.

Mutatio Pontencasi . . . . . M. VI.
Mansio Bonamans . . . . . M. VI.
Mutatio Alusore . . . . . M. IX.
Mansio Basapare . . . . . M. XII.
Mutatio Tugugero . . . . . M. IX.
Civitas Eilopopuli . . . . . M. XII.
Mutatio Syrnota . . . . . M. X.
Mutatio Paramuole . . . . . M. VIII.
Mansio Cillio . . . . . M. XII.
Mutatio Carassura . . . . . M. IX.
Mansio Azzo . . . . . M. XI.
Mutatio Palæ . . . . . M. VII.
Mansio Castozobra . . . . . M. XI.
Mutatio Rhamis . . . . . M. VII.
Mansio Burdista . . . . . M. XI.
Mutatio Daphabæ . . . . . M. XI.
Mansio Nicæ . . . . . M. IX.
Mutatio Tarpodizo . . . . . M. X.
Mutatio Urisio . . . . . M. VII.
Mansio Virgolis . . . . . M. VII.
Mutatio Nargo . . . . . M. VIII.
Mansio Drizupara . . . . . M. IX.
Mutatio Tipso . . . . . M. X.
Mansio Tunorullo . . . . . M. XI.
Mutatio Beodizo . . . . . M. VIII.
Civitas Heraclia . . . . . M. IX.
Mutatio Baunne . . . . . M. XI.
Mutatio Salamembria . . . . . M. X.
Mutatio Callum . . . . . M. X.
Mansio Atyra . . . . . M. X.
Mansio Regio . . . . . M. XII.
Civitas Constantinopoli . . . . . M. XII.

Fit a Serdica Constantinopolim (usque), millia CCCCXIII, *mutationes* XII, *mansiones* XX.

Fit omnis summa a Burdigala Constantinopolim vicies bis centena viginti unum millia; mutationes CCXXX; *mansiones* CXII.

Item ambulavimus Dalmatio et Dalmaticei, Zenofilo Cons. III. *Kal. Jun. a Calcedonia.*

Et reversi sumus Constantinopolim VII. *Kal. Jan. Consule supra scripto.*

A Constantinopoli transis Pontum, venis Calcedoniam, ambulas provinciam Bithyniam.

Mutatio Nassete . . . . . M. VII. S.
Mansio Pandicia . . . . . M. VII. S.
Mutatio Pontamus . . . . . M. XIII.
Mansio Libissa . . . . . M. IX.

Ibi positus est Rex Annibalianus, qui fuit Afrorum.

Mutatio Brunga . . . . . M. XII.
Civitas Nicomedia . . . . . M. XIII.

Fit a Constantinopoli Nicomediam, usque, millia VIII, *mutationes* VII, *mansiones* III.

Mutatio Hyribolum . . . . . M. X.
Mansio Libum . . . . . M. XI.
Mutatio Liada . . . . . M. XII.
Civitas Nicia . . . . . M. VIII.
Mutatio Schinæ . . . . . M. VIII.
Mutatio Mido . . . . . M. VII.
Mutatio Chogeæ . . . . . M. VI.
Mutatio Chateso . . . . . M. X.
Mutatio Tutaio . . . . . M. IX.
Mutatio Protunica . . . . . M. XI.
Mutatio Artemis . . . . . M. XII.
Mansio Diablæ . . . . . M. VI.
Mansio Ceratæ . . . . . M. VI.

Finis Bithyniæ et Galatiæ.

Mutatio Finis . . . . . M. X.
Mansio Dadastan . . . . . M. VI.
Mutatio Transmonte . . . . . M. VI.
Mutatio Milia . . . . . M. XI.
Civitas Juliopolis . . . . . M. VII.
Mutatio Hycronpotamum . . . . . M. XIII.
Mansio Agannia . . . . . M. XI.
Mutatio Ipetobrogen . . . . . M. VI.
Mansio Muizos . . . . . M. X.
Mutatio Prasmon . . . . . M. XII.
Mutatio Cenaxepaliden . . . . . M. XIII.
Civitas Anchira Galatiæ . . . . . M.

Fit a Nicomedia Anchiram Galatiæ usque, millia CCLVIII, *mutationes* XXVI, *mansiones* XII.

Mutatio Delemna . . . . . M. X.
Mansio Curveonta . . . . . M. XI.
Mutatio Rosolodiaco . . . . . M. XII.
Mutatio Aliassum . . . . . M. XIII.
Civitas Arpona . . . . . M. XVIII.
Mutatio Galea . . . . . M. VIII.
Mutatio Andrapa . . . . . M. IX.

Finis Galatiæ et Cappadociæ.

Mansio Parnasso . . . . . M. XIII.
Mansio Jogola . . . . . M. XVI.
Mansio Nitalis . . . . . M. XVIII.
Mutatio Augustana . . . . . M. XIII.
Civitas Colonia . . . . . M. XVI.
Mutatio Momoasson . . . . . M. XII.
Mansio Anathiango . . . . . M. XII.
Mutatio Chusa . . . . . M. XII.
Mansio Sasimam . . . . . M. XII.

Digitized by Google

Mansio Andavilis. . . . . M. XVI
Ibi est villa Pompali, unde veniunt equi curules.
Civitas Thiana . . . . . .
Inde fuit Apollonius magus.
Civitas Faustinopoli. . . . . M. XII.
Mutatio Cœna . . . . . M. XIII.
Mansio Opopanda. . . . . M. XII.
Mutatio Pilas. . . . . M. XIV.
Finis Capadociæ et Ciliciæ.
Mansio Mansuerine. . . . . M. XII.
Civitas Tharso. . . . . M. XII.
Inde fuit apostolus Paulus.
Fit ab Anchira Galatiæ Tharson usque, millia CCCXLIII, *mutationes* XXV; *mansiones* XVIII.
Mutatio Pargais. . . . . M. XIII.
Civitas Andana. . . . . M. XIV.
Civitas Mansista. . . . . M. XVIII.
Mutatio Tardequeia. . . . . M. XV.
Mansio Catavolomis. . . . . M. XVI.
Mansio Balæ. . . . . M. XVII.
Mansio Alexandria Scabiosa. . . . M. XVI.
Mutatio Pictanus. . . . . M. IX.
Finis Ciliciæ et Syriæ.
Mansio Pangrios. . . . . M. VIII.
Civitas Antiocha. . . . . M. XVI.
Fit a Tharso Ciliciæ Anthiocam (usque), Millia CXLI, *mutationes* X, *mansiones* VII.
Ad Palatium Dafne. . . . . M. V.
Mutatio Hysdata. . . . . M. XI.
Mansio Platanus . . . . . M. VIII.
Mutatio Bachaias. . . . . M. VIII.
Mansio Cattelas. . . . . M. XVI.
Civitas Ladica. . . . . M. XVI.
Civitas Gavala. . . . . M. XIV.
Civitas Balaneas. . . . . M. XIII.
Finis Syriæ Cœlis et Fœnicis.
Mutatio Maraccas. . . . . M. X.
Mansio Antaradus. . . . . M. XVI.
Est civitas in mare a ripa M. II.
Mutatio Spiclin. . . . . M. XII.
Mutatio Basiliscum. . . . . M. XII.
Mansio Arcas. . . . . M. VIII.
Mutatio Bruttus. . . . . M. IV.
Civitas Tripoli. . . . . M. XII.
Mutatio Tridis. . . . . M. XII.
Mutatio Bruttosalia. . . . . M. XII.
Mutatio Alcobile. . . . . M. XII.
Civitas Berito. . . . . M. XII.
Mutatio Heldua. . . . . M. XII.
Mutatio Parphyrion. . . . . M. VIII.
Civitas Sidona. . . . . M. VIII.
Ibi Helias ad Viduam ascendit et petiit sibi cibum.
Mutatio ad Nonum. . . . . M. IV.
Civitas Tyro. . . . . M. XII.
Fit ab Antiocha Tyrum usque, millia CLXXIV, *mutationes* XX, *mansiones* XI.
Mutatio Alexandroschene. . . . . M. XII.
Mutatio Ecdeppa. . . . . M. XII.
Civitas Ptolemaida. . . . . M. VIII.

Mutatio Calamon. . . . . M. XII.
Mansio Sicamenos. . . . . M. III.
Ibi est mons Carmelus, ibi Helias sacrificium faciebat.
Mutatio Certa . . . . . M. VIII.
Finis Syriæ et Palestinæ.
Civitas Cæsarea Palesthfa, id est, Judæa. M. VIII.
Fit a Tyro Cæsaream Palestinam usque, millia LXXIII, mutationes II, mansiones III.
Ibi est Balneus Cornelii Centurionis, qui multas eleemosynas faciebat.
In tertio milliaro est mons Syna, ubi fons est quem mulier si laverit, gravida fit.
Civitas Maximopoli. . . . . M. XVII.
Civitas Stradela. . . . . M. X.
Ibi sedit Achab rex, et Helias prophetavit.
Ibi est campus ubi David Goliath occidit.
Civitas Sciopioli. . . . . M. XII.
Aser, ubi fuit villa Job. . . . . M. VI.
Civitas Neapoli. . . . . M. XV.
Ibi est mons *Agazaren*. Ibi dicunt Samaritani *Abraham sacrificium obtulisse*, et ascenduntur usque *ad summum montem gradus num.* CCC.
Inde *ad pedem montis* ipsius locus est, cui nomen est *Scchim*. Ibi positum est monumentum, ubi positus est Joseph *in villa*, quem dedit ei Jacob pater ejus. Inde rapta est Dina, filia Jacob, a *filiis Amorrhæorum*.
Inde passus mille, locus est *cui nomen Sechar*, unde descendit mulier Samaritana, ad eumdem locum, ubi Jacob puteum fodit, ut de eo *aqua impleret*, et Dominus noster Jesus Christus cum ea locutus est. Ubi sunt *arbores platani*, quos plantavit Jacob, et balneus qui de eo puteo lavatur.
Inde millia XXVIII, euntibus Hierusalem, in parte sinistra est villa quæ dicitur *Bethar*. Inde passus mille est locus ubi Jacob, cum iret in Mesopotamiam, obdormivit, et ibi est arbor *amigdala*, et vidit visum, et *Angelus* cum eo luctatus est. Ibi fuit rex Hieroboam, ad quem *missus fuit propheta* ut converteretur ad Deum excelsum: et *jussum fuerat prophetæ*, ne cum pseudopropheta, quem secum rex habebat, manducaret. Et quia seductus est a pseudopropheta, et cum eo manducavit, redienti occurrit prophetæ leo in via, et occidit eum leo.
Inde Hierusalem millia XII. Fit a Cæsarea Palestinæ Hierusalem usque, millia CXVI, mansiones IV, mutationes IV.
Sunt in Hierusalem piscinæ magnæ duæ ad latus templi, id est, una ad dexteram, alia ad sinistram, quas Salomon fecit. *Interius vero civitatis* sunt *piscinæ gemellares*, quinque porticus habentes, quæ appellantur *Bethsaida*. Ibi ægri multorum annorum sanabantur. Aquam autem habent eæ piscinæ *in modum coccini turbatam*. Est ibi et crypta, *ubi Salomon dæmones* torquebat. Ibi est Angelus turris excelsissimæ ubi Dominus ascendit, et dixit ei is *qui tentabat* eum (1).

(1) Deficiunt hoc loco quæ Matth., c. IV, 6, reperies.

Digitized by Google

Et ait ei Dominus : *Non tentabis Dominum Deum tuum , sed illi soli servies.* Ibi est et lapis angularis magnus, de quo dictum est : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* Item ad caput anguli, et sub pinna turris, sunt cubicula plurima ubi Salomon palatium habebat. Ibi etiam constat *cubiculus*, in quo sedit et sapientiam descripsit : ipse vero uno lapide est tectus. Sunt tibi et *exceptoria magna* aquæ subterraneæ, et piscinæ magno opere ædificatæ, et in æde ipsa ubi templum fuit, quod Salomon ædificavit, in marmore ante aram *sanguinem Zachariæ* *(1), ibi dicas hodie fusum.

Etiam parent vestigia *clavorum militum* qui eum occiderunt, in totam aream , ut putes in cera fixum esse. Sunt ibi et statuæ *ducæ Adriani*. Est et non longe de statuis *lapis pertusus*, ad quem veniunt Judæi *singulis annis*, et unguent eum, et *lamentant* se cum gemitu, et vestimenta sua scindunt, et sic recedunt. Est ibi et domus Ezechiæ, regis Judæ. Item exeunti in Hierusalem, ut ascendas Sion, in parte sinistra, et deorsum in valle juxta murum, est piscina quæ dicitur *Siloa ; habet quadriporticum* ; et alia piscina, grandis foras. Hic fons *sex diebus atque noctibus* currit. In eadem ascenditur Sion, et paret *ubi fuit domus Caiphæ sacerdotis*, et *columna adhuc* ibi est in qua Christum flagellis ceciderunt. Intus autem intra murum Sion paret locus ubi palatium habuit David, et *septem synagogæ*, quæ illic fuerunt; una tantum remansit, reliquæ autem *arantur et seminantur* ; sicut Isaias propheta dixit. Inde ut eas foris murum de Sione euntibus ad portam neapolitanam , ad partem dextram, deorsum in valle sunt parietes ubi domus fuit sive *prætorium Pontii* Pilati. Ibi Dominus auditus est antequam pateretur. A sinistra autem parte est *monticulus Golgotha*, ubi Dominus crucifixus est. Inde quasi *ad lapidem missum* est crypta ubi corpus ejus positum fuit, et tertia die resurrexit. Ibidem *modo jussu Constantini* imperatoris basilica facta est, id est *Dominicum miræ pulchritudinis*, habens ad latus exceptiora unde aqua lavatur, et balneum a tergo, ubi *infantes lavantur*. Item ab Hierusalem euntibus ad portam quæ est contra Orientem, ut ascendantur in montem Oliveti, *vallis quæ dicitur* Josaphat ad partem sinistram ubi sunt vineæ. Est et petra ubi *Juda Scarioth* Christum tradidit. A parte vero dextra est arbor palmæ, de qua infantes ramos tulerunt, et *veniente Christo* substraverunt. Inde non longe quasi ad lapidis missum sunt monumenta duo *(2) *monubiles* miræ pulchritudinis facta. In unum positus est Isaias propheta, *qui est vere monolithus*, et in alium Ezechias rex Judæorum. Inde ascendis in montem Oliveti ubi Dominus ante Passionem apostolos docuit. Ibi facta est basilica jussu Constantini. Inde non longe est *monticulus ubi Dominus* ascendit orare, et apparuit illic Moyses et Helias, quando Petrum et Joannem secum duxit. Inde ad *orientem passus mille* quingentos est villa quæ appellatur *Bethania*. Est ibi crypta ubi Lazarus positus fuit, quem Dominus suscitavit.

Item ab Hierusalem in Hierico millia XVIII. Descendentibus montem in parte dextra, retro monumentum est arbor *sycomori*, in quam Zachæus ascendit, ut Christum videret. A civitate passus mille quingentos est fons Heliæi prophetæ; antea si qua mulier ex ipsa aqua bibebat, *non faciebat natos*. Ad latus est vas fictile Heliæi; misit in eo sales, et venit, et stetit super fontem, et dixit : *Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has; ex eo si qua mulier inde biberit, filios faciet.* Supra eumdem vero fontem est domus Rachab *fornicariæ*, ad quam exploratores introierunt, et occultavit eos quando Hiericho *versa est et sola* evasit. Ibi fuit civitas Hiericho cujus muros gyraverunt cum arca Testamenti filii Israel, et ceciderunt muri. Ex eo non paret nisi locus ubi fuit *arca Testamenti et lapides* 12, quos filii Israel de Jordane levaverunt. Ibidem Jesus filius Nave circumcidit filios Israel, et circumcisiones eorum sepelivit.

Item Hiericho ad mare mortuum, millia VIII. Est aqua ipsius *valde amarissima*, ubi in totum nullius generis piscis est, nec *aliqua navis*, et si quis hominum miserit se ut natet, ipsa aqua eum versat.

Inde ad Jordanem ubi Dominus a Joanne baptizatus est millia V.

Ibi est *locus super flumen* monticulus in illa ripa, ubi raptus est Helias in cœlum. Item ab Hierusalem euntibus Bethleem *millia quatuor*, *super strata* in parte dextra, est monumentum ubi Rachel posita est uxor Jacob. Inde millia duo a parte sinistra est Bethleem, ubi natus est Dominus noster Jesus Christus : *ibi basilica* facta est jussu Constantini. Inde non longe est *monumentum Ezechiel*, Assaph, Sobbe et Jesse, David, Salomon, et habet in ipsa crypta ad latus deorsum descendentibus. *Hebræis* scriptum nomina superscripta.

Inde Bethazeora millia XIV.

Ubi est fons, in quo Philippus Eunuchum baptizavit.

Inde Terebintho millia IX.

Ubi *Abraham habitavit*, et *puteum fodit* sub arbore Terebintho, et cum angelis locutus est, et cibum sumpsit. *Ibi basilica* facta est jussu Constantini miræ pulchritudinis.

Inde Terebintho Cebron millia II.

Ubi est *memoria* per quadrum ex lapididus miræ pulchritudinis, in qua *positi* sunt Abraham, Isaac, Jacob, Sara, Rebecca et Lia.

Item ab Hierosolyma sic :

Civitas Nicopoli.	M. XXII.
Civitas Lidda.	M. X.
Mutatio Antipatrida.	M. X.
Mutatio Betthar.	M. X.
Civitas Cæsarea.	M. XVI.

Fit omnis summa a Constantinopoli usque Hieru-

(1) Asteriscus quo hæc signata sunt, deesse aliquid monet ; quamquam si voculam *ibi* tolleres, sana videri possunt. (*Note du Père Wesseling.*)

(2) Asteriscus detectum videtur indicare. Cæterum qui si post vocem *pulchritudinis* distinguas, non male cohærent. (*Id.*)

Digitized by Google

salem millia undecies centena LXIV millia, mutationes LXIX, mansiones LVIII.

Item per Nicopolim et Cæsaream, millia LXXIII, S. mutationes V, mansiones III.

Item ab Heraclea per Macedoniam area millia XVI.

Mansio Registo. . . . . M. XII.
Mutatio Bediso. . . . . M. XII.
Civitas Apris. . . . . M. XII.
Mutatio Zesutera. . . . . M. XII.

Finis Europæ et Rhodopæ.

Mansio Sirogellis. . . . . M. X.
Mutatio Drippa. . . . . M. XIX.
Mansio Gipsila. . . . . M. XII.
Mutatio Demas. . . . . M. XII.
Civitas Trajanopoli. . . . . M. XIII.
Mutatio Adunimpara. . . . . M. VIII.
Mutatio Salcs. . . . . M. VII.S.
Mutatio Melalico. . . . . M. VIII.
Mansio Berozica. . . . . M. XV.
Mutatio Breierophara. . . . . M. X.
Civitas Maximianopoli. . . . . M. X.
Mutatio Adstiabulodio. . . . . M. XII.
Mutatio Rumbodona. . . . . M. X.
Civitas Epyrum. . . . . M. X.
Mutatio Purdis. . . . . M. VIII.

Finis Rhodopeæ et Macedoniæ.

Mansio Hercontroma. . . . . M. IX.
Mutatio Neapolim. . . . . M. IX.
Civitas Philippis. . . . . M. X.

Ubi Paulus et Sileas in carcere fuerunt.

Mutatio ad Duodecim. . . . . M. XII.
Mutatio Domeros. . . . . M. VII.
Civitas Amphipolim. . . . . M. XIII.
Mutatio Pennana. . . . . M. X.
Mutatio Peripidis. . . . . M. X.

Ubi positus est Euripides poeta.

Mansio Apollonia. . . . . M. XI.
Mutatio Heracleustibus. . . . . M. XI.
Mutatio Duodea. . . . . M. XIV.
Civitas Thessalonica. . . . . M. XIII.
Mutatio ad Decimum. . . . . M. X.
Mutatio Gephyra. . . . . M. X.
Civitas Pelli, unde fuit Alexander Magnus Macedo. . . . . M. X.
Mutatio Scurio. . . . . M. XV.
Civitas Edissa. . . . . M. XV.
Mutatio ad Duodecimum. . . . . M. XII.
Mansio Cellis. . . . . M. XVI.
Mutatio Grande. . . . . M. XIV.
Mutatio Melitonus. . . . . M. XIV.
Civitas Heraclea. . . . . M. XIII.
Mutatio Parambole. . . . . M. XII.
Mutatio Brucida. . . . . M. XIX.

Finis Macedoniæ et Epyri.

Civitas Cledo. . . . . M. XIII.
Mutatio Patras. . . . . M. XII.
Mansio Claudanon. . . . . M. IV.
Mutatio in Tabernas. . . . . M. IX.
Mansio Granda Via. . . . . M. IX.
Mutatio Trajecto. . . . . M. IX.
Mansio Hiscampis. . . . . M. IX.
Mutatio ad Quintum. . . . . M. VI.
Mansio Coladiana. . . . . M. XV.
Mansio Marusio. . . . . M. XIII.
Mansio Absos. . . . . M. XIV.
Mutatio Stefanafana. . . . . M. XII.
Civitas Apollonia. . . . . M. XVIII.
Mutatio Stefana. . . . . M. XII.
Mansio Aulona trajectum. . . . . M. XII.

Fit omnis summa ab Heraclea per Macedoniam Aulonam usque, millia DCLXXVIII, *mutationes* LVIII, *mansiones* XV. *Trans mare stadia mille. Quod facit millia centum. Et venis Odronto mansiones mille passus.*

Mutatio ad Duodecimum. . . . . M. XIII.
Mansio Clipeas. . . . . M. XII.
Mutatio Valentia. . . . . M. XIII.
Civitas Brindisi. . . . . M. XI.
Mansio Spitenaces. . . . . M. XIX.
Mutatio ad Decimum. . . . . M. X.
Civitas Leonatiæ. . . . . M. X.
Mutatio Turres Aurilianas. . . . . M. XV.
Mutatio Turres Julianas. . . . . M. IX.
Civitas Beroes. . . . . M. XI.
Mutatio Batontones. . . . . M. XI.
Civitas Rubos. . . . . M. XI.
Mutatio ad Quintum decimum. . . . M. XV.
Civitas Canusio. . . . . M. XV.
Mutatio ad Undecimum. . . . . M. XI.
Civitas Serdonis. . . . . M. XV.
Civitas Aecas. . . . . M. XVIII.
Mutatio Aquilonis. . . . . M. X.

Finis Apuliæ et Campaniæ.

Mansio ad Equum Magnum. . . . . M. VIII.
Mutatio Vicus Forno Novo. . . . . M. XII.
Civitas Benevento. . . . . M. X.
Civitas et Mansio Claudiis. . . . . M. XII.
Mutatio Novas. . . . . M. IX.
Civitas Capua. . . . . M. XII.

Fit summa ab Aulona usque Capuam millia CCLXXXIX, *mutationes* XXV, *mansiones* XIII.

Mutatio ad Octavum. . . . . M. VIII.
Mutatio Ponte Campano. . . . . M. IX.
Civitas Sonnessa. . . . . M. IX.
Civitas Menturnas. . . . . M. IX.
Civitas Formis. . . . . M. IX.
Civitas Fundis. . . . . M. XII.
Civitas Terracina. . . . . M. XIII.
Mutatio ad Medias. . . . . M. X.
Mutatio Appi Foro. . . . . M. IX.
Mutatio Sponsas. . . . . M. VII.
Civitas Aricia et Albona. . . . . M. XIX.
Mutatio ad Nonum. . . . . M. VII.
In urbe Roma. . . . . M. IX.

Fit a Capua usque ad urbem Romam millia CXXXVI, *mutationes* XIV, *mansiones* IX.

Fit ab Heraclea per Aulonam in urbem Romam usque,

Digitized by Google

millia undecies centena XIII, *mutationes* XVII, *mansiones* XLVI.

Ab Urbe usque Mediolanum.

Mutatio Rubras.	M.	IX.
Mutatio ad Vicesimum	M.	XI.
Mutatio Aqua Viva.	M.	XII.
Civitas vericulo Civitas Narniæ.	M.	XII.
Civitas Interamna.	M.	IX.
Mutatio Tribus Tabernis.	M.	III.
Mutatio Fani Fugitivi.	M.	X.
Civitas Spolitio	M.	VII.
Mutatio Sacraria	M.	VIII.
Civitas Trevis.	M.	IV.
Civitas Fulginis	M.	V.
Civitas Foro Flamini.	M.	III.
Civitas Noceria	M.	XII.
Civitas Ptanias.	M.	VIII.
Mansio Herbelloni	M.	VII.
Mutatio adhesis	M.	X.
Mutatio ad Cale	M.	XIV.
Mutatio intercisa.	M.	IX.
Civitas Foro Simproni	M.	IX.
Mutatio ad Octavum	M.	IX.
Civitas Fano Fortunæ	M.	VII.
Civitas Pisauro	M.	XXIV.

Usque Ariminum.

Mutatio competu.	M.	XII.
Civitas Cesena	M.	VI.
Civitas Foropopuli	M.	VI.
Civitas Forolivi	M.	VI.
Civitas Faventia.	M.	V.
Civitas Foro Corneli	M.	X.
Civitas Claterno.	M.	XIII.
Civitas Bononia.	M.	X.
Mutatio ad Medias	M.	XV.
Mutatio Victuriolas.	M.	X.
Civitas Mutena	M.	III.
Mutatio Ponte secies	M.	V.
Civitas Regio	M.	VIII.
Mutatio Canneto.	M.	X.
Civitas Parmæ	M.	VIII.
Mutatio ad Eurum	M.	VII.
Mansio Fidentiæ.	M.	VIII.
Mutatio ad Fonteclos	M.	VIII.
Civitas Placentia	M.	XIII.
Mutatio ad Rota	M.	XI.
Mutatio tribus tabernis	M.	V.
Civitas Laude.	M.	IX.
Mutatio ad Nonum	M.	VII.
Civitas Mediolanum	M.	VII.

Fit omnis summa ab urbe Mediolanum usque, millia CCCCXVI, *mutationes* XLII, *mansiones* XXIV.

EXPLICIT ITINERARIUM.

Ex eodem V. C. de verbis gallicis.

Lugdunum, Desideratum-Montem.

Armorici, ante mare, aræ, ante; more dicunt mare, et ideo marini.

Arverni, ante obsta.

Rhodanum violentum. Nam Rho nimium.

Dan judicem, hoc et gallice, hoc et hebraice dicitur.

ANNO DOMINI CCCXXXIII.

S. SYLVESTER PAPA.

PROLEGOMENA.

§ PRIMUS. — *Notitia historica ex libro pontificali Damasi papæ.*

Silvester natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annis viginti tribus, mensibus decem, diebus undecim. Fuit autem temporibus Constantini et Volusiani, ex die kalendarum Februarii, usque in diem kalen-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Silvester. Postquam episcopatus Romanus per obitum Melchiadis non septemdecim diebus dumtaxat, (ut sui ipsius immemor auctor pontificalis asserit) sed integro mense vacasset, ipsis kalendis Februariis, anno Christi 314, qui est Constantini imperatoris nonus, Silvester natione Romanus, a Marcellino, non (quod habent acta Silvestri) a Melchiade presbyter ordinatus, pontificatum adeptus est. Maximino et Licinio hostibus et persecutoribus orientalis ecclesiæ devictis, Judæis seditionem moventibus, per Constantinum eorum auriculas amputantem, et rebellionis signum corpori illorum imprimentem, feliciter oppressis, toti orbi et imprimis universæ ecclesiæ pax et tranquillitas concessa est. Qua obtenta, subito vastatæ ecclesiæ extrui, et ad corruptos mores emendandos, sanctissimæ leges ab ecclesiastici et sæcularis imperii monarchis promulgari cœperunt. Et demum ad contumaciam schismaticorum Donatistarum, terve quaterve in causa Cæciliani appellantium, frenandam; ad incendium Arianæ hæresis exortum Alexandriæ restinguendum, ad Athanasii electionem contra Arianorum et Meletianorum factionem confirmandam, diversis locis ac temporibus Arelatense, Ancyranum, Neocæsareense, Alexandrinum, Laodicenum, Romanum, Nicænum, aliaque plura concilia indicta, congregata ac celebrata fuerunt. Inter leges, quas imperator adhuc catechumenus, et baptismi expers, piissime edixit ac promulgavit, notatu dignissimæ sunt illæ, quibus ingenuos, per tyrannum servituti subjectos, in libertatem vindicavit; puerorum concubitus sodomiticos interdixit; parentum inopiæ in alendis et educandis prolibus succurrit;

Digitized by Google

darum Januarii, Constantino et Volusiano consulibus. Hic in exilio fuit in monte Soractensi (persecutione Constantini percussus), et postmodum rediens cum gloria, baptizavit Constantinum Augustum, quem

NOTÆ SEVERINI BINII.

pœnam, qua miserorum hominum vultus inscribebantur, sustulit; Christianos exules et ad metalla damnatos, Licinio devicto, revocavit; de gradu dejectos, bonisque omnibus spoliatos restituit, quaque leges Juliam et Papiam adversus turpem, fictum et sterilem cælibatum olim sancitas, et contra verum, sanctum atque fecundum Christianorum cælibatum conversas, abrogavit; denique qua ad Maximum præfectum urbis de aruspicibus, ne privatas domos adirent, rescripsit; quippe qui ea occasione clandestinæ idololatriæ venena instillarent. Verum cum hoc suo decreto multorum animos graviter exacerbari, ac fere seditionem concitari videret; specie mitigandæ seditionis, ad eumdem Maximum rescriptum priori contrarium edidit, quo aruspices, si fulgur tectum aliquod tetigisset, consulendos, sibique quod respondissent, renuntiandum esse decrevit. Quamobrem, ut et ipse imperator disceret, aliosque suo exemplo doceret, quanta cum Dei offensa conjunctum sit, religionem temporalis commodi causa dissimulare, Deo vindice permissum est, ut imperium ejus ante felicissimum, in summam infelicitatem relaberetur, ipsaque Neroniana sæcula quibusdam recrudescere viderentur. Cum enim Licinium juniorem de rebellione suspectum occidisset, optimum deinde Crispum Cæsarem Christianum, præclaris victoriis auctum, rebus fortiter gestis vere magnum, castitate cæterisque moribus insignem, quasi novercæ stuprum intentasset, una cum Fausta conjuge sua, multisque præterea spectatæ virtutis viris, crudelissime interfecit. Ob hæc scelera imperator a Deo lepra percussus, cum ab aruspicum responsis, quibus ad lepram curandam, innocentium sanguinem sanguini innocenter effuso addere monebatur, matrum et infantulorum ejulatu deterritus esset, ad mentem rediit, factum detestatur, et criminis simul ac pœnæ expiationem quærit. Ab Osio Cordubensi episcopo, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli apparitione didicit, Silvestrum e latebris ab exilio revocandum, ab eoque lavacrum baptismatis esse expetendum: quod si faceret, futurum esse iidem imperatori promiserunt, ut ab animi simul et corporis contagione emundetur. Obtemperat apostolorum et episcopi monitis, Silvestrum ab exilio revocat, et postquam aliquot diebus per eumdem in fide institutus fuisset, baptizatus, et subito a lepra mundatus est. Hujus ille accepti beneficii memor, ut suum erga Deum et ecclesiam affectum notum faceret, subito deorum gentilium fana diruit, plurimas divino cultui consecrandas ecclesias extruxit, easque amplissimis donis munificentissime exornavit. Et cum indignum esse judicaret, eam urbem, in qua monarcha totius Ecclesiæ Christique in terris vicarius residebat, sæcularis principis imperio subjectam esse; non urbis Romæ dumtaxat, sed totius fere Italiæ aliarumque provinciarum dominium et jurisdictionem temporalem Silvestro, ejusque legitimis in cathedra Petri successoribus munificentissime donavit. Qua ratione crucem dominicam tribus integris sæculis in terra latentem ac reconditam exaltarit; quibus miraculis a latronum crucibus eamdem discreverit, quæ templa in honorem Dei ædificarit, quasve res alias præclare gesserit, partim supra in notis ad tertiam epistolam Eusebii diximus, partim infra recensebimus.

Sedit annis 23 *mensibus decem, diebus* 11. Silvester cum sedisset annis viginti uno, mensibus undecim minus uno die, migravit e vita pridie kalendarum januarii, anno Christi nati 335. Alii quidem aliter, sed cum in lib. de Roman. pontif. ejus ingressus ponatur sub consulatu Volusiani, tempore Constantini (sic enim hic legendum est) rursum vero Marcelli successoris illius subrogatio ponatur sub consulatu Nepotiani atque Facundi, qui incidit in annum Christi 336 sane ann. 335. Silvester excessisse nequaquam potuit. Baronius in appendice decimi tomi ad annum 324 numero 8.

Hic in exilio fuit in monte Socrate. Silvestrum crudelitatem imperatoris metuentem ab urbe exulasse, præter acta ipsius, probabiliter indicant Zozimus libro secundo, Sozom. libri primi cap. 5. ex eo quod Constantinus criminis sui expiationem quærens, non Romanum antistitem, sed peregrinum hominem, Osium nimirum Cordubensem episcopum consuluisset. *Horum*, inquit Zozimus, *ipse sibi conscius, et propterea contemptæ sacramentorum religionis, ad flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda piacula posset eluere, quidam Hispanus genere cui nomen esset Ægyptius*, (ita Osium episcopum Cordubensem appellat; tum quod a suscepta legatione ex Ægypto rediisset, tum etiam quod, quales erant pene omnes Ægyptii omnesque gentilium opinione Christiani sacerdotes, magum esse putaverit) *Romam delatus, et ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmavit*, etc. Baron. ann. 324 num. 17 et 27.

Rediens cum gloria. Quippe qui jussu beatorum Petri et Pauli, noctu per quietem et somnum imperatori apparentium, ab exilio revocatus in urbem rediit. Acta Silvestri, quæ recitantur ab Hadriano papa, concil. Nicæno II act. 1. Item tomo secundo epistolarum decretalium.

Baptizavit Constantinum Augustum. Constantinum anno Christi 324. Crispo et Constantino tertium consulibus baptizatum esse, Romanum concilium prædictis consulibus celebratum, apertissime probat. In exordio enim illius concilii hæc narrantur: *Eodem tempore* (Crispo nimirum et Constantino tertium consulibus, ut ex subscriptione constat), *cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro episcopo urbis Romæ, et mundatus fuisset a lepra; pro hoc beneficio, quod accepit a domino nostro Jesu Christo, per Silvestrum episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Jesum Christum, et confiteri ejus beneficia*, etc. Auctoritate ejusdem concilii Anastasius bibliothecarius in chronico perbrevi, quod scripsit, recenset Constantini baptismum Romæ habitum anno imperii illius decimo octavo, nimirum 324. Christi nati, quo 18. Constantini finitur, et 19 inchoatur. Hæc eadem testimonio Zozimi libro II, aliorumque Gentilium, quorum Sozomenus, lib. 1, c. 5, meminit, confirmantur. Horum enim omnium una eademque est sententia, Constantinum post Crispi filii necem, de crimine admisso pœnitentiam agentem, ejusque expiationem sollicite quærentem, Gentilibus et Christianis auctoribus didicisse, veniam parricidii non nisi per baptismum recte ac legitime administratum obtineri posse, ideoque baptismate Christianorum susceptо, ab omni corporis et animi contagione abluendum fore. Accedit, quod historicorum fere omnium consensu communi receptum sit imperatorem concilio Nicæno universali, quo non tantum de moribus, verum etiam de fide disputabatur, interfuisse, adeoque ante baptismate initiatum fuisse: cum, teste Severo libro secundo, Constantio adhuc catechumeno Mediolanensi concilio interesse non fuerit permissum. Baronius anno prædicto numero 17 et sequentibus usque ad trigesimum. Item anno 335, num. undecimo. Quod Eusebius Pamphili episcopus Cæsareæ Palæstinæ, libro 4 in vita Constant., cap. 61 et 62, affirmat Constantinum in extremo vitæ cursu multis annis post celebratum Nicænum concilium in suburbiis Ni-

Digitized by Google

curavit Dominus lepra, cujus persecutionem primo fugiens, in exilio fuisse cognoscitur. Hic fecit in urbe A Roma ecclesiam in prædio cujusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, juxta thermas Traja-

NOTÆ SEVERINI BINII.

comediæ ab Eusebio Nicomediensi Arianorum antesignano baptizatum, impium et ab Ecclesia catholica penitus alienum ex hac vita migrasse, figmentum est in gratiam Constantii imperatoris Ariani, ab Arianorum signifero (ita cum Hieronymus appellat in chron.) excogitatum. Græci in suo Menologio Constantinum inter sanctos retulerunt: universa Ecclesia nomen piissimi imperatoris, teste Nicolao epistola ad Michaelem imperatorem, ex Diptychis recitare consuevit. Patres concilii Chalcedon. Marcianum virum piissimum ac religiosissimum, Novum Constantinum acclamarunt, quomodo, si quem Eusebius dolose scribit ab Ariano baptizatum, impie decessisse, Ecclesia catholica tantopere commendabit? Tuo ipsius, Eusebi, testimonio constat, imperatorem ipso sacratissimo paschatis tempore sacris mysteriis interfuisse, et in sacro Nicæno conventu sedem inter episcopos habuisse; quomodo hæc omnibus aliis catechumenis et B peccatoribus interdicta, imperatori multis peccatis obnoxio, et adhuc catechumeno concessa fuisse opinaris? Præterea lib. III, cap. 3, ais imperatorem multis annis ante finem vitæ se in tabula depicta omnium oculis contemplandum proposuisse, salutareque passionis insigne supra caput imaginis locatum in pictura expressisse; inimicam autem illam et hostilem belluam, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide oppugnasset, in altum demersam, draconis specie et figura describendam curasse. Hæc quo pacto Constantino applicari possunt, si nondum baptizatus erat? siquidem omnis catechumenus et energumenus, tantumque abest ut ipsum serpentem occidat, ut potius ab eo possideatur: nam aliter a catechumeno non expellitur, quam per baptismum, qui est mare illud, in quod serpens enecatus demergitur. Sed dices, in extremo vitæ fine baptizatum fuisse, testatur sanctus Ambrosius in oratione habita in funere Theod. ubi hæc ait: *Cui licet baptismi gratia in ultimis constituto* C *omnia peccata dimiserit; tamen, quod primus imperatorum credit, et post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Respondeo, nisi hæc de illa ægritudine, a qua omnium medicorum auxilio destitutus, per Sylvestrum liberatus est intelligas; ipse eodem verborum contextu sibi contraria locutus erit: nam quomodo magni, ut ait, meriti Constantinus est, si ab Arianis baptizatus decessit? Quod autem in chronicis Hieronymi scribitur, Constantinum extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi episcopo baptizatum, in Arianum dogma declinasse, surreptitium est, et ab alio potius, quam a sancto Hieronymo suppositum. Demum, quod objicitur synodicam Ariminensis concilii epistolam ad Constantium scriptam, quam Theod. libri secundi cap. 29. Socrates, libri secundi cap. 29 Sozomenus, libri quarti cap. 17, recitant, evidenter attestari, Constantino imperatori paulo ante mortem baptismatis sacramentum administratum fuisse; non tam mendose, D quam falso ibidem auctorum vel librariorum culpa scriptum est. Sanctus enim Athanasius in commentario illo, quem de synodo scripsit, eamdem ipsam episcoporum epistolam ad Constantium scriptam recitat, in qua loco Constantini, Constantem habet: hæc enim ibidem scribit: *Fuitque nobis persuasissimum, iniquum esse, cum imperator Constans ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura et diligentia conscriptam promulgarit, tunc demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est* (nimirum, paulo post susceptum baptismum a Magnentio tyranno necatus). Baronius, anno domini 324, num. 18, 27 et sequentibus, usque ad num. 35. Vide epistolam I concilii Ariminensis sub Liberio infra.

De suscepto baptismate acta emendatiora historiam hanc referunt: quod cum ad mandatum Silvestri pontificis septem diebus regia corona deposita, in pœnitentia solitarium egisset, et fideles publicas preces atque jejunium hanc ob causam indictum celebrassent, sabbato adveniente et fonte ex more precibus benedicto, in eumque Constantino simul ingresso et baptizato, cœlitus divinum splendorem affulsisse, et quod a lepra animi et corporis mundatus esset, Christum eidem illo fulgore apparentem, manu porrecta congratulatum esse. Hæc ex actis probatissimis Silvestri, quæ ab Adriano epistola quadam decretali, et concilio Nicæno II act. prima citantur. Baronius, numero 41 anno præcedenti.

Quem curavit Dominus a lepra. Constantius filius Constantini eam historiam, qua parens ob scelera a se atrocissima commissa, lepra percussus fuerat, summo studio obliteratam esse cupivit; ideoque accidisse opinor, ut adulatoris potius quam historici officio perfunctus Eusebius, sicut baptismum imperatoris in fine vitæ susceptum falso et dolose narravit; ita historiam lepræ, ut scilicet filio placerent quas scripserat fabulas, studiose suppresserit. Quod vero Liberius actis quibusdam a se conscriptis in vulgus sparsisset, Constantinum per Silvestrum a lepra mundatum fuisse, Constantius imperator ob eam causam non modo graviter in eum commotus est, sed etiam eidem gravia comminatus est, de quibus infra suo loco. Ne putes acta Silvestri, multis erroribus referta, hac in re vacillare et fide destitui, scias idem a Patribus Romani concilii sub Silvestro habiti, statim in principio synodalium actorum confirmari: hæc enim ibidem leguntur: *cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro urbis Romæ episcopo, et mundatus fuisset a lepra; pro hoc beneficio*, etc. *Quem curavit Dominus a lepra.* De Constantini lepra et per baptismum curatione facta, futuris sæculis eadem credita, atque absque ambiguitate recepta esse, Gregorius Turonensis, cum agit de baptismo Clodovei Francorum regis, testatus his verbis: *procedit novus Constantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.* Eadem in vita sancti Remigii, quam Hincmarus descripsit. Quid, quod nec gentiles historici hujus rei admirabilem historiam tacuerint? Inter alios Michael Glycas in suis annalibus libro quarto, hæc de Constantino scripsit: *secundum hæc denuo per uxorem Faustam ad deastrorum cultum exorbitantem, Deus per lepram retraxit*, etc. Christianorum igitur ac gentilium scriptorum testimonio firmata, vera sunt quæ de lepra Constantini in actis Silvestri narrantur; quod nimirum Constantinus imperator adhuc avita sectatus, adversus Dei Ecclesiam persecutionem concitaverit; ad quam evitandam, Silvester una cum aliquibus suis secreta montis Soractis petierit: quodque Constantinus ob admissa flagitia a Deo lepra percussus, juxta responsum quod ab aruspicibus acceperat, e vilioribus personis infantes, quorum sanguine curaretur, ad necem quæri mandaverit quidem, verum matrum planctu ad miserandum commotus, a nece abstineri, matresque cum suis infantulis muneribus donatas dimitti præceperit: quod demum illi cubanti ideo beati apostoli Petrus et Paulus apparuerint, et ut Silvestrum in monte latentem accersat, et ab eo baptizetur, admonuerint: quo susceptio, a lepra corporis subito mundatus ac curatus fuerit. Vide acta Silvestri, quorum fragmenta in concilio Nicæno recitata, et ab Hadriano contra Iconoclastas producta reperiuntur: epistola prima Hadriani papæ I ad Constantinum et Irenem: item epistola tertia ad Carolum regem Francorum: item actionem

Digitized by Google

nas; quem titulum Romanum constituit, et usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii, ubi et hæc dona contulit : patenam argenteam pensatam libras 20, ex dono Augusti Constantini. Donavit autem et scyphos argenteos 2, qui pensaverunt singuli libras denas; calicem aureum, pensantem libras duas; calices ministeriales quinque, pensantes singulos binas libras; amas argenteas duas, pensantes singulas libras denas; patenam argenteam chrismalem, auro clausam, pensantem libras quinque; pharos coronatos decem, pensantes singulos libras octonas; pharos æreos 20, pensantes singulos libras denas; cantharos cerostrotos 12, æreos, pensantes singulos libras 30; fundum Valerianum in territorio Sabinensi. qui præstat solidos 80; fundum stationum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 80; fundum stationum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 55; fundum ad duas casas in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 40; fundum Percilianum in territorio Sabinensi, qui præstat solidos 20; fundum Corbianum in territorio Sorano, qui præstat solidos 60; domum cum balneo in urbe in Sicunini regione, quæ præstat solidos 85; hortum intra urbem Romam, in regione ad Duos-Amantes, præstantem solidos 15; domum in regione Orphea intra urbem, quæ præstat solidos 58, et tremissem. Hic fecit constitutum etiam de omni Ecclesia.

Hujus temporibus factum est concilium cum ejus consensu (*Al.* præcepto) in Nicæa Bithyniæ. Et congregati sunt 318 episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integram, sanctam, catholicam, et immaculatam. Et damnaverunt Arium, Photinum, et Sabellium, vel sequaces eorum. Et in urbe Roma congregavit ipse cum consilio Augusti episcopos 277, et damnavit iterum et Calixtum, et Arium, et Photinum, et Sabellium. Et constituit, ut presbyter Arianum resipiscentem non susciperet, nisi episcopus loci (*Al. add.* designati) designaret eum. Constituit et chrisma ab episcopo confici. Et privilegium episcopis contulit, ut baptizatum consignent, propter hæreticam suasionem. Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Hic quoque constituit, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Et hoc constituit, ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur, et palla linostima læva eorum tegeretur. Idemque constituit, ut nullus clericus propter quamlibet causam in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in ecclesia. Sed et constituit, ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto consecraretur (celebraretur), nisi tantum in lineo ex terra procreato, sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea et munda (*Joan. XIX*) sepultum fuit (*Al. add.* sic missæ celebrarentur). Constituit nihilominus, ut si quis desideraret in ecclesia militare aut proficere, ut esset ostiarius annis decem, lector annis 30, exorcista dies 30, acolythus annis 5, subdiaconus annis 5, custos martyrum annis 5, diaconus annis 7, presbyter annis 3, probatus ex omni parte, ut etiam ab his, qui foris sunt, habeat bonum testimonium. Unius uxoris vir, uxore a sacerdote benedicta : et sic ad ordinem episcopatus ascenderet, nullum majoris vel prioris locum invaderet, nisi ordine temporum cum pudore cognosceret omnium clericorum vota grata (*Al.* votiva gratiæ), nullo omnino clerico contradicente, vel fideli. Hic fecit ordinationes septem per mensem Decembrem, presbyteros 42, diaconos 36 (*Al.* 25), episcopos per diversa loca et tempora 66 (*Al.* 65).

NOTÆ SEVERINI BINII.

prima concilii Nicæni II. Item a Baronio anno Domini 324 num. 32 et sequentibus confirmata.

Ubi et hæc dona contulit : patenam argenteam, etc. Hæc quæ sequuntur confirmant ea quæ supra diximus, non esse illicitum Ecclesiæ bona ad cultum et honorem Dei, ad ministrorum sustentationem collata, possidere : de quibus vide quæ supra diximus in notis ad epistolam secundam Pii I verbis, *ne prædia*, item in vita Zephyrini, verbis, *ut patenas*, et ad vitam Urbani, verbis, *Hic fecit ministeria*, etc., et notas ejusdem Urbani epistolæ, verbis, *Scimus vos non ignorare*.

Hujus temporibus factum est concilium. De quo vide infra.

Constituit et chrisma ab episcopo confici. Christi institutione constitutum est, ut chrismatis benedicendi solus episcopus minister sit, ut diximus in notis ad epistolam Urbani, et Fabiani II. Unde quomodo hæc intelligenda sint, patebit.

Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniat presbyter. Hæc non de sacramentali unctione chrismatis in frontibus, sed de ea cæremoniali unctione, quæ in solemni baptismo sit in vertice baptizandi, intelligenda esse, testatur Hugo Victorinus libro secundo de sacramentis, pagina septima, capite tertio : ubi hanc constitutionem Silvestri referens, dicit : *Primis temporibus omnis unctio chrismatis per solos pontifices fiebat : sed postquam constitutum est, ut baptizatum sacerdos in vertice liniat, consignatio tamen frontis solis pontificibus reservatur.* Unde patet hanc cæremoniam olim presbyteris interdictam, et non nisi cum licentia episcopi ab iisdem usurpatam fuisse. Quod idem confirmatum est concilii Toletani I, capite vigesimo, ubi dicitur : *Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente episcopo; præsente vero non, nisi ab ipso fuerit præceptum*, etc. Vide Suarez, de sacramento confirmationis disputatione trigesima sexta, sectione secunda, et notas ad canonem 20 concilii Toletani I.

Ut diaconi dalmaticis. Quid dalmatica, supra in Eutychiano diximus. Usus dalmaticæ olim episcopis dumtaxat concessus, auctore Silvestro, et concilii Romani can. 6 est præceptus. Nunc autem illis diaconi et subdiaconi utuntur. Suarez, tomo III, disput. 82, section 2.

Ut sacrificium altaris non in serico. Confirmatur hac constitutione Silvestri pontificis, quod ab Eusebio prædecessore statutum fuerat; ut consecratio corporis Domini fiat super palla quadam consecrata, linea non serica. Idque communi consensu et consuetudine, Beda et Burchardo testibus, in Ecclesia receptum est, et ex concilio Rhemensi capite tertio confirmatum, can. Sacratas, distinctione 24, appellatur palla sacra, quia est veluti pallium et indumentum Christi in altari. Communiter vero appellatur corporale : quia sindonem repræsentat, qua corpus Christi involutum fuit; vel quia in eo corpus Domini superponitur. Vide Alcuinum, Durandum, aliosque plures, qui de divinis officiis scripserunt. Suarez, tom. III, disput. 81, sect. 6.

Digitized by Google

Ex libello de munificentia Constantini.

Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit dona ista : fastigium argenteum, habens in fronte Salvatorem sedentem in sella, quinque pedum, pensantem libras 120 (310) ; et duodecim apostolos, habentes singulos quinos pedes, pensantes libras 90, cum coronis ex argento purissimo. Item a tergo respicientem in absida Salvatorem, sedentem in throno in pedibus quinque, ex argento purissimo, pensantem libras 140 ; et angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras 115, cum gemmis Alabandenis ; fastigium ipsum pensat libras duo millia 25 ; coronas quatuor ex auro purissimo, cum delphinis viginti, pensantes singulas libras 15 ; pharum ex auro purissimo, cum delphinis quingentis (quindecim), cum catena, qui pensant libras 25 ; cameram basilicæ ex auro, pensantem in longum et in latum libras 50 ; Altaria septem ex argento purissimo, pensantia libras ducentas ; patenas aureas septem, pensantes singulas libras triginta. Patenas argenteas sexdecim, pensantes singulas libras tringinta (tres) ; scyphos ex auro purissimo septem, pensantes singulos libras decem ; scyphum singularem ex metallo, corallo ornatum, et *undique* de gemmis prasinis et hyacinthinis, auro interclusum ex omni parte, qui pensat libras viginti et uncias tres ; scyphos argenteos viginti, pensantes singulos libras quindecim ; amas ex auro purissimo duas, pensantes singulas libras quinquaginta, portantes singulas medimnos tres ; amas argenteas 20, pensantes singulas libras 10, portantes singulas medimnos singulos ; calices minores aureos purissimos 40, pensantes singulos libras singulas ; calices minores ministeriales quingentos, pensantes singulos libras duas.

Ornamenta in basilica, pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardeat oleum nardinum pisticum, cum delphinis octoginta, pensantem libras 3 ; pharum cantharum argenteum cum delphinis viginti, qui pensant libras quadraginta, ubi ardet oleum nardinum pisticum ; pharos cantharos argenteos in gremio basilicæ 45, pensantes singulos libras triginta, ubi ardet oleum suprascriptum ; in parte dextera basilicæ pharos argenteos 40, pensantes singulos libras 20 ; pharos cantharos in læva basilicæ argenteos 25, pensantes singulos libras viginti ; cantharos cerostrotos in gremio basilicæ argenteos quinquaginta, pensantes singulos libras 20 ; metretas 3, ex argento purissimo, pensantes singulas libras trecentas, portantes medimnos decem ; candelabra ex orichalco, num. 7, quæ habent pedes denos cum ornatu ex argento, interclusa sigillis prophetarum, pensantia singula libras trecentas ; quæ constituit in servitio luminum ; massam Gargillanam in territorio Suessano, præstantem solidos 400 ; massam Bauronicam in territorio Suessano, præstantem solidos 360 ; massam Aurianam in territorio Laurentino, præstantem solidos 500 ; urbanam in territorio Antiano, præstantem solidos 240 ; massam in Castis (Capris) in territorio Catanensi, præstantem solidos mille ; massam Trapeas in territorio Catanensi, præstantem solidos mille sexcentos quinquaginta ; thymiamateria duo ex auro purissimo, pensantia libras triginta ; donum aromaticum ante altaria, singulis annis libras 150.

Fontem sanctum, ubi baptizatus est Augustus Constantinus ex lapide porphyretico, et ex omni parte coopertum intrinsecus et foris et desuper, et quantum aqua continet, ex argento purissimo, libras 3008 ; in medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras 30, ubi ardent balsami libræ ducentæ ; annexum (myxum) ex stipa (stupa) amianti ; in labro fontis agnum ex auro purissimo, fundentem aquam pensantem libras 30 ; ad dexteram agni, Salvatorem ex argento purissimo, in pedibus quinque, pensantem libras 170 ; in læva agni B. Joannem Baptistam ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum scriptum, qui hoc habet : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, pensantem libras 100 ; cervos ex argento 7, fundentes aquam, pensantes singulos libras 800 ; thymiamaterium ex auro purissimo, pensans libras 10, cum gemmis prasinis et hyacinthinis undique, numero gemmæ 42. Donum sancto fonti : Massa Festi ex territorio Prænestino, præstans solidos 300 ; massa Gaba ex territorio Gabinensi præstans solidos ducentos et duos ; massa Pictas, ex territorio supradicto, præstans solidos 205 ; massa Statiliana ex territorio Sorano, præstans solidos 300 ; massa intra Siciliam Taurana ex territorio Parentiensi, præstans solidos quingentos ; intra urbem Romam domus vel horti, præstantes solidos bis mille trecentos : fundus Bassi, præstans solidos centum viginti. Massa Laninas ex territorio

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hujus temporibus fecit. Hæc, quæ deinceps sequuntur, huc translata sunt ex libello de munificentia Constantini, quem Anastasius bibliothecarius ex archivis sacræ Romanæ ecclesiæ in lucem edidit. Baron. ann. 324, num. 55 et 63 et 67.

Basilicam Constantinianam. Hæc alias Lateranensis appellatur, ideo quod Constantino fundatore in monte Cœlio in amplissimis ædibus Laterani ædificata sit : quas ædes Constantinus primum Faustæ Augustæ, ac deinde Melchiadi papæ cesserat. Nam concilium illud, quod in causa Cæciliani sub Melchiade celebratum esse supra diximus, in Laterano in domo Faustæ habitum fuit. Vide Baronium anno 312 numero octavo et sequentibus. Item anno 324.

Salvatorem sedentem. Salvatoris imaginem 5 pedes altam, a qua celebri Salvatoris imagine, cui basilica etiam dicata fuit, dicta fuit basilica Salvatoris potius quam Constantiniana ; ad differentiam alterius basilicæ ejusdem nominis, publicis negotiis mancipatæ quæ posita erat in regione tertia apud templum pacis, ut habent Sixtus Rufus, et Publius Victor. Baronius anno prædicto, num. 68.

Ubi ardent balsami libræ, etc. Balsamum summi pretii oleum, quod profusissimus principum Heliogabalus (ut scribit Lampridius in Heliogabalo) in lucernis exhibuit ; quod Constantinus cultui sacræ religionis applicasse invenitur. Baronius, numero 56.

Digitized by Google

Carsiolano, præstans solidos ducentos. Fundus Catulli ex territorio Nomentano, præstans solidos quinquaginta. Massa Statiana ex territorio Sabinensi, præstans solidos trecentos quinquaginta. Massa Murina ex territorio Appiano Albanensi, præstans solidos 500. Massa Virginis ex territorio Sorano, præstans solidos 200 Transmarina intra partes Africæ. Massa Vincis ex territorio Mucario (Musci), præstans solidos 800. Massa Capsis ex territorio Capsitano (Caput Ciliani), præstans solidos 600. Massa Varia Sardana (Saldena), præstans solidos quingentos. Massa Camaras ex territorio Curtalupi (Cirta), præstans solidos 405. Massa Mummas ex territorio Numidiæ, præstans solidos 650. Massa Sulfurata ex territorio Numidiæ, præstans solidos 270. Massa Baldariolaria ex territorio Numidiæ, præstans solidos 810 In Græcia, Massa Cephalenia, præstans solidos quingentos. In Mengaulo (Megalula), Massa Amazon, præstans solidos 222.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit basilicam B. Petro apostolo in templo Apollinis, cujus loculum, cum corpus S. Petri recondidit, undique ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput, pedes 5. Ad pedes, pedes quinque. Ad latus dextrum, pedes quinque. Ad latus sinistrum, pedes quinque. Subter, pedes quinque. Supra, pedes quinque. Sic inclusit corpus B. Petri apostoli, et recondidit, et exornavit super columnas porphyreticas, et alias columnas tres thyneas (*forte* thyinas), quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram basilicæ, ex crimma (crimno) auri fulgentem. Et super corpus B. Petri, super os quo conclusit illud, fecit crucem auream purissimam, pensantem libras 150, ubi scriptum est hoc : Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscantem, auro circumdant. Scriptum est ex litteris nigellis in cruce. Fecit autem candelabra ex orichalco in pedibus decem, numero quatuor, argento conclusa cum sigillis argenteis, unde actus apostolorum cernebantur, pensantia singula libras trecentas; calices aureos tres cum gemmis prasinis quadraginta quinque, pensantes singulos libras duodecim; metretas argenteas duas, pensantes libras ducentas; calices argenteos viginti, pensantes singulos libras decem; amas aureas 2, pensantes singulas libras denas; amas argenteas quinque, pensantes singulas libras viginti; patenam auream cum thure (turtur) et columba, ex auro purissimo, ornatam gemmis prasinis et hyacinthinis, margaritisque, numero 215, pensantem libras triginta; patenas argenteas quinque, pensantes singulas libras quindecim; coronam auream ante corpus, quæ est pharus cantharus, cum delphinis quingentis, pensantem libras triginta quinque; pharos argenteos in gremio basilicæ cum delphinis, pensantes singulos libras decem; ad dexteram basilicæ pharos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo; ipsum altare ex auro et argento clausum cum gemmis prasinis et hyacinthinis et albis 210, pensans libras 350; thymiamaterium aureum cum gemmis undique exornatum, pensans libras quindecim. In reditibus donum, quod obtulit Constantinus Augustus B. Petro apostolo per diœceses in Oriente : in civitate Antiochia domum Datiani, præstantem solidos 240; domunculam Nicænam, præstantem solidos viginti et tremissem; cellas in Aphrodisia, præstantes solidos viginti (quindecim); balneum in Cerethea (Cyrretica), præstans solidos quadraginta duos; pistrinum, ubi supra, præstans solidos viginti tres; popinas, ubi supra, præstantes solidos decem; hortum Maronis, ubi supra, præstantem solidos decem; hortum, ubi supra, præstantem solidos undecim; sub civitate Antiocheus, possessionem Sybillinam donatam Augusto, præstantem solidos 322; cartadecadas 150; aromatum libras ducentas; balsami libras triginta quinque; sub civitate Alexandrina, possessionem Timialicam donatam Augusto Constantino ab Ambronio, præstantem solidos 620; cartadecadas 300; olei nardini libras 300; balsami, sexaginta; aromatum libras centum quinquaginta; storacis Isauricæ libras quinquaginta; possessionem Eutimi Caduci præstantem solidos quingentos; cartedecadas 70; per Ægyptum sub civitate Armeniæ, possessionem Agapii, quam donavit Constantino Augusto; possessionem Panopoliten (Cynopoliten), præstantem solidos 800; cartadecadas 400; piperis medimnos 50; croci libras centum; storacis libras 150; aromatum casiæ libras 200; olei nardini libras 300; balsami libras 100; lini saccos centum; caryophyllorum libras centum quinquaginta; olei Cyprini libras centum; papyrii canas (papyri canuas) mundas mille; possessionem quam donavit Constantino Augusto Ibronius, præstantem solidos 450; cartadecadas 200; aromatum casiæ, libras 50; balsami libras 50; in provincia Euphratensi (Euphratesien); sub civitate Cyro, possessionem Armanazon, præstantem soli-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Basilicam B. Petro, etc. S. Paulinus, qui hoc eodem quarto sæculo vixit, ad Alethium scribens, ep. 31, basilicæ S. Petri meminit his verbis : *Quanto ipsum apostolum attollebas gaudio, cum totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses, vel qua sub alto sui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, et apostolico eminus solio coruscans ingredientium lumina stringit, et corda lætificat*, etc.

Cujus loculum cum corpus S. Petri. De Petri apostoli sepultura S. Gregorius papa in epist. 30, l. III, ad Constantiam Augustam tradit, ad 16 pedes extra Petri sepulcrum fuisse desuper locum illum argento contectum : quod cum ipsius decessor mutare voluisset, apparente signo quodam, non parvo terrore absterritum, ab hujusmodi consilio destitisse. Baronius præd. ann. num. 63.

Calices aureos tres, etc. Hæc quæ sequuntur vasa et ornamenta basilicæ S. Petri collata, sunt eadem illa, quæ post 86 annos, cum ab Alarico urbs capta est, occultata apud sacram virginem, et inventa, ut tradit Oros., lib. VII, cap. 39, præ magnitudine, pulchritudine, pondere et diversitate, Gothos attonitos reddiderunt, et ab iisdem, divino numine sic disponente, cum honore eidem basilicæ restituta sunt. Baron. num. 64.

Digitized by Google

dos 380; sub Tarso Ciliciæ, insulam Cordionum (Corycorum), præstantem solidos 900.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam B. Paulo apostolo, ex suggestione sancti Silvestri episcopi, cujus corpus sanctum ita recondidit in ære et conclusit, sicut B. Petri, et dona obtulit. Nam omnia vasa sacra aurea, vel argentea, aut ærea, ita posuit, sicut in basilica beati Petri apostoli : et ita beati Pauli apostoli ornavit, sicut illam. Sed et crucem auream super locum (loculum) beati Pauli apostoli posuit, pensantem libras 150; sub civitate Tyria possessionem Comitam, præstantem solidos quingentos quinquaginta; possessionem Fromimusam præstantem solidos 700; possessionem Timiam, præstantem solidos 250; olei nardini libras septuaginta; aromatum libras quinquaginta; casiæ libras quinquaginta; sub civitate Ægyptia possessionem Cyreos, præstantem solidos 710; olei nardini libras septuaginta; balsami libras triginta; aromatum libras septuaginta; storacis libras triginta; stactes libras centum quinquaginta; possessionem Basilicam præstantem solidos quingentos quinquaginta; aromatum libras quinquaginta; olei nardini libras sexaginta; balsami libras viginti; croci libras sexaginta; possessionem insulæ Macchabæ (*forte* Macariæ), præstantem solidos quingentos decem; papyri racanas (*forte* cannas) mundas 500; lini saccos 300.

Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in Palatio Sessoriano, ubi de ligno sanctæ crucis posuit, et in auro et gemmis conclusit. Ubi et nomen ecclesiæ dedicavit, quo nominatur usque in hodiernum diem, Jerusalem. In quo loco constituit dona ista : candelabra ante lignum sanctum lucentia argentea quatuor, secundum numerum quatuor Evangeliorum, pensantia singula libras octoginta; pharos cantharos argenteos quinquaginta, pensantes singulos libras quindecim; scyphum aureum purissimum, pensantem libras decem; calices aureos ministeriales quinque, pensantes singulos libras singulas; scyphos argenteos tres, pensantes singulos libras octo; calices ministeriales argenteos decem, pensantes singulos libras duas (*Al.* quinque); patenam argenteam auro inclusam cum gemmis, pensantem libras 15; altare argenteum, pensans libras ducentas quinquaginta; amas argenteas tres, pensantes singulas libras viginti; et omnes agros circa palatium ecclesiæ dono dedit; possessionem ad Sponsas via Lavicana, præstantem solidos ducentos sexaginta tres; sub civitate Laurento, possessionem Patras, præstantem solidos centum viginti; sub civitate Nepesina, possessionem Angleais, præstantem solidos ducentos quinquaginta; sub civitate supra scripta possessionem Terega, quæ præstat solidos centum sexaginta; sub civitate Falisca possessionem præstantem solidos centum quindecim. Item sub civitate Falisca possessionem Herculis, quam donavit Augusto, et Augustus obtulit ecclesiæ Jerusalem, præstantem solidos centum quadraginta; sub civitate Tuder, possessionem Angulas, præstantem solidos 153.

Eodem tempore fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis, ex rogatu filiæ suæ, et baptisterium in eodem loco, ubi baptizata est soror ejus Constantia, una cum filia Augusti. Et ibidem constituit hæc : patenam auream, pensantem libras viginti; calicem aureum, pensantem libras decem; coronam, pharum cantharum ex auro purissimo, cum delphinis triginta, pensantem libras quindecim; patenas argenteas duas, pensantes singulas libras viginti; calices argenteos quinque, pensantes singulos libras decem, pharos cantharos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo; pharos æreos ex orichalco quadraginta; cerostrotos ex oricbalcho, argento clusos, quadraginta sigillatos; lucernas aureas duodecim (lychnorum) nixas super fontem; in reditibus circa civitatem Fidenas, omnem agrum, præstantem solidos centum sexaginta; via salaria sub Parento undique omnem agrum, præstantem solidos centum quinque; agrum Muci, præstantem solidos octoginta; possessionem in vico Pisonis, præstantem solidos ducentos quinquaginta; agrum Casulas, præstantem solidos centum.

Eodem tempore Constantinus Augustus fecit ba-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Fecit basilicam B. Paulo apostolo. Basilica Pauli, quæ cum esset ædificata, ubi corpus ejus positum erat, inter viam Ostiensem et Tiberim, angustia loci interjacentis non potuit, ut par erat, amplioribus spatiis ædificari; Valentinianus autem junior imperator, prætergressus viam illam, amplissimam reddidit. Vide Baron. ann. 324, num. 66.

Eodem tempore fecit basilicam in palatio Sessoriano. Hanc basilicam post crucem ann. Christi 326 inventam, ædificatam esse, crucis particula in eadem religiosissimo cultu collocata, evidenter ostendit : sed cur quæso in atrio Sessoriano, apud Veneris et Cupidinis templum? Ut scilicet juste ulcisceretur immane scelus, quod a gentilibus in odium crucis fuerat perpetratum : dum in sancto Golgotha in crucis rupe (quod testatur S. Hieronym. epist. 13), impudica Veneris statua fuerat collocata, et locus ipse crucis titulo adeo illustratus, ab iisdem Venerarium appellatum. Quamobrem, templum Veneris, quod Romæ præ aliis celebre erat, dignum visum est, ut cum ignominia eversum, sanctissimæ cruci cederet, quæ, proculcatis impudicitiis, virtutum omnium splendore nitesceret. Baron. ann. 324, num. 105.

Eodem tempore fecit basilicam Agnetis. Rogatu filiæ Constantiæ hanc basilicam extruxisse certum est, quo tempore, incertum est. Nam quo tempore et soror et filia imp. baptizatæ sunt, non constat. Qua autem visione admonita filia Constantia fuerit, apud Ambrosium serm. de pass. Agnetis, res gesta ab incerto auctore narratur. Verba illius vide apud Baron. num. 107. Constantia altera, cujus hic fit mentio, soror Constantini, et relicta Licinii uxor, illa, quæ aliquando Nicomediæ cum ageret, titulo Augustæ clarissima, miro ardore succensa videndi Christi humani generis redemptoris, quem Deum colebat, imaginem, ut voti compos fieret, ad Eusebium Pamphili Cæsareæ totius Palæstinæ, in qua Christus versatus erat, metropolitanum episcopum litteras dedit, ut patet ex epist. responsoria, qua idem Euseb. prædictæ Constantiæ respondit : extat act. 6 in concil. Nicæn. II. Vide Baronium, num. 109.

Digitized by Google

silicam beato Laurentio martyri via Tiburtina in agro Verano supra arenarium cryptæ. Et usque ad corpus sancti Laurentii martyris fecit gradus ascensionis et descensionis. In eo loco construxit absidem, et ornavit marmoribus porphyreticis, et desuper locum conclusit de argento; et cancellos (cancellis) de argento purissimo ornavit, pensantes libras mille. Et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo lychnorum decem, pensantem libras viginti; coronam ex argento purissimo cum delphinis 50, pensantem libras triginta; candelabra ærea duo in pedibus denis, pensantia singula libras trecentas. Ante corpus B. Laurentii martyris argento clusit sigilla passionum ipsius, cum lucernis in nixis (nyxis) argenteis, pensantibus singulis libras quindecim. In eodem loco possessionem cujusdam Quiriacetis (Cyriacæ) religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis; Veranum fundum præstantem solidos centum sexaginta; possessionem aqua Tuscia ad latus, præstantem solidos 153; possessionem Augusti in territorio Sabinensi, præstantem solidos 120; possessionem Micenas Augusti, præstantem solidos centum decem. Possessionem Thermulas, præstantem solidos sexaginta; possessionem Aranas, præstantem solidos septuaginta; pharos argenteos triginta, pensantes singulos libras octo.

Eisdem temporibus Constantinus Augustus fecit basilicam via Lavicana inter duas lauros, B. Petro et Marcellino martyribus, et mausoleum, ubi beatissimam Augustam matrem suam posuit in sarcophago porphyretico. Ubi et donavit patenam auream ex purissimo auro, pensantem libras triginta quinque; candelabra argentea, auro clusa in pedibus 12, quatuor, pensantia singula libras ducentas; coronam auream, quæ est pharus cantharus, cum delphinis 120, pensantem libras triginta; calices aureos tres, pensantes singulos libras decem, cum gemmis prasinis et hyacinthinis; amas aureas duas, pensantes singulas libras 40; altare ex argento purissimo, pensans libras ducentas; pharos cantharos argenteos viginti, pensantes singulos libras viginti; item altare ex argento purissimo, pensans libras ducentas; patenas ex auro duas, pensantes singulas libras 15; patenas argenteas duas, pensantes singulas libras 15; patenas argenteas duas, pensantes singulas libras 15; scyphum majorem ex auro purissimo, ubi nomen Augusti designatur, pensantem libras 20; scyphum aureum minorem, pensantem libras 10; scyphos argenteos 5, pensantes singulos libras 12; calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singulos libras 3; amas argenteas 4, pensantes singulas libras 15; annis singulis olei nardini pistici libras 900; balsami libras 100; aromatum in incensum sanctis martyribus B. Marcellino et Petro, libras centum; fundum Laurentinum juxta Formiam cum balneo, et omnem agrum a post Sessorianam viam, et in ærarium, usque ad viam Latinam, ad montem Gabum; ipsum montem Gabum, possessionem Augustæ Helenæ, præstantem solidos mille centum (ter centum) viginti; insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus, præstantem solidos mille viginti quatuor; Messanam cum possessionibus suis omnibus, præstantem solidos 810; insulam Martyziam, præstantem solidos 600; possessionem in territorio Sabinensi, quæ appellatur ad duas casas, sub monte Laureti, præstantem solidos 200.

Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in civitate Ostia, juxta portum urbis Romæ, beatorum apostolorum Petri et Pauli et Joannis Baptistæ, ubi obtulit hæc: patenam argenteam, pensantem libras 30; calices argenteos decem, pensantes singulos libras quinque; amas argenteas duas, pensantes singulas libras decem; pharos argenteos triginta, pensantes singulos libras quinque; scyphos argenteos duos, pensantes singulos libras octo; patenam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem; pelvem ex argento ad baptismum, pensantem libras viginti; insulam, quæ dicitur Asis, quæ est inter Portum et Ostiam, et possessiones omnes maritimas, usque ad Digitum solis, præstantes solidos trecentos; possessionem Gracchorum in territorio Ardeatino, præstantem solidos triginta; possessionem Quirini in territorio Ostiensi, præstantem solidos 311; possessionem Balniolum in territorio Ostiensi, præstantem solidos 42; possessionem Nymphulas, præstantem solidos triginta; item, quæ obtulit Gallicanus basilicæ suprascriptæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Joannis Baptistæ. Obtulit autem hæc: coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras 20; calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras 17; massam Mallianam in territorio Sabinensi, præstantem solidos 115 et tremissem; fundum Picturas in territorio Veliterno, præstantem solidos 43; fundum Surorum via Clodia in territorio Vejentano, præstantem solidos 56; massam Gargilianam in territorio Suessano, præstantem solidos 656.

Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam in civitate Albanensi sancti Joannis Baptistæ, ubi posuit hæc: patenam argenteam, pensantem libras 30; scyphum argenteum deauratum pensantem libras 12; calices ministeriales decem, pensantes singulos libras ternas; amas argenteas duas, pensantes singulas libras 20; possessiones Laurentinas cum adjacentibus campestribus, præstantes solidos 60; fundum Molas, præstantem solidos 50; possessionem Albanensem, cum lacu Albano, præstantes solidos 250; massam Muci, præstantem solidos 170; omnia Scheneca deserta, vel domos civi-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Basilicam B. Laurentio. Hic notat Baronius loca ubi corpora martyrum ponebantur, usu prisco confessiones appellata, et sumptuosissime exornata esse: ipsas vero corporum reliquias olim in cœmeteriis et recessibus subterraneis, nunc erectis desuper basilicis, iisque auro et argento exornatis, coli ac venerari cœpisse.

Digitized by Google

tatis in urbe Albanensi, omnia in circuitu ecclesiæ Constantinianæ obtulit Augustus; possessionem horti, præstantem solidos 20; possessionem Tiberii Cæsaris, præstantem solidos 80; possessionem Marinas, præstantem solidos 50; possessionem Armatianam in territorio Corano (Sorano), præstantem solidos 150; possessionem Statilianam, præstantem solidos 70; possessionem Medianam, præstantem solidos 30.

Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus intra urbem Capuanam basilicam apostolorum, quam cognominavit Constantinianam. Ubi et obtulit dona hæc: patenas argenteas duas, pensantes singulas libras 20; scyphos argenteos tres, pensantes singulos libras octo; calices ministeriales 15, pensantes singulos libras duas; amas argenteas duas, pensantes singulas libras 18; candelabra ærea in pedibus decem, numero quatuor, pensantia singula libras 180; pharos cantharos argenteos numero triginta, pensantes singulos libras 5; pharos cantharos æreos, numero triginta. Et obtulit possessiones Massam Statilianam in territorio Menturino. præstantem solidos 315; possessionem in territorio Cajetano, præstantem solidos 85; possessionem Paterni in territorio Suessano, præstantem solidos 150; possessionem ad Centum in territorio Capuano, præstantem solidos 60; possessionem Gauronicam in territorio Suessano, præstantem solidos quadraginta; possessionem Leonis, præstantem solidos 60.

Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam in urbe Neapoli, ubi obtulit hæc: patenas argenteas duas, pensantes singulas libras viginti-quinque; scyphos argenteos duos, pensantes singulos libras decem; calices ministeriales decem, pensantes singulos libras duas; amas argenteas duas, pensantes singulas libras quindecim; pharos argenteos viginti, pensantes singulos libras octo; pharos æreos viginti, pensantes singulos libras decem. Fecit autem formam aquæ ductus per miliaria octo. Fecit autem et forum, et donum obtulit: possessionem Macarii, præstantem solidos 150; possessionem Cimbranam, præstantem solidos centum quinque; possessionem Sclinam, præstantem solidos centum octo; possessionem Afilas, præstantem solidos centum quadraginta; possessionem Nymphulas, præstantem solidos nonaginta; possessionem Insulæ cum castro, præstantem solidos octoginta.

Eisdem temporibus constituit beatus Silvester in urbe Roma titulum suum in regionem tertiam juxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Trajanæ, titulum scilicet Silvestri ubi donavit Constantinus Augustus patenam argenteam, pensantem libras viginti; scyphos argenteos duos, pensantes singulos libras octo; amam argenteam, pensantem libras decem; pharos cantharos argenteos decem, pensantes singulos libras quinque; cantharos cerostrotos æreos sexdecim, pensantes singulos libras quadraginta; calices argenteos ministeriales quinque, pensantes singulos libras duas; fundum Percilianum in territorio Sabinensi, præstantem solidos quinquaginta; fundum Barbatianum in territorio Ferentino, præstantem solidos triginta quinque et tremissem; fundum Statianum in territorio Trebulano, præstantem solidos 66 et tremissem; fundum Beruclas in territorio Corano, præstantem solidos quadraginta quinque; fundum Sulpitianum in territorio Corano (Sorano), præstantem solidos septuaginta; fundum Tauri in territorio Vejentano, præstantem solidos quadraginta duo; fundum Sentianum in territorio Tiburtino, præstantem solidos triginta; fundum Cejanum in territorio Prænestino, præstantem solidos quinquaginta; fundum Termulas in territorio Prænestino, præstantem solidos triginta quinque; possessionem Cylonis in territorio Prænestino, præstantem solidos quinquaginta octo. Obtulit et omnia necessaria titulo Equitii. Hic Silvester fecit ordinationes sex per mensem Decembrem, presbyteros quadraginta duo, diacones viginti sex: episcopos per diversa loca numero 65. Hic sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, apud urbem Romam milliario tertio, pridie kalend. Januar. Qui catholicus et confessor quievit. Et cessavit episcopatus dies quindecim. Hæc Damasus.

§ II. — QUANDO ET QUAMDIU SEDERIT.

(*Ex D. Constant.*)

Tempus, quo pontificatum gessit hic papa, Bucherianо in catalogo accurate annotatur in hunc modum: *Silvester annis* XXI, *mensibus* XI. *Fuit temporibus Constantini a consulatu Volusiani et Anniani, ex die pridie kalendas februarii usque in diem kalendarum januariarum Constantio et Albino consulibus*, hoc est ab anno 314, januarii 31 die, qui Dominicus erat, ad anni 335, ultimum diem. Istud enim, *usque in diem kalendarum januariarum*, ita dici, ut ipse kalendarum januariarum dies ad pontificatum ejus non pertineat, plane persuadet non modo martyrologium Hieronymianum, verum etiam sæpe laudatus depositionis Romanorum pontificum catalogus pariter a Bucherio editus, in quo Silvestri obitus ita consignatur: *Pridie kalendas januarii Silvestri* (depositio) *in Priscillæ* (scil, cœmeterio).

§ III. — DE SCRIPTIS ALIIS QUÆ AD SIVESTRUM PAPAM ATTINENT.

(*Ex D. Constant.*)

1. *Litteræ Alexandri Alexandrini ad Silvestrum.* —

NOTÆ SEVERINI BINII.

In urbe Neapoli. In honorem apostolorum et martyrum, teste Adone in chron. Vide Baronium ann. 324 num. 115, etc.

Acta Sylvestri papæ germana et authentica, a Græcorum corruptelis expurgata, summatim descripta, vide in epistola prima Hadriani papæ I ad Constantinum et Irenem imperatores: et epistola tertia ejusdem Hadriani, ad Carolum regem Francorum. Quibus locis, quibusque temporibus eadem acta per impostores Græcos corrupta fuerint.

Digitized by Google

Circa annum Christi 319, *cum Alexander Alexandrinæ* A *Ecclesiæ episcopus Arium ac socios ejus habito concilio damnasset, missis undequaque encyclicis litteris, episcopos hac de re certiores fecit. Inter alios scripsit et ad Sylvestrum papam, easque litteras Liberius epist.* 4, *ad Constantium, n.* 4, *laudat in hunc modum :* Manent litteræ Alexandri episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii, undecim tam presbyteros, quam etiam diaconos, quia Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse. *Encyclicarum hujusmodi litterarum Socrates, lib.* 1, c. 6, *nobis asservavit exemplum, in quo et nomina recensentur undecim prædictorum, quos cum Ario Alexander anathemate perculit, atque ab Ecclesia et fide catholica alienos declaravit. Neque ambigendum videtur, quin hæc Alexandri epistola, necnon Arianæ* B *hæreseos causa, eamque consequens Nicæna synodus, Silvestro multis scribendis accipiendisve litteris occasionem præbuerint ; tametsi nulla saltem genuina ad nos pervenit.*

II. *Silvester a sacrilegis accusatus causam apud Constantinum dixit. — Romani concilii Patres apud Sirmondum append. Cod. Thed., pag.* 88. *Damasi nomine rogantes Gratianum et Valentinianum imperatores,* ut si concilio ejus causa non creditur, apud concilium se imperiale defendat, *Damasum hac in re nihil novum petere, sed majorum suorum exempla sequi testantur.* Nam et Silvester papa, *inquiunt,* a sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est. *Quinam vero fuerint illi sacrilegi, et quo tempore quove crimine Silvester ab* C *iis accusatus sit, haud facile divinetur. Eum quidem, cum Marcellini esset presbyter, una cum Marcello et Melchiade sacros libros tradidisse Donatistæ anno* 411 *in collatione Carthaginensi objecerunt : sed hanc calumniam tunc primum ab illis confictam, ac de hujusmodi criminatione nihil antea auditum fuisse, cum de Melchiade dissereremus, jam observavimus. Et vero si Silvester de hoc crimine accusatus causam apud Constantinum dixisset, ex actis, quibus absolutus fuerat, habuissent catholici unde Donatistas eamdem calumniam moventes atque repetentes vehementius repellerent. Horum tamen calumniæ Augustinus,* ut vidimus, *nihil opponit aliud, nisi quod se ipsa, utpote nullo teste, nullave documenti cujusquam auctoritate fulta, funditus ruat. De alia igitur re, quæ nos fugerit, Silvester apud* D *Constantinum causam dixisse intelligendus est.*

III. *Scripta Silvestro supposita. — Johannis a Bosco opera in bibliotheca Floriacensi edita est Silvestri papæ epistola ad universos episcopos per Gallias et septem provincias. Item in editionibus conciliorum circumferuntur Silvestri constitutum in Romano concilio, Nicænæ synodi epistola ad Silvestrum, Silvestri rescriptum ad eamdem synodum, et Romanum* II *concilium post Nicænam synodum a Silvestro habitum. Singula vero in appendice hujus toni, præmissa eorum censura, repræsentabimus. Quæ autem Silvestro in libro pontificali attribuuntur decreta, cum ex prædicto Constituto excerpta sint, nil opus est ut iis referendis aut notandis hic immoremur.*

IV. *Isidorus collectioni suæ cum excerpta ex gestis Silvestri, tum constitutum domini imperatoris Constantini inserit : quæ ad integritatem collectionis hujus non piguit exscribere, suo loco cum reliquis hujus impostoris scriptis edenda.*

OPERA QUÆ EXSTANT.

FRAGMENTUM INCOGNITI OPERIS ADVERSUS JUDÆOS.

(*Coll. Maii, t.* VIII, *part.* II, *p.* 26.)

ΣΙΛΒΕΣΤΡΟΥ.

Εἰ δέ τισιν ἀδύνατον δοκεῖ ἐν ἑνὶ δύο εἶναί τινα, καὶ ἅμα μὲν κατίχεσθαι, ἅμα δὲ σταυροῦσθαι, καὶ τὸ ἓν τούτων ὑπομένειν τὴν ὕβριν, ἀνθρωπίνῳ ὑποδείγματι τοῦτο ἀποδεῖξαι πειράσομαι· ἡ βασιλικὴ πορφυρὶς, ἔριον ἦν· τούτῳ μιγὲν τῆς κογχύλης τὸ αἷμα, χροιὰν πορφυρέαν αὐτῷ παρέσχεν· ὅτε οὖν ἐνήθετο τοῖς δακτύλοις, καὶ ἐκυκλώθετο γενόμενον στάμνων, ποῖον ἄρα τὴν στρέψιν ὑπέμενε, τὸ ἔριον ἢ ἡ βαφή; δῆλον ὅτι τὸ ἔριον· χρὴ τοίνυν ὁμοιῶσαι τῷ μὲν ἐρίῳ τὸν ἄνθρωπον, τῇ δὲ πορφυρίᾳ χροιᾷ τὸν θεὸν λόγον, ὃς ἤνωτο ἐν τῷ πάθει τῷ σταυρῷ, ἀλλὰ τῷ πάθει παντελῶς οὐχ ὑπέπεσεν. Εἰ δὲ οὐκ ἀρκεῖ τὸ ῥηθὲν ὑπόδειγμα, προσθήσω καὶ ἕτερον. Δυνατόν ἐστι δένδρον ἔχον ἐν ἑαυτῷ τὴν ἀκτῖνα τοῦ ἡλίου τμηθῆναι· ἐν τῷ οὖν τέμνεσθαι, θεωροῦμεν ὅτι τὴν πληγὴν τοῦ τέμνοντος σιδήρου ἡ ἀκτὶς πρώτη ὑποδέχεται πρὶν ἢ τὸ ξύλον ὑποδέξασθαι. ἀλλ' ἡ λαμπὰς ὢν, καίτοι ἐκεῖ οὖσα, οὔτε τμηθῆναι οὔτε διακοπῆναι δύναται· οὕτω οὖν καὶ ἡ θεότης οὔτε χωρισθῆναι ἠδύνατο οὔτε τμηθῆναι καὶ παθεῖν· τοῦτο δὲ ὑπέπεσε τῷ πάθει, ὃ καθάπερ ξύλον καὶ δεθῆναι ἠδύνατο καὶ κρατηθῆναι. Καὶ ταῦτα μὲν τὰ ὑποδείγματα εἴρηται εὐτελῆ παρ' εὐτελοῦς καὶ θνητοῦ ἀνθρώπου, ἀμυδράν τινα ἔννοιαν τῆς φρικτῆς οἰκονομίας παραστῆσαι τοῖς πιστοῖς ὀφείλοντα· οὐ μὴν δυνατὸν τοῦ παντὸς ἐφικέσθαι, ὅτι μὴ δὲ δύναται κτιστὴ φύσις καταλαμβάνειν τὴν ἄκτιστον καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν ἐκείνην τοῦ λόγου, ὃς τούτου ἕνεκεν ἀναλαβεῖν σάρκα ἐκ τοῦ ἡμετέρου φυράματος κατηξίωσεν, ἵνα ἡμᾶς θείας κοινωνοὺς ἀπεργάσηται φύσεως, καὶ ἑνώσῃ ἑαυτῷ τὴν ἡμετέραν φύσιν· ἕνωσιν δὲ φημι ἀσύγχυτον καὶ ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἣν ἐπίσταται μόνος αὐτός.

FRAGMENTUM ALIUD.

(*Maii Spicil.*)

Silvester, unus ex primis Romæ episcopis in altercatione cum judæis de Servatore nostro Jesu-Christo, ait :

Si quis in meridie arborem, sole splendente, cædere vellet, nonne tum securis arborem feriret, sole omnino circumvestitam? Sane, inquit Noe. Tum Silvester addidit : Num fieri potest ut sol feriatur aut cædatur, qui cæteroquin securim et arborem prorsus circumambit? Sic igitur in Christo, corpus quidem est arbor, securis passio, sol est divinitas. Passus est Christus, quin divinitas diminutionem ullam propter passionem perpessa est.

EPISTOLÆ

Quæ ad Sylvestrum I Papam attinent.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

(*Coust., pag.* 341.)

Anno Christi 314, *Silvestri papæ primo, Arelate*

Digitized by Google

habitum est concilium, quod in ea civitate eodem anno intra diem Kalendarum *Augustarum Constantinus imperator a Donatistis interpellatus indixerat. Roma recedere cum non potuisset Silvester, Arelaten vice sui Claudianum et Vitum presbyteros, necnon Eugenium et Cyriacum diaconos destinavit. Patres illic congregati de Donati causa sententiam dicere non contenti, etiam canones ediderunt ad ecclesiasticam disciplinam pertinentes, quorum notitiam, Silvestri opera, cum omnibus communicandam duxerunt. Quapropter canones illos ipsi inscriptos ad eum mittere studuerunt, rursumque paulo post, cum Constantinus de appellatione Donatistarum indignabundus, eis ad proprias sedes revertendi potestatem dedisset, antequam Arelate discederent, aliam eidem papæ scripserunt epistolam, ad cujus calcem præcipuorum canonum a se editorum summam exprimunt. Primum quidem scriptum plures mss. exhibent: altera autem epistola, quæ nec satis integra nec a mendis purgata, e veteri codice Arelatensis ecclesiæ privilegia continente, nunc in bibliotheca Colbertina asservato, exscripta est.*

EPISTOLA I.

ARELATENSIS SYNODI AD SILVESTRUM PAPAM.

Indidem.

Domino sanctissimo fratri Silvestro (1) *Marinus vel cætus episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quid decreverimus communi consilio, charitati tuæ significamus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant.*

Primo in loco de observatione Paschæ dominicæ, ut uno die et uno tempore per omnem orbem (2) a nobis observetur, et juxta consuetudinem (1) litteras ad omnes tu dirigas. *Tum reliqui canones, quos in editionibus conciliorum legere est, subjiciuntur. Aliquanto post, et interjectis quibusdam opusculis, in Corbeiensi codice habetur*: Incipiunt nomina episcoporum cum clericis suis, vel quanti vel ex quibus provinciis ad Arelatensem synodum convenerint sub Marino episcopo, temporibus Constantini, ad dirimenda schismata vel pravas hominum intentiones, Volusiano et Anniano consulibus (ann. Chr. 314). *Exinde subjiciuntur nomina episcoporum et clericorum ea ratione, qua Sirmondus Arelatensibus canonibus ea subnexuit. In Colbertino autem exemplari not. 3368, post ejusdem synodi canonem 22, qui 21 in hoc codice appellatur, proxime subsequitur*: Synodus habita episcoporum in civitate Arelatensium apud Marinum episcopum ecclesiæ catholicæ, temporibus Constantini augusti Volusiano et Anniano cons. (cod. ann.).

Convenerunt ex provincia Sicilia civitate Siracusinorum, hoc est Chrestus episcopus et Florus diaconus.

Ex provincia Campania civitatis Capuensium Protinus episcopus, Agrippa et Pinus diacones.

Ex provincia Dalmatia civitate Aquilensium Theodorus episcopus, Agathon diaconus.

Ex provincia Apulia civitate Alpientium (*Leg.* Arpiensium) Pardus et Crescens diac.

Ex urbe Roma, quos Silvester episcopus misit, Claudius (*Sirm.* Claudianus) et Vitus presbyteri, Eugenius et Quiriacus diac.

Ex provincia Italia civitate Mediolanensi Merocles episcopus, Severus diaconus.

Ex provincia Viennensi civitate Massiliensi Horesius episcopus, Nazarius lector.

Ex provincia Viennensium civitate Arelatensi Marinus episcopus, Salamas presbyter, Nicasius, Afer, Ursinus et Petrus diac.

Ex provincia qua supra civitate Viennensium Verus episcopus, Bedas (*Corb. ms.* Beflas) exorcista.

Ex provincia qua supra civitatis Vasianæ Dafnus (*Idem ms.* Dafenus) episcopus, Victor exorcista.

Ex provincia qua supra civitatis Arausicorum Faustinus presbyter.

Ex portu Nicensi Innocentius diaconus, Agapetus exorcista.

[Ex civitate Aptensium Romanus presbyter, Victor exorcista] (2).

Ex provincia Gallia civitate Remorum Imbittausius episcopus, Primogenius (*Sirm.* Imbetausius..... Primigenius) diac.

(1) Codex Corbeiensis sæculo sexto exaratus, necnon Morbacensis monasterii in Basiliensi diœcesi, *Domino sanctissimo fratri Silvestro cœtus episcoporum sexcentorum, qui adunati*, omissis verbis *Marinus vel*, quæ pariter absunt ab exemplari Colb. quod Arelatensis Ecclesiæ olim fuit. In indice autem prævio prædicti ms. Corb. similiter legitur, *Epistola sexcentorum episcoporum ad Silvestrum papam de diversis ordinationibus*. Et ad epistolæ ipsius calcem: *Expliciunt canones quos fecerunt DC. episcopi in civitate Arelatensi*. Constantinus in epistola ad Chrestum apud Eusebium, lib. x hist. c. 5, episcopos *e diversis provinciis prope infinitis* convocasse se scribit. Arelatensis II synodus, can. 18, concilium hoc *ex omnibus mundi partibus*, quarum videlicet Constantinus principatum obtinebat, congregatum dicit. Quocirca Augustinus illud, lib. II de bap. cont. Donat. cap. 9, *plenarium et universæ Ecclesiæ concilium* vocat, et lib. III contra Parmenianum c. 4, n. 21, et cap. 6, n. 31, ejusdem adversus Donatistas judicium notans, eos *totius orbis judicio et auctoritate* superatos atque convictos dicit.

(2) Hoc ipsum approbavit Nicæna synodus, uti Eusebius, lib. III de Vita Constantini, c. 19, testatur his verbis: *Placuit omnium episcoporum judicio, ut sanctissima Paschæ festivitas uno eodemque die celebraretur*; quomodo *in urbe Roma perque omnem Italiam, Africam, Ægyptum, per Hispaniam, Gallias, Britannias, Libyas, per universam Achaiam, per Asianam et Ponticam diœcesim, per Ciliciam denique concordi sententia observatur*. Unde colligere est nonnisi perpaucos tum fuisse, qui ab ea sententia quam Victor aliique pontifices Romani propugnarant, dissiderent.

(1) Consuetudinis hujus meminere Innocentius, epist. 14, ad Aurelium, Cyrillus Alexandrinus apud Bucherium, pag. 48, et Leo epist. 88. Epiphanius tamen hær. 70, n. 10, innuit, ab Apostolorum ævo ad Hadriani tempora totum orbem Christianum, quo die Pascha celebrandum esset, ab antistite Jerosolymitano didicisse. Verum in apostolicis Constitutionibus, quibus ille nititur, uti lib. v, cap. 16, videre est, nihil hujusmodi decernitur.

(2) Quæ uncinis sunt inclusa, in ms. Colb. omittuntur, sed supplentur ex Corb.

Digitized by Google

Ex civitate Rotomagensium Avidanus (*Id.* Avitianus. *Corb. ms.* Ausanius) episcopus, Nicetius diac.

Ex civitate Augustodunensium Reticius episcopus, Amandinus (*Sirm.* Amandus) presbyter, Filomatius diac.

Ex civitate Lugdunensium Voccius (*Id.* Vocius.... Petulinus) episcopus, Pitolinus exorcista.

Ex civitate Agrippinensium Maternianus episcopus, Marinus (*Sirm.* Maternus... Macrinus) diac.

Ex provincia Aquitanica civitate Gabalum Genialis diaconus.

Ex civitate Burdegalensium Orientalis episcopus, Flavius diaconus.

Ex civitate Trevirorum Agreicius episcopus, Felix exorcista.

Ex civitate Tolosa (*Sirm.* Elusatium) Mamertinus episcopus, Leontius diac.

Ex provincia Britannia civitate Tubricentium (*Id.* Eboracensi, *Corb. ms.* Eboricensi) Eburius episcopus.

Civitate Londinensium Restitutus episcopus.

Civitate Colonia Londinensium Adelfius episcopus (1).

Ex provincia Spania civitate Emerita Liberius episcopus, Frontinus (*Sirm.* Florentius) diaconus.

Civitate Bœtica Sabinus presbyter.

Civitate Ursolentium Natalis presbyter, Ceterius diac.

Civitate Tarracone Probatius presbyter, Castorius diac.

Civitate Cæsaraugusta Clementius presbyter, Rufinus exorcista.

Civitate Bastigensium Termasius presbyter (*Corb. ms.* Genesius presb.), Victor lector.

Mauritania civitate Cæsariensium Fortunatus episcopus, Deuterius diac.

Ex provincia Sardinia civitate Caralis (2) Quintasius episcopus, Ammonius presbyter.

Ex provincia Africa civitate Carthagine Cæcilianus episcopus, Sperantius diaconus.

Civitate Uthina Lampadius episcopus.

Civitate Uthica Victor episcopus.

Civitate Beneviventiana (*Corb. ms.* Beneventeni, *Sirm.* Beneventina) Anastasius episcopus.

Civitate Tybartina (*Id.* Tuborbitana) Faustus episcopus.

Civitate Proculfiltis (*Id.* Procofeltis) Surgentius episcopus.

Numidiarum civitate Legisvolumini Victor episcopus.

Civitate Verensium Vitalis episcopus.

Ex portu ab Urbe Gregorius episcopus. (3)

Ex Centumcellis Epictetus episcopus.

Ab Ostiis Leontius et Mercorius presbyteri.

(1) Ex ms. Corb. hic supplendum, *Exinde Sacerdos presbyter, Arminius diaconus.*

(2) Colb ms. prima manu, *Quintas*; secundis curis, *Quintus*; corrigitur ex Corb. et epistolæ sequentis inscriptione.

(3) In ms. Corb. ut apud Sirm. *de loco qui est in portu Romæ.*

Hactenus codex Colbertinus 3368, *quem non ideo hic exscribendum censuimus, quia eum existimamus sinceriorem Corbeiensi quem Sirmondus* I *tom. Concil. Gall. vulgavit, sed ut novarum lectionum accessione, illæ quæ jam vulgatæ fuerant, vel illustrentur, vel firmentur.*

EPISTOLA II

SYNODI ARELATENSIS AD SILVESTRUM PAPAM.

(*Coust., pag.* 345.)

De rebus in ea gestis et canonibus ab ea constitutis.

Delectissimo papæ Silvestro Marinus, Agræcius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus, Faustinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitausus, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Aristasius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Crescens, Avitianus, Dafnus, Orientalis, Quintasius, Victor, Epictetus, in Domino æternam salutem.

I. *Donatistæ aut damnati aut repulsi.* — Communi copula charitatis et unitate matris Ecclesiæ catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatensium civitatem piissimi imperatoris voluntate adducti, inde te, gloriosissime papa, commerita reverentia salutamus. Ubi graves ac perniciosos legi nostræ atque traditioni effrenatæque mentis homines (Donatistas) pertulimus, quos et Dei nostri præsens auctoritas, et traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi (Cæciliani) modus ullus aut probatio conveniret. Ideo judice Deo et matre Ecclesia, quæ suos novit et comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi. Et utinam, frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses: profecto credimus quia in eos severior fuisset sententia prolata, et, te pariter nobiscum (1) judicante, cœtus noster majore lætitia exultasset. Sed quoniam (2) recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus et Apostoli quoque (3) sedent, et cruor ipsorum sine intermissione Dei gloriam testatur.

II. Non tamen hæc sola nobis visa sunt tractanda, frater charissime, ad quæ fueramus invitati; sed et consulendum nobis ipsis censuimus. Et cum diversæ sint provinciæ (4) ex quibus advenimus, ita et varia contingunt, quæ nos censemus observare debere. Placuit ergo, præsente Spiritu sancto et Angelis ejus, ut et his qui singulos quos movebat (5) judicare

(1) Ita episcopi illi omni honore dignum censent apostolicæ sedis præsulem, ut sibi tamen cum eo judiciorum societatem attribuere non dubitent.

(2) Abundat illud *quoniam*

(3) Hoc est, Ecclesiæ præesse, ejusque in successoribus suis curam agere non desinunt. Hinc perspicitur cur sedes Romana sedes apostolica dicatur.

(4) Scil. Sicilia, Campania, Apulia, Dalmatia, Italia, Galliis, Britannia, Hispania, Mauritania, Sardinia, Africa, Numidia, uti catalogus seu a Sirmondo e ms. Corbeiensi, seu a nobis (*Constantio*) Colbertino expressus docet. Episcopis autem in synodo congregatis alia negotia, præter ea propter quæ vocati sunt, prout Ecclesiæ utilitas postulat, tractare licere ex proximis verbis liquet.

(5) Forte, *ut ex his quæ singulos quosque movebant, judicare præferremus de quiete præsente* (hoc est, ut inter ea, quibus, unusquisque movebatur, primum quæ ad quietem et pacem præsentem conducerent,

Digitized by Google

proferremus de quiete præsenti. Placuit etiam antequam a te, qui majores diœceses tenes, per te potissimum omnibus insinuari. Quid autem sit quod senserimus, scripto nostræ mediocritatis subjunximus.

III. At id primo in loco de vita nostra atque utilitate tractandum fuit : ut quia unus pro multis mortuus est et resurrexit (*Rom.* v), ab omnibus tempus ipsum ita religiosa mente observetur, ne divisiones vel dissentiones in tanto obsequio devotionis possint exsurgere. Censemus ergo Pascha Domini per orbem totum una die observari. De his quoque, qui quibuscumque locis ordinati fuerint (1) ministri, in ipsis locis perseverent. De his etiam, qui arma in pace projiciunt, placuit abstineri eos a communione. De circissariis (2) agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quam diu (3) agitant, a communione separari. De his qui in infirmitate sunt constituti, et credere volunt, placuit eis manum imponi. De præsidibus autem qui fideles sunt, et ad præsidiatum consiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, litteras quidem accipiant ecclesiasticas communicatorias; ita tamen, ut in quibuscumque locis gesserint, ab episcopis ejusdem loci cura de illis agatur; et si cœperint contra disciplinam agere, tunc demum a communione excludantur. Et de iis quidem qui in republica agere (1) volunt similiter. De Afris (2) autem quod propria sua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto esse baptizatum, manus tantum ei imponatur (3). Quod si interrogatus Symbolum, non responderit Trinitatem hanc, merito baptizetur, etc. Tunc (4) tædians jussit omnes ad suas sedes redire. Amen.

schismatis causam judicando, decerneremus). *Placuit etiam ante scribi ad te, qui majores diœceses tenes, et per te potissimum omnibus insinuari* quod a nobis judicatum atque definitum est.

(1) Observat Sirmondus *ministrorum* nomine subdiaconos inferioresque clericos hic designari : maxime cum nominatim *de diaconis et presbyteris, qui solent loca sua mutare in quibus ordinati sunt*, ejusdem concilii canone 21 decernatur, *ut si se ad alium locum transferre voluerint, deponantur.*

(2) Hic *circissarii* a circo dicti, vocantur in Eliberitani concilii canone 4, *aurigæ*, quia nimirum quadrigas in circo agitabant. Unde in ipso canone 4, qui nunc summatim perstringitur, sicut et in Arelatensis II, canone 20, ildem simpliciter *agitatores* appellantur.

(3) Ita Sirm. ac vetus codex Corb. Labbeo autem *agunt* præferenti favere videtur Arelatensis II concilii canon 20, ubi legimus : *De agitatoribus sive theatricis, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agunt a communione separari;* necnon istud Eliberitani concilii can. 62 ; *Si auriga et pantomimus credere voluerint, placuit ut prius actibus suis renuntient. Qui si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Ecclesia.* At cum in duobus illis locis non de circissariis seu aurigis solis, quorum proprium est equos agitare, sed etiam de theatricis seu pantomimis sermo sit, verbum *agere* vel *facere*, quod utrisque commune est, recte usurpatur.

(1) Hoc est, magistratum aliquem gerere : quod sub ethnicis imperatoribus interdictum erat, quia fidelibus hoc officio fungi, maxime in ludis ac muneribus publicis curandis, sine ulla idololatriæ labe vix ac ne vix quidem licebat.

(2) Vetustus codex Corb. necnon Morbac. et unus Colb. in ipso concilii canone 8 loco verborum *De Afris*, habent *De Arriis*, et prædictus ms. Corb. manu 2 *De Arrianis*, quod alter Colb. etiam 1. manu exhibet. Sed optime monuit Sirmondus non mutandum *De Afris :* cum Arrii seu Arriani necdum noti fuissent. At apud Afros etiamnum multi ab opinione Cypriani non recesserant : et ipsi Donatistæ lapsos, tametsi baptizatos in Ecclesia catholica, rebaptizare non timebant. Quocirca schismatis eorum auctor Donatus a Casis nigris, teste Optato, a Melchiade fuit damnatus, *quod confessus sit se rebaptizasse et episcopis lapsis manum imposuisse.* Hunc autem rebaptizandi morem præsertim in Africa obtinere ita notum erat, ut inter statuta quæ recens ordinatus epi copus, ex præscripto Gelasii papæ, accipiebat, diu retentum sit istud : *Afros passim ad ecclesiasticos ordines præterdentes, nulla ratione suscipiat : quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati.*

(3) In ipso concilii canone hic additur *ad accipiendum Spiritum sanctum.*

(4) Supple, Constantinus imperator, de quo sermo haud dubie habitus fuerat. Hoc autem tædium imperatori huic perperit Donatistarum etiam ab Arelatensis synodi judicio ad ipsum appellantium pertinacia, ut ipsemet in epistola, qua episcopos qui synodo interfuerant, ad suas sedes reverti permittit, testificatur.

APPENDIX.

VARIA DUBIÆ AUCTORITATIS SCRIPTA.

CAPITULUM SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

(*Conc. coll. Mansi.*)

Si quis filiam, aut sororem ex sacro fonte vel chrismate in conjugio sociaverit, dividantur, agant pœnitentiam annis 5 (1).

DECRETUM SANCTI SILVESTRI PAPÆ.

(*Indidem.*)

Constituimus et anno 324 præsenti decreto censemus ut in primis paternaliter vocentur et per septem dies expectentur, nullius ecclesiasticæ rei interdicta licentia. Huic vero expectationi iterum addantur dies septem, interdicta licentia ecclesiam intrandi, et omnia divina officia audiendi. Post vero adjicientur duo dies a pace et communione sanctæ Ecclesiæ suspensis; deinde vero aliis duobus diebus sub eadem expectatione rei deportentur. Quibus uno die superaddito, omni expectatione veluti jam desperata, reus mox anathematis gladio feriatur (1).

(1) *Ex addit. ad Burchard.* in manuscripto codice Luc.

(1) In codice Vaticano Palatino 574, in quo continetur collectio quædam conciliorum, legitur etiam sub hoc titulo : —*Constitutio apostolicæ sedis.* « Silves-

Digitized by Google

CENSURA

DUARUM EPISTOLARUM SEQUENTIUM.

(*Const. Append.*, *p.* 51.)

I. *Duæ illæ epistolæ a Petro Crabbio primum editæ sunt ex vetusto libro Coloniensi. Ambas simul Baronius reperisse se ait in duobus exemplaribus Cresconianæ collectionis : sed primam dumtaxat Annalibus suis ad ann.* 325, *n.* 171, *inserendam duxit, de sequenti hæc subjecisse contentus :* Huic habetur conjuncta Silvestri epistola ad synodum, sed mendosissima, quæ et ob consules perperam positos commentitia reputatur, utpote quæ data et accepta habeatur sub consulatu Constantii quarto cum Constantini octavo vel septimo, qui est ab hoc annus quintus. *Quamquam anno quinto a Nicæna synodo, hoc est* 329, *non Constantius, sed frater ejus senior Constantinus quarto cum Constantino patre octavo consulatum gessit : sed anno* 325, *Constantius primum, non quartum, cum Constantino septimo consulatum iniit. De eadem epistola Labbeus, to.* II *Concil. pag.* 58, *ita censet :* Nec sincerum est hoc responsum, quod commentitium et mendosissimum VERE dixerim, et non tantum FERE, ut Binius.

II. *Neque primam idem Labbeus existimavit sinceriorem, utpote, inquit,* cujus stylus suppositionem arguit cum temporis nota. *Eam re ipsa tanto concilio indignam esse cum sola lectio persuadeat, inde quisque magis ac magis convincetur, ubi illam cum altera genuina ejusdem concilii ad Alexandrinam aliasque ecclesias contulerit. In hac quippe primo simpliciter salutem dicunt* episcopi Nicææ congregati et ad magnum sanctumque concilium convocati, *ac deinde quid a se gestum quidve definitum sit explicant. In illa vero salutem dicit post Osium Macarius Jerosolymitanus episcopus, Alexandro Alexandriæ et Eustathio Antiochiæ episcopis, qui prius appellandi fuerant, prorsus non nominatis, nec quidquam postea de iis, quæ decreta fuerant, exponitur. Istud autem eo minus tacendum erat in hac epistola, quod ideo a synodo scripta fingatur, ut rerum a se gestarum confirmationem peteret. Ait quidem Baronius ad ann.* 325, *n.* 171 : Cum his litteris missum fuisse decretum fidei et reliqua in synodo gesta, certum est. *Ejusque assertionem ex parte firmant Dionysius Exiguus aliique canonum compilatores Dionysii ævo non inferiores, quatenus Nicænæ synodo placuisse notant,* ut omnia, quæ statuta sunt, ad urbis Romæ episcopum mitterentur. *Sed assentiri nequimus asserenti, hæc omnia cum iis litteris missa esse, in quibus nihil missum memoratur : id enim taceri in hujusmodi litteris non solere consuetudo docet.*

III. *Sed neque desunt notæ, quibus hæc synodi Nicænæ epistola Silvestrique rescriptum ex ea officina, ex qua superius Constitutum, prodiisse deprehendantur. Parem utique in illis offendimus sermonis barbariem : eisque communes sunt quædam locutiones, quæ quo magis singulares, eo minus dubitare nos sinunt quin ortum ex eodem cerebro habeant. Porro quemadmodum Constitutum, ut ipse titulus præ se fert,* gradus vel religio qualiter a Silvestro custodiatur, *decernit, ac subinde, cap.* 3, *de hoc papa dicitur,* Fecit GRADUS : *ita in epistola ad Silvestrum legimus, eum decere* GRADUS vel ordines constituere urbis. *Rursum eadem epistola, ubi occurrit,* Sicut docet mystica veritas, *cum his consentit Constituti cap.* 3 : Sic datur mystica veritas. *Item animadvertimus in memorata Nicænæ synodi epistola,* FIXOS gradus, *in Silvestri rescripto,* Confirmo figoque chrismatis vos sanctam accepisse gratiam, *in ejusdem papæ Constituto, n.* 4, FIXAS cortinas, *et cap.* 11 : Quidquid sermone FIXERO, vestro chirographo confirmetur. *Ex hoc autem loco, ubi* chirographus *pro subscriptione ponitur, intelligere est illud Silvestri ad Nicænam synodum rescribentis,* Meum chirographum et discipulorum meorum offero. *Demum in eadem epistola, quemadmodum in Constituto, Victorinus eamdem ob causam iisdemque verbis,* quia cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, *culpatur. Sic informium illorum fetuum parens omnino latere nequit, utpote quem sua ipsius loquela manifestum faciat. Conjecturas nostras, quibus hunc Symmachi papæ temporibus vixisse suspicamur, jam non semel proposuimus.*

EPISTOLA

NICÆNÆ SYNODI AD SILVESTRUM PAPAM.

(*Indidem.*)

Ut quidquid constituit ab eo confirmetur.

Beatissimo papæ urbis Romæ cum omni reverentia colendo Silvestro, Osius, episcopus provinciæ Hispaniæ civitatis Cordubæ, Macarius, episcopus urbis Jerosolymitanæ, Victor et Vincentius, presbyteri urbis Romæ ordinati ex directione tua (1), *et cæteri episcopi* CCCXVIII, *in Domino salutem.*

Quoniam omnia (2) corroborata de divinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis, quæ ad robur pertinent sanctæ Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, ad sedem tuam Romanam explanata et de græco redacta scribere confitemur : nunc itaque ad (3) veræ fidei augmentum accurrimus roborari. Itaque censeat vestra apostolica doctrina episcopos totius vestræ apostolicæ urbis in unum convenire, vestrumque habere concilium : sicut docet mystica veritas (4), confirmet nostra sancita, ut gradus fixos connexa ordinationi tuæ sanctimoniæ nostra possit habere regula : quoniam decet numerum dictorum coepiscoporum a te discere

ter episcopus universis episcopis per Gallias, et septem provincias. Placuit apostolicæ sedi, ut si quis ex quolibet ecclesiastico gradu, » etc., et est totum primum caput epistolæ 5 Zosimi papæ, sed pro *metropolitani Arelatensis*, ut ibi legitur, substitutum est *Metropolitani Austodunensis;* et pro *Patrocto*, legitur *Retitio*. Simili fraude in mss. S. Floriacensi eadem Zosimi epistola Silvestro tribuitur, et ad Viennensem Ecclesiam traducitur apud patrem Constant. in Append. tom. I, epist. Rom. Pontif. col. 35. Ita Ballerini fratres in dissert. de Antiq. Collect. Canon. part. II, cap. 10, § 3.

(1) Ita Baron. At in aliis libris salutatio seu inscriptio hic desinit.

(2) Apud Baron. *corroborantur divinis mysteriis ecclesiasticæ utilitatis causa.*

(3) In edit. concil. *ad vestræ sedis argumentum.*

(4) Sic Baron. At alii libri, *ut firmetur nostra sanctimonia, gradusque fixos vel textus ordinationis tuæ.*

Digitized by Google

gradus (1) vel ordines constituere urbis. Quidquid autem constituimus in concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur. Oret beatitudo tua pro universo concilio. Data 8 kalendas Julias, accepta 13 kalendas Novembris Paulino et Juliano summis consulibus.

EPISTOLA

SEU RESCRIPTUM SILVESTRI AD SYNODUM NICÆNAM.

(*Const. App., p.* 54.)

Silvester episcopus sedis apostolicæ et sanctæ Ecclesiæ catholicæ reverendæ religionis urbis Romæ, fratribus et coepiscopis, qui in Nicænum concilium convenerunt, in Domino salutem.

Gaudeo promptam vos benignitatem servare. Nam et confirmo figoque (2) ad doctrinæ vestræ reclamantes de mysterio vel unitate Trinitatis, chrismatis vos, secundum dicta et doctrinam evangelicam, sanctam accepisse gratiam : de quo examinationis probo vera fuisse et esse mansura, quæ in vestrum nostrumque manavere mysterium, meum chirographum et discipulorum meorum offero, in vestro sancto concilio quidquid constituistis, una parem dare consensum. Atque in gremio vestræ synodi parva propter disciplinam Ecclesiæ alligabo præcepta, propter Victorinum, qui arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, et cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces, et cum episcopis totius urbis Italiæ examinatam universitas vestri sancti concilii dignetur accipere unitatem. *Et alia manu* : Oret pro nobis beatitudo vestri sancti concilii trecentorum decem et octo, ut charitatis, quæ vobis data est, Domini nostri Jesu Christi servetur augmentum. Data 5 kalendas Novembris, acceptæ idus Februarii Constantino septies et Constantio Cæsare quarto consulibus.

ALTERA S. SILVESTRI EPISTOLA AD NICÆNAM SYNODUM.

(*Conc. t.* II, *p.* 721.)

PRÆMONITIO COLLECTORIS.

In Vaticano codice 1342 geminæ istæ apocryphæ epistolæ continentur ; adjungitur et tertia, quæ secundo loco ibidem extat, quam cum in collectionibus nemo hucusque inseruerit, ideo hic addenda est, prout profertur a Ballerinis in opere sæpius laudato, pag. 190.

Incipit epistola Silvestri episcopi ad concilium Nicænum directa per Abundantium presbyterum et Abundantium diaconum consulatu Paulini et Juliani 12 *kal. octobris*

Beatissimis fratribus sanctis et coepiscopis, vel compresbyteris, qui congregati sunt in Nicæno concilio Sylvester episcopus præsul apostolicæ et catholicæ urbis Romæ in Domino salutem.

Gloriosissimus atque piissimus filius noster Constantinus Augustus cum constitutionibus sanctimonii vestri auribus suis intimata cognosceret, una nobis Domino nostro Jesu Christo jubente cum affectu suscipimus, et fidem rectam atque declaratam universo orbi pandit intuitum. Hoc sciret (scilicet) charitati vestræ credidimus intimandum concilium a nobis congregatum in diœcesi nostra contra Victorinum episcopum et Hippolytum diaconum, qui claruerunt Manichæorum consortio, et Jobianum, et Calixtum, qui in sua extollentia dicebant non pascha venire die suo, nec mense, sed 10 kal. maii custodiri. Quos damnatos, et ejectos extra Ecclesiam et excommunicatos omnis mundus cognoscat. Qui in concilio sedis apostolicæ cognitione vulgata polluti sensibus suis non recte nosse tacuerunt, et scelesta perpetrare componctionum innocentum execranda pollutione damnatos. Et quia in secessione funesta ipsi sibi morte præventi ultimo die ausi sunt pollutionem sacerdotii sua ordinatione relinquere quod infirmari ab hominibus sanctis et consacerdotibus nostra prædicatione et apostolicis doctrinis præcipimus damnari, contra Photium et Sabellium maxime et Arium anathemate percussus (F. percussos vel percussum) quasi vestro ore confirmantes damnamus ; et quidquid in concilio Nicæno civitatis Bithyniæ constituistis pro veritis (F. Universalis) Ecclesiæ moderatione pari forma custodimus : libra ponderatione censetis. Dat. 6 kal. jan. *Et alia manu :* Dominus noster Jesus Christus vos conservare dignetur, sancti et coepiscopi fratres.

CENSURA OPUSCULI SEQUENTIS.

(*Const. App., p.* 55.)

Concilium hoc Petrus Crabbe duabus epistolis proximis subnexuit, sed præposuit Constituto superiori, quod Romano in concilio ante Nicænum habito editum fingitur. An ex uno eodemque exemplari quatuor illa monimenta descripserit, non declarat. Hujus artificem a cæterorum architecto diversum esse sermonis discrepantia innuit. In hoc quippe nec barbaries, nec obscuritas eadem apparet. Neque in sermone solum, sed et in decretis rebus inter hoc atque alterum Romanum concilium quædam est dissensio, uti fidem faciunt quæ in utroque constituuntur de tempore, quo clericus in unoquoque gradu, prius quam ad alterum promoveatur, permanere debeat. Postremum hoc cum libri pontificum auctori, tum Isidoro Mercatori ignotum fuit. Suspectum evadit vel ex ipso titulo, in quo præsente Constantino *habitum dicitur ; cum apud Baronium atque eruditos in confesso sit, Constantinum Roma tunc abfuisse. Baronius lapsum putat librarii, qui quod cap.* 1 *de Nicæna synodo memoratur, ad hanc imprudens retulerit. Quis etiam sibi in animum induxerit,* CCLXXV *episcopos tum convenisse a Silvestro vocatos, cum neque id facile, neque necessarium fuerit. Præterea titulus capitis* 3 *indicat ibi subnexum fuisse statutum, quo concilia ter in anno celebranda esse decernebatur. Quod si ita est, quis admittendum putet illud concilium, quod cum idcirco maxime congregatum dicatur, ut quidquid Nicææ constitutum est confirmet, ab ipsius tamen definitione de synodis bis in anno congregandis statim recedat. Quocirca tametsi ultro largiamur Silvestrum statim a concilii Nicæni celebratione synodum convocasse, in qua*

(1) Apud Baron. *gradus conformes conscendere Verbi. Quidquid.*

(2) Hoc est *adversus eos, qui reclamant et repugnant doctrinæ vestræ de mysterio vel unitate Trinitatis.* Deinde *chrismatis* loco, magis placeret *unctionis*, scil. spiritalis.

Digitized by Google

prædicti concilii acta confirmarit, atque ex hac forsitan synodo collecta esse decreta, quæ hic subjiciuntur; vicissim tamen dandum est ipsam collectionem, cujusmodi ad nos pervenit, adulterinum nonnihil præ se ferre, quod ei inter sincera et authentica summorum pontificum scripta, quæ fidem faciant, locum dare non sinit, quoad castigetur atque idonea auctoritate fulciatur.

EPISTOLA

seu relatio concilii quod sanctus papa Silvester celebravit, præsente Constantino Augusto, in urbe Roma intra Thermas Domitianas cum CCLXXV *episcopis, qui in ipsa synodo convenerant vocati a beato Silvestro.*

Indidem.

I. Quidquid actum est Nicææ confirmatur.

Silvester episcopus sanctæ et apostolicæ sedis præsul (1) urbis Romæ dixit: Quidquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est ad robur sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ a sanctis sacerdotibus CCCXVIII, nostro ore conformiter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti et magni concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia piissimi et venerandi principis Constantini augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes: Placet.

II. *De Paschæ solemnitate.*

Omnibus episcopis et presbyteris præceptum est Paschæ observantiam custodire (2) a luna XIV, usque ad XXI, ita ut Dominicus dies coruscet. Et dixerunt episcopi: Placet.

III. *De conciliis ter in anno celebrandis* (3).

Silvester episcopus dixit: Robustius duximus consilium, si placet, ut omnis episcopus, qui convenit ad consilium, fidem suam chirographo confirmet: ut deinceps rediens (1) ad parochiam suam, compaginem nostræ salutationis plebi suæ innotescat, ut fide concilii declarata, intemeratus ordo servetur. Et dixerunt episcopi: Placet.

IV. *Nulli clerico licere causam in publico examinare.*

Silvester episcopus dixit: Nulli omnino clerico licere causam quamlibet in publico examinare (2), nec ullum clericum ante judicem laicum stare. Et dixerunt episcopi: Placet.

V. *De præficiendis in ordinibus et proficiendis.*

Si quis ad clericatum promereri (promoveri) desiderat, hoc justum est ut sit ostiarius annum unum, lector annos XX, exorcista annos X, acolythus annos V, subdiaconus annos V, diaconus annos V, et si (*forte* sic) ad honorem presbyterii accedat; et faciens in eo ordine annos VI, si fuerit omnium votiva gratia, non præmio, non invasione cupiditatis, nulli prorumpens (præripiens) gradum, sic ab omni ecclesia eligatur consecrandus episcopus, nullo de membris Ecclesiæ intercidente (intercedente), et omni Ecclesia conveniente. Et dixerunt episcopi: Placet.

VI. *De ordinationibus et neophytis non ordinandis.*

Ut nulli episcopo liceat, sine cuncta ecclesia, a novissimo gradu usque ad primum ordinare neophytum. Et dixerunt episcopi: Placet.

Silvester episcopus dixit: A nobis incipientes, moderamine lenitatis, indicare commonemus, ut nulli episcopo liceat quemlibet gradum clerici ordinare aut consecrare, nisi cum omni adunata ecclesia, si placet. Et dixerunt episcopi: Placet.

EPILOGUS BREVIS

ALIUS CONCILII ROMANI SUB SYLVESTRO PAPA HABITI.

(*Conc. t.* I, *col.* 1542.)

Temporibus sancti Silvestri papæ, et Constan-

(1) Vocabulum *præsul* in edit. concil. Lupar. et Lab. omittitur.

(2) Innocentius I ignotum sibi fuisse hoc decretum haud obscure docet, cum ad Aurelium Carthaginensem episcopum hac de re scribens, dicere satis habuit; *Quoniam in* XXIII *luna nullum Pascha umquam, ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus.* Alioqui dicendum ei fuerat, Pascha luna XXIII, minime celebrandum esse, quoniam ex Silvestri præscripto ultra lunam XXI, hoc festum excurrere non debeat. Dionysius Exiguus epist. 1, apud Bucherium pag. 487. Pascha a luna XIV, ad XXI, seu quod idem est, a die XIV ad XXI, celebrandi præceptum ad divinam auctoritatem refert: *Tanta hac auctoritate divina claruit, primo mense* XIV *die ad vesperum usque ad* XXI, *festivitatem paschalem debere celebrari.*

(3) In edit. concil. Lupar. et Lab. nullius codicis auctoritate suppresso hoc titulo, proximum caput cum superiori copulatum est, quia videlicet in illo de synodorum celebratione nihil habeatur. Revocandum putamus titulum, ut subjectum capitulum non integrum esse lector admoneatur.

(1) In quodam catalogo Romanorum pontificum, qui penes nos est, Xystus I, dicitur constituisse, *ut quicumque episcopus evocatus fuerit ad sedem Romanam apostolicam, rediens ad parochiam suam non susciperetur, nisi confirmata salutationis plebe a sede apostolica.* Quæ verba concilii hujus artifex imitatus esse jure videatur.

(2) In superiori pseudo-concilio Romano seu epist. XI (ubi ex hoc uno capitulo duo conficiuntur, scil. 15 et 16) hic additur, *nisi in ecclesia;* ubi *publicum* pro foro laico, *ecclesia* pro foro ecclesiastico usurpatur.

SEVERINI BINII NOTÆ.

Concilium. Postquam imperator jam recens baptizatus Ecclesiam donativis munificentissime locupletasset, hoc concilium a Silvestro pontifice indictum impensis necessariis piissime promovit, eo fine, ut publicam quamdam gratiarum actionem pro accepto beneficio Deo ageret, et Christianæ pietatis encænia primus Christianus imperator summo omnium gaudio celebraret. Ducenti octoginta sex episcopi a pontifice convocati, ab imperatore vehiculis adducti, et liberalissima annona sustentati, convenerunt Romæ in Thermis Trajani, quem locum Silvester pontifex nuper in titulum crexit, donisque plurimis imperator exornavit. Accidit id, quod ex ultimo capitulo constat, Crispo et Constantino III consulibus, anno Christi nati 324, qui est Silvestri 11, et Constantini imperatoris 19. Unde quod principio epilogi auctor incertus aperte scribit, hanc synodum post absolutam Nicænam, Romæ in præsentia Constantini imperatoris celebratam esse, surreptitium est: quod præallegato canone vigesimo, Priscus loco Crispi collega Constantini ponitur, mendosum esse, ex Fastis constat. Causa conveniendi hæc erat, ut Ecclesia ab hæreticorum et hostium incursu libera servaretur, et quæ ad disciplinam pacemque ecclesias-

Digitized by Google

tini piissmi Augusti, factum est magnum concilium in Nicæa Bithyniæ, et congregati sunt regulariter ejusdem Silvestri papæ vocatione in idipsum trecenti decem et octo episcopi catholici, qui exposuerunt fidem integram, catholicam, immaculatam, et damnaverunt Arium Photinum, Sabelliumque, atque sequaces eorum. Eodem quoque tempore, et 13 kal. Juliarum die, quando memoratum concilium magnum, in Nicæa congregatum est, canonica jam facta papæ vocatione in urbem Romam congregavit et ipse, cum concilio præfati Constantini Augusti, ducentos sexaginta septem episcopos, et damnavit iterum tam Calistum, quam Arium, et Photinum, atque Sabellium, et constituit ut presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, et sacrosancto chrismate, per episcopalis manus impositionem, sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest, confirmaret. In qua et consensu et subscriptione omnium constitutum est, ut nullus laicus (2, *quæst.* 7) crimen clerico audeat inferre. Et ut presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam (*item*, 2, *quæst.* 7), non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul (2, *quæst.* 3), nisi in 72 testibus. Neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem cardinalis, nisi quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ, nisi in 26 (*imo* 37) non damnabitur. Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius, nisi (sicut scriptum est) in septem testibus non damnabitur. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia, uxores et filios habentes, et omnino Christum prædicantes. Testimonium laici (11, *quæst.* 1) adversus clericum (*leg.* clerici adv. laic.) nemo recipiat. Nemo enim clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia. Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter, propter quamlibet causam intret in curiam, nec ante judicem cinctum causam dicere præsumat: quoniam omnis curia a cruore dicitur, et immolatione simulacrorum. Et si quis clericus, accusans clericum, in

SEVERINI BINII NOTÆ.

ticam conservandam necessaria erant, instituerentur. Ideoque primæ actionis exordio Hippolytum diaconum Valentinianæ hæresis sectatorem, Calistum Sabellii hæresi maculatum, et Victorinum episcopum, qui receptos ab Ecclesia paschales cyclos redarguere præsumpsisset, damnarunt. Quæ reliquis canonibus constituta sunt, fere omnia ad hierarchicum clericorum ordinem spectant. Quod in hac synodo de Ario et Ariana hæresi, quæ orientalem ecclesiam annis aliquot ante lapsis plurimum exagitavit, nulla mentio fiat, ea de causa contigisse videtur, quod pontifex et imperator anno sequente, majore cum apparatu et numero episcoporum totius orbis, concilium œcumenicum Nicææ in Oriente communi consensu congregare decreverint eo fine, ut ubi immortali odio, et obstinata pertinacia ab Arianis digladiatum esset, ibi sanctorum episcoporum cœtus sacrosancta Dei castra, ad impietatem eorum oppugnandam, firmiter collocarent. Vide Baronium anno 324, num. 123 et sequentibus.

Romanum. Patres ducentos octoginta quatuor in thermis Trajani, ubi Silvester titulum a Constantino præclare dotatum erexit, convenisse supra diximus. Roma, quæ jure caput mundi appellata est, qualis olim ac etiamnum nostro tempore urbs sit, præclare admodum et erudite reverend. D. Georgius Braunius in celeberrimo et insigni suo theatro urbium his verbis declarat: *Roma domina et regina urbium, totiusque mundi caput, quem vere universum fortissimorum virorum rebus præstantissime gestis suo imperio subegerat. De primis ejus conditoribus tam multæ et variæ sententiæ quam diversi scriptores inveniuntur.* Et infra: *Communior fere omnium sententia est, Romam a Romulo dici.* Et paulo post: *Tota ejus area ad tantam amplitudinem devenit, ut in circuitu collegisse dicatur viginti millia passuum, quæ quinque fere Germanica milliaria efficiunt. Regionibus quatuordecim quondam dividebatur. Portas suburbiorum et urbis in universum numero viginti quatuor fuisse refert Plinius. Livius autem ponit triginta septem. Turres imperio florente circum urbem erant 754. In quibus cum ita res ferret, præsidia collocabantur. Nunc turres solummodo 365. Portæ viginti quinque supersunt*, etc. *Fertur de Constantio imperatore, quod is campum Martium cum admiratione inspiciens sepulchrum Augusti Cæsaris, tot æreis atque marmoreis simulacris ornatum, forum Romanum, jovis Tarpeii delubra, thermas, porticus, amphitheatrum, Pantheon mira altitudine spatiosis molibus formatum, templum pacis; Pompeii theatrum, circum maximum, tot arcus triumphales, tot aquæductus, tot statuas per urbem ad ornatum positas, obstupuisse ac tandem dixisse: Naturam omnes vires in unum urbem effudisse. Tiberis fluvius a septentrione urbem ingreditur, et ex latere meridionali Ostiam versus effluit. Sed quid plura de tanta tamque magnifica urbe commemorem? in qua legitimus et ordinarius sancti Petri successor, maximus Ecclesiæ catholicæ pontifex residet, venerandæ sanctorum apostolorum et martyrum cernuntur reliquiæ, ubi jus Christiano orbi præscribitur. In qua denique suavissimæ Musæ universam Græciam deserentes, sedem ac domicilium invenerunt;* ut verissime Cicero de Natura deorum, lib. III, *tradat: Quemadmodum nihil in universa rerum natura mundo, sic in terra Roma nihil melius, nihil præstantius inveniri.* Hæc de Roma Georgius Braunius beatæ Mariæ Ub. Colon. ad gradus decanus.

Epilogus brevis sequentis concilii Romani. Sunt qui auctoritate hujus epilogi, duo concilia post Nicænum Romæ sub Silvestro habita fuisse existiment: verum cum eadem, quæ a ducentis octoginta quatuor patribus, canonibus viginti, constituta sunt, ab auctore epilogi hujus summatim ac breviter recenseantur; et quod de Photinianis hac synodo condemnatis scribitur, plane falsum sit, ut ex notis Sirmiensis concilii infra patebit; non alicujus quarti, sed solius secundi Romæ sub Silvestro habiti res gestas ab auctore incerto hic descriptas contineri, verius esse putamus. Baronius anno 325, num. 201. In collectione Isidori Mercatoris hic habetur titulus: *Incipiunt excerpta quædam ex synodalibus gestis sancti Silvestri papæ.*

Photinum. Cum ex actis Sirmiensis concilii Photinum longe post hæc tempora damnatum esse constet, hujus epilogi initium quod præfationis loco auctor incertus vero Romano concilio II præfixit, ad hæc usque verba, *et constituit ut presbyterum*, de mendacio suspectum redditur. Reliqua quæ subjunguntur, ab eodem germano concilio Romano desumpta sunt, et in compendium redacta.

Digitized by Google

curiam introiverit, anathema suscipiat. Hic inter cætera prædicta omnium consultu constituit in synodo ut sacrificium altaris non in serico panno aut tincto quispiam celebrare præsumeret, sed in puro lineo ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone (1) munda sepultum fuit. Et si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset prius ostiarius, deinde lector, et postea exorcista, per tempora quæ episcopus constituerit, deinde acolythus annis quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis quinque, diaconus annis quinque, presbyter annis tribus, probatus ex omni patre in tantum, ut etiam ab his, qui foris sunt testimonium habeat bonum unius videlicet uxoris vir, quæ tamen a sacerdote sit benedicta. Et si probatus fuerit dignus, et vota populi et cleri concurrerint, canonice episcopus consecretur, quem postea nec clericus, nec populus perturbare debet : quia episcopi, qui throni Dei vocantur, non sunt lacerandi, sed magis portandi et venerandi. De quibus ait B. Paulus apostolus : *Seniorem ne increpaveris, sed ut patrem obsecra.* Legimus namque, ipso Domino dicente, non esse discipulum super magistrum, hoc est non sibi debere quemquam, ad injuriam doctorum, vindicare doctrinam, nec aliqua machinatione Domini discipulis, id est apostolorum successoribus detrahere, aut eos infamare ; quia injuria doctorum ad Christum pertinet, cujus vice legatione funguntur. Qualiter enim Dominum constristent, qui hoc agere præsumunt, Dominus (*al.* Dominicus sermo) in Evangelio testatur (*Matth.*, XVIII). Ait enim ipse Salvator, quod expediat scandalizanti unum de pusillis istis, in maris profunda demergi, et molam asinariam collo ejus suspendi. Si talis ergo pœna Domini discipulos scandalizantibus hic promittitur, quid in futuro eis provenire debeat summopere pensandum est ; quoniam non parum periculi illis manere poterit ante Deum qui hæc detrectant suis exhibere ministris. Quod ita demum probari poterit, si Deum timeant, qui talia exercere minime formidant, si imposito sibimet improbo silentio, a talibus se deinceps custodiant : quia nihil prodest homini reliqua bona agere, nisi mens ab iniquitate revocetur et ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Unde ait propheta (*Psal.* XXXIII) : *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo et fac bonum.* Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult. Et reliqua. Hic in memorata synodo constituit omnium cum consensu, ut nullus presbyter missas celebrare præsumat (*De consec. dist.* 1, *Nullus presbyter missas*), nisi in sacratis ab episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotii. Et pietatis affectu hic sanctissimus papa sub gesta synodica revocavit apostolica auctoritate multos ab aliis episcopis excommunicatos, et a tyrannis ejectos, ad communionem, et restituit eos in ecclesiis, quibus fuerant olim instituti, sub satisfactione libelli, atque purgatos eos recepit, dans exempla futuris eruendi sacerdotes de persequentium manibus. Constituit etiam, nulla ratione (98, *distinct. Nullus aliqua ratione*) transmarinum hominem penes nos in clericatus gradu suscipi, nisi quinque (*quinque et eo amplius*) episcoporum designatus sit chirographis.

Præmonitio ad lectorem, in sequentem synodum.

Ex duobus vetustis exemplaribus canones sequentes descripti sunt ad verbum, qui multis in locis ob exemplarium depravationem aut vix, aut omnino non possunt intelligi. Lector boni consulat, et si quid potest habere certius, commnuicet.

(1) *De consec.*, dist 1, apud Gratianum. ubi sindon linea dicitur.

CANON

VEL CONSTITUTIO (1) SILVESTRI EPISCOPI URBIS ROMÆ,

ET DOMINI CONSTANTINI AUGUSTI, QUALITER ECCLESIASTICI GRADUS CUSTODIANTUR, VEL RELIGIO.

(*Conc. t.* I, *col.* 1514.)

Tituli canonum.

I. De congregatione episcoporum, vel diaconorum. — II. De condemnatione Callisti, Victorini, Hippolyti.—III. Per singulos gradus, ut nullus crimen objiciat. — IV. Ut de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant.— V. Ut nullus presbyter chrisma conficiat. — VI. De diaconis parœciarum, et diaconis cardinalibus urbis Romæ. — VII. Ut a subdiacono usque ad lectorem, omnes subditi sint diacono cardinali urbis Romæ. — VIII. Ut nullus subdiaconus ad nuptias transeat. —IX. Nullus lector, nullus acolythus vasa sacrata contingat. — X. Nullus episcopus virginem sacratam maritali consortio benedicat. — XI. Ut nullus ex laica persona ab honore acolythi usque ad episcopatum elevetur, nisi per singulos gradus. — XII. Nemo det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum. — XIII. De mysterio quodam. —XIV. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat —XV. Nemo clericum in publico examinet.—XVI. Ut nullus clericus vel diaconus aut presbyter, propter causam suam intret curiam. — XVII. Ut nullus peccantem clericum cæde attingat. — XVIII. Ut nullus diaconus adversus presbyterum crimen afferat. — XIX. Ut nullus presbyter a die presbyterii sumat conjugium. — XX. Ut nullus dijudicet primam sedem justitiæ.

ACTIO PRIMA.

Editio prima.

CAPUT I.

Canonum constitutio, gradus vel religio qualiter custodiatur, a Silvestro episcopo urbis Romæ, domino Constantino. Eodem tempore cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro episcopo urbis Romæ, et mundatus fuisset a lepra, pro beneficio quod accepit a Domino nostro Jesu

Editio secunda.

CAPUT I.

Eodem tempore cum multi nobiles gauderent quod Constantinus baptizatus a Silvestro urbis Romæ, et mundatus fuisset a lepra, per hoc beneficium, quod accepit a Domino Jesu Christo per Sylvestrum episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Jesum Christum, et confiteri ejus beneficia. Silvester igitur

(1) Supposita videntur Hincmaro ac plerisque viris eruditis XX ista capita, quæ Isodorus suæ collectioni intexuit

Digitized by Google

Christo, per Silvestrum episcopum, cœpit integre prædicare Dominum Jesum Christum, et confiteri ejus beneficia. Silvester igitur episcopus urbis Romæ congregans fratres compresbyteros et coepiscopos vel diaconos suos, cives Romanos, et quoniam mater Ecclesia genuerat filium Constantinum carissimum. Integre igitur Silvester episcopus urbis Romæ suis cum ordinare desiderat, et filios ejus frequenter lactare, et gradus ejus ordinis et consuetudinis consternere. Collegit autem universam synodum episcoporum cum concilio Augusti vel matris ejus, et fecit parare in urbe Roma in thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio sedis suæ 284 episcopos, quibus Augustus Constantinus vehicula vel annonas omni loco præstari præcepit, et alii 57 episcopi patris Rinocororis, quorum cyrographus in eorum concilio declaratur, et 62 presbyteri urbis Romæ, et diacones acolythi ejus consilio facti, exorcistæ 22, lectores urbis Romæ 90, quorum præsentes audiebantur. Notarii Ecclesiæ 14, qui gesta diversorum martyrum suscipientes, ordine renarrabant. Hos omnes etiam dum uno examen articulo sanctitatis colligeret in thermas supradictas, ita vero, ut nemo laicorum præesse videretur.

A episcopus urbis Romæ congregans fratres compresbyteros et coepiscopos, vel diaconos suos cives Romanos. Et quoniam mater Ecclesia genuerat filium carissimum Constantinum, igitur Silvester episcopus urbis Romæ cum suis eam ordinare desideravit, et filios ejus frequenter lactare, et gradus ejus ordinis et consuetudines consternere. Collegit autem universam synodum episcoporum cum consilio Augusti vel matris ejus, et fecit parari in urbe Roma intra thermas Domitianas, quæ nunc cognominantur Trajanæ. Collegit autem in gremio sedis suæ ducentos octoginta quatuor episcopos, quibus Augustus Constantinus vehicula et annonas præstari præcepit, et alii 57 episcopi partis Rinocoruris, quorum cirographus in eorum concilio declaratur, centum quadraginta duo B presbyteri urbis Romæ, et diacones 6, subdiacones 6, acolythi ejus concilio facti quadraginta quinque, exorcistæ 22, lectores urbis Romæ nonaginta, quorum præsentes parentes audiebant. Notarii Ecclesiæ 14, qui gesta diversorum martyrum suscipientes, ordinare narrabant. Hos omnes etiam dum uno examen articulo sanctitatis colligeret in thermas supra dictas, ita vero, ut nullus laicorum præsens videretur.

Sequuntur 139 episcopi ex urbe Roma, vel non longe ab illa.

Castus, Cyprus, Petrus, Abundius, Severinus, Lucianus, Capax, Herculanus, Joannes, Himilus, Andreas, Petrus, Renovatus, Cresconius, Ambrosius, Lucas, Hermogenianus, Augustus, Felix, Barbarus, Secundinus, Citonatus, Reparatus, Gaudentius, Sebastianus, Græces (*alias* Cresces), Renatus, Hirenæus, Laurentius, Valerianus, Botudorus, Leo, Abundantius, Almachius, Honestosus, Victor, Plenus, Delphinus, Amabilis, Paulus, Constantius, Sixtus, Concordius, Nepotianus, Bedandulus, Deutherius, Amabilis, Syrus, Quadratus, Mirabilis, Audacius, Turcilianus, Joannes, Marcus, Fidelis, Symmachus, Probianus, Asellus, Crispinus, Rusticus, Faustus, Turdus, Mojorianus, Jobianus, Exonosus, Sanctulus, Coricosus, Nepus, Tiburtius, Petrus, Sylvestrianus, Turturanus, Leontius, Anastasius, Agapitus, Verustimilus, Asellus, Jacobus, Felicissimus, Quadratus, Alexander, Philippus, Exuperantius, Hypolitus (Hippolytus), Jordianus, Archidamus, Lollius, Martia-Caritosus, Concordius, Januarius, Felicianus, Redus, Auxibus, Timotheus, Bonifacius, Tranquillinus, Calbulus, Sixtus, Catellus, Epiphanes, Victor, Habet Deum, Contentus, Apronianus, Probus, Repostibus, Paulus, Fidelissimus, Homobonus, Luminosus, Vitalis, Carpilio, Volusianus, Petrus, Probinus, Honestosus, Ariston, Bacanda, Petrus, Marinus, Priscillianus, Carito, Gattus, Januarius, Cæcilius, Epiphanius, Laurentius, Humanianus, Urbanus, Micinus, Cæcilius, Priscus, Tiburtius, Nonnonus, Anthimus, Agapitus, Vindemius.

Ex Græcia autem isti sunt.

Petrus, Anastasius, Hermes, Nicostratus, Quod vult Deus, Vitalis, Renatus, Vinulus, Andriphorus, Hirenæus, Olympius, Demeter, Theodolus, Anastasius, Thespias, Firminus, Cleopatris, Honorius, Simplex, Exitiosus, Joannes, Timotheus, Hermes, Paulus, Metronius, Stephanus, Alexander, Constantinus, Andreas, Exuperantius, Firmus, Quirillianus, Anastasius, Hermogenius, Severus, Aconcius, Thomas, Joannes, Cæcilianus, Theodolus, Theophilus, Prispilius, Festus, Almacus, Audecius, Concordius, Deutherinnus, Thomas, Quadratus, Timotheus, Potestas, Andreas, Philippus, Thomas, Victorinus, Severianus, Domanicus, Eulogius, Demeter, Nepotianus, Albinus, Petrus, Joannes, Exuperius, Theodolus, Joannes, Exuperantius, Sebastianus, Theodorus, Claudius, Demetrianus, Rufinus, Spes in Deo, Reparatus, Petrus, Asellus, Archanus, Eufemius, Crisolatus, Lazarus, Leo, Anthimus, Andreas. Catharon, Vultibus, Anastasius, Hermes, Sempervivus, Titus, Orifensis, Epiphanius, Anastasius, Leo, Ultius, Fortunatus, Cæcilianus, Nicostratus, Audax, Joannes, Rufinus, Honorius, Felix, Petronius, Andreas. Requisitus, Bacauda, Terfilius, Zenon, Caritosus, Majoranus, Leo, Hermes, Demeter, Andreas, Spes in Deo, Timotheus, Jacobus, Zenon, Quadratus, Fusilis, Marcus, Paulinus, Oyfensis, Concordius, Priscus, Herculanus, Leoninus, Androtilus, Eufimius, Squiro, Martinus, Anastasius.

Dum hi omnes venissent in synodum, et alii, quorum cyrographus cucurrit, et opinio sanctitatis, sederunt in easdem aspectu thermarum supradictarum.

C Dum hi omnes venissent in synodum, et aliquorum cyrographus cucurrit, et opinio sanctitatis, et sederunt in eodem aspectu thermarum supradictarum.

Digitized by Google

Presbyteri autem Romani omnes, et diaconi, clerusque vel gradus sequentes ad terga episcoporum steterunt. Nemo enim sedit in eodem loco, nisi tantum episcopi, et Silvester episcopus, pontifex urbis Romæ. Erat enim ibi et Calphurnius, qui primo gentilis, et postea christianus, præfectus urbis. Dicit autem Silvester episcopus urbis Romæ rationem hanc: Audite me, fratres et coepiscopi, et universus ordo Ecclesiæ Romanæ, quoniam bonum est ut fixas cortinas habeat Ecclesia, ut regiæ ecclesiæ non vaticinentur, sed sit firma, et claudat ostium propter persecutorem, et habeat firmum murum, unde expugnet adversarios.

CAPUT II.

Cognitum loquor, et probo Calistum et Victorinum, qui arbitrio suo fecerunt creaturam, et Jobinianum, qui in sua extollentia dicebat, nec mensem, sed decimo kalendas maii custodire. Ego enim (sicut lex memorat) in vestro judicio commendo sermonem, ut introducantur hi tres quidem primo arbitrio Calisti damnari corroboretur examen, qui se Calistus ita docuit Sabellianum, ut arbitrio suo sumat unam personam esse Trinitatis. Non enim coæquante Patre et Filio et Spiritu sancto Victorinum ita præcipue religionis antistitis, qui in sua ferocitate, quidquid vellet, affirmabat hominibus, et cyclos paschæ pronuntiabat fallaces, ut hoc quod constituit decimo kalendas maii custodiri, vestro sermone, sicut veritas habet, cessetur, et vestro indicio condemnetur, et filiorum nostrorum Augustorum præcurrat auctoritas ad condemnandum Victorinum episcopum. Damnavit autem Hippolytum diaconum Valentinianistam, et Calistum, qui in sua extollentia separabat Trinitatem, et Victorinum episcopum, qui ignorans lunæ rationem, sub arbitrio (*Latin. conj.* arbitrii) sui tenacitate derumpebat veritatem, et præsentiæ episcoporum supra dictorum et presbyterorum damnabit Hyppolytum, Victorinum, Calixtum, et dedit eis anathema, et damnavit eos extra urbes suas.

CAPUT III.

Postea autem fecit gradus in gremio synodi, ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam, et non damnabitur præsul, nisi in septuaginta duobus; neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam his scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testimonia non damnabitur. Diaconus autem cardine constrictus urbis Romæ, nisi in triginta sex, non condemnabitur.

A rum. Presbyteri autem Romani omnes, diaconi, clerusque vel gradus sequentes, a tergo episcoporum steterunt. Nemo enim sedit in eodem loco, nisi tantum episcopi, et Silvester episcopus, pontifex urbis Romæ. Erat enim ibi et Calphurnius, qui primo gentilis, et postea Christianus, et præfectus urbis. Dicit autem Silvester episcopus urbis Romæ rationem hanc: Audite me, fratres et coepiscopi, et universus ordo Ecclesiæ Romanæ, quoniam bonum est, ut fixas cortinas habeat Ecclesia, ut regia ecclesia non vacilletur, sed sit firma, et claudat ostium propter persecutorem,
B et habeat firmum murum, unde expugnet adversarios.

CAPUT II.

Cognitum loquor, et probo Calistum et Victorinum, qui arbitrio suo fecerunt creaturam, et Jovianum, qui in sua extollentia dicebat, non pascha venire die suo, nec mense, sed 10 kal. maii custodire. Ego enim sicut lex memorat, in vestro judicio commendo sermonem, ut introducantur hi tres quidem primo arbitrio Calistus damnari corroboretur examen, qui se Calistum ita docuit Sabellianum, ut arbitrio suo sumat unam personam esse Trinitatis: non enim coæquantem Patrem et Filium et Spiritu sancto. Victorino itaque præcipue præsul regionis antistes, qui in sua ferocitate quidquid vellet hominibus, et cyclos
C paschæ pronuntiabat fallaces, ut hoc quod constituit 10 kal. maii custodiri, vestro sermone, sicut veritas habet, cassetur, et vestro judicio condemnetur, et filiorum nostrorum præcurret auctoritas condemnandum Victorinum episcopum. Et introierunt omnes, ut suo sermone damnarentur in judicio. Damnavit autem Hippolytum diaconum Valentinianistam, et Calistum, qui in sua extollentia separabat Trinitatem, et Victorinum episcopum, qui ignorans lunæ rationem sub arbitrio sui tenacitate disrumpebat veritatem. Et præsentia episcoporum supra dictorum et presbyterorum, aliorumque graduum, damnavit Hippolytum, Victorinum et Calistum. Et dedit eis anathema, et damnavit eos extra urbes suas.

CAPUT III.

Postea autem fecit gradus in medio synodi, ut
D non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem, non laicus det accusationem aliquam. Et non damnabitur præsul nisi in septuaginta duobus, neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem, nisi in quadraginta quatuor testimoniis non damnabitur. Diaconus autem cardine

SEVERINI BINII NOTÆ.

Presbyteri autem Romani omnes et diaconi. Quod hic soli episcopi cum Sylvestro pontifice sedisse, presbyteri autem et diaconi cum reliquo universo clero a tergo sedentium episcoporum stetisse narrantur, id modestiæ causa tunc saltem contigisse dicendum est; cum alioqui, teste Hieronymo epistola 85, ad Evagrium, in Romana Ecclesia receptum fuerit, ut coram episcopis diaconi tantum stent, presbyteri vero sedeant: nam prædicta epistola sic ait: *Cæterum etiam in ecclesia Romæ presbyteri sedent, et stant diaconi. Licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter presbyteros, absente episcopo, sedere diaconum viderim.* Imo in concilio Carthaginensi IV, sancito hac de re canone trigesimo quarto statutum reperitur, ut *episcopus in quolibet loco sedens, stare presbyterum non patiatur.*

Digitized by Google

Subdiaconus, acolythus, exorcista, lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimonia filios et uxorem habentes, omnino Christum prædicantes sicut datur mystica veritas.

CAPUT IV.

Commoneo autem vestrum consortes monimentum de reditibus ecclesiæ quatuor partes fiant, et quod primam partem exigat ecclesia unam partem pontifici cum fratribus relevandis, dimidiam ecclesiæ, dimidiam presbyteris et diaconibus cum omni clero, vel peregrinis; constituit hunc ordinem, ut si quis de clero vel presbyteris universi loci, quod commune est, transire de hoc mundo, et si neminem de sua generositate haberet consortem, quidquid paupertas ejus haberet, conferret ecclesiæ, et exinde quatuor partes fierent, sicut dictum est.

CAPUT V.

Constituit etiam voce clara Silvester episcopus urbis Romæ, ut nemo presbyter chrisma conficeret, dicens quoniam Christus a chrismate vocabitur.

CAPUT VI.

Ut diaconi non essent plus, vel amplius per parochiarum examen, nisi duo, et diaconi cardinales urbis Romæ septem: ita tamen ut dalmaticis uterentur et pallia linostimia (linostima) lævam eorum tegerent.

CAPUT VII.

Ita autem Silvester clara voce dicebat ad coepiscopos, ut a subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent diacono cardinali urbis Romæ, in Ecclesia honorem repræsentans tantum, pontifici vero presbyteri, subdiaconi, diaconi, acolythi, exorcista lectori in omni loco repræsentans obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ, tantum pontifici.

CAPUT VIII.

Nullum autem subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua prevaricatione præsumpserit.

CAPUT IX.

Nullus lector vel ostiarius vasa sacrata contingeret, nullus acolythus rem sacratam a presbytero jam alio porrigeret, nisi tantum supportaret, quod ei sacerdos imponet suo ore benedictum.

CAPUT X.

Nullus etiam episcoporum virginem sacratam maritali expeteret benedici, nisi eam probaverit septuaginta duorum annorum esse constitutam, ubi probabitur judicium, pudicitia vero, ut in septuaginta duos annos, requirens verum Christum, pudicitia custodita, uncta vertice, introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens, non cordis. Et subscripserunt supradicti episcopi in istud, prædicante

A constructus urbis, nisi in 36, non condemnabitur. Subdianonus, acolythus, exorcista, lector, nisi (sicut scriptum est) in septem testimoniis, filios et uxores habentes, et omnino Christum prædicantes. Sic datur mystica veritas.

CAPUT IV.

Commoneo autem vestrum consortes munimen, et de reditibus ecclesiæ quatuor partes fieri, et et quarta pars exigatur ab ecclesia, unam partem pontificum, fratribus dimidiam ad ecclesias relevandas, dimidiam presbyteris et diaconibus cum omni clero, et peregrinis. Constituit hunc ordinem, ut si quis de clero vel presbyteris universi loci, quod commune est, transiret de hoc mundo, si neminem de sua generositate haberet consortem, quidquid

B paupertas ejus haberet, conferret ecclesiæ, et exinde quatuor partes fierent, sicut supra dictum est

CAPUT V.

Constituit enim clara voce Silvester episcopus urbis Romæ, ut nemo presbyter chrisma conficeret, diceret, quoniam Christus a chrismate vocatur.

CAPUT VI.

Et diaconi non essent plus nec amplius per parochiarum examen, nisi duo et diacones cardinales urbis Romæ septem.

CAPUT VII.

Ita tamen Silvester clara voce dicebat ad coepiscopos, subdiacono usque ad lectorem omnes subditi essent diacono cardinali urbis Romæ, in Ecclesia

C repræsentantes tantum. Pontifici vero presbyteri, diaconi, subdiacones, acolythi, exorcistas lectori in omni loco representantes obsequium, sive in plublico, sive in gremio, Ecclesiæ tantum pontifici.

CAPUT VIII.

Nullum autem subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliquam prevaricationem sumpserit.

CAPUT IX.

Nullus lector vel ostiarius vasa sacrata contigerit, nullus acolythus rem sacratam a presbytero jam alio porrigeret, nisi tantum supportaret, quod ei sacerdos imponeret suo ore benedictum.

CAPUT X.

D Nullus etiam episcoporum virginem sacratam maritali consortio expetierit benedicere, nisi eam probaverit septuaginta duorum annorum esse constitutam. Ibi probabitur judici a pudicitia vera, aut in septuaginta annis requirens virum Christum, pudicitia custodita, uncta vertice introducatur ad nuptias Christi; velamen capitis ferens, non cordis. Et subscripserunt supra dicti episcopi in istud, prædicante

SEVERINI BINII NOTÆ.

Diaconi cardinales. Qui hic appellantur diaconi cardinales, quod licet diversis in locis agerent, unius tamen ecclesiæ, ejusque primariæ cardine continerentur; iidem supra in vita Fabiani, diaconi regionarii nominantur, quod ex officio singuli binis regionibus urbis præesse, pauperumque in eis degentium curam habere tenerentur. In quem finem quatuordecim urbis regionibus septem cardinales diaconi præfecti sunt, ut nimirum singulis binas regiones solicite curantibus, totius urbis pauperibus bene prospectum foret. Vide quæ notavimus ad vitam Evaristi et Fabiani.

Digitized by Google

Silvestro episcopo urbis Romæ. Et subscripsit autem et novissimus Calpurnus præfectus urbis. Subscripsit autem Augustus Constantinus, matre Helena Augusta. Tunc dedit orationem, sedens in eodem loco, et discesserunt.

A Silvestro episcopo urbis Romæ. Subscripsit autem et novissimus Calphurnius præfectus urbis. Subscripsit Augustus Constantinus cum matre Helena Augusta. Tunc dedit orationem, sedens in eodem loco, et discesserunt.

ACTIO SECUNDA.

Alia autem die venerunt omnes presbyteri urbis Romæ, et diaconi omnes ducenti octoginta quatuor in thermas Domitianas, quæ nunc Trajanas, et sedit sedem suam in eodem loco. Ubi autem fecit septem regiones et dividit diaconibus. Erant autem diacones isti, Fabianus, Marcus, Liverius, Archidamus, Julius. Ordinavit autem alios duos, Priscum et Theodorum, universus sexus, presbyteri, et diacones et clerus hoc poposcerunt Silvestrum episcopum, ut eos ordinaret. Ibi autem in thermas hoc duos Priscum B et Theodorum subordinavit, non ordinavit aut consecravit eos, nisi in gremio basilicæ consecravit, et præter synodi constituit.

Alia autem die venerunt omnes presbyteri urbis Romæ, et diacones et episcopi omnes ducenti octoginta quatuor, intra thermas Domitianas, quæ nunc Trajanas, et sedit in sede sua id eodem loco. Ibi autem fecit septem regiones, et divisit diaconibus. Erant autem diacones isti, Fabianus, Marcus, Liberius, Archidamus, Julius. Ordinavit autem et alios duos, Priscum et Theodorum. Universus sexus presbyteri et diacones et clericus hoc poposcerunt a Silvestro episcopo, ut eos ordinaret. Ibi autem in thermis hos duos, Priscum et Theodorum subordinavit, non ordinavit et consecravit, eos nisi in gremio basilicæ consecravit, et præter synodum constituit.

CAPUT XI.

Ut nullus ex laica persona ad honorem acolythi usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis triginta. Deinde una die exorcista, et postea caperet onus acolythi, et faceret in eodem ordine acolythus annis decem, ut acciperet onus subdiaconi, et in subdiaconatu esset annis quinque, deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus, rogantibus triginta presbyteris examen, ut esset diaconus cardinalis, quia a prima sede erat constitutum ut serviret annis septem. Hoc enim quod si quis desi- C deraretur ordinem presbyterii, ita exigeretur, ut in septem annos cuncto clero Romano privaretur doctrinæ, nativitatis, generositatis, et consilio, non expetens prædam a quaquam opinione clara firma omnes presbyteri declararent et firmarent, et sic ad ordinem presbyterii accederent, et facerent in eodem ordine annos tres. Et si exigit ordo, vel dispositio, vel cura pietatis, aut sanctitatis, ad onus episcopatus accedere, ut omnis clerus peteret ordinari ex uno voto perenni. Quod ita gestum sit, et sermonibus Silvestri episcopi nil opponebat, sed magis firmabant, prece. Dixit autem et hoc Silvester episcopus urbis Romæ: Audite, sancti et coepiscopi. Nemo abscondat quod ei videtur justitia objurgare. Responderunt cum omnes episcopi, et dixerunt D clamantes universis presbyteris clericisque: In te justitia, et pietas a te non discedat, quoniam a nobis nihil judicabitur, in opinionem dictorum tuorum, quoniam sapientia non est, nisi in patientia fuerit constructa. Dixit autem Silvester episcopus: Quoniam si sapientia non est, nisi in patientia, quidquid sermone fixero, vestro cyrographo confirmetur.

CAPUT XII.

Nemo enim det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum petenti baptismum: omnibus enim prædicantes date, Matth. ultimo.

CAPUT XI.

Ut nullus ex laica persona ad honorem acolythus usque ad episcopatum sublevaretur, nisi prius fuisset lector annis triginta, deinde uno die exorcista, et postea caperet onus acolythi, et faceret in eodem ordine acolythi annos decem, ut acciperet onus subdiaconi, et in subdiaconatu esset annos quinque. Deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus rogantibus triginta presbyteris examen, ut esset subdiaconus cardinalis, quia a prima sede erat constitutum, ut serviret annos septem. Hoc enim quod si quis desideraret ordinem presbyteri, ita exigeretur ut in septem annis a cuncto clero Romano probaretur doctrinæ, nativitatis, generositatis, et consilio non expetens prædam a quoquam opinione clara firmarent omnes presbyteri declararent et firmarent, et sic ad ordinem presbyterii accederet, et faceret in eodem ordine annos tres. Et si exigat ordo vel dispositio, vel cura pietatis aut sanctitatis, ad onus episcopatus accederet, ut omnis clerus peteret ordinare ex uno voto perenni, quod ita gestum sit, quod et sermonibus Silvestri episcopi nil opponebat synodus, sed magis firmabat prece. Dixit autem et hoc Silvester urbis Romæ episcopus: Audite sancti et coepiscopi. Nemo abscondat quod ei videretur justitia objurgare. Responderunt omnes episcopi, et dixerunt clamantes cum universis presbyteris clericisque: Vincet justitia et pietatis a te non discedat. Quoniam a nobis nihil judicabitur in opinione dictorum tuorum, quoniam sapientia non est, nisi in patientia fuerit constructa. Dixit autem Silvester episcopus: Quoniam si sapientia non est, nisi in patientia, quidquid sermone fixero, vestro chyrographo confirmetur.

CAPUT XII.

Nemo enim det pœnitentiam, nisi quadraginta annorum, petenti. Baptismum enim omnibus date.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Nemo enim nisi velamen cœleste acceperit, primum conjugii per manus sacerdotis ad clericatus honorem non accedat. Finctus est enim.

CAPUT XIV.

Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat.

CAPUT XV.

Nemo enim clericum quemlibet in publico examinet, nisi in ecclesia.

CAPUT XVI.

Nemo enim clericus, vel diaconus, aut presbyter propter causam suam qualibet intret in curia quoniam omnis curia a cruore dicitur, et immolatio simulacrorum est. Quod si quis clericus in curia introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem ecclesiam. A communione autem non privetur propter tempus turbidum.

CAPUT XVII.

Nemo enim quemquam peccantem clericum cæde attingat, non presbyter, non diaconus, non episcopus supra clericum vel servitorem ecclesiæ ad cædem perducat. Sed si ita causa exigit clerici, triduo privetur honore, ut pœnitentes redeant ad matrem Ecclesiam.

CAPUT XVIII.

Nemo enim diaconus adversus presbyteros afferat crimen turpitudinis.

CAPUT XIX.

Nemo enim presbyter a die onus presbyterii sumat conjugium, ut si quis neglecto exierit, duodecim annis eum dicimus privari honore. Quod si quis hunc cyrographum præsentem et publica egerit dictum condemnetur in perpetuum.

CAPUT XX.

Nemo enim dijudicet primam sedem justitiæ desiderans temperari, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque regibus, neque a populo judex judicabitur. Et subscripserunt ducenti octoginta quatuor episcopi, et quadraginta quinque presbyteri, et quinque diaconi, et duo sequentes, et Augustus Constantinus, et mater ejus Helena. Et fixit canonem hunc Silvester episcopus urbis Romæ, et omnibus episcopis aspersit. Actum in Trajanas thermas, 3 kalendas Junii, Donno Constantino Augusto tertio, et Prisco consule.

CAPUT XIII.

Nemo enim nisi velamen cœleste acceperit primum conjugii per manus sacerdotis, ad clericatus honorem accedat. Testimonium clerici adversus laicum non admitti. Finctus est enim.

CAPUT XIV.

Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat.

CAPUT XV.

Nemo enim clericum quemlibet in publico examinet, nisi in ecclesia.

CAPUT XVI.

Nemo enim clericus vel diaconus, aut presbyter propter causam suam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia a cruore dicitur, et immolatio simulacrorum est. Quoniam si quis clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem ecclesiam. A communione autem non privetur propter tempus turbidum.

CAPUT XVII.

Nemo enim quemquam peccantem clericum cæde attingat, non presbyter, non diaconus, non episcopus supra clericum vel servitorem ecclesiæ ad cædem perducat. Sed si ita causa exigit clerici, duo priventur honore, ut pœnitentes ad matrem Ecclesiam.

CAPUT XVIII.

Nemo enim diaconus adversus presbyterum offerat crimen turpitudinis.

CAPUT XIX.

Nemo enim presbyter a die onus presbyterii sumat conjugium, ut et si neglecto egerit, decem annis eum dicimus privari honore. Quod si quis contra hunc chirographum præsentem ac publice egerit dictum, condemnetur in perpetuum.

CAPUT XX.

Nemo enim judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari. Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur. Et subscripserunt ducenti octoginta quatuor episcopi, et quadraginta quinque presbyter, et quinque diacones, et duo sequentes, et Augustus Constantinus, et mater ejus Helena. Et fixit canonem hunc Silvester episcopus in urbe Roma, et omnibus episcopis aspersit. Actuum in Trajanas thermas, 3 Kal. Junii, Donno Constantino Augusto tertio, et Prisco consule.

SEVERINI BINII NOTÆ.

A die onus presbyterii sumat conjugium. Per conjugium hoc loco cum fœmina contubernium intellige. Uxorem ducere non tantum presbyteris, verum etiam subdiaconis hoc concilio prohibitium est. Itaque mulieris suspectæ contubernium vitandum esse, sub pœna ea, quæ additur, serio demandatur.

Nemo enim dijudicet. Hunc canonem Nicolaus Romanus pontifex citasse visus est, cum inter alia quibus temeritatem Michaelis imperatoris redarguit, sic ait : *Consonat huic necessariæ sententiæ sanctus Silvester et magni Constantini baptizator, dicens : Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a populo judex judicabitur, haud dubium quin ecclesiasticus.*

Constantino Augusto III, et Prisco consulibus. Hic legendum esse, *Crispo et Constantino III, consulibus*, ipsi Fasti consulares docent. Textum hoc loco corruptum esse, mirum non est, cum vix unum integrum versum invenias, in quem mendum non irrepserit. Quod initio anni 324. Crispus a patre occisus fuerit, hujus synodi celebratæ tempori nihil obstat. Quibus enim consulibus annus aperiebatur, et denominari incipiebat, iisdem etiam usque, ad finem denominari perseverebat; licet defunctis, vel aliter se abdicantibus, alii in locum ipsorum suffecti fuissent,

Digitized by Google

CENSURA CONSTITUTI PRÆCEDENTIS.

(Constant. App., p. 37).

I. *Extat hoc Constitutum in vetusto codice Colbertinæ bibliothecæ majusculis litteris Langobardicis exarato, et altero ejusdem bibliothecæ non minus antiquo exemplari, necnon in collectione, quam Baronius ad annum 324, n. 124, Cresconianam vocat. Illud Benedictus III, et Nicolaus I, epist. 8, ad Michaelem imp. laudant. Hujus duplex pervetustum exemplar nactus Petrus Crabb. triplicem editionem tribus in columnis e regione positis repræsentavit. Nimirum* propter exemplarium intolerabilem nimiamque et differentiam et depravationem, *inquit,* adeo ut nonnunquam quid intendant non valeat intelligi, idcirco utriusque exemplaris de syllaba in syllabam, nulla facta mutatione littera est posita. *Sed inter utramque media proposita est tertia editio conjecturis emendata, et ad grammaticæ leges, quantum fieri potuit, reducta. Hanc deinde, ut quæ nullius auctoritatis sit, suppresserunt posteriores editores, duplicem retinere contenti : sed simul omnes consentiunt utramque* multis in locis ob exemplarium depravationem aut vix aut omnino non posse intelligi. *Et secundum Baronium, n.* 123, vix reperire sit versum, in quem mendum non irrepserit. *Ita tamen singulis imposuit venerandum Silvestri nomen, ut* vetustatis honore *moti, ullum propemodum etiam in obscurioribus locis characterem mutare religioni duxerint. Verum hoc barbaræ et a communi intellectu alienæ orationis vitium, quod Constituto huic cum duabus epistolis subsequentibus commune est, non tam exemplarium depravationi, quam ipsius, qui hæc scripta supposuit, imperitiæ tribuendum merito videatur. Quamquam inficias non ierimus, etiam librarios, ob insuitatam illam sermonis barbariem, dum abstergere menda nituntur, nova forsitan admisisse, aut certe ab archetypi fide identidem recessisse. Hinc natæ illæ exemplarium diversitates, ad quas exhibendas duplex editio necessaria primum visa est. Illas tamen varietates suis locis in margine notare satis habuimus. Sed vel sola illa sermonis inelegantia omnem fidem abrogat scripto, cui non tantum tot episcopi aliique præclari viri, sed et maximus et cultissimus Imperator, subscripsisse finguntur.*

II. *Postmodum vero Binio, Baronio aliisque opusculum istud admittentibus minime subscribendum ratus Labbeus, e regione tituli hujus Constituti annotavit :* Supposita videntur Hincmaro ac plerisque viris eruditis XX ista capita, quæ Isidorus suæ collectioni intexuit. *Quibus verbis Labbeus haud dubie indicat illud Hincmari opusc.* 48, *n.* 21, *tom.* II, *p.* 793. Scriptum namque est in quodam sermone, sine exceptoris nomine, de gestis S. Silvestri excepto, quem Isidorus episcopus Hispalensis (*verius dixisset* Isidorus Mercator) collegit cum epistolis Romanæ sedis pontificum a sancto Clemente usque ad B. Gregorium, eumdem S. Silvestrum decrevisse : ut nullus clericus crimen laico audeat inferre, et ut presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, etc., *ut infra, cap.* 3, *usque* uxores ac filios habentes et omnino Christum prædicantes : *hoc præterea proxime ad-*

A *dito*, testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. *Quod ubi exposuit Hincmarus, de excerpto illo sermone quid sentiat, n.* 22, *aperit his verbis.* Quæ dicta quam adversa sibi, et quam diversa a sanctis canonibus et sacris legibus sint, nemo est qui dubitet : *adjungitque, num.* 23 : Quapropter credendum non est, eumdem sanctum virum talia constituisse, quæ (*seu* qualia) in memorato sermone continentur scripta. *Neque vero alius locus est, in quo Hincmarus subdita* XX *capita respuat.*

III. *At in allato loco non Constitutum sequens, sed aliud opusculum, quod ab Isidoro* Excerpta quædam ex synodalibus gestis S. Silvestri papæ, *apud Labbeum, t.* I *concil., pag.* 1542, Epilogus brevis sequentis concilii Romani *inscribitur, ab Hincmaro commemorari obscurum non est. Neque enim Hincmarus gesta ipsa S. Silvestri, sed* sermonem de gestis S. Silvestri exceptum *seu* excerptum *commemorat. Notat et excerptum illum sermonem* sine exceptoris *seu* excerptoris nomine *extitisse : quemadmodum etiam apud Isidorum* excerpta de gestis synodalibus S. Silvestri *nullum auctoris nomen præ se ferunt. Quamquam cum nulli alii adscribantur, ipsemet Isidorus excerpsisse jure judicetur. Sed et locus ab Hincmaro memoratus in his excerptis et totidem verbis et eodem verborum ordine integer habetur ; cum contra in sequenti Constituto postrema illius verba, scil.* Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat, *a superioribus, quæ Hincmarus eis proxime copulat, duodecim capitibus distent : ac priora illa,* ut nullus clericus crimen laico audeat inferre, *casso labore in toto Constituto quæsieris.*

IV. *Ambigere etiam licet, num Isidorus* XX *illa capita, quæ sequens Constitutum complectitur, collectioni suæ intexuerit. Huic quidem in vetere collegii Navarrei codice inserta sunt : sed in Noviodunensi, Colbertinis aliisve Navarreo antiquioribus nusquam comparent. Et vero Mercatori supervacaneum prorsus fuisset, excerpta ex illis* XX *capitibus concinnare, si ipsamet capita collectioni suæ inseruisset.*

V. *Verum licet Hincmarus sola illa excerpta viderit ac notarit ; id tamen quod de illorum cum regulis ecclesiasticis pugna censet, æque in ipsummet Constitutum cadit. Certe cum illis pugnat, quod cap.* 1 *narratur, presbyteros in concilio Romano a tergo episcoporum sedentium stetisse, ac neminem in eo sedisse præter episcopos. Ut enim Baronius observavit, in concilio Carthaginensi* IV, *can.* 34, *statuitur,* ut episcopus in quolibet loco sedens stare presbyterum non patiatur. *Neque dubium est quin ea etiam lex Romæ obtinuerit. Hieronymo enim, epist.* 85 *ad Evagrium, teste,* in ecclesia Romæ (*etiam præsentibus episcopis, ut ex consequentibus verbis liquet*) presbyteri sedent, et diaconi stant. *Ita et in concilio Eliberitano episcopos consedisse legimus,* residentibus etiam XXVI presbyteris et adstantibus diaconibus. *Idem et in Romanis conciliis semper factitatum. Rursum cum regulis ecclesiasticis pugnat quod cap.* 2 *de testium numero præcipitur. Frustra quippe, ut optime animadvertit Hincmarus, de episcopis aut clericis, qui in aliquod crimen labuntur,*

Digitized by Google

dijudicandis canones sunt, si hoc valeat decretum.

VI. Quorsum vero tot canonibus cavetur, ne temerentur virgines sacræ, ac temeratis pœnæ decernuntur, si quemadmodum cap. 10 sancitur, anno dumtaxat LXX ætatis suæ virgo consecrari permitteretur? Sane hoc canone sublatus fuisset ingens ille, quo semper Ecclesia decorata est, sacrarum virginum numerus; et si quæ superfuissent, leve in posterum exstitisset consecratæ tum pudicitiæ meritum. Verum alium morem in Ecclesia viguisse probat Syagrii sententia ab Ambrosio, epist. 5, tam vehementer improbata, qua ille sacram virginem Indiciam nomine, cum violatæ pudicitiæ accusaretur, obstetricibus inspiciendam edixerat; probant cum ejusdem Ambrosii aut alterius scriptoris ipso non recentioris tractatus ad Virginem lapsam, tum Basilii epistola ejusdem argumenti; probant rursum libri Ambrosii de virginibus ad Marcellinam sororem tredecim annis post consecratoris ejus Liberii mortem scripti; probat et præceptum Hunerici regis, qui virgines sacras congregari jussit missis obstetricibus quæ pudicitiam earum explorarent, et impia vox iisdem virginibus clamantium: Dicite quoniam episcopi vobiscum concumbunt, et clerici vestri; probant denique innumera alia, quibus nullus fuisset locus, si nulla virgo nisi 72 annis provecta consecranda esset. Sed fictitio huic canoni adversantur sinceriores alibi jam memorati, quorum alii ne ante vigesimum quintum ætatis suæ annum, alii ne ante quadragesimum virgines consecrentur, vetant.

VII. Secum etiam pugnat idem Constitutum, dum cap. 1 Calistum damnat ut Sabellianum qui sumat unam personam esse Trinitatis; et simul ut qui separabat Trinitatem; cum qui Trinitatem separat, hæresim sectetur Sabellianæ oppositam. In eo enim hæc sita erat, quod confunderet, non quod separaret Trinitatem.

VIII. Hic præterea mirari subit, cur in tam celebri cœtu, Constantino præsente, eo ipso anno quo idem Imperator ad restinguenda hæresis Arianæ incendia toto studio incumbebat, et quo propterea magnum Osium cum litteris Alexandriam destinarat, de Ario ne verbum quidem fiat, ac damnentur dumtaxat Calistus, Jovianus, Hippolytus diaconus, et Victorinus, ignota ecclesiasticis in monimentis nomina; si tamen Victorinus is alius sit a Victorio cyclorum paschalium conditore; quod mox expendemus. Neque objecto huic facit satis Binii Baroniive conjectura, œcumenico Nicææ concilio causam Arii tum reservatam fuisse opinantium. Longe enim probabilius est, Sylvestrum atque Constantinum, mense Maio anni 424 nihildum de concilio Nicæno congregando fuisse meditatos. Sed esto, illud animo jam decreverint: quid vetabat quominus Romano in conventu res in œcumenico tractandæ ac definiendæ præpararentur? Certe id postea moris fuit Romanis pontificibus, ut synodis Romæ habitis generalia prævenirent concilia, atque in his damnandas hæreses, in illis prædamnarent. Præterea nec facile divinatur quo pacto recenseantur LVII episcopi partis Rinocoruris; et intelligitur difficilius, quam ob causam tot Ægyptii præsules tunc Silvestrum convenissent, nisi ut de perversa Arii doctrina flagitiisque Arianorum expostularent, aut qua ratione de tam gravi tamque necessaria causa taceri passi essent.

IX. Cui etiam non suspecta videantur in episcoporum græcorum catalogo tot nomina mere latina, puta, Quodvultdeus, Spesindeo, Exsuperantius, Exitiosus, Fortunatus, Potestas, Sempervivus, etc. Nam licet a Græcis Latini nomina nonnunquam mutuentur: attamen non ita vulgo solent Græci.

X. Longius excurreret oratio, si quotquot in opere, quod expendimus, occurrunt falsitatis notæ, singillatim prosequeremur. Suppositionem ejus satis superque ab ipso exordio probat fabulosa Constantini leprœ ejusque curationis narratio, ac mendosa in fine consularis nota velut quodam sigillo confirmat.

XI. Ex prædicta autem leprœ Constantini ejusque baptismi per Silvestrum collati mentione conficitur, ut Constitutum sequens falsis Silvestri gestis sit recentius. Saltem id negandum non est, Constituti hujus architecto nota fuisse falsa illa Silvestri acta, utpote ex quibus memoratam de lepra et baptismo Constantini fabulam hausit. Contra ex eo, quod pridem observavit Hincmarus (Hincm. opusc. 48, n. 23, pag. 792), nihil scilicet in actis Silvestri quidquam iis simile legi, quæ in Constituto, seu in excerptis eidem Constituto concinentibus offendimus, sed ea tantum in libris pontificum memorari, gestorum illorum parenti prædictum Constitutum atque pseudo Romanum concilium latuisse merito colligamus. Illum enim in iis actis rem adeo celebrem silentio præteriturum fuisse quis sibi persuadeat?

XII. Ubi etiam expenderimus quis ille sit Victorinus, cujus damnatio cap. 1 ideo expetitur, quia quidquid vellet affirmabat hominibus, et cyclos paschales pronuntiabat fallaces; aliud inde nobis suppeditabitur argumentum, unde Constitutum istud Silvestri temporibus multo recentius esse confirmemus. Ac primo quidem obiter observamus, eumdem Victorinum in epistola subsequenti 13 similiter culpari, quia arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, et cyclos Paschæ pronuntiabat fallaces: ut ex quo fonte fluxerit et iste rivulus, quisque in antecessum advertat. Jam vero excutienti quis sit ille Victorinus in utroque scripto propter novos Paschæ cyclos culpatus, non alius occurret nisi Victorinus Aquitanus, a plerisque Victorius, et a nonnullis Victor dictus, qui anno Christi 457, Hilari tunc archidiaconi ac postea papæ rogatu, cyclos Paschæ concinnavit. Quamvis enim hos cyclos et probaverit Leo papa, et Aurelianensis IV synodus anno 541 habita, can. 1, admiserit: eosdem tamen subinde respuerunt multi atque acriter reprehenderunt. Nominatim vero Victor Capuanus episcopus, anno 550, librum adversus Victorium ipsum conscripsit, in cujus processu, teste Beda (Bed. de rat. temp. c. 49), ita loquebatur: Nunc, inquam, ordo expetit, ut cyclorum, quos Victorius edidit, patefaciam errores, dum nescit legitimum diem definire paschalem. Quam non melius sæculo VI exunte de iisdem cyclis sentiret Columbanus, ipse scripta ad Gregorium I papam (Greg. lib. III, epist. 132 nov. edit.) epistola testatur his verbis: Scias namque nostris magistris et Hi-

Digitized by Google

bernicis antiquis philosophis, et sapientissimis componendi calculi computariis Victorium non fuisse receptum, sed magis risu vel venia dignum, quam auctoritate. *Nonnullisque interjectis subdit*, luum itaque aut excusa, aut damna Victorium, *Ac reliqua epistola fidem facit, quantum a Victorii calculo Hiberni abhorrerent. Neque animo æquiori erga eumdem affecti erant Britanni Occidentales. Hi quippe, ut Althelmus apud S. Bonifacium, epist. 44, scribit, nec Victorii paschalis laterculi curriculum posteris sectandum decreverunt.*

XIII. *Neque hinc moveri quisquam debet, quod cum de Victorio, qui cyclos paschales Leonis papæ temporibus adornavit, scripserint multi, puta Gennadius Massil., Isidorus Hispal., Gregorius Turon., Fredegarius, Althelmus, Honorius Augustodun.*, etc., *ne unus tamen ex eis episcopum illum vocet; et contra Victorinus in Constituto Silvestri memoratus non semel episcopus appelletur. Certum est enim ex allatis Columbani ad Gregorium verbis*, luum itaque aut excusa aut damna Victorium, *eum a Columbano notari Victorium, cujus cyclos Roma receperat, atque etiam tum sequebatur, adeoque ipsum Victorium, qui Leonis temporibus cyclos concinnarat. Is autem Victorius quin episcopus fuerit minime dubitare se idem Columbanus in eadem epistola prodit, ubi ait:* Non mihi satisfacit, post tantos quos legi auctores, una istorum sententia episcoporum, dicentium tantum: Cum Judæis Pascha facere non debemus. Dixit hoc olim VICTOR EPISCOPUS: sed nemo Orientalium recepit commentum. *Nam non Victorem Capuanum episcopum, sed ipsummet Victorium, qui tota in epistola vehementer carpitur, hic memorari non ambiget, qui quæ antecedunt et quæ subsequuntur excusserit. Et vero, ut diximus, qui a plerisque* Victorius, *idem ab Isidoro, lib.* VI *Orig. c.* 17, Victorinus, *et a Fredegario, c.* 108, Victor *nuncupatur. De Victorii igitur, cujus cyclos Roma recepit, episcopatu sentiat quisque quod sibi placuerit. Certe non magis abhorret a vero eum ab hujus Constituti architecto episcopum credi potuisse, quam a Columbano aliisque cyclum eumdem non sine stomacho respuentibus. Quod si ita est, inficieri nemo potest medio sæculo* VI *posterius non esse hoc Constitutum. Alia jam ratione in præfatione generali* § 3 *in Symmachi papæ tempora convenire probavimus.*

MENTIO

DE ALIO CONCILIO ROMANO QUOD ETIAM ROMÆ ANTE DUO PRÆCEDENTIA SUB SYLVESTRO PAPA HABITUM EST.

(*Conc. t.* I, *col.* 1490, *ed. Lab.*).

Hoc concilio Romæ in præsentia Constantini imperatoris celeberrima illa disputatio inter Judæos et Silvestrum habita est, qua ad instantiam imperatoris ac matris illius Helenæ, utrimque viri doctissimi convenerunt eo fine, ut scripturis simul et miraculis singularum partium defensores suæ religionis veritatem probarent ac manifestarent. De cujus eventu acta Silvestri, quæ ab Hadriano Romano pontifice ad Carolum Magnum scribuntur 3 epist. his verbis citata reperiuntur. *In ipsis exordiis Christianorum, cum ad fidem converteretur imperator Constantinus, mater sua Helena Augusta ad eum cum duodecim scribis, et pharisæis, ac magistris, et principibus Judæorum in urbem Romam venit, et ipsa una cum filio suo Constantino Augusto, concilium Judæos cum Christianis facere censuerunt. In quo præsidens sanctus papa Silvester cum plurimis sanctissimis episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram scripturam quam per miracula Domino protegente* (Cratonis philosophi, et Zenophili v. c. quos ad id elegerant, arbitrio) *victores effecti sunt.* Hæc prolixius acta Silvestri, quorum ante Gelasium tanta fuit auctoritas, ut et Romæ et in multis aliis ecclesiis legerentur, imo etiam post Gelasium ab Hadriano pontifice præd. epist. 3 ad Carolum Magnum, velut authentica citata fuerint. Prout vero eadem hodie extant, pluribus mendaciis quæ aliunde irrepserant, scatent. Nam quod referunt, Constantinum ante Helenam Christianum fuisse: Constantium et Constantem Cæsares Augustos hoc tempore in oriente degisse: Isaac apud Judæos summum pontificatum administrasse: Helenam ex Bithynia oriundam fuisse: jejunium sabbati per Sylvestrum abrogatum; diem dominicum per eumdem institutum; ipsumque Silvestrum pontificem a Melchiade ordinatum fuisse; aliaque plura a veritate omnino aliena esse, præterquam quod id pulchre ostendat Baron. anno 315, num. 12, et sequentibus, etiam ipsi canones apostolorum, et notæ quas ibi conscripsimus, aperte demonstrant.

Constantino et Licinio quartum consulatum agentibus, anno nimirum Christi 315, qui est Silvestri secundus, et Constantini decimus, hunc conventum celebratum fuisse, acta Silvestri, et lex 1 de Judæis C. Theodos. his consulibus consignata testantur. Cum enim hac disputatione confusi, non tantum Christianis contumelias et graves injurias inferrent, verum in ipsum etiam imperatorem seditionem concitarent ad injuriam a Christianorum capitibus propulsandam, allegata lege adversus illos promulgata constituit, ut si cui suæ sectæ desertori Christiano lapidibus, aut alio immani supplicio molesti essent, statim flammis dederentur. Ut vero rebellionem et seditionem eorum compesceret, seditiosos, auriculis eorum amputatis, corporique illorum signo impresso, velut mancipia fugitiva et verberones per omnia loca circumducebat. Chrysostomus, orat. adversus Judæos, hom. 2; Baron. prædicto anno, num. 9 et 10.

Censura epistolæ sequentis.

(*Const. App., p.* 35).

I. *Epistolam* VII *Cornelii nomine confictam, in bibliotheca Floriacensi excipit sequens nihilo majoris auctoritatis. Quippe iisdem verbis constat, quibus epistola I Zosimi papæ, vocum* Arelatensis *et* Patrocli *loco*, Viennensis *et* Paschasii *nominibus substitutis, ac pro iis, quæ Zosimus cap.* 1 *et* 2 *explicat, adjectis quæ num.* 2 *continentur. Aut igitur hæc Silvestri, aut illa Zosimi falsa dicenda est. Atqui veritatem epi-*

Digitized by Google

stolæ I Zozimi probant non modo ejusdem pontificis aliæ duæ, septima scilicet atque decima, quibus idem dandarum formatarum jus Patroclo Arelatensi episcopo asseritur, sed et aliæ plures successorum Zozimi ad successores Patrocli confirmant. Etiammum quippe habemus Symmachi papæ ac Vigilii epistolas, in quibus id juris more decessorum suorum Cæsario, Auxanio et Aureliano Arelatensibus episcopis concessisse se testantur. Alterius epistolæ Zozimi ad Simplicium Viennensem episcopum infra loco suo subjiciendæ architectus, quem non alium ab artifice hujus ipsius suspicamur, litterarum a Zozimo in Arelatensis episcopi gratiam scriptarum veritatem ultro admittit. Immo huic papæ ignotam ponit hanc Silvestri, quam tamen exscribere nequiit Zozimus, nisi eam præ oculis habuisset. Et vero dum ista Zozimi epistolæ I verba, Hoc autem privilegium formatarum fratri et coepiscopo nostro Patroclo, meritorum illius speciali contemplatione concessimus, *cum his conferimus epistolæ Silvestri*, Hoc autem privilegium formatarum fratri et coepiscopo nostro Paschasio et POSTERIS EJUS meritorum illius speciali contemplatione concessimus, *ibi non Zozimum Silvestri verba exscribentem, sed pseudo Silvestrum Zozimi sententiam putide interpolantem deprehendimus. Quid enim sibi vult istud* et posteris ejus? *Num de Paschasii natis ac nepotibus ejus hoc dictum est? Dixisset sane Silvester* et successoribus ejus. *Sed nec dicendum ipsi fuerat* meritorum illius speciali contemplatione, *si privilegium idem ad Paschasii successores attinere voluisset. Mittimus quod hujus successorum nullus eo usus esse legitur; quod in controversia, quæ Arelatensem inter et Viennensem ecclesiam de sedium suarum privilegiis tanto partium studio exarsit, nulli unquam vel Romano vel Viennensi antistiti venit in mentem, ut hanc Silvestri epistolam memoraret; quod Zozimus formatarum privilegium Patroclo largiens, perinde loquitur, ac si nulli antea in Gallia tributum certo sciret; quod denique idem privilegium aliis Patrocli successoribus concessum esse constet.*

II. *Præterea codici canonum ante annos 800 exarato, quem celebre monasterium Morbacense diœcesis Basileensis asservat, insertum legimus privilegium seu privilegii partem cum hoc titulo:* Incipit constitutio apostolicæ sedis. Silvester episcopus universis episcopis per Gallias et septem provincias. *Tum subjicitur epistolæ I Zozimi papæ totum caput* 1, *nisi quod in hoc codice* metropolitani Austudunensis, *loco* metropolitani Arelatensis, *et* Retitio *pro* Patroclo *substitutum est. At Augustodunensi episcopo* metropolitani *nomen nunquam, nedum Retitii ævo, concessum legimus. Nam Gregorius, postquam Syagrio pallii concessit usum, hoc eum maximi beneficii loco habere voluit,* quod hoc etiam, *inquit*, pariter prospeximus concedendum, ut metropolitæ suo per omnia loco et honore servato, ecclesia civitatis Augustodunæ... post Lugdunensem ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum ac ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vindicare. *Unde non semel contigisse apparet, ut ii qui privilegiorum alicujus ecclesiæ antiquitatem persuadere ambiebant, privilegium Zozimi Patroclo indultum sibi imitandum proponerent. Porro hujus integritatem ipse probat codex Morbacensis, dum post primum ejus caput ea quæ diximus ratione ad Silvestrum papam et Retitium Augustodunensem accommodatum, reliqua duo Zozimi epistolæ capita subjicit, non jam Retitio, sed ipsimet Zozimo, sive ut ibi corrupte pingitur,* Ozimo *inscripta.*

EPISTOLA

DE FORMATIS AB EPISCOPO VIENNENSI ACCIPIENDIS. QUÆ SINT PROVINCIÆ SEPTEM AD VIENNENSEM ECCLESIAM PERTINENTES.

(Inaidem).

Silvester papa universis episcopis per Gallias et per septem provincias.

1. Placuit apostolicæ sedi, ut si quis de qualibet Galliarum parte, sub quolibet ecclesiastico gradu, ad nos venire contendit, vel (1) ad alia terrarum loca ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi metropolitani (2) Viennensis formatas acceperit, quibus sacerdotium suum vel locum ecclesiasticum quem habet, scriptorum ejus adstipulatione (3) perluceat. Quod ea gratia statuimus, quia plurimi se episcopos, presbyteros sive ecclesiasticos simulantes, quia nullum documentum formatarum exstat, per quod valeant confutari, in nomen venerationis irrepunt, et indebitam (4) venerationem promerentur. Quisquis igitur, fratres charissimi, prætermissa (5) supradicta formata, sive ille episcopus sit, sive presbyter, sive diaconus, aut (6) in inferiori gradu constitutus, deinceps ad nos venerit; sciat se suscipi omnino non posse. Quam auctoritatem ubique non misisse manifestum est, ut cunctis his regionibus innotescat, id quod statuimus omnem in modum esse servandum. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare (7) præsumpserit sponte sua, se a nostra noverit communione discretum. Hoc autem privilegium formatarum fratri e coepiscopo (8) Paschasio et posteris ejus, meritorum illius speciali contemplatione concessimus (9).

2. Provinciæ vero septem ad Viennensem ecclesiam pertinentes, sicut Romanus catalogus testatur, hæ sunt, Viennensis prima; Narbonensis prima, quæ est secunda; Narbonensis secunda, quæ est Aquis, tertia; Aquitanica prima, quæ est Biturix, quarta; Aquitanica secunda, quæ est Burdegala (*Add.* quinta); Novempopulana quæ est Auxia, sexta; atque Alpes maritimæ, quæ est Ebrodunum, septima. Valete.

(1) Apud Zozim. *alia ire.*
(2) In ms. Morbac. *Austudunensis.* Apud Zozim. *Arelatensis.*
(3) Morbac. ms. cum Zozim. *perdoceat.*
(4) In iisdem libris *reverentiam.*
(5) Zozim. *prædicti.* Morbac. ms. *supradicti.*
(6) In Morbac. ms. *ac deinceps in inferiore gradu sit, ad nostra.* Zozim. *aut deinceps in inferiori gradu sit, nos.*
(7) Morbac. ms. cum Zoz. *tentaverit.*
(8) Apud Zozim. *Patroclo.* In ms. Morbac. *Retitio,* ac subinde *specialiter* pro *speciali.*
(9) In ms. Morbac. constitutio Silvestro attributa hic clauditur his verbis: *Bene valete feliciter.*

Digitized by Google

ANNO CHRISTI CCCXXXIV.

SANCTUS MARCUS PAPA.

PROLEGOMENA.

§ 1. — VITA MARCI PAPÆ.

Ex Labbæo, tom. II *conc. p.* 467.

Marcus natione Romanus ex patre Prisco, sedit annos duos, menses octo, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Constantini Augusti, et Nepotiani ac Secundi (*al.* Facundi) consulum, ex die kalendarum februariarum, usque in diem kalendarum octobris. Hic constituit, ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum urbis, tunc pallio uteretur, et ab eodem episcopo urbis Romæ consecraretur. Et constitutum de omni ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit; et aliam in urbe Roma, juxta Palatinas. Ex hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam (cœmeterium) constituit via Ardeatina, fundum rosarum, cum omni agro campestri, præstantem solidos quadraginta. In basilica in urbe Roma obtulit hæc: patenam argenteam, pensantem libras triginta, amas

NOTÆ SEVERINI BINII.

Marcus. Anno Christi 336 qui est Constantini trigesimus primus, post interregnum quindecim dierum, in locum Silvestri pontificis pie sancteque defuncti, Marcus natione Romanus subrogatus fuit. Hujus pontificatu ingenti Eusebianorum motu concussa est Ecclesia. Athanasius quasi minatus fuisset se impediturum, ne quid frumenti Alexandria Constantinopolim deveheretur, nova calumnia exagitatus, ac de novo crimine læsæ majestatis per falsos ac subornatos Eusebianæ factionis testes convictus, ab imperatore inaudita causa magno omnium catholicorum luctu ac mœrore in Galliam relegabatur: quem Maximinus episcopus, non ut profugum vel exulem, sed ut confessorem de impietate triumphantem Treveris excepit, eumque ut egregium fidei athletam magno in honore habuit. Unde, quod aiunt, ipsum in puteo latitantem symbolum conscripsisse, fabulosum esse constat. Post relegatum Athanasium, Ariani de Ario Alexandrinæ urbi restituendo supplicantes, ejus restitutionem impetrarunt quidem; verum ille quantumvis litteris Eusebianorum et imperatoris communitus fuisset, ab Alexandrinis civibus, eo quod a catholica fide alienus esset, urbis ipsius aditu prohibitus Constantinopolim rediit: ibique in conventu malignantium, occasione Marcelli Ancyrani, ut infra dicemus, congregato, sese imperatori sistens, de fide interrogatus, verbo et scripto fidem catholicam, per summam simulationem juratus profitetur. Alexander Constantinopolitanus episcopus dum eum contra mandatum imperatoris in Ecclesiæ communionem recipere nollet, violenterque ingerendum metueret, ipse una cum plebe jejunii et orationum studio insistens a Christo impietatis Arianæ vindice impetravit, quod dum Arius magno fastu Eusebianorum ad ecclesiam deducebatur, exonerandi alvum necessitate ad locum secretiorem declinare compulsus, una cum excrementis viscera divino miraculo effundens, misere interierit. Ad hunc modum Ariana hæresi divinitus condemnata, plurimi ex iis, qui ante decepti erant, conversi sunt: ingens timor et exanimatio Eusebianæ factioni incussa est, fama rei per universum fere orbem divagata. Imperator tanto prodigio commotus, Arianos et Eusebianos, quos hactenus Nicænæ fidei acerrimos defensores, et disciplinæ ecclesiasticæ fidelissimos custodes, ipsorum dolis, fraudibus, ac simulata pietate male persuasus existimavit, plane detestatus est: et Athanasium, quem calumniis Arianorum circumventum temere in exilium relegaverat, ipse, prout constituerat, ab exilio revocasset, si non morte præventus fuisset. Hæc ex Athanasio, Ruffino, Socrate et Sozomeno, Baronius anno 336, num. 2, 3, 4, et multis sequentibus.

Sedit annos duos, menses octo, dies viginti unum. Mensibus novem minus novem diebus sedisse patet ex Baronio appendice tomi x. Hoc est quod Hieronymus in chronico disertis verbis ait, ipsum octo mensibus tantum sedisse. Et Sozom. l. II, c. 19, ipsum ad exiguum tempus sedem tenuisse. Imo ipsius auctoris libri pontificalis testimonio constat, Julium Feliciano et Maximo consulibus, anno nimirum Christi 337, sedere cœpisse: quomodo igitur Marcus pontificatum suum Nepotiano et Facundo consulibus anno Christi 336 auspicatus, ultra biennium sedisse potuit? Marianus Scotus, Onuphrius aliique plures ex recentioribus hanc nostram sententiam recte sectati, auctorem libri pontificalis deseruerunt. Baronius, anno prædicto num. 61.

Secundi consulum. H. legit secundo, sive iterum, consulis.

Ex die kalendarum februarii. Si pridie kalendas januarias anni Christi 335 Silvester Romanus pontifex sancte in Domino obdormivit, et inde usque ad initium pontificatus Marci cessavit episcopatus diebus quindecim, ut asseris in vita Silvestri, quomodo ejusdem Marci initium ad kalendas februarias differtur?

Usque in diem kalendarum octobris. Septima die mensis octobris, qua anniversaria ejus natalis memoria ex antiquiore usu in Ecclesia agitur, diem suum obiisse, probabilius est. Baronius prædicto loco.

Hic constituit ut episcopus Ostiensis. Consuetudo illa, qua Ostiensis episcopus Romanum episcopum consecrare solet, hoc tempore antiquior esse videtur: nam Dionysius papa a Maximiano Ostiensi episcopo consecratus fuisse legitur. Sanctus Augustinus in breviculo collat. diei 3, cap. 16, agens adversus Donatistas, hujus ritus tamquam vetustissimi meminit. Baronius.

Pallio uteretur. Pallium aliter canone 12 Gangrensis concilii, aliter hic accipitur. Ibi enim sumitur pro veste qua utebantur illi, qui vitam austeriorem monasticam professi, carni et mundo renuntiaverant, ut patet ex notis ibidem conscriptis: hic vero sumitur pro indumento et insigni simili pontificis Romani,

Digitized by Google

argenteas duas, pensantes singulas libras viginti ; scyphum argenteum unum, pensantem libras decem; calices ministeriales argenteos tres, pensantes singulos libras duas; coronam argenteam pensantem libras decem; fundum Antonianum via Clodia, præstantem solidos triginta; fundum Baccanas (*al.* Vaccanas) via Appia, præstantem solidos quadraginta et tremisses (*al.* trimisios) duos; fundum Morrea (*al.* Orrea) via Ardeatina, præstantem solidos quinquaginta quinque et tremissem (*al.* trimisium unum). Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem decembrem, presbyteros viginti quinque, diaconos sex, episcopos per diversa loca viginti septem. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, quod ipse constituens fecit pridie Nonas (*al.* secundo Nonas) octobris, et cessavit episcopatus dies viginti.

§ II. — QUANDO ET QUAMDIU SEDERIT.

(*Ex D. Constant.*)

Hujus papæ initia ac mors in Bucheriano catalogo sic designantur : *Marcus menses* 8, *dies* 20. *Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo consulibus, ex die* 25 *kalendas februarias, usque in die nonarum octobrium consulibus suprascriptis*, hoc est anno 336, Januarii 18 die, quæ Dominica erat, pontificatum iniit, et eodem anno, Octobris 7 die, quo etiamnum memoria ejus in Ecclesia recolitur, ad superos abiit. Hic fidem suam libri pontificalis artifex manifeste prodit, cum Bucherianum catalogum negligenter exscribens in hunc modum, *Fuit temporibus Constantini Augusti, et Nepotiani ac Secundi consulum, ex die kalendarum februariarum usque in diem kalendarum octobris*, Marci pontificatum ad nullum mensem decembrem pervenisse ponit; ac nihilominus eum subjicere non puduit : *Hic fecit ordinationes duas per mensem decembrem, presbyteros* 25, *diaconos* 6, *episcopos per diversa loca* 27.

§ III. — DE DECRETO IPSI ATTRIBUTO.

(*Indidem*).

Marci nulla, nisi quæ Isidorus Mercator commentus est, scripta novimus; alii tomo servanda. Si tamen libro pontificali habenda fides, constituit ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Urbis, tum pallio uteretur, et ab eodem episcopus urbis Romæ consecraretur. *Ostiensis quidem episcopi privilegium, quo Romanum pontificem consecrat, antiquum esse, testis est Augustinus in Breviculo Collat. cum Donat.*, n. 29, *ubi memoratur consuetudo*, ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum ecclesiæ Carthaginensis ordinent, sicut nec Romanæ ecclesiæ ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus. *Verum cum* pallii *eo intellectu, quo hic usurpatur, nulla in sinceris monimentis ante Symmachum papam mentio occurrat, hoc decretum jure suspectum, immo et suppositilium videatur. Quamvis enim ornamenti hujus usum Symmacho papæ primum attribuere nolim, altum tamen de illo in tot decessorum scriptis silentium maximo argumento est, non longe antea nonnullis episcopis singulari quodam privilegio concedi cœpisse.*

NOTÆ SEVERINI BINII.

quo summus honor et plena ejus potestas significatur: quodque ab eodem metropolitanis episcopis aliquando ob causas arduas et rationabiles impartiri solitum fuit. Hoc alias appellatur Phrygium, fortasse ideo, quod Phrygiorum opere crucibus contexi soleret. Baron., anno 336, num. 63, Phrygium Cyrillo Alexandrino, cum vices pontificis in concilio Ephesino sustineret, a Cœlestino pontifice Romano collatum fuisse, ipsumque illud in concilio Ephesino et in sacris solemnibus more Romani pontificis usurpasse scribunt Theodorus Balsamon in Nomocanonem, Photius; tit. 8, c. 1; Baron. anno 430, num. 26. Quod asserit Hieronymus Rubeus, Joanni ejusque successoribus Ravennatis ecclesiæ archiepiscopis, privilegio Valentiniani imperatoris usum pallii concessum fuisse, ipsorum archiepiscoporum confessione, apud Greg., lib. II, epist. 54, extante, diluitur, qua usum pallii non imperatori, sed Romano pontifici acceptum referunt. Edictum quod Hieronymus prætexit, commentitium esse et a schismaticis confictum ostendit Baronius anno 432, num. 92, 93, 94 et 95.

Tempore jejunii usus pallii prohibitus fuisse videtur ex epist. 54, lib. II, Gregorii papæ, qua adversus Joannem Ravennatem jure expostulat, quod tempore jejunii per plateas et vias pallium gestaret. Baronius, anno 451, num. 63. Adde pallii nomine omne operimentum in rebus sacris significatum fuisse, ut lib. II, epigr. 3, declarat Venantius Fortunatus, ubi vela oblata sanctæ cruci pallia nominat. Vide Baronium anno 336, num. 64.

Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem. Hæc qua fide auctoris scripta sint, patet ex præcedentibus.

SCRIPTA DUBIÆ AUCTORITATIS.

EPISTOLA (1) SANCTI ATHANASII ET ÆGYPTIORUM EPISCOPORUM AD MARCUM PAPAM.

(*Conc. t.* II, *col.* 466, *ad. Labb.*).

De numero canonum Nicænorum pro exemplaribus Nicæni concilii, quia Ariani eorum exemplaria incenderant.

Domino sancto et apostolici culminis venerando sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis atque universalis ecclesiæ papæ, Athanasius et universi Ægyptiorum episcopi.

Ad vos pervenisse non dubitamus, quanta et qualia ab hæreticis, et maxime ab Arianis quotidie patimur: quoniam intantum ab eis persequimur, ut etiam vivere jam nos tædeat. Nam instanti tempore subito et insperate in nos irruentes, nosque juxta præceptum Domini qui ait : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.*, X), fugiendo propter cladem populi eos declinantes, nos comprehendere non valuerunt, sed omnia depopulati sunt. In tantum enim nostra vastaverunt (1), ut nec libros, nec vestimenta ecclesiastica, aliaque ornamenta, nec reliqua

(1) Hæc Mercatoris merces Bar. Bell. aliisque peritis catholicis merito suspectæ et suppositæ visæ sunt. nec Binius ipse diffitetur, Baronianis rationibus oppressus.

(1) Contigerunt ista sub Liberio, an. 355.

Digitized by Google

utensilia nobis dimitterent. Libros vero nostros usque ad minimum incendentes, nec iota unum relinquentes, propter veritatis fidem, etiam Nicænam synodum, qua modo clerus et populus imbuebatur, et maxime jam imbuti erant, in contumeliam nostram et omnium christianorum incenderunt. Quapropter precamur, pater beatissime, quia non dubitamus apud vos plenaria esse Nicæni concilii exemplaria, ut nobis illa, quæ sanctæ recordationis prædecessoris Silvestri fuerunt, sub tuta mittatis stipulatione. Nam quando prædictæ synodo cum beatæ memoriæ Alexandro, digno Deo pontifice nostro, id est, Alexandrinæ magnæ civitatis episcopo, in diaconatus interfuimus officio, sub nostræ præsentiæ testimonio, per beatos viros Victorem et Vincentium presbyteros, apostolicæ sedis apocrisiarios, missa sunt prædicto papæ Silvestro cum adstipulatione subnexa (1) capitula septuaginta. Sane præsentibus nobis octoginta capitula in memorata tractata sunt synodo, scilicet quadraginta a Græcis, græca edita lingua, et quadraginta a Latinis, similiter latina edita lingua. Sed visum est 318 patribus, Sancto Spiritu repletis, in prædicto concilio congregatis, et maxime jam dicto Alexandro et apostolicæ sedis apocrisiariis, ut decem capitula adunarentur aliis, atque congruis locis insererentur; et ad formam septuaginta discipulorum, vel potius totius orbis terræ linguarum, septuaginta tanti et tam excellentis concilii fierent capitula, quæ omnem christianorum informarent orbem, et omnes sub sacerdotali et christiano nomine degentes una fides et una sacerdotalis atque clericalis regeret norma, nec quisquam a suo (*S. Leo, ep.* 84) dissideret capite. Nunc ergo quia (ut prædictum est) ab inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ, et maxime ab Arianis, a quibus quotidie expugnamur, conterimur et opprimimur, præfata septuaginta Nicæni concilii capitula, quæ de præfata synodo jam facta, jubente Domino meo Alexandro, decreto omnium episcoporum attuli, quæ etiam coram omnibus recitavi, atque transcripsi, sunt igne combusta; optamus ut a vestræ sedis auctoritate, quæ est mater et caput omnium ecclesiarum, ea ad correctionem et recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi a memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris evadere, nobisque commissos eruere valeamus. Vere novimus (*conc. Rom. sub Greg. II, ann.* 721) apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus instantum esse accensum, ut omnibus oppressis succurratis : quanto magis nobis, qui licet exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes cum omnibus nobis commissis et sumus et semper esse volumus. Ideo decet, et oportet vos nobis hæc quæ rogamus, et alia quæ necessaria (juxta sapientiam, quam vobis præstitit Altissimus) esse cognoveritis, absque tarditate præstare, ut tantæ miseriæ squalores a fidelium mentibus detergantur, et quasi vulnus corpori infixum, auditu tantæ miseriæ oberato (1), salutari curetur antidoto, ut divino freti juvamine, vestraque auctoritate atque auxilio roborati, adversantium tergiversationes evadere valeamus, atque inconcusso vultu, non fraude cujusquam perculsi, assistere æterno judici mereamur, et vocem audire inquientem : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Et subscriptio. Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum longævis Dominus conservet temporibus (*Joan.* II *pap. ad Justinianum*).

(1) Legendum *subnixa*, ut ex mediæ ætatis innumeris diplomatis constat.

RESCRIPTUM MARCI PAPÆ
AD ATHANASIUM ET OMNES EPISCOPOS ÆGYPTIOS.
(*Indidem*).

De missione capitulorum Nicæni concilii,

Dominis venerabilibus fratribus Athanasio, et universis Ægyptiorum episcopis, Marcus sanctæ Romanæ apostolicæque sedis, et universalis Ecclesiæ episcopus.

Doleo, fratres, et nimium contristor super afflictione vestra, sed oppido consolor, quod vento agitata non estis arundo (*Matth.*, II), sed recti in fide inter omnes procellarum et turbinum colluctationes

(1) Aditu tantæ miseriæ obserato, ut habet ms. c. Justelli.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Rescriptum. Epistola Marci ad sanctum Athanasium episcopum Alexandrinum, et ad cæteros Ægypti episcopos, Nepotiano et Facundo consulibus, 10 kalendis novembris scripta legitur, cujus argumentum ex epistola Athanasii aliorumque ejusdem provinciæ episcoporum ad eumdem Marcum intelligitur hoc fuisse; nempe Ægyptios dira Arianorum persecutione vexatos, inter alia Nicænorum canonum, qui una cum omnibus aliis libris ad iisdem incensi fuerunt, exemplar a Romana ecclesia iisdem datis ad Marcum papam litteris postulasse. Quibus quidem litteris, tum Marci, Nicænorum canonum numerus definitur, nimirum ab eadem magna synodo statuta fuisse septuaginta, secundum, ut aiunt, numerum discipulorum, capitula. Baronius, num. 58. Hanc surreptitiam et ab aliquo confictam fuisse quinque rationibus evidenter ostenditur. Quarum prima hæc est : quod in controversia inter Africanam ecclesiam et Romanos pontifices Zosimum et Bonifacium agitata, de numero Nicænorum canonum, hæc epistola illis nequaquam cognita fuerit. Secunda, quod Anathasius, ut ex præcedentibus constat, hoc tempore in Galliis exulaverit, adeoque hac de re ad Romanum pontificem Alexandria scripsisse non potuerit. Tertia, quod grassatio illa in Alexandrinam ecclesiam multis annis post hæc tempora sub Constantio contigerit, quando nimirum Athanasio expulso Gregorius quidam Arianus in locum ejus ordinatus est, ut testatur Athanasius in epistola ad omnes orthodoxos. Quarta, quod Marcus nonis octobris hujus anni Constantino imperatore adhuc vivente defunctus fuerit : ideoque non possit non suspectum esse de fide quod 10 kalendas novembris Nepotiano et Facundo consulibus hanc epistolam scripsisse legatur. Quinta. Si Marcus papa exemplum

Digitized by Google

incessanter perduratis. Lectis ergo (*S. Leo, epistol.* 85) fraternitatis vestræ litteris, vigorem constantiæ vestræ, quem olim noveramus, agnovimus. Congratulantes vobis, quod ad custodiendum Christi gregem, pastoralem curam vigilanter insequimini, ne lupi, qui sub specie ovium, subintrarunt, bestiali sævitia simplices quosque dilacerent, qui non ad hoc subintrarunt ut aliqua correctione proficiant, sed ut ea quæ sunt sana corrumpant. Quapropter moneo, et hortor dilectionem vestram (*idem S. Leo, ep.* 2), ut bonum quod incepistis adminiculante divina gratia usque in finem perducere satagatis, veritatis voce monente : *Beatus qui perseveraverit usque in finem* (*Matth.*, XXIV). Unde enim beata perseverantia, nisi (*S. Leo, ep.* 92) de virtute patientiæ ? Nam, juxta Apostolum : *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur* (II *Timoth.*, III). Quæ non in eo tantum computanda est, quod contra christianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis, cum persecutionum sævitiam suppleant, et dissimilitudines morum, et contumaciæ inobedientium, et malignarum tela linguarum, quibus conflictationibus communia semper membra pulsantur, et nulla piorum portio conflictatione sit libera, ita ut nec periculis nec otio careant, nec labore. Nam hæc et omnia incrementa (*Cælest.* I, *ep. ad Gallos, c.* 11) probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantia, atque bonæ voluntatis incrementa, ad Christi gratiam semper sunt referenda : ut in omnibus quæ agimus Deus omni perfecte laudetur tempore.

De capitulorum namque veritate et numero Nicæni concilii, cui vos interfuisse litteris vestræ fraternitatis significastis, a nostris, qui vobiscum una interfuerunt, diligentioribus requisivimus collocutionibus, qui ita ut vestræ testatæ sunt litteræ, omnem nobis ordinem exposuerunt, et vestram epistolam per omnia veram esse testificati sunt : non ut nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitremur. Sed nos et vos, illosque absque ulla in posterum titubatione unum sentire optaremus, et sancta romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, et Domino providente, et beato Petro apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine ulla hæreticorum insultatione, firma et immobilis omni tempore persisteret. His itaque peractis, diligenter requirentes in sancto nostræ et apostolicæ sedis scrinio, eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Silvestro sunt directa, septuaginta (sicut significastis) capitula illæsa invenimus. Ipsa enim vobis propter auctoritatem et subscriptionem tantorum patrum, et ejus magni concilii, minime misimus, sed pro eisdem coram apocrisiariis vestris alia similia, eumdem numerum, eademque verba, et ipsam subscriptionem continentia, vobis rescribere, et sub certa stipulatione et confirmatione mittere curavimus. Et quis est, qui fratribus suis talia (*Attici, ep. CP. ad PP. Africanos*) negare audeat ? Nam non negligenda nobis hæc per sancti Spiritus gratiam Dominus docuit, sed fideliter exercenda, et fratribus contradenda, et docenda distribuit. Hæc apostolorum viva traditio (*Agathu ad Const. Aug., act.* IV *concilii* VI *generalis*), hæc est vera charitas, quæ prædicanda est et præcipue diligenda ac fovenda, atque fiduciaIiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentiß Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticorum novitatibus depravanda succubuit, sed ut in exordio normam fidei christianæ percepit ab auctoribuis suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est evangeliis : *Petre*, inquiens (*Luc.* XXII), *ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum : Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Consideret itaque vestra excellens prudentia, quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita, et in fide recta, atque hæreticis et æmulis Christi repugnare, et numquam a veritatis tramite declinare, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, et proprio nos suo redemit sanguine, qui fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit. Quod apostolicos pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum, quorum et pusillitas mea, licet impar sit, et infirma, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedisequa cupit existere. Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Domini Jesu Christi, quam apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus. Væ etiam erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummulariis jubemur, id est, christianos populos imbuere et docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonis ejus veritatem confundimur prædicare ? Quid erit de nobis, cum de commissis nobis animabus, et de officio suscepto, rationem justus judex Christus Deus noster districtam exegerit ? Ideó, fratres, hortor (*S. Leo, ep.* 2) dilectionem vestram, obtestor et

NOTÆ SEVERINI BINII.

misisset ad Alexandrinos ex Romano scrinio, certo convenissent deinceps inter se exemplaria Romanum et Alexandrinum : quomodo ergo in exemplari a sancto Cyrillo ex Alexandrino ad Africanos misso, isti tres canones de appellationibus deerant, qui in Romano inveniebantur. Idem igitur qui, ut bene consuleretur assertioni Zosimi et Bonifacii de Nicæno canone extra numerum vicenarium allegato, epistolam illam Bonifacii papæ ad Eulalium episcopum Alexandrinum de restituta communione ecclesiæ Africanæ confinxit, has easdem Marci ad Athanasium, et Athanasii ad Marcum confluxisse et conciunasse putatur Baron. anno 336, num. 59 et 60. Bellarminus, lib. II de Rom. pont. c. 25.

Digitized by Google

moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigi- A letis ad investigandos hæreticos, et inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ, et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus extirpetis. Quoniam ut habebit a Deo dignæ remunerationis præmium, qui diligentius quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare, quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire. Data octavo kalendas novembris, Nepotiano et Secundo (1) viris clarissimis consulibus.

(1) Facundo anno 336. At jam obierat Marcus ipsis nonis octobris ejusdem anni. *Octobris* substituunt quidam et inter eos Sigonius lib. IV hist. occid. imp. ut fucum faciant.

ANNO CHRISTI CCCXXXVII-CCCLII.

SANCTUS JULIUS PAPA I.

NOTITIA HISTORICA, CRITICA ET LITTERARIA

IN SANCTUM JULIUM PAPAM.

§ I. — DE VITA JULII PAPÆ I.

Ex libro pontificali Damasi papæ.

Julius, natione Romanus, ex patre rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies 18. Fuit autem temporibus Constantii hæretici, filii Constantini, a consulatu Feliciani et Maximini. Hic post multas B tribulationes in exilio fuit mensibus decem, et post Constantii mortem, cum gloria reversus ad sedem beati Petri apostoli, fecit basilicas duas, unam juxta forum, et aliam via Flaminia; et cœmeteria tria, unum via Flaminia, aliud via Aurelia, et aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, ut nullus clericus

NOTÆ SEVERINI BINII.

Julius. Vigesima sexta die Octobris, anno Domini 336, qui est Constantini imperatoris ultimus, Julius, civis Romanus, pontificatum Ecclesiæ adeptus est. Cujus initio Constantinus imperator catholicæ et orthodoxæ fidei confessor e vita discedens, tres filios hosce, Constantinum, Constantium ac Constantem imperii sui hæredes reliquit; hoc iis moriturus præcipiens, ut Athanasium, quem non tam relegasset, quam sanguinolentorum hostium oculis ad tempus subtraxisset, tuto in pristinum locum ac dignitatem restituerent. Quam voluntatem patris Constantinus junior, Constantii permissu, executus fuit, ipsumque Athanasium cum reliquis exulantibus episcopis ac presbyteris sedibus suis et ecclesiis restituit. Quo facto, cum Ariani et Eusebiani hæresim suam succumbere viderent, non modo Athanasium novis calumniis onerarunt, verum etiam ipsam Nicænæ fidei formulam, omisso *Consubstantialis* nomine immutare, Ariique hæresim in ecclesiam introducere elaborarunt. Quod ut facilius expedirent, presbyteri alicujus Ariani, penes quem Constantinus magnus suasu sororis Constantiæ testamenti tabulas Constantio revertenti tradendas deposuerat, auxilio freti, principis ambitiosi gratiam et favorem impetrarunt, ac deinde catholicis episcopis, maxime vero Athanasio Alexandrinæ, Eustathio Antiochenæ, Paulo Constantinopolitanæ eccelesiæ episcopis bello atrocissimo indicto, cruenta tela et jacula in eos immittunt, calumnias novas comminiscuntur, habitisque desuper malignantium conventiculis, innocentes episcopos condemnatos sedibus suis exturbarunt, ac D tandem vel exilio vel morte truculenta eosdem interemerunt, et, quod fœdissimum est, Nicænæ fidei symbolum, *Consubstantialis* nomine expuncto, malitiose vitiárunt. Ad hanc injuriam a capite divini numinis et sponsæ illius Ecclesiæ propulsandam, Julius pontifex se talem exhibuit, ut omnis ejus pontificatus in fide Nicæna tuenda, et catholicis episcopis, maxime autem Athanasio, defendendis, consumptus fuerit. Quod patebit infra ex notis ad epistolas et concilia sub Julio habita.

Sedit annos 15, *menses* 2, *dies* 18. Qui anno Christi 352, pridie Idus Aprilis ex hac vita ad Dominum migravit, reperitur sedisse annis 15, mensibus 5, diebus 17. Ita Baronius, Vaticanos indices secutus, hic num. 1.

Quod Hieronymi chronic. Liberii ingressum referat in hunc annum, confirmat ea quæ paulo ante de Julii obitu diximus.

Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem. Julium pontificem pro exulibus episcopis, Athanasio, Marcello, aliisque pluribus restituendis, multos labores impendisse infra multis in locis patebit; ipsum vero aliquo tempore exilium sustinuisse, præter Platinam, errorem libri pontificalis sequentem, nemo, quod sciam hactenus, asseruit. Quod ait post obitum Constantii ab exilio liberatum fuisse, nequaquam sustineri potest: omnes enim, quotquot sunt scriptores Christiani, sicut ex et gentilibus Ammianus, aperte scribunt, vivente adhuc et imperante Constantio, Liberium Romanæ Ecclesiæ curam egisse, ac post multas exagitationes ab eodem in exilium relegatum fuisse. Quod si verum est, imprudens compilator advertat quomodo se ex hoc laqueo exerat. Ad annum Christi 350, magnus Ecclesiæ catholicæ et sanctorum præsulum patronus, terribilis Arianorum hostis, princeps integerrimæ fidei, exulantium ex Oriente episcoporum vindex, Constans imperator Occidentis imperium tenebat, non video qua ratione, hoc defensore adhuc superstite, Julius pontifex relegari potuerit. Post occisum Constantem imperatorem, Magnentius tyrannus cum Urbe toto occidentali imperio potiebatur; vel igitur auctore Magnentio Julium relegatum fuisse oportuit, quod nemo hactenus scripsisse legitur; vel concedendum est eumdem Constantii imperio nequaquam ab Urbe extractum, in regiones exteras amandatum fuisse. Vide Baron., anno 352, num. 2 et 3.

Digitized by Google

causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia, et ut notitia quæ omnibus fidem facit, per notarios colligeretur, et ut omnium monimentorum in ecclesia confectio per primicerium notariorum celebraretur, sive quod cautiones, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel colligationes, aut manumissiones clericorum in ecclesia per scrinium (scrutinium) sanctum celebrentur. Hic fecit ordinationes tres in urbe Roma per mensem decembrem, presbyteros octodecim, diaconos tres, episcopos per diversa loca novem. Qui etiam sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii, pridie Idus Aprilis (Augusti). Et cessavit episcopatus dies viginti quinque.

§ II. — QUANDO ET QUAMDIU SEDERIT.

(*Ex D. Constant.*)

In veteri codice Corbeiensi sedisse dicitur *annos* 25, *menses* 2, *dies* 8, in libro autem pontificali, *annos* 25, *menses* 2, *dies* 6. Ex quo libro corrigendum videtur quod in Bucheriano catalogo legimus; *Julius annos* 25, *mensem* 1, *dies* 11, maxime cum hanc correctionem postulent ista quæ in eodem catalogo subsequuntur : *Fuit a temporibus Constantini* (qui quarto post ordinationem illius mense obiit), *a consulatu Feliciani et Tiliani ex die* 8 *idus februarii in diem pridie idus aprilis Constantio V, et Constantio-Cæsare consulibus.* Quippe a *die* 8 *idus februarii* in diem *pridie idus aprilis*, non unus mensis ac dies 11, sed menses 2, ac dies 6 interjiciuntur. Unde conficitur Julium anno 337, februarii die sexta, quæ Dominica erat, fuisse ordinatum, atque anno 352, die duodecima Aprilis, qua et colitur, ad superos migrasse.

§ III. — DE EPISTOLIS, QUÆ AD JULIUM PAPAM ATTINENT.

(*Ex D. Constant.*)

I.

1. *Eusebianorum litteræ ad Julium.* — Anno 339 contigisse jam observavimus, ut Eusebiani Pistum Alexandriæ episcopum constituerent. Quo facto, Macarium presbyterum, necnon Martyrium et Hesychium diaconos, cum litteris ad Julium papam destinare non distulerunt. Eusebio uni, qui se Beryto Nicomediam, et inde Constantinopolim contra legem ac regulam, ut loquitur Alexandrina synodus, transtulerat, littéras illas Athanasius apolog. cont. Arian. n. 1, adscribit Εὐσεβίου γράψαντος. Qua in re cum eo consentiunt Socrates, lib. II, cap. 1, ac Sozomenus, lib. III, c. 7. Ipsi etiam suffragari videtur Julius epist. 1, n. 4, ubi Macarium cum Martyrio *ab Eusebio* (παρὰ Εὐσεβίου) missum scribit. Idem tamen Julius, ibid., n. 8, immo etiam Athanasius tum apolog. cont. Arian. n. 20, tum epist. ad Solit. num. 9, necnon Theodoretus, lib. II, cap. 4, de illis sic loquuntur, ut quæ non ab Eusebio uno, sed etiam a sociis ipsius conscriptæ fuerint. Ideo igitur Eusebio, quia partium dux et antesignanus erat, interdum sociis non memoratis, tribuuntur, licet eas ille non sine factionis suæ sociis miserit. Sardicensis synodus apud Hilarium fragm. II, n. 2, Julio Romano pontifici olim missas esse memorat litteras *scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Theognito, Ursacio et Valente*, quibus apud Theodoretum lib. II, cap. 8, *Menophantus et Stephanus* adjiciuntur.

2. *Quid iis contineretur.* — Scriptæ erant illæ litteræ, uti Sardicensis synodus apud Hilarium frag. II, n. 2, testatur, adversus Athanasium et Marcellum, necnon secundum ejusdem synodi epistolam, qualis ab Athanasio apolog. cont. Ar. num. 49, ac Theodoreto, lib. II, c. 8, exhibetur, adversus Asclepam Gazæ episcopum. Iisdem litteris, uti Athanasius loco mox citato n. 49, habet, *rogabant Eusebiani, ut synodus cogeretur, et ipse Julius, si vellet, judex foret.* Quod quidem Sozomenus, lib. III, c. 7, ita enuntiat : *Eusebius scripsit ad Julium, ut ipse judex esset eorum quæ contra Athanasium decreta erant Tyri.* Ubi certe in exprimendis Athanasii verbis desideratur scriptoris hujus fides. Si tamen Julii verbis epist. 1, n. 2, hæreamus, non Eusebius, non Eusebiani ipsi, sed eorum legati Martyrius et Hesychius synodum a Julio cogi petierunt. Hoc igitur illi non per seipsos, sed tantum per legatos suos postularunt. Sane mox laudatus Julii locus exigere videbatur, ut istud, si litteris suis rogassent ipsi, ab hoc pontifice non taceretur. At facilius largiemur Eusebianos prædictis litteris in id maxime incubuisse, ut Pisto a se recens ordinato communicatorias a Julio litteras obtinerent.

3. *Instrumenta a legatis allata.* — Præterea inquisitionum monimenta, quæ in Mareote adversus Athanasium adornata fuerant, a Martyrio et Hesychio allata fuisse Julius epist. 1, n. 10, memorat. Unde et alia gestorum similium documenta iisdem simul credita suspicamur.

II.

4. *Ægyptiorum ad Julium litteræ.* — Anno 340, non longe postquam Eusebianorum legati Romam advenissent, eodem accesserunt et Athanasii presbyteri. Nec ullus dubitaverit, quin et ipsi secum in præsulis sui gratiam litteras attulerint. Saltem Alexandrinæ synodi ex Ægypto, Thebaide, Libya et Pentapoli novissime congregatæ epistolam, quæ Athanasio teste apolog. cont. Arian. num. 20, *ad omnes episcopos et ad Julium episcopum Romanum* inscripta erat, Julio per hos presbyteros redditam esse prope est indubitatum. Et hanc quidem epistolam notare videtur Julius, epist. 1, n. 9 et 11, ubi a se acceptas esse memorat omnium episcoporum Ægypti et aliarum provinciarum pro Athanasio litteras. Neque de litteris aliis Hilarium fragm. 4, n. 2, loqui existimamus ubi ait : « Quales litteræ ex Ægypto omni atque Alexandria ad Julium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione, tales nunc ad Liberium... datæ sunt de tuenda. » Ipse Liberius epist. 4, n. 2, *octoginta episcoporum Ægyptiorum* litteras in Athanasii gratiam sibi scriptas memorat. Unde sequitur, ut si eis similes omnino fuerint quæ ad Julium antea missæ fuerant, hæ pariter ab octoginta episcopis conscriptæ sint. Certe non a pauciori

Digitized by Google

episcoporum numero scriptæ intelliguntur, quas ab omnibus Ægypti episcopis sibi missas Julius narrat. Ut ut est, certum est Ægypti aliarumque provinciarum episcopos ad Julium pro Athanasio scripsisse, ac Julio epistolam eorum ante fuisse traditam, quam Eusebianos aliosve Orientales ad synodum vocaret. Sed cum valde probabile sit, epistolam illam non aliam esse ac epistola Alexandrinæ synodi, quam Athanasius Apologiæ suæ contra Arianos initio totam inseruit, nihil est cur aliam quæramus. Quamvis autem, Athanasio teste, nominatim Julio inscripta sit; quia tamen nihil, quod huic pontifici peculiare sit, habet, eam hic referre supersedemus.

III.

5. *Julii ad Athanasium atque Eusebianos litteræ.* — Martyrius et Hesychius ab Eusebio et sociis ad Julium missi, cum Athanasii presbyteris obsistere non valuissent, a Julio postularunt, ut indiceretur synodus, ac litteræ ad Athanasium Alexandriam, necnon ad Eusebianos mitterentur, ut justum coram omnibus judicium posset proferri. His legatorum postulatis annuens Julius, ad Athanasium simul et ad Eusebianos circa anni 340 exitum litteras misit, quibus, ut loquitur Athanasius epist. ad Solitar. num. 9, *indicavit quo vellemus loco cogendam esse synodum, ut accusationes illi suas veras comprobarent, sibi vero illatas cum fiducia depellerent.* Ipse Julius quas tunc ad Athanasium litteras scripsit, epist. 1, num. 13, notat his verbis : « Non enim (Athanasius) suo motu, sed accersitus ac litteris nostris acceptis huc accessit, quemadmodum et vobis litteris nostris indicavimus. » Cum autem Athanasius anno 341, paulo post festum Paschæ, quod in 19 Aprilis diem incidebat, Alexandria Romam contendere cœperit, inde sequitur ut hæ Julii litteræ saltem ejusdem anni mensi Aprili redditæ illi fuerint. Neque ambigendum, quin eodem tempore similes acceperint et Eusebiani. Immo Theodoretus, lib. II hist. eccl., cap. 4, istud diserte docet, ubi ait : Julius ecclesiasticam legem secutus, et ipsos Eusebianos Romam venire jussit, et Athanasium ad causam dicendam evocavit. Et Athanasius quidem citationi obtemperans statim iter arripuit. » A quibusnam perlatæ sint illæ litteræ, nemo indicavit : conjectura tamen est, Julii ad Eusebium ac socios litteras Martyrio et Hesychio eorum legatis in Orientem redeuntibus, necnon eas quæ ad Athanasium aliosve Catholicos attinebant, ipsius Athanasii presbyteris fuisse traditas.

IV.

6. *Aliæ Julii ad eosdem Eusebianos litteræ et legatio.* — Cum igitur Athanasius Romam evocatus advenisset, nec Eusebii nomine quisquam compareret, novas eidem Eusebio ac sociis litteras Julius per Elpidium ac Philoxenum presbyteros suos misit. Hæ quidem cum prioribus confundi vulgo solent : sed utrasque Athanasius, si non fallimur, in epistola ad Solitarios aperte distinguit. Nam, num. 9, habet : « Romanus episcopus Julius litteris suis indicavit, quo vellemus loco synodum cogendam esse. » Tum, num. 10, Gregorii in Alexandrinam sedem intrusi adventum atque impia facinora enarrat. Ac demum, num. 11, narrationem sic prosequitur : « Athanasius porro, his nondum actis, ad primum rei auditum Romam navigavit, quod hæreticorum furorem probe perspectum haberet : ut etiam, prout statutum fuerat, synodus ibi celebraretur. Julius autem presbyteros Elpidium et Philoxenum cum litteris misit, tempusque illis præstituit, ut intra illud Romam se conferrent, aut scirent se in omnibus suspectos haberi. » Unde manifestum est Elpidii et Philoxeni ad Orientales legationem Athanasii in urbem adventu esse posteriorem; adeoque litteras, quas legati illi secum deferebant, ab iis distinguendas esse, quibus antea cum Athanasius, tum Eusebiani simul ad synodum fuerant vocati. Inde quoque colligere est, Julium prioribus litteris nec tempus, nec locum, quo synodus haberetur, præstituisse, sed quo convenire ipsis placeret, liberum permisisse; utrumque vero posterioribus ab eo fuisse definitum. Nisi forte dicamus, quod minus veri videtur simile, Julium postquam Eusebianorum legati ad Athanasium simul et ad Orientales scribi petiissent, primum Athanasio scripsisse soli, locum quo congregari synodum vellet, ipsius arbitrio permisisse, et postquam ille Romam advenisset, cum eo synodi locum ac tempus præfiniisse, idque missa in Orientem legatione, iis qui sibi prius adversus Athanasium scripserant, litteris significasse. Istud certum, Elpidium ac Philoxenum circa mensem junium anni 341, in Orientem profectos, Julii secum detulisse litteras, quibus is præsul Athanasium scriptis ipsius acceptis Romam venisse indicabat; eosque præstituto die ad synodum ibi habendam vocans, huic si deessent, in omnibus, de quibus accusarant Athanasium, suspectos fore denuntiabat.

V.

7. *Orientalium ad Julium litteræ querelarum ac minarum plenæ.* — Eusebius ac socii, cum Julii presbyteros Elpidium et Philoxenum ultra condictum diem, quo Romæ synodus habenda erat, hoc est *usque ad mensem januarium* anni 342 detinuissent, Antiochia, ubi in annum cum aliis nonnullis convenerant, vicissim ad Julium scripserunt epistolam, eamque prædictis ipsius presbyteris perferendam tradiderunt. Hanc Sozomenus in Sabini episcopi Macedoniani collectione vidisse merito videatur. Quare licet prævio in primam Julii epistolam Monito non pauca ab ipsomet Julio memorata jam ex ea legerimus, etiam hic quæ de eadem prædictus scriptor, lib. III, c. 8, summatim expressit, exhibere non abs re fuerit. Primo quidem notat epistolam illam « exquisita verborum elegantia et oratorio more fuisse compositam, plenam tamen cavillationis, nec expertem gravissimarum minarum. » Tum de illa hæc subdit. « Fatebantur Romanorum quidem Ecclesiam apud omnes magnificam esse, quippe quæ jam inde ab initio Apostolorum sedes (φροντιστήριον) et pietatis magistra ac metropolis exstiterit, licet fidei doctores ad eam ex Oriente advenissent. Non tamen æquum censebant idcireo se

Digitized by Google

inferiore loco haberi, quod magnitudine Ecclesiæ et multitudine superarentur : quippe qui virtute et animi proposito superiores essent. Deinde criminis loco objicientes Julio, quod cum Athanasio communicasset, indignabantur perinde ac si ipsorum synodus (*Tyri scil. habita*) contumelia affecta esset et sententia abrogata : idque facinus velut injustum et ecclesiasticis legibus absonum reprehendebant. His de rebus ita conquesti, pacem quidem et communionem Julio polliciti sunt, si dispositionem eorum qui ab ipsis fuerant expulsi, et ordinationem illorum qui priorum in locum substituti fuerant, admittere voluisset : sin autem decretis ipsorum resisteret, contraria denuntiabant. Nam et episcopos Orientis neutiquam contradixisse affirmabant tum, cum Novatianus Ecclesia Romana ejectus est. » Quibus addit Sozomenus : « De iis autem quæ gesserant contra decreta synodi Nicænæ, nihil ei rescripserunt, multas quidem se habere causas significantes, easque necessarias, quibus factum suum defenderent in præsentiarum vero superfluum arbitrantes earum rerum defensionem instituere, cum generaliter in omnibus injuste se gessisse arguerentur. » *Hanc autem epistolam anno* 342 *ineunte scriptam esse, ex verbis Julii, epist.* 1, *n.* 6, *conficitur.*

A

B

VI.

8. *An Julius in gratiam episcoporum ab Eusebianis ejectorum litteras scripserit quæ non exstent.* — Si Socrati, lib. II, c. 15, et Sozomeno, lib. III, c. 8, habenda fides, Athanasius, Marcellus, Paulus, Asclepas et Lucius episcopi, cum Julio causam exposuissent suam, obtinuerunt ab eo litteras, quarum auctoritate freti ecclesias suas occuparunt. Verum Athanasius nullam memorat epistolam in gratiam sui aut prædictorum episcoporum tunc a Julio scriptam, nisi quam pontifex iste iis, qui Antiochiæ convenerant, rescripsit. Si etiam propius inspiciatur atque expendatur tota Socratis et Sozomeni narratio, ei quidem nonnulla interniscuisse deprehendentur a rerum gestarum veritate aliena, sed eos non aliam a mox dicta Julii epistola ejusdem quarta præ oculis habuisse non latebit. Certe Athanasius non post Romanam synodum, anno 342 habitam, sed post Sardicensem, anno 347 celebratam, ad ecclesiam suam rediit. Idem et de aliis episcopis superius memoratis Sardicensis concilii gesta nos docent. Tunc vero Julius ad Alexandrinos epistolam, quam etiamnum habemus, in Athanasii gratiam scripsit. Sed idem ab ipso in aliorum episcoporum gratiam præstitum esse, nullo monimento compertum habemus. Neque vero par ei pro ipsis scribendi causa et occasio fuit. Socrates igitur ac Sozomenus tempora, quibus epistolæ Julii prima et quarta scriptæ sunt, non satis distinguentes, et ex eo quod idem pontifex in gratiam Athanasii ad ecclesiam illius scripsit, idipsum et in aliorum episcoporum gratiam simul præstitum esse arbitrati, narrationem contexuerunt, quam prorsus admittere vetitus non permittit.

C

D

VII.

9. *Julii ad Sardicensem synodum epistola.* — Anno 347, Sardicam mittens Julius legatos, ad episcopos ibi congregatos epistolam scripsit, qua se corpore licet disjunctum, concordi tamen cum iis mente ac voluntate adesse testificabatur : simulque absentiam inde excusabat suam, quod status ecclesiæ suæ, cui ab hæreticis, schismaticis ac blasphemis seu infidelibus periculum imminebat, longius recedere non patiebatur. Hanc epistolam ipsa Sardicensis synodus laudat.

VIII.

10. *Scripta Julio supposita ab Apollinaristis.* — Apollinaristæ plura Julii nomine confinxerunt scripta, ex quibus epistolam unam ad Dionysium, alteram ad Docium seu Prosdocium, necnon fragmentum sermonis de homousio tomi hujus appendix græce et latine repræsentat.

IX.

11. *Ab Isidoro Mercatore.* — Isidorum quoque merces suas Julii nomine vendere non puduit. Ex ejus nempe officina prodierunt Romanæ synodi sub Julio gesta, hujus papæ ad Orientales epistola, Orientalium ad eumdem litteræ, Julii demum ad ipsos Orientales rescriptum, in quo quatuor ac viginti canones Nicæni, præter viginti vulgatos, laudantur. Sed alii tomo ista servamus.

§ IV. — DE DECRETIS JULIO ATTRIBUTIS. (*Ex D. Coustant.*)

I. — 1. *Quid turpe lucrum.* — In editionibus conciliorum ex Gratiani et Ivonis compilationibus collecta sunt et alia decreta, quæ eidem papæ attribuuntur. Horum primum, quo quidem definitur eum *turpe lucrum sectari, qui minus emit, ut plus vendat*, etsi a Gratiano XIV, quæst. IV, c. 9, Julio adscribatur, et ab Ivone, p. 6, cap. 201, post Burchardum, lib. II, c. 127, velut *ex decretis Julii papæ usurariis missis, cap.* 131, citetur : ab ipso tamen Ivone, p. 13, cap. 21, secundum Reginonem, lib. I, cap. 125, laudatur ut ex libro I Capitularium, c. 125, ubi reipsa exstat exscriptum ex Capitulari Noviomagensi, anno 806 habito, cap. 18.

II. — 2. *Ne pœnitentia morientibus denegetur.* — Alterum nomine Julii a Gratiano XXVI, quæst. VI, c. 12, ut et ab Ivone, p. 15 c. 43, et Buchardo, lib. XVIII, c. 21, ita refertur : « Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum : quia Dominus dicit : Quacumque die conversus fuerit peccator, vita vivet, et non morietur. Vera enim confessio (*seu* conversio) in ultimo esse potest; quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector; sicut latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora ultimæ confessionis. »

3. Verum obscurum non est, rudem hæc haberi et inelegantem quamdam summam eorum, quæ concinniori stylo Cœlestinus papa, epist. 4, n. 3, scripsit in hunc modum : « Salutem ergo homini adimit, quis mor

Digitized by Google

tis prætereat tempore pœnitentiam denegare : et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro præmium in cruce ad dexteram Christi pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna, pœnituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est æstimanda, non tempore, Propheta hoc taliter asserente : « *Cum conversus ingemueris, tum salvus eris.* Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti. »

III.—4. *Ne frater defuncti fratris desponsatam uxorem ducat.* — Tertium a Gratiano 27, quæst. II, cap. 15, laudatur hoc pacto « Julius papa. Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit, et sive prævenientе die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. » Cui omnino simile est istud alterum, quod idem Gratianus proxime huic sub Gregorii nomine præmittit. « Si quis uxorem desponsaverit, vel eam subarrhaverit, quamquam postmodum prævenientе die mortis ejus nequiverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Quod si inventum fuerit factum, separetur omnino. » Tertio idem decretum ita ibid. c. 14 citatur : « Item in Canonibus invenitur : Si quis desponsaverit sibi aliquam, et prævenientе mortis articulo eam cognoscere non potuerit, frater ejus non potest eam ducere in uxorem. » Ipsa autem verba superiora, quæ Gratianus Julio adscribit, novissimi ejus editores notant apud Polycarpum *ut ex concilio Triburiensi a Julio confirmato* proferri : ubi mendum esse recte observant. Nam Julio longe recentiora sunt Triburiensia concilia. Huc spectat quod in Anselmi Lucensis compilatione, lib. II, cap. 92, legere est : « Capitula B. Gregorii doctoris de linea consanguinitatis, edita Mauritio imperatore ob delatum quemdam Comitem, qui nepotis sui mortui desponsatam virginem duxit uxorem. Qui desponsatam proximi sui acceperit in conjugium, anathema sit. » Quamvis autem hæc cum iis adjunctis sint enuntiata, quibus credibilia videantur, ætatem tamen Gregorii II, potius quam primi redolent. Quæstionem ac decisionem hanc *de desponsata fratris defuncti* haud immerito posteriorem censeamus decreto, cujusmodi legimus in concilio Aurelianensi I, can. 18. « Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissæ uxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur. » Nam postquam hoc de uxore definitum est, inde *de desponsata* quæstio facile oborta est.

IV.—5. *Legitimum esse conjugium viri, qui ancillam libertate donatam uxorem duxerit.* — Quartum, quod Gratianus 29, quæst. II, c. 1 et 3, in duo dividit, ac præpostere refert, apud Ivonem p. 8, c. 156, et Burchardum, lib. IX, c. 18, ita copulatum velut ex decretis Julii, c. 4, exhibetur : « Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apud quosdam, utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censemus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaverimus ? »

« Omnibus nobis unus est pater in cœlis, et unusquisque dives et pauper, liber et servus æqualiter pro se et pro animabus eorum rationem daturi sunt. Quapropter omnes, cujuscumque conditionis sint, unam legem, quantum ad Deum, habere non dubitamus. » His apud Gratianum additur : « Si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus simul conjugio copulatus ulterius dimitti potest. »

Decreti hujus prima ac potior pars a verbis, *si quis ancillam*, ad hæc, *omnibus vobis unus est pater*, ex Cod. Justiniani lib. V, tit. 4, de nuptiis, lege 26, descripta est : adeoque et quæ subjiciuntur additamenta, Julii ævo longe sunt posteriora.

V.—6. *Ne quis ex propinquitate sanguinis sui vel uxoris ad septimum gradum ducat uxorem.*— Quintum ex Gratiano XXXV, quæst. II, c. 7, sic profertur. « Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque in septimum generis gradum uxorem ducere, vel incesti macula copulari. »

« Præterea quoque illud adjecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem. »

7. Cujus decreti item duplex pars distinguenda. Et primam quidem ea ratione, qua illam proxime a postrema separavimus, Burchardus, lib. VII, cap. 14, et Ivo, p. 9, c. 49, *concilio Aurelianensi, cap.* 10, adscribunt. Sed licet concilii Aurelianensis III, canon 10, adversus incestas copulationes sanciatur ; ibi tamen exstat longe aliis verbis. Posterior vero ejusdem decreti pars ab ipso Gratiano XXVII, quæst. II, c. 12, § 2, Gregorio attribuitur, suffragante Anselmo Lucensi, lib. XI, c. 92.

8. Totum autem decretum explicatiorem quamdam esse liquet interpretationem hujus, quod rursum Burchardus, lib. VII, c. 7, et Ivo, p. 9, c. 43, ut *ex decretis Julii papæ* laudant. « Æqualiter vir non conjungitur in matrimonio consanguineis suis et consanguineis uxoris suæ : » hoc est, sicut viro non licet copulari consanguineis suis, ita nec consanguineis uxoris suæ. Atqui hoc decretum sic pressius relatum est Theodori Cantuariensis in Pœnitentiali, cap. 11, apud Petitum, t. I, pag. 12. Neque igitur fere dubium est, quin fusior ejus explicatio post ipsius tempora adjecta sit.

9. *Conjugia inter filios et filias fratrum ad exitum* IV *sæculi licita.* — Certe ut fusius illud decretum

Digitized by Google

Julio papæ adscribatur, non permittit sententia Theologorum, qui quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis matrimonia inter consobrinas, seu inter filios et filias fratrum aut sororum valuisse ac licita fuisse asserunt, quoad Theodosii senioris constitutione fuerunt prohibita. Disertum est ea de re testimonium Augustini in libro XV de Civitate Dei, c. 16, n. 2, dicentis : « Experti autem sumus in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat; quia id nec divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti; et quod habet cum consobrina, pene cum sorore fieri censebatur. » Eamdem Theologorum sententiam confirmant exempla ex familia Constantini magni repetita.

10. De mox dicta Theodosii senioris lege Ambrosii epist. 60, ad Paternum, n. 8, ita scribit : « Theodosius imperator etiam patrueles, fratres et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora. » Ad eamdem et Augustinus respicit tum loco citato, tum in capite sequenti, n. 2, ubi ait : « Quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum prohibita esse conjugia? » Eam quoque ob legem laudatur ab Aurelio Victore Theodosius, utpote *tantum pudori tribuens et continentiæ, ut consobrinorum nuptias vetuerit tamquam sororum*. Verum longe minor fuisset Theodosii laus, si jam ea de re præcessisset apostolicæ sedis decretum, quod non modo inter consobrinos, sed et inter cognatos inferioris gradus connubia prohiberet. Taceo Arcadium imperatorem anno 396, non alios cognationum gradus a matrimoniis arcere, quam quibus antea Diocletianus connubia conjungere prohibuerat : immo ab eo superiorem Theodosii legem altera anno 405 data, et Codici Justiniani, lib. v, tit. 4, leg. 19, inserta abrogari.

11. At illud certum, Theodosium ea etiam lege, qua consobrinorum interdixit conjugia, inferiorum graduum intacta reliquisse connubia, eaque non secus atque antea permisisse. Frustra igitur Julii papæ venditantur decreta, quibus conjugia ad septimum cognationis gradum prohibentur. Ea de re in Pœnitentiali Theodori, cap. 11, pag. 11, id præcipitur : « In tertia propinquitate carnis licet nubere secundum Græcos, sicut in lege scriptum est, in quinta secundum Romanos, tamen in tertia non solvitur si post factum (1) fuerit. Ergo in quinta conjungantur. In quarta si inventum fuerit, non separantur. In tertia tamen non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Æqualiter vir conjungitur in matrimonio his qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. » In quæ Theodori verba ista est Rabani epist. ad Humbertum observatio (*Regin. lib.* II, *c.* 200) : « Hunc autem Theodorum Tharso Ciliciæ natum Vitalianus papa Romæ (ubi anno 656 sedere cœpit) episcopum ordinans ad Britanniam misit. Unde tam Orientalium quam Occidentalium ecclesiarum consuetudinibus pleniter instructus fuerat. Nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in observationibus legitimis Græci vel Romani eo tempore habuerunt, maxime cum in utraque lingua perfecte instructus esset. Quod autem proximis temporibus Romanorum pontificum scripta continent, usque ad sextam vel septimam generationem conjugii usum differendum, magis ex consuetudine humana, quam ex lege divina, hoc eos præcepisse credendum est. »

12. Addit Rabanus, « Isidorum in Etymologiis suis (*Isid. Orig. lib.* IX, *c.* 7, *lege locum*) usque ad sextam generationem consanguinitatis abstinendum, et sic legitimo connubio conjungendum assernisse. » Ipse vero de quæstione illa quid opinetur, in epistolæ clausula aperit his verbis : « Igitur quia a mea parvitate voluisti quid sentirem de hac re tibi rescribi, propter fragilitatem præsentis temporis reor hoc, quod Theodorus episcopus inter Gregorium et Isidorum medius incedens in suis capitulis definivit, magis sequendum, ut quinta generatione jam licitum connubium fiat : quia non lex divina huic contradicit, nec etiam sanctorum patrum dicta hoc prohibent. » Ubi Gregorii nomine intelligit haud dubie Gregorii magni ad interrogationes Augustini epistolam, in qua sic legimus : « Quædam lex in Romana republica permittit, ut sive frater et soror, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sicut experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere : unde necesse est ut jam quarta vel quinta generatio fidelium licenter subjungantur. »

13. Hinc Isidori Mercatoris officinam sapit epistola Gregorii magni nomen præ se ferens ad Felicem Messanæ episcopum, cui istud rescribere fingitur : « Quod scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet ut recorderis tuo, de consanguinitatis conjunctione, ipsi et Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat metuendo austeriora recederet, specialiter, et non generaliter certissime scripsisse me cognoscas. Unde ut mihi omnis Romana civitas testis exsistit, nec ea intentione hæc illis scripsi mandata, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem non inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem jungantur. » Sane si ea tum fuisset Gregorii mens, aut is jampridem obtinuisset mos, ut in septima tantum generatione connubia jungerentur, prudens ille pontifex exceptionem aliquam in ipsa ad Augustinum epistola addere non omisisset. Sed morem illum aut exceptionem ullam ignorarunt Isidorus Hispalensis et Theodorus Cantuariensis superius a Rabano laudati, ignoravit Rabanus ipse, ignoravit et Gregorius II, qui paulo ante Rabani tempora a Bonifacio Moguntino rogatus *in quota progenis propinquorum matrimonia copulantur*, anno 726, ei-

(1) *Forte*, postquam factum. *Legisse videtur Raban*, si ante ab inscientibus factum.

Digitized by Google

dem præsuli rescripsit : « Dicimus quod oportuerat quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem. Sed quia temperantia magis, et præsertim in tam barbara gente plus placet, quam districtio censuræ, concedendum est ut post quartam generationem jungantur. »

14. Ex dictis discimus, connubia propinquorum quatuor primis Ecclesiæ sæculis quarto gradu ac deinceps fuisse licita; quarto sæculo desinente quartum gradum a Theodosio seniore fuisse vetitum, ac paulo post rursus ab Arcadio permissum; exinde ad exitum sæculi sexti perseverasse hunc morem, ut *in quarta vel quinta generatione* connubia copularentur; post medium autem sæculum septimum a Theodoro Cantuariensi præceptum esse, ut *in quinta* conjungerentur, sed facta *in quarta* non solverentur, et Gregorium II, ante medium sæculum VIII, ejusdem fuisse sententiæ, eique Rabanum sæculo eodem paulo provectiore hærendum censuisse : « Quia non lex divina huic contradicit, nec sanctorum Patrum » (adeoque nec Julii) « dicta hoc prohibent. » Notat quidem Rabanus quorumdam « Romanorum pontificum scripta, quæ usque ad sextam vel septimam generationem conjugii usum differendum continent; » sed pontifices illos nonnisi *provinis temporibus* hæc scripsisse simul docet. Et vero valde proxima fuerint necesse est tempora illa, cum Gregorii II ævo recentiora fuisse perspicuum sit. Inde Isidorum Mercatorem, qui Gregorium magnum propinquorum conjugia ad septimam generationem prohibentem inducit, et impostorem et Rabano haud multo antiquiorem esse conficitur. In hac porro disciplinæ mutatione constans in Ecclesia apparet horror matrimoniorum inter proximos jungendorum, eamque paulatim obtinuisse legem, ut ad septimam generationem, in qua affinitatis recordatio excidere solet, differrentur.

15. Quod sexto loco e Gratiano de consecr. dl. 1, c. XXIV, in medium affertur, *de fabrica vero cujuslibet ecclesiæ si diruta fuerit instauranda*, etc., minime ad Julium pertinet, sed ad Vigilium papam, cujus verba ex epistola ad profuturum sunt descripta.

16. Septimum, *cum omne crimen*, etc., quod Gratianus, de Consecr. dist. 2, c. VII, post Ivonem, p. 2, c. XI, et Burchardum, lib. V, c. 1, ut ex decretis Julii episcopis per Ægyptum missis citant, est concilii Bracarensis IV, anno 675, habiti canon 2.

17. Octavum, *Ecclesia græcum nomen est*, etc., ut ex Ivonis decreto desumptum notatur. Illud re ipsa Ivo, p. 3, c. III, secundum Burchardum, lib. III, c. 1, velut *ex decretis Julii papæ*, *cap.* V, laudat. Ex Isidoro tamen Hispalensi, lib. VIII Orig. cap. I, excerptum est.

18. Nonum ita enuntiatur : « Si quis Ecclesiam comburit, quindecim annos pœniteat, et eam sedule restituat, et pretium pauperibus distribuat. » Descriptum est ex Ivone, apud quem, par. III, c. 127, ut apud Buchardum, lib. III, c. 204, *ex decretis Julii papæ* prænotatur, Anselmo Lucensi, lib. V, c. 18, suffragante. At apud Gratianum, XVII, quæst. IV, c. 4, Hygino attribuitur. Nihilo magis Hygini, quam Julii tempora sapit. Vide quæ ad calcem decretorum Hygino adscriptorum in istud observavimus.

19. Postremum, *si quis ancillam*, etc., ex Ivone, p. 8, c. 156, repetitum, ipsa est quarti prima pars, quam supra, n. 5, Justiniani imperatoris esse observavimus. Irrepsit forsitan apud Ivonem Julii nomen loco *Juliani* antecessoris, ex cujus interpretatione decerptum est decretum.

20. Præterea Julius in vulgato pontificali libro constituisse dicitur : « Ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia : et ut notitia, quæ omnibus fidem facit, per notarios colligeretur; et ut omnium monimentorum in Ecclesia confectio per primicerium notariorum celebraretur, sive quod cautiones, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones aut testamenta, vel colligationes aut manumissiones clericorum in Ecclesia per scrinium sanctum celebrentur. »

21. At primo in vetusto hujus libri exemplari, quod Bollandi continuatores Justiniani imperatoris temporibus exaratum censent, sicut nec in Fossatensi, nihil hujusmodi legitur Julius constituisse, deinde in confesso esse debet, romanum pontificem, nisi ex consensu principum, ne quivis clericus *quamlibet causam* in publico ageret, prohibere non potuisse. Tertio certum est id a principibus generaliter concessum non fuisse. Postea quidem Valentinianus II, et Theodosius I, sanxerunt, « nomen episcoporum vel eorum qui Ecclesiæ necessitati serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum judicum pertrahatur; » censueruntque suos ipsis esse judices, « nec quidquam his publicis commune cum legibus; » sed privilegio huic clausulam et exceptionem istam proxime adjiciunt; « quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. Quare, » inquiunt paulo post ad Optatum præfectum, cui inscripta est hæc constitutio, « laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperato, quidquid negotiorum aliunde incidet, terminabit. » Si quas igitur clerici etiam tum causas civiles habuissent, earum cognitio ad judicem publicum pertinebat, nisi forte ex partium consensu ad episcopale judicium deferrentur. Tunc enim episcopo, *more arbitri*, ut imperatores Arcadius et Honorius cod. Justin., lib. I, tit. IV, leg. 7, loquuntur, de iis dicere sententiam licebat. Ad hæc, de dotandis ecclesiis, oratoriis aut monasteriis frequens Gregorio I sermo est; sed ut donationes illæ *gestis municipalibus alligentur*, cavere solet, nusquam vero ut *per scrinium sanctum celebrentur*, præcipit.

§ V. — *De scriptis Julii papæ* (ex Schœnemann).

Episcopus Romanus in locum Marci anno 337, die VI Febr. suffectus. Quo tempore Arianæ factionis

Digitized by Google

in Athanasium iræ denuo sufflatæ erant, quod ei a Cæsaribus Constantino, Constantio et Constante h. a. concessum esset Treviris, ubi in exilio vixerat, Alexandriam reverti; ubi recens (339) in locum ejus Pistum quemdam Episcopum ordinaverant. Igitur non solum Cæsarum animos ab eo abalienare, sed et Julio Episcopo recens constituto invisum reddere nituntur, datis ad eum per Maximum presbyterum et Martyrium Hesychiumque diaconum litteris de Athanasio, necnon de Marcello Ancyræ episcopo, quem pariter abrogaverant et Asclepa Gazæ episcopo criminosissimis, simul ut cum Pisto communicare vellet sollicitantes. Quorum malevola consilia ut everteret, ipse quoque Athanasius ad Julium presbyteros quosdam misit, qui coram Julio maledicentes illorum linguas adeo retuderunt, ut hi, ne protinus calumniam ferrent, ad Concilium a Julio cogendum provocarent. Captus hac ambitiosa postulatione Julius Athanasium Romam accivit et ad Eusebianos de Concilio Romæ mense Junio 341 habendo litteras dedit. Illi eludere episcopi Romani invitationem. Ipsi concilio Antiochiæ coacto Athanasium abrogant et alium episcopum Gregorium nomine in locum ejus designant, eumque militari manu stipatum Alexandriam mittunt, mox graviter Julium de affectata in re jam disceptata judicis auctoritate, per litteras increpantes, a communione sua exclusuros eum minati sunt. Interea Romæ concilio habito Athanasius, causa recognita, absolutus et ab omni adversariorum criminatione liberatus est. Julius autem acerbis Eusebianorum litteris aliquamdiu occultatis, quod per legatos mitiorem sententiam expectaret, tandem spe frustratus in Concilio prælegi jussit et hortante jubenteque cœtu ad respondendum se dedit verbis quidem lenissimis et argumentatione solida. Cum nihil obtinuisset, Constantis Augusti opem cum aliis episcopis imploravit, quo intercedente a Constantio permissum est, ut Sardicæ (in Dacia Illyrica) anno 347 Concilium œcumenicum conscriberetur. Quoniam autem Episcopi orientales Athanasium et alios damnatos suis decretis episcopos in consessum admittendos negarent, nec obtinerent tamen, adversante Occidentalium factione, illico ad sedes suas reversi sunt. Reliqui Occidentales Athanasium, et, qui in causa ejus sedibus suis depulsi erant, episcopos, comprobarunt et sedibus restituendos declaraverunt, damnatis et a communione Ecclesiæ procul habitis, qui sedes interim ab Arianis occupare jussi essent, Concilii hujus decretis ab inimicis Arianæ factionis Episcopis nimium partium suarum studiosis, plus æquo pontifici Romano auctoritatis indultum nonnullis videtur, utpote qui *hoc observantiæ erga Petri apostoli sedem deberi censent, ut ad eum de singulis quibusque provinciis Domini sacerdotes referant*, ipsiusque curæ permittunt, ut per scripta ejus, qui in Sardinia, Sicilia et Italia sint fratres, quæ acta et definita essent, cognoscerent (1). Interea Athanasius in sedem Alexandrinam redire ausus non est, antequam Constantius, minis fratris exterritus, plenam pacem Athanasio et reliquis, qui cum eo facerent, episcopis concessisset. Abeunti Julius ad presbyteros, diaconos et plebem Alexandriæ litteras commendatitias dedit. Paulo post Ursacius Singiduni et Valens Mursi episcopus, qui maxime etiam Athanasio infensi fuerant, recantatis coram Concilio Mediolanensi formulis suis Romam migrarunt, et quo speciosius fraus lateret, coram Julio eadem confirmarunt. Non multo postea anno 352, die XII April., Julius diem supremum obiit, postquam annos XV, menses II, dies VI. sedem Episcopalem tenuerat.

Græce extant duæ ejus Epistolæ, quarum una Antiochensibus respondit mense Septembri anno 342, ex Constantii sententia; altera Alexandrinis Athanasium Roma abeuntem commendat, anno 349 scripta.

Inter deperditas numerandæ litteræ ad Athanasium et Eusebianos anno 340 perscriptæ, quibus Romam utrosque evocavit; item quas deinde per legatos ad Eusebianos anno fere 341, cum frustra Athanasius Romæ eos expectasset, dedit, necnon ejus ad Sardicensem synodum epistola.

Supposititicæ sunt Epistolæ ad Dionysium Alexandrinum, et Prosdocium ab Apollinaristis scriptæ, fragmenta deinde varia, ex sermone *de homousio*, et Epistola ad Cyrillum Alexandrinum die Natali Domini, hujusque et Juvenalis Hierosolymit. ad Julium; aliaque non pauca ex Isidori Mercatoris officina, nec non Decreta, quæ ei tribuuntur.

Editæ sunt duæ Julii Epistolæ cum Athanasio, qui eas servavit in Apologia contra Arianos n. 21—35, edit. Montfauconianæ (Paris. 1698) t. I, part. I, p. 141, 154, et n. 52, 53, 171, 172. Altera etiam extat in Socratis II. E. II, 23, p. 108, et apud Nicephorum IX, 22, ac latine in Tripartita IV, 29. Inde receptæ sunt inter Epistolas Pontif. a Petro Coustantio p. 350—387, et 399—405, additis argumentis et annotationibus doctis. Inseruit pro more Coustantius varia ad res inter Julium, Athanasium et Arianos gestas pertinentia, veluti epistolam Marcelli Ancyrani p. 388, ex Epiphanii Hær. 72, 2, Synodi Sardicensis p. 395, Valentis et Ursacii ex Athanasii apologia n. 58, t. II, p. 176. Disputat deinde a p. 406 sqq. de aliis ad Julium spectantibus epistolis et a p. 411 sqq. de Decretis ei attributis. In appendice denique p. 69 suppositicia, quæ supra notavimus, exhibet.

(1) Extat hujus Concilii Ep. ad Julium latine in fragm. Hilarii II, n. 9; sed qui animo ab omni affectu libero interpretandi modo rationes callens et tenori totius insistens legit, sentiat necesse est, priorem locum a verbis *Hoc enim optimum et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque pr. D. s. referant*, ab aliena manu esse insutum.

Digitized by Google

MONUMENTA GENUINA.

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ ΙΟΥΔΑΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΡΩΜΗΣ

Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ἑνότητος τοῦ σώματος πρὸς τὴν θεότητα.

Ἅγιον ἐξ ἀρχῆς γέννημα καλῶς ὁμολογεῖται καὶ κατὰ τὸ σῶμα ὁ κύριος, καὶ κατὰ τοῦτο διαλλάττει παντὸς σώματος. οὐδὲ γὰρ ὅλως ἐν μήτρᾳ συνελήφθη χωρὶς θεότητος, ἀλλ' ἡνωμένως πρὸς ταύτην, ὡς ὁ ἄγγελός φησιν. « Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, καὶ δύναμις Ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. » Καὶ νῦν οὐρανία κάθοδος οὐ μόνον γέννησις ἡ ἐκ γυναικὸς· εἴρηται γὰρ οὐ μόνον τὸ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, γενόμενον ὑπὸ νόμον, ἀλλὰ « καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. » Καὶ οὐκ ἔστιν ἰδίως κτίσμα τὸ σῶμα εἰπεῖν, ἀχώριστον ὂν ἐκείνου πάντως οὗ σῶμά ἐστιν, ἀλλὰ τῆς τοῦ ἀκτίστου κεκοινώνηκεν ἐπωνυμίας καὶ τῆς τοῦ θεοῦ κλήσεως, ὅτι πρὸς ἑνότητα θεῷ συνήπται· καθὰ λέγεται ὅτι « ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. » Καὶ παρὰ τῷ ἀποστόλῳ « ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. » Δεῖ δὲ ἡμᾶς, ὥσπερ τὰ ἔνδοξα τῷ σώματι προσάπτομεν ἐκ τῆς θείας συλλήψεως καὶ τῆς πρὸς θεὸν ἑνότητος, οὕτω καὶ τὰ ἄδοξα τὰ ἀπὸ τοῦ σώματος μὴ ἀρνεῖσθαι, ἅπερ ἐστὶ τὸ γενέσθαι ἐκ γυναικὸς κατὰ τὸν ἀπόστολον, καὶ τὸ πλασθῆναι ἐκ κοιλίας δοῦλον θεῷ κατὰ τὸν προφήτην, τὸ ὅλως ἄνθρωπον ὀνομάζεσθαι καὶ υἱὸν ἀνθρώπου, τὸ ἀριθμεῖσθαι μετὰ Ἀβραὰμ πολλὰς γενεὰς μεθ' ἃς γέγονεν ἄνθρωπος, ἀνθρωπίνως μέντοι καὶ λέγειν καὶ ἀκούειν χρή.

Ὥσπερ ὅτε ὅλον ἄνθρωπος καλεῖται, μήτις ἀρνήσηται τὴν θείαν οὐσίαν τὴν τῷ ὀνόματι μετὰ τοῦ σώματος δηλουμένην· καὶ ὅτε δοῦλος κατὰ τὸ σῶμα ὀνομάζεται, μήτις ἀρνήσηται τὴν κυριευτικὴν φύσιν δουλείας ὀνόματι μετὰ τοῦ σώματος δηλουμένην· καὶ πάλιν ὅτε καταβεβηκὼς ἐξ οὐρανοῦ κηρύσσεται ἄνθρωπος ἐπουράνιος, μήτις ἀρνήσηται τὴν τοῦ σώματος ἀπὸ γῆς πρὸς θεότητα συμπλοκήν. Οὐ διατέμνεται μὲν γὰρ οὐδὲ πράγματι οὐδὲ ὀνόματι ὅτε δοῦλος ὁ κύριος καλεῖται, καὶ ὅτε πλαστὸς ὁ ἄκτιστος ὀνομάζεται, τῇ συναφείᾳ τῇ πρὸς τὴν τοῦ δούλου μορφὴν καὶ πρὸς τὸ πλασσόμενον σῶμα· ὁμολογεῖται δὲ ἐν αὐτῷ τὸ μὲν εἶναι κτιστὸν ἐν ἑνότητι τοῦ ἀκτίστου· τὸ δὲ ἄκτιστον, ἐν συγκράσει τοῦ κτιστοῦ, φύσεως μιᾶς ἐξ ἑκατέρου μέρους συνισταμένης, μερικὴν ἐνέργειαν καὶ τοῦ λόγου συντελέσαντος εἰς τὸ ὅλον μετὰ τῆς θεϊκῆς τελειότητος, ὅπερ ἐπὶ τοῦ κοινοῦ ἀνθρώπου ἐκ δύο μερῶν ἀτελῶν γίνεται, φύσιν μίαν πληροῦντων καὶ ἑνὶ ὀνόματι δηλουμένων· ἐπεὶ καὶ σὰρξ τὸ ὅλον καλεῖται, μὴ περιαιρουμένης ἐν τούτῳ τῆς ψυχῆς· καὶ ψυχὴ τὸ ὅλον προσαγορεύεται, οὐ περιαιρουμένου τοῦ σώματος, εἰ καὶ ἕτερόν τί ἐστι παρὰ τὴν ψυχήν.

Ὁ θεὸς οὖν ὁ ἐνανθρωπήσας ὁ κύριος καὶ προσλαβὼν τῆς γεννήσεως, εἰ καὶ γεγέννηται ἀπὸ γυναικὸς, κύριος ὢν εἰ καὶ μεμόρφωται κατὰ τοὺς δούλους, πνεῦμα ὢν εἰ καὶ σὰρξ κατὰ τὴν ἕνωσιν τῆς σαρκὸς ἀποδέδεικται, οὐκ ἄνθρωπος ὢν κατὰ τὸν ἀπόστολον εἰ καὶ ἄνθρωπος ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ κηρύσσεται, καὶ τὸ ὅλον εἰπεῖν, ἀόρατος θεὸς ὁρατῷ σώματι μεταμορφούμενος ἄκτιστος θεὸς κτιστῇ περιβολῇ φανερούμενος, κενώσας μὲν ἑαυτὸν κατὰ τὴν μόρφωσιν, ἀκένωτος δὲ καὶ ἀναλλοίωτος καὶ ἀνελάττωτος κατὰ τὴν θείαν οὐσίαν· οὐδεμία γὰρ ἀλλοίωσις περὶ θείαν φύσιν, οὐδὲ ἐλλαττοῦται, οὐδὲ αὐξάνεται· καὶ ὅτε λέγει, Δόξασόν με, ἀπὸ σώματος ἡ φωνὴ, καὶ περὶ σῶμα ὁ δοξασμὸς, ἐπὶ τοῦ ὅλου λεγόμενος· διότι τὸ ὅλον ἐστὶν ἕν. Καὶ πάλιν ἐπάγων, Τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοὶ, τὴν ἔνδοξον ἀεὶ θεότητα δηλοῖ, εἰ καὶ ἰδίως θεότητι προσήκει τοῦτο, καὶ τοι κοινῶς ἐπὶ ὅλου ῥηθέν· Οὕτως καὶ θεῷ ὁμοούσιος κατὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἀόρατον, συμπεριλαμβανομένης τῷ ὀνόματι καὶ τῆς σαρκὸς, ὅτι πρὸς τὸν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ λόγον ἥνωται. Καὶ πάλιν ἀνθρώποις ὁμοούσιος, συμπεριλαμβανομένης καὶ τῆς θεότητος τῷ σώματι, ὅτι πρὸς τὸ ἡμῖν ὁμοούσιον ἡνώθη· οὐκ ἐλαττουμένης τῆς τοῦ σώματος φύσεως ἐν τῇ πρὸς τὸν θεὸν ὁμοουσίῳ ἑνώσει, καὶ τῇ κοινωνίᾳ τοῦ ὁμοουσίου ὀνόματος· ὥσπερ οὐδὲ ἡ τῆς θεότητος ἠλλάκται φύσις ἐν τῇ κοινωνίᾳ τοῦ ἀνθρωπείου σώματος, καὶ τῇ ὀνομασίᾳ τῆς ἡμῖν ὁμοουσίου σαρκός.

Καὶ γὰρ ὁ Παῦλος λέγων « Τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, » τὸν υἱὸν εἶπεν θεοῦ τὴν γέννησιν ταύτην ἀναδεδέχθαι, καὶ οὐχὶ τὴν σάρκα χωρὶς ὀνομάσας εἴρηκεν, Ἡ σὰρξ ἐγένετο ἐκ σπέρματος Δαβίδ. Καὶ ὅτε λέγει « Τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, » οὐ χωρίσας εἶπεν, Οὗ ἡ θεότης ἐν μορφῇ θεοῦ οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα θεῷ· καίτοι ἡ θεότης οὔτε Ἰησοῦς ὠνόμασται πρὸ τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως, οὔτε τὴν ἐν ἁγίῳ πνεύματι χρίσιν ἔσχηκεν, ὅτι δοτὴρ τοῦ πνεύματος ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, οὐκ ἁγιαζόμενος ἐν πνεύματι. Καὶ λέγει ὑπὲρ αὐτῶν, Ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα ὦσιν αὐτοὶ ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ· οὐ χωρίζων, καὶ λέγων, Ἁγιάζω ἐμαυτὸν. Καίτοι τῷ σκοποῦντι μετὰ ἀκριβείας οὐ δυνατὸν αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ ἁγιάζεσθαι· εἰ γὰρ ὁ λόγος ἁγιάζει, τί τὸ ἁγιαζόμενον; εἰ ὁ σύμπας ἁγιάζεται, τί τὸ ἁγιάζον; ἀλλ' ὅμως φυλάττων τὸ ἓν πρόσωπον, καὶ τὴν ἀμέριστον ἑνὸς ζώου δήλωσιν, τό τε ἁγιάζειν καὶ τὸ ἁγιάζεσθαι καθ' ὅλου τέθεικεν, ἵν' ἀκριβὲς ἡμῖν ᾖ καὶ σαφὲς ὅτι οὐ κατὰ τὸν προφητικὸν οὐδὲ κατὰ τὸν ἀποστολικὸν τρόπον ἄλλος ἄλλον ἁγιάζει, καθάπερ τὸ πνεῦμα τοὺς προφήτας καὶ τοὺς ἀποστόλους, ὥσπερ ὁ Παῦλός φησι περὶ τῆς πάσης ἐκκλησίας « Κλητοῖς ἁγίοις καὶ ἡγιασμένοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. » Καὶ αὐτὸς ὁ σωτὴρ περὶ τῶν ἀποστόλων « Ἁγίασον αὐτοὺς ἐν ἀληθείᾳ. » Ὅλη γὰρ ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἐν τῷ ἁγιάζειν. Καὶ τὸ ἀγγελικὸν τάγμα, ὡς αὐτὸς καὶ πᾶσα ἡ κτίσις ἁγιαζομένη ἔστι καὶ φωτιζομένη· ἁγιάζον δὲ τὸ πνεῦμα καὶ φωτίζον· ἁγιάζων δὲ ὁ λόγος διὰ τοῦ πνεύματος καὶ φωτίζων, ἁγιαζόμενος δὲ οὐδαμῶς· κτίστης γὰρ καὶ οὐ κτίσμα. Ἀλλὰ ἐνταῦθα τὸ ἁγιάζεσθαι ἔνθα καὶ τὸ σεσωματῶσθαι· καὶ δήρηται μὲν τὰ πράγματα, ἥνωται δὲ κατὰ τὴν τῆς σαρκὸς πρὸς θεότητα ἕνωσιν, ὥστε μὴ διαστέλλεσθαι ἕτερον τὸν ἁγιάζοντα καὶ ἕτερον τὸν ἁγια-

Digitized by Google

ζόμενον· καὶ αὕτη δὲ ὅλως ἡ σάρκωσις ἐστιν ἁγιασμός. A

Ὁ γὰρ σωτὴρ πρὸς τοὺς λέγοντας, Σὺ ἄνθρωπος ὢν ποιεῖς σεαυτὸν θεὸν, ἀποδέδωκεν τῆς ἰδίας ἀνθρωπότητος τὸν λόγον λέγων « Ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασεν καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, ὑμεῖς λέγετε ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, Υἱὸς θεοῦ εἰμι; » τίνα λέγων ἐνταῦθα ἁγιασμὸν, ἢ τὸν τῆς σαρκὸς ὑπὸ τῆς θεότητος; οὕτω γὰρ ἔζησεν τὸ σῶμα θεότητος ἁγιασμῷ, καὶ οὐκ ἀνθρωπίνης ψυχῆς κατασκευῇ (1), καὶ ὅλως τὸ ὅλον ἐν συναφείᾳ. Καὶ ἐνταῦθα, « Ὃν πατὴρ, φησὶν, ἡγίασεν καὶ ἀπέστειλεν, » τὸ ἁγιάζον ἅμα καὶ τὸ ἁγιαζόμενον ἁγιάζεσθαι λέγει,, τῷ ἁγιαζομένῳ συνάψας τὸ ἁγιάζον. Καὶ ἑρμηνεύει γε ἀλλαχοῦ τὸν ἁγιασμὸν τοῦτον, ὅτι γέννησις ἦν ἐκ παρθένου. « Ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. » Ἐκ θελήματος μὲν γὰρ σαρκὸς καὶ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς ὁ κοινὸς ἄνθρωπος B ψυχοῦται καὶ ζῇ, τῆς ἐκπεμπομένης σπερματικῆς ὕλης ἐπιφερούσης τὴν ζωοποιὸν δύναμιν εἰς τὴν ὑποδεχομένην μήτραν· ἐκ δὲ πνεύματος ἐφόδου καὶ δυνάμεως ἐπισκιασμοῦ τὸ ἅγιον ἐκ τῆς παρθένου συνίσταται βρέφος, οὐ σπερματικῆς ὕλης ἐργαζομένης τὴν θείαν, ἀλλὰ πνευματικῆς καὶ θείκης δυνάμεως ἐνδιδούσης τῇ παρθένῳ τὴν θείαν κύησιν καὶ χαριζομένης τὸν θεῖον τοκετόν.

Οὕτω δὴ κατὰ τὸν τῆς ἑνότητος τρόπον, καὶ τὸ ὑψοῦσθαι Χριστὸν, καὶ τὸ χαρισθῆναι αὐτῷ τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, καίτοι τῆς ὑψώσεως ἰδίως οὔσης ἐπὶ τῆς κατώθεν ἀναβαινούσης σαρκὸς· ἀλλ' ὅτι οὐκ ἰδιαζόντως ἀναβαίνει, διὰ τοῦτο κοινῶς ὀνομάζεται τὸ ὅλον ὑψούμενον, καὶ τὸ κεχαρίσθαι δὲ αὐτῷ περὶ τὴν ἐξ ἀδοξίας δοξαζομένην σάρκα συνίσταται. οὐ γὰρ τὸ ἀεὶ τὴν δόξαν ἔχοντι λόγῳ προστίθεται δόξα διὰ χάριτος· ὅπερ γὰρ ὑπῆρχεν καὶ C μεμένηκεν, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπῆρχεν, καὶ ἦν ἴσα θεῷ· ἴσον εἶναι θεῷ καὶ ἐν τῇ σαρκὶ λέγει κατὰ τὸν Ἰωάννην, πατέρα ἴδιον αὐτοῦ λέγων εἶναι τὸν θεὸν, καὶ ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ· οὐκ ἄρα μετέπεσεν ἡ πρὸς θεὸν ἰσότης, ἀλλ' ἀκαλλοίωτος ἡ θεότης ἔμεινεν ἐν ταυτότητι· ἃ δὲ ἔχει, λαμβάνειν οὐ δυνατὸν· ὥσπερ τῆς σαρκὸς ὅπερ οὐκ ἔχει λαμβανούσης, τὸ ἀπαθὲς ἐκ τῶν παθημάτων, τὸ οὐράνιον ἐκ τῆς κατὰ γῆν διατριβῆς, τὸ βασιλικὸν ἐκ τῆς ὑπ' ἀνθρώποις δουλείας, τὸ προσκυνεῖσθαι ὑπὸ πάσης τῆς κτίσεως ἐκ τοῦ προσκυνεῖν· ἐπὶ τοῦ ὅλου λέγεται τὸ κεχαρίσθαι αὐτῷ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. Καὶ εἴ τις χωρίζειν τολμᾷ τὸ τῆς χάριτος ῥῆμα, καὶ τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, οὐδέτερον οἰκείως λεχθήσεται· εἰ γὰρ τῷ λόγῳ κεχάρισται ὡς οὐκ ἔχοντι, οὐδέποτε διὰ χάριτος δίδοται τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· καὶ εἰ οὐκ ἀπὸ D δόσεως ἀλλ' ἀπὸ φύσεως ἔχει τοῦτο, ὥσπερ ἔχει κατὰ θεότητα, οὐ δυνατόν ἐστι τοῦτο δοθῆναι αὐτῷ· ὅθεν ἐξ ἀνάγκης καὶ τὸ σωματικὸν καθόλου, καὶ τὸ θεϊκὸν καθόλου λέγεται· καὶ ὁ μὴ δυνάμενος ἐν τοῖς ἡνωμένοις διαφόροις εἰδέναι τί τὸ ἴδιον ἑκατέρου, ἐναντώμασιν ἀσυμφώνως περιπεσεῖται· ὁ δὲ καὶ τὰ ἴδια γινώσκων καὶ τὴν ἕνωσιν φυλάσσων, οὔτε τὴν φύσιν (2) ψεύσεται, οὔτε τὴν ἕνωσιν ἀγνοήσει.

(1) Hunc locum legebat Leontius atque inde arguebat Apollinaris esse hoc scriptum, cujus error notissimus fuit Christo animam eripientis, ejusque vice divinitatem fungi putantis. Et quidem huic errori contradicet mox Julius.

(2) Ita codex τὴν φύσιν. Sed τὰς φύσεις legebat S. Cyrillus, teste etiam Leontio, quo loco codex quidem Leontii habet in titulo κατ' αὐτὴν, sed tamen dicendum est κατ' Ἔφεσον, si certe et aliis, et Leontio credimus contra Nest. et Eutych. lib. I, p. 552, qui aiunt hunc Julii locum in Ephesina synodo, ut reapse ibi legitur, fuisse recitatum. Item τὰς φύσεις legebat Severus; denique etiam Ephraemius apud Photium cod. 329, col. 829.

ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΡΩΜΗΣ ΕΓΚΥΚΛΙΟΝ.

Τοῖς πανταχοῦ ἐπισκόποις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς Ἰούλιος ἐν Χριστῷ χάριν.

Πέπεισμαι μὲν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ, τὴν πίστιν ἡμῶν τὴν περὶ τὸν κύριον καὶ θεὸν καὶ βασιλέα, ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, ἀπὸ τοῦ Ὡσαὲ τοῦ προφήτου περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου καὶ τοῦ πατρὸς ὡς περὶ κυρίου· « Οὐ μὴ ἐγκαταλείπω τοῦ ἐξαλειφθῆναι τὸν Ἰακώβ· ὅτι θεὸς ἐγώ εἰμι, καὶ οὐκ ἄνθρωπος ἐν σοὶ ἅγιος· καὶ οὐκ εἰσελεύσομαι εἰς πόλεν· ὀπίσω κυρίου πορεύσομαι. » Ταῦτα καὶ διὰ τούτων ὅσα ὁ θεὸς λόγος ἐνανθρωπήσας, πρὸς τοὺς ἄνθρωπον αὐτὸν ἁπλῶς ἅγιον, ἀλλ' οὐ θεὸν εἶναι ὁμολογοῦντας, Θεὸς ἐγώ εἰμι καὶ οὐκ ἄνθρωπος. Πιστεύω τῇ ἐν μιᾷ θεότητι καὶ οὐσίᾳ δοξαζομένῃ τε καὶ προσκυνουμένῃ τριάδι, τουτέστι πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι· καὶ τῇ ἐξ οὐρανῶν καθόδῳ, καὶ ἐξ ἁγίας παρθένου Μαρίας σαρκώσει, καὶ ἐπιφανείᾳ τοῦ θεοῦ λόγου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐν ἀνθρώποις φανερώσει αὐτοῦ ὄντος θεοῦ καὶ ἀνθρώπου· οὐκ ἄλλου μὲν θεοῦ, ἄλλου δὲ ἀνθρώπου, ἀλλὰ μίαν ὑπόστασιν καὶ ἓν πρόσωπον (1) τοῦ θεοῦ λόγου καὶ τῆς ἐκ Μαρίας σαρκὸς, ἐκ θεοῦ καὶ ἐκ γυναικὸς, τοῦ αὐτοῦ παθητοῦ καὶ ἀπαθοῦς, σαρκὶ μὲν πάσχοντος καὶ τὸ ἡμέτερον πάθος ἀναδεχομένου, θεότητι δὲ πάθος διαλύσαντος, καὶ θανάτῳ σωτηρίᾳ τὸν ἡμέτερον θάνατον καταλύσαντος, φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν πιστοῖς δωρουμένου, μελλόντων ἀγαθῶν ἀπόλαυσιν, καὶ βασιλείας οὐρανίου καὶ θείκης σὺν δόξῃ κληρονομίαν.

(*Maii Coll.* t. VII, p. 165.)

ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΡΩΜΗΣ

Πρὸς τοὺς κατὰ τῆς θείας τοῦ λόγου σαρκώσεως ἀγωνιζομένους (2) προφάσει τοῦ ὁμοουσίου.

Μηδεὶς κατευτελιζέτω τὴν δεσποτικὴν καὶ σωτήριον σάρκα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ προφάσει τοῦ ὁμοουσίου· οὔτε γὰρ ἡμεῖς, οὔτε ἡ ἡμετέρα σύνοδος, οὔτε τίς τῶν ἀνθρώπινον λογισμὸν ἐχόντων, σῶμα καθ' ἑαυτὸ ὁμοούσιον λέγει ἢ φρονεῖ· ἀλλ' οὐδ' ἐξ οὐρανοῦ τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ λέγομεν, ἀλλ' ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου Μαρίας ὁμολογοῦμεν σεσαρκῶσθαι τὸν θεὸν λόγον· καὶ οὐ διαιροῦμεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς αὐτοῦ σαρκὸς, ἀλλ' ἔστιν ἓν πρόσωπον (3), μία ὑπόστασις, ὅλος ἄνθρωπος, ὅλος θεός· εἰ οὖν καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἀνθρώπου πιστεύομεν ἐληλυθέναι τὸν δεσπότην ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἐξ αὐτῆς τῆς παρθενικῆς συλλήψεως καθ' ἣν καὶ θεοτόκος ἀποδείκνυται ἡ παρθένος, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ μυστήριον τῆς σωτηρίας ἡμῶν τὸ σαρκωθῆναι τοῦ θεοῦ λόγον, ἀχώριστός ἐστι καὶ ἀμέριστος τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς· καὶ κατὰ τὴν πρὸς θεὸν λόγον ἕνωσιν τῆς κατὰ τὴν φύσιν ὁμοουσιότητος τοῦ λόγου τῆς πρὸς τὸν πατέρα ἐπικοι-

(1) En hic dicitur una persona, non una natura.

(2) Hunc titulum legebat etiam Ephraemius, teste Photio cod. 229, col. 813.

(3) Rursus recte *una persona*, sed tamen infra *una naturæ*. Indifferenter scilicet Julius loquitur.

Digitized by Google

νωνεῖ τῷ ὀνόματι ἡ νοερῶς ψυχωθεῖσα σὰρξ αὐτοῦ, οὗ καὶ σάρξ ἐστιν· εἴ γε ἀληθῶς σάρκα ὁμολογοῦμεν γεγενῆσθαι τοῦ θεοῦ λόγου· εἰ δὲ μὴ ἐπικοινωνεῖ, πάντη ἀπηλλοτρίωται· οὔτε γὰρ σωτηρία ἐκ τῆς σαρκώσεως ἐπακολούθει τοῖς πιστοῖς ἐκτὸς τῆς θείας τριάδος ὑπαρχούσης· οὐδὲν γὰρ προσκυνητὸν οὐδὲ σωτήριον ἐκτὸς τῆς θείας τριάδος· ἀλλὰ περιττή τίς καὶ ἄκαιρος αὐτοῖς ἀποδειχθήσεται ἡ σάρκωσις, ψεῦδος δὲ εὑρεθήσεται κατ' αὐτοὺς καὶ τὰ τῶν θείων γραφῶν, οἷον τὸ, « Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο » καὶ τὸ, « Ἐτέχθη ἡμῖν σήμερον Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν πόλει Δαβίδ. » Ψεῦδος δὲ καὶ τὸ, Θεὸς ἰσχυρὸς, καὶ τὸ Παιδίον καὶ πάντα τὰ τούτοις ὅμοια· ἀλλ' οὐδὲ θεοτόκος ἡ παρθένος ἔτι πιστευθήσεται, ὅπερ ἀθέμιτον, καὶ ἀσεβὲς τὸ τοιοῦτον, καὶ ἀλλότριον πάσης θεοσεβοῦς ψυχῆς· ἀνατραπήσεται γὰρ αὐτοῖς πᾶσα ἐλπὶς χριστιανῶν, καὶ αὐτὸς ὁ χριστιανισμὸς εἰς οὐδὲν λογισθήσεται· οὐδὲ γὰρ τὸ μέγα καὶ τίμιον δῶρον τὸ χριστιανῶν τὸ εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ τελούμενον λουτρὸν, θεῖόν τι λογισθήσεται ἀλλὰ ἀνθρώπινον, εἴ γε οὐδὲ ἐναρίθμιός ἐστι τῇ θείᾳ τριάδι ἡ σάρκωσις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Ἡμῖν δὲ ὁμολογητέον υἱὸν θεοῦ καὶ ἀληθινὸν τὸν πρὸ αἰῶνος, τὸν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν, ὃν ἡ παρθένος ἐγέννησε σωτῆρα καὶ λυτρωτήν· καὶ τούτῳ τὴν προσκύνησιν ὀφειλόντως προσφέρομεν· καὶ οὐκ ἀφορίζεται τῆς προσκυνήσεως ἡ σὰρξ αὐτοῦ· ἀδύνατον γὰρ μὴ διοριζομένης τῆς θείας ζωῆς, διορίζεσθαι τὰ τῆς προσκυνήσεως· οὐ γάρ τις τὴν σάρκα οὐ προσκυνεῖ, τοῦτον οὐ προσκυνεῖ· οὐκοῦν ἐν τῇ ἑνώσει τοῦ λόγου πρὸς τὴν ἔμψυχον καὶ λογικὴν αὐτοῦ (1) σάρκα, ὡς ἑνὶ υἱῷ μία καὶ προσκύνησις προσφέρεται παρ' ἡμῶν, ὡς ὁ εὐαγγελιστὴς μίαν ζωὴν τοῦ λόγου καὶ τῆς σαρκὸς εὐαγγελιζόμενος, « Ὁ λόγος, φησὶ, σὰρξ ἐγένετο. » Οὐκοῦν εἰ σὰρξ ὁ λόγος γέγονεν, τὸν λόγον προσκυνῶν τις, τὴν σάρκα προσκυνεῖ· καὶ τὴν σάρκα προσκυνῶν τις, τὴν θεότητα προσκυνεῖ· καὶ οἱ προσκυνοῦντες τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν ἀπόστολοι τῷ σώματι προσκυνοῦντες, τὸν θεὸν λόγον προσεκύνουν· καὶ ἄγγελοι δὲ αὐτῷ δεικνύουν ὡς ἂν ἰδίῳ δεσπότῃ τῷ σώματι προσιόντες· καὶ ἡ παρθένος ἀπ' ἀρχῆς σάρκα τεκοῦσα, τὸν λόγον ἔτικτεν, καὶ ἦν θεοτόκος· καὶ ἰουδαῖοι τὸ σῶμα σταυρώσαντες, τὸν θεὸν ἐσταύρωσαν· καὶ οὐδεμία διαίρεσις τοῦ λόγου καὶ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἐν ταῖς θείαις προφέρεται γραφαῖς, ἀλλ' ἔστι μία φύσις, μία ὑπόστασις, μία ἐνέργεια, ἓν πρόσωπον, ὅλος θεὸς, ὅλος ἄνθρωπος ὁ αὐτός· οὐσία γὰρ αὐτοῦ κατὰ μὲν τὸ ἀόρατον ἡ θεότης, κατὰ δὲ τὸ ὁρατὸν ἡ σὰρξ· οὔτε οὖν ἠλλοτρίωται, οὔτε μεμέρισται τῆς θείας τριάδος ἡ σάρκωσις τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ γὰρ ἐν τῇ τῆς τριάδος ἐξαριθμήσει ἔφη τὸ βάπτισμα τὸ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν διδόμενον, ὅπερ ἐστὶ θεότητος ἔργον καὶ οὐ κτιστῆς φύσεως· ἓν γὰρ καὶ ταυτὸν τὸ σῶμα καὶ ὁ θεὸς, οὗ τὸ σῶμα· οὐ μεταβληθείσης τῆς σαρκὸς εἰς τὸ ἀσώματον, ἀλλ' ἐχούσας καὶ τὸ ἴδιον τὸ ἐξ ἡμῶν κατὰ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς κατὰ τὴν τοῦ θεοῦ λόγου σύγκρασιν ἤτοι ἕνωσιν. (*Indidem.*)

(1) Ergo auctor hujus scripti agnoscebat in Christo animam rationalem, secus ac superius dicitur, col. 879.

MONITUM IN EPISTOLAM AD ANTIOCHENOS.

(*Ex Constantio.*)

I. Ad pleniorem epistolæ hujus notitiam ea quæ præcesserunt gesta paucis recolere juverit. Primo quidem inter Mareotæ presbyteros, quos cum Ægyptia synodo Alexander Alexandrinus antistes de presbyterii gradu circa Christi annum 320 dejecit, quidam erat Pistus; quem licet cum mox dictæ synodi judicio, tum Mareoticorum Alexandrinorumque clericorum subscriptione damnatum, ac præterea anno 325, ab Ecclesia Nicæni concilii sententia expulsum (Vid. Epiphan. hær. 69, n. 8), Eusebiani tamen circa annum 339, ne suus Arianis Alexandriæ episcopus deesset, urbis hujus præsulem constituerunt. Tum ad Julium destinati sunt ab iis Macarius presbyter, Martyrius et Hesychius diaconi, cum litteris in gratiam Pisti adversus Athanasium, ac forte etiam adversus Marcellum Ancyræ, et Asclepam Gazæ episcopos conscriptis. Ab Eusebio, qui Beryto Nicomediam, et inde Constantinopolim contra legem migraverat, litteras illas scriptas esse Athanasius, apolog. cont. Arian., n. 1 tradit. Julius vero epist. 1 n. 8 sic eas ab illo scriptas innuit, ut paucos secum in iis scribendis socios adhibuerit. Interea legatis Athanasii Romam accedentibus, Macarius, presbyter ab iis convinci metuens, clam aufugit. Tum qui supererant Eusebianorum legati, Martyrius videlicet atque Hesychius, cum Athanasii presbyteris congressi, eis resistere cum non valuissent, synodum convocari petierunt. Qua de re tum convenit inter partes. Quocirca Julii litteris accersitus Athanasius statim Romam se contulit. Post ejus autem adventum, Julius ad Eusebianos per presbyteros suos Philoxenum et Elpidium misit litteras, quibus eos præstituto die ad synodum vocabat. Verum Eusebiani legatos illos, ut Athanasius epist. ad Monachos n. 11 narrat, ultra contradictum synodi diem, hoc est, ut habet Julius infra n. 6, *usque ad mensem Januarium* anni 342 detinentes, eos tandem cum litteris ad Julium dimiserunt.

II. His in litteris expostulabant, quod Julius secum contumeliose ageret, utpote quos (num. 2) de rebus a se definitis rationem reddituros ad suam ipsius synodum vocaret; obtendebantque (num. 3) firmam esse debere cujuslibet synodi auctoritatem, et injuriam judici fieri, cum ejus judicium ab alio examinatur. Inde ad ea (num 5) provocabant, quæ Novati, seu Novatiani, ac Pauli Samosateni gesta sunt temporibus, quibus, ut ipsi volunt, et Orientales Occidentalium de Novato, seu Novatiano, et Occidentales Orientalium de Paulo Samosatensi judicio steterunt. His addebant (ibid.) parem, immo eumdem esse episcoporum honorem, neque dignitatem illorum ex civitatum magnitudine metiendam esse. Romam, quo invitati erant, venire detrectantes, hoc (num. 6) sibi neque præfiniti temporis angustia, neque rerum Orientalium statu, hoc est, Persarum bello, permitti prætexebant. Simul et inde moveri se (num. 8) significabant, quod Julius solus soli Eusebio ac paucis ejus sociis, non sibi omnibus litteras inscripsisset.

Digitized by Google

Maxime vero eidem papæ, quod Athanasium ac Marcellum, de quo (num. 16) *ut impio erga Christum* scribebant, communione sua donasset, crimini (num. 9 et 20) vertebant, eique quasi partium studio teneretur, aiebant: *Marcelli et Athanasii communionem potius cooptatis quam nostram.* Inter hæc non deerant quidem testimonia, quibus Julium honorare (num. 1) videbantur; sed hunc honorem fictum ac minime sincerum esse adjuncta, quibus eumdem (num. 5) *discordiæ* flammam accendisse conviciabantur, persuadebant.

III. Hujusmodi litteras cum accepisset Julius, veritus ne, si publicæ fierent, tanta protervia offenderentur cuncti, eas apud se tamdiu retinuit, quamdiu spes erat fore ut Eusebianorum saltem nonnulli ad ipsum venirent. At id ubi desperare prorsus cœpit, tum demum in loco, in quo presbyter Vito conventus agebat (*Athan., apol. cont. Arian.* n. 20), congregata synodo, has in medium protulit litteras, eisque rescribendi provinciam sibi ab ipsa synodo, quæ plus quinquaginta episcopis constabat demandatam suscepit. Temporis quo rescripsit, ex eo quo Athanasius Romam se recepit, notitia pendet. Is enim præsul, cum subnexa epistola scripta est, jam ab octodecim mensibus adversarios suos Romæ exspectare infra n. 13 dicitur. Atqui Alexandria necdum discesserat, cum Gregorius e concilio Antiochiæ, anno 341, in Encæniis habito in eam civitatem missus, et in ipsius locum, quod proxime ante diem festum Paschæ contigit, per summam vim intrusus est. Tunc primum contendit Athanasius Romam; quo sane citius mense Maio pervenire non valuit. Si igitur ab hoc mense numerare incipiamus alios octodecim, quibus Athanasius in Urbe antea remansisse memoratur, sequetur ut subjecta epistola mense Septembri anni 342, aut circiter, consignanda sit. Iis inscripta est, qui Antiochiæ in unum collecti ad Julium scripserant. Ejusdem synodi, et litterarum inde scriptarum Socrates, l. II, c. 12, et Sozomenus, lib. III, cap. 8, meminerunt; sed in hoc aberrasse videntur a vero, quod in eam Orientales convenisse innuunt, non ut iis Julii litteris, quibus ad synodum Romanam vocabantur, sed iis potius, quibus quod vocati non venissent arguebantur, hoc est, subnexæ epistolæ rescriberent. Hæc per Gabianum Comitem missa, sed Eusebio reddi minime potuit. Eum enim paulo post concilium Antiochiæ celebratum, et antequam Julii sententiam rescivisset, mortem oppetiisse Socrates, l. II, c. 12, et Sozomenus, lib. III, cap. 7, tradunt. Ipsis suffragatur et Athanasius, qui postquam in apologia contra Arianos a numero 21 ad 35 epistolam istam totam descripsit, in ipso numero 36 subjicit: *Interim Eusebius obiit.*

EPISTOLA JULII AD ANTIOCHENOS.

(*Const.* p. 335.)

Julius (1) *Danio*, (2) *Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro et sociis eorum, qui Antiochia nobis scripsere, dilectis fratribus in Domino salutem.*

α'. Ἀνέγνων τὰ γράμματα τὰ διὰ τῶν πρεσβυτέρων μου Ἐλπιδίου καὶ Φιλοξένου ἀπεκομισθέντα, καὶ ἐλυπήμεσα, πῶς ἡμεῖς μὲν ἀγάπῃ καὶ συνειδήσει ἀληθείας ἐγράψαμεν, ὑμεῖς δὲ μετὰ φιλονεικίας, καὶ οὐχ ὡς ἔπρεπεν, ἀπεστείλατε. ὑπερηφία γὰρ καὶ ἀλαζονεία τῶν γραφάντων διὰ τῆς ἐπιστολῆς ἐδείκνυτο. ταῦτα δὲ ἀλλότρια τῆς ἐν Χριστῷ πίστεώς ἐστιν. ἔδει γὰρ τὰ μετὰ ἀγάπης γραφέντα, ἀμοιβῆς τῆς ἴσης μετὰ ἀγάπης τυχεῖν, καὶ μὴ μετὰ φιλονεικίας. ἡ οὐχὶ ἀγάπης ἐστὶ γνώρισμα πρεσβυτέρους ἀποστεῖλαι συμπαθεῖν τοῖς πάσχουσι, προτρίψασθαι τοὺς γράψαντας ἐλθεῖν, ἵνα πάντα θᾶττον λύσιν λαβόντα διορθωθῆναι δυνηθῇ, καὶ μηκέτι μήτε οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν πάσχωσι μήτε ὑμᾶς τινες διαβάλλωσιν; ἀλλ' οὐκ οἶδά τι τὸ δόξαν οὕτως ὑμᾶς διατεθῆναι, ὥστε καὶ ἡμᾶς ποιῆσαι

I. *Orientales Antiochia contentioso animo rescripserunt.* — Legi litteras (3) a presbyteris meis Elpidio et Philoxeno mihi allatas, miratusque sum, cum nos ex dilectione et veritatis conscientia scripserimus, a vobis contentiose, nec ut decebat, rescriptum esse. Superbia enim et arrogantia scribentium per epistolam sese prodebat: hæc autem a Christiana fide aliena sunt. Decebat enim, quæ cum dilectione scripta erant, parem cum dilectione, et non cum contentione responsionem obtinere. An non caritatis indicium est, presbyteros misisse qui cum dolentibus condolerent, et eos qui scripserant adhortarentur ut venirent, quo quam primum omnia tandem componi ac recte constitui valerent, nec diutius fratres nostri vexarentur, nec vos quidam criminarentur? Sed nescio cur sic affici vobis placuerit, ut nos induxeritis ad suspicandum, quæ vos verba nos honorandi causa dicere videbamini, hæc ipsa cum quadam dissimulatione et irrisione dixisse. Presbyteri namque qui missi sunt, quos cum gaudio rediisse oportebat, contra mœsti rediere ob ea quæ illic geri id prohibet, quod infra, num. 6, Nicænus episcopus non *Dunius*, sed recepto more *Diognius* appelletur.

(1) In Athanasii novissima editione observatum est, neque hic cum Nannio legendum *Diacono*, neque cum plerisque recentioribus *Danii* nomine intelligendum esse Dianæum Cæsareæ in Cappadocia episcopum, licet is præsul Antiochenæ synodo interfuerit; sed potius Theognium Nicænum, qui apud Athanasium non semel Διόγνιος, et apud Hilarium fragm. II, n. 2, *Diognitus* appellatur; et eum quidem, uti monimenta ab Athanasio, Apol. cont. Arian., p. 192, 195 et 195, relata fidem faciunt, inter Arianorum duces post Eusebium primas obtinere consuevisse. Præterea ex concilio Sardicensi, in quo, ut apud Hilarium, frag. II, n. 2, habetur, *lectæ sunt litteræ factæ a Theognito falsæ adversus Athanasium et Marcellum*, in concinnandis litteris, quæ partes Arianorum juvarent, Theognitum illum celebrem fuisse colligitur. Unde et idem epistolæ, cui nunc Julius rescribit, videri posset architectus, ideoque suum ei nomen præ cæteris præposuisse. Quominus tamen nostrorum conjecturæ sine cunctatione subscribamus,

(2) Is erat Antiochiæ episcopus, cujus rursum mentio fit in libello Ægyptiorum episcoporum ad Dionysium Comitem, necnon in rescripto ejusdem Dionysii apud Athanasium, Apolog. cont. Arian., p. 196 et 197; a Sozomeno, lib. III, c. 6, Πλάκητος; a Socrate, lib. II, c. 9, Πλάκητος; a Theodoreto, lib. I, c. 22, Πλακίτιος nuncupatus.

(3) Non exstant.

Digitized by Google

conspexerant. Ego vero, postquam litteras legi, cum multa mecum reputassem, epistolam apud me retinui, sperans vestrum saltem aliquos esse venturos, nec epistola opus fore, ne, si illa manifesta fieret, multos hic contristaret. Quandoquidem autem, nullo adveniente, necesse fuit illam proferre, fateor vobis, omnes admiratione capti, vix induci potuerunt ut crederent res hujusmodi a vobis esse scriptas : contentionis enim magis, quam charitatis epistola illa specimen præ se ferebat. Quod si eloquentiæ ostentandæ causa qui epistolam dictavit ita scripserit, aliorum sane est hujusmodi institutum (1). In rebus enim ecclesiasticis non ostentatio eloquentiæ quærenda est, sed canones apostolici, ac studendum ut ne unus quidem ex pusillis qui in Ecclesia sunt scandalizetur. Expedit enim, secundum ecclesiasticam sententiam, molam asinariam suspendi a collo, et ita in mare demergi potius, quam vel unum ex pusillis scandalizare (*Matth.* XVIII, 6). Quod si aliquibus mutua quadam simultate exacerbatis (non enim talem omnium mentem fuisse dixerim) istiusmodi epistolam scribi placuit, decebat quidem vel omnino non offendi, vel solem non occidere super offensa; hanc certe eo progredi non oportuit, ut scripto declararetur.

II. *Nihil in litteris suis esse unde juste expostularent.* — Quid enim actum est dignum querela : aut quibusnam epistolæ meæ dictis vobis succensendum fuit? an quia hortati sumus ut ad synodum accederetis? Atqui illud cum gaudio potius excipiendum fuit. Quibus enim est de rebus a se gestis, aut, ut ipsi aiunt, judicatis fiducia, ii non indigne ferunt si ab aliis judicium suum examinetur; sed pro certo habent ea, quæ ipsi juste judicarunt, injusta numquam fieri valere. Quocirca episcopi in magna synodo (2) Nicæna congregati, non citra Dei consilium, prioris synodi acta in alia synodo disquiri permiserunt, ut qui judicarent, præ oculis habentes secundum futurum esse judicium, cum omni cautela rem expenderent; et qui judicarentur, crederent se non ex priorum judicum odio et inimicitia, sed ex æquitatis prescripto judicatos esse. Quod si hujusmodi consuetudinem, antiquam sane, in magna synodo memoratam descriptamque, apud vos valere nolitis, indecora fuerit ejusmodi recusatio. Morem namque, qui semel in Ecclesia obtinuit, et a synodis confirmatus est, minime decet a paucis abrogari. Alioqui neque jure in hoc indignati videantur. Nam qui a vobis Eusebianis cum litteris missi sunt, Macarius videlicet presbyter ac Martyrius et Hesychius diaconi, huc advenientes cum non valerent presbyteris Athanasii, qui huc se contulerant, obsistere, sed in omnibus refutarentur atque convincerentur, tum a

(1) Sen *ad alia negotia pertinet*, utrumque enim permittit vox græca.

(2) Baronius aliique hic aliquod notari arbitrantur Nicænum decretum quod desideretur. Ex quo et confici putant, præter receptos viginti canones, etiam alios in Nicæna synodo fuisse prolatos. Quid tamen vetat quominus Julius hic respicere intelligatur ad quintum ejusdem concilii canonem, quo

A λογίζεσθαι, ὅτι καὶ ἐν οἷς ἐδόξατε ῥήμασιν ἡμᾶς τιμᾶν, ταῦτα μετασχηματιζόμενοι μετὰ εἰρωνείας τινὸς εἰρήκοντε. καὶ γὰρ καὶ οἱ πρεσβύτεροι οἱ ἀποσταλέντες, οὓς ἔδει μετὰ χαρᾶς ἐπικαλεῖσθαι, τοὐναντίον λυπούμενοι ἐπανῆλθον, ἐφ' οἷς ἐωράκασιν ἐκεῖ γενόμενοι. καὶ ἔγωγε τοῖς γράμμασιν ἐντυχών, πολλὰ λογισάμενος, κατίσχον παρ' ἐμαυτῷ τὴν ἐπιστολήν, νομίζων ὅμως ἥξειν τινάς, καὶ μὴ χρείαν εἶναι τῆς ἐπιστολῆς, ἵνα μὴ καὶ εἰς φανερὸν ἐλθοῦσα, πολλοὺς τῶν ἐν τοῦτο λυπήσῃ. ἐπειδὴ δὲ, μηδενὸς ἐλθόντος, ἀνάγκη γέγονεν αὐτὴν προκομισθῆναι, ὁμολογῶ ὑμῖν, πάντες ἐθαύμασαν. καὶ ἔγγυς ἀπιστίας γεγόνασιν, εἰ ὅλως παρ' ὑμῶν τοιαῦτα ἐγράφη. φιλονεικίας γὰρ μᾶλλον καὶ οὐκ ἀγάπης ἦν ἡ ἐπιστολή. εἰ μὲν οὖν φιλοτιμίας λόγων ἕνεκεν ὁ ὑπαγορεύσας ἔγραψεν, ἄλλων τὸ τοιοῦτον ἐπιτηδευμα. ἐν γὰρ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς οὐ λόγων ἐπίδειξίς ἐστιν, ἀλλὰ κανόνες Ἀποστολικοί, καὶ σπουδὴ

B τοῦ μὴ σκανδαλίζειν ἕνα τῶν μικρῶν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. συμφέρει γὰρ, κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν λόγον, μύλον ὀνικὸν κρεμασθῆναι εἰς τὸν τράχηλον καὶ καταποντισθῆναι, ἢ σκανδαλίσαι κἂν ἕνα τῶν μικρῶν. εἰ δὲ ὡς τινῶν λελυπημένων διὰ τὴν πρὸς ἀλλήλους μικροψυχίαν, οὐ γὰρ ἂν εἴποιμι πάντων εἶναι ταύτην γνώμην, τοιαύτη γέγονεν ἡ ἐπιστολὴ, ἔπρεπε μὲν μηδὲ ὅλως λυπηθῆναι, μηδὲ ἐπιδῦναι τὸν ἥλιον ἐπὶ τῇ λύπῃ· ἔδει δὲ ὅμως μὴ εἰς τοσοῦτον παραχθῆναι, ὥστε καὶ ἔγγραφον σύντην ἐπιδείξασθαι.

C β'. Τί γὰρ καὶ γέγονεν ἄξιον λύπης, ἢ ἐν τίνι ἦν ἄξιον λυπηθῆναι ὑμᾶς οἷς καὶ ἐγράψαμεν; ἢ ὅτι προστρεψάμεθα εἰς σύνοδον ἀπαντῆσαι; ἀλλὰ τοῦτο μᾶλλον ἔδει μετὰ χαρᾶς δέξασθαι. οἱ γὰρ παῤῥησίαν ἔχοντες, ἐφ' οἷς πεποιήκασι, καὶ, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, κεκρίκασιν, οὐκ ἀγνωκτοῦσιν εἰ παρ' ἑτέρων ἐξετάζοιτο ἡ κρίσις, ἀλλὰ θαῤῥοῦσιν, ὅτι ἃ δικαίως ἔκριναν, ταῦτα ἄδικα οὐκ ἂν ποτε γένοιτο. διὰ τοῦτο καὶ οἱ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν μεγάλῃ συνόδῳ συνελθόντες ἐπίσκοποι, οὐκ ἄνευ θεοῦ βουλήσεως συνεχώρησαν ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ τὰ τῆς προτέρας ἐξετάζεσθαι, ἵνα καὶ οἱ κρίνοντες, πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες τὴν ἐσομένην δευτέραν κρίσιν, μετὰ πάσης ἀσφαλείας ἐξετάζωσι, καὶ οἱ κρινόμενοι πιστεύωσι, μὴ καθ' ἔχθραν τῶν πρωτέρων, ἀλλὰ κατὰ τὸ δίκαιον ἑαυτοὺς κρίνεσθαι. εἰ δὲ τοιοῦτον ἔθος παλαιὸν τυγχάνον, μνημονευθὲν δὲ καὶ γραφὲν ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ, ὑμεῖς τοῦτο παρ' ὑμῖν ἰσχύειν οὐ θέλετε, ἀπρεπὴς μὲν ἡ τοιαύτη παραίτησις. τὸ γὰρ ἅπαξ συνηθειαν ἐσχηκὸς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ συνόδων βεβαιωθὲν, οὐκ εὔλογον ὑπὸ ὀλίγων παραλύεσθαι. ἄλλως τε οὐδὲ ἐν τούτῳ δικαίως ἂν φανεῖεν λυπηθέντες. οἱ γὰρ παρ' ὑμῶν τῶν περὶ Εὐσέβιον ἀποσταλέντες μετὰ γραμμάτων, λέγω δὴ Μακάριος ὁ πρεσβύτερος, καὶ Μαρτύριος καὶ Ἡσύχιος οἱ διάκονοι ἀπαν-

D sancitur, ut si quis ab episcopo proprio ejectus fuerit, ab aliis non recipiatur, donec ejus causa in provinciæ synodo examinetur; tum vero, si justam episcopi sententiam synodus approbaverit, ille segregatus apud omnes habeatur, *donec episcoporum congregationi videatur humaniorem pro eo proferre sententiam?* His quippe postremis verbis Nicæni Patres alteri episcoporum congregationi abrogationem sententiæ, quæ a priori synodo dicta fuerat, adeoque et ejus recognoscendæ potestatem videntur permittere. Notum ac pervulgatum est illud Augustini, lib. II, de Baptismo, cont. Donat., c. 3 : *Ipsa concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat.*

Digitized by Google

τήσαντες ἐνταῦθα, ὡς οὐκ ἠδυνήθησαν πρὸς τοὺς ἀληθέντας; Ἀθανασίου πρεσβυτέρους ἀντιστῆναι, ἀλλ' ἐν πᾶσι διετρέποντο καὶ διηλέγχοντο, τὸ τηνικαῦτα ἠξίωσαν ἡμᾶς, ὥστε σύνοδον συγκροτῆσαι, καὶ γράψαι καὶ Ἀθανασίῳ τῷ ἐπισκόπῳ εἰς Ἀλεξάνδρειαν, γράψαι δὲ καὶ τοῖς περὶ Εὐσέβιον, ἵνα ἐπὶ παρουσίᾳ πάντων ἡ δίκαια κρίσις ἐξενεχθῆναι δυνηθῇ· τότε γὰρ καὶ ἀποδεικνύναι πάντα τὰ κατὰ Ἀθανάσιον ἐγκλήματα. κοινῇ γὰρ ὑφ' ἡμῶν διηλέγχθησαν οἱ περὶ Μαρτύριον καὶ Ἡσύχιον, καὶ οἱ Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρείας πρεσβύτεροι μετὰ πεποιθήσεως ἀνθίσταντο, οἱ δὲ περὶ Μαρτύριον, εἰ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, ἐν πᾶσι διετρέποντο, ὅθεν καὶ ἠξίωσαν σύνοδον γενέσθαι. εἰ τοίνυν μηδὲ τῶν περὶ Μαρτύριον καὶ Ἡσύχιον ἀξιωσάντων γενέσθαι σύνοδον, προτρεψάμενος ἡμην ἐγὼ σπεῦσαι τοὺς γράψαντας ἕνεκεν τοῦ ἀδελφῶν ἡμῶν τῶν αἰτιωμένων ἀδικίαν πεπονθέναι, καὶ οὕτως εὔλογος ἦν καὶ δικαία ἡ προτροπή, ἔστι γὰρ ἐκκλησιαστικὴ καὶ Θεῷ ἀρέσκουσα. ὅτε δὲ οὓς ὑμεῖς αὐτοὶ οἱ περὶ Εὐσέβιον ἀξιοπίστους ἡγήσασθε, καὶ οὗτοι ἠξίωσαν ἡμᾶς συγκαλέσαι, ἀκόλουθον ἦν τοὺς κληθέντας μὴ λυπηθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον προθύμως ἀπαντῆσαι. οὐκοῦν ἡ μὲν δόξασα ἀγανάκτησις τῶν λυπηθέντων προπετής. ἡ δὲ παραίτησις τῶν μὴ θελησάντων ἀπαντῆσαι ἀπρεπὴς καὶ ὑποπτος ἐκ τούτων δείκνυται. αἰτιᾶταί τις, θαρράττων αὐτὸς ἀποδέχεται, εἰ παρ' ἑτέρου γινόμενα βλέπει;

γ'. Εἰ γὰρ, ὡς γράφετε, ἀσάλευτον ἔχει τὴν ἰσχὺν ἑκάστη σύνοδος, καὶ ἀτιμάζεται ὁ κρίνας, ἐὰν παρ' ἑτέρων ἡ κρίσις ἐξετάζηται, σκοπεῖτε, ἀγαπητοί, τίνες εἰσὶν οἱ σύνοδον ἀτιμάζοντες, καὶ τίνες τὰ τῶν ῥηθέντων κρῖναι διαλύουσι. καὶ ἵνα μὴ τὰ καθ' ἕκαστον νῦν ἐξετάζων ἐπιβαρεῖν τινας δοκῶ, ἀλλὰ τόγε τελευταῖον γενόμενον, ἐφ' ᾧ καὶ ῥᾳδίως ἂν τις ἀκούων ἄρκεῖ πρὸς ἀπόδειξιν πάντων τῶν παραλειφθέντων. Οἱ ῥηθέντες οἱ ἀπὸ τοῦ τῆς μακαρίας μνήμης Ἀλεξάνδρου τοῦ γενομένου ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπὶ ἀσεβείᾳ ἐκβληθέντες, οὐ μόνον ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην πόλιν ἀπεκηρύχθησαν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ πάντων τῶν κοινῇ συνελθόντων ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν μεγάλῃ συνόδῳ ἀνεθεματίσθησαν. οὐ γὰρ ἦν αὐτῶν τὸ τυχὸν πλημμέλημα, οὐδὲ εἰς ἄνθρωπον ἦσαν ἁμαρτήσαντες, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. καὶ ἅμως οἱ ὑπὸ πάσης τῆς οἰκουμένης ἀποκηρυχθέντες, καὶ κατὰ πᾶσαν ἐκκλησίαν στηλιτευθέντες, νῦν λέγονται δεδέχθαι, ἐφ' ᾧ καὶ ὑμᾶς ἀκούσαντας χαλεπαίνειν δίκαιον ἡγοῦμαι. τίνες οὖν εἰσιν οἱ σύνοδον ἀτιμάζοντες; οὐχὶ οἱ τῶν τριακοσίων τὰς ψήφους παρ' οὐδὲν θέμενοι, καὶ ἀσέβειαν εὐσεβείας προκρίναντες; ἡ μὲν γὰρ τῶν Ἀριομανιτῶν

nobis id postularunt, ut synodus indiceretur, litteræque ad Athanasium episcopum Alexandriam, necnon ad Eusebianos mitterentur, ut coram omnibus justum posset proferri judicium : tum enim se omnia contra Athanasium allata crimina probaturos promisere. Publice namque a nobis Martyrius et Hesychius convicti sunt, et presbyteris Athanasii Alexandrinæ episcopi cum fiducia obsistentibus, Martyrius (1) et socii, ut vere dicam, in omnibus refutabantur; hinc que factum est ut synodum coacti sint postulare. Si igitur Martyrio et Hesychio nullam synodum postulantibus auctor ego fuissem, ut ii qui scripserant defatigationis molestiam (2) subirent fratrum nostrorum gratia, qui se injuriam passos conquerebantur, hoc etiam in casu æqua et justa fuisset adhortatio, quippe quæ ecclesiastica sit et Deo grata. Jam vero cum iidem, quos vos ipsi Eusebiani fide dignos censuistis, nos (3) rogarint ut synodus convocaretur; decuit vocatos non indigne ferre, sed potius alacriter occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hoc iniquo animo ferre visi sunt, proterva est; detrectatio vero eorum, qui venire noluerunt, inhonesta et suspecta hinc deprehenditur. Aliquisne reprehendit, si quæ probat, cum ipse facit, ab alio fieri videat?

III. *Objiciunt dedecorari synodum cujus judicata rescindantur. Ipsi convincuntur acta Nicænæ synodi rescidisse.* — Si enim, ut scribitis, quælibet synodus firmam habet auctoritatem, et contumeliose agitur cum judice, si ejus judicium ab alio examinetur, considerate, dilecti, quinam sint qui synodum inhonorant, et quinam ea quæ ab aliis prius judicata sint rescindant. Et ne singulorum acta expendens, quosdam gravare videar, sane quod postremo gestum est, cum sit horrendum auditu, sufficit ad cætera, quæ a me omittuntur, comprobanda. Ariani a beatæ memoriæ Alexandro quondam Alexandriæ Episcopo ob impietatem ejecti, non solùm à singulis civitatibus expulsi sunt, sed et ab omnibus pariter qui ad Nicænam magnam synodum simul convenerant, anathemate sunt damnati. Non enim leve erat eorum scelus, nec in hominem, sed in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei viventis peccaverunt. At tamen qui a toto terrarum orbe rejecti fuerant, et apud universam Ecclesiam infamati, nunc recepti dicuntur; quod et vobis audientibus indigne ferendum existimo. Quinam igitur sunt qui synodum dedecore afficiunt; nonne qui trecentorum episcoporum suffragia pro nihilo habent, et impietatem pietati anteponunt? Et Ariomanitarum quidem hæresis ab omnibus ubique episcopis convicta et condemnata est : Athanasus vero et Marcellus episcopi plures habent qui ipsos verbis scriptisque defendunt. Nam de Marcello nobis testimonium (4) perhibuere, quod in

(1) Martyrio synodum postulanti non alius videtur adfuisse socius nisi Hesychius, ut mox diserte enuntiatur. Nam licet superius eis adjungatur Macarius presbyter, hunc tamen, ut audivit instare presbyteros Athanasii, noctu aufugisse infra Julius, n. 4, docet; adeoque tum Roma abfuisse, cum Martyrius et Hesychius a presbyteris Athanasii revicti synodum flagitare cœperunt. Atqui Martyrius et Hesychius diaconi, non presbyteri, erant. Ab Athanasio tamen epist. ad Solit., n. 9, synodum postulasse dicuntur *presbyteri* ab Eusebianis missi, *cum se convictos advertarent*. Num illuc πρεσβύτεροι loco verbi πρεσβεῦται; quod est *legati*, irrepsit? aut forte dicti sunt presbyteri, quia legationis dux presbyter fuit, licet is paulo ante aufugisset?

(2) Quo nimirum ad synodum vocati venirent.

(3) Immo, ut auctor est Athanasius Apolog. contra Arianos, n. 20, Eusebiani ipsi litteris ad Julium scriptis, *rogabant ut synodus cogeretur, et ipse, si vellet, judex foret*. Quod mirum est hic a Julio fuisse prætermissum, nisi forte Eusebianis ipsis id quod ab eorum legatis factum est Athanasius ibi attribuat, Sozomeno quoque, l. III, c. 7, teste : *Eusebius scripsit ad Julium, ut ipse judex esset eorum quæ contra Athanasium decreta sunt Tyri*.

(4) Scil. presbyteri Romanæ ecclesiæ, qui Nicænæ

Digitized by Google

Nicæna synodo Arianis obstiterit. De Athanasio autem testes dixerunt, eum nec Tyri (1) convictum, nec in Mareote, ubi monimenta adversus illum adornata esse dicitur, præsentem fuisse. Scitis autem, dilecti, quæ ab una solum parte aguntur, nullam vim habere, sed suspecta esse. Nos tamen, quanquam sic actum esset, accuratioris disquisitionis causâ, nec de vobis, nec de iis, qui pro illis scripserant, quidquam præjudicantes, hortati sumus eos, qui litteras miserant, ut huc se conferrent : ut quando quidem plures sunt qui pro illis scripsere, in synodo omnia examinarentur : quo nec damnetur innoxius, nec qui reus est ut purus habeatur. Non igitur a nobis vilipenditur synodus, sed ab iis qui temere et levissime Arianos ab omnibus damnatos, etiam contra judicum sententiam receperunt. Horum quidem plerique jam resoluti cum Christo sunt : sed qui etiamnum superstites sunt indigne ferunt quod suum judicium quidam resciderint.

A τῶν αἱρεσις ὑπὸ πάντων τῶν ἁπανταχοῦ ἐπισκόπων κατεγνώσθη, καὶ ἀπεκηρύχθη· Ἀθανάσιος δὲ καὶ Μάρκελλος οἱ ἐπίσκοποι πλείονας ἔχουσι τοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν λέγοντας καὶ γράφοντας. Μάρκελλος μὲν γὰρ ἐμαρτυρήθη ἡμῖν, καὶ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ τοῖς τὰ Ἀρείου φρονοῦσιν ἀντειρηκώς. Ἀθανάσιος δὲ ἐμαρτυρήθη, μηδὲ ἐν Τύρῳ κατεγνωσθείς, ἐν δὲ τῇ Μαρεώτῃ μὲν παρεῖναι ἐνθα τὰ ὑπομνήματα κατ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι λέγεται. εἴδατε δέ, ἀγαπητοί, ὅτι τὰ κατὰ μονομέρειαν ἰσχὺν οὐκ ἔχει, ἀλλ' ὑποπτα τυγχάνει. καὶ ἡμεῖς τούτων ὄντων, ἡμεῖς ὑπὲρ ἀκριβείας, οὔτε τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν γράψασι πρόκριμα ποιοῦντες, προετρεψάμεθα τοὺς γράψαντας ἐλθεῖν, ἵν' ἐπειδὴ πλείους εἰσὶν οἱ ὑπὲρ αὐτῶν γράψαντες, ἐπὶ συνόδου πάντα ἐξετασθῇ· πρὸς τὸ μηδὲ τὸν ἀναίτιον κατακριθῆναι, μήτε τὸν ὑπεύθυνον ὡς καθαρὸν λεγισθῆναι. οὐκοῦν οὐ παρ' ἡμῶν ἀτιμάζεται σύνοδος, ἀλλὰ παρ' ἐκείνων τῶν ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχε τοὺς παρὰ πάντων κατακριθέντας Ἀρειανούς, καὶ παρὰ γνώμην τῶν κρινάντων, δυξαμένων. οἱ γὰρ πλείονες ἤδη ἀνελύσαντες εἰσὶ σὺν Χριστῷ· οἱ δὲ ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ ἐξετάζονται, ἀγανακτοῦντες ὅτι τὴν αὐτῶν κρίσιν ἔλυσάν τινες.

B

IV. *Nicænam synodum in causa Pisti Eusebiani temerant; Julius illæsam servat.* — Hoc autem ita se habere deprehendimus ex iis quæ Alexandriæ acta sunt. Nam (2) Carpones quidam ab Alexandro ob Arianam hæresim pulsus, simul et nonnulli ejusdem hæresis causa ejecti, a quodam Gregorio missi huc venerunt. Idipsum (3) etiam a Macario presbytero, Martyrio et Hesychio diaconis didicimus. Antequam enim presbyteri Athanasii advenirent, auctores nobis erant ut Alexandriam Pisto cuidam litteras mitteremus, quo tempore Athanasius quoque episcopus Alexandriæ degebat. Quem Pistum Athanasii presbyteri supervenientes Arianum esse declararunt, expulsum olim ab Alexandro episcopo et a Nicæna synodo ; jam vero ordinatum a quodam (4) Secundo, quem magna synodus ejecerat, utpote Arianum. Hoc autem nec ipse Martyrius aut socii inficiabantur, neque negabant Pistum a Secundo fuisse ordinatum. Hinc igitur perpendite, quinam jure culpandi sint, nosne quibus persuaderi non potuit ut Pisto Ariano scriberemus, an qui auctores erant ut magnam synodum vilipenderemus, et impiis,

Δ. Τοῦτο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν γενομένων μὲν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἔγνωμεν. καὶ γὰρ καὶ Καρπώνης τις ἐκβληθεὶς ὑπὸ Ἀλεξάνδρου διὰ τὴν Ἀρείου αἵρεσιν μετά τινων, καὶ αὐτῶν ἐκβληθέντων διὰ τὴν αὐτὴν αἵρεσιν, ἐληλύθασιν ἐνταῦθα, ἀποσταλέντες παρὰ Γρηγορίου τινός. ὁμῶς δὲ ἐμάθομεν καὶ παρὰ Μακαρίου τοῦ πρεσβυτέρου, καὶ Μαρτυρίου καὶ Ἡσυχίου τῶν διακόνων· πρὸ τῶν γὰρ ἀπαντήσαι τοὺς Ἀθανασίου πρεσβυτέρους, προετρέποντο ἡμᾶς γράψειν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Πιστῷ τινι, ἡνίκα καὶ Ἀθανάσιος ὁ ἐπίσκοπος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἦν. τοῦτον δὲ τὸν Πιστὸν οἱ Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου πρεσβύτεροι παραγενόμενοι ἀπέδειξαν εἶναι Ἀρειανὸν, ἐκβληθέντα μὲν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῆς κατὰ Νίκαιαν συνόδου, κατασταθέντα δὲ ὑπὸ Σεκούνδου τινός, ὃν ἡ μεγάλη σύνοδος Ἀρειανὸν ὄντα ἐξέβαλε. τοῦτο δὲ οὐδὲ αὐτοὶ οἱ περὶ Μαρτύριον ἀντέλεγον, οὐδὲ ἠρνοῦντο τὸν Πιστὸν ὑπὸ Σεκούνδου ἰσχηκέναι τὴν κατάστασιν. σκοπεῖτε τοίνυν καὶ ἐκ τούτων, τίνες ἂν ὑπὸ μέμψιν δικαίως γίνοιντο, οἱ μὴ πεισθέντες ἡμεῖς, ὥστε Πιστῷ τῷ Ἀρειανῷ γράψαι, ἢ οἱ συμβουλεύοντες

C

D

synodo interfuerant, ut infra declaratur, n. 16, adeoque Vita et Vincentius a Sylvestro ad hanc synodum legati.

(1) Plurimos torsit hic locus a Nannio sic latinitate donatus : *Neque Tyri condemnatus est.* Et enim quidem cum Tyriensis synodi gestis, ex quibus Athanasium Tyri condemnatum fuisse certissimum est, conciliare atque componere frustra nisi sunt. Felicior fuisset eorum labor, si verbum καταγινώσκειν pro *convincere*, cum apud alios auctores, tum apud Athanasium, usitatum esse observassent. Ipse Julius, seu interpres illius, infra, num. 14, ubi a Tyriensi synodo, si re ipsa illic convictus fuisset Athanasius, alium ejus loco episcopum substituendum fuisse notat, prædicto verbo utitur, eodemque intellectu num. 20. et 21 ter illud usurpat.

(2) Is ab Alexandro apud Athanasium, nov. edit. pag. 397, necnon apud Socratem, l. 1, cap. 6, inter Ecclesiæ desertores recensetur. Eundem Epiphanius, hær., 69, ex Alexandrinis ecclesiis unam administrasse tradit.

(3) Illud *idipsum*, non ad rem proxime narratam refertur, sed ad id quod numeri hujus initio Julius sibi probandum proponit, quam nihili videlicet Eusebiani ducerent Nicænæ synodi decreta. Hoc primum Carponæ et sociorum a Gregorio Romam missorum, nunc Pisti et Secundi exemplo comperisse se probat.

(4) Videlicet Ptolemaïdis episcopo, quem Ægyptiorum episcoporum concilium primum circa annum 320, ac deinde Nicæna synodus anathemate damnarunt, uti fidem faciunt monimenta quæ Socrates lib. 1, c. 6 et 9, refert. Stare igitur nequit illud Sozomeni, l. 1, c. 21, ubi ait, Secundum, Ptolemaidis in Lybia episcopum, una cum Theognio, Mari, etc., fidem in concilio Nicæno conscriptam approbasse. Nec valet quod Valesius Sozomeni cum Socrate conciliandi gratia excogitavit, scil., Secundum ac socios *initio quidem formulam fidei Nicænæ penitus rejecisse, postea tamen metu principis, qui contradicentibus exsilium minabatur, eam comprobasse.* Ipsi enim Nicæni Patres epistola synodica ad Alexandrinam ecclesiam atque in Ægyptum missa, Secundum ab Ecclesia ejectum fuisse renuntiant, et idipsum modo Julius septem post annis, non diffitentibus Eusebianorum legatis, confirmat. Unde hoc saltem de Secundo certum est, eum neque in Nicæno concilio, neque post concilii hujus fidem ratam habuisse.

Digitized by Google

ἀτιμάσαι τὴν μεγάλην σύνοδον, καὶ τοῖς ἀσεβέσιν ὡς εὐσεβέσι γράψαι; καὶ γὰρ καὶ Μακάριος ὁ πρεσβύτερος, ὁ παρὰ Εὐσεβίου μετὰ τῶν περὶ Μαρτύριον ἀποσταλείς, ὡς ἠκούσαμεν ἐπιστάντας τοὺς πρεσβυτέρους Ἀθανασίου, ἐκδεχομένων ἡμῶν τὴν παρουσίαν αὐτοῦ μετὰ τῶν περὶ Μαρτύριον καὶ Ἡσύχιον, ἀπεδήμησε νυκτὸς, καίτοι νοσῶν τῷ σώματι, ὡς ἐκ τούτου λοιπὸν ἡμᾶς ἀκολούθως στοχάζεσθαι, ὅτι αἰσχυνόμενος τὸν κατὰ Πιστοῦ ἔλεγχον, ἀνεχώρησεν. ἀδύνατον γὰρ τὴν κατάστασιν Σακεύνδου τοῦ Ἀρειανοῦ, ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἰσχύσαι. ἀτιμία γὰρ ἀληθῶς αὕτη κατὰ τῆς συνόδου καὶ τῶν ἐν αὐτῇ συνελθόντων ἐπισκόπων, ἐὰν τὰ μετὰ τοσαύτης σπουδῆς καὶ εὐλαβείας ὡς θεοῦ παρόντος γενόμενα, ἀντὶ μηδενὸς λυθῇ.

ε'. Εἴπερ οὖν, ὡς γράφετε, ἐκ τοῦ κατὰ Νοβάτου καὶ τὸν Σαμοσατέα Παῦλον παραδείγματος τὰ τῶν συνόδων ἰσχύειν δόγματα χρὴ, ἔδει μᾶλλον μὴ λυθῆναι τῶν τριακοσίων τὸν ψῆφον, ἔδει τὴν καθολικὴν σύνοδον ὑπὸ τῶν ὀλίγων μὴ ἀτιμασθῆναι. αἱρετικοὶ γὰρ οἱ Ἀρειανοὶ, ὥσπερ ἐκεῖνοι, κατὰ ὁμοίαι αἱ κατὰ τούτων ψῆφοι ταῖς κατ' ἐκείνων. τούτων δὲ τολμηθέντων, τίνες εἰσὶν οἱ φλύαρα δικονοίας ἀνάπτοντες; ἡμᾶς γὰρ τοῦτο πεποιηκέναι γράψαντες, ἐμέμψασθε. ἆρ' οὖν ἡμεῖς δικονοίας εἰργασάμεθα, οἱ συναλγοῦντες τοῖς πάσχουσιν ἀδελφοῖς, καὶ κατὰ κανόνα πάντα πεποιηκότες, ἢ οἱ φιλονεικοῦντες καὶ παρὰ κανόνα τῶν τριακοσίων τὸν ψῆφον λύσαντες, καὶ κατὰ πάντα τὸν σύνοδον ἀτιμάσαντες; οὐ γὰρ μόνον οἱ Ἀρειανοὶ ἐδέχθησαν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τόπου εἰς τόπον μεμελετήκασιν ἐπίσκοποι διαβαίνειν. Εἰ οὖν ἀληθῶς ἴσην καὶ τὴν

A quasi pii fuissent, litteras mitteremus? Nam Macarius ipse presbyter, qui cum Martyrio ab Eusebio missus est, ut audivit instare presbyteros Athanasii, cum nos expectaremus ut una cum Martyrio et Hesychio coram nobis se sisteret, corpore licet æger, noctu abscessit; ut hinc merito conjiceremus, eum ideo discessisse, quod se puderet circa Pistum refutatum iri; cum fieri non posset ut ordinatio Secundi Ariani in Ecclesia catholica valeret. Illud enim re vera synodo et episcopis qui in ea convenere contumeliosum esse, si quæ illi tanto studio ac pietate tanquam Deo præsente egerunt, quasi nullius pretii abrogarentur.

V. *Fucatum illorum pro synodorum decretis studium.*— Si igitur, uti scribitis (1), eorum quæ in causa B Novati et Pauli Samosatensis gesta sunt exemplo, synodorum dogmata vigere oportet, certe multo magis decuit trecentorum episcoporum decreta non irrita fieri, decuit universalem synodum a paucis non contemni. Ariani enim sunt hæretici æque ac illi, et paria contra hos atque contra illos decreta prodierunt. Cum autem tales ausus viderimus, quinam discordiæ flammam accenderunt? nos enim istud commisisse in litteris vestris arguistis. Nosne discordiam induximus, qui afflictorum fratrum vicem dolemus, et omnia secundum canonem egimus? annon potius qui contentiose et contra canonem trecentorum decreta violarunt, et in omnibus synodum contempserunt? Non solum enim Ariani admissi, sed et a loco in locum episcopi sese transferre (2) meditati sunt. Si

C mox dicebat Eusebius, *seorsum* in conciliis *consultarant*) *abstentum*. Neque illud majori fide dignum quod aiunt, Antiocheni concilii sententiam adversus Paulum Samosatensem nullo examine prævio fuisse admissam. Nempe, ut Eusebius idem, lib. VII Hist., cap. 30, narrat, Paulus a concilio damnatus, cum ex Antiochenæ ecclesiæ domo excedere nollet, eamque ob causam imperatorem interpellasset, *præcepit Aurelianus, ut iis domus traderetur, quibus Italici Christianæ religionis antistites et Romanus episcopus scriberent:* quod Eusebius ipse *rectissime judicatum* testatur. Hac autem occasione Domno in locum Pauli suffecto scribere, eique Antiochenæ ecclesiæ domum adjudicare quomodo potuerint Romanus aliique antistites, nisi prius Antiocheni concilii de Pauli causa judicium recognovissent? maxime cum sibi apud ethnicum imperatorem de sententia sua rationem reddendam esse non ignorarent. Neque magis veritati aut æquitati consentaneum est, quod Eusebiani rursum de Sa-D bellii causa Philippopoli objecerunt. Hujus quippe hæresim Ptolemaidæ in Pentapoli, adeoque in Oriente natam, et a Dionysio Alexandrino episcopo, qui pariter ad Orientem pertinebat, primum refutatam ac damnatam fuisse superior epistola 1, ad Xystum II, n. 2, persuadet. Unde Orientalium potius de Sabellio judicium Romæ confirmatum esse, quam Romani concilii de eodem hæretico sententiam Orientalium consensu ratam fuisse conficitur. Aut certe si Dionysius Alexandrinus nascentem Sabellii hæresim refutasse contentus, litteras, quibus illam refellebat ad Xystum misit, expectavitque quid de illa Romanum sentiret concilium, ac tandem Romanæ synodi judicium cum cæteris Orientalibus comprobavit, hinc nihilominus perspicua fiet Romani antistitis in Oriente auctoritas.

(1) Hunc locum, cujus sensum hactenus non satis expresserunt pristinæ interpretationes latinæ, Socrates, l. II, cap. 15, illustrat, ubi ait, Julio ab Orientalibus Antiochiæ congregatis rescriptum, *non debere ab ipso discuti, si quos ipsi ecclesiis suis expellere voluissent; neque enim se contradixisse tunc, cum Novatus eccle ia ejectus est.* Mentem suam ipsimet Eusebiani apud Hilarium frag. III, n. 26, apertius explicant, eamdem calumniam subinde Philippopoli non adversus Julium tantum, sed et adversus Occidentales renovantes in hunc modum: *Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in concilio orientales episcopi quidquid forte statuissent ab episcopis Orientalibus refricaretur; similiter quidquid occidentalium partium episcopi, ab Orientalibus solveretur. Verum omnium conciliorum juste legitimeque actorum decreta affirmanda majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma sub Novato et Sabellio et Valentino hæreticis factum concilium, ab orientalibus confirmatum est: et iterum in Oriente sub Paulo Samosatis quod statutum est, ab omnibus est signatum.* Obiter observo in omnibus illis locis *Novatiani* vocem loco *Novati* substituendam fuisse. Ipse vero Julius hoc erratum, quod Orientalibus familiare est, in ipsorum litteris offendens, illud corrigere neglexit, quamquam Sozomenus lib III, cap. 8, Eusebianorum ad Julium litteras summatim exhibens, sic eorum verba apud Valesium reddit: *Nam et episcopos Orientis, qui ipsos ætate antecessissent, neutiquam contradixisse affirmabant tum, cum* Novatianus *ecclesia romana ejectus est.*

Nunc vero id, quod in Novatiani causa gestum est, frustra obtendunt Eusebiani, ut quod ab uno concilio statutum est, ab altero minime discutiendum esse approbent. Ipso Eusebio teste, *cum Romæ* (hac de causa) *congregata esset synodus, cumque in provinciis antistites quid agendum esset seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, Novatum* (leg. *Novatianum*) *quidem et eos qui una cum ipso sese insolentius extulerunt, alienos ab Ecclesia habendos esse.* Quocirca Cyprianus ad Stephanum papam, epist. 1, n. 2 scribit *Novatianum nuper retusum et refutatum et per totum orbem a sacerdotibus Dei* (qui, ut

(2) Eusebium carpit, qui relicta Berytensi sede in Nicomediensem invaserat, ac demum hanc quoque

Digitized by Google

igitur vere parem eumdemque existimatis episcoporum honorem, neque ex magnitudine civitatum, uti scribitis, episcoporum dignitatem metimini, oportuit eum cui parva civitas concredita fuerat, in illa manere, nec contempta illa quæ sibi credita erat, ad aliam sibi non commissam transire; ita ut eam quæ sibi a Deo tradita est despiceret, inanem vero hominum gloriam exoptaret.

VI. *Ne Romam se conferant, frustra obtendunt angustiam temporis præfiniti.*— Ergo, dilectissimi, oportuit vos huc accedere, et non abnuere, ut negotium ad finem deduceretur; id enim ratio postulat. Sed fortasse præfinitum tempus id vobis non permisit; in litteris enim vestris conquesti estis angustum nos ad synodum cogendam temporis spatium definivisse. Verum hoc, dilecti, mera est causæ simulatio. Nam si quos jam profectos prævertisset illo dies, angustum sane fuisse præfiniti temporis spatium recte arguerent. Si autem ii, quibus accedere non libuit, presbyteros quoque usque ad mensem (1) Januarium detinuerint, merus est prætextus hominum suis rebus diffidentium. Venissent enim, ut prius dixi, si de sua causa bene sperassent, non itineris intervallum considerantes, nec ad præfinitum tempus respicientes, sed justitia et æquitate suæ causæ freti.

VII. At fortassis ob temporis rationem non venerunt; hoc enim rursum scripto significastis, oportuisse scilicet nos, animadvertentes præsentem rerum (2) Orientalium statum, non vos hortari ad veniendum. Si igitur ob talem temporum conditionem profecti non estis, ut dicitis, decuit vos in primis temporis hujusce ratione habita (3), schismatis, luctus et lacrymarum in ecclesiis non esse auctores. Jam vero qui talia egerunt indicarunt, non temporis conditionem hujusce rei causam esse, sed meditatum accedere nolentium consilium.

VIII. *Inique moventur, quod Julius solus solis Eusebianis scripserit.*—Miror autem et hanc epistolæ vestræ partem, qua expostulastis quod solus (4) Eusebio

A αὐτὴν ἡγεῖσθε τιμὴν τὴν ἐπισκόπων, καὶ μὴ ἐκ τοῦ μεγέθους τῶν πόλεων, ὡς γράφετε, κρίνετε τοὺς ἐπισκόπους· ἴδει τὸν πεπιστευμένον μικρὸν, μένειν ἐν τῇ πιστευθείσῃ, καὶ μὴ ἐξουθενεῖν μὲν τὸ πεπιστευμένον, μεταβαίνειν δὲ εἰς τὸν μὴ ἐγχειρισθέντα, ἵνα τῆς μὲν παρὰ θεοῦ δωρεᾶς καταφρονῇ, τὴν δὲ τῶν ἀνθρώπων κενοδοξίαν ἀγαπήσῃ.

ς'. Οὐκοῦν, ἀγαπητοὶ, ἔδει ἀπαντῆσαι, καὶ μὴ παραιτήσασθαι· ἵνα καὶ τέλος λάβῃ τὸ πρᾶγμα· τοῦτο γὰρ ὁ λόγος ἀπαιτεῖ. ἀλλ' ἴσως ἡ προθεσμία ἐνεπόδισε· γράψαντες γὰρ ἐμέμφασθε, ὅτι στενὴν τὴν προθεσμίαν τῆς συνόδου ὡρίσαμεν. ἀλλὰ καὶ τοῦτο, ἀγαπητοὶ, πρόφασίς ἐστιν. εἰ μὲν γὰρ ἐρχομένους τινὰς συνέλαβεν ἡ ἡμέρα, στενὸν ἂν τὸ διάστημα τῆς προθεσμίας ἠλέγχθη. εἰ δὲ οἱ ἐλθεῖν μὴ βουλόμενοι, κατεσχήκασι καὶ τοὺς πρεσβυτέρους ἕως αὐτοῦ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, μὴ θαρρούντων ἐστὶν ἡ πρόφασις. ἦλθον γὰρ ἄν, ὡς πρεῖπον, B εἰ ἐθάρρουν, οὐ πρὸς τὸ διάστημα τῆς ὁδοῦ σκοποῦντες, οὐδὲ πρὸς τὸν προθεσμίαν ὁρῶντες, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς δικαίοις καὶ τοῖς εὐλόγοις πεποιθότες.

ζ'. Ἀλλ' ἴσως διὰ τὸν καιρὸν οὐκ ἀπήντησαν· τοῦτο γὰρ γράφοντες πάλιν ἐδηλώσατε, ὡς ἄρα ἔδει ἡμᾶς σκοπήσαντας τὸν ἐπὶ τῆς ἑώας καιρὸν μὴ προτρέψασθαι ὑμᾶς ἀπαντῆσαι. εἰ μὲν οὖν διὰ τὸ τοιοῦτον εἶναι τὸν καιρὸν οὐκ ἀπηντήσατε, ὡς φατε, ἔδει πρωτίστους ὑμᾶς τὸν καιρὸν τοῦτον σκοπήσαντας μὴ αἰτίους σχίσματος, μηδὲ ὀλολυγῆς καὶ θρήνων ἐν ταῖς C ἐκκλησίαις γίνεσθε. νῦν δὲ οἱ ταῦτα πεποιηκότες ἔδειξαν μὴ τὸν καιρὸν αἴτιον, ἀλλὰ τὴν προαίρεσιν τῶν μὴ θελησάντων ἀπαντῆσαι.

η'. Θαυμάζω δὲ πῶς ὅλως κἂν ἐγράφη παρ' ὑμῶν, ὅτι δὴ τοῖς περὶ Εὐσέβιον μόνοις, καὶ οὐ πᾶσιν ὑμῖν, μόνοις ἐγράφη. τυχὸν γὰρ τῶν μεμφαμένων μᾶλλον ἄν τις εὕροι, ἤπερ ἀληθείαν. ἐγὼ γὰρ οὐκ ἄλλοθεν λαβὼν κατὰ Ἀθανασίου γράμματα, ἢ διὰ τῶν περὶ Μαρτύριον καὶ Ἡσύχιον, ἐκείνοις ἀνάγκη ἐγράφη τοῖς καὶ

repudians, Constantinopolitanam occupavit. Primam illam sedis mutationem, etiam ante Nicænum concilium, cujus canone 15 hujusmodi translatio prohibetur, reprehenderat Alexander Alexandrinus antistes in epistola encyclica apud Athanasium, t. I, nov. edit. pag. 397, et apud Socratem lib. I, c. 6. Utramque Alexandrina synodus, anno 340 habita, item apud Athanasium, ib., p. 129, coarguit his verbis: *Neque animadvertit Pauli præceptum: Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de Ecclesia, et de ipso episcopatu, cui alligatus quispiam alium quærere non debet, ne adulter ex sacris Litteris deprehendatur.* Anno 347 Sardicense concilium pravam hujusmodi consuetudinem *funditus eradicare* cupiens, *nec laicam communionem habere* voluit eum *qui talis est.* Hunc et subinde Damasus anathemate damnandum semel et iterum censuit.

(1) Nonnulli *Junium* voci *Januarium* præferendum putant, reclamantibus scriptis codicibus atque ipsa rerum historia. Athanasius, epist. ad Solit., n. 11, tantum scribit legatos Julii *ultra præfinitum tempus* detentos. Atque ex utraque illa lectione conficitur, prætitutum concilio habendo diem in anni 341 exitum occidisse.

(2) Hunc Orientalium rerum statum de quo loquebantur, Athanasius, epist. ad Solitar., n. 11, sic explicat: *Futilem excusationem commenti, ob Persarum bellum nequimus, aiebant, jam accedere.* Tum eamdem excusationem sugillat his verbis: *Quid enim ad episcopos bellum? et quare Persarum bello præpediuntur quominus Romam accederent longinquam et transmarinam urbem, qui Orientis loca Persis finitima tunc temporis instar leonum circuirent?* Julius tamen eos Orientalium rerum prætexentes statum sic videtur intellexisse, quasi de tristi ac luctuoso discidio ecclesiarum Orientalium, a quibus præsules tum abesse non deceret, loquerentur.

(3) Schismatis ac luctus auctores exstiterunt, dum Gregorium Athanasio vivente episcopum ordinarunt, et in Alexandrinam sedem per vim ac multa flagitia D intruserunt.

(4) Conjectura non deest hic legendum esse, *soli Eusebio*, et infra, *Oportuit igitur aut Eusebium non absque omnibus vobis solum scripsisse*, ac sic deinceps; adeo ut quæ plurali numero enuntiantur, de uno Eusebio singulariter dicta intelligantur. Nempe hic loquitur Julius de litteris quas Martyrius et Hesychius sibi tradiderunt. Atqui supra, num. 4, Martyrium et Hesychium *ab Eusebio* (παρὰ Εὐσεβίου) missos esse meminit. Sed et Athanasius, Apolog. cont. Arian., n. 4, litteras illas, quas Martyrius et Hesychius ad Julium detulerunt, uni Eusebio adscribit, γράψαντος Εὐσεβίου. Athanasio Socrates, lib. II, c. 11, et Sozomenus, l. III, c. 7, concinunt. Theodoretus vero, lib. II, c. 4, de iisdem litteris sermonem habens, Julii locutionem retinuit, nec dixit simpliciter Εὐσέβιος, sed οἱ περὶ Εὐσέβιον; qua locutione Epiphanius, histor. tripart., c. 6, *Eusebium eiusque consortes*, Valesius (quod

Digitized by Google

γράψασι κατ' αὐτοῦ. Ἴδει τοίνυν ἡ κύτους περὶ Εὐσεβίου μὴ μόνους χωρὶς πάντων ὑμῶν γράψαι, ἢ ὑμᾶς, οἷς μὴ ἔγραψα, μὴ λυπεῖσθαι, εἰ ἐκείνοις ἐγράφη τοῖς καὶ γράψασιν. εἰ γὰρ ἐχρῆν καὶ πᾶσιν ὑμῖν ἐπιστεῖλαι, ἴδει καὶ ὑμᾶς σὺν ἐκείνοις γράψαι. νῦν δὲ τὸ ἀκόλουθον σκοποῦντες, ἐκείνοις ἐγράψαμεν τοῖς καὶ δηλώσασιν ἡμῖν, καὶ τοῖς ἀποστεῖλασι πρὸς ἡμᾶς. εἰ δὲ καὶ τὸ μόνον ἐμὲ γεγραφέναι ἐκείνοις ἐλύπησεν ὑμᾶς, ἀκόλουθόν ἐστιν ὑμᾶς ἀγανακτεῖν, ὅτι καὶ μόνῳ ἐμοὶ ἔγραψαν. ἀλλὰ καὶ ἐν τούτῳ πιθανὴ μὲν καὶ οὐκ εὔλογος ἡ πρόφασις, ἀγαπητοί. ὅμως δὲ γνωρίσαι ὑμῖν ἀναγκαῖον, ὅτι εἰ καὶ μόνος ἔγραψα, ἀλλ' οὐκ ἐμοῦ μόνου ἐστὶν αὕτη ἡ γνώμη, ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τῶν ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν ἐπισκόπων. καὶ ἔγωγε τοὺς πάντας οὐκ ἠθέλησα φοιτῆσαι γράψαι, ἵνα μὴ παρὰ πολλῶν τὸ βάρος ἔχωσιν. ἁμιλλᾶται καὶ νῦν τῇ ὁριοθεσίᾳ προθεσμίᾳ συνῆλθον ἐπίσκοποι, καὶ ταύτης τῆς γνώμης γεγόνασιν, ἣν πάλαι γράφων ὑμῖν σημαίνω. ὥστε, ἀγαπητοί, εἰ καὶ μόνος ἐπιστέλλω, ἀλλὰ πάντων γνώμην ταύτην εἶναι γινώσκετε. ταῦτα μὲν οὖν περὶ τοῦ μὴ εὐλόγους τινὰς ἐξ ὑμῶν προφάσεις, ἀλλὰ ἀδίκους καὶ ὑποπτους πορίσασθαι.

θ'. Περὶ δὲ τοῦ μὴ εὐχερῶς μηδὲ ἀδίκως ἡμᾶς ὑποδέξασθαι εἰς κοινωνίαν τοὺς συνεπισκόπους ἡμῶν Ἀθανάσιον καὶ Μάρκελλον εἰ καὶ τὰ προλεχθέντα ἱκανά, ὅμως διὰ βραχέων εὔλογον ὑμῖν δεῖξαι. ἔγραψαν οἱ περὶ Εὐσέβιον πρότερον κατὰ τῶν περὶ Ἀθανάσιον, ἐγράψατε δὲ καὶ νῦν ὑμεῖς, ἔγραψαν δὲ καὶ πλεῖστοι ἐπίσκοποι ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου καὶ ἐξ ἄλλων ἐπαρχιῶν ὑπὲρ Ἀθανασίου. πρῶτον μὲν οὖν τὰ κατ' αὐτοῦ γράμματα παρ' ὑμῶν μάχεται πρὸς ἑαυτά, καὶ οὐδεμίαν συμφωνίαν ἔχει τὰ δεύτερα πρὸς τὰ πρῶτα, ἀλλ' ἐν πολλοῖς τὰ πρῶτα ὑπὸ τῶν δευτέρων λύεται, καὶ τὰ δεύτερα ὑπὸ τῶν πρώτων διαβάλλεται. ἀσυμφώνων δὲ ὄντων τῶν γραμμάτων, οὐδεμία πίστις περὶ τῶν λεγομένων ἐστίν. ἔπειτα εἰ τοῖς παρ' ὑμῶν γραφεῖσιν ἀξιοῦτε πιστεύειν, ἀκόλουθόν ἐστι καὶ τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ γράψασι μὴ ἀπιστῆσαι. καὶ μάλιστα, ὅτι ὑμεῖς μὲν πόρρωθεν, ἐκεῖνοι δὲ ἐν τοῖς τόποις ὄντες, καὶ εἰδότες τὸν ἄνδρα καὶ τὰ ἐκεῖ γινόμενα πράγματα, γράψουσι μαρτυροῦντες αὐτοῦ τῷ βίῳ, καὶ διαβεβαιούμενοι ἐν πᾶσιν

A ejusque sociis solis, et non omnibus vobis scripserim. Subtilitatem enim potius in expostulantibus invenire est, quam veritatem. Mihi enim, qui litteras contra Athanasium non aliunde quam a Martyrio et Hesychio acceperam, necesse fuit iis qui contra illum scripserant respondere. Oportuit igitur, ut vel Eusebiani non soli sine vobis omnibus scriberent, aut vos, quibus non scripsi, moleste non feratis quod iis rescriptum sit, qui scripserant. Nam si decuit litteras ad vos omnes mitti, par fuit etiam vos una cum illis scripsisse. Nunc autem, quod congruum erat spectantes, illis scripsimus, qui nos certiores reddiderant et litteras ad nos miserant. Si et illud vos commovit, quod solus scripserim, par est vos etiam indignari, quod illi mihi soli scripserint. Sed in hoc quoque speciosa quidem, at non æqua excusatio est, dilectissimi. Attamen necessum est vobis notum facere, etiamsi solus scripserim, non ideo mei solius, sed omnium episcoporum qui in Italia sunt, et qui in his partibus degunt, esse illam sententiam. Et ego quidem nolui omnes ad scribendum inducere, ne complurimis id grave ac molestum foret. Certe jam ad præfinitum tempus episcopi convenere, et ejusdem sententiæ fuerunt, quam denuo his litteris vobis significo. Quapropter, dilecti, etiamsi solus scribo, omnium tamen hanc esse sententiam agnoscite. Et hæc quidem satis sint ad demonstrandum, quosdam ex vobis non æquas, sed iniustas et suspectas causas afferre.

B

IX. *Athanasius et Marcellus jure ad communionem admissi.* — Quod autem non temere vel injuste coepiscopos nostros Athanasium et Marcellum ad communionem susceperimus, tametsi ex supradictis id satis planum est, operæ tamen pretium fuerit paucis verbis vobis demonstrare. Contra Athanasium scripserunt primum Eusebiani ac socii; scripsistis et vos modo. Pro Athanasio autem complures episcopi ex Ægypto et ex allis provinciis (1) scripserunt. Primum igitur observandum est, vestras adversus illum litteras inter se pugnare, et priores cum secundis nulla ratione consentire; sed in multis primas a secundis confutari, et secundas a primis falsi argui. Cum autem litteræ inter se non consentiunt, nulla iis quæ dicuntur habenda fides. Debinc si vestris litteris fidem haberi postulatis, consentaneum est et iis qui pro illo scripserunt fidem non negare, maxime quia vos de iis quæ quidem procul a vobis gesta sint scribitis, illi vero cum in ipsis essent locis, ubi et virum ipsum et res illic gestas viderunt, scribant (2), et vitæ ejus probitatem testentur, affirmantes eum calumniam in omnibus passum esse. Ac rursum Arsenius quidam episcopus dictus est aliquando interfectus ab Athanasio, sed hunc vivere, immo ejus amicum (3) esse didicimus.

C

D

idem est) *Eusebianos* litterarum illarum scriptores esse intellexerunt. Qui sint illi Eusebii consortes, synodus Sardicensis (si tamen de his prioribus, non de posterioribus Eusebianorum litteris, quæ huic Julii rescripto occasionem dederint, loquitur) apud Hilarium, fragm. II, n. 2, declarat, nempe *Eusebius, Marius, Theodorus, Diognitus, Ursacius et Valens*, quibus apud Theodoretum, lib. II, c. 8, adduntur *Menophantus et Stephanus*.

(1) Hanc Ægyptiorum epistolam Athanasius initio apologiæ suæ contra Arianos totam inseruit, ac num. 20 diserte monet eam *ad omnes episcopos et ad Julium Romanum episcopum* fuisse missam.

(2) Julius hic haud dubie Eusebianorum testimonio testimonium opponit Mareoticorum clericorum apud Athanasium, apolog. cont. Arian., n. 74, p. 191, dicentium: *Nos scilicet hoc testamur, qui non procul episcopo sumus, sed Mareotem perlustrantem omnes comitamur, quæcunque delata sunt meram esse calumniam.*

(3) Arsenius, in epistola quam ad Athanasium scripsit, quamque Athanasii apologia contra Arianos, n. 69, exhibet, *episcopum Hypselitarum, qui quondam sub Meletio fuerant*, se nuncupat. Socrates vero, lib. I, c. 32, quemdam ei Meletianorum sectæ episcopatum ab Hypselitarum episcopatu distinctum attribuere videtur, ubi ait: *Qui prius quidem Meletianorum sectæ fuerat episcopus, tunc* (Tyriensi in concilio) *tanquam Hypselitarum urbis episcopus Athanasii depositioni subscripsit;* at allata ipsius Arsenii verba haud satis est assecutus, cum hoc tantum sonent, Hypselitas, quorum se episcopum appellat, quondam Meletii sectæ fuisse addictos. Non leviter peccant aut Rufinus, qui Arsenium cleri Alexandrini presbyterum fuisse scribit, aut recentiores

Digitized by Google

X. *Mareotica gesta ex se irrita, una tantum parte præsente.*— Ille igitur [Athanasius] monimenta in Mareote adornata, altera solum e partibus præsente facta fuisse affirmavit. Nam nec illic adfuisse Macarium presbyterum qui accusabatur, nec ipsum episcopum ejus Athanasium, non solum ex verbis ejus, sed ex ipsis inquisitionum monimentis, quæ Martyrius et Hesychius nobis attulerunt, agnovimus. Legendo quippe comperimus accusatorem quidem Ischyram illic adfuisse, Macarium autem et episcopum Athanasium minime; quin et Athanasii presbyteris (1) postulantibus uti sibi interesse liceret, illud negatum esse. Oportuit autem, dilectissimi, si modo judicium illud sincere actum fuisset, non tantum accusatorem, sed et accusatum adesse. Sicut enim Tyri aderat Macarius qui accusabatur, et Ischyras accusator, et nihil ibi probatum est; sic et in Mareoten oportuit, non accusatorem solum, sed et accusatum accedere, ut is præsens vel convinceretur, vel non convictus calumniam palam faceret. Jam vero cum hoc factum non sit, sed solus accusator, cum iis quos Athanasius recusabat, eo concesserit, suspecta sane acta illa videntur. Conquestus est etiam ipse [Athanasius], eos qui ad Mareoten ablerunt, se ejurante illuc concessisse: dicebat enim Theognium, Marin, Theodorum, Ursacium, Valentem et Macedonium sibi suspectos illuc missos fuisse.

XI. *Eorumdem gestorum falsitas testibus pluribus confutatur.* — Hoc autem non suis tantum verbis, sed etiam ex epistola Alexandri quondam Thessalonicæ episcopi demonstrabat. Protulit enim ejus epistolam (*Vid. Athanas. apolog. cont. Arian. p.* 197) ad Dionysium in ea synodo comitem scriptam, qua significabat manifestam adversus Athanasium conspirationem esse conflatam. Sed et ipsius accusatoris Ischyræ (*Vid. Athanas., ibid., p.* 181) scriptum protulit authenticum, quod totum erat ejus manu exaratum, in quo Deum omnipotentem testem invocans, neque calicem fuisse confractum, neque mensam eversam declarabat, sed se a quibusdam, ut hanc accusationem conflingeret, subornatum esse. Cum advenissent autem presbyteri Mareotici, affirmarunt neque Ischyram esse catholicæ Ecclesiæ presbyterum, neque tale facinus perpetrasse Macarium, quale is illi imputabat. Presbyteri vero et diaconi, qui huc accessere, non pauca, immo quam plurima de Athanasii episcopi innocentia testabantur, affirmantes nihil eorum quæ illi objiciebantur verum esse, sed conspirationem adversus eum fuisse conflatam. Quin Ægypti quoque ac Libyæ episcopi omnes litteris suis (2) testati sunt, tum ejus ordinationem legitimam et ecclesiasticam fuisse, tum quæ a vobis adversus illum delata sunt omnia esse falsa; neque enim cædem factam, nec ullos ejus causa occisos, neque calicem confractum fuisse, sed a vero abhorrere omnia.

XII. *Ex ipsis gestis eorum falsitas comprobatur.* —

A αὐτὸν συκοφαντεῖν πεποιῆσθαι· καὶ πάλιν Ἀρσενίδες τις ἐπίσκοπος ἐλέχθη τισὶ ὡς ἀνῃρεθεὶς παρὰ Ἀθανασίου· ἀλλὰ τοῦτον ἐμάθομεν ζῆν, ἀλλὰ καὶ φιλίαν ἔχειν πρὸς αὐτόν.

ι'. Τὰ ὑπομνήματα τὰ ἐν Μαρεώτῃ γενόμενα διεβεβαιώσατο κατὰ μονομέρειαν γεγενῆσθαι. μήτε γὰρ ἐκεῖ παρεῖναι Μακάριον τὸν πρεσβύτερον τὸν κατηγορούμενον, μήτε αὐτὸν τὸν ἐπίσκοπον αὐτοῦ Ἀθανάσιον, καὶ τοῦτο οὐ μόνον ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ὧν ἐκόμισαν ἡμῖν οἱ περὶ Μαρτύριον καὶ Ἡσύχιον, ἐγνωμεν. ἀναγινόντες γὰρ εὑρομεν, ὅτι ὁ μὲν κατήγορος Ἰσχύρας ἐκεῖ παρῆν, οὔτε δὲ Μακάριος, οὔτε ὁ ἐπίσκοπος Ἀθανάσιος, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρεσβυτέρους Ἀθανασίου ἀξιοῦντας παρεῖναι, καὶ μὴ συγχωρηθέντας. ἔκει δὲ, ἀγαπητοί, εἴπερ κατὰ ἀλήθειαν ἐγένετο τὸ κριτήριον, μὴ μόνον τὸν κατήγορον, ἀλλὰ καὶ τὸν κατηγορούμενον παρεῖναι. ὥσπερ γὰρ ἐν τῇ Τύρῳ Μακάριος κατηB ρῶν ὁ κατηγορούμενος, καὶ Ἰσχύρας ὁ κατήγορος, καὶ οὐδὲν ἐδείχθη· οὕτως ἔδει καὶ ἐν τῇ Μαρεώτῃ μὴ μόνον ἀπελθεῖν τὸν κατήγορον, ἀλλὰ καὶ τὸν κατηγορούμενον, ἵνα παρὼν ἢ ἐλεγχθῇ, ἢ μὴ ἐλεγχθεὶς, δείξῃ τὴν συκοφαντίαν. νῦν δὲ τούτου μὴ γενομένου, ἀλλὰ μόνου ἀπελθόντος τοῦ κατηγόρου, μεθ' ὧν παρητήσατο Ἀθανάσιος, ὑποπτα τὰ πράγματα φαίνεται. ἠτιᾶτο δὲ καὶ τοὺς ἀπελθόντας εἰς τὸν Μαρεώτην, παρὰ γνώμην αὐτὸν ἀπολελυθέναι· ἔλεγε γὰρ, ὅτι Θεόγνιον, καὶ Μάριν, καὶ Θεόδωρον, Οὐρσάκιον, καὶ Οὐάλεντα, καὶ Μακεδόνιον, ὑποπτους ὄντας ἀπέστειλαν.

ια'. Καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ τῶν λόγων αὐτοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ἐπιστολῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ γενομένου τῆς ΘεσσαλονίC κης ἐδείκνυε. προέγραψε γὰρ ἐπιστολὴν αὐτοῦ γραφεῖσαν πρὸς Διονύσιον τὸν ἐν τῇ συνόδῳ κόμητα (*Reg.* mss κόμητα), ἐν ᾗ δηλοῖ φανερὰν συκοφαντὴν γενέσθαι κατὰ Ἀθανασίου. καὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ κατηγόρου Ἰσχύρα προκόμισε χεῖρα ὁλόγραφον αὐθεντικὴν, ἐν ᾗ μάρτυρα τὸν θεὸν τὸν παντοκράτορα ἐπικαλούμενος, μήτε ποτηρίου κλάσιν, μήτε τραπέζης ἀνατροπὴν γεγενῆσθαι ἔλεγεν, ἀλλ' ὑποβεβλῆσθαι ἑαυτὸν ὑπό τινων, πλάσασθαι ταύτην τὴν κατηγορίαν. ἀπαντήσαντες δὲ καὶ πρεσβύτεροι τοῦ Μαρεώτου, διεβεβαιώσαντο μήτε τὸν Ἰσχύραν πρεσβύτερον εἶναι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, μήτε τι τοιοῦτον πεπλημμεληκέναι Μακάριον, ὁποῖον ἐκεῖνος κατηγόρησεν. οἱ πρεσβύτεροι δὲ καὶ διάκονοι ἀφικόμενοι ἐνταῦθα, οὐκ ὀλίγα, ἀλλὰ καὶ πολλὰ ἐμαρτύρησαν ὑπὲρ τοῦ ἐπισκόπου Ἀθανασίου, διαβεβαιούμενοι μηδὲν ἀληθὲς εἶναι τῶν κατ' αὐτοῦ λεγομένων, συσκευὴν δὲ αὐτὸν πεποιῆσθαι. καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου δὲ καὶ Λιβύης πάντες ἐπίσκοποι γράψαντες διεβεβαιώσαντο, καὶ τὴν κατάστασιν αὐτοῦ ἔνομον καὶ ἐκκλησιαστικὴν γεγονέναι, καὶ πάντα τὰ παρ' ὑμῶν λεγόμενα κατ' αὐτοῦ, εἶναι ψευδῆ· οὔτε γὰρ φόνον γεγενῆσθαι, οὔτε τινὰς ἀναιρεθῆναι δι' αὐτὸν, οὔτε κλάσιν ποτηρίου γεγενῆσθαι, ἀλλὰ πάντα εἶναι ψευδῆ.

ιβ'. Καὶ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων δὲ, τῶν ἐν Μαρεώτῃ κατὰ μονομέρειαν γεγενημένων, ἐδείκνυεν ὁ ἐπίσκοπος Ἀθανάσιος ἵνα κατηχούμενον ἐξετασθέντα καὶ εἰπόντα, ἔνδον εἶναι μετὰ Ἰσχύρα, ὅτε Μακάριος ὁ πρεσβύτερος Ἀθανασίου, ὡς

(1) Horum libellum supplicem inseruit Athanasius apologiæ suæ contra Arianos, n. 73, p. 189.

(2) Litteras illas Athanasius in apologia sua contra Arianos huic Julii epistolæ præmittit. Et in iis quidem Ægypti ac Libyæ episcopi ordinationem Athanasii canonicam fuisse num. 6 propugnant. Cæteras autem calumnias de cæde facta, de confracto calice, etc., statim ab exordio litterarum suarum penitus obterunt atque contundunt.

vitæ Athanasii scriptores græci, a quibus ejusdem ecclesiæ lector dicitur.

Digitized by Google

λέγουσιν, ἐπίστη τῷ τόπῳ· καὶ ἄλλοις δὲ ἐξετασθέντας καὶ εἰπόντας, τὸν μὲν ἐν κελλίῳ μικρῷ, τὸν δὲ ὄπισθεν τῆς θύρας κατακεῖσθαι τὸν Ἰσχύραν τότε νοσοῦντα, ὅτε Μακάριον λέγουσιν ἀπηντηκέναι ἐκεῖ. ἀπὸ δὴ τούτων ὧν ἔλεγε καὶ ἡμεῖς ἀκολούθως στοχαζόμεθα, ὅτι πῶς οἷόν τε τὸν ὄπισθεν τῆς θύρας νόσῳ κατακείμενον τότε ἑστηκέναι, καὶ λειτουργεῖν, καὶ προσφέρειν; ἢ πῶς οἷόν τε ἦν προσφορὰν προκεῖσθαι, ἔνδον ὄντων τῶν κατηχουμένων; εἰ γὰρ ἔνδον ἦσαν οἱ κατηχούμενοι, οὔπω ἦν ὁ καιρὸς τῆς προσφορᾶς. ταῦτα, ὥσπερ εἴρηται, ἔλεγεν ὁ ἐπίσκοπος Ἀθανάσιος, καὶ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἐδείκνυε, διαβεβαιουμένων καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, μηδὲ ὅλως αὐτὸν πρεσβύτερον γεγενῆσθαί ποτε ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, μηδὲ συνῆχθαι αὐτόν ποτε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὡς πρεσβύτερον· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ὅτε Ἀλέξανδρος ἐδέχετο κατὰ φιλανθρωπίαν τῆς μεγάλης συνόδου, τοὺς ἀπὸ τοῦ σχίσματος Μελετίου, ὠνομάσθαι αὐτὸν ὑπὸ Μελετίου μετὰ τῶν αὐτοῦ διεβεβαιοῦντο· ὃ καὶ μέγιστόν ἐστι τεκμήριον, μὴ εἶναι αὐτὸν μήτε Μελετίου· εἰ γὰρ ἦν, πάντως καὶ αὐτὸς αὐτοῖς συνηριθμεῖτο. ἄλλως τε καὶ ἐν ἄλλοις ὁ Ἰσχύρας ψευσάμενος ἐδείκνυτο ὑπὸ Ἀθανασίου ἐκ τῶν ὑπομνημάτων. κατηγορήσας γὰρ ὡς βιβλίων κεκαυμένων, ὅτε, ὡς λέγουσι, Μακάριος ἐπίστη, ἠλέγχθη ὑφ' ὧν αὐτὸς ἤνεγκε μαρτύρων ψευσάμενος.

ιγ'. Τούτων τοίνυν οὕτως λεγομένων, καὶ τοσούτων μὲν ὄντων τῶν μαρτύρων τῶν ὑπὲρ αὐτοῦ, τοσούτων δὲ δικαιωμάτων προφερομένων ὑπ' αὐτοῦ, τί ἔδει ποιεῖν ἡμᾶς; ἢ τί ὁ ἐκκλησιαστικὸς κανὼν ἀπαιτεῖ, ἢ μὴ καταγνῶναι τοῦ ἀνδρὸς, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποδέξασθαι καὶ ἔχειν αὐτὸν ἐπίσκοπον, ὥσπερ καὶ εἴχομεν; καὶ γὰρ πρὸς τούτοις πᾶσι, παρέμεινεν ἐνταῦθα ἐνιαυτὸν καὶ ἓξ μῆνας ἐκδεχόμενος τὴν παρουσίαν ὑμῶν, ἢ τῶν βουλομένων ἐλθεῖν, τῇ δὲ παρουσίᾳ ἐδυσώπει πάντας, ὅτι οὐκ ἂν παρῆν, εἰ μὴ ἐθάῤῥει· καὶ γὰρ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐλήλυθεν, ἀλλὰ κληθεὶς καὶ λαβὼν γράμματα παρ' ἡμῶν, καθάπερ καὶ ὑμῖν ἐγράψαμεν, καὶ ὅμως μετὰ τοσαῦτα, ὑμεῖς ὡς παρὰ κανόνας ποιήσαντας ἡμᾶς ἐμέμψασθε.

ιδ'. Σκοπεῖτε τοίνυν, τίνες εἰσὶν οἱ παρὰ κανόνας πρά-

A Immo vero ex ipsis inquisitionum monimentis quæ in Mareote una tantum ex partibus præsente facta fuerant comprobavit (1) episcopus Athanasius, catechumenum quemdam interrogatum dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore aiunt Macarium Athanasii presbyterum se in eum locum immisisse; ex aliis vero, qui item interrogati fuerunt, hunc dixisse quod in parva cellula, alium quod pone januam jaceret Ischyras tunc ægrotus, quo tempore illi Macarium aiunt eo advenisse. Ex hujus autem dictis hoc nos consequenter observamus: qui fieri potuit ut is, qui pone januam æger decumberet, tunc steterit, liturgiam celebrarit, ac oblationem fecerit? Aut qui potuit oblatio apposita esse, cum intus essent catechumeni? Si enim intus erant cate- B chumeni, nondum oblationis tempus erat. Hæc, ut dictum est, aiebat episcopus Athanasius, et ex ipsis monimentis palam faciebat, iis (2) qui cum eo erant affirmantibus, nec Ischyram umquam in Ecclesia catholica fuisse presbyterum, nec in ecclesiasticis conventibus presbyteri locum habuisse. Quin quo tempore Alexander, magna synodo (Nicæna) per indulgentiam id concedente, eos qui erant ex schismate Meletii recepit, Ischyram a Meletio in numero presbyterorum suorum nominatum prorsus non fuisse affirmabant: quod maximum (3) argumentum est, ipsum ne ex Meletianis quidem presbyteris esse; nam si ex illis exstitisset, iis sane et ipse annumeratus fuisset. Præter hæc, alia quoque Athanasius ex monimentis illis coarguebat Ischyræ mendacia: C quippe qui in accusatione, qua libros, quando Macarius, ut ipsi aiunt, irrupit, combustos denuntiavit (4), ab iis testibus, quos ipse produxit, falsi convictus est.

XIII. *Athanasium insontem probat fiducia qua Romæ adversarios exspectat.* — Hæc cum ita dicerentur, et tot testes pro illo starent, totque ipse afferret innocentiæ suæ argumenta, quid, quæso, nobis agendum fuit? aut quidnam aliud postulabat ecclesiastica regula, nisi ut virum non damnaremus, sed potius reciperemus ac pro vero episcopo haberemus, quemadmodum et habuimus? Etenim præter hæc omnia, annum unum et sex menses (5) hic remansit, adventum vestrum aut eorum qui huc se conferre vellent expectans, suaque præsentia omnes pudore afficiebat, D non adfuturus quippe, nisi suæ causæ confidisset. Non enim suo motu, sed accersitus ac litteris nostris (6) acceptis, huc accessit, quemadmodum et vobis litteris nostris indicavimus. Attamen post tot tantaque a nobis gesta, nos criminati estis quasi contra canones egerimus.

XIV. *Gregorii ordinatio illegitima, et ejus in suo in-*

(1) Quod Athanasius tum Romæ coram Julio probavit, id postea et apologiæ suæ contra Arianos, n. 83, inseruit, ubi et narrat qui monimenta illa, quæ Eusebiani postmodum occulta voluissent, ab ipsismet per legatos suos Romam missa, ac sibi ab Julio transmissa fuerint. Eadem memorat et Sardicensis epistola ad universas ecclesias.

(2) Puta Mareoticis presbyteris ac diaconis, quorum affirmatio exstat apolog. cont. Arian., n. 74.

(3) Neque hoc argumentum ab Athanasio neglectum: illud porro prosequitur, apol., n. 71 et 72.

(4) Nimirum, ut Athanasius, apol., n. 83, loquitur, *ipsi etiam subornati testes facti sunt nihil ejusmodi gestum fuisse, sed mentiri Ischyram.*

(5) Alexandriæ adhuc versabatur Athanasius anno 341, atque ibi saltem ad Paschæ diem, qui hoc anno in 19 Aprilis incidebat permansit, ut ex ipsius encyclica ad episcopos epistola, n. 5, planum est. Ex quo et conficitur horum octodecim mensium initium vix citius duci posse, quam ab exitu mensis Maii prædicti anni 341. Opinionem vero eorum, qui ab anno 340 illos computare incipiunt, noster Bernardus de Montfaucon, animadv. 14, in vitam et scripta S. Athanasii pluribus refutat.

(6) Postquam scilicet Martyrius et Hesychius Eusebianorum legati ab Athanasii presbyteris, qui Romam pariter se contulerant, in omnibus refutati atque convicti, a Julio postulassent ut indiceretur synodus, litteræque ad Athanasium simul et ad Eusebianos mitterentur, uti narratur supra, n. 2. Hinc litteræ istæ aliæ censendæ sunt ab iis, quas Athanasius, apolog. cont. Arian., n. 20, a Julio per presbyteros suos Elpidium et Philoxenum ad Eusebianos missas esse memorat. Testatur quippe Athanasius illos tum primum in Orientem missos, cum ipse Romam advenisset. Sed et in Athanasii epistola ad Solitar., n. 10 et 11, manifesta est litterarum illarum distinctio.

Digitized by Google

gressu gesta. — Perpendite igitur, quinam contra canones egerint; nosne, qui post tanta innocentiæ argumenta virum recepimus, an qui triginta sex (1) mansionibus distantes Antiochiæ extraneum quemdam episcopum nominarunt, eumque Alexandriam miserunt militari manu stipatum? quod ne tunc quidem factum est, cum is in Gallias relegatus esset; tunc enim faciendum erat, si re vera ille convictus fuisset. Certe in reditu suo vacantem seque exspectantem ecclesiam invenit. At nunc ignoro qua ratione hæc facta sint. Primum enim, si veritas dicenda est, non oportuit, cum ad cogendam synodum litteras misissemus, aliquos judicium synodi prævertere. Deinde non decuit hujusmodi innovationem adversus Ecclesiam induci. Qualis enim canon ecclesiasticus, aut qualis apostolica traditio hoc permittit, ut in pace agente Ecclesia, ac tot episcopis cum Athanasio Alexandriæ episcopo consentientibus, Gregorius mittatur, externus homo, qui non illic est baptisatus, qui complurimis ignotus est, nec a presbyteris, vel ab episcopis, vel a plebe postulatus, sed is Antiochiæ ordinetur, Alexandriam vero, non cum presbyteris vel diaconis urbis, non cum episcopis Ægypti, sed cum militibus transmittatur? hoc namque haud sine querela aiebant qui huc venere. Etiam si enim post synodum reus deprehensus fuisset Athanasius, non decuit sic præter jus fasque, et contra ecclesiasticum canonem, ordinari quempiam, sed in ipsa ecclesia, ex ipso clero, ab episcopis provinciæ illius constitui oportuit, et nequaquam nunc Apostolorum (2) canones violari. Si enim in quemquam vestrum tale quidpiam commissum esset, nonne clamassetis, nonne violatorum canonum vindictam postulassetis? Certe, dilecti, hoc quasi Deo præsente cum veritate loquimur ac dicimus, non est hoc pium, nec legitimum, nec ecclesiasticum. Nam quæ a Gregorio in suo ingressu gesta esse dicuntur ordinationis ejus modum indicant. In his enim pacis temporibus, ut narrarunt ii qui Alexandria venerunt, et quemadmodum episcopi quoque litteris suis significarunt, ecclesia incendium passa est, virgines denudatæ, monachi conculcati, presbyteri et ex plebe

ξαντες, ἡμεῖς οἱ μετὰ τοσούτων ἀποδείξεων τὸν ἄνδρα δεξάμενοι, ἢ οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μηνῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐνομάσαντές τινα ὡς ἐπίσκοπον ξένον, καὶ ἀποστείλαντες εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας; ὅπερ οὐ γέγονεν, οὐδὲ εἰς Γαλλίας αὐτοῦ ἀποσταλέντος· ἐγεγόνει γὰρ ἂν καὶ τότε, εἰ ὄντως ἦν καταγνωσθείς. ἀμέλει ἐπανελθὼν σχολάζουσαν καὶ ἐκδεχομένην αὐτὸν τὴν ἐκκλησίαν εὗρεν. Ἀλλὰ νῦν οὐκ οἶδα, ποίῳ τρόπῳ γέγονε τὰ γενόμενα. πρῶτον μὲν γάρ, εἰ δεῖ τ' ἀληθῆ εἰπεῖν, οὐκ ἔδει γραφάντων ἡμῶν σύνοδον γενέσθαι, προλαβεῖν τινας τὴν ἐκ τῆς συνόδου κρίσιν. ἔπειτα, οὐκ ἔδει τοιαύτην καινοτομίαν κατὰ τῆς ἐκκλησίας γενέσθαι. ποῖος γὰρ κανὼν ἐκκλησιαστικὸς, ἢ ποία παράδοσις ἀποστολικὴ τοιαύτη, ὥστε εἰρηνευούσης ἐκκλησίας, καὶ ἐπισκόπων τοσούτων ὁμόνοιαν ἐχόντων πρὸς τὸν ἐπίσκοπον τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀθανάσιον, ἀποστελλῆναι Γρηγόριον, ξένον μὲν τῆς πόλεως, μήτε ἐκεῖ βαπτισθέντα, μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν, ἀλλὰ κατασταθῆναι μὲν ἐν Ἀντιοχείᾳ, ἀποσταλῆναι δὲ εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, οὐ μετὰ πρεσβυτέρων, οὐ μετὰ διακόνων τῆς πόλεως, οὐ μετὰ ἐπισκόπων τῆς Αἰγύπτου, ἀλλὰ μετὰ στρατιωτῶν; τοῦτο γὰρ ἔλεγον καὶ ἠτιῶντο οἱ ἐνταῦθα ἐλθόντες. Εἰ γὰρ καὶ μετὰ τὴν σύνοδον ὑπεύθυνος ἦν εὑρεθεὶς ὁ Ἀθανάσιος, οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι· ἀλλὰ ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ταραπείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου, τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι, καὶ μὴ νῦν τοὺς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων κανόνας παραλύεσθαι. ἆρα γὰρ εἰ καθ' ἑνὸς ὑμῶν ἐγεγόνει τοιοῦτον, οὐκ ἂν ἐβοήσατε, οὐκ ἂν ἠξιώσατε ὡς παραλελυμένων τῶν κανόνων ἐκδικηθῆναι; ἀγαπητοὶ, ὡς θεοῦ παρόντος, μετὰ ἀληθείας φθεγγόμεθα καὶ λέγομεν, οὐκ ἔστι τοῦτο εὐσεβὲς, οὐδὲ νόμιμον, οὐδὲ ἐκκλησιαστικόν. καὶ γὰρ καὶ τὰ λεγόμενα γεγενῆσθαι παρὰ Γρηγορίου ἐν τῇ εἰσόδῳ αὐτοῦ, δείκνυσι τὴν τῆς καταστάσεως τάξιν· ἐν γὰρ τοιούτοις εἰρηνικοῖς καιροῖς, ὡς αὐτοὶ οἱ ἐλθόντες ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ἀπήγγειλαν, καθὼς καὶ οἱ ἐπίσκοποι ἔγραφαν, ἡ ἐκκλησία ἐμπρησμὸν ὑπέμεινε, παρ-

nes, et secundum verba Pauli, congregatis populis et spiritu ordinantium cum virtute Domini nostri Jesu Christi, omnia secundum ecclesiasticas leges disquiri et peragi, præsentibus et populis et clericis qui illum postularent. Ideo igitur regulæ a Julio memoratæ dicuntur *canones Apostolorum*, quia vel ex conceptis Pauli verbis, vel ex Apostolorum traditione auctoritatem habeant. Quocirca et Cyprianus, epist. 68, Emeritensibus *de traditione divina et apostolica observatione diligenter tenendum* scribit, quod per Africam *et fere per provincias* teneri docet, *ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit.* Quibus postremis, Cypriani verbis innui etiam videtur qui a Julio commendatur usus, ut *de ipso clero* ejus ecclesiæ cui ordinandus est episcopus eligatur; alioquin plebi, cui præficitur, quo pacto esset *plenissime notus?* Idem Cyprianus, supra, pag. 163 et 164, Cornelium legitime ordinatum probans, quæ canonicæ ordinationis regulæ sint luculenter explicat. Quid ea de re Laodicenum concilium, can. 12, et Nicænum, can. 4, constituant, mitto. Toletanum IV, anno 633, can. 19, præcepta diversa, quæ Apostoli ac patres in episcoporum ordinatione servanda tradiderant renovavit. At in variis illis locis nihil occurrit quod Gregorii ordinationi faveat, nihil quod non palam adversetur.

(1) Julii dictis consentit Antonini itinerarium, in quo Antiochia Alexandriam contendentibus triginta sex mansiones re ipsa assignantur. Antiquos autem mansionum numero locorum distantiam seu itinerum longitudinem metiri solitos esse confirmat illud Augustini, l. de unitate Ecclesiæ, c. 10, n. 31: *Quærite ab Jerusalem per terrena itinera in circuitu usque in Illyricum quot mansiones sint.* Hac de re vide quæ observata sint in nova Hilarii editione, pag. 270, not. e, et 271, not. a.

(2) Non est cur canonibus, qui Apostolorum circumferuntur nomine, patrocinium inde et auctoritas afferatur. In his quippe regulas, quæ hic spretæ notantur frustra quæsieris. Qui autem intelligendi sint hi *Apostolorum canones*, interpretatur Athanasius in epistola, quam statim atque Gregorius intrusus est, ad episcopos encyclicam misit, in cujus numero 2, hæc habet: *Si qua adversum nos criminatio vim haberet, oportuit nec Arianum, nec Arianæ sectæ hominem ordinari, sed secundum ecclesiasticos cano-*

Digitized by Google

θίνοι ἐγυμνώθησαν, μονάζοντες κατεπατήθησαν, πρεσβύτεροι καὶ πολλοὶ τοῦ λαοῦ ἠλεήθησαν καὶ βίαν ὑπομείνασιν, ἐκκλησίαι ἐφυλακίσθησαν, περιεσύρησαν πολλοί, τὰ ἅγια μυστήρια, ἀφ' οἷς ἠτιῶντο Μακάριον τὸν πρεσβύτερον, ὑπὸ ἐθνικῶν διηρπάζετο καὶ εἰς γῆν κατεβάλλετο, ἵνα τὴν Γρηγορίου τινὲς κατάστασιν δέξωνται. τὰ δὲ τοιαῦτα δεικνῦσι τοὺς παραλύοντας τοὺς κανόνας. εἰ γὰρ νομίμη ἦν ἡ κατάστασις, οὐκ ἂν διὰ παρανομίας ἠνάγκαζε πείθεσθαι τοὺς νομίμως ἀπειθοῦντας αὐτῷ. καὶ ὅμως τοιούτων γενομένων, γράφετε εἰρήνην μεγάλην γεγενῆσθαι ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Αἰγύπτῳ. ἐκτὸς εἰ μὴ ἀντιμεταβέβληται τὸ ἔργον τῆς εἰρήνης, καὶ τὰ τοιαῦτα εἰρήνην ὀνομάζετε.

ιε'. Κἀκεῖνο δὲ ὑμῖν ἀναγκαῖον ἐνόμισα δηλῶσαι, ὅτι Ἀθανάσιος διεβεβαιοῦτο Μακάριον ἐν Τύρῳ ὑπὸ στρατιώτας γεγενῆσθαι, καὶ μόνον τὸν κατήγορον ἀπεληλυθέναι μετὰ τῶν ἀπιόντων εἰς τὸν Μαρεώτην, καὶ τοὺς μὲν πρεσβυτέρους ὀξεῖσθαι παρεῖναι ἐν τῇ ἐξετάσει μὴ συγχωρῆσθαι, τὴν δὲ ἐξέτασιν γεγενῆσθαι περὶ ποτηρίου καὶ τραπέζης ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ ἐπάρχου καὶ τῆς τάξεως αὐτοῦ, παρόντων ἐθνικῶν καὶ Ἰουδαίων. τοῦτο δὲ κατὰ τὰς ἀρχὰς ἄπιστον ἦν, εἰ μὴ καὶ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἐδείκνυτο. ἀφ' ᾧ καὶ θαυμάσαμεν, νομίζω δὲ καὶ ὑμᾶς ἐπιθαυμάζειν, ἀγαπητοί· πρεσβύτεροι μὲν οὐκ ἐπιτρέποντες παρεῖναι, οἱ καὶ τῶν μυστηρίων λειτουργοὶ τυγχάνοντες, ἐπὶ δὲ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ, παρόντων κατηχουμένων, καὶ τόγε χείριστον, ἐπὶ ἐθνικῶν καὶ Ἰουδαίων, τῶν διαβεβλημένων περὶ τὸν Χριστιανισμόν, ἐξέτασις περὶ αἵματος Χριστοῦ καὶ σώματος Χριστοῦ γίνεται. εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγγίνοι τι πλημμέλημα, ἔδει ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ κληρικῶν νομίμως ἐξετάζεσθαι τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ ὑπὸ ἐθνικῶν τῶν τὸν λόγον βδελυσσομένων καὶ μὴ εἰδότων τὴν ἀλήθειαν. τοῦτο δὲ τὸ ἁμάρτημα ἦλικον καὶ ὀκνεῖν ἐστι, συνορᾶν καὶ ὑμᾶς καὶ πάντας πεπίστευκα. περὶ μὲν Ἀθανασίου τοιαῦτα.

ις'. Περὶ δὲ Μαρκέλλου ἐπειδὴ καὶ περὶ αὐτοῦ ὡς ἀσεβοῦντος εἰς τὸν Χριστὸν ἐγράψατε, δηλῶσαι ὑμῖν ἐσπούδασα, ὅτι ἐνταῦθα γενόμενος, διεβεβαιώσατο μὲν μὴ εἶναι ἀληθῆ τὰ περὶ αὐτοῦ γραφέντα παρ' ὑμῶν. ὅμως δὲ ἀπαιτούμενος παρ' ἡμῶν εἰπεῖν περὶ τῆς πίστεως, οὕτως μετὰ παῤῥησίας ἀπεκρίνατο δι' ἑαυτοῦ, ὡς ἐπιγνῶναι μὲν ἡμᾶς, ὅτι μηδὲν ἔξωθεν τῆς ἀληθείας ὁμολογεῖ. οὕτως γὰρ εὐσεβῶς περὶ τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὡμολόγησε φρονεῖν, ὥσπερ καὶ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία φρονεῖ, καὶ οὐ νῦν ταῦτα περφρονηκέναι διεβεβαιώσατο, ἀλλὰ καὶ ἐκ πάλαι. ὥσπερ οὖν καὶ οἱ ἡμέτεροι πρεσβύτεροι, τότε ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ γενόμενοι, ἐμαρτύρησαν αὐτῷ τῇ ὀρθοδοξίᾳ· καὶ γὰρ καὶ τότε καὶ νῦν κατὰ τῆς αἱρέσεως τῶν Ἀρειανῶν περφρονηκέναι διεσχυρίσατο. ἀφ' ᾧ καὶ ὑμᾶς ὑπομνῆσαι δίκαιόν

A multi laniati ac vim perpessi, episcopi in carcerem trusi, multi circumcirca raptati, sancta (1) mysteria, de quibus violatis Macarium presbyterum postulabant, ab ethnicis direpta sunt et in terram projecta, ut Gregorii ordinationem aliqui admitterent. Hæc autem ostendunt quinam canones violent. Nam si legitima fuisset ordinatio, nequaquam præter jus fasque eos coegisset sibi obtemperare, qui jure ipsius imperium detrectabant. Verumtamen his ita gestis, scribitis magnam tum pacem Alexandriæ et in Ægypto fuisse. Nisi forte pacis (2) notio mutata sit, et jam hæc pacem appelletis.

XV. *Alia in Mareoticis gesta reprehensione digna.* — Illud quoque vobis necessario indicandum putavi, Athanasium nempe affirmasse, Macarium Tyri sub B custodia militum remansisse; accusatoremque solum abiisse cum iis qui in Mareoten proficiscebantur; presbyterisque rogantibus ut sibi inquisitioni adesse liceret, id negatum fuisse, interrogationem autem de calice et de mensa factam esse coram Præfecto et ejus cohorte, præsentibus ethnicis et Judæis. Videbatur illud initio incredibile (V. *Athanas., apolog. cont. Ar.*, n. 83), nisi fuisset ex ipsis monimentis demonstratum. Quod nobis admirationi fuit, id etiam vobis, dilecti, fore existimo, ut de sanguine et corpore Christi interrogatio, cui presbyteri, licet mysteriorum ministri sint, interesse non permittuntur, apud externum tamen judicem, præsentibus catechumenis, et quod indignius est, coram ethnicis et Judæis, qui circa christianismum suspecti et male affecti audiunt, habita sit. Nam si omnino scelus perpetratum est, C oportuit hoc negotii in Ecclesia a clericis secundum leges examinari, et non ab ethnicis, qui Verbum detestantur et veritatem ignorant. Hoc autem flagitium quantum et cujusmodi sit, et vos et omnes animadversuros existimo. Hæc quidem de Athanasio.

XVI *Marcellus recte sentire declaratur.* — Quod autem ad Marcellum attinet, postquam de illo ut impio erga Christum scripsistis, vobis studui significare eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ vos de ipso scripsistis. Sed cum nihilominus postulassemus ut fidem suam (3) exponeret, tanta fiducia per se ipse respondit, ut nobis exploratum fuerit eum nihil a veritate alienum profiteri. Namque professus est sese de Domino et Salvatore nostro Jesu Christo D æque pie sentire, ac sentit Ecclesia catholica; neque se nunc primum, sed pridem ita sensisse. Id quoque testati sunt et presbyteri (4) nostri qui Nicænæ sy-

(1) Athanasius, epistola ea de re ad episcopos missa, eadem flagitia aliaque graphice describit, nominatimque, n. 3, ecclesiam cum sacro baptisterio incensam, virgines sanctas nudatas, monachosque conculcatos narrat; sed de mysteriis direptis et in terram projectis silet. Verum cum prædictam epistolam statim a fuga sua conscripserit, nondum omnia, quæ ab Arianis patrata sunt, rescire ei licuerat. Et vero Julius hæc non ex Athanasii, sed ex eorum qui Alexandria venerant, et episcoporum qui ad se scripserant fide commemorat. Porro hujusmodi sacrilegia Arianis usitata fuisse probant et quæ ab ipsis in Tolosam civitate commissa esse Hilarius, lib. contra Constantium, n. 11, narrat, de quibus et ipse expostulat in hunc modum: *Clerici fustibus cæsi, diaconus plumbo elisi, et in ipsum, ut sancti mecum intelligunt, in ipsum Christum manus missæ*, adeo ut quod Julius *sacra mysteria*, Hilarius *ipsum Christum* vocare non dubitet, quia in illis, etsi latenter, vere tamen Christus adsit, immo ea ipse sit.

(2) Ut ei nimirum congruere dicantur opera, quæ hactenus belli esse censebamus.

(3) Hæc fidei expositio, ni cum eruditis viris fallimur, ipsa est quam Epiphanius nobis asservavit, quamque epistolæ huic subjiciendam curavimus.

(4) Vito scil. et Vincentius, Silvestri papæ legati. Vide

Digitized by Google

nodo adfuerant, fidem illius orthodoxam esse confirmantes : etenim tunc temporis, ut et nunc, adversam Arianorum hæresi sententiam tenuisse se affirmabat. Quocirca vos admonitos velim, ut nullus ejusmodi hæresim recipiat, sed abominetur ut a sana doctrina alienam. Cum ergo ille recte sentiret, et rectæ fidei suæ testimonium haberet, quid, quæso, et de illo nobis faciendum fuit, nisi ut eum pro episcopo haberemus, ut et habuimus, et a communione non abjiceremus ?

XVII. Hæc quidem ego, non ut qui eorum causam agam, scribo, sed ut vobis fidem faciam, nos jure et canonice viros illos suscepisse, et vos frustra disceptationes movere. Æquum est autem vos studere et omnibus modis contendere, ut et quæ contra canonem acta sunt corrigantur, et Ecclesiæ pace fruantur : adeoque pax Domini, quæ data est nobis permaneat, et Ecclesiæ non scindantur ; nec vos culpemini ut schismatis auctores. Vobis quippe fateor, ea quæ gesta sunt, non pacis, sed schismatis speciem præ se ferunt.

XVIII. *Nefanda ab Arianis patrata multi Romam convenientes exponunt.* — Non enim Athanasius duntaxat et Marcellus episcopi huc se contulerunt, ac secum injuste actum esse (1) conquesti sunt, sed etiam complurimi alii episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia et Palæstina, et una presbyteri non pauci, atque alii quidem Alexandria, et alii ex aliis partibus, ad synodum huc coactam accessere, qui coram omnibus episcopis congregatis, præter alia quæ in medium protulere, conquesti sunt insuper ecclesias vim injuriamque esse perpessas, ac in suis aliisque ecclesiis paria iis, quæ Alexandriæ, gesta esse asseverarunt non solum verbo, sed rebus ipsis. Ex Ægypto quoque et Alexandria rursum cum litteris proxime advenientes presbyteri, haud sine querela et gemitu testati sunt, episcopos complures ac presbyteros, qui ad synodum se conferre vellent, prohibitos fuisse. Aiebant enim ab Athanasii discessu ad præsens usque tempus, episcopos, eosque (2) confessores plagis laniari, et alios in carcere detineri ; jamque antiquos præsules, qui multos annos in episcopatu transegerant, ad ministeria publica tradi, et omnes fere Ecclesiæ catholicæ clericos et populos insidiis appeti ac persecutionem sustinere. Nonnullos enim episcopos et quosdam fratres extorres factos dicebant, nulla alia de causa, nisi ut vel inviti cogerentur cum Gregorio ejusque sociis Arianis communicare. Ancyræ autem in Galatia non parva, sed ea ipsa quæ Alexandriæ gesta sunt, commissa (3)

A ἐστιν, ἵνα μηδεὶς τὴν τοιαύτην αἵρεσιν ἀποδέχηται, ἀλλὰ βδελύττηται ὡς ἀλλοτρίαν τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας. ὁρᾶτε τοίνυν αὐτὸν ῥητῶς γεγραμμένα καὶ ἐπὶ ὀρθοδεξίᾳ μαρτυρούμενον, τί πάλιν καὶ ἐπὶ τούτου ἔδει ποιεῖν ἡμᾶς, ἢ ἔχειν αὐτὸν, ὥσπερ καὶ εἴχομεν, ἐπίσκοπον, καὶ μὴ ἀποβάλλειν τῆς κοινωνίας.

ιζ'. Ταῦτα μὲν οὖν ἐγὼ, οὐχ ὡς ὑπεραπολογούμενος αὐτῶν γέγραφα· ἀλλὰ ἕνεκα τοῦ πιστῶσαι ὑμᾶς ὅτι δικαίως καὶ κανονικῶς ἐδεξάμεθα τοὺς ἄνδρας, καὶ μάτην φιλονεικεῖτε. ὑμᾶς δὲ δίκαιόν ἐστι σπουδάσαι, καὶ πάντα τρόπον καμεῖν, ἵνα τὰ μὲν παρὰ κανόνα γενόμενα, διορθώσεως τύχῃ, αἱ δὲ ἐκκλησίαι εἰρήνην ἔχωσι, πρὸς τὸ τὴν τοῦ κυρίου εἰρήνην τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν παραμεῖναι, καὶ μὴ σχίζεσθαι τὰς ἐκκλησίας. μὴ δὲ ὑμᾶς; ὡς αἰτίους σχίσματος μέμψιν ὑπομεῖναι. ὁμολογῶ γὰρ ὑμῖν, τὰ γενόμενα, οὐκ εἰρήνης, ἀλλὰ σχίσματος πρόφασιν εἶναι.

B ιη'. Οὐ γὰρ μόνον οἱ περὶ Ἀθανάσιον καὶ Μάρκελλον οἱ ἐπίσκοποι ἐλαλύθασιν ἐνταῦθα, αἰτιώμενοι κατ' αὐτῶν ἀδικίαν γεγονέναι· ἀλλὰ καὶ πλεῖστοι ἄλλοι ἐπίσκοποι ἀπὸ Θράκης, ἀπὸ Κοίλης Συρίας, ἀπὸ Φοινίκης καὶ Παλαιστίνης, καὶ πρεσβύτεροι μὲν οὐκ ὀλίγοι, ἄλλοι δέ τινες ἀπὸ Ἀλεξανδρείας, καὶ ἄλλοι ἐξ ἄλλων μερῶν, ἀπαντήσαντες εἰς τὴν ἐνταῦθα σύνοδον, ἐπὶ πάντων τῶν συνελθόντων ἐπισκόπων, πρὸς τοῖς ἄλλοις, οἷς ἔλεγον, ὅτι (*f.* ὅτι) καὶ ἀπωδύροντο, βίαν καὶ ἀδικίαν τὰς ἐκκλησίας πεπονθέναι, καὶ ὅμοια τῶν κατὰ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ τὰς ἑαυτῶν, καὶ ἐν ἄλλαις ἐκκλησίαις γεγενῆσθαι διεβεβαιοῦτο, οὐ λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγμασι. καὶ Αἰγύπτου δὲ καὶ τῆς Ἀλεξανδρείας πάλιν ἐλθόντες νῦν πρεσβύτεροι μετὰ γραμμάτων, ἀπωδύροντο, ὅτι πολλοὶ ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι θέλοντες ἐλθεῖν εἰς τὴν σύνοδον,

C ἐκωλύθησαν. μέχρι γὰρ νῦν καὶ μετὰ τὴν τοῦ ἐπισκόπου Ἀθανασίου ἀποδημίαν, ἔλεγον ἐπισκόπους ὁμολογητὰς καταπόπτεσθαι πληγαῖς, καὶ ἄλλους φυλακίζεσθαι. ἤδη δὲ καὶ ἀρχαίους, πλεῖστον ὅσον χρόνον ἔχοντας ἐν τῇ ἐπισκοπῇ, εἰς λειτουργίας δημοσίας παραδίδοσθαι, καὶ σχεδὸν πάντας τοὺς τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας κληρικοὺς καὶ λαοὺς ἐπιβουλεύεσθαι καὶ διώκεσθαι. καὶ γὰρ καί τινας ἐπισκόπους καί τινας ἀδελφοὺς ὑπορρήτους ἔλεγον γεγενῆσθαι, δι' οὐδὲν ἕτερον, ἢ ἵνα καὶ ἄκοντες ἀναγκάζωνται κοινωνεῖν Γρηγορίῳ καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ Ἀρειανοῖς· καὶ Ἀγκύρᾳ δὲ τῆς Γαλατίας οὐκ ὀλίγα γεγενῆσθαι, ἀλλὰ τὰ αὐτὰ πάλιν τοῖς κατὰ Ἀλεξάνδρειαν γενομένοις ἠκούσαμεν καὶ παρ' ἑτέρων, καὶ Μάρκελλος δὲ ὁ ἐπίσκοπος διεμαρτύρατο. πρὸς δὲ τούτοις καὶ τοιαύτας κατηγορίας καὶ οὕτω δεινὰς κατά τινων ἐξ ὑμῶν, ἵνα μὴ λέγω τὰ ὀνόματα, οἱ ἀπαντήσαντες εἰρήκασιν, ὃς ἐγὼ μνεγράψαι παρητησάμην· ἴσως δὲ καὶ ὑμεῖς παρ' ἑτέρων ἀκηκόατε. διὰ

D τοῦτο γὰρ μάλιστα καὶ ἔγραψα, προτρεπόμενος ὑμᾶς ἐλθεῖν,

sequentem epistolam, n. 4, ubi Marcellus Arianos a se in Nicæna synodo convictos memorat.

(1) Athanasius, epist. ad Solit, n. 5, plures recenset episcopos ab Arianis e civitatibus suis pulsos, qui autem ex iis Romam se receperint silet. Si Socrati, lib. II, c. 15, et Sozomeno, lib. III, c. 8, habenda fides, eo tum confugerunt, præter Athanasium et Marcellum, Paulus, Constantinopoleos episcopus, Asclepas Gazæ, et Lucius Hadrianopoleos.

(2) Athanasius, epist. ad Solit., n. 12, id accidisse narrat statim atque Eusebiani Elpidium et Philoxenum, Julii legatos, per quos ad synodum Romanam invitati fuerant, dimiserunt. Tum enim Philagrio missis litteris, auctores fuerunt ut Ægyptum cum Gregorio peragraret. Hinc, inquit, Athanasius, *episcopi flagellantur, vinculisque acerbe constringuntur ; Sarapammon episcopus et confessor in exsilium pellitur, Potammon vero item episcopus et confessor tam diu in cervicem cæditur, quoad hominem exstinctum putarent.*

(3) Ea forte, quæ Ariani apud Hilarium, frag. III, n. 9, Marcello ipsi affingunt. Illis quippe solemne erat, ea flagitia, quorum auctores et actores erant, Catholicis imponere, atque hinc eis invidiam conflare. Ita et in prædicto Hilarii fragmento, n, 8, de Athanasio scribere non verentur : *Per vim, per cædem, per*

Digitized by Google

ἵνα καὶ παρόντες ἀκούσητε, καὶ πάντα διορθωθῆναι, καὶ θεραπευθῆναι δυνηθῇ. ἐπὶ δὲ τούτων προθυμοτέρως ἴδει τοὺς κληθέντας ἀπαντῆσαι, καὶ μὴ παραιτήσασθαι. ἵνα μὴ τίνι ὑποπτοι περὶ τὰ λεχθέντα, ἐαν μὴ ἀπαντήσωσι, νομισθῶσιν, ὡς μὴ δυνάμενοι ἐλέγξαι ἃ ἔγραψεν.

ιθ'. Τούτων τοίνυν οὕτως λεγομένων, καὶ οὕτως τῶν ἐκκλησιῶν πασχουσῶν καὶ ἐπιβουλευομένων, ὡς οἱ ἀπαγγέλλοντες διεβεβαιοῦντο, τίνες εἰσὶν οἱ ῥᾳδίως δικονοίας ἀνάψαντες; ἡμεῖς οἱ λυπούμενοι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις καὶ συμπάσχοντες τοῖς πάσχουσιν ἀδελφοῖς, ἢ οἱ τὰ τοιαῦτα ἐργασάμενοι; θαυμάζω γὰρ πῶς τοιαύτης καὶ τοσαύτης ἐκεῖ ἀκαταστασίας καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν οὔσης (δι' ἣν καὶ οἱ ἀπαντήσαντες ἦλθον ἐνταῦθα), γράφετε ὑμεῖς ὁμόνοιαν γεγενῆσθαι ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. τὰ δὲ τοιαῦτα οὐκ ἐπὶ οἰκοδομῇ τῆς ἐκκλησίας, ἀλλ' ἐπὶ καθαιρέσει ταύτης γίνεται. καὶ οἱ ἐν τούτοις δὲ χαίροντες, οὐκ εἰσὶν εἰρήνης υἱοί, ἀλλὰ ἀκαταστασίας. ὁ δὲ θεὸς ἡμῶν οὐκ ἔστιν ἀκαταστασίας, ἀλλ' εἰρήνης. διόπερ, ὡς οἶδεν ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, κηδόμενος μὲν καὶ τῆς ὑμῶν ὑπολήψεως, εὐχόμενος δὲ καὶ τὰς ἐκκλησίας μὴ ἐν ἀκαταστασίᾳ εἶναι, ἀλλὰ διαμένειν ὥσπερ ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἐκανονίσθη, γράφαι ὑμῖν ταῦτα ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ἵνα ἤδη ποτὲ δυσωπήσητε τοὺς διὰ τὴν πρὸς ἀλλήλους ἀπέχθειαν, οὕτως διαθεμένους τὰς ἐκκλησίας. ἠκουσα γὰρ ὅτι τινές εἰσιν ὀλίγοι οἱ τούτων πάντων αἴτιοι τυγχάνοντες. σπουδάσατε, ὡς σπλάγχνα ἔχοντες οἰκτιρμοῦ, διορθώσασθαι, ὡς προεῖπον, τὰ παρὰ κανόνα γενόμενα, ἵνα εἴ καί τι προελήφθη, τοῦτο τῇ ὑμετέρᾳ σπουδῇ θεραπευθῇ.

κ'. Καὶ μὴ γράφητε, ὅτι τὴν Μαρκέλλου καὶ Ἀθανασίου, ἢ τὴν ἡμῶν ἁπλῶς κοινωνίαν· οὐ γὰρ εἰρήνης, ἀλλὰ φιλονεικίας καὶ μισαδελφίας τὰ τοιαῦτα γνωρίσματα. διὰ τοῦτο οὖν κἀγὼ τὰ προειρημένα ἔγραψα, ἵνα μαθόντες ὅτι οὐκ ἀδίκως ἀδεξάμεθα αὐτούς, παύσησθε τῆς τοιαύτης ἔριδος. εἰ μὲν γὰρ ἐλόντων ὑμῶν ἦσαν κατεγνωσθέντες, εἰ μὴ εὐλόγους ἀποδείξεις ἔχειν ἐφαίνοντο ὑπὲρ ἑαυτῶν, καλῶς ἂν τὰ τοιαῦτα ἐγεγραφήκειτε. ἐπειδὴ δὲ, ὡς προεῖπον, καινοτικῶς καὶ οὐκ ἀδίκως τὴν πρὸς αὐτοὺς ἔσχομεν κοινωνίαν, παρακαλῶ ὑπὲρ Χριστοῦ, μὴ ἐπιτρίψητε διασχισθῆναι τὰ μέλη τοῦ Χριστοῦ, μηδὲ τοῖς προλήμμασι πιστεύσητε, ἀλλὰ τὴν τοῦ κυρίου εἰρήνην προτιμήσατε. οὐ γὰρ ὅσιον, οὐδὲ δίκαιον, δι' ὀλίγων μικροψυχίαν, τοὺς μὲν κατεγνωσθέντας ἀποβρίπτειν, καὶ λυπεῖν ἐν τούτῳ τὸ πνεῦμα.

κα'. Εἰ δὲ νομίζετε δύνασθαί τινα κατ' αὐτῶν ἀποδεῖξαι, καὶ εἰς πρόσωπον αὐτοὺς ἐλέγξαι, ἐλθέτωσαν οἱ βουλόμενοι. ἑτοίμους γὰρ ἑαυτοὺς καὶ αὐτοὶ εἶναι ἐπηγγείλαντο, ὥστε καὶ ἀποδεῖξαι καὶ διελέγξαι, περὶ ὧν ἡμῖν ἀπήγγειλαν. Σημάνατε οὖν ἡμῖν, ἀγαπητοὶ, περὶ τούτου, ἵνα κἀκείνοις γράψωμεν, καὶ τοῖς ὀφείλουσι πάλιν συνελθεῖν ἐπισκόποις· πρὸς τὸ πάντων παρόντων τοὺς ὑπευθύνους κατεγνωσθῆναι, καὶ μηκέτι ἀκαταστασίαν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις γενέσθαι. ἀρκεῖ γὰρ τὰ γενόμενα· ἀρκεῖ ὅτι παρόντων ἐπισκόπων ἐπίσκοποι ἐξωρίζοντο· περὶ οὗ οὐδὲ μακρηγορεῖν δεῖ, ἵνα μὴ βαρεῖσθαι οἱ

A audivimus cum ab aliis, tum a Marcello episcopo, qui illud testimonio suo confirmabat. Ad hæc tanta tamque atrocia crimina nonnullorum ex vobis, quorum nomina taceo, ab iis qui huc accessere delata sunt, ut ego illa scribere veritus sim, cum fortasse et vos didiceritis ab aliis. Etenim hæc potissima mihi scribendi causa fuit, et vos adhortandi ut huc veniretis, quo et coram hæc audiretis, et omnia corrigi et sanari possent. Idcirco accersitos promptiori animo occurrere oportuit, et non recusare, ne si non occurrerent, jam circa ea quæ dicta sunt suspecti haberentur, utpote qui res a se scriptas probare non potuerint.

XIX. *Discordiæ auctores Eusebiam, non Julius.* — Hæc cum ita delata sint, et Ecclesiæ adeo gra-
B vibus premantur malis ac insidiis appetantur, ut affirmavere qui hæc renuntiabant, quinam sunt qui flammam discordiæ accendunt? nosne, qui ista dolemus et vexatos fratres miseramur, an qui talia perpetrarunt? Miror enim, cum talis ac tanta rerum perturbatio fuerit in singulis ecclesiis (quæ causa illis fuit huc properandi), vos tamen scribere concordiam in ecclesiis extitisse. Hæc autem non ad ædificationem Ecclesiæ, sed ad ejus ruinam vergunt; et qui his gaudent non pacis, sed dissensionis filii sunt. *Nobis autem non est dissensionis Deus, sed pacis* (II *Cor.* XIV, 33). Quapropter, ut mihi conscius est Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, vestræ existimationis curam gerens, exoptans quoque ecclesias non in perturbatione degere, sed eas ut ab Apostolis
C statutum est permanere, hæc ad vos scribere necessarium duxi, ut nunc tandem illos retundatis, qui ob mutuum inter se odium ecclesias eo redigunt. Audivi enim paucos numero esse, qui horum omnium essent auctores. Operam date, ut viscera misericordiæ habentes, ea corrigatis, uti supra dixi, quæ contra canonem gesta sunt, ut si quid mali anteverterit, id vestro studio emendetur.

XX. *Athanasius et Marcellus sine partium studio in communionem recepti.* — Nec mihi scribatis: « Marcelli et Athanasii communionem potius quam nostram cooptasti; » nam hæc non pacis, sed contentionis et odii fraterni sunt indicia. Quapropter superiora scripsi, ut certiores facti eos non injuste a nobis receptos esse, hujusmodi jurgio finem imponeretis. Si
D enim illi vobis huc concedentibus convicti fuissent, et si non æquas rationes pro sua defensione protulissent, jure merito talia scripsissetis. Quando quidem autem, ut prædixi, ex canonum præscripto et non injuste cum illis communione jungimur, obsecro vos, per Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neu præconceptis opinionibus credatis, sed Domini pacem pluris faciatis. Non enim æquum justumque fuerit, ob paucorum simultatem, eos qui convicti non sint abjicere, et in hoc Spiritum contristare.

XXI. *Si reos illos putant, Romam conveniant, et ibi eos præsentes convincant.* — Quod si arbitramini posse quædam adversus illos probari, et coram eos convinci; veniant quibus id placuerit. Nam se para-

bellum, Alexandrinorum basilicas deprædatur. Constituto jam in ejus locum ex judicio concilii sancto et integro sacerdote (Gregorio), *ut barbarus hostis et ut pestis sacrilega, adductis gentilium populis, Dei templum incendit, altare comminuit, et clam exiit de civitate, occulteque profugit.* Ita Athanasium reum faciunt eorum, quæ ipsi Gregorium in ejus locum immittentes perpetrarant.

Digitized by Google

tos esse polliciti sunt ad ea, quæ nobis denuntiarunt, liquido confutanda. Certiores igitur nos, dilectissimi, ea de re facite, quo et illis, et episcopis huc rursum conventuris scribamus : ut præsentibus omnibus qui rei sunt convincantur; nec ulterius perturbatio in ecclesiis exsistat. Sufficiunt enim quæ facta sunt, sufficit quoque præsentibus episcopis episcopos in exsilium actos esse : qua de re non est prolixior sermo habendus, ne gravari videantur qui tum adfuere. Nam si verum est dicendum, minime decuit ad hæc usque facinora procedere, aut eo usque has dissensiones progredi. Esto, sint Athanasius et Marcellus, uti scribitis, de suis sedibus (1) moti; sed quid de aliis dicatur cum episcopis, tum presbyteris, qui ex diversis locis, quemadmodum prædixi, huc se contulere? nam et isti quoque se abreptos, et istiusmodi calamitatibus afflictos esse testati sunt.

παρόντες τότε δεικῶσιν. εἰ γὰρ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐκ ἔδει μέχρι τούτων φθάσαι, οὐδὲ εἰς τοσοῦτον ἐλθεῖν τὰς μικροψυχίας. ἔστω δὲ Ἀθανάσιος καὶ Μάρκελλος, ὡς γράφετε, μετατέθησαν ἀπὸ τῶν ἰδίων τόπων· τί καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἄν τις εἴποι, τῶν ἐκ διαφόρων τόπων, ὡς προεῖπον, ἐλθόντων ἐνταῦθα ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων; καὶ αὐτοὶ γὰρ πάλιν ἡρπάσθαι ἑαυτοὺς καὶ τοιαῦτα πεπονθέναι ἔλεγον.

B

XXII. — *Judicia non secundum Evangelium instituta. Alexandrinum antistitem Julio inscio judicari non debuisse.* — O dilecti non jam Ecclesiæ judicia secundum Evangelium, sed (2) ad exsilii ac mortis pœnas decernendas instituuntur. Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, judicium secundum ecclesiasticum canonem, nec eo pacto, fieri oportuit. Oportuit omnibus (3) nobis scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur; episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiæ quæ vexabantur, sed quas (4) ipsi Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est (5) decernatur? Sane si qua hu-

C

κδ'. Ἵλ ἀγαπητοί, οὐκίτι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, ἀλλὰ λοιπὸν ἐπὶ ἐξορισμῷ καὶ θανάτῳ αἱ κρίσεις τῆς ἐκκλησίας εἰσίν. εἰ γὰρ καὶ ὅλως, ὡς φατε, γέγονέ τι εἰς αὐτοὺς ἁμάρτημα, ἔδει κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, καὶ μὴ οὕτως γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν. ἔδει γραφῆναι πᾶσιν ἡμῖν, ἵνα οὕτως παρὰ πάντων ὁρισθῇ τὸ δίκαιον· ἐπίσκοποι γὰρ ἦσαν οἱ πάσχοντες, καὶ οὐχ αἱ τυχοῦσαι ἐκκλησίαι αἱ πάσχουσαι, ἀλλ' ὧν αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι δι' ἑαυτῶν καθηγήσαντο. διατί δὲ περὶ τῆς Ἀλεξανδρίων ἐκκλησίας μάλιστα οὐκ ἐγράφετο ἡμῖν; ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν, πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι τὰ δίκαια. εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἦν ὑποπτεῦσθαι εἰς τὸν ἐπίσκοπον τὸν ἐκεῖ, ἔδει πρὸς τὸν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι. νῦν δὲ οἱ ἡμᾶς μὴ πληροφορήσαντες, πράξαντες δὲ αὐτοὶ ὡς ἠθέλησαν, λοιπὸν καὶ ἡμᾶς οὐ κατηγόντας βούλονται συμφώνους εἶναι. οὐχ οὕτως αἱ Παύλου διατάξεις, οὐχ οὕτως οἱ πατέρες παραδεδώκασιν. ἄλλος τύπος ἐστὶν οὗτος, καὶ καινὸν τὸ ἐπιτήδευμα. παρακαλῶ, μετὰ πριθυμίας ἀνέγνατε· ὑπὲρ τοῦ κοινῇ συμφέροντός ἐστι, ἃ γράφω. ἃ γὰρ παρειλήφαμεν παρὰ τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου, ταῦτα καὶ ὑμῖν δηλῶ. καὶ οὐκ ἂν ἔγραφα, φανερὰ ἡγούμενος εἶναι ταῦτα παρὰ πᾶσιν, εἰ μὴ τὰ γενόμενα ἡμᾶς ἐτάραξεν. ἐπίσκοποι ἁρπάζονται καὶ ἐκτοπίζονται, ἄλλοι δὲ ἀλλαχόθεν ἀντιτίθενται, καὶ ἄλλοι ἐπιβουλεύονται. ὥστε ἐπὶ μὲν τοῖς ἁρπαθεῖσιν αὐτοὺς πενθεῖν, ἐπὶ δὲ τοῖς πεμπομένοις ἀναγκά-

D

(1) Hic subaudiendum videtur, *juste*. Istiusmodi argumentum non prætermisit Athanasius : sic quippe epist. ad Solit. n. 3, loquitur : *Esto, Athanasium accusaverint : sed quid mali admisere alii episcopi? quis adversus illos obtentus? quis apud illos Arsenius mortuus repertus est? quisnam apud illos Macarius presbyter, aut calix confractus? quis Meletianus insimulavit?*

(2) Supple, *more sæculi*, a cujus severitate abest evangelica atque ecclesiastica clementia.

(3) Quid sibi vult istud *omnibus nobis*, nisi Julio et iis qui ad indictam synodum cum ipso convenerant? Certe Julius supra, n. 2, postulatam memorat synodum, *ut coram* OMNIBUS *justum posset proferri judicium :* et num. 18, narrat, qui ex plurimis partibus episcopi vexati *coram* OMNIBUS *episcopis congregatis* expostulationes suas in medium protulerint : et numer. 21, ad eosdem rursum vocandos se paratum significat, *ut præsentibus* OMNIBUS *qui rei sunt convincantur*. Quocirca quemvis episcopum sine Romani pontificis consensu judicari non posse hinc minime conficitur. Aliter vero de Alexandrini episcopi judicio sentiendum. Ubi enim de illo nominatim loquitur Julius, sit *hunc esse consuetudinem, ut primum scribatur nobis*, nec addit *omnibus :* et mox, *Ad hanc ecclesiam scribendum fuit.*

(4) Hoc maxime in Alexandrinam convenit ecclesiam, de qua Leo epist. 94, ad episcopos Galliarum c. 4, scribit : *Inter ipsa Evangelii principia beatum Marcum, beatissimi Petri apostoli discipulum, in omnibus utique doctoris sui magisterio consonantem habuit fundatorem.* Hinc et Gregorius I, lib. VII, Ind. XV, epist. 37, Eulogio episcopo Alexandrino, qui de Petri cathedra locutus, dixerat *quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedet*, rescribit : *Ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram sedet*, aperte docens pariter Alexandrinam sedem esse Petri cathedram. Præterea idipsum a Julio videri potest dictum propter Ancyram, cujus episcopus erat Marcellus. Erat quippe hæc civitas caput Galatiæ, cui inscriptam habemus Apostoli epistolam. Atqui Paulus, Augustini judicio epist. olim 161, nunc 49, n. 2, eas constituit ac fundavit ecclesias, quarum nomina ipsius epistolæ præ se ferunt. Easdem quoque Tertullianus lib. IV, contra Marcion. c. 5, *ecclesias Apostolorum* censet. Ubi enim docuit, *id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum;* quæ sint Apostolorum ecclesiæ sic statim explicat : *Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam* GALATÆ *sint recogniti, quid legant Philippenses.*

(5) Ad hunc locum haud dubie respexit Socrates, lib. II, cap. 17, ubi scribit Julium, litteris ad eos qui Antiochiæ convenerant missis, in primis conquestum esse, *quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent : cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne præter sententiam Romani pontificis quidquam ab Ecclesia decernatur.* Socrati Sozomenus, lib. III, c. 10, concinens, tradit *pro irritis habenda esse, quæ præter sententiam episcopi Romani fuerint gesta.* Utrinsque verbis nonnihil mutatis Epiphanius histor. tripart., lib. IV, c. 9, innuit irritam esse synodum Antiochenam, quia *neque Julius ei interfuit, neque in locum suum aliquem destinavit; cum utique regula ecclesiastica jubeat, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari.* Hinc Isidorus Mercator in scripto Julii nomine confecto ad Orientales, n. 3, affirmat, *canonibus in Nicæna synodo jubentibus, non debere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari, nec episcopos damnari.* Addit et in altera æque falsa Julii ad eosdem Orientales epistola, n. 4, *dudum*

Digitized by Google

ζεσθαι. ἵνα οὓς μὲν θέλουσι μὴ ἐπιζητῶσιν, οὓς δὲ μὴ βούλονται, δέχωνται. ἀξιῶ ἡμᾶς μηκέτι τοιαῦτα γίνεσθαι. γράψατε δὲ μᾶλλον κατὰ τῶν τὰ τοιαῦτα ἐπιχειρούντων, ἵνα μηκέτι τοιαῦτα τέσχωσιν αἱ ἐκκλησίαι, μηδέ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ὕβριν πάσχῃ, ἢ παρὰ γνώμην, ὥσπερ ἐδηλώσαμεν ἡμῖν, ἀναγκάζηταί τις ποιεῖν. ἵνα μὲν καὶ παρὰ τοῖς ἔθνεσι γέλωτα ὀφλήσωμεν, καὶ πρὸς γε πάντων, ἵνα μὴ τὸν θεὸν παροξύνωμεν. ἕκαστος γὰρ ἡμῶν ἀποδώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, περὶ ὧν ἐνταῦθα ἔπραξε. γένοιτο δὲ πάντας κατὰ θεὸν φρονῆσαι, ἵνα καὶ αἱ ἐκκλησίαι, τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἀπολαβοῦσαι, χαίρωσι διαπαντὸς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κυρίῳ ἡμῶν, δι' οὗ τῷ πατρὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. ἐρρῶσθαι ὑμᾶς ἐν κυρίῳ εὔχομαι, ἀγαπητοὶ καὶ ποθεινότατοι ἀδελφοί.

A jusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt (1) Pauli statuta, non hæc patres tradiderunt : sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro, bono animo ferte; quæ enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quæ accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo; non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quæ gesta sunt nos conturbassent. Episcopi rapiuntur et e suis sedibus pelluntur, alii aliunde eorum loco substituuntur, et alii insidiis appetuntur : ita ut populi de abreptis doleant, ac submissos recipere cogantur; ut quos exoptant non requirant (2), quos autem nolunt, inviti recipiant. Rogo vos ne ultra hujusmodi res agantur : immo potius contra eos scribite qui talia moliuntur; ne deinceps ita vexentur ecclesiæ, neve quis episcopus aut presbyter contumeliam patiatur, aut contra animi sui sententiam, ut nobis indicatum est, quis facere cogatur : ne apud ethnicos risum moveamus, ac in primis ne Deum ad iram concitemus. Unusquisque enim nostrum in die judicii rationem suorum in hac vita operum est redditurus. Utinam omnes secundum Deum sentiant : ut et ecclesiæ, episcopis suis receptis, perpetuo gaudeant in Christo Jesu Domino nostro, per quem gloria Patri in sæcula sæculorum, Amen. Valere vos in Christo exopto, charissimi ac desideratissimi fratres.

EPISTOLA (3) JULII PAPÆ I AD PRESBYTEROS, DIACONOS ET POPULUM ALEXANDRIÆ.

JULIUS ALEXANDRINIS DE REDITU ATHANASII, CUI SEMPER FIDE ET AMORE INHÆSERANT, GRATULATUR EISQUE BENE PRECATUR.

Ἰούλιος πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις, καὶ λαῷ παροικοῦντι Ἀλεξάνδρειαν.

α'. Συγχαίρω κἀγὼ ὑμῖν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, ὅτι τὸν

JULIUS (4) PRESBYTERIS, DIACONIS ET POPULO (5) ALEXANDRIAM INCOLENTI.

I. Gratulor et ipse vobis, dilectissimi fratres, quod

a sanctis apostolis successoribusque eorum in præfatis antiquis decretum statutis, quæ hactenus sancta et universalis apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari, nec episcopum damnari. Sententiam Julii, dum a diversis tractatur, qui eadem verba interpolare amant, quis crederet tam diversa rerum facie exhiberi potuisse? Inficiandum tamen non est, eo pacto quo res tum erant, cum scilicet Eusebianorum legati synodum a Julio petiissent, cum Julius eorum petitioni annuens episcopos Romam vocasset, cum plurimi jam venissent, Eusebianis præter Romani pontificis sententiam nec concilia celebrare, nec de controversis rebus decreta sancire, nec accusatos episcopos damnare licuisse. At in eo falsi sunt Socrates et Sozomenus, quod hæc Julii verba, *An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur*, de una Alexandrina ecclesia ab eo dicta, de universis interpretati sint. Ei autem consuetudini, quam Julius hic vindicat, suffragantur gesta Dionysii Alexandrini, qui cum in suspicionem venisset hæreseos, ad Dionysium Romanum delatus, sese purgare non distulit. Et id quidem Romani pontificis in Alexandrinam ecclesiam speciale jus ad hujus ecclesiæ originem referre licet, quippe quæ Petrum jam Romæ constitutum, Marci ipsius discipuli opera, seu, si mavis cum Leone, Marcum in omnibus doctoris sui Petri magisterio in omnibus consonantem, fundatorem habuit.

(1) Alludit hic Julius ad formam judicii, cujus specimen in damnando incesti reo Paulus I, Cor. v, 4, tradit his verbis : *In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et spiritu meo, etc.* Ad eadem Apostoli verba Ecclesiam non judicia solum, sed et episcoporum institutiones atque ordinationes exegisse testis est Athanasius in epistola encyclica, cujus verba superius, col. 901, not. 2, retulimus.

(2) Hoc est, adeo ut priventur jure postulandi quos

exoptant. Ut enim supra Julius, n. 14, docet, ac verba Cypriani in eumdem locum relata confirmant, ecclesiasticæ leges volebant, ut episcopus ordinandus a clericis et populis postularetur. Nec minus canonibus repugnat populos cogi, ut quos nolint episcopos inviti recipiant. Quapropter concilium Aurelianense v, an. 549, c. 11, cavens, *Episcopus ne invitis detur*, conceptis verbis adjungit, *sicut antiqui canones decreverunt*. Vide Cælestini I epistolam ad episcopos Vienn. et Narbon., n. 4 et 5.

(3) Athanasius, ut ipse narrat apolog. cont. Arian. n. 51, cum post solutam Sardicensem synodum Aquileiæ degeret, tres accepit litteras, quibus eum Constantius ut omni festinatione in patriam remearet hortabatur. Tum tandem anno 349, Romam rediit, episcopo et ecclesiæ ejus valedicturus. Hac occasione Julius istam dedit epistolam, quam ipse Athanasius apolog. cont. Arian. n. 52, post prædictas tres Constantii litteras ita subtexuit, ut ea quæ toto numero 2, in laudem ipsius enarrantur, præ modestia suppresserit. Eamdem Socrates lib. II, c. 23, et ex eo Epiphanius scholasticus histor. trip. lib. IV, c. 29, integram nobis transmiserunt.

(4) Apud Socratem hic additur græce ἐπισκόποις καὶ, quod et in edit. concil. retentum. Ad unos tamen Alexandrinos, quibus Athanasius præerat, et qui nullum præter eum, episcopum agnoscebant, hanc epistolam scriptam esse manifestum est. Græce legisse videtur Epiphanius scholast. Ἰούλιος ἐπίσκοπος. Sed nec lectioni huic plane hæsit; nam latine habet, *Julius archiepiscopus*. Ita vero Valesius vocem græcam ἐπισκόποις servavit, ut latine non *episcopis*, sed *episcopus* converterit. Titulum temere a Socrate interpolatum fuisse eo major suspicio est, quod episcopi nomen Julius non solum hic apud Athanasium, sed et in superiore epistola I, minime sibi adscribat.

(5) In historia tripart. *et plebi, habitantibus in Alexandria dilectissimis fratribus in Domino salutem :*

Digitized by Google

fructum fidei vestræ ob oculos demum conspicitis. Illud enim ita re vera se habere cuivis palam est in fratre et coepiscopo meo Athanasio, quem Deus tum ob vitæ puritatem, tum ob preces vestras vobis restituit. Ex quo sane animadvertere licet, vos semper puras et charitate plenas orationes ad Deum extulisse. Memores quippe cœlestium promissionum, et ad illas ducentis disciplinæ in qua per doctrinam prædicti fratris mei instituti estis, verissime nostis, et secundum rectam fidem vobis insitam comprehendistis, nequaquam illum a vobis perpetuo sejunctum fore, quem in piissimis vestris animabus semper quasi præsentem habuistis. Mihi itaque ad vos scribenti non multis opus est sermonibus : quæcumque enim vobis a me dicta fuerint, hæc vestra fides præoccupavit, perque Dei gratiam commune omnium nostrum explevit votum (1). Gratulor itaque vobis (iterum enim dicam), quod in fide invictas servaveritis animas vestras. Nec minus ipsi Athanasio fratri meo gratulor, quod multas licet passus ærumnas, nulla tamen hora fuerit vestræ charitatis vestrique desiderii immemor. Nam etsi corpore ad tempus abstrahi a vobis visus est, spiritu tamen indesinenter est ut præsens vobiscum versatus, redit clarior quam discesserat.

II. Atque ego quidem, dilectissimi, omnes illas, quas pertulit, vexationes non inglorias fuisse existimo. Nam et vestra et illius fides ab universis cognita et comprobata est. Nisi enim tot ac tanta contigissent, quis crederet, aut vos de tanto episcopo tale tulisse judicium tantaque charitate eum prosecutos esse; aut illum tot ac tantis ornatum fuisse virtutibus, propter quas a spe quæ reposita est in cœlis alienus non est? Adeptus est igitur undecumque, tum in hoc, tum in futuro sæculo, gloriosum confessionis testimonium. Multas siquidem ac diversas calamitates terra marique perpessus, cunctas Arianæ hæreseos moli iones conculcavit; ac sæpe per invidiam appetitus insidiis et in vitæ discrimen adductus, mortem contempsit, omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi præsidio munitus : confidens futurum, ut et insidias declinaret, et vobis ad vestram consolationem restitueretur, majora etiam ex vestra (2) conscientia referens trophæa, in quibus ad extremos usque totius orbis fines gloriosus innotuit, ob vitæ integritatem probatus. In proposito quidem animi sui cœlestique doctrina fiduciam gessit, sed et a vobis eum diligi perpetuo constantique judicio demonstratis.

III. Redit igitur ad vos jam multo clarior, quam cum a vobis discederet. Si enim pretiosa metalla aurum et argentum ad puritatem ignis probat; quid quis, pro tanti viri dignitate dixerit, qui tot calamitatum periculis superatis, vobis restituitur, purus innocensque non nostro tantum, sed et totius synodi judicio declaratus? Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni secundum Deum gloria et lætitia, episcopum vestrum

καρπὸν τῆς ἑαυτῶν πίστεως ἐπ' ὀφθαμῶν λοιπὸν ὁρᾶτε. τοῦτο γὰρ καὶ ἀληθῶς ἄν τις ἴδοι γενόμενον ἐπὶ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ συνεπισκόπου μου Ἀθανασίου, ὃν διὰ τὴν καθαρότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὰς ὑμετέρας εὐχὰς, θεὸς ὑμῖν ἀποδίδωσιν. ἐκ δὴ τούτου συνορᾶν ἐστι, καθαρὰς ὑμᾶς καὶ μεστὰς ἀγάπης ἀεὶ τὰς εὐχὰς ἀνενηνοχέναι πρὸς τὸν θεόν. μνήμονες γὰρ ὄντες τῶν οὐρανίων ἐπαγγελιῶν, καὶ τῆς πρὸς αὐτὰς ἀγωγῆς, ἣν ἐκ τῆς διδασκαλίας τοῦ προειρημένου ἀδελφοῦ που ἐπαιδεύθητε, ἔγνωτε ἀληθῶς καὶ κατὰ τὴν προσοῦσαν ὑμῖν ὀρθὴν πίστιν κατειλήφατε, ὡς οὐκ ἂν εἰς τέλος ἀφ' ὑμῶν ἀποσχοινισθήσεται οὗτος, ὃν ταῖς θεοσεβεστάταις ὑμῶν ψυχαῖς ἀεὶ ὡς παρόντα ἰσχήκατε. οὐκοῦν, οὐ πολλῶν μοι χρεία λόγων πρὸς ὑμᾶς ἐπιστέλλοντι. ὅσα γὰρ ὑμῖν ἂν λεχθῇ παρ' ἐμοῦ, ταῦτα ἡ ὑμετέρα πίστις προὔλαβε, καὶ πεπλήρωκε κατὰ θεοῦ χάριν τὰ τῆς κοινῆς πάντων ἡμῶν εὐχῆς. συγχαίρω τοίνυν ὑμῖν, πάλιν γὰρ ἐρῶ, ὅτι τὰς ψυχὰς ἀκαταμαχήτους ἐν τῇ πίστει τετηρήκατε. καὶ αὐτῷ δὲ τῷ ἀδελφῷ μου Ἀθανασίῳ οὐκ ἔλαττον συγχαίρω, ὅτι καίπερ πολλὰ πάσχων λυπηρὰ οὐδεμίαν ὥραν ἐπιλήσμων γέγονε τῆς ὑμετέρας ἀγάπης καὶ τοῦ ὑμετέρου πόθου. εἰ γὰρ καὶ τῷ σώματι πρὸς καιρὸν ἔδοξεν ἀφ' ὑμῶν ἀφελκυσθῆναι, ἀλλὰ τῷ πνεύματι διαπαντὸς ὡς συνὼν ὑμῖν διῆγεν.

β'. Καὶ ἔγωγε, ἀγαπητοὶ, τὸν γενόμενον κατ' αὐτοῦ πάντα πειρασμὸν οὐκ ἄδοξον ἡγοῦμαι γεγενῆσθαι. καὶ γὰρ καὶ ἡμετέρα, καὶ ἡ τούτου πίστις ἐγνώσθη παρὰ πᾶσι καὶ δεδοκίμαστται. εἰ γὰρ μὴ τοσαῦτα συμβεβήκει, τίς ἂν ἐπίστευσεν, ἢ ὑμᾶς τοσαύτην κρίσιν καὶ τοσαύτην ἀγαπὴν περὶ τὸν τηλικοῦτον ἐπίσκοπον ἔχειν, ἢ ἐκεῖνον τοσαύταις ἀρεταῖς περιβεβλῆσθαι, δι' ἃς καὶ τῆς ἐν οὐρανοῖς ἐλπίδος οὐκ ἀλλότριος γένοιτο; ἐπέτυχε τοίνυν οἱῳδήποτε τρόπῳ καὶ ἐν τῷ νῦν, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ ὁμολογίας ἔνδοξον μαρτυρίαν. διαφόρως γὰρ κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν πολλὰ πειρασθείς, τὴν σκευωρίαν πᾶσαν τῆς ἀρειανῆς αἱρέσεως κατεπάτησε, καὶ πολλάκις διὰ φθόνον καὶ εἰς κίνδυνον ἐπιβουλευθεὶς κατεφρόνησε θανάτου, φρουρούμενος ὑπὸ τοῦ παντοκράτορος θεοῦ, καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ἐλπίζων ἅμα καὶ τὰς ἐπιβουλὰς ἐκκλινεῖν, καὶ ἀποκατασταθήσεσθαι πρὸς ὑμετέραν παράκλησιν, φέρων ὑμῖν ἅμα ἐκ τῆς ὑμετέρας συνειδήσεως μείζονα τὰ τρόπαια, ἐν οἷς καὶ ἄχρι τερμάτων πάσης τῆς γῆς ἔνδοξος ἐγνώσθη, δοκιμασθεὶς ἐκ τοῦ βίου. παῤῥησιασάμενος μὲν τῇ προθέσει καὶ τῇ οὐρανίᾳ διδασκαλίᾳ, ἀποδειχθεὶς δὲ ἀθανάτῳ κρίσει παρ' ὑμῶν ἀγαπώμενος.

γ'. Ἐπανέρχεται τοίνυν πρὸς ὑμᾶς λαμπρότερος νῦν, ἢ ὅτε παρ' ὑμῶν ἀπεδήμησεν. εἰ γὰρ καὶ τὰς τιμίας

(1) Epiphan. *et divina gratia communis orationis nostræ vota complevit.* Apud Socratem edit. Vales. καὶ πεπλήρωται κατὰ Χριστοῦ χάριν τὰ τῆς κοινῆς ὑμῶν πάντων εὐχῆς : sed superior Epiphanii interpretatio fidem facit, eum legisse ut in nostris mss. πεπλήρωκε, non πεπλήρωται; θεοῦ, non Χριστοῦ; et ἡμῶν non ὑμῶν. Sane quod Valesius præfert, minus cohæret cum antecedentibus, ubi Julius multis sibi non opus esse scribit, non quia completa sint quæ Alexandrini communibus votis optarant, sed quia ipsi jam fide sua prævenissent et explessent, quidquid ab illis desiderare Julius posset.

(2) Pro *vestra*, apud Epiphanium legimus *fortissima* : quæ lectio maxime arridet. Unde in græco So-

suffragante Socratis græco textu καὶ λαῷ παροικοῦντι Ἀλεξάνδρειαν, ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Digitized by Google

ὕλας χρυσὸν δὴ καὶ ἄργυρον εἰς καθαρότητα τὸ πῦρ δοκιμάζει. τί ἄν τι εἴποι κατ' ἀξίαν τοῦ τοσούτου ἀνδρὸς, ὃς κινδύνους τοσούτων θλίψεων νικήσας, ἀποδίδοται ὑμῖν, ἀθῶος οὐ παρ' ἡμῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ πάσης τῆς συνόδου ἀποδεχθείς; ὑποδέξασθε τοίνυν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, μετὰ πάσης τῆς κατὰ θεὸν δόξης καὶ χαρᾶς, τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν Ἀθανάσιον, μετὰ τούτων οἵτινες αὐτῷ καὶ τῶν τοσούτων καμάτων κοινωνοὶ γεγόνασι. καὶ χαίρετε τῶν εὐχῶν ἑαυτῶν ἀπολαύοντες, οἱ τὸν ποιμένα τὸν ὑμέτερον, ἵν' οὕτως εἴπω, ποθοῦντα καὶ διψῶντα τὴν ὑμετέραν θεοσέβειαν, σωτηρίοις γραφαῖς ἐθρέψατε καὶ ἐποτίσατε καὶ γὰρ τῆς ἐπὶ ξένης αὐτοῦ διατριβῆς ὑμεῖς παραμυθία γεγόνατε. καὶ διωκόμενον καὶ ἐπιβουλευόμενον ἐθάλψατε ταῖς πιστοτάταις ἑαυτῶν ψυχαῖς καὶ διανοίαις. ἐμὲ δὲ ἤδη εὐφραίνει ἐννοούμενον καὶ προορῶντα τῷ λογισμῷ τὴν ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ ἑκάστου ὑμῶν χαράν, καὶ τοῦ πλήθους τὰς θεοσεβεστάτας ἀπαντήσεις, καὶ τὸ ἔνδοξον τῆς τῶν συντρεχόντων ἑορτῆς. καὶ τίς ἐκείνη ἡ ἡμέρα ὑμῖν καὶ ποία ἔσται, ἐπανερχομένου μὲν τοῦ ἀδελφοῦ μου, παυομένων δὲ τῶν προγενομένων, καὶ τῆς πολυτιμήτου καὶ κατ' εὐχὴν ἐπανόδου εἰς εὐφροσύνην τινὰ πληρεστάτης χαρᾶς συναπτούσης τοὺς πάντας; ἡ τοιαύτη δὲ χαρὰ κατὰ τὸ μέγιστον μέχρις ἡμῶν φθάνει, οἷς θεόθεν καὶ τοῦτο συγχωρεῖσθαι συνέστηκεν, ὅπως εἰς γνῶσιν τοῦ τηλικούτου ἀνδρὸς ἐλθεῖν δυνηθῶμεν. εἰς εὐχὴν δὴ οὖν τὴν ἐπιστολὴν τελειώσαι καλόν.

Ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, καὶ ὁ τούτου υἱὸς ὁ κύριος καὶ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, διηνεκῆ τὴν χάριν ὑμῖν παράσχοι, διδοὺς ἔπαθλον τῇ θαυμαστῇ ὑμῶν πίστει, ἣν περὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν ἐνδοξῳ μαρτυρίᾳ ἐνεδείξασθε· ἵνα ὑμῖν τε καὶ τοῖς μεθ' ὑμᾶς, ἐνταῦθα ἐν τῷ μέλλοντι, τὰ βελτίονα νέμοι, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ τῷ παντοκράτορι θεῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. ἐρρῶσθαι ὑμᾶς ἐν κυρίῳ εὔχομαι, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί.

A Athanasium, cum iis qui tot ejus laborum fuere consortes : et votorum compotes effecti gaudete, qui pastorem vestrum, cum vestra in pietatem, ut ita dicam, esuriret ac sitiret, salutaribus scriptis nutrivistis et potastis. Vos enim illi, in extranea regione commoranti, consolationi fuistis : vos eum fidelissimis animabus mentibusque vestris in persecutione (1) et periculis fovistis. Mihi certe jam volupe est, cogitanti et animo prævidenti uniuscujusque vestrum in ejus reditu lætitiam, multitudinis piissimos occursus, gloriosamque concurrentium festivitatem. Quæ et qualis vobis illa futura dies est, qua frater noster revertetur, et præcedentia mala cessabunt, ac pretiosus ille optatissimusque reditus omnes coaptabit in quamdam plenissimi gaudii alacritatem? Hujusmodi B sane gaudium maxima ex parte etiam ad nos usque pertingit, quibus a Deo id muneris concessum esse constat, ut in tanti viri cognitionem venire possemus. Par est igitur precando claudi epistolam.

IV. Deus omnipotens, et filius ejus Dominus et Salvator noster Jesus Christus perpetuam vobis conferat gratiam, præmium referens admirandæ fidei vestræ, quam erga episcopum vestrum præclaro testimonio exhibuistis : ut vobis vestrisque posteris, hic et in futuro sæculo, optima impertiat, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendorunt; quæ præparavit Deus diligentibus se (I *Cor.* II, 9), per Jesum Christum Dominum nostrum, per quem omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos in Domino exopto, fra- C tres dilecti.

EPISTOLA VALENTIS ET URSACII AD JULIUM PAPAM.

QUAM EPISTOLAM (2) POST RENUNTIATIONEM ORIENTALIUM (3), ATHANASIUM REUM NON ESSE, IN URBE ROMA HOLOGRAPHA MANU VALENS PERSCRIPSIT, ET URSACIUS SUBSCRIPSIT.

(*Ex Hilarii fragmento* II, *num.* 20.)

Κυρίῳ μακαριωτάτῳ πάπᾳ Ἰουλίῳ Οὐρσάκιος καὶ Οὐαλης.

Ἐπειδὴ συνέστηκεν ἡμᾶς πρὸ τούτου πολλά τε καὶ

Domino beatissimo papæ Julio Valens et Ursacius.

Quoniam constat nos antehac multa gravia de no-

cratis textu loco ὑμετέρας restituendum suspicamur καρτερᾶς.

(1) Apud Athanasium desideratur καὶ ἐπιβουλευόμενον, cujus verbi latinam interpretationem ab Epiphanio schol. mutuamur.

(2) Socrates lib. II, c. 24, epistolæ hujus meminit, eamque ab Ursacio et Valente, postquam Jerosolymitanæ synodi anno 349, habitæ gesta comperissent, conscriptam docet. Huic Hilarius fragm. II, n. 20 et Athanasius epist. ad Solitar. n. 25 et 26, suffragan- D tur. Quocirca ab eodem Athanasio apol. cont. Arian. n. 58, proxime post prædictam synodum Jerosolymitanam collocatur. Eam latine scriptam, ac deinde e latino textu græce conversam fuisse rursum Athanasius in prædicto apologiæ loco et in epistola ad Solitarios n. 26, testatur. Utrobique eam sibi transmissam declarat a Paulino, et eo quidem secundum veteres codices, uti nostri ad vitam S. Athanasii operibus ipsius præmissam n. 13 observarunt, Τιβέρων, non Τριβέρων, episcopo. Ex quo et probabilius est Paulinum Tiburensem, quomodo et Nannius in epistola ad Solitarios interpretatus est, quam Trevirensem intelligendum esse. Commodius enim ac celerius episcopus Tiburensis, utpote urbi vicinus, quam Trevirensis, libellum Romæ traditum Alexandriam transmittere potuit. Hinc non satis firma est sententia eorum, qui hoc solo loco nixi, Maximinum Trevirensem episcopum Paulini decessorem an. 349, defunctum tradunt. Neque tamen propterea opinioni subscribendum est Baronii, qui ad annum 350, n. 8, Maximum episcopum, quem una cum Servatio ad Constantium imperatorem a Magnentio tyranno legatum esse Athanasius apolog. ad Constant. n. 9 memorat, ipsum esse Maximinum Trevirensem arbitratur. Hunc enim Maximum a Maximino Trevirensi distinguendum esse aliunde notum est. Quippe ut taceam Maximi et Maximini non unum esse nomen, ipse Athanasius in eadem apologia ad Constantium num. 14, sibi ad Maximini, utpote jam defuncti, testimonium provocare non licere fassus, num. 9 Maximum Magnentii legatum testem appellat, ut adhuc superstitem ex quo Constantius rerum veritatem discere certius et comprobare possit. Textum epistolæ seu libelli hujus latinum cum annotatione prævia ex Hilarii fragmento II, n. 20, græcum ex apologia Athanasii contra Arianos, n. 58, ubi *de pœnitentia Ursacii et Valentis* inscribitur, exhibemus.

(3) Maximi scilicet ac cæterorum episcoporum, qui Jerosolymis convenientes, Alexandrinis et universis

Digitized by Google

mine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse, atque litteris sanctitatis tuæ (1) conventi, ejus rei de qua significavimus, non præstitisse rationem : profitemur apud sanctitatem tuam, cunctis præsentibus presbyteris fratribus nostris, omnia quæ antehac ad aures vestras pervenerunt de nomine prædicti, falsa a nobis esse insinuata, atque omnibus viribus carere : atque ideo nos libentissime amplecti communionem prædicti Athanasii ; maxime cum sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, errori nostro veniam fuerit dare dignata. Profitemur etiam, quod si aliquando nos Orientales voluerint, vel idem Athanasius, malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos ; hæreticum vero Arium, sed et satellites ejus, qui dicunt : Erat tempus quando non erat filius, et qui dicunt ex nihilo filium, et qui negant (2) Dei filium ante sæcula fuisse, sicut per priorem libellum nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, et nunc et semper anathematizasse. Hæc manu nostra, qua scripsimus, profitemur et iterum dicimus, hæresim Arianam, ut superius diximus, et ejus auctores in perpetuum damnasse. Et manu Ursacii : Ego Ursacius episcopus huic professioni nostræ subscripsi (3).

A δεινὰ περὶ Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου διὰ γραμμάτων ὑποβεβληκέναι, γράμμασί τε τῆς σῆς χρηστότητος μεθοδευθέντες, τοῦ πράγματος χάριν περὶ οὗ ἐδηλώσαμεν, οὐκ ἠδυνήθημεν λόγον ἀποδοῦναι ὁμολογοῦμεν παρὰ τῇ σῇ χρηστότητι, παρόντων τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν πάντων τῶν πρεσβυτέρων, ὅτι πάντα τὰ πρὸ τούτου ἐλθόντα εἰς ἀκρὰς ὑμῶν περὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ προειρημένου Ἀθανασίου, ψευδῆ καὶ πλαστά ἐστι, πάσῃ τε δυνάμει ἀλλότρια αὐτοῦ τυγχάνει. διά τε τοῦτο ἡδέως ἀντιποιούμεθα τῆς κοινωνίας τοῦ προειρημένου Ἀθανασίου, μάλιστα ὅτι ἡ θεοσέβειά σου, κατὰ τὴν ἔμφυτον ἑαυτῆς καλοκἀγαθίαν, τῇ πλάνῃ ἡμῶν παταξίωσε συγγνώμην δοῦναι. ὁμολογοῦμεν δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι ἄν ποτε ἡμᾶς οἱ Ἀνατολικοὶ θελήσωσιν, ἢ καὶ αὐτὸς Ἀθανάσιος, κακοτρόπως περὶ τούτου εἰς κρίσιν καλέσαι, μὴ ἀπέρχεσθαι παρὰ γνώμην τῆς σῆς B διαθέσεως. τὸν δὲ αἱρετικὸν Ἄρειον, καὶ τοὺς ὑπερασπίζοντας αὐτοῦ, τοὺς λέγοντας, Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν υἱός, καὶ ὅτι ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ὁ υἱός ἐστι, καὶ τοὺς ἀρνουμένους τὸν Χριστὸν θεὸν εἶναι θεοῦ υἱὸν πρὸ αἰώνων, καθὼς καὶ ἐν τῷ προτέρῳ λιβέλλῳ ἑαυτῶν ἐν τῇ Μεδιολάνῳ ἐπιδεδώκαμεν, καὶ νῦν καὶ ἀεὶ ἀναθεματίζομεν. Ταῦτα δὲ τῇ χειρὶ ἑαυτῶν γράψαντες, ὁμολογοῦμεν πάλιν, ὅτι τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν, καθὰ προείπομεν, καὶ τοὺς πάντας αὐθέντας κατεκρίναμεν εἰς τὸν αἰῶνα. ἐγὼ Οὐρσάκιος τῇ ὁμολογίᾳ μου ταύτῃ παρὼν ὑπέγραψα, ὁμοίως καὶ Οὐάλης.

MONITUM IN EPISTOLAM MARCELLI ANCYRANI AD JULIUM.

(*Coust. p.* 587.)

I. Epistolam hanc ab Epiphanio hær. 72, n. 2, acceptam habemus. Marcellus eam Romæ Julio ipsi tradidisse se declarat, cum in ea urbe adversarios suos anno solido ac tribus mensibus exspectasset, cumque illi, quamvis a Julii presbyteris Philoxeno et Elpidio vocati, ad synodum venire detrectassent. Ex quo eam nonnisi post legatorum illorum ab Oriente reditum, ac dum synodus haberetur ex qua Julius superiorem epistolam ad Eusebianos misit, adeoque anno 342, conscriptam esse haud temere colligitur. Baronius tamen ad ann. 341, n. 2, eane sit fidei expositio, quam Julius in epistola superiori num. 16, se a Marcello expetiisse, atque ab eo datam approbasse testatur, ambigit : *quia*, inquit, in ea *quod potissimum exigebatur a professore catholico, nomen consubstantialis non ponitur.* « Verum nihil erat, cur ab episcopo hæreseos Arianæ nulla ratione suspecto, immo infesto ejus adversario, qui Nicæna in synodo, ipsis apostolicæ sedis legatis testibus, suum adversus illam studium in primis patefecerat, diserta hujus nominis professio exigeretur. Certe Julius duplicem ab eo fidei expositionem accepisse se nusquam dicit : et loci, temporis, aliaque adjuncta, quibus eam, quæ in superiori ad Eusebianos epistola laudatur, sibi datam designat, huic apprime congruunt. Cur igitur aliam existimemus ? »

II. Epiphaniùs hanc in medium prolaturus, præmittit : « Expositionem proferam, quam ad beatum Julium Romanorum episcopum ipse Marcellus purgandi sui gratia scripsit. Qua ex defensione et libello nonnulla eum præter sinceram fidem sensisse apparebit. Etenim si nihil ab illa diversum sensisset, cujus rei gratia hanc illam sui purgationem institueret ? » At salva tanto viro debita reverentia, levis admodum

per Lybiam et Ægyptum episcopis ea, quæ de Athanasio recipiendo statuta a se fuerant, per litteras significarunt, uti Socrates lib. II, c. 24, memoriæ commendavit.

(1) Grammaticæ leges postulant *conventos*. Neque aliæ hic indicantur Julii litteræ, quam quas ille anno 341, per Elpidium et Philoxenum legatos ad Eusebianos misit, ut eos ad synodum Romæ anno 342, habitam vocaret. Ursacius quippe et Valens societate devincti ac fœderati cum Eusebianis erant, de quibus Sardicensis synodus in superiori epistola 3, n. 2, ad Julium scribit : *Sed et conventi per presbyteros tuos et per epistolam ad synodum quæ futura erat in urbe Roma venire noluerunt.* Neque etiam litteræ illæ, quibus Valens et Ursacius multa gravia de Athanasii nomine insinuasse se conlitentur, privato ipsorum nomine scriptæ intelligendæ sunt ; utpote de quibus Sardicensis synodus in epistola ad universas ecclesias apud Hilarium fragm. II, n. 2, ita loquitur : « Olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio et Valente Julio consacerdoti nostro Romanæ ecclesiæ episcopo adversum prædictos coepiscopos nostros, dicimus autem Athanasium et Marcellum. » Nominatim eos Liberius in dialogo, infra post Liberii ipsius epistolam 7 exhibendo, veniam deprecatos docet *ob acta quæ per calumniam una dumtaxat parte præsente adversus Athanasium in Mareote fecerant.*

(2) Lectio græca, addens *Christum Deum esse*, apertius impugnat Arianos. Neque istud minus adversatur Photino, cujus causa congregata fuerat mox memoranda synodus Mediolanensis : de qua synodo vide quæ apud Hilarium observata sunt.

(3) Ex græco Athanasii textu hic addendum foret, *similiter et Valens.* Concinit tamen hic finis cum monito in fronte epistolæ præmisso, quo Hilarius epistolam hanc holographa manu a Valente perscriptam, et ab Ursacio subscriptam esse docet. In græco igitur potius exprimendum erat istud, *et manu Ursacii.*

Digitized by Google

videtur hæc censuræ illius ratio. Inde enim sequitur tantum, ut Marcellum pravæ doctrinæ insimularint nonnulli, sed ut prava senserit, non item consequens est : maxime cum ii, qui Marcellum hæreseos postularunt, ipsius fuerint inimici, et ob id quidem inimici, quia sectæ Arianæ, quam ille impugnabat, addicti. Aut si Marcellus ideo, quia fidem suam purgandi sui gratia exponere coactus fuit, contra sinceram fidem aliquando sensisse putandus est ; neque Hilarium Pictavensem, neque cæteros ejus ævi episcopos Gallicanos, integræ fidei exitisse inde pariter conficietur; siquidem, Sulpicio Severo, lib. II hist., teste, ubi Seleuciam venit Hilarius, « primum quæsitum ab eo quæ esset Gallorum fides; quia tum Arianis prava de iis divulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebantur trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse : atque ille exposita fide sua juxta ea quæ Nicææ erant a patribus conscripta, Occidentalibus perhibuit testimonium. » An suspectæ fidei dicendus est Athanasius, quia contra Arianos apologiam concinnavit? aut Dionysius Alexandrinus, quia etiam a Catholicis delatus ad Romanum pontificem apologiam sui mittere compulsus fuit? Cæterum in hac Marcelli epistola seu libello an vitii aliquid sit, necne, idem Epiphanius loco citato, n. 4, pronuntiare se non audere, sed liberum ea de re judicium unicuique permittere testatur. Ad Julium vero quod attinet, aperta est illius in gratiam Marcelli sententia.

EPISTOLA MARCELLI ANCYRANI AD JULIUM PAPAM.

MARCELLUS ANCYRANUS EPISCOPUS QUÆ ARIANI SENTIANT, QUÆ IPSE CREDAT, JULIO EXPONIT.

(*Iudidem.*)

Τῷ μακαριωτάτῳ συλλειτουργῷ Ἰουλίῳ Μάρκελλος ἐν χριστῷ χαίρειν.

α'. Ἐπειδή τινες τῶν καταγνωσθέντων πρότερον ἐπὶ τῷ μὴ ὀρθῶς πιστευειν, οὓς ἐγὼ ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ διήλεγξα, κατ' ἐμοῦ γράψαι τῇ θεοσεβείᾳ σοῦ ἐτόλμησαν, ὡς ἂν ἐμοῦ μὴ ὀρθῶς μήτε ἐκκλησιαστικῶς φρονοῦντος, τὸ ἑαυτῶν ἔγκλημα εἰς ἐμὲ μετατεθῆναι σπουδάζοντες· τούτου ἕνεκεν ἀναγκαῖον ἡγησάμην ἀπαντήσας εἰς τὴν Ῥώμην ὑπομνῆσαί σε, ἵνα τοὺς κατ' ἐμοῦ γράψαντας μεταστείλῃ, ὑπὲρ τοῦ ἀπαντήσαντος (*Leg.* ἀπαντήσαντας) αὐτοὺς ἐπ' ἀμφοτέροις ἐλεγχθῆναι ὑπ' ἐμοῦ, ὅτι τε καὶ ἃ γεγράφασι κατ' ἐμοῦ, ψευδῆ ὄντα τάγχίνει, καὶ ὅτι ἔτι καὶ νῦν ἐπιμένουσι τῇ ἑαυτῶν προτέρᾳ πλάνῃ, καὶ δεινά κατά τε τῶν τοῦ θεοῦ ἐκκλησιῶν, καὶ ἡμῶν τῶν προεστώτων αὐτῶν τετολμήκασιν. ἐπεί τοίνυν ἀπαντῆσαι οὐκ ἠβουλήθησαν, ἀποστείλαντός σου πρεσβυτέρους πρὸς αὐτούς, καὶ ταῦτα ἐμοῦ ἐνιαυτὸν καὶ τρεῖς ὅλους μῆνας ἐν τῇ Ῥώμῃ πεποιηκότος, ἀναγκαῖον ἡγησάμην μέλλων ἐντεῦθεν ἐξιέναι, ἔγγραφόν σοι τὴν ἐμαυτοῦ πίστιν μετὰ πάσης ἀληθείας τῇ ἐμαυτοῦ χειρὶ γράψας ἐπιδοῦναι, ἣν ἔμαθον, ἔκ τε τῶν θείων γραφῶν ἐδιδάχθην καὶ τῶν κακῶς ὑπ' αὐτῶν λεγομένων ὑπομνῆσαί σε· ἵνα γνῷς οἷς χρώμενοι πρὸς ἀπάτην τῶν ἀκουόντων λόγοις, τὴν ἀλήθειαν κρύπτειν βούλονται.

β'. Φασὶ γὰρ μὴ ἴδιον καὶ ἀληθινὸν λόγον εἶναι τοῦ

(1) Vocem συλλειτουργῷ Petavius *collegæ*, alii *comministro* latine convertunt, Hilarius vero, quem imitandum duximus, frag. 2, n. 2, græca synodi Sardicensis verba de litteris Eusebianorum Julio συλλειτουργῷ datis, quas apud Theodoretum lib. II hist. c. 8, legere est, reddidit his latinis, *Julio consacerdoti nostro.*

(2) Julius in epistola ad Antiochenos, n. 16, istud presbyterorum suorum, qui Nicænæ synodo interfuerant, testimonio comprobatum notavit.

(3) Quemadmodum in epistola supradicta, n. 13, ubi Athanasius *anno uno et sex mensibus* adversariorum expectans adventum Romæ commoratus esse dicitur, horum octodecim mensium terminum a tempore synodi, ex qua Julius epistolam illam scripsit, computari perspicuum est; ita et Marcellus haud dubie hos quindecim menses a suo adventu Romam ad eamdem usque synodum computat. Ex quo sequitur ut tribus ab Athanasii adventu mensibus elapsis in urbem pervenerit.

(4) Hoc est, ut Patris et Filii diversam esse substantiam prædicent, contra expressam professionem Nicæni symboli, anathemate ferientis eos qui Filium *ex alia substantia vel essentia dicunt esse*, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι. Ubi ὑποστάσεως vocabulum, ut a Nicæno concilio, ita et a Marcello, eo intellectu usurpatum esse palam est, quo illud sæcularium litterarum magistri usurpandum esse tradidere. *Tota* quippe, inquit Hieronymus, epist. 57, ad

Beatissimo (1) *consacerdoti Julio Marcellus in Christo salutem.*

I. Cum nonnulli ex iis, qui quod non recte crederent, antea condemnati sunt, quique a me in Nicæna synodo (2) convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte neque secundum Ecclesiæ doctrinam sentire, crimen suum in me nitentes transferre : propterea necessario mihi Romam veniendum et te commonendum putavi, quo eos qui contra me scripserunt accerseres : ut cum advenissent, de duobus a me convincerentur, et illa scilicet falsa esse quæ in me scripserunt, et eos adhuc in pristino errore perseverare; atque indigna quædam adversus ecclesias Dei, et nos ipsos qui illis præsumus, esse machinatos. Sed cum illi venire noluerint, tametsi presbyteros ad ipsos miseris, ego vero anno uno atque integris tribus mensibus Romæ (3) commoratus fuerim, necessarium duxi, prius quam hinc proficiscerer, fidei meæ professionem cum omni sinceritate mea manu perscriptam tibi tradere, qualem didici atque ex divinis Scripturis edoctus sum : simulque tibi in memoriam revocare quæ perperam ab illis asseruntur : ut intelligeres quibus ad auditores decipiendos adhibitis sermonibus, veritatem occultare conentur.

II. Aiunt quippe omnipotentis Dei filium Dominum nostrum Jesum Christum non proprium ac verum illius Verbum, sed aliud esse ipsius Verbum, et aliam sapientiam ac virtutem; eumque, postquam factus est ab ipso, Verbum et sapientiam ac virtutem esse nominatum. Atque ex hac eorum sententia consequens est, ut et aliam a Patre diversam (4) substantiam esse prædicent. Præterea ex iis quæ scribunt, Patrem ante Filium exsistere, manifeste declarant ipsum vere Filium ex Deo non esse. Sed

Digitized by Google

etsi ex Deo illum esse dicunt, hoc ea ratione dicunt, qua cætera omnia ab eo exsistunt. Ad hæc, fuisse aliquando cum non esset, ac rem creatam et factam esse, affirmare non dubitant, eumque a Patre separant. Itaque eos qui hæc asserunt, a catholica Ecclesia alienos esse persuasum habeo.

III. Ego vero sacris litteris inhærens, credo unum esse Deum, et unigenitum ejus Filium verbum, qui cum Patre semper exsistit, nec exsistendi initium ullum umquam habuit, qui ex Deo vere est, non creatus, non factus, sed semper exsistens, et simul cum Deo ac Patre perpetuo regnans, *cujus regni*, ut testatur (1) Apostolus, *non erit finis* (*Luc.* I, 33). Ipse filius, ipse virtus, ipse sapientia, ipse proprium ac verum Dei verbum Dominus noster Jesus Christus, indivisa Dei virtus, per quem facta sunt omnia quæ facta sunt, ut Evangelium docet dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Johan.* I, 1, *etc.*). Ille est Verbum, de quo Lucas evangelista testatur, dicens : *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio inspectores et ministri fuerunt Verbi* (*Luc.* I, 2) : de quo et David dixit, *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2). Ita et Dominus noster Jesus Christus in Evangelio nos docet dicens, *Ego ex Patre exivi et venio* (*Joan.* XVI, 28). Hic est qui novissimis diebus propter nostram salutem descendens, et ex virgine Maria natus hominem assumpsit.

IV. Credo igitur in Deum omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unigenitum Dominum nostrum, qui natus est ex Spiritu sancto et Maria virgine; qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et sepultus, et tertia die resurrexit a mortuis, adscendit in cœlos, et sedet ad dexteram Patris, unde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Indivisam esse Patris et Filii deitatem e divinis litteris didicimus. Si quis enim Filium, hoc est omnipotentis Dei verbum, separet, necesse est ut aut duos esse Deos arbitretur, quod a divina doctrina abhorrere constat : aut Verbum non esse Deum profiteatur, quod et ipsum a recta fide alienum esse liquet, cum Evangelium dicat : *Et Deus erat verbum* (*Joan.* I). Ego vero certo didici, virtutem Patris Filium neque dividi neque separari posse. Ipse enim Salvator Dominus noster Jesus Christus dicit : *In me est Pater, et ego in Patre* (*Joan.* XIV, 10) ; et : *Ego et Pater unum sumus* ; (*Joan.* X, 30) ; et : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9).

V. Hanc fidem, quam a divinis litteris accepi, et a majoribus secundum Deum didici, cum in ecclesia

παντοκράτορος θεοῦ τὸν υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ἀλλ' ἕτερον αὐτοῦ λόγον εἶναι, καὶ ἑτέραν σοφίαν καὶ δύναμιν· τοῦτον γενόμενον ὑπ' αὐτοῦ ὠνομάσθαι λόγον καὶ σοφίαν καὶ δύναμιν. καὶ διὰ τὸ οὕτως αὐτοὺς φρονεῖν, ἄλλην ὑπόστασιν διεστῶσαν τοῦ πατρὸς εἶναί φασιν. ἔτι μέν τοι καὶ προυπάρχειν τοῦ υἱοῦ τὸν πατέρα, δι' ὧν γράφουσιν, ἀποφαίνονται μὴ εἶναι αὐτὸν ἀληθῶς υἱὸν ἐκ τοῦ θεοῦ. ἀλλά κἂν λέγουσιν ἐκ τοῦ θεοῦ, οὕτως λέγουσιν ὡς κατὰ πάντα. ἔτι μὴν καὶ ὅτι ἦν ποτε, ὅτι (*Leg.* ὅτε) οὐκ ἦν, λέγειν τολμῶσι, καὶ κτίσμα αὐτὸν καὶ ποίημα εἶναι, διορίζοντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ πατρός. τοὺς οὖν ταῦτα λέγοντας ἀλλοτρίους τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας εἶναι πεπίστευμαι.

γ'. Πιστεύω δὲ, ἑπόμενος ταῖς θείαις γραφαῖς, ὅτι εἷς θεὸς, καὶ ὁ τούτου μονογενὴς υἱὸς λόγος, ὁ ἀεὶ συνυπάρχων τῷ πατρὶ, καὶ μηδεπώποτε ἀρχὴν τοῦ εἶναι ἰσχηκώς, ἀληθῶς ἐκ τοῦ θεοῦ ὑπάρχων, οὐ κτισθείς, οὐ ποιηθείς, ἀλλὰ ἀεὶ ὤν, ἀεὶ συμβασιλεύων τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, οὗ τῆς βασιλείας, κατὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου μαρτυρίαν, οὐκ ἔσται τέλος. οὗτος υἱὸς, οὗτος δύναμις, οὗτος σοφία, οὗτος ἴδιος καὶ ἀληθὴς τοῦ θεοῦ λόγος ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἀδιαίρετος δύναμις τοῦ θεοῦ, δι' οὗ τὰ γενόμενα γέγονε, καθὼς τὸ εὐαγγέλιον μαρτυρεῖ λέγον, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. οὗτός ἐστιν ὁ λόγος, περὶ οὗ καὶ Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς μαρτυρεῖ λέγων, Καθὼς παρέδωκαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου. περὶ τούτου καὶ Δαβὶδ ἔφη· ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. οὕτω καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἡμᾶς διδάσκει διὰ τοῦ εὐαγγελίου λέγων, Ἐγὼ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐξῆλθον, καὶ ἥκω. οὗτος ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν κατελθὼν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν, καὶ ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας γεννηθεὶς τὸν ἄνθρωπον ἔλαβε.

δ'. Πιστεύω οὖν εἰς θεὸν παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν αὐτοῦ μονογενῆ τὸν κύριον ἡμῶν, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, τὸν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου σταυρωθέντα, καὶ ταφέντα, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν, ἀναβάντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθήμενον ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ὅθεν ἔρχεται κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς. καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἁγίαν ἐκκλησίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν, ζωὴν αἰώνιον. ἀδιαίρετον εἶναι τὴν θεότητα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, παρὰ τῶν θείων μεμαθήκαμεν γραφῶν. εἰ γάρ τις χωρίζει τὸν υἱὸν, τουτέστι τὸν λόγον τοῦ παντοκράτορος θεοῦ, ἀνάγκη αὐτὸν ἢ δύο θεοὺς εἶναι νομίζειν, ὅπερ ἀλλότριον τῆς θείας διδασκαλίας εἶναι γενόμισται, ἢ τὸν λόγον μὴ εἶναι θεὸν ὁμολογεῖν, ὅπερ καὶ αὐτὸ ἀλλότριον τῆς ὀρθῆς πίστεως εἶναι φαίνεται, τοῦ εὐαγγελίου λέγοντος, Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος· ἐγὼ δὲ ἀκριβῶς μεμάθηκα ὅτι ἀδιαίρετος καὶ ἀχώριστός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ πατρὸς ὁ υἱός. αὐτὸς γὰρ ὁ σωτὴρ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός φησι, Ἐν ἐμοὶ, ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί· καὶ, Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν· καὶ, Ὁ ἐμὲ ἑωρακὼς ἑώρακε τὸν πατέρα.

ε'. Ταύτην καὶ παρὰ τῶν θείων γραφῶν εἰληφὼς τὴν πίστιν, καὶ παρὰ τῶν κατὰ θεὸν προγόνων διδαχθείς, ἔν

Damasum, *sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim nisi usiam novit.* Recte igitur Valesius apud Socratem lib. I, c. 8, prædicta Nicæni concilii verba, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, latine sic reddidit : *qui ex altera substantia vel essentia dicunt.* Quapropter emendandus est Petavius apud Epiphanium hær. 72, n. 11, ubi eadem verba Nicænæ fidei quam Marcelli discipuli profitentur, sic latine convertit : *qui ex altera persona aut essentia dicunt exstitisse.* Procul enim aberat Nicænum concilium, ut Filium *ex altera persona* exsistere negaret.

(1) Verba laudata sunt ex Evangelio secundum Lu-

Digitized by Google

τε τῇ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίᾳ κηρύττω, καὶ πρός σε νῦν γέγραφα, τὸ ἀντίγραφον τούτου περ' ἐμαυτῷ κατασχών. καὶ ἀξιῶ τὸ ἀντίτυπόν σε τούτου τῇ πρὸς τοὺς ἐπισκόπους ἐπιστολῇ ἐγγράψαι. ἵνα μή τινες τῶν ἀκριβῶς μὴ εἰδότων ἡμᾶς, κἀκείνοις τοῖς ὑπ' αὐτῶν γραφεῖσι προσέχοντες, ἀπατηθῶσιν. ἔῤῥωσθε. πεπλήρωται.

A Dei prædico, tum ad te modo perscripsi, ejus exemplar penes me retinens. Et rogo ut ejus exemplum tuis ad episcopos litteris adtexas : ne qui eorum, quibus probe noti non sumus, iis quæ ab illis (1) scripta sunt fidem adjungentes, in errorem inducantur. Valete. Explicit.

EPISTOLA SYNODI SARDICENSIS AD JULIUM URBIS ROMÆ EPISCOPUM (2).

(*Const. p.* 395.)

SARDICENSIS SYNODUS DE REBUS A SE GESTIS JULIUM CERTIOREM FACIT.

I. Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus : experientia enim probat et confirmat quæ quisque auditione audivit. Verum est enim quod B beatissimus magister gentium Paulus apostolus de se locutus est (3), quamquam utique quia in ipso Dominus Christus habitavit, dubitari non possit, Spiritum (4) per animum ejus locutum, et organum corporis personasse. Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti : et honesta fuit et necessaria excusatio absentiæ, ne aut lupi schismatici furtum facerent et raperent per insidias, aut canes hæretici rabido furore exciti (*Colb. mss.* excitati) ; insani oblatrarent, aut certe serpens diabolus blasphemiorum (5) venenum effunderet. Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.

II. Quoniam ergo universa, quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, et chartæ continent, et vivæ voces carissimorum fratrum et compresbyterorum nostrorum Archidami et Philoxeni (6), et carissimi filii nostri Leonis diaconi verissime et fideliter exponere poterunt, pene supervacuum videatur eadem his inserere litteris (7). Patuit apud omnes, qui convenerunt, ex partibus Orientis qui se appellant episcopos (quamquam sint ex his certi auctores (8), quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno), diu tergiversatos propter diffidentiam ad judicium venire noluisse, tuamque et nostram reprehendisse communionem, quæ nullam habebat culpam : quia non solum octoginta episcopis (9) testantibus de innocentia Athanasii pariter credidimus; sed et conventi per presbyteros tuos et per epistolam, ad synodum (10), quæ futura erat in urbe Roma, venire noluerunt. Et satis erat iniquum, illis contemnentibus, tot sacerdotibus testimonium perhibentibus, Marcello et Athanasio denegare societatem.

III. Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam et ipsi religiosissimi imperatores permiserunt, ut de integro universa (11) discussa disputarentur, et ante C omnia de sancta fide et de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de personis quas (12) dicebant

Non alius is videtur Philoxenus presbyter ab eo, quem Julius epist. 1, n. 1, una cum Elpidio in Orientem anno 341, misisse se memorat, ut episcopos ad synodum vocaret.

(7) Duo mss. Colb. *inferre litteris : quæ patuit.*

(8) Hi Ariani sectæ auctores nominatim recensentur in alia ejusdem synodi epistola ad universas ecclesias apud Hilarium fragm. II, n. 7.

(9) Qui scil. ex Ægypto ad ipsummet Julium scripserant, ut habet altera epistola synodica ad universas ecclesias apud Hilarium fragm. II, n. 7, et quorum litteras Athanasius apolog. contra Arian. n. 3, exscribit.

(10) In mss. Colb. *a synodo.* In Pith. *et synodo.* Verius apud Hilarium ac Baron. *ad synodum*, ad quam scil. Julius anno 341, Orientales per Elpidium et Philoxenum vocavit, quæque anno 342, D præfinito tempore habita est, et ex qua Julius superiorem epist. 1, ut in ea declaratur n. 8, scripsit.

(11) Hoc est, ea omnia quæ in concilio Tyrio ac deinceps acta fuerant. Nam ut hæc de Nicænis etiam decretis dicta esse intelligamus, nulla ratio sinit. Immo hunc intellectum prorsus removet quod Athanasius tomo ad Antiochenos n. 5, narrat in hunc modum : « Quamvis nonnulli postularint ut quædam de fide scriberentur, quasi aliquid Nicænæ synodo deesset, atque id obtinere temere conati fuerint, synodus tamen Sardicæ coacta rem indigne tulit, sancivitque ut nullum ultra de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a patribus Nicææ promulgata, quippe quæ in nullo deficeret, sed plena pietatis esset. » Hinc falsi arguit ac rejiciendam monet tabellam, quam nonnulli *quasi in Sardicensi synodo de fide compositam* jactitabant. Longe autem audaciores exstitissent hæretici illi, si se ipsorum etiam imperatorum auctoritate fultos, ipso concilio non refragante, intellexissent.

(12) Unus e mss. Colb. *quos dicebant esse dejectos.* Postremi hujus verbi loco male præfert Baron. *delectas.* Quippe personæ illæ dejectæ, de quibus Sar-

cam : adeoque Marcellus ex iis fuisse videtur, qui Lucæ Evangelium Paulo adscriberent, de quibus Hieronymus lib. de Script. eccl. c. 17, scribit : *Quidam suspicantur, quotiescumque in epistolis suis Paulus dicit, juxta Evangelium meum, de Lucæ significare volumine.* Inferius tamen ipsius Lucæ nomine illud citat.

(1) Ab arianis videlicet, quorum doctrinam epistolæ seu libelli hujus initio arguit, nominatimque ab Eusebio, cujus exstant quinque adversus Marcellum libri; vel etiam ab Acacio, ex cujus opere adversus eumdem Marcellum Epiphanius hær. 72, n. 6, et seq. quædam fragmenta exscribit.

(2) Ex Hilarii fragmentis huc revocatur. Reperitur quoque in veteribus quibusdam canonum collectionibus. De integro hanc recognovimus ad duos Colbertinæ bibliothecæ codices, quorum unus annos circiter 800, præ se fert, alter hoc etiam antiquior majusculis litteris Langobardicis est exaratus. Nicolao I ignota non fuit.

(3) Hæc Pauli verba II Cor. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus*, Baronius in textum revocare non dubitavit : sed cum neque in archetypo Pithœano, neque in mss. Colb. exstent, ab his etiam abstinendum censuimus.

(4) Ita Baron. cum mss. Colb. At codex Pith. *Spiritum sanctum.*

(5) Baron. *blasphemiarum*. renitentibus mss. in quibus exstat *blasphemiorum*, quod *blasphemorum* loco etiam alibi occurrit. Hic porro carpitur triplex hominum perditorum classis, schismaticorum scilicet, hæreticorum, et blasphemorum. Quocirca minus recte substitutum est *blasphemiarum.*

(6) Pith. ms. *Filioseni.* Verius duo Colb. *Filoxeni.*

Digitized by Google

esse dejectos, de iniquo judicio, vel si potuissent probare, justa fieret confirmatio. Tertia vero quæstio, quæ vere quæstio appellanda est, quod graves et acerbas injurias, intolerabiles etiam et nefarias contumelias ecclesiis fecissent, cum raperent episcopos, presbyteros, diaconos, et omnes clericos in exilium mitterent, ad deserta loca transducerent, fame, siti, nuditate et egestate necarent; alios clausos carcere et squalore et putore conficerent (1), nonnullos ferreis vinculis, ita ut cervices eis arctissimis vinculis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti in eadem injusta defecerunt pœna : quorum ambigi non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse. Adhuc quoque audent quosdam retinere : nec ulla causa fuit criminis, nisi quod repugnarent et clamarent, quod exsecrarentur Arianam et Eusebianam hæresim, et nollent habere cum talibus communionem. Qui autem in sæculo servire maluerunt (*quam in Ecclesia*) prodesse (2), et qui ante fuerant dejecti, non solum recepti sunt, sed etiam ad clericalem dignitatem promoti, et acceperunt (3) præmium falsitatis.

IV. Quid autem de impiis et de imperitis adolescentibus Ursacio et Valente statutum sit, accipe, beatissime frater. Quia manifestum erat, hos (4) non cessare adulterinæ doctrinæ lethalia semina spargere, et quod Valens relicta ecclesia ecclesiam aliam invadere voluisset, et eo tempore quo seditionem commovit, unus ex fratribus nostris, qui fugere non potuit, Viator obrutus et conculcatus in eadem Aquileiensium civitate die tertia defecit : causa utique mortis fuit Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit. Sed ea (5) quæ beatissimis Augustis significavimus, cum legeritis; facile pervidebitis nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur, et ne molesta dicæ actum est, infra n. 5, sicut et in synodica epistola ad universas ecclesias apud Hilarium fragm. II, n. 8, nominantur Athanasius Alexandriæ, Marcellus Ancyræ et Asclepas Gazæ episcopi. Ante subnexa verba, de *iniquo judicio*, supplendum *ut*.

(1) In mss. Colb. desideratur, *alios clausos carcere et squallore et putore conficerent*. Tum post verba, *nonnullos ferreis vinculis*, supplendum *stringerent* aut aliud hujusmodi verbum. In epistola synodica ad univ. eccl., n. 3, synodo interfuisse memorantur episcopi, *quorum alter ferrum et catenas præferebat, quas per eos cervicibus suis portaverat*.

(2) Baron. *iis autem qui secum sentire maluerunt, prodesse. Et qui*, etc. nullo suffragante ms. Unus ms. Colb. *quia ut in sæculo;* alter, *qui autem in sæculo :* deinde uterque, *servire maluerunt, pro deesse. Et qui*, etc. Pith. *qui aut sæculo servire maluerunt, prodesse.* Ex his lectionibus, si suppleatur *quam in Ecclesia* ante *prodesse*, integra habebitur sententia ad concilii mentem satis accommodata, qua expostulet, quod qui sæculo potius quam Ecclesiæ militare elegerant, ad clericalem dignitatem promoti sint; his autem verbis Ischyram notari, sequens nota patefaciet.

(3) In epistola ad universas ecclesias, n. 5, scribitur : *Falsitatis præmium eidem Scyro* (hoc est Ischyræ) *honorem episcopalem dederunt, nomini qui neque presbyter, neque clericus quidem fuit.* Hac etiam in re et aliis superior Julii epistola I, n. 12, coarguit *Ischyræ mendacia*.

(4) Unus codex Colb. *eum*, pro *hos*.

(5) Non exstat hæc epistola.

A esset longa narratio, qui fecissent (6) et quæ commisissent, insinuavimus.

V. Tua autem excellens prudentia disponere debet ut per tua scripta qui in Sicilia, qui in Sardinia et in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt et quæ definita cognoscant; et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id est epistolia (7), quos justa sententia degradavit. Perseverent autem Marcellus, Athanasius et Asclepius in nostra communione : quia obesse eis non poterit (8) iniquum judicium, et fuga, et tergiversatio eorum, qui ad judicium omnium episcoporum, qui convenimus, venire noluerunt. Cætera, sicuti superius commemoravimus, plena relatio fratrum, quos sincera charitas tua misit, unanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus suis dejecti sunt, subjicere curavimus : ut sciret eximia gravitas tua, qui essent communione privati. Uti ante prælocuti sumus, omnes fratres et coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne epistolia, id est litteras communicatorias eorum accipiant.

NOMINA HÆRETICORUM (9).

Acacius a Cæsarea. Ursacius a Singiduno. Menophantus ab Epheso. Valens a Mursa. Georgius a Laodicea. Narcissus ab Hieropoli. Stephanus ab Antiochia.

EADEM EPISTOLA EX HILARIO.

(*Conc. t.* II, *col.* 660, *ed. Lab.*)

Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus : experientia enim probat et confirmat, quæ quisque auditione audivit. Verum est enim quod beatissimus magister Gentium Paulus apostolus de se locutus est : *Ad experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII)? Quamquam utique, quia in ipso Dominus Christus habitavit, dubitari non possit Spiritum sanctum per animum ejus locutum, et organum corporis personasse. Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti (mente, concordia, voluntate, *ex codd. mss. Fossatensi et Aniciensi*) : et honesta fuit et necessaria excusatio absentiæ, ne aut lupi schismatici furtum facerent et raperent per insidias, aut canes hæretici rabido furore exciti, insani oblatrarent, aut certe serpens diabolus blasphemiarum venenum effunderet. Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Quoniam ergo universa quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, et chartæ continent, et vivæ voces charissimorum fratrum et

(6) Duo mss. Colb. cum Baron. *quæ fecissent*. Tum Baron. omittit *et quæ commisissent*.

(7) Iidem mss. hic *epi copalia*, sed infra *epistolia* retinent.

(8) In iisdem mss. *non poterat*. Hic notantur qui Philippopolim secesserunt.

(9) Horum hæreticorum nomina alio ordine recensentur apud Hilarium ex ms. Pith. fragm. II, n. 14. alio in epistola synodi ad universas ecclesias ibid. n. 7, alio in mss. Colb. quos nunc sequimur, ut ex eo ordine, cum constans non sit, confici nihil posse cuique compertum sit.

Digitized by Google

compresbyterorum nostrorum Archidami et Philoxeni, et carissimi filii nostri Leonis diaconi, verissime et fideliter exponere poterunt; pene supervacuum videatur, eadem his litteris inserere (*al.* inferre). Patuit apud omnes qui convenerunt ex partibus orientis, qui se appellant episcopos; quamquam sint ex his certi auctores, quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno; diu tergiversatos propter diffidentiam ad judicium venire noluisse, tuamque et nostram reprehendere communionem, quæ nullam habebat culpam, quia non solum octoginta episcopis testantibus de innocentia Athanasii pariter credidimus, sed et conventi per presbyteros tuos et per epistolam, ad synodum quæ futura erat in urbe Roma, venire noluerunt : et satis erat iniquum, illis contemnentibus, tot sacerdotibus testimonium perhibentibus, Marcello et Athanasio denegare societatem. Tria fuerunt quæ tractanda erant. Nam et ipsi religiosissimi imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa disputarentur; et ante omnia de sancta fide, et de integritate veritatis, quam violaverunt : secunda de personis, quas dicebant esse dejectas, de iniquo judicio, ut si potuissent probare, justa fieret confirmatio : tertia vero quæstio, quæ vere quæstio appellanda est, quod graves et acerbas injurias, intolerabiles etiam et nefarias contumelias ecclesiis fecissent, cum raperent episcopos, presbyteros, diaconos, et omnes clericos in exilium mitterent, ad deserta loca transducerent, fame, siti, nuditate, et omni egestate necarent; alios clausos carcere, et squalore et putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis, ita ut cervices eis arctissimis vinculis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti, in eadem injusta defecerunt pœna : quorum ambigi non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse, adhuc quoque audent quosdam retinere : nec ulla (*al.* ulli) causa fuit criminis, nisi quod repugnarent, et clamarent quod execrarentur Arianam et Eusebii hæresim (*al.* Eusebianam), et nollent habere cum talibus communionem; iis autem qui secum sentire maluerunt, prodesse (qui autem seculo servire noluerunt *ex editione Parisiensi vel ex c. ms.* Qui autem in sæculo servire maluerunt); et qui ante fuerant dejecti, non solum recepti sunt, sed etiam ad clericalem (*al.* clericam) dignitatem promoti, et receperunt præmium falsitatis. Quid autem de impiis et de imperitis adolescentibus Ursacio et Valente statutum sit, accipe, beatissime frater. Quia manifestum erat hos non cessare adulterinæ doctrinæ lethalia semina spargere, et quod Valens relicta ecclesia ecclesiam aliam invadere voluisset, et eo tempore, quo seditionem commovit, unus ex fratribus nostris qui fugere non potuit Viator (*al.* Victor), obrutus et conculcatus, in eadem Aquileiensium civitate die tertia defecit, causam utique mortis præbuit Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit. Sed ea quæ beatissimis Augustis significavimus, cum legeritis, facile pervidebitis, nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur : et ne molesta esset longa narratio, qui fecissent et commisissent, insinuavimus.

A Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, et in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt, et quæ definita, cognoscant; et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, quos extra episcopatum justa sententia declaravit (1). Perseverent autem Marcellus, Athanasius, et Asclepius in nostra communione, quia obesse eis non poterat iniquum judicium, et fuga et tergiversatio eorum, qui ad judicium omnium episcoporum, qui convenimus, venire noluerunt. Ceterum, sicuti superius commemoravimus, plena relatio fratrum, quos sincera caritas tua misit, unanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus suis dejecti sunt, subjicere curavimus, ut sciret eximia gravitas tua, qui essent B communione privati, uti ante prælocuti sumus. Omnes fratres et coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne epistolas (epistolia), id est, litteras communicatorias eorum accipiant.

Nomina hæreticorum.

Ursacius a Singiduno, Valens a Mursa, Narcissus a Neronopoli (2), Stephanus ab Antiochia, Acacius a Cæsarea, Menophanes (Menofantus) ab Epheso, Georgius a Laodicea. Theodorum quoque hic addere oportuit de quo S. Athanasius ep. ad solitarios, p. 655, et patres concilii sardicensis in epistola ad universas ecclesias, p. 669, hoc ordine eos recensens : Theodorum, Narcissum, Acacium, Stephanum, Ursacium, Valentem, Menofantum, et Georgium.

Item nomina episcoporum qui synodo Sardicensi adfuerunt et subscripserunt iidem in judicio (3).

C Osius ab Spannia Cordubensis. Annianus ab Spanniis de Castolona. Florentius ab Spanniis de Emerita. Domnianus ab Spaniis de Asturica. Castus ab Spaniis de Cæsar-Augusta. Prætextatus ab Spaniis de Barcilona. Maximus a Thuscia de Luca. Bassus a Macedonia de Diocletianopoli. Porphyrius a Macedonia de Philippis. Marcellus a Macedonia de Ancyra Gallaciæ. Euterius a Procia de Caindo. Asclepius a Palæstina de Gaza. Moscus a Thessalonica de Thebis. Vincentius a Campania de Capua. Januarius a Campania de Benevento. Protogenes ab Acacia de Serdica. Dioscorus de Thracia. Hymomus a Thessalia de Oparata. Lucius a Thracia de Cainopoli. Lucius ab Italia de Verona. Evagrius a Macedonia de Heracliaeo. Dionysius ab Achaia de Lignedon. Julius ab Achacia de Thebe eptapyleos. Athenodorus ab Acaia de Blatea. Diodorus ab Asia de Tenedos. Alexander de Thessalia de Larissa. Aethius a Macedonia de Thessalonica. Vitalis a Dacia-ripensi de Aquis. Paragorius a Dardania de Scupis. Trifon ab Achaia de Macrocc. Athanasius ab Alexandria. Gaudentius ab Achaia de Naiso. Jonam a Macedonia de Particopoli. Alipius ab Acaia de Magari. Macedonius ab Ardania

(1) *Al.* justa sententia degradavit.

(2) Male *Ieropoli* sive *Hierapoli :* nam Athanasius lib. de Fuga, ἀπὸ τῆς πόλεως Νέρωνος.

(3) Variis deformata mendis in fragm. sancti Hilarii, pag. 18.

Digitized by Google

de Ulpianis. Calvus ab Achaia ripensi de Castra Martis. Fortunatianus ab Italia de Aquileia. Plotarcus ab Acacia de Patrois. Eliodorus a Nicopoli. Eutarius a Pannoniis. Arius a Palæstina. Asturus ab Arabia. Coeras a Achaia de Asapofebiis. Stercorius ab Apuleia de Canusio. Calepodius a Campania. Lerenius ab Achaia de Secoro. Martirius ab Achaia de Neapoli. Dionysius ab Arcaida de Elida. Severus ab Italia de Ravennensi. Ursacius ab Italia de Brixa. Partasius ab Italia de Mediolano. Marcus ab Asia de Fissia. Verissimus a Gallia de Lugduno. Valens ab Achaia ripense de Scio. Palladius a Macedonia de Dui Geruntius a Macedonia de Brevi. Alexander ab Achaia de Morenis. Euthitius ab Achaia. Titius ab Asia de Montonis.

Episcopi omnes numero unus de sexaginta (1).

(1) In manuscripto cod. *sexaginta et unus.*

APPENDIX.

SCRIPTA SUSPECTÆ FIDEI.

ADMONITIO IN EPISTOLAM JULII AD DIONYSIUM ALEXANDRINUM.

(*Const. App. p.* 37.)

I. Hanc epistolam, pluribus jam monimentis, maximeque Monophysitarum scriptis notissimam, tempus, quod multa consumere solet, nobis tandem totam et integram reddidit. Jam unum illius fragmentum Leontii adversus fraudes Apollinaristarum liber, et extremam ejusdem partem vetus codex græcus suppeditarant. Præterea in historia patriarcharum Alexandrin. quam Eusebius Renaudotius Orientalium linguarum ac disciplinarum eruditione clarissimus concinnavit, pag. 360, Johannis Antiocheni patriarchæ, qui medio sæculo x, florebat, synodica describitur epistola, in qua epistolæ hujus ex numero 3 verba sic laudantur: « Idem quoque in epistola ad Dionysium episcopum Cypri sic ait: Dum confitentur naturas duas, coguntur unum adorare, et alterum non adorare. In eo, qui divinus est, baptizantur, et in eo, qui homo est, non baptizantur. Porro cum in nomine Christi baptizemur, naturam unam confitemur divinitatem et corpus passibile, ut baptismus noster sit in Deo et morte Domini. « Ibi quidem hæc velut ex S. Hippolyto Romano proferuntur : sed eadem Julio Romano libri alii adscribunt. Antea Christianus Lupus in Synodico, seu epistolarum quæ ad Ephesinum concilium attinent, compilatione, quam et Stephanus Baluzius recudit, cap. 224, mediam saltem ejus partem latine habebamus. Verum id Antonii Muratorii indefesso labori ac sedulitati debemus, ut ex Ambrosiano codice non ita pridem tota græce prodierit, nova donata interpretatione, ac docta dissertatione illustrata.

II. Eadem epistola et ab Eutychete in mox dicto Synodico c. 222 et 225, et ab Eutychetis discipulis apud Facundum lib. 1, c. 5, et ab Acephalis seu Severianis in Collatione anno 533, Constantinopoli coram Justiniano imp. habita laudatur. Ejus quoque meminit Gennadius lib. de script. ac de illa quid censeat, aperit his verbis: « Julius urbis Romæ episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de incarnatione Domini epistolam unam, quæ illo quidem tempore utilis visa est adversus eos, qui ita duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut et naturas: nunc autem perniciosa probatur, fomentum est enim Eutychianæ et Timotheanæ impietatis. » Ubi epistolam hanc commodo interprete indigere notat, quo a Timothei, hoc est discipuli Apollinaris impietate purgetur. Quocirca Ephræmius Antiochenus apud Photium in fine codicis 229 eam admittens, *unius naturæ* vocabulo unam hypostasin enuntiari pro certo ponit. Ea nimirum de Julio antiquorum erat opinio, ut cum hanc epistolam, inscriptione illius decepti, Julii esse non dubitarent, verba hæretica, ut loquitur Leontius, « propter personæ auctoritatem fide dignam, » ad catholicum sensum accommodare mallent, quam tantum virum hæresis aut insimulare, aut etiam suspicari.

III. Facundus tamen lib. 1, c. 5, ut et apud Photium cod. 230. Eulogius Alexandrinus epistolæ inscriptionem suspectam habere, Hypatius vero Ephesiorum antistes, Leontius aliique plures falsam affirmare non dubitarunt. Sed a quibus prodierit, inter eos non convenit. Leontius verisimile sibi videri ait, eos *qui a Julio per schisma discesserunt*, hoc est quorum schismaticis litteris Julius epist. 1 rescribit, epistolam hanc, ut odium in eum concitarent, ipsius nomine inscripsisse. Diognitus quidem, qui ex illis unus erat, falsas litteras confinxisse in epistola synodi Sardicensis ad universas ecclesias narratur. Sed si schismatici illi, a Julio abalienati, invidiam ei conflare, hæretica supponendo scripta, moliti sunt; quid erat cur eodem animo erga Felicem papam, Gregorium Thaumaturgum aliosque patres se gererent? Sane hoc potius ab aliis hæreticis videtur factum, ut pravæ doctrinæ magnis illis nominibus auctoritas conciliaretur. Et vero Leontius ipse aliam ea de re conjecturam proponit. Eum enim librum cui titulum indidit, « In eos qui proferunt nobis quædam Apollinarii, falso inscripta nomine sanctorum patrum, » ab his auspicatur verbis: « Quidam ex hæresi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripserunt, ut simpliciores fallerent : quod quidem perfecerunt. » Quocirca quærendum quibusnam hæreticorum illorum tanta fraus adscribenda sit.

IV. Antiquorum nemo est, cui Apollinarii impietatem epistola ista non suboleat. Plures vero ipsummet Apollinarium genuinum illius parentem esse docent. Nominatimque Ephesiorum antistes Hypatius in Collatione Constantinop. ait: « Nam et beati Julii famosam illam epistolam manifeste ostendimus fuisse scriptam ad Dionysium: » Sed in hoc comprobando majorem cæteris operam impendere cum Collecta-

Digitized by Google

norum adversus Severianos auctor anonymus apud Canisium tom. 4, part. 1, tum Leontius. Is porro lib. de sectis act. 8, epistolam istam non Julii, sed Apollinarii esse probat, « primum ex eo, quod si quis eam consideret, nihil Juliano dignum habeat nomine; deinde quod mentione corporis facta, nusquam id mente præditum vel animatum dixerit, *tametsi* erat in more patribus illius sæculi, ut sicubi corporis (*Christi*) mentionem facerent, id ipsum mente præditum animatumque dicerent; *postremo* quod Nyssenus Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaque ceu prava refutet. » Sed hujus rei argumentum ineluctabile deducitur ex ejusdem libro contra fraudes Apollinaristarum, utpote in cujus initiis Valentinus primarius Apollinarii discipulus multa profert « domini Apollinarii » testimonia, et inter ea unum « ex epistola ad Dionysium, cujus principium est : Mihi argumentum amicitiæ, *et alterum* ex alia epistola ad eumdem cujus principium est, Admiror cum de quibusdam audio, confiteri quidem Deum in carne, labi autem errore in divisione prave a Paulianistis introducta, » quod est epistolæ hujus Julio adscriptæ exordium. Unde conficitur, ut Apollinarius ita epistolæ ejus sit genuinus parens, ut nec id latere ipse volucrit; adeoque alius falsæ inscriptionis artifex sit quærendus.

V. Jam Leontium audivimus hujusmodi fraudem quibusdam « ex hæresi Apollinarii vel Eutychis vel Dioscori » attribuentem. Evagrius vero lib. III, cap. 31; cam Eutychetis ac Dioscori discipulis adscribit, de quibus hæc habet : « Multos quoque Apollinarii libros Athanasio et Gregorio Thaumaturgo et Julio falso adscripserunt. » Idem quoque nefas Marcianus imp. sub finem epistolæ ad Alexandrinos monachos Chalcedon. concil. par. 3, cap. 8, quibusdam Eutychetis discipulis tribuit : « Qui, inquit, libros Apollinarii non dubitaverunt plebi dispergere, vocabula sanctorum patrum eis attitulantes, quatenus ad plenum simplicium mentes sua falsitate deciperent. » At Hypatius Ephesiorum antistes in Collatione Constantinop. non hos, sed Apollinaristas sceleris hujus reos suspicari se testatur. Primo enim, cum Acephali Felicis atque Julii epistolas in hæreseos suæ gratiam laudassent, eas falsas esse haud dubius pronuntiavit. Tum iisdem instantibus ac dicentibus : « Quid ergo suspicamini nos quod falsavimus? » respondit : « Vos non suspicamur, sed antiquos hæreticos Apollinaristas. » Et vero Leontius lib. cont. fraud. Apollin. post med. « Apollinarii esse epistolas, quæ Julii esse feruntur, » hinc suadet, quod « Apollinarii discipuli antiquiores sunt omnibus qui iis usi sunt. » Non temere igitur antiquus compilator epistolarum, quas in lucem emisit Christianus Lupus, ac Steph. Baluzius nov. coll. concil. recudi curavit, cap. 224; huic epistolæ hanc præfixit inscriptionem : « Exemplar Julii episcopi urbis Romæ, ut asserunt Eutychis scripta, ad Dionysium episcopum, cujus sensu ductus ipse Eutyches decidit in errorem. » Neque mendacii arguendus est infelix ille hæresiarcha, cum ibid. cap. 222, ab unius naturæ professione recedere se non posse ad Leonem papam scripsit, « sciens, inquit, sanctos et beatos patres nostros Julium, Felicem, Athanasium, Gregorium, sanctissimos episcopos, refutantes duarum naturarum vocabulum. » Utinam solus ille fallaci tantorum præsulum larva fuisset deceptus. Verum etiamnum pia mater Ecclesia de interitu gemit innumerorum hominum, qui tametsi Eutychi anathema dicunt, sanctos tamen patres Julium, Felicem, Gregorium et Athanasium duces habere se rati, ab unius naturæ professione divelli se non sinunt, et Chalcedonensem synodum Leonisque tomum damnare ac detestari non verentur.

VI. Quis vero fuerit Dionysius, ad quem Apollinaris hanc epistolam scripsit, nunc inquirendum restat. Antiqui auctoris collectaneorum contra Monophysitas, cujus exemplar græcum in Parisiensi collegio RR. PP. soc. Jes. asservatur, cap. 9, hæc in epistolæ hujus inscriptionem habetur observatio : Γράφει γὰρ οὕτως Ἀπολινάριος· « Τῷ δεσπότῃ μου τῷ ποθεινοτάτῳ συλλειτουργῷ Διονυσίῳ Ἀπολινάριος. » οὕτως δὲ οἱ πλαστουργήσαντες πεποιήκασιν, « Ἰούλιος ἐπίσκοπος ἐν Χριστῷ χαίρειν. » Quæ verba sic apud Canisium tom. IV, part. 1, pag. 236, latine redduntur : « Sic enim scribit Apollinarius : Domino meo desideratissimo et comministro Dionysio Apollinarius : sic autem falsarii fecerunt inscriptionem, Julius episcopus Romæ in Domino salutem. » Tum idem scriptor Dionysium presbyterum, non episcopum fuisse affirmat. Cui opinioni eatenus favere videntur Apollinarii discipulii Timotheus et Valentinus, quatenus hunc Dionysium nusquam episcopum, sed tantum Apollinarii familiarem nuncupant. Neque etiam a Gennadio Massiliensi, Hypatio Ephesino, aut Eulogio Alexandrino episcopus appellatur. Verum in inscriptione, quam primigeniam ac sinceram censet memoratus collectaneorum auctor, illius sententiæ istud maxime adversatur, quod Dionysius συλλειτουργὸς appellatur; nihil enim usitatius quam ut episcopi collegas suos συλλειτουργοὺς vocent. Nominatim vero Marcellus Ancyranus episcopus expositionem fidei suæ Ἰουλίῳ συλλειτουργῷ inscripsit, et Sardicensis synodi patres eumdem Julium συλλειτουργὸν vocant. Sed et in prædicta inscriptione antecedens vox δεσπότῃ vix dubitare sinit, quin subsequens συλλειτουργῷ coepiscopum, non compresbyterum sonet. Quocirca Synodici compilator Dionysium episcopum vocat. Alii etiam locum notant ubi fuerit episcopus, sed in hoc designando secum non consentiunt. Nam eumdem Leontius lib. de sectis act. 8, « Corinthiorum, » Johannes Antiochenus patriarcha loco jam supra n. 1, laudato « Cypri, » Ambrosiani codicis inscriptio « Alexandriæ » episcopum appellant. Et vero ea in re graviter hallucinatus est Leontius, si Dionysii Corinthiorum episcopi nomine illum intellexit celebrem antistitem, cujus exstat ad Soterem papam epistola. Nec sincerior est inscriptio græca, quæ « Dionysium

Digitized by Google

Alexandrinum » præ se fert. Nam Julii aut Apollinarii temporibus nullus Alexandrinæ ecclesiæ Dionysius præerat. Notissimus quidem, Dionysio Romano pontifice, Dionysius Alexandrinus fuit : sed hunc anno 281, A vivere desiisse tradit Hieronymi Chronicon, Julius autem anno duntaxat 336, Romanam ecclesiam regere cœpit. Nihil est igitur unde hujus Dionysii sedem definiamus.

EPISTOLA JULII EPISCOPI ROMANI AD DIONYSIUM ALEXANDRINUM EPISCOPUM.

(*Const. App. p.* 61.)

α'. Θαυμάζω συνηθόμενος περὶ τινῶν ὁμολογούντων μὲν θεὸν ἐνσαρκον τὸν Κύριον, περιπιπτόντων δὲ τῇ διαιρέσει τῇ κακῶς ὑπὸ τῶν Παυλιανιζόντων εἰσαχθείσῃ. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ Παύλῳ τῷ Σαμοσατεῖ δουλεύοντες ἄλλον μὲν τὸν ἐξ οὐρανοῦ λέγουσι, θεὸν ὁμολογοῦντες αὐτόν, ἄλλον δὲ τὸν ἐκ γῆς ἄνθρωπον λέγοντες· τὸν μὲν ἄκτιστον, τὸν δὲ κτιστόν· τὸν μὲν αἰώνιον τὸν δὲ χθεσινόν· τὸν μὲν δεσπότην, τὸν δὲ δοῦλον· ἀσεβοῦντες, ἄν τε προσκυνῶσιν, ὃν λέγουσι δοῦλον καὶ κτιστόν, ἄν τε μὴ προσκυνῶσι τὸν ἐξαγοράσαντα ἡμᾶς τῷ ἰδίῳ αἵματι. Οἱ δὲ τὸν ἐξ οὐρανοῦ θεὸν ὁμολογοῦντες ἐκ τῆς παρθένου σεσαρκῶσθαι, καὶ ἕνα εἶναι μετὰ τῆς σαρκός, μάτην ταράσσουσιν, εἰς τὰ ῥήματα τῆς ἐκείνων ἀσεβείας ἐκφερόμενοι. B

β. Λέγουσι γὰρ καὶ αὐτοὶ, ὡς ἀκούω, δύο φύσεις, καίτοι τοῦ Ἰωάννου σαφῶς ἕνα ἀποδείξαντος τὸν Κύριον ἐν τῷ λέγειν· Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ τοῦ Παύλου ἐν τῷ λέγειν· Εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα. Εἰ γοῦν εἷς ὁ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου τεχθεὶς ὠνόμασται, καὶ αὐτός ἐστι δι' οὗ τὰ πάντα γέγονε, μία φύσις ἐστὶν, ἐπειδὴ πρόσωπον ἓν ἔχων εἰς δύο οὐ διαιρεῖται, ἐπεὶ μηδὲ ἰδία φύσις τὸ σῶμα, ὡς ἰδία φύσις ἡ θεότης κατὰ τὴν σάρκωσιν, ἀλλ' ὥσπερ ἄνθρωπος μία φύσις, οὕτω καὶ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος Χριστός. Εἰ δὲ οὐκ ἐπιγεγράφκασι τὸ καθ' ἕνωσιν ἓν, δύνανται καὶ εἰς πολλὰ μερίζειν τὸν ἕνα, καὶ πολλὰς λέγειν φύσεις, ἐπειδὴ πολυειδὲς τὸ σῶμα ἐξ ὀστέων καὶ νεύρων, καὶ φλεβῶν, καὶ σαρκὸς, καὶ δέρματος, ὀνύχων τε, καὶ τριχῶν, αἵματός τε, καὶ πνεύματος, ἅπερ ἅπαντα διαφορὰν μὲν ἔχει πρὸς ἄλληλα, μία δὲ φύσις ἐστὶν ἀνθρώπου· ὥστε καὶ ἡ τῆς θεότητος ἀλήθεια μετὰ τοῦ σώματός ἐστι, καὶ εἰς δύο φύσεις οὐ μερίζεται. Οὔτε γὰρ εἶδέ τις ἦν τὸ ὅλον υἱὸν ἀνθρώπου καλεῖσθαι καταβεβηκότα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ υἱὸν θεοῦ γεννηθέντα ἐκ γυναικὸς, εἰ δύο φύσεων διαίρεσιν ἐποιεῖτο. Ἀλλὰ τὸ μὲν καταβεβηκὸς ἐξ οὐρανοῦ ἐκαλεῖτο ἂν υἱὸς θεοῦ, καὶ οὐχ υἱὸς ἀνθρώπου· τὸ δὲ γεννηθὲν C

I. Miror cum nonnullos audio Dominum confiteri quidem Deum incarnatum, at in eam divisionem impingere, quam perverse Paulianistæ invexerunt. Ii enim, qui Paulo Samosateno addicti sunt, alium aiunt qui e cœlo est ipsum fatentes Deum, alium vero qui est e terra hominem eum affirmantes; et illum quidem increatum, hunc creatum; illum æternum, hunc hesternum; illum Dominum, hunc servum : impie agentes, sive adorent, quem servum dicunt et creatum; sive eum non adorent, qui proprio nos sanguine redemit. Qui vero Deum qui e cœlo est, confitentur ex Virgine carnem sumpsisse, unumque esse cum carne, frustra turbas conciunt, ea effutientes quæ illorum impietatem sapiunt.

II. Dicunt enim et ipsi, ut audio, duas naturas, etsi Johannes aperte unum demonstret Dominum dicens, *Verbum caro factum est*, et Paulus, cum ait, *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia*. Si ergo qui ex sancta Virgine natus est, vocatus est unus, idemque ipse est per quem facta sunt omnia; una natura est : siquidem personam habens unam in duo non dividitur, quia propria natura non est (1) corpus, sicut propria natura est deitas per incarnationem; sed quemadmodum homo (2) una est natura, ita et Christus in similitudinem hominum factus. Quod si illud minime agnoscunt quod secundum unitionem unum est, possunt et illum qui unus est, in multa partiri, multasque dicere naturas; corpus enim multiforme est cum ex ossibus, et nervis, et venis, et carne, et cute, unguibusque, et pilis, sanguineque, et spiritu constet, quæ omnia inter se differunt quidem, at una tamen est hominis natura. Quare et deitatis veritas cum corpore (3) est, et in duas naturas minime dividitur. Neque enim fas esset totum (4) illud vocare filium hominis qui de cœlo descendit, et Filium Dei qui natus est de muliere, si naturarum duarum divisionem susciperet : id vero quod descendit de cœlo, vocaretur Filius Dei, et non filius hominis : D dici potest caro facta Verbum, quia nequaquam carnis persona Verbi naturam suscepit.

(2) Apollinarius, ac post eum Monophysitæ exemplo abuti solent hominis, in quo tamen anima et caro simul unitæ duæ substantiæ esse non desinunt. Sed et sub hoc exemplo Apollinarius virus tegebat hæresis suæ, qua, quemadmodum hominis natura ex anima et carne componitur, ita et naturam Christi ex Verbo simul et carne compositam credebat. Qua in re concinebat Arianis, quos inter Lucius, pseudoepiscopus Alexandrinus, apud Canisium, t. IV, part. I, pag. 238, ita disputat : *Quomodo est Christus, si non est una persona, una natura composita, sicut cognoscimus hominem ex anima et corpore compositum? Sin autem habuit animam... pugnant igitur motus Dei et animæ; utrumque enim per se movetur et ad diversas actiones ducitur.*

(3) Legit vetus interpres *cum corpore unum est.* Unde in græco voculam ἓν hinc excidisse suspicio est.

(4) Immo *totum* istud recte potuit ac debuit et fi-

(1) Hic valet observatio Leontii, qua Apollinarium in hac epistola, ubi de humana Christi natura sermonem habet, nusquam animæ mentionem facere notat. Aliud hic observandum venit. Si ea dicatur *propria natura*, quæ separatim posita et a quavis alia segregata sit, eatenus in Christo nec corpus seu humanitas, nec deitas propriæ naturæ fuerunt, utpote quæ sibi invicem conjunctæ unitæque sunt. Si vero ea intelligatur natura propria, quæ integra sit ac naturales servet proprietates; eo sensu et corpus et deitas etiam post unitionem propriæ naturæ, utpote quæ suas retineant proprietates, permanserunt. Verbi autem personam ac naturam distinguere nesciens Apollinarius, et quod de persona Verbi dicitur *Verbum caro factum est*, de ipsius etiam Verbi natura prædicari volens, non solum Verbum carnem factum, sed et naturam Verbi carnem pariter factam asseruit. Ex quo apud Leontium adv. frandes Apollinar., t. VI, bibl. PP., edit. Colon., pag. 491, sic ratiocinatur : *Si Verbum caro nominatum est propter unionem, sequitur ut caro etiam nominetur Verbum propter unionem.*; et proxime ante : *Est autem a ratione alienissimum nominibus corporei nominare incorporeum, cum dicimus Verbum caro factum est, nomine autem incorporei non nominare corpus, secundum tamen unionem quæ cum illo est.* Magnum autem inter utrumque discrimen. Recte enim dicitur Verbum caro factum, propterea quod carnem assumpsit Verbi persona; sed non item

ἐκ γυναικὸς ἐκαλεῖτο υἱὸς ἀνθρώπου, καὶ οὐχ υἱὸς θεοῦ. καὶ τοῦτο ἥκειν τῇ Παυλιανικῇ διαιρέσει.

γ'. Ἡμᾶς δὲ αἱ θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, ὡς περὶ ἑνὸς τοῦ Κυρίου φρονεῖν κατὰ τὸν ἐξ οὐρανοῦ καταβάσιν, καὶ τὸν ἐκ γυναικὸς ἐπὶ γῆς γένεσιν. Οἱ τοίνυν οὕτω φρονοῦντες, μὴ εἰς ὁμορωνίαν τῶν τὰ ἐναντία φρονούντων ἐκβαινέτωσαν, ἵνα μὴ τῇ διανοίᾳ εὐρημοῦντες, τοῖς ῥήμασι δυσφημῶσιν. Ἀνάγκη γὰρ αὐτοὺς δύο λέγοντας φύσεις, τὴν μὲν μίαν προσκυνεῖν, τὴν δὲ ἑτέραν μὴ προσκυνεῖν, καὶ εἰς μὲν θείαν βαπτίζεσθαι, εἰς δὲ τὴν ἀνθρωπίνην μὴ βαπτίζεσθαι. Εἰ δὲ εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου βαπτιζόμεθα, μίαν ὁμολογοῦμεν φύσιν τῆς ἀπαθοῦς θεότητος καὶ τῆς παθητικῆς σαρκός, ἵνα οὕτως

A quod autem natum est ex muliere, vocaretur filius hominis, non Filius Dei. Et hoc divisioni Paulianæ consentaneum est.

III. Nos vero divinæ Scripturæ docent, et cum e cœlo descensum, et cum ex muliere in terra nativitatem audimus, utrumque de uno Domino esse intelligendum. Qui igitur ita intelligunt, ne ad id excedant ut verbis utantur eorum qui contra sentiunt, ne animo recta sentientes ore perversa loquantur (1). Eos enim qui duas dicunt naturas, unam adorare, et alteram non adorare; in divinam baptizari, et in humanam non baptizari necesse est. Si vero in mortem Domini baptizamur, unam (2) confitemur naturam impatibilis deitatis et patibilis carnis, ut sic in Deum

lius hominis et filius Dei prædicari: quia nimirum totum illud, quod ex unitis Dei hominisque naturis constat, aliud nihil est quam persona, quæ cum unica, etiam Apollinario fatente, in Christo sit, in se una complectitur quidquid unitis naturis convenit. Quocirca valet illa Augustini, lib. cont. Serm. Arian. c. 8, a Leone, epist. 28. n. 7 descripta regula: *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam et filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum Filius Dei carnem de ea virgine ex qua est natus assumpserit; et rursus Filius Dei dicitur crucifixus.* Antea Hilarius lib. x, de Trin. n. 52, eam esse docuerat Ecclesiæ *fidem, ut neque Jesum Christum et in Verbum, et in animam et in corpus incidat, neque rursum Deum Verbum et in animam et in corpus absumat.* TOTUM, inquit, *ei Deus Verbum est,* TOTUM *ei homo Christus est.* Rursum vero Leo, epist. 115, ad Monachos Palæstinæ: *Nec interest ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter manente unitate personæ idem sit totus filius hominis propter carnem, et totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem.* Quibus consonant hæc Augustini, Serm. 293, n. 7: *Ipse Deus Deus manet: accedit homo Deo, et fit una persona, ut non sit semideus, quasi parte Dei Deus, et parte hominis homo, sed totus Deus et totus homo.* Hac quidem Augustini, Leonis aliorumve patrum locutione moti Theologi postmodum constituerunt, ut cum de Christo sermo esset, *totum* de naturis, ac *totus* de persona prædicaretur. At hanc regulam Hilarii ævo ignotam fuisse in novissima hujus Doctoris editione in Psal. II, n. 27, not. a, et ad lib. x de Trin. n. 52, not. e, observatum est, idque confirmant Apollinarii scripta, in quibus ille voce *totum*, apud orthodoxos ad indicandam personam usitata, ad confundendas naturas abuti deprehenditur.

B *adorans, Deum vero adorans, reperietur eumdem adorare et non adorare, quod fieri non potest; et idem se ipsum homo quidem non existimabit adorabilem, non enim impius erit; Deus vero sciet se adorabilem. Est autem impossibile eumdem esse adorabilem et non adorabilem. Et igitur impossibile eumdem esse Deum et hominem ex toto, sed in sola unita natura divina incarnata.* Verum achilleum illud, ut putabat, argumentum facile diluit catholica fides. Ut enim anonymus apud Christianum Lupum cap. 225, respondet: *Nos, qui catholicæ fidei rectum tenemus tramitem, prætermissa hac confusione duarum naturarum, in Dominicam carnem baptizati, propterea eam adoramus, quia a divinitate suscepta, atque eidem ita unita sit, ut non alium atque alium, sed unum eumdemque Deum et hominem Dei filium confiteamur.* Immo et quam infirmum sit, non dissimulavit Apollinarii ipsius discipulus Valentinus, qui condiscipulos apud Leontium, lib. cont. fraud. Apoll., bibl. PP., edit. Colon., p. 489, d, perstringit his verbis: *Ignorarunt Timotheus et Polemius magister ejus,* C *et qui eorum sectatores erant, quod unius personæ Verbi Dei et carnis a Verbo fabricatæ adoratio ad Deum incarnatum pertinet, non autem ad carnem. Nec enim Verbum propter carnem adoratur, sed caro Verbo coadoratur.*

(1) Locum hunc, teste anonymo apud Lupum, in Synodico, cap. 225, et apud Baluzium, nov. coll. concil., pag. 957, Eutyches in hæresis suæ patrocinium Julii nomine laudabat. Eumdem vero antiquus scriptor apud Canisium, t. IV, part. 1, pag. 257, cum aliis indubitatis Apollinarii conferendo, epistolam hanc Julii nomen falso præ se ferre, atque Apollinarii esse evincit. Ac primo istum profert hæretici hujus locum: *Quomodo non est res impia aliam substantiam creatam vel servam habere, et eamdem adhiberi adorationem creatori et Domino?* Tum alterum illum subjicit: *Impossibile est eumdem esse adorabilem et non adorabilem; ergo impossibile est eumdem esse Deum et hominem, sed in unitate commixtæ naturæ divinæ incarnatæ.* Tertium præmiserat pag. 236, in hunc modum: *Alterius et alterius naturæ unam et eamdem esse adorationem nefas est* (supple *dicere*), *hoc est creatoris et creaturæ, Dei et hominis. Una vero est Christi adoratio; et ideo in uno nomine intelligitur Deus et homo. Non est igitur alia et alia substantia Deus et homo, sed una secundum compositionem cum corpore humano.* Quam familiare Apollinario argumentum hoc fuerit liquet et ex aliis locis a Leontio excerptis. Unum illum, quem sub finem lib. cont. fraud. Apollin. adtexit, superioribus adjecisse satis sit: *Si homo est ex toto et idem Deus, mens pia hominem quidem non*

(2) In mortem Domini baptizati, non unam confitemur naturam impatibilis deitatis et patibilis carnis, sed unam personam. Et ad hunc quidem pium atque catholicum intellectum Ephræmius Antiochenus apud Photium sub finem cod. 239, verba ista accommodare volens, ea de hypostasis unitate interpretatur. Quamvis autem interpretationi huic favere videantur prima sequentis numeri verba, ea tamen, quæ his subnexa sunt, eidem prorsus repugnant. Qui enim post incarnationem seu corpori seu deitati Christi propriam naturam negat, non personæ tantum, sed et naturæ unitatem propugnare se indicat. Astutius hæreticam mentem texit vel Apollinarius ipse, vel aliquis ejus discipulus, cum Gregorii Thaumaturgi et Athanasii nominibus *unam Dei Verbi naturam incarnatam* asserunt. Horum enim nominum auctoritate decepti catholici D plures locutionem illam respuere religioni habuerunt. Quocirca Basilius Seleuciæ episcopus in concilio Chalcedonensi, act. 1, pag. 250, Eutycheti *Christum post adunationem unam naturam* affirmanti, suggessit ut *incarnatam* adderet: *quia*, inquiebat, *si dixeris ex duabus naturis, post adunationem vero unam, et non addideris incarnatam et inhumanatam, putaberis confusionem inducere; si autem addideris incarnatam et inhumanatam, eadem cum patribus nostris dicis.* Post ipsum Chalcedonense concilium Epiphanius Pergensis episcopus cum synodo provinciæ Pamphiliæ ad Leonem augustum scripsit: *Nihil enim differt, si duarum naturarum unitas inconfusa dicatur, sive ex duabus eodem modo referatur. Sed neque si una dicatur Verbi natura, inferatur autem incarnata, aliud quid significat, sed idem honestiori sermone declarat. Nam et invenimus, sæpius hoc dixisse sanctos patres.* Quæ verba apud Lab. t. IV, pag. 936, legere est. In gestis concilii C. P.

Digitized by Google

et in mortem Domini baptisma nostrum conficiatur.

IV. Etenim calumniatores non veremur in duas personas Dominum partientes, si nobis unionem evangelicam et apostolicam asserentibus, maledicant, tamquam carnem de cœlo dicentibus. Neque enim, cum Filium Dei de muliere natum dicimus, culpari possumus, quasi Verbum de terra, non autem de cœlo dicamus. Dicimus autem utrumque, et de cœlo totum (1) propter deitatem, et de muliere totum propter carnem, nescientes divisionem unius personæ neque dissecantes a cœlesti terrenum, aut a terreno cœleste; impia quippe dissectio hæc foret. Nullam igitur dissecantibus causam et occasionem præbeant qui duas dicunt naturas: non enim corpus secundum se ipsum natura est in uno Christo, quia non est vivificum per semetipsum, neque dissecari potest atque sejungi a vivifico Verbo; neque rursus Verbum secundum se ipsum in propriam naturam dividitur, quam habet secundum id quod carnis est expers; quoniam in carne Dominus, et non expers carnis in mundo versatus est; neque conditum corpus separat a non condita deitate, ut separet quis naturam conditam; neque enim increatum Verbum absque corpore peregrinatum est inter nos, ut partiatur quis increati naturam. Quod si unum utrumque est secundum unionem, et conjunctionem, et compositionem humana forma præditam, unum etiam nomen composito convenit, quod quidem a deitate habeat ut passionis expers, a corpore vero ut passioni obnoxium sit. Et quemadmodum audientes Paulum, qui Christum patibilem dicit, non divisim accepimus, neque deitatem (2) patibilem existima vimus; ita et τὸ creatum et servum neque divisim dicitur, neque deitatem facit creatam aut servilis naturæ. Et rursus increatum neque carnem increatam facit, neque separatim de deitate sola dicitur.

V. Hæc ita sentientes quieti maneant, supervacaneas declinantes quæstiones; ne vocum causa sententiis discordemus. Communi igitur consensu convenit et in confesso est, corpus esse de Virgine,

εἰς θεὸν ἢ τὸ βάπτισμα ἡμῶν, καὶ εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου τελούμενον.

δ. Καὶ γὰρ οὐ φοβούμεθα τοὺς συκοφάντας τοὺς διαιροῦντας εἰς δύο πρόσωπα τὸν Κύριον, ἐὰν ἡμῶν τὴν ἕνωσιν πρεσβευόντων τὴν εὐαγγελικὴν καὶ ἀποστολικὴν, βλασφημῶσιν ἡμᾶς, ὡς τὴν σάρκα λέγοντας ἐξ οὐρανοῦ. οὐδὲ γὰρ, ὅτε λέγομεν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ γενόμενον ἐκ γυναικὸς, δυνάμεθα βλασφημεῖσθαι, ὡς τὸν λόγον ἐκ γῆς λέγομεν, καὶ μὴ ἐξ οὐρανοῦ. Λέγομεν δὲ τὰ ἀμφότερα, καὶ ἐξ οὐρανοῦ τὸ ὅλον διὰ τὴν θεότητα, καὶ ἐκ γυναικὸς τὸ ὅλον διὰ τὴν σάρκα, οὐκ εἰδότες διαίρειν τοῦ ἑνὸς προσώπου, οὐδὲ ἀποτέμνοντες τοῦ οὐρανίου τὸ γήϊνον, οὐδὲ τοῦ γηΐνου τὸ οὐράνιον· ἀσεβὴς γὰρ ἡ διατομή. Μὴ οὖν τοῖς διατέμνουσι πρόφασιν διδότωσαν οἱ δύο λέγοντες φύσεις. οὔτε γὰρ τὸ σῶμα καθ' ἑαυτὸ φύσις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ, ἐστὶ μηδὲ ζωοποιὸν καθ' ἑαυτὸ, μηδὲ διατέμνεσθαι δυνάμενον ἄνευ τοῦ ζωοποιοῦ λόγου, οὔτε ὁ λόγος καθ' ἑαυτὸν εἰς ἰδίαν μερίζεται φύσιν, ἣν ἔχει κατὰ τὸ ἄσαρκον, ἐπειδὴ ἐν σαρκὶ ὁ Κύριος, καὶ οὐκ ἄσαρκος ἐπεδήμησε τῷ κόσμῳ, οὔτε τὸ κτιστὸν σῶμα χωρίζει τῆς ἀκτίστου θεότητος, ἵνα χωρίζῃ τις φύσιν κτιστὴν, οὔτε μὴν ὁ ἄκτιστος λόγος ἐπεδήμησε χωρὶς σώματος, ἵνα μερίζῃ τις ἀκτίστου φύσιν. Εἰ δὲ ἓν ἑκατέρου ἐστὶ κατὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν σύνοδον, καὶ τὴν σύνθεσιν τὴν ἀνθρωποειδῆ, ἐν καὶ τὸ ὄνομα τῷ συνθέτῳ προσεφαρμόζεται, ἀπὸ μὲν τῆς θεότητος τὸ ἀπαθὲς, ἀπὸ δὲ τοῦ σώματος τὸ καθητόν. Καὶ ὥσπερ ἀκούοντες τοῦ Παύλου, τὸν Χριστὸν παθητὸν λέγοντος, οὐ μερικῶς ἠκούσαμεν, οὔτε τὴν θεότητα παθητὴν ἐνομίσαμεν· οὕτως καὶ τὸ κτιστὸν καὶ δοῦλον οὔτε μερικῶς λέγεται, οὔτε τὴν θεότητα ποιεῖ κτιστὴν οὔτε δοῦλην. καὶ πάλιν τὸ ἄκτιστον οὔτε τὴν σάρκα ἄκτιστον ποιεῖ, οὔτε μερικῶς ἐπὶ τῆς θεότητος μόνης λέγεται.

ε. Ταῦτα δὲ οὕτω φρονοῦντες μενίτωσαν ἐν ἡσυχίᾳ, τὰς περιττὰς ζητήσεις ἐκκλίνοντες, καὶ ῥημάτων ἕνεκα μὴ διαιρῶμεν τὰ δόγματα. Συμπεφώνηται οὖν, καὶ συμφώνως ὡμολόγηται τὸ σῶμα ἐκ τῆς παρθένου, ἡ θεότης ἐξ οὐρανοῦ, τὸ σῶμα πέπλασται ἐν κοιλίᾳ, ἡ θεότης ἄκτιστος, ἀίδιος, ἵνα ἐνοῦντες τοῦ λόγου τῷ σώματι ἀδιαίρετος μείνῃ ἡ θεότης.

linarianam locutionem, quam patrum esse existimabat, et idcirco respuere non audebat, ad catholicam et orthodoxam intelligentiam novit apprime revocare. Quæ autem ipsi *unam naturam Dei Verbi incarnatam* prædicanti objecta sint, quæque ille responderit, vide in epistola ejus 2, ad Successum. Ipse etiam Basilius Seleuciæ episcopus loco citato Eutychii dixit: *Si non duas naturas post adunationem dixeris, commixtionem et confusionem dicis.* Moxque Florentius patricius tota synodo probante exclamavit: *Qui non dixit ex duabus naturis et duas naturas, non credit recte.*

synodi Chalcedonensis actione 1, recitatis pag. 182, dicit Dioscorus: *Ideo damnatus est Flavianus, quoniam post adunationem duas dixit naturas. Ego autem testimonia habeo sanctorum patrum Athanasii, Gregorii, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Ubi licet non mentiatur, cum *unam naturam Dei Verbi incarnatam* a Cyrillo prædicari asserit, expers tamen non est mendacii, cum duas naturas *post adunationem* ab eodem negari contendit. Sic enim Cyrillus, epist. 1, ad Successum loquitur: *Intelligimus duas inter se indissolubili unitione convenisse naturas citra confusionem atque immutationem ullam.* Si sine ulla immutatione, id sunt quod erant ante adunationem. *Caro enim*, inquit statim, *caro est, et non divinitas, etiamsi Dei caro facta est; itemque Verbum Deus est et non caro, quamvis dispensatoria ratione propriam sibi fecerit carnem... Ex duabus naturis factum esse dicimus; sed post unitionem naturas alteram ab altera non dividimus, neque in duos filios illum unum impartibilemque secamus, sed unum asserimus Filium, et, ut sancti patres dicunt, unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Qua occasione Cyrillus non minus suæ ὀρθοδοξίαν, quam suam erga patres reverentiam patefecit. Nam Apol-

(1) Supple *quod Christus est.* Hujusmodi autem locutio, quæ apud Hilarium aliosve veteres ad explicandam personæ unitatem adhibita, omnino orthodoxa est, apud Apollinarium ad inducendam naturarum confusionem usurpata, hæretica evadit. Quocirca ut ab hac longius recedat Ferrandus diaconus epist. ad Severum, n. 8, *totus* et *totum* diligenter distinguit, et postquam quæsivit, *quid est totum Christus*, respondit que: *Verbum Dei, anima rationalis et caro:* mox infert, *Totus ergo Christus ubique est secundum Verbum; sed non totum ubique est, quia non est ubique anima rationalis et caro cum quibus est totum*, eamque distinctionem Theologi, ut observavimus, postea secuti sunt.

(2) Ex doctrina Apollinarii sequitur ut is etiam deitatem patibilem dicere debeat. Nam si ipsius sententia Verbum seu deitas caro, ac vicissim caro Verbum seu deitas incarnatione evadit, deitatem per incarnationem fieri patibilem fateatur

Digitized by Google

Εἰ δὲ τῇ γραφῇ σύνηθες, καὶ τὸ ὅλον θεολογεῖν, καὶ τὸ ὅλον ἀνθρωπολογεῖν, ἐπώμεθα καὶ ἡμεῖς τοῖς θείοις ῥήμασι, καὶ μὴ μερίζωμεν τὰ ἀμέριστα, μήτε τὴν θεότητα διαιροῦντες τοῦ σώματος, ὡς δι' εὐχρηστίαν, ὅταν τὸ σῶμα πεπλασμένον ἐκ ποιᾶς λέγηται, μήτε τὸ σῶμα μερίζοντες τῆς θεότητος, ὡς δι' ὁμολογίαν τῆς παρουσίας, ὅταν ἡ θεότης ἄκτιστος δοξάζεται.

ς'. Πῶς οὖν οὐ λυπηρὸν τοὺς ταῦτα καλῶς οὕτως ὁμολογοῦντας, ἢ φρονοῦντας, καθὼς καὶ παρέλαβον, διστάζειν πρὸς ἀλλήλους διὰ ῥήματα; ὅταν οἱ μὲν τῷ τοῦ σώματος ὀνόματι χρῶνται ἐπὶ τοῦ λόγου, καθάπερ ὁ Ἰωάννης σάρκα λέγων γεγενῆσθαι τὸν λόγον· οἱ δὲ τὸ τῆς θεότητος ὄνομα λαμβάνουσιν ἐπὶ τοῦ ὅλου δούλου, ὥσπερ ὁ Παῦλος· λέγω δὲ, ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν· Προσκυνεῖν ὁμολογεῖ Χριστὸς κατὰ τὴν σάρκα τὸν πάτερα λέγων, ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὃ εἴδαμεν· καὶ οὐ χωρίζεται ἡ θεότης. προσκυνεῖται κατὰ τὴν θεότητα, καὶ οὐ χωρίζεται τὸ σῶμα τῇ τῆς θεότητος προσκυνήσει. οὔτε ἀριστῶμεν τὸ σῶμα (οὐδὲ γὰρ δυνατὸν) ὅτε προσκυνοῦμεν τοῦ σώματος τοῦ πεπονθότος, καὶ οὐ χωρίζεται ἡ θεότης, ἤνωται γὰρ. ἔδει γὰρ νικηθῆναι τὸν θάνατον ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ νενίκηται.

ζ'. Παραινεῖτε δὲ τοῖς μάτην περὶ ταῦτα διαπερμένοις, καὶ φυλασσέσθω ἡ κατὰ τὸ δόγμα ὁμολογία, μὴ διαιρώμεθα διὰ τὰ ῥήματα. Τὸ μὲν γὰρ τοῖς δόγμασι διαφέροντας, τοῖς ῥήμασι προσποιεῖσθαι συμφωνεῖν ἀσεβές, τὸ δὲ τοῖς δόγμασι συμφωνοῦντας τοῖς ῥήμασι διαφέρισθαι μάταιον καὶ μωρόν. Τοῦτο δὲ συμφωνούμενον ἔχοντες, ὅτι θεὸς ἐναρκὴς ὁ Χριστὸς, καὶ ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁ αὐτὸς τῇ μορφῇ δοῦλος καὶ τῇ δυνάμει θεὸς, μενέτωσαν ἐν ὁμονοίᾳ, καὶ μὴ μάτην διαφερίσθωσαν, μηδὲ εἰς τὴν τῶν αἱρετικῶν λογομαχίαν ἐκπεπτέτωσαν, ἀλλὰ τῆς Ἐκκλησίας τὴν ἁπλότητα μᾶλλον ζηλωσάτωσαν. Ἔρρωσο.

deitatem vero de cœlo; corpus efformatum in utero, deitatem vero increatam esse æternam, ut unito Verbo corpori, indivisa maneat deitas. Si vero Scripturæ familiare sit et totum (1) vocare Deum, totumque etiam appellare hominem, sequamur et nos divinas voces, neque indivisa dividamus; neque deitatem separantes a corpore, perinde quasi tunc melius loquentes, quando corpus efficium dicatur ex utero; neque corpus dividentes a deitate, quasi confitentes(2) præsentiam, quando deitas increata glorificatur.

VI. Quomodo ergo dolendum non est, eos, qui hæc ita recte confitentur aut sentiunt, uti etiam a majoribus traditum acceperunt, invicem propter voces discrepare? quando hi quidem corporis nomine utuntur cum de Verbo loquuntur, sicuti Johannes (*Johan.* 1, 14) carnem dicens factum fuisse Verbum; illi vero deitatis nomen assumunt cum de toto servo eis sermo est, ut Paulus: *Dico autem, novissimus Adam in spiritum* (3) *vivificantem* (1 *Cor.* VIII, 6). Secundum carnem Christus se Patrem adorare fatetur, dicens: *Nos adoramus quod scimus* (*Joan.* IV, 22), et non dividitur deitas. Adoratur secundum deitatem, et non sejungitur corpus cum adoramus deitatem. Neque sejungimus a deitate corpus (non enim fieri potest), quando illud mortem passum adoramus; neque separatur deitas (4), unita enim est, siquidem oportebat vinci mortem a Deo, et victa est.

VII. Monete autem illos, qui frustra in his quæstionibus discordant, et servetur in dogmate consensus, ne ob verba dissideamus. Doctrina enim discrepare (5), et verbis concordiam simulare impium est; eos autem, qui doctrina concordant, propter voces dissidere, vanum et fatuum. Hoc porro concorditer tenentes, nempe Deum incarnatum Christum, et e cœlo et e terra, eumdem esse forma servum, ac virtute Deum, maneant in concordia, et frustra ne dissideant, neque in verborum pugnam hæreticis familiarem incidant (6) sed Ecclesiæ simplicitatem potius æmulentur. Vale.

necesse est. Nempe si Verbo ac deitati congruit nomen ac natura carnis, ei etiam carnis proprietas congruere debet. Neque vero simpliciter aut deitatem patibilem aut carnem increatam negat, sed hoc eis negat simul et tribuit: negat quidem seorsim spectatis, tribuit vero conjunctim consideratis. Ubi enim ait: *Increatum neque carnem increatam facit, neque divisim de deitate sola dicitur*, cur *increatum* de sola deitate dici non permittit, nisi quia etiam de carne unita dici velit? Quam hic vani sunt conatus hæresiarchæ, qui cum labyrintho erroris extricare se non possit, nisi ad rectæ fidei iter, a quo discessit, pedem referat, nunc illud carpit, moxque relinquit homo subsultorius. Fides vero naturas in Christo non dividit, sed in una Dei Verbi persona unitas distinguit, adeo ut alia sit Verbi et alia carnis natura, et aliæ Verbi aliæque carnis proprietates. Ita Deum Verbum passum in carne profitentes, deitatem ejus impatibilem prædicamus, et Christum ratione deitatis sic sentimus increatum, ut eumdem ratione carnis creatum credamus. Non enim e naturis unitis una fit natura, sed una subsistit persona divina, cui quæ naturis singulis congruunt attribuuntur.

carnem natura sua neque Deum neque ejus substantiæ, cujus Deus est, esse sic fatetur, ut eam post unitionem et consubstantialem Deo et Deum asserere non dubitet. Quod quidem in altera ad eumdem Dionysium epistola apud Leontium, cont. fraud. Apoll. pag. 487, h, sic explicat: *Semper scripsimus, neque carnem Salvatoris e cœlo esse, neque carnem ejusdem substantiæ esse cum Deo, quatenus est caro et non Deus, Deus autem* (est) *quatenus unita est divinitati in unam personam.* Hinc Polenius, Timotheus aliique Apollinarii discipuli docuerunt, *quod oportet confiteri idem unione carnem, quod Verbum Dei, et de ea tamquam de Verbo loqui, et tamquam Verbum Deo consubstantiale credi*; quam doctrinam Timotheus alius Apollinarii discipulus apud Leontium loco laudato, pag. 488, f, vehementer improbat.

(1) Etiam hic supplendum *quod Christus est*. Porro Scriptura usu illo, quo totum quod Christus est modo Deum, modo filium hominis vocat, non cum Apollinario naturarum confusionem, sed personæ in unitis naturis unitatem nos docet. Vetat personæ unitas, ne naturas dividamus; at naturarum veritas, ut eas distinguamus, postulat. Apollinarius autem dum naturarum unitionem sine illarum confusione nescit, Christi

(2) Hoc est, meram Verbi præsentiam qualis est in Prophetis.

(3) Nomine *Spiritus* intelligere solent veteres immensam incorporeamque Dei naturam; adeoque non temere Apollinarius Dei nomen novissimo Adæ attribui hinc probat. Illud autem Christo inditum a Paulo est, non quia Christi natura una, sed quia una persona.

(4) Non quia ex deitate et corpore una factus sit natura, sed quia duæ illæ naturæ in una Verbi persona unitæ sint.

(5) In Parallelis Rupefucaldinis, tit. 76, ubi ista postrema verba velut ex epistola *Julii papæ urbis Romæ ad Dionysium* inferuntur, græce legere est διαφωνοῦντας, non διαφέροντας.

(6) Sequentium loco in mox dictis Parallelis hic adjungitur, μενέτωσαν ἐν ἡσυχίᾳ τὰς περιττὰς ζητήσεις

Digitized by Google

EPISTOLÆ EJUSDEM

AD MEDIAM PARTEM NUM. 5 VETUS INTERPRETATIO EX SYNODICI CAPITE 22 DESCRIPTA.

Exemplar (1) *Julii episcopi urbis Romæ, ut asserunt Eutychis, scripta ad Dionysium episcopum, cujus sensu ductus ipse Eutyches decidit in errorem.*

I. Miror audiens quosdam confitentes quidem in carne Dominum nostrum, incurrentes vero divisionem male a Paulianistis introductam. Illi (2) enim Paulum Samosatenum sequentes, alium quidem intelligunt eum qui ex cœlo descendit, Deum confitentes; alium vero terrenum hominem esse dicunt; et illum quidem infabricabilem (alium fabricatum; hunc æternum, alium hesternum), hunc dominum, alium servum: inpium (*leg.* impii), seu venerentur eum quem servum appellant et fabricatum, seu non colant eum qui nos sanguine suo redemit. Hi vero, qui Deum descendisse de cœlo confitentur, et carnem factam (*leg.* factum) ex virgine, et unum esse cum carne, frustra conturbantur (conturbant), excedentes in verba impietatis illorum.

II. Dicunt enim et ipsi, sicut odio, duas naturas. Ad quod et Joannes evidenter probat (unum) Dominum nostrum, cum dicat, *Verbum caro factum est* (*Joan.*, I, 14), et Paulus apostolus, cum dicat, *Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia* (1 *Cor.*, VIII, 6). Si enim natus ex sancta virgine Jesus nominatur, et ipse est per quem universa facta sunt; una scilicet natura facta est (*dele* facta), quoniam et una persona, non in duo divisa (unam personam habens in duo non dividitur); cum nec propria natura corporis est, et propria natura deitas sit secundum carnem. Sed sicut homo una natura est, ita et is qui ad similitudinem hominis factus est Christus. Quod si non agnoscunt id quod per adunationem unum est, possunt et unum in plura partiri, et plurimas dicere naturas: quoniam multiplex corpus, quod ex ossibus, nervis et venis, carne et cute, unguibus et capillis, sanguine et spiritu constet; quæ omnia diversa quidem inter se sunt, una tamen est hominis natura (*Baluz.* est eorum natura). Unde et deitatis natura cum corpore unum est: et nec in duas naturas dividitur. Nec enim poterat totum filius hominis appellari qui descendisset e cœlis, et rursus Filius Dei qui natus ex fœmina est, si duarum naturarum caperet divisionem; sed id quidem, quod descendisset e cœlis, vocaretur Filius Dei, non Filius hominis; et quod natum esset ex muliere, vocaretur filius hominis, non Filius Dei. Et hoc Paulianæ divisionis est.

III. Nos autem divinæ Scripturæ docent tamquam de uno Domino nostro sentire, et cum descendisset e cœlis, et cum in terra natus est. Qui igitur sic sentiunt, non excedunt ab inconsona contraria sentientibus, ut cum mente divinis præceptis consentiant, sermonibus discrepent. Necesse est enim eos, cum duas naturas intelligant (*al* dicant), alteram colere, alteram non adorare; et in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. Si autem in mortem baptizamur Domini, unam profitemur naturam et impassionabilis deitatis, et passionabilis carnis; ut perhoc sit baptisma nostrum et in Deum et in mortem Domini perceptum.

IV. Nec enim veremur calumniatores, qui dividunt in duas personas Dominum. Nec, cum nos unitatem evangelicam atque apostolicam prædicemus, lacerent nos tanquam dicentes carnem esse cœlestem, cum e contra divinas scripturas legamus dicentes Filium esse non ex cœlo. Nec enim, cum dicimus Filium Dei creatum ex muliere, possumus reprehendi tamquam Verbum ex terra dicentes, et non ex cœlo. Dicimus enim utrumque, et ex cœlo totum propter deitatem, et ex muliere totum propter carnem, ignorantes divisionem unius personæ.

IN EPISTOLAM AD DIONYSIUM ALEXANDRINUM SUB JULII I NOMINE EDITAM,

DISQUISITIO MURATORII AD ERUDITISSIMUM ET CLARISSIMUM VIRUM ANTONIUM MARIAM SALVINIUM,

Græcæ linguæ in Florentino Gymnasio professorem.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS.

Gennadius, et Centuriatores epistolam hanc Julio I. Rom. pontifici perperam adscribunt. Facundus Hermianensis eamdem ipsi rectius abjudicat. Quod et facit cum Evagrio Leontius Byzantinus. Nihil in illa, quod Julium deceat. Apollinaris hæreticus illius auctor creditus, cujus sunt et aliæ quædam Julio affictæ. Corpori *Christi* animam, *sive mentem humanam negavit is, quod et facit hujus epistolæ auctor. Multa in Apollinari a S. Gregorio Nysseno damnata, quæ hic itidem traduntur. Hypatius, Anastasius, Eulogius, Ephræmius, et alii S. Julium ab ista calumnia liberant. Quis fuerit Dionysius, ad quem data fingitur hæc epistola.*

Non te fugit, Salvini doctissime, quantum mihi alias gratulatus fueris, quod ab amœnioribus artibus ad graviores rursus me receperim, et præcipue ad sacram eruditionem, cujus studium ut jucunditate nulli alii concedit, ita reliquis utilitate antecedere satis constat. Gratissimum autem accidit mihi, te habere hujusmodi consilii mei non solum hortatorem sollicitum, sed etiam laudatorem benevolum. Nam etsi tu hominibus, qui te intime non noscunt, videri interdum possis in unis mitioribus litteris vim, et curam omnem ingenii tui constrinxisse; illud tamen mihi est exploratum, te ita omnigenæ eruditionis copia valere, ut maximi ponderis, summæque auctoritatis apud me semper futura sint cum præconia, tum hortamenta a te profecta. Atque istud meum de te judicium non solius famæ consensu, sed ipsa experientia mea sæpe numero confirmatum fuit. Quoties

ἐκκλίνοντες, καὶ ῥήματος ἕνεκεν μὴ διαιροῦμεν: quæ verba ex initio numeri 5 huc translata sunt; adeoque hoc exemplo esse potest, hujusmodi excerpta non omni semper fide expressa esse. In aliis nonnulla videre est suppressa vel mutilata, in hoc verba suo loco mota.

(1) Legendum videtur: *Exemplar epistolæ Julii... scriptæ ad Dionysium.*

(2) Ad imitationem prisci hujus interpretis mallemus in superiore interpretatione e regione græci textus posita, *Illi enim, Paulo Samosateno addicti, alium aiunt qui e cælo est*, etc., ita ut τὸ *illi* ad antecedentem vocem *nonnullos* referatur.

Digitized by Google

enim te in variis difficultatibus consului, quæ se mihi offerebant in amplissimo eruditionis stadio, talem toties in te rerum copiam, et græcæ linguæ, totiusque antiquitatis peritiam inveni, qualem pauci assequantur, et in paucis demirari solemus. Illud solum (et pace tua dixerim) satis probare non potui, quod nimirum ferme tibi uni scire, tibique in sipario canere contentus, non iis, quibus certissime poteras, rempublicam litterariam affecisti beneficiis. Sed tu maluisti modestiæ tuæ, ac eruditionis conscientia frui, quam studiorum tuorum fructus his difficillimis evulgare temporibus, quibus quum in fastidiosos, aut maledicos lectores facile impingatur, vix aliis, vix sibi placeat scriptor, honestæ quietis, non turbidæ gloriæ cupidus. Quo in consilio si te sequerer, potiore id etiam, quam tu, ratione facerem, et ingenii mei fortunæ, viribusque longe minoribus prudentius consulerem. Verum mihi jam placuit audacius procedere, tuisque potius auscultare adhortationibus, quam exemplo tuo. Quamobrem quum hæc edere in animum induxerim, quibus pro tua humanitate, et doctrina non unum contulisti beneficium, nihil antiquius habui, quam aliquem deligere locum, ubi testarer et me gratum, et te omni commendatione dignissimum. Tuo igitur nomini inscriptam volo disquisitionem istam, qua mihi propositum est, Julii I Romani pontificis famam ab hæreticorum calumniis vindicare. Et hoc quidem in præsentia facile possumus, quando nobis monumentum illud oblatum est, per quod olim Ecclesiæ catholicæ, tanti præsulis mendacio nomine, se facturos esse fucum speraverant Eutychiani. Quid enim veritatem clarius ostendat, quam ipsam prodere mendacii officinam, ipsumque omnium oculis figmentum objicere? Certe hæc illa est epistola, quæ dubiam S. Julii fidem apud veteres aliquot fecit, quæque posterioribus etiam sæculis negotium facessere visa est, incertis nempe in eam, quippe ignotam, prolatis sententiis. Rem igitur cum gratam eruditis, tum S. Pontificis memoriæ utilem præstabimus, si edito famosissimo hoc fœtu per nostiet, ut de illius falsitate, et de hæreticorum fraude, omnibus judicare in posterum liceat.

Inter antiquos scriptores qui primus de hac epistola mentionem fecerit, Gennadius est in lib. de Scriptor. Eccles. cap. 2, ita scribens : *Julius urbis Romæ episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de incarnatione Domini epistolam unam, quæ illo quidem tempore utilis visa est adversus eos, qui ita duas per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut et naturas. Nunc autem perniciosa probatur; fomentum enim est Eutichyanæ, et Timotheanæ impietatis.* Gennadii verba libenter adoptarunt, ac retulerunt centuriatores Magdeburgenses Cent. IV. cap. 10. Quibus hæc alia e vestigio adtexunt : *Adduxisse ex eadem epistola testimonium de persona Christi videtur Cyrillus Alexandrinus in Apologetico suo hoc modo.* Tum hæc ipsa epistolæ verba proferunt : *Prædicatur ad completionem fidei, et incarnatus ex Virgine Maria Dei Filius, qui et habitavit in hominibus, non in nomine (in homine* scribendum erat) *energiam operans. Hoc enim in prophetis est, et in epistolis : perfectus Deus in carne, et homo perfectus in spiritu, non duo filii; unus quidem germanus filius, qui suscepit hominem : alter vero mortalis homo assumptus est a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus super terram.* Tandem centuriatores ita sermonem concludunt : *Citat idem testimonium ex Epistola ejus ad Prosdocimum Synodus Chalcedonensis contra Eutychem.*

At neque centuriatores, neque Gennadius quidquam protulerunt, quod accuratam rei cognitionem sapiat. Et primo animadvertere juvat, epistolam hanc Gennadio homini latino re minime fuisse perspectam, sed solum de nomine cognitam. Quippe manifesta illius hallucinatio est affirmare, *ipsam olim visam fuisse utilem adversus eos, qui ita duas asserebant in Christo personas, sicut et duas naturas.* Nullum concilium; nulli Ecclesiæ catholicæ Patres, hujus epistolæ testimonio adversus Nestorianos usi unquam fuerant, neque porro postea sunt usi. Inde autem fluxit Gennadii error, quod Act. 1. concilii Ephesini citatus fuerit contra Nestorium locus ille ex epistola Julii I papæ, quem centuriatores nuper adferebant. Nimirum censuit Gennadius, et post ipsum censuere centuriatores quoque, unam eamdemque fuisse Julii epistolam, quæ *ad Dionysium* data ferebatur, cum illa quæ in eodem Ephesino concilio citatur. Verum diversæ plane sunt epistolæ. Quæ *ad Dionysium*, uti fertur, conscripta fuit, nunc à nobis editur, ibique nihil eorum legitur, quibus Ephesina synodus est usa. Altera πρὸς Δίκιον, seu Δόκιμον, hoc est, *ad Docium*, seu *Docimum*, quem etiam *Prosdocium* alii appellant, jamdudum intercidit, eademque ab Ephesinis Patribus laudata est. Confudit ergo utramque epistolam Gennadius; utilem olim fuisse ratus conscriptam *ad Dionysium*, quod ipsam arbitraretur ab Ephesino concilio in veræ fidei confirmationem adhibitam.

Facundus episcopus Hermianensis altero post Gennadium sæculo vivens, hoc est, Justiniani temporibus, nonnulla habet lib. 1, cap. 5, quæ conjecturam nostram firmant, erroremque Gennadii manifestius aperiunt. Scribit adversus Eutychianos, eorumque sobolem acephalos, unam in Christo naturam statuentes. Ita vero inquit : *Quid autem illos contra hæc evidentissima Patrum testimonia juvare poterit, quod in assertionem vanissimi sui erroris dicunt, Julium Romanum episcopum nescio ubi rescripsisse, quod una sit Christi natura? quum in eadem sancta synodo Ephesina hoc solum ipsius B. Julii contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola ad Prosdocium, in qua ait : prædicatur vero ad supplementum fidei et incarnatus ex Maria Virgine* etc. Postquam Facundus locum integrum ex act. 1. concilii Ephesini retulit supra a centuriatoribus descriptum, ita pergit dicere : *Non aliud, præter hanc ad Prosdocium epistolam, ex dictis B. Julii in illa synodo prolatum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliquid amplius. Cur igitur non illud potius, quod de una Christi natura isti circumferunt tanquam ab ipso B. Julio scriptum, vel quæque similia, quæ scripsisse autumant alios venerabiles Patres, in sy-*

Digitized by Google

nodo recitata sunt contra Nestorium? Nam ipsa magis ejus dogmati contraria viderentur. Hinc igitur elucet, nullam aliam epistolam Julii I usurpatam adversus hæreticos Nestorianos olim fuisse, quam quæ ad Docium, sive ad Prosdocium conscripta fuerat. Quare ex altera ad Dionysium data nihil utilitatis unquam ceperc catholici, ut Gennadius leviter affirmabat. Videtur autem Facundus græcam epistolæ illius inscriptionem πρὸς Δόκιον, *ad Docium*, pro uno verbo accepisse, tanquam scriptum fuerit πρὸς Προσδόκιον, *ad Prosdocium*.

Deinde validissimum argumentum e Facundi verbis ducere incipimus, ad dignoscendam falsitatem, atque figmentum famosæ hujus epistolæ a nobis editæ. Nam si epistola hæc ad Dionysium data jam extabat, quum Nestoriana hæresis tot in Ecclesia turbas excitare cœpit, cur ab illa citanda adversus Nestorium abstinuere Patres Ephesini? Cur deinde Eutyches, et Dioscorus nunquam pro se ipsam laudarunt, numquam ejus testimonio suam confirmavere sententiam? Certe Julii Romani pontificis auctoritas maximum attulisset pondus Eutychianæ opinioni. Neque tanti pontificis opus græce vulgatum latitare adeo poterat, ut omnium oculos fugeret, quum satis liqueat, ejus generis monumenta per ecclesias, perque eruditorum manus vix edita consuevisse ferri. Aut ergo post synodos Ephesinam, atque Chalcedonensem, conficta fuit, Julioque supposita epistola illa, ideoque ante synodos illas minime extabat; aut si extabat, nemo hactenus noverat, credideratve, Julium ipsius auctorem fuisse. Propterea hæc merito Facundus addit: *Quid enim jam controversiæ remansisset, quod una esset illius Dei Hominis subsistentia, sive persona, si probarentur Patres, quod etiam unam prædicaverint ejus esse naturam? Igitur, ut omnis auferetur quæstio, si non postea epistola illa* (hoc est quæ ad Dionysium scripta circumferebatur) *confecta est* (fortasse legendum *conficta est*) *aut B. Julii eam non esse, sicut magis credendum synodus judicavit, aut etiam, etsi ejus esse credidit, quod ego non dico, ut aliam magis* (hoc est, quæ ad Prosdocium seu Docium conscripta fuit) *quam ipsam ejusdem sancti Julii contra Nestorium proferret, non ex eo quod incaute dictum est, contrarium errorem judicavit esse vincendum.*

Verum ne hanc quidem ultimam suspicionis umbram admisisset Facundus; imo constanter negasset Julium I ejus epistolæ artificem, si quæ a Græcis scriptoribus hac in re oculatioribus nos edocti sumus, ipse etiam novisset. Hos igitur audire juvat; eorum autem non testimonio solum, sed etiam rationibus constabit, suppositam Julio ab Hæreticis famosam hanc epistolam fuisse. Evagrius scholasticus, a quo historiam habemus, et Leontius Byzantinus, a quo librum de Sectis, scriptores multis nominibus commendati, ipsoque sæculo Christi sexto, quo Facundus Hermianensis floruit, et ipsi florentes, huc advocandi sunt. Primus ille de Nestorianis hæreticis agens lib. I, cap. 31, inquit: *Sanctorum Patrum libros sæpe depravarunt, multosque Apollinaris libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo, et Julio, inscriptionibus commutatis attribuerunt, quibus quidem libris plurimos in suum impium errorem induxerunt.* Non est mihi ad manus Evagrii historia, sed illam ex Baronii fide produco ipsum citantis ad annum Christi 352, n. 5. Nequeo tamen non mirari, quei Nestoriani impostura hujus dicantur auctores. Certo certius est, eam, quam nunc proferimus, epistolam Eutychianis ita scatere erroribus, ut Nestorianis opponitam omnino sententiam referat (quod et Gennadius monuit) atque architectum plane sapiat Eutychianum. Quei rogo utraque adversantium hæreticorum cohors uni atque eidem Romano pontifici tribuere, ac supponere potuit contraria hæc perversarum opinionum monstra. Evagrius proinde forte hallucinatus est, sive, ut ratione potiori dicam, Evagrii locus attentius considerandus fuit cardinali Baronio. At infra de hac ipsa re sermo recurret. Interim satis est cognovisse Apollinaris hæretici libros Julio fuisse ab hæreticis per dolum suppositos.

Accedat nunc Leontius Byzantinus, quo nemo luculentius in hujusmodi quæstione versatus est. Actione 8, de Sectis, pag. 526. Eutychianæ hæresis fundamenta convellit. Ejus autem sunt verba hæc e græco translata: *Adferunt* (Eutychiani) *aliud quoque dictum, velut a B. Julio profectum, quod extat in epistola scripta ad Dionysium Corinthi episcopum, cujus initium est* (Miror de quibusdam audiens, etc.). *Estque dictum hujusmodi* (Necesse est eos, quum duas naturas dicant, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptizari, et in humanam non baptizari). *Aliaque plura isthæc epistola continet.* En aliquot epistolæ hujus verba, quæ quum in exemplari nunc a nobis edito pariter legantur, Ambrosiani codicis fidem confirmant. Porro videamus, quomodo se ab ista difficultate Leontius expediat. « Sed nos » prosequitur ille « pluribus argumentis convincimus, illam epistolam non esse B. illius Julii, sed Apollinaris. Primum ex eo quod si quis eam subtiliter consideret, nihil Juliano dignum nomine habeat. Quin et septem illæ epistolæ, quas ejus esse dicunt, Apollinaris sunt. Deinde quod in eadem epistola corporis mentione facta, nusquam id mente præditum, vel animatum dixerit. Erat autem in more Patribus illius sæculi, ut sicubi corporis mentionem facerent, id ipsum mente præditum, animatumque dicerent: quod quidem usquè adeo verum est, ut reformidantibus eis hoc crimen, ideoque deinceps illas voces, Mente præditum, et Animatum, adjicientibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui hanc veterum appendicem non habeant. Præterea de hoc quoque non B. Julii, sed Apollinaris esse redarguitur, quod Nyssenus ille Gregorius in opere contra Apollinarem aperte multa recitet, quæ hac epistola continentur, eaque ceu prava refutet. Potest et aliunde convinci, quod B. Julii non sit, aiunt enim actis synodi Ephesinæ sub B. Cyrillo insertam: quod quidem aperte mentiuntur. Nam nihil ibi in textu tale reperitur, sed alia quædam inserta est epistola velut a Julio scripta nec

Digitized by Google

ipsa Julii, sed Timothei, quemadmodum ex multis exemplaribus intelligi potest. Enimvero quum nihil nobis illa adversetur, quod eam Julii dicunt, flocci scilicet faciendum. »

Hactenus Leontius accuratissimi profecto critici nomen promeritus, quo auctore discimus, Apollinari epistolam hanc esse reipsa tribuendam. Antequam vero progrediamur, animadvertere opus est, Baronium hæc itidem Leontii documenta produxisse. Relatis autem iis epistolæ verbis: *Necesse est eos, quum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare*, etc., mirari se ait, cur Gennadius appellare potuerit utilem epistolam hanc, adeo immanes, manifestasque blasphemias complectentem, *quibus Nestoriana hæresis confirmaretur*. Ita amplissimus annalium parens; sed aliter locuturus, si quod in posterum fas erit, epistolæ ipsius subditititiæ textum legere et ipse potuisset. His verbis, quæ nunc quoque in exemplari a nobis evulgato occurrunt, non Nestoriana hæresis confirmatur, sed quidem Eutychiana; quippe ab epistolæ auctore afferuntur tanquam necessarium, et ut ipse significat, absurdissimum Nestorianæ sententiæ consectarium. Tantum abest ut ille cum Nestorio sentiat duas in Christo divisas naturas, quarum una adoranda sit, altera vero nequaquam, ut potius utramque simul permisceat, atque confundat, unaque tantum adoratione colendam affirmet, Eutychianis in hoc omnino concors atque consentiens.

Sequamur nunc Leontium κατὰ πόδα, illiusque rationes, atque argumenta sigillatim percurramus, quibus facile palam fiet, qui verus fuerit epistolæ hujus faber. Inquit is, non a Julio primo Romano pontifice, sed ab Apollinari hæresiarcha illam fuisse conscriptam. Iis autem rationibus sententiam suam confirmat. Prima est, nihil ibi occurrere *Juliano nomine dignum*; hoc est, nihil gravitatis, eloquentiæ, sapientiæ, aut puræ veterisque doctrinæ, quod Julium apostolicæ sedis antistitem deceret, in eo monumento contineri. Et revera quum nihil antiquius romanis episcopis, totius Ecclesiæ magistris, fuerit, quam vetustissima Christi dogmata semper tradere, atque tueri; heic autem reperiantur tot novæ, temporibusque Julii inauditæ doctrinæ semina: quis sæculo Christi quinto, quando Eutychetis causa fervebat, Julium tam facile debuit, potuitque credere perniciosæ illius epistolæ, atque novitatis auctorem? Jam antea reclamassent cum Occidentales, tum Orientales Episcopi, si tale quippiam sæculo Christi quarto Julius tradidisset. Potuit quidem Apollinaris clam desipere, et furtivis litterulis inter suos asseclas quidquid lubebat effutire, atque confingere. Non poterat Romanus episcopus, Ecclesiæ totius caput, sese abscondere, conscripta præsertim epistola ad celebrem Græciæ Episcopum, et palam evulgata. Supersunt adhuc germanæ duæ Julii epistolæ a S. Athanasio descriptæ (nihil enim moror Isidori Mercatoris pseudepistolas) in quibus diversam plane et styli, et doctrinæ, et prudentiæ faciem intueare. Addit anonymus scriptor, a quo collectionem habemus contra Severianos, § 6, inscriptionem hujus epistolæ consentaneam non fuisse Romanorum pontificum consuetudini. Qua de re judicium ferre nobis in præsentia non licet, quando inscriptione caret exemplar nunc a nobis editum.

Alterum Leontii argumentum est, non hanc tantummodo epistolam, sed et alias septem Julio fuisse suppositas, quæ tamen Apollinaris revera forent. Ea Eutychianorum artes, et doli. Quid igitur mirum, si producta in medium ab Eutychianis epistola *ad Dionysium* data, fraus ibi quoque nullo negotio deprehensa fuit? Difficile nimis erat, tanto pontifici, qui superiore duntaxat sæculo vivere desierat, tot epistolas affingere, et diu criticis, doctisque imponere hominibus. Tunc argumentum, stylus, causa scribendi, homines, ad quos datæ fingebantur eæ litteræ, quarum nunc nullum extat vestigium, et mille alia, in re, ut ita dicam, recenti statim succurrebant, quæ ipsas falsitatis redarguerent, et Apollinari vero ipsarum parenti restituerent. Una proinde alteram accusabat: omnesque simul fortissimo argumento erant, non Julio, sed Apollinari, tribuendam esse istam quoque *ad Dionysium* conscriptam.

Tertio rectissime Leontius animadvertit, in tota hac epistola Christi quidem *corpus* memorari, sed *mentem*, *animamque* eidem *corpori* nusquam tribui. Nihil profecto Apollinari detrahere personam apertius potuit, quam hic affectatus loquendi modus. Constat, ex Apollinaris erroribus præcipuum illum fuisse, quem S. Leo Magnus in decretali 23, catholicorum sententia opposita rejicit. *Non Deum tantum dicimus Christum*, etc., *nec ita hominem, ut aliquid ei desit, quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive mentem rationalem*, etc. Hinc S. Augustinus in lib. de Hæres. cap. 55: « Apollinaristas », inquit, « Apollinaris instituit, qui de anima Christi a catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis evangelicis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dicunt. » Ita se habebat falsa Apollinaris sententia, quam proinde quum non obscure epistola Julio adscripta referat, ac inspiret, intelligere continuo possumus, eam Apollinari esse tribuendam. Certe ibi nusquam legas de Christo homine aliud prædicari, quam σῶμα, aut σάρκα, hoc est, *corpus*, aut *carnem*, *animæ* autem, sive *mentis* humanæ a Verbo susceptæ nulla mentio. Quamobrem Christi *corpus*, si recte hæc perpendas, obtruditur nobis tanquam ἄψυχον, καὶ ἀναίσθητον, καὶ ἀνόητον, id est, *in animum*, *et sensus*, *ac mentis expers*: quod commentum in Apollinari damnavit an. Ch. 362 Alexandrina synodus ab Athanasio, aliisque catholicis episcopis celebrata.

Vide vero, quam sine tergiversatione eadem hæc abominanda sententia ab istius epistolæ auctore insinuetur. Οὔτε γάρ, inquit, τὸ σῶμα καθ' ἑαυτὸ φύσις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ, ἐπεὶ μηδὲ ζωοποιὸν καθ' ἑαυτὸ,

Digitized by Google

μηδὲ διατέμνεσθαι δυνάμενον ἄνευ τοῦ ζωοποιοῦ λόγου. Hoc est : *Non enim corpus secundum se ipsum natura est in uno Christo, quia non est vivificum per semetipsum, neque dissecari potest, atque sejungi a vivifico Verbo.* En corpus Christi per se minime vivificum, id est vita, ac anima, vitæque actionibus per se carens. At undenam (petere quis potuit ab Apollinari) vitam, ejusque munia Servator habuit, quatenus homo? A vivifico Verbo, respondebat hæreticus, id habuit Christi caro; quippe quod humanæ animæ mentisque vices in Christo suppleret, atque impleret divinitas ipsa. Concinunt ista cum iis, quæ laudatus Leo Magnus de Apollinari eodem scribit homil. IV de Nativ. « Apollinaris, » inquit ille, « fidei soliditate privatus, Filium Dei ita veram humanæ carnis credidit suscepisse naturam, ut in illa carne diceret animam non fuisse, quia vicem ejus expleverit ipsa divinitas. »

Quæ quum ita sint, et impiam hanc, atque ab Evangelica veritate absonam opinionem soli Ariani, Apollinaristæ, atque Eutychiani venditarint : quis dubitare amplius possit, quin epistolæ a nobis editæ auctor fuerit Apollinaris, aut alius quisquam de grege illius? Quandonam catholici Patres, ac præcipue Romanæ sedis antistites in ea fuere sententia? Imo quis eam abominatus non fuit? quis non oppugnavit, non crescentem dicam, sed vix natam, atque auditam? Nemo autem est, qui Julium I, pontificem maximum vel suspicatus fuerit consensisse unquam cum Arianis, aut cum æquali eorum tempore Apollinari. Arianorum potius ipse Julius perpetuus fuit malleus, ac hostis, adeo ut mirari possis Eutychianorum impudentiam, atque imprudentiam, virum hunc deligentium, cui affingerent adulterinam hujusmodi epistolam, illius ingenio, doctrinæ, et moribus tam conformem, quam Æthiopi candor. Fieri igitur non potest, ut Julius toties de Christo homine loqueretur, ejusque *carnem*, seu *corpus* nominaret, quin et ipsum *mente præditum*, ac *animatum*, sive ἔννουν, καὶ ἐμψυχώσεων diceret, aut aliquid saltem apponeret, quo doceremur, non ex sola nuda carne constare humanam Christi naturam : quod tamen hujus epistolæ auctor satis aperte affirmare contra catholicam veritatem non erubescit.

Quarto, inquit Leontius, hinc etiam dignosci potest, non Julio, sed Apollinari hæretico, tribuendam esse epistolam istam, quod Gregorius Nyssenus in opere contra Apollinarem recitet multa, eaque ceu prava refutet, quæ hac eadem epistola continentur. Forte fortuna eximium istud Nysseni opus, diu deperditum, diuque ab eruditis desideratum, ante paucos annos e Vaticano codice descriptum evulgavit C. V. Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ præfectus, cujus beneficio cuicumque in posterum conferre licebit cum Apollinaris fragmentis a Nysseno refutatis epistolam istam. Nos interim id experiamur quam brevissime. De Apollinari hæc habet Nyssenus § 35. Ἡμᾶς, φησὶ, δύο πρόσωπα λέγειν τὸν Θεὸν, καὶ τὸν παρὰ τοῦ Θεοῦ προσληφθέντα ἄνθρωπον. αὐτὸν δέ, φησι, μὴ οὕτως ἔχειν, ἀλλὰ φάσκειν τὸν σαρκωθέντα, καὶ ὄντα οὐχ ἕτερον παρὰ τὸν ἀσώματον, ἀλλὰ τὸν αὐτὸν καθ' ὁμοίωσιν ἡμετέρας ἐν σαρκὶ ζωῆς. Quæ ita vertit laudatus Zacagnius : *Duas personas Deum, et a Deo susceptum hominem, nos* (id est catholicos) *dicere ille asserit, se vero haud ita prorsus sentire; quin imo dicere incarnatum fuisse Christum, eumque non esse ab incorporeo diversum, sed unum eumdemque ad similitudinem nostræ, quam in carne vivimus, vitæ.* Illis utique paria, imo eadem habet epistolæ nuper a nobis vulgatæ auctor, quorum concentum unum eumdemque Apollinarem ubique indicat. Inquit iste se minime vereri τοὺς συκοφάντας τοὺς διαιροῦντας εἰς δύο πρόσωπα τὸν Κύριον, id est, *Calumniatores in duas personas Christum Dominum partientes :* quo nomine catholicos et heic significari vides. Nempe censebat bonus Apollinaris, ideo catholicos duas in Christo ponere personas, quod duas ponerent non confusas in ipso naturas. Falsum id profecto; nam duas quidem in uno Christo naturas agnoscebat Ecclesia catholica, sed unam tantum personam. Hæreticus contra tam longe a catholicorum semita exorbitabat, ut non tantummodo personam unam, sed unam etiam naturam in Christo Domino nostro fateretur : quod ante ipsum nemo theologorum recte sapientium dixerat.

In verbis supra ex Nysseno descriptis legitur falsa hæc Apollinaris sententia, ubi *corporeum* Christi ab *incorporeo* non distinguitur. Sed apertius eadem traditur a Nysseno § 13, quum de Apollinari dicit : μίαν ἐποίησε τοῦ Θεοῦ τε καὶ τοῦ ἀνθρώπου τὴν φύσιν, hoc est, *Unam Dei et hominis naturam constituit.* Eulogius quoque Alexandrinus patriarcha apud Photium cod. 230, hæc Apollinaris verba refert ex libro de Incarnatione, ubi hæreticus ita exclamat : Ὦ καινὴ κτίσις, καὶ μίξις θεσπεσία! Θεὸς, καὶ σὰρξ μίαν ἀπετέλεσαν φύσιν. Id est, *O novam creaturam, et divinam mixtionem! Deus, et caro unam effecere naturam.* Apollinaris ergo jam sibi finxerat, adeo humanam naturam cum divina in Christo fuisse permixtam, atque confusam, ut nullum amplius inter eas discrimen intercederet, quasi e duabus naturis simul permixtis una tertia consurgeret. Hæc eadem sententia fuit Auctori epistolæ nunc editæ. Apertissime is *duas naturas*, sive δύο φύσεις, in Christo negat, speciosa illa ratione ductus, quod *unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*, ab apostolo dicatur. Pergit autem ita argumentari tenebrio ille : Εἰ γοῦν εἷς ὁ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου τεχθεὶς ὠνόμασται, καὶ αὐτὸς ἐστι, δι' οὗ τὰ πάντα γέγονε, μία φύσις ἐστὶν, ἐπειδὴ πρόσωπον ἓν ἔχων εἰς δύο οὐ διαιρεῖται. Id est, *si unus igitur e sancta Virgine natus appellatur, idemque ipse est, per quem facta sunt omnia, una natura est; etenim personam unam habens in duo non dividitur.* Habes heic non solum in Christo personam unam, quod orthodoxi quoque dicebant, sed unam etiam naturam, quæ falsa opinio Apollinari Eutychianorum, ut ita dicam, parenti maxime placuit, quamquam nova, et veterum auctoritate prorsus destituta.

Digitized by Google

Ex Antirrhetici verbis supra descriptis didicimus etiam, Apollinarem dixisse, unum eumdemque esse Christum *ad similitudinem nostræ, quam in carne vivimus, vitæ*. Idem porro palam edicit epistolæ nostræ auctor. Ὥσπερ, ait, ἄνθρωπος μία φύσις, οὕτω καὶ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος Χριστός. *Quemadmodum homo una est natura, ita et in similitudinem hominum factus Christus.* Diffiteri non possum, quin et quidam e SS. Patribus hujusmodi exemplo fuerint usi, ut unam in Christo personam ex unitione duarum naturarum manantem ostenderent. Vide Rusticum diaconum in bibliotheca Patrum, Leontium, Theorianum, et alios. Vide et Symbolum S. Athanasio attributum. At nemo ex iis illuc etiam deferri se passus est, ut ex animæ et corporis in uno homine conjunctione probaret, unam quoque exsurgere, et resultare in Christo naturam. Primus Apollinaris hujusmodi similitudine abuti cœpit; ideoque et istud opportune cadit, quo epistolam hanc ipsi, et non Julio I, doctrinæ orthodoxæ propugnatori, adscribendam esse intelligamus. Proinde videas, Nyssenum in Antirrhetico adversus exemplum hoc ex humana natura desumptum, quo Apollinaris suam confirmabat sententiam, pugnare variis argumentis. Quod tamen absurdiorem constituebat Apollinaris opinionem, illud erat, nimirum ex carne tantum humana, et ex Deo, qui loco mentis, aut animæ esset, Christum coaluisse, uti ex anima, et corpore natura hominis coalescit. At quomodo, aiebat Nyssenus, *in similitudinem hominis* Christus factus est, qui aliud quid ab homine diversum est, et a nostra prorsus natura discrepat? Nam si ex anima, et corpore homo constat; et anima in homine, quem ipse conflavit, non reperitur: quomodo in Christo illud simile homini esse poterit, quod a nostra natura alienum est? Neque vero alium suæ commentationi titulum Apollinaris indiderat, ἀπόδειξις περὶ τῆς θείας σαρκώσεως τῆς καθ' ὁμοίωσιν ἀνθρώπου. Hoc est, *demonstratio divinæ Incarnationis ad similitudinem hominis*. Quæ profecto quum satis aperte congruant cum iis, quæ ab auctore epistolæ enarrantur, unum etiam eumdemque Apollinarem utrobique produnt.

Progrediamur. Alterum Apollinaris commentum refellit Nyssenus in opere laudato. Censebat insanus hæresiarcha, non in plenitudine temporum humanam carnem a Verbo Dei fuisse assumptam, sed ante sæcula id factum; quare hominem, qui apparuit in tempore, antea præexstitisse, quam manifestaretur, scriptitabat. Vide § 13, Antirrhetici, et Nazianzenum in orat. 46, quæ est contra Apollinarem. Consequens proinde erat, ut et diceret, Christum, quatenus etiam est hominis Filius, e cœlo descendisse. Atque ita sane, teste Nysseno, Apollinaris palam sentiebat, uti videre est § 6. Qua opinione constituta, hoc illo deinde inferebat: εἰ δὲ καὶ ἐξ οὐρανοῦ υἱὸς ἀνθρώπου, καὶ ἐκ γυναικὸς υἱὸς Θεοῦ, πῶς οὐχ ὁ αὐτὸς Θεὸς καὶ ἄνθρωπος; id est, *Si autem et e cœlo Filius hominis, et ex muliere Filius Dei, quomodo non idem Deus, et homo censetur?* Non aliter sentire videtur epistolæ ad Dionysium datæ scriptor. Primo enim ait: si duarum naturarum divisio in Christo admitteretur, nefas esset, *unum totum vocare Filium hominis, qui de cœlo descendit, et Filium Dei, qui de muliere natus est.* Οὔτε γὰρ οἷόν τε ἦν τὸ ὅλον υἱὸν ἀνθρώπου καλεῖσθαι καταβεβηκότα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ υἱὸν Θεοῦ γεγενημένα ἐκ γυναικός. Tum hoc, tum illud Christus, quatenus hominis Filius, e cœlo esse dicitur, uti etiam, quatenus Filius Dei, e muliere dicitur esse. Pergit epistolæ auctor effutire, ideo duarum naturarum divisionem in Christo repugnare, quia quod descendit de cœlo, vocaretur Filius Dei, et non Filius hominis; quod autem natum est de muliere, vocaretur Filius hominis, et non Filius Dei: quæ sententia, si huic inepto sophistæ crederemus, hæresi Pauli Samosateni consentanea foret. Hinc ait subinde: Ἡμᾶς δὲ αἱ θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, ὡς περὶ ἑνὸς τοῦ Κυρίου φρονεῖν κατὰ τὸν ἐξ οὐρανοῦ καταβάσιν, καὶ τὴν ἐκ γυναικὸς ἐπὶ γῆς γέννησιν. Hoc est: *Nos vero divinæ Scripturæ docent, et quum ejus e cœlo descensum, et quum ex muliere in terra nativitatem audimus, omnia de uno Domino esse intelligenda.* Infra vero alia in hanc rem addit, inquiens, se nihil morari calumniatores in duas personas Christum partientes (id est catholicos, quibus ille hujusmodi sententiam affingebat, uti supra vidimus) quod sibi maledicerent tanquam affirmanti τὴν σάρκα ἐξ οὐρανοῦ, *carnem de cœlo*: quam dicendi formam a se non amolitur, neque rejicit personatus iste hæresiarcha. Tum pergit scribere: *Dicimus enim utrumque, et de cœlo totum per Deitatem, et de muliere totum per carnem, nescientes divisionem unius ejusdemque personæ, neque dissecantes a cœlesti terrenum, aut a terreno cœleste; impia quippe dissectio hæc foret.*

Quæ quidem luce non indigent majori. Sed infra occurrunt alia, quibus opinio constituta prorsus turbatur; inquit enim epistolæ auctor: Συμπεφώνηται οὖν, καὶ συμφώνως ὡμολόγηται τὸ σῶμα ἐκ τῆς παρθένου, ἡ θεότης ἐξ οὐρανοῦ: τὸ σῶμα πέπλαστται ἐν κοιλίᾳ. ἡ θεότης ἄκτιστος ἀΐδιος. *Concorditer ergo dicitur, et concorditer in confesso est, corpus esse de Virgine, Deitatem de cœlo; corpus efformatum in utero, Deitatem creationis expertem, ac sempiternam.* Quibus verbis fateri auctor iste videtur Christi carnem de virgine sumptam, quum tamen supra significarit ipsam de cœlo esse, ac de cœlo dici. Primo dicimus, Apollinarem dissona, et repugnantia adferre potuisse: quod cum cæterorum fere omnium a veritate deflectentium est, tum præcipue de Apollinari dici posse Nyssenus non uno in loco ostendit. Deinde suspicamur, ipsum hæreticum non ex animo sensisse, neque proprie affirmare voluisse, corpus a Christo de cœlo assumptum, antequam Gabriel Virginem divini consilii certiorem fecerit; sed ideo solum carnem de cœlo dixisse, quia secundum ejus opinionem quidquid de Christo uti Verbo Dei pronuntiatur, æque de Christo uti homine pronuntiandum illi videbatur. Certe § 51, Antirrhetici idem Apollinaris de Verbo Dei hæc habet: ὅτε σὰρξ ἐγένετο, τότε αὐτὸν ἐν ἡμῖν ἐσκηνωκέναι. Hoc est: *Tunc factum fuisse*

Digitized by Google

carnem, quum habitavit in nobis. Quibus verbis indicat, se minime credere, *humanitatem Verbi ad nos e cœlo descendisse*, ut ipse Nyssenus animadvertit, quamquam supra aliud palam docuisse, atque scripsisse hæreticus videretur. Eatenus igitur dicebat Apollinaris Christi carnem e cœlo esse, quatenus in eam opinionem concesserat, dividendam, atque distinguendam in Christo humanam naturam a divina non esse, ac proinde ita omnia de uno Christo esse prædicanda, ut totus etiam de cœlo descendisse recte diceretur. Quare intelligere possumus, ne heic quidem dissentire ab Apollinari auctorem epistolæ nostræ.

Cæterum supra vidimus alium capitalem Apollinaris errorem in eo situm, ut affirmaret, Christum anima, aut mente humana caruisse. Illum propterea Nyssenus redarguit § 35, Antirrhetici. Non aliter sensisse personatum epistolæ hujus auctorem, pariter ostendimus. Ergo eumdem utrobique scriptorem deprehendas. Accedit, quod Apollinaris in suorum somniorum præsidium abutitur verbis iis Apostoli I, Cor. xv : *Novissimus Adam in spiritum vivificantem*, ut constat ex § 10 et seq. Antirrhetici. Iisdem noster quoque abutitur, uti videre est in epistola edita. Itaque tandem intelligas miram intercedere opinionum concordiam inter Apollinarem a Nysseno confutatum, et hujus epistolæ auctorem, ut merito eumdem esse cum Apollinari censuerit Leontius. Et sane quis Julium Romanum pontificem unquam dixit, aut audivit absurdissima hujusmodi dogmata tradentem, quæ statim ac emersere ex Apollinaris ore et calamo, refutata novimus? Fieri non potuit, ut apostolicæ sedis antistes sine magno Christianorum scandalo, atque clamore talia palam traderet

Tandem Leontius Eutychianos, sive Acephalos, falsi arguit, quod locum ex epistola ista dicant productum, atque laudatum a Patribus Ephesini concilii. Aliam epistolam in ejus synodi actibus citatam ait, atque ab ea diversam, quæ ad Dionysium conscripta fertur. Imo et alteram illam non Julii esse addit, sed quidem Timothei hæretici Apollinaristæ, uti exemplaria multa ejus rei fidem faciebant. Quod est ad calumniam istam ex actis Ephesini concilii petitam, vidimus supra, quid etiam Facundus Hermianensis scriptum reliquerit. Sed Leontius subinde inquiens, *enimvero quum nihil nobis illa adversetur, quod eam Julii dicunt, flocci faciendum est :* recte fecit, qui non sibi, atque exemplaribus tantum credidit, ut penitus abjudicaret Julio laudatam ejus epistolam ad Docium. Nam præterquam quod nihil illa continebat ex ipsius Leontii confessione, quod Julio Romano pontifice, et catholicorum principe indignum foret, Ephræmius patriarcha Antiochenus lib. III de sacris Legibus apud Photium cod. 229, ipsam Julio sine dubitatione tribuit, et ex eadem verba etiam nonnulla delibat. Plura itidem ex illa, tamquam ex germano Julii fœtu, profert Anastasius presbyter in Eclog. τῶν χρήστων περὶ τῆς θείας θεολογίας, cap. 38, nisi quod Acacium pro Docio habet, scribens : Ἰουλίου ἐπισκόπου ῥώμης ἐκ τῆς πρὸς Ἀκάκιον ἐπιστολῆς : *Julii episcopi Romæ ex epistola ad Acacium.* Fateor tamen dubitari merito posse, an eadem sit epistola ab Anastasio citata cum superiori ad Docium scripta, quum una ex iis esse possit, quas adulterinas, et Julio perperam tributas, supra Leontius affirmabat.

Atque hactenus multa attulimus, quæ vel pertinacibus ingeniis persuadere possunt, datam olim ad Dionysium epistolam, et sub Julii Romani pontificis nomine ab hæreticis evulgatam, uni Apollinari esse restituendam, sicuti legitimo illius parenti. Nunc addimus, Justiniani temporibus tam certos de ea suppositione fuisse catholicos, tamque robustis pro Julii fama tuenda illos militasse argumentis, ut omnem ea de re se sustulisse dubitandi rationem palam profiterentur. Hypatius episcopus Ephesinus in collatione cum Acephalis habita Constantinopoli, Sirmondo V. C. teste, aiebat : *Beati Julii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse scriptum ad Dionysium.* Paria affirmabat laudatus Anastasius presbyter in Eclog. χρήστων. Sed et S. Eulogius patriarcha Alexandrinus, qui eodem, quo Justinianus, et Leontius, sæculo floruit, idem testatur apud Photium cod. 230, ita scribens : Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἡ χρῆσις, ἣν ἡ αἵρεσις προκομίζει ἐκ τῆς πρὸς Διονύσιον ἐπιστολῆς τοῦ Ἰουλίου ῥώμης, ἀναμφίβολον μὲν οὐκ ἔχει τὸ γνήσιον. Hoc est : *Sed enim testimonium, quod hæresis adfert ex epistola Julii Romani ad Dionysium, haud dubie non est genuinum.* Cujus rei argumentum illud Eulogius memorat, quod supra innuimus, nempe S. Cyrillum in synodo Ephesina quemdam quidem adhibuisse locum ex epistola Julii ad Docium, at alterius epistolæ ad Dionysium datæ, quamquam adversus Nestorianos disertissime pugnantis, nullam fecisse mentionem, non alia sane de caussa, quam quod aut censeret, aut compertum haberet, germanum Julii fœtum istam non esse. Testis est idem Eulogius, Eutychianos citasse pro adstruenda una in Christo natura, non solum epistolam nunc a nobis editam sub Julii nomine, sed et alia, quæ Athanasio, et Gregorio Thaumaturgo adscribebant. Aut eorum commenta Eulogius explodit, contendens, nunquam sanctissimos illos Patres talia litteris mandasse, sed auctorem quidem eorum fuisse Apollinarem, Eutychetis autem, ac Severi sectatores fraude satis aperta deinde ea supposuisse celeberrimis illis Ecclesiæ catholicæ episcopis. Eadem, ut supra animadvertimus, et Leontius, et Evagrius tradidere. Quamobrem merito arbitrari jam cogimur, tunc parum circumspecte Baronium scripsisse, quando a Nestorianis cuncta hujusmodi figmenta prodiisse dixit, quæ certe non Nestorii, sed Eutychetis patrocinabantur errori.

Porro dolendum est, jamdiu excidisse opera Ephræmii Antiocheni supra a nobis laudati, qui et ipse vixit sæculo Christi sexto. Inde enim nullo fortasse negotio constare posset, quantum ab Apollinaris, et Eutychetis opinionibus abesset Julii nostri doctrina. Quandoquidem tamen ejus libros accurate non solum recensuit, sed etiam multis expressit Photius in biblioth., cod. 228 et 229, delibare juvat

Digitized by Google

inde nonnulla. In epistola ad Zenobium scholasticum Emissenum, testante Photio, ostendit Ephræmius, consensisse S. Leonem Magnum cum reliquis patribus in confitenda gemina in uno Christo natura, non divisa, neque confusa. Tum demonstrat sancti Cyrilli dogmata, in ea potissimum quæstione, prorsus convenire cum ejusdem *S. Leonis, et Gregorii Nysseni, et Julii Romani sententia*, et esse κατὰ πάντα συμφωνοῦντα, *in omnibus consona*. Idem Ephræmius in orat. ad Domnum, et Joannem, ut probet, Christum verum Deum nostrum, neque divinitatis, neque humanitatis proprietates divisisse (quod Nestoriani sentiebant) sed per *unitionem*, sive *unionem*, ἕνωσιν, tam divina, quam humana sine confusione in se conjunxisse, τοὺς θεοφόρους ἡμῶν πατέρας παράγει μάρτυρας, Ἰούλιον τὸν Ἐπίσκοπον Ῥώμης ἐκ τῶν περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ἑνώσεως τοῦ σώματος πρὸς τὴν θεότητα; hoc est, *divinos patres nostros testes adducit, Julium nempe romanum pontificem e libris de unione corporis cum deitate in Christo*, atque Athanasium, Nyssenum, Basilium, et Cyrillum. Tandem si qua sunt in Julii libris genuinis, quibus abuti consueverint hæretici, ea explicat Ephræmius, sanamque continere doctrinam evincit, atque a Julio ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ὁμοουσίου, *in oratione de Consubstantialitate*, confutatum fuisse ait non Marcionem solum, et Valentinum, sed et Apollinarem, et Eutychem.

Itaque jam nihil amplius dubitandum puto, quin certum sit quod initio probandum suscepimus, videlicet famosam olim epistolam nunc a nobis editam, si non Apollinari ipsi, saltem alicui ex ejus, aut Eutychetis, aut Severi schola, tribuendam, atque restituendam esse. Certe Julio I, Petri in romana sede successori, prorsus abroganda est : idque nihil melius persuadere in posterum valebit, quam epistola ipsa. A tanti pontificis doctrina, et fama immane quantum abhorret, quod heic legitur, quum conceptis verbis, tantoque molimine ipsissima Apollinaris, atque Eutychetis deliria statuantur, et Ecclesiæ catholicæ sententia improbetur. Restat nunc, ut aliquid etiam de epistolæ titulo dicamus. In Ambrosiano codice data legitur πρὸς Διοσυσιον τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, *ad Dionysium Alexandriæ episcopum*. At Leontius Byzantinus, ut vidimus, Dionysium hunc non *Alexandriæ*, sed *Corinthiorum* episcopum facit. Utrobique erratum suspicor. Et primo loco deserenda mihi est Ambrosiani codicis fides; etenim, dum Julius, cui afficta est epistola, apostolicam cathedram tenuit, nullus Dionysius Alexandrinæ præfuit Ecclesiæ, sed quidem Athanasius Magnus. Sciolus aliquis videns epistolam hanc Dionysio inscriptam, quem fortassis episcopum fuisse aut per rumorem didicerat, aut somniarat, ingenio suo inscriptionem supplevit. Quum vero Dionysium Alexandrinum episcopum celebrem olim fuisse (hoc est sæculo Christi tertio) audivisset, patenti anachronismo eumdem esse ratus est, ad quem sæculo proxime sequenti Julius litteras illas dedisse affirmabatur. Ita potius juvat credere additam hanc titulo laciniam, quam id fraude ab hæreticis factum. Quis enim sæculo Christi quinto, et sexto, quo in controversiam epistola ipsa cœpta est adduci, ineptam hanc inscriptionem non risisset? Memoratur quidem in subscriptionibus Sardicensis concilii abuli, quod tempore Julii nostri habitum est, *Dionysius episcopus ab Alexandria provinciæ*. At aliquod in his verbis latere mendum, vel ipsi editores apposito asterisco monuere. Præterea Alexandrinus episcopus esse ille non potuit, tum quod verisimile est, ipsum subscripturum fuisse digniori loco, tum etiam quod tum temporis, uti dicebamus, Alexandrinam sedem implebat S. Athanasius ex catholicorum parte, ex arianorum vero Gregorius, ad quem etiam legitur data epistola ab ejusdem pseudosynodi episcopis.

Secundo suspicione quoque erroris non carere mihi videtur ea epistolæ inscriptio, quam Leontius habet. Uti Alexandriæ sæculo tertio vulgaris epochæ Dionysius unus celebris episcopus fuit, ita et sæculo præcedenti alter ejusdem nominis Corinthiorum episcopus fuerat, vir celeberrimus, cujus olim legebantur epistolæ quædam canonicæ. Si non Leontio exploratæ eruditionis viro, certe librariis, quibus est usus Leontius, aut a quibus Leontii opera deinde fuere descripta, imponere potuit Corinthiaci illius Dionysii fama, ut scriptam crederent ad eumdem epistolam sub Julii nomine ab hæreticis evulgatam. Equidem in ecclesiastica historia nullum Dionysium reperio, qui Corinthiorum Ecclesiam rexerit Julii Romani ævo. Ad hæc anonymus ille scriptor, a quo collectanea habemus contra Severianos, Dionysium, cui inscripta fuit pseudepistola Julii, non *episcopum*, sed *presbyterum* appellat. Gennadius ipsum nominat *Dionysium quemdam*. Reliqui vero scriptores, qui ejus epistolæ mentionem fecere, Eulogius, Ephræmius, Hypatius, et si qui sunt alii, nusquam aiunt Dionysium hunc episcopum fuisse. Quamobrem non irascatur nobis Leontius, si ne ipsius quidem in hac parte acquiescimus testimonio.

Atque hæc sunt, Salvini eruditissime, quæ in epistolam Julio primo ab hæreticis suppositam scribenda habui, ut impostura hæreticorum majori in luce collocaretur. Tu me, ut facis, amare perge, æternum mihi amandus, ac suspiciendus.

MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

I. Epistolæ hujus fragmentum habemus tum græce in concilio Ephesino act. 1. pag. 509, in apologetico Cyrilli adversus Orientales ad anathem. 6, apud Photium cod. 230, pag. 845, tum latine apud Marium Mercatorem in excerptis concilii Ephesini et apud Facundum, lib. 1, c. 5. Quod autem in Ephesino concilio prolatum est, a Cyrillo Alexandrino excerptum esse Hypatius Ephesinus antistes in Collatione cum Severianis anno 535, habita, necnon Eulogius Alexandrinus apud Photium, cod. 230, pag. 845, testantur. Ipso concilio audiente ac probante lectum et una cum aliis Patrum testimoniis insertum actis fuisse constat. Illud exinde pro authentico Julii scripto habuere Marius Mercator, Vincentius Liri-

Digitized by Google

nensis, Facundus, Hypatius Ephesinus, et Eulogius Alexandrinus antistes, quoad Leontius lib. de sectis act. 8, ex plurium exemplarium fide asserere non dubitavit, non Julii, sed Timothei, qui Apollinarium præceptorem ac magistrum habuit, esse epistolam illam ex qua descriptum fuit.

II. Leontii quidem auctoritas Ephesini concilii auctoritati, si res essent pares, non dicam non anteferenda, sed nec prorsus conferenda judicaretur. At cum de epistolæ sinceritate nullam in concilio inquisitionem præcessisse, et contra Leontium ea in re explorandæ diligentiam adhibuisse appareat; hujus non videtur parvipendenda censura. Nempe cum forte hæc una ad Prosdocium epistola, in qua nihil aperte falsum, Julii nomine circumferretur, nihil erat cur synodus inscriptioni diffideret : verum ubi subinde plures aliæ eidem suppositæ divulgari cœperunt manifestam Apollinarii impietatem continentes, quibus Eutyches ejusque discipuli abutebantur, coacti sunt fidei defensores, ut hujus sicut et cæterarum auctorem retegerent, operam impendere suam. Qua in re Leontius felicior cæteris, ut et diligentior fuit.

III. Quamdiu tamen ex hac epistola nihil aliud videre nobis licuit, quam quod ab Ephesina synodo laudatum est; verebamur, pro nostra in sanctissimum illud concilium observantia, fragmentum Julio adscriptum ei prorsus abjudicare, atque in appendicem amandare. At ex quo Michael Lequien, erudita Damasceni editione notissimus, epistolam integram, ex antiquo exemplari Anglicano erutam, nobiscum pro sua comitate communicavit, Leontii censuræ prorsus subscribendum duximus, nisi quis eam Apollinario ipsi, non ejus discipulo Timotheo adjudicare malit. Fatetur quidem Leontius lib. de sectis act. 8. nihil in ea esse, *quod nobis*, hoc est orthodoxæ fidei, *adversetur;* adeoque quod eam Julii esse dicant, flocci faciendum : inficiandum tamen non est, sub catholicis verbis, veluti speciosis integumentis, operta quædam latere ubique Apollinarianæ doctrinæ semina; quod aptius exempla in notis subjicienda confirmabunt.

IV. Præterea et alia argumenta, quibus Leontius et antiquus alter Severianorum adversarius superiorem epistolam Julio indignam, et Apollinario seu ejus discipulo dignam censuerunt, in hanc prope omnia conveniunt. In fronte similis præfigitur inscriptio, *Domino meo desideratissimo*, etc. Immo cum ibi non addatur, ut in superiore, συλλειτουργῷ; hæc cum Romanorum præsulum more eo magis pugnat, quod ille Prosdocius nec episcopus, nec presbyter nominetur. Deinde pariter epistolæ hujus auctor, *mentione corporis facta, nusquam id mente præditum vel animatum* dicit. Ad hæc Athanasius Apollinarium refutans, nonnulla ipsius verba profert, quæ in hac epistola contineri aut certe his valde affinia esse ostendemus. De hac quoque id, quod anonymus de superiore, dicere licet, *Nec ipsa phrasis* (Julio) *convenit tamquam conversa e latino, cum sit nimis græca.*

V. In hoc scripto non solum exstat testimonium a concilio Ephesino laudatum; sed et aliud a Sirmondo notis in Facundi lib. 1. c. 5, exscriptum ex collectaneis Anastasii cujusdam presbyteri manu exaratis, quæ in bibliotheca collegii Parisiensis soc. Jesu asservantur. Quamquam in his collectaneis non tamquam ex epistola ad Prosdocium, sed velut « *ex epistola Julii ad Acacium* » citatur. Qua de varietate quid sentiendum sit, suo loco dicturi sumus. Quæ autem brevis hujus excerpti beneficio corrigere datum est, aliquod aliud exemplar, unde reliqua epistola emendetur, tanto magis desiderandum suadent, quanto nos de verbis hæretici catholicum se fingentis certiores esse decet, ut in quo sita sit illius simulatio, aut quatenus hæretica placita insinuet, facilius deprehendamus.

VI. Argumentum illud, quo Spiritus sancti deitas paulo operosius initio hujus scripti approbatur, indicio est illud non ante, quam Macedonius Spiritum sanctum Deum negare cœpit, adeoque post annum 360 elaboratum esse. Quemadmodum autem in Cappadocia et in ecclesiis Ponti Basilius et Gregorius, ita et in Syria Apollinarius Laodicenus, teste Sozomeno lib. vi. c. 22. Ecclesiæ de Spiritus sancti divinitate doctrinam acerrime tutabatur. Ex quo et robur accedit iis quæ de Epistolæ hujus auctore observavimus.

EPISTOLA BEATI JULII ROMÆ AD PROSDOCIUM (1).

Quid de Trinitate atque Incarnatione Domini sit sentiendum.

Domino meo desideratissimo Prosdocio Julius in Domino salutem.

Τῷ δεσπότῃ μου τῷ ποθεινοτάτῳ Προσδοκίῳ Ἰούλιος ἐν κυρίῳ χαίρειν.

I. Sententia (2) nostra secundum apostolicam traditionem hæc est : Patris et Filii et Spiritus sancti una est vera divinitas : una adoratio et glorificatio Filii ad Patrem in adoratione Spiritus sancti. Qui autem alteram inducit deitatem, anathema sit. Item si quis confessionem ac laudem addiderit aliam ab iis vocibus, quibus Seraphim canentes : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus* (*Isai.* VI, 3.), divinam Trinitatem laudarunt, sicut Joannes et Paulus (3) testan-

1. Τὸ φρόνημα ἡμῶν κατὰ τὴν ἀποστολικὴν παράδοσιν· πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος μία θεότης ἀληθινή. μία προσκύνησις καὶ δοξολογία υἱοῦ πρὸς πατέρα ἐν τῇ προσκυνήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος. ὁ δὲ θεότητα ἑτέραν ἐπεισάγων, ἀνάθεμα. καὶ ὁ προστιθεὶς ἑτέραν ὁμολογίαν παρὰ τὰς φωνὰς τῶν Σεραφείμ, τῶν ἁγίως,

(1) In archetypo, ut et in Ephesino concilio et apud Eulogium Alexandr. πρὸς Δόκιον, *ad Docium;* sed cum Facundo, Mario Mercatore aliisque antiquis Ephesini concilii latinis interpretibus legendum esse πρὸς Προσδόκιον ex subnexa salutatione liquet, quæ Προσδοκίῳ, non Δοκίῳ, in ipso etiam archetypo græco inscribitur.

(2) Leontius lib. contra fraudes Apollinaristarum, ipsius Apollinarii opera ex eorum initiis notans, unum memorat ab his verbis inchoatum, *Hæc sentimus de Incarnatione.* Ubi forte hanc epistolam indicare voluit.

(3) Hoc est, ad divinam Trinitatem referri voces

ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαὼθ, πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ, ἀνυμνούντων εἰς τὴν θεϊκὴν τριάδα, ὡς ὁ Ἰωάννης καὶ ὁ Παῦλος μαρτυροῦσιν. ὁ μὲν Ἰωάννης υἱοῦ δόξαν πεπληρωκέναι εἶπὼν τὸν προφήτην ὑμνηθεῖσαν· ὁ δὲ Παῦλος πνεύματος ἁγίου τὴν αὐτὴν δόξαν δηλῶν, ἐν τῷ λέγειν, ἁγίου πνεύματος εἶναι τὰς φωνὰς τὰς ἀληθεῖς, ἃς (forte τὰς) ὑπὸ τοῦ θεωρηθέντος καὶ δόξα σθέντος. ὅτι πνεύματος δόξα υἱοῦ δόξα, καὶ υἱοῦ δόξα καὶ πατρὸς δόξα· διὰ μία αὐσία τῆς τριάδος ὑπὸ τῶν συνόδων διὰ τῆς οἰκουμένης ἀναδοᾶται. πᾶς οὖν ὃς νις σχωρίζει τῆς τοῦ Θεοῦ μόνου οὐσίας τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα, ὡς ἐκ βουλῆς ὄντα καθάπερ καὶ ἡμεῖς, οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς,

Seraphim clamantium *Sanctus, etc.*, adeo ut cum Isaias his præmittit, *Vidi Dominum*, ibi Filium et Spiritum sanctum æque ac Patrem sibi visum esse significet. Totus ille locus verbis Ambrosii, lib. III, de Spiritu sancto, c. 21 et 22, apprime illustratur: « Sic, » inquit, « habet dicente Paulo, Bene locutus est Spiritus sanctus per Isaiam ad patres nostros, dicens, Vade ad plebem istam et dic, Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non adspicietis. » Ex quibus Pauli verbis a Luca probatis et relatis infert Ambrosius: « Spiritus ergo est qui misit Esaiam: si Spiritus misit, Spiritus est utique, quem mortuo Ozia rege vidit Esaias, quando dixit, Vidi Dominum Sabaoth sedentem » etc., quia videlicet eodem in capite ab eo, quem vidit, missus dicitur. Addit præterea Ambrosius cap. 22, græcum nomen δόξα latino *majestatis* vocabulo reddens. « Nunc unitatem majestatis et regni licet in Patre Filioque et sancto Spiritu cognoscere. Nam plerique dicunt Patrem Deum ab Esaia hoc tempore visum; Paulus Spiritum dixit, Lucas (in Actis) probavit; Joannes evangelista ad Filium retulit; sic enim scriptum est de Filio: Hæc locutus est Jesus... Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: « Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et corde intelligant, et sanabo eos. Hæc dicit Esaias, quando vidit majestatem ejus et locutus est de eo. » Quibus allatis sic ratiocinatur Ambrosius: « Ipsa verba dixit Joannes dixisse Esaiam, et majestatem ei Filii apparuisse; Paulus autem Spiritum hæc dixisse memoravit: unde igitur ista diversitas? Diversitas quidem verborum, non sensuum est... quia et Pater videtur in Filio qui dixit, Qui me videt, videt et Patrem; et Filius videtur in Spiritu, quia sicut nemo dicit Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto, ita non carnali oculo, sed spiritali gratia Christus videtur. » Apud Athanasium libro de Incarnatione contra Arianos, quem Apollinarii esse nonnulli volunt, n. 10, totius Trinitatis una divinitas eadem ratione probatur in hunc modum: « Pater et Filius et Spiritus sanctus Dominus Sabaoth est. Una enim est divinitas et unus Deus in tribus hypostasibus: ideoque quæ Pater dicit in Esaia, ea Joannes ait dixisse Filium, in Actibus autem Paulus ea dixisse Spiritum sanctum. »

(1) Ex proxima observatione planum est hic denotari verba Joannis, XII, 41: *Hæc dicit Esaias, quando vidit gloriam ejus*, scil. Christi, adeoque græce ἑωρακέναι aut τεθεωρηκέναι, pro πεπληρωκέναι, præferendum esse.

(2) Ad litteram: *In similitudine secundum ipsam.*

(3) Hic excluditur quidem hæresis, quæ nudam tantum Verbi in Christo operationem volebat, quasi *in eo*, ut Hilarius lib. X, de Trin. n. 50, loquitur, *Dei Verbum modo spiritus prophetalis inhabitaverit*; quamque Gregorius Naz. epist. ad Cledon. apud Baluzium nov. coll. concil. pag. 469, respuit his verbis: « Si quis ut in Propheta dicit secundum gratiam operatum esse, et non secundum substantiam conjunctum aut formatum, sit vacuus a meliori operatione; » adversus quam et Augustinus lib. de agone Christiano detur: Joannes quidem (*Joan.* XII, 41) ubi Filii gloriam ac majestatem, quæ seraphico hymno celebrata est, Prophetæ (1) visam esse dixit: Paulus vero ubi eamdem esse Spiritus sancti gloriam ac majestatem significat (*Act.* XXVIII, 25), Spiritus sancti veras esse docens voces illas, quas protulit is qui visus atque glorificatus est. Quia Spiritus gloria, gloria est Filii, et Filii gloria item Patris gloria est: idcirco una Trinitatis substantia a conciliis per orbem terræ prædicatur. Quicumque igitur a Dei unici substantia Filium separat et Spiritum, quasi ex voluntate sint quemadmodum et nos, ac non eadem e substantia, sed (2) ad ejusdem substantiæ similitudinem, anathema sit.

II. Prædicatur autem (*Ephes. concil. act.* I, *Cyrillus apolog. adv. Orient.*) ad plenitudinem fidei incarnatus esse de virgine Maria Dei Filius, et inhabitasse in hominibus, non in homine (3) operatus; hoc enim in prophetis juxta et apostolis locum habet. Perfectus Deus in carne et perfectus homo (4) in Spiritu, certat, ac demum concludit: « De cæteris sapientibus et spiritalibus animis recte dici potest, quod habeant in se Dei Verbum per quod facta sunt omnia; sed in nullo eorum recte dici potest quod Verbum caro factum est. » Eamdem autem hæresim Apollinarius epist. ad episcopos Diocæsareæ apud Leontium sub finem lib. cont. fraud. Apollin. ita repellit, ut et propriæ impietatis virus promat in hunc modum: « Confitemur non ad hominem sanctum venisse Verbum Dei quod erat in Prophetis, sed ipsum Verbum carnem factum esse, non assumpta mente humana, mente mutabili .... sed divina mente immutabili et cœlesti. »

(4) Vocabulum *Spiritus* non pro anima aut mente humana, sed more antiquis usitato, atque Apollinario ipsi, ut in epistolam superiorem num. 6, observatum est, familiari, pro divina natura hic usurpatur: eoque pacto si intelligatur hominis perfecti in Deo, ac vicissim Dei perfecti in homine inhabitatio conjunctioque mutua ac reciproca, nihil erit hic non catholicum, nihil non Apollinarii impietati adversum: quia nimirum, ut observat Augustinus ep. 87 ad Dardan. n. 4, *non est homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit.* Sed hæresis versipellis etiam sub verbis catholicis metuenda est perfidia. Nam et ab Epiphanio hær. 77, n. 25, didicimus, Vitalem Apollinarii discipulum sine cunctatione primo confessum esse: *Omnino perfectus homo Christus exstitit*; ac deinde interrogatum, num mentem accepisset, negasse: quia, inquit, *eatenus perfectum hominem fuisse dicimus, si divinitatem illi loco mentis adscribamus.* Quocirca Gregor. Naz. epist. 2, ad Cledon. de Apollinaristis tradit: « Ipsis perfectus homo, non qui omni ex parte res nostras excepto peccato expertus est, sed illud ex carne et Deo temperamentum esse statuitur. » Metuendum est igitur, ne etiam hic Christus *homo perfectus in spiritu*, hoc est deitate hominem perficiente, atque humanæ mentis vicem supplente, dicatur. Quippe Apollinarius loco in superiore nota citato ubi dixit: « Verbum carnem factum esse non assumpta mente humana, sed divina, » statim subjicit: « Quamobrem non corpus inanimatum, neque sensu et intelligentia vacuum habebat Salvator... Cum esset vere Filius Dei, factus est filius hominis ... Unde non alius erat filius Dei ante Abraham, alius vero post Abraham; sed unus unigenitus Dei, perfectus autem divina perfectione, et non humana. » Et alio in opere apud eumdem Leontium ibid. memorato rursum Apollinarius Gregorii Thaumaturgi nomine abusus de Christo asserit: « Est unus verus qui sine carne in carne apparuit, perfectus vera et divina perfectione, non duæ personæ, non duæ naturæ perfectæ per se, quia neque fas est dicere duos filios. » Quamvis igitur Apollina-

Digitized by Google

non duo filii, unus videlicet proprius filius qui assumpserit hominem, alter vero mortalis homo qui assumptus sit a Deo : sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus in terra. Deus in veritate, (1) homo ratione carnis, quam ad ipsius (Dei) similitudinem formavit, salvum faciens mundum, communicatione proprii Spiritus, qui per (2) inspirationem donatur. Qui ut homo in specie humana cœlestibus, terrestribus et infernis regnat, ab omnibus ut unus ac solus Dominus glorificatur in gloriam Patris (*Philip.* II, 10 *et* 11). Amen.

III. Si quis autem filium ex Maria natum dicat (3) hominem a Deo assumptum, unitasque personas duas; a divina spe alienum se sciat. Est enim Deus Verbum per quem omnia, sicut Joannes et Paulus docuerunt, non dicentes verbum assumpsisse Jesum ex Maria genitum, sed ipsum venisse in mundum (*f.* factum. *Gal.* IV, 4), natum ex muliere. Neque dixerunt eum qui de cœlo est, habitasse in homine de terra terreno (1 *Cor.* XV, 47), sed ipsum secundum Adam cœlestem esse : quandoquidem cœlestis est sermo qui carnem habet ex Maria, ac nos quidem, qui terreni vere sumus, per id quo cœlestis est, cœlestes secundum similitudinem (3) facit. Vocati enim sumus in communionem Filii Dei (*Heb.* II, 14), qui et ipse communem sibi fecit mortem nostram et homini debitam crucem, cum esset Dominus gloriæ; non detentus a morte quemadmodum quivis homo, sed ipsam destruens mortem, ac lucem et vitam et incorruptionem propriamque victoriam nobis impertiens.

4. Quapropter anathema sit (5), quibus filium ex Maria ejusque discipuli Christum non solum filium Dei, sed et filium hominis ac perfectum hominem fateantur, non propterea tamen errorem proprium deposuisse continuo existimandi sunt. Hunc autem locum merito suspectum habeas propter sequentia, ne forte Christus *perfectus Deus et perfectus homo* ea ratione hic dicatur, quam Athanasius lib. I, contra Apollin. n. 16, impietatis notat, qua nimirum *divina perfectio in humanam perfectionem mutata sit*. Ad hæc et Cyrillum Alexandr. lib. de recta fide n. 16, pag. 15, legisse juverit.

(1) Si quæratur qua ratione Christus *vere homo* dici, atque Apollinariana doctrina retineri queat, Apollinarius et qui cum eo sunt, de Incarnatione quid sentiant aperientes apud Leontium libro sæpe citato respondent : « Carnem homousion nostræ carni assumpsit ex Maria Verbum Dei vivens in unionem cum divinitate ex principio conceptionis in Virgine, atque ita factus est homo : quoniam caro et spiritus est homo, secundum Apostolum. Et hoc est Verbum carnem factum esse, unitum esse carni ut humanus spiritus (*hoc est ad instar humani spiritus*) vocatur enim homo similis nobis caro, Dominus autem est supra nos homo. Quamobrem et cœlestis est propter proprium spiritum cœlestem ... et nos facti participes hujus operis (*quo Christus peccatum et mortem destruxit*), fide salvamur, et cum simus ex patre terreno, efficimur similes cœlesti. » Hoc est, ut aliquis sit homo, Apostolus tantum exigit ut sit caro et spiritus. Atqui in Christo est caro et spiritus : et ideo ille vere est homo. In eo quidem spiritus non est humanus, sed divinus : et idcirco quamvis similis nobis, supra nos est homo. Christus autem, ut Deus Verbum per quem omnia, carnem, quam assumpsit, dicitur formasse ad similitudinem suam secundum illud Gen. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

ὡς ἐν ὁμοιώματι κατὰ τὴν αὐτὴν, ἔστω ἀνάθεμα

II. Κηρύσσεται δὲ εἰς συμπλήρωσιν τῆς πίστεως καὶ σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου Μαρίας ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς καὶ σκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ ἐνεργήσας τοῦτο γὰρ ἐπὶ προφητῶν ἐστι καὶ ἀποστόλων. τέλειος θεὸς ἐν σαρκὶ καὶ τέλειος ἄνθρωπος ἐν πνεύματι, οὐ δύο υἱοί, εἷς μὲν γνήσιος υἱὸς ἀναλαβὼν ἄνθρωπον, ἕτερος δὲ θνητὸς ἄνθρωπος ἀναληφθεὶς ὑπὸ θεοῦ. ἀλλ' εἷς μονογενὴς ἐν οὐρανῷ, μορνογενὴς ἐπὶ γῆς. Θεὸς ἐν ἀληθείᾳ, ἄνθρωπος τῇ σαρκικῇ μορφώσει καθ' ὁμοίωσιν ἑαυτοῦ, σώζων κόσμον κατὰ μετάληψιν τοῦ ἰδίου Πνεύματος, ὃ δωρεῖται ὑι' ἐμφυσήσεως. ὡς ἄνθρωπος ἐν σχήματι ἀνθρωπίνῳ βασιλεύων ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, ὑπὸ πάντων ὡς εἷς καὶ μόνος κύριος δοξαζόμενος εἰς δόξαν τοῦ Πατρὸς, ἀμήν.

III. Εἰ δέ τις ἄνθρωπον ὑπὸ θεοῦ προσληφθέντα λέγει τὸν ἐκ Μαρίας υἱὸν, καὶ δύο πρόσωπα ἐνωθέντα, γινωσκέτω τῆς θείας ἐλπίδος ἀλλότριος ὤν. ὁ γὰρ θεὸς λόγος δι' οὗ τὰ πάντα, ὡς Ἰωάννης καὶ Παῦλος ἐδίδαξαν, οὐ τὸν λόγον ἀνειληφέναι Ἰησοῦν τὸν ἐκ Μαρίας τιχθέντα, ἀλλ' αὐτὸν εἰ. θεῖν εἰς τὸν κόσμον γεννώμενον (forte γενόμενον) ἐκ γυναικός. οὐδὲ κατωκηκέναι τὸν ἐξ οὐρανοῦ ἐν ἀνθρώπῳ τῷ ἐκ γῆς χοϊκῷ, ἀλλ' αὐτὸν τὸν δεύτερον Ἀδὰμ ἐπουράνιον εἶναι. ὅτε ἐπουράνιός ἐστιν ὁ λόγος ὁ τὴν σάρκα ἔχων ἐκ Μαρίας, καὶ ἡμᾶς δὲ διὰ τοῦ ἐπουρανίου ἐπουρανίους καθ' ὁμοίωσιν ποιῶν ὄντως χοϊκούς. ἐλήλυθεμεν γὰρ εἰς κοινωνίαν υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ὃς ἐκοινώνησεν ἡμῖν καὶ τοῦ θανάτου καὶ ὀφειλομένου ἀνθρώπῳ σταυροῦ, κύριος ὢν τῆς δόξης, οὐ κρατούμενος ὑπὸ θανατου ὡς πᾶς ἄνθρωπος. ἀλλὰ καταργῶν τὸν θάνατον, καὶ φῶς καὶ ζωὴν καὶ ὀφθαρσίαν καὶ τὴν ἰδίαν ἡμῖν νικὴν διδούς.

IV. Ὥστε καὶ ἀνάθεμα ἔστω πᾶς, ὃς τὸν ἐκ Μαρίας υἱὸν

(2) Respicit vel ad hoc Gen. II, 7 : *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* ; vel ad illud Joan. XX, 22 : *Insufflavit et dixit eis, accipite Spiritum sanctum*, vel ad utrumque. Hinc in memorato libro de Incarnatione apud Athanasium n. 19, observatur, Spiritum sanctum *insufflationem Dei* (ἐμφύσημα τοῦ θεοῦ) in Scriptura nonnumquam appellari.

(3) Si homo, quem Deus assumpsit, prius exstitisse intelligatur, quam assumeretur, recte homo a Deo sic assumptus negatur. Sed cavendus hic reconditus sensus Apollinaristarum, qui Deum ex Maria natum sic dici volebant, ut eumdem hominem natum negarent. Eorum magistro Apollinario id profitenti, *Nos Deum dicimus eum qui ex Maria natus est*, Athanasius lib. I, contra ipsum n. 20, hanc opponit Ecclesiæ doctrinam : Dei Ecclesia neque ita accepit, neque ita tradidit, sed, ut scriptum est, Deum Verbum, qui erat apud Deum ante sæcula, in consummatione sæculorum advenisse, atque ex Maria et Spiritu sancto natum esse filium hominis. » Quam doctrinam non capientes prædicti hæretici, hoc de Catholicis, uti narrat Athanasius, lib. II, n. 4, calumniose divulgabant : *Isti dicunt Christum esse hominem, qui Deus factus est*, atque ipsi eumdem Christum dicere non desistebant *Deum ex Virgine natum, et non Deum et hominem*. Et vere ex eo, quod carnem ex Maria sine anima vel mente humana a Verbo assumpta sentiebant, consequens erat, ut Filium ex Maria natum *hominem a Deo assumptum* dici non permitterent, ut pote cum caro sine anima vel mente humana non sit homo.

(4) Recolendum quod ex verbis Apollinarii jam, col. præc., not. 1, retulimus, *cum simus ex patre terreno, efficimur similes cœlesti*, ut ex verborum ac sententiarum cognatione, genuinus hujus epistolæ scriptor magis ac magis dignoscatur.

(5) In Anastasii presbyteri collectaneis manu exaratis, quæ in bibliotheca collegii Paris. soc. Jesu asservantur, c. 38, exhibetur hic anathematismus tan-

Digitized by Google

οὐχ ὁμολογεῖ Θεὸν Λόγον ἔνσαρκον, ὁμοούσιον τῷ πατρί, καὶ ἐξ ἀρχῆς ὄντα, ἄτρεπτον δὲ ἐν τῇ σαρκώσει καὶ ἀπαθῆ ἐν τοῖς πάθεσιν. ὁμοίως ἀνάθεμα ἔστω καὶ ὁ τὴν σάρκα τοῦ σωτῆρος μὴ λέγων ἐκ Μαρίας, ἀλλ' ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἄκτιστον φύσει τὴν κτίσιν καὶ ἐξ οὐκ ὄντων. τῇ δὲ πρὸς τὸν ἄκτιστον Θεὸν ἑνώσει ὁ λέγων Θεϊκὸν τὸ σῶμα, καὶ προσκυνοῦν κατὰ τὸ συναμφότερον ὡς ἕνα ἄκτιστον Θεὸν, μακάριος ἔστω. μὴ σκανδαλισθῆς ἐπὶ τῇ σαρκὶ καὶ τοῖς πάθεσιν αὐτοῦ· ἀλλ' αὐτὸν ἀσωμάτως προσκύνει τὸν μετὰ τοῦ ἰδίου σώματος προσκυνούμενον, ὡς ἕνα καὶ μόνον υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐξ αἰῶνος καὶ εἰς αἰῶνας· ὁμολογεῖν δὲ μεμαθήκαμεν καὶ τὴν δευτέραν αὐτοῦ παρουσίαν, ἐν ᾗ (leg. τῇ) διδασκαλίᾳ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος. Ἀμήν.

quam Ἰουλίου ἐπισκόπου ἐκ τῆς πρὸς Ἀκάκιον ἐπιστολῆς. Nec repugnat hujusmodi sententiam in duabus epistolis eodem nomine conflictis, repeti. Leontius quippe lib. de sectis act. 8, septem Apollinarii epistolas Julii nomine inscriptas vidisse se testatur. Cæterum in collectaneis illis castigatior est is locus, quam Anglicano in codice, ubi sic effertur: Πᾶς ὁ τὸν ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον οὐχ ὁμολογῶν εἶναι ἔνσαρκον Θεὸν... ἐξ ἀρχῆς ὄντα θεὸν, ἄτρεπτον ἐν τῇ, etc., qua lectione admissa, manifesta esset pugna verborum cum superioribus; adeo ut is, qui ante anathema dixerat filium Mariæ hominem natum profitenti, ipse nunc filium Mariæ hominem natum confiteretur. Sed jam tollitur hæc pugna, constanterque doctrina tenetur Apollinarii, qua ille Θεὸν ἔνσαρκον, hoc est incarnatum Deum, sic admittit, ut eumdem simul et *ἐνανθρωπήσαντα*, hoc est proprie *inhumanatum*, cum Nicæno concilio nolit fateri. Uno Verbo carnem a Deo susceptam esse vult, non hominem.

(1) Athanasius, ubi Apollinarium lib. 1, contra ipsum n. 9, sic loquentem induxit: « Certe nos eum, qui ex Maria natus est, consubstantialem Patri dicimus, » statim subjicit: « Porro hæc vestra, quam præclaram existimatis, loquendi ratio, aut superflua, aut stulta comprobabitur; » simulque stultam probat, ac sub catholicis verbis hæresim latere docet; quia, inquit, *carnem divinitati consubstantialem dicere audetis.* Non omnium quidem Apollinarii asseclarum erat hæc impietas: sed eam nominatim a Timotheo variis artibus defendi Valentinus Apollinarii discipulus apud Leontium, lib. cont. fraud. Apollin. prodit simul ac refutat his verbis: « Non enim fieri potest, ut fiat corpus consubstantiale Deo incorporeo propter unionem, sicut insane et impie Timotheus et Polemius eorumque asseclæ variis modis et artificiis dicunt. » In hoc autem Timothei ac sociorum impietas erat, quod cum Catholici eum, qui ex Maria natus est, consubstantialem esse Deo credant secundum naturam Verbi, ipsi volebant *natura quidem consubstantialem esse nobis carnem* (Christi) *unione vero esse divinam;* idéoque communes ei esse deitatis proprietates, et eamdem carnem *per unionem habere differentiam* a nostra. Quocirca cum idem Timotheus Homonium episcopum Apollinarii condiscipulum scripsisse audisset: « Si quis autem carnem unitam Domino quacumque ratione et modo homousion Deo esse dicit, anathema sit, » se ipse peti sentiens, ab eo apud Leontium libro citato quærit: « An nos in hoc loco accusasti tanquam hæresim amplexos, et prædicatorem pietatis cum ipsa pietate anathematizasti? »

(2) Timotheus, magistro suo auctore, apud Leontium loco citato dicit, *Recte* A PRINCIPIO *dicitur Christus secundum corpus*, falso scilicet hoc dogmate nixus, quod per unitionem, Verbi proprietates ipsi etiam carni factæ fuerint communes.

(3) Apollinarius apud Leontium libro citato scribit: « Anathema sit qui non dicit carnem ex Maria, et qui dicit eam carnem esse naturæ non creatæ. » Sed ut eadem caro, quam *naturæ creatæ* fatetur, increata dicenda sit, hoc pacto confici putat: « Si verbum caro nominatum est propter unionem, sequitur

A Maria natum non confitetur incarnatum Deum Verbum (1), consubstantialem Patri, et (2) a principio existentem, immutabilem in Incarnatione, et in passionibus impatibilem. Similiter anathema sit (3) et qui carnem Salvatoris non ex Maria, sed e cœlo dicit; aut eum, qui increatus est natura, rem creatam et ex non exstantibus asserit. Qui autem propter unitionem cum increato Deo divinum corpus prædicat, et secundum compositionem qua simul utrumque est, tanquam unum increatum Deum (4) adorat, beatus erit. Ne offensioni tibi sint caro et passiones ejus, sed eum qui una cum proprio corpore adoratur, incorporeo (5) modo adora, ut unum ac solum

ut caro etiam nominetur Verbum propter unionem: ut autem Verbum, sic increata; non quia non fuerit creata, sed quia ex unione ostensa est Verbum. » Et
B Timotheus in prædicto Leontii opere hæc Apollinarii verba laudat: « Separatim non licet dicere corpus Christi creatum, cum sit inseparabile necessario ab eo cujus corpus est; communicatur tamen cum eo nomen increati et nomen Dei, quia copulatum est cum Deo in unitatem. » Quocirca Athanasius Apollinarium, lib. 1, contra ipsum, n. 4, sic alloquitur: « Sed dicitis increatam factam esse (*Christi carnem*) quod unita sit cum increato. » Verum hæc opinio quam absurda sit, eposie ibidem ostendit Athanasius, ex quo illud referre satisfuerit: « Cui cum increato communitas est, aut quod ei unitur, illud quidem increati proprium, non tamen ipsum increatum dicitur. » Hinc refutatur quod Apollinarius apud Leontium docet: « Neque carnem Salvatoris e cœlo esse dicimus, neque consubstantialem Deo, quatenus est caro et non Deus; sed Deum (*dicimus*) quatenus unita est divinitati in unam personam. » Caro enim divinitati sic
C unita, ex superiori Athanasii sententia non *Deus*, sed *Dei* dicenda est. Ita et ex eadem sententia sequitur, ut corpus Christi Verbo unitum *divinum corpus* dicatur, non quia, ut Apollinariani putant, Deus sit, sed quia Dei.

(4) Immo potius, secundum proximam observationem, *tanquam increati Dei.* Hic apertius quam usquam, se Apollinaristam prodit epistolæ hujus architectus. Hæreticis illis pariter Christi corpus unitione increatum Deum factum dicentibus, idque subinde prætexentibus ac dictitantibus, *nos creatam rem non adoramus*, Athanasius lib. 1, cont. Apollin, n. 6, apposite respondet: « O stulti, cur non cogitatis corpori Domini, etiamsi facto, eam deberi adorationem, quæ rei creatæ non competat. Increati enim Verbi corpus factum est, adeoque ipsi, cujus corpus factum est, vestram defertis adorationem. Debitus ergo ei cultus redditur cum adoratur, ac divina adoratione colitur: quia Deus est Verbum cujus corpus est proprium. » Hæc cum Ecclesia sentiens, nec duos in
D Christo filios admittit, nec cum sacrum ejus corpus adorat, ut hominis cultor habendus est. Quamobrem Athanasius in fine lib. 1, contra Apollinarium, n. 21, ejus asseclas calumniæ duplicis arguit, quod Catholicos, et ut duorum in Christo filiorum assertores, et ut anthropolatras infament. Eamdem calumniam instaurarunt nostræ ætatis novatores idololatriæ nobis notam inurentes, cum oblato crucis signo Crucifixum adoramus, aut cum sanctos ut Dei famulos veneramur.

(5) Suspicio est Christum hic *incorporeo modo* adorandum dici, quomodo eum *increato modo* in terris versatum esse Apollinaristæ volebant, contra quos Athanasius, lib. 1, n. 6: *Qua ergo ratione*, inquit, *mortuus est Dominus, si increatus increato modo advenerit in terram.* Illi nimirum quid personæ, quid naturæ Christi congruat, distinguere dum nesciunt, stupendam inducunt in Christi proprietatibus confusionem, atque, ut notat Athanasius, lib. 1, n. 2, *inter-*

Digitized by Google

Filium Dei a sæculo et in sæcula. Præterea secundum ejus adventum confiteri e doctrina sacri baptismatis didicimus. Amen.

SUPERIORIS EPISTOLÆ NUM. 2, VERBA EX INTERPRETATIONE ANTIQUA CONCILII EPHESINI APUD BALUZIUM NOV. COLL. CONCIL., T. I, P. 467.

Julii sanctissimi episcopi Romæ de epistola ad Prosdocium.

Prædicatur autem, ad plenitudinem fidei, et incarnatus de virgine Maria Dei Filius, et inhabitasse in hominibus, non in homine operatus; hoc enim in Prophetis et apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii. Unus quidem proprie filius assumens hominem, alter autem mortalis assumptus a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus in terra Deus.

EADEM VERBA EX INTERPRETATIONE MARII MERCATORIS APUD EUMDEM BALUZIUM, IBID. PAG. 613.

Julii sanctissimi episcopi Romæ epistola ad Prosdocium.

Prædicatur autem ad consummationem fidei et incarnatus ex virgine Maria Dei filius : qui habitavit in hominibus, non in homine operatus; hoc enim de Prophetis est et Apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii, unus quidem naturalis filius qui assumpsit hominem, alter vero homo mortalis assumptus a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus in terra Deus.

EADEM VERBA EX FACUNDO, LIB. I, CAP. 5, PAG. 40.

Julii sanctissimi episcopi Romani ex epistola ad Prosdocium.

Prædicatur vero ad supplementum fidei et incarnatus ex Maria virgine filius, et habitans in hominibus, non in homine operatus; hoc enim in Prophetis fuerat et Apostolis. Perfectus Deus in carne et homo perfectus in spiritu non duo filii, unus quidem proprius filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo; sed unus unigenitus in cœlo, unigenitus Deus in terra.

CENSURA FRAGMENTI SEQUENTIS.

I. *Hoc fragmentum nobis asservavit Ephræmius Antiochenus apud Photium, cod.* 229, *ubi absona prorsus habetur ejus interpretatio latina. Idem in vulgato Leontii libro primo contra Nestorium et Eutychen ita laudatur :* S. Julii episcopi Romani. Hanc auctoritatem Cyrillus produxit in synodo Ephesina. *Nusquam tamen in toto Ephesino concilio comperat. Neque illud ibi Facundus vidit : nam licet Acephali, Leontio ipso, lib. de Sectis act.* 8, *teste, pseudepistolam Julii ad Dionysium* synodo Ephesinæ insertam *asserant; atque, uti Facundus, lib.* 1, *c.* 5, *tradit,* in assertionem vanissimi sui erroris dicant Julium Romanum nescio ubi rescripsisse quod una sit Christi natura; *eos inde mendacii convincit idem Facundus,* quod in eadem sancta synodo Ephesina hoc solum ipsius Julii contra Nestorium recitatum fuerit ex epistola ad Prosdocium, prædicatur. *Quo testimonio descripto addit :* Non aliud præter hanc ad Prosdocium epistolam ex dictis B. Julii in illa synodo prolatum est, si qua forsitan alia scripsit, neque ex hac epistola aliquid amplius. *Hinc suspicio nobis non deest, Leontii librum contra Nestorium et Eutychen non ejusdem esse, cujus sunt libri de sectis et contra fraudes Apollinaristarum. Is sane accuratior erat, quam ut auctoritatem, de qua nullus in Ephesina synodo sermo est, ibi prolatam esse scriberet, maxime cum libro de sectis, act.* 8, *Julii nomine solum in hoc concilio citatam esse memoret epistolam ad Prosdocium. Idem quoque oculatior erat et secernendis Apollinaristarum scriptis assuetior, quam ut testimonium infesti duarum Christi naturarum hostis, qui carnis Verbo unitæ consubstantialitatem cum Deo data opera propugnat, pro indubitata orthodoxi papæ auctoritate poneret, adeo ut illud cum aliis prolaturus, hoc prælo-qui non dubitaret* : Non produximus auctoritatem ambiguam, aut quæ dupliciter accipi possit, nec ignobiles Patres testes citavimus; sed potius clarissimos et C qui fuerunt splendidissima orbis lumina ad dicendum testimonium vocavimus, produximusque testimonia manifestissima et minime dubia. *Sed de sinceritate tituli, quo liber contra Nestorium et Eutychen Leontio adscribitur, hanc dubitandi causam proposuisse contenti, eam aliis penitius excutiendam permittimus. Interim opus illud, ex quo subnexum fragmentum decerptum est, vel ex titulo ei indito nobis constat fuisse putidi alicujus Apollinaris discipuli (quales erant Polemius et Timotheus), qui carnem Christi post unitionem Deo consubstantialem esse contendebat; quem errorem Valentinus aliique etiam Apollinario addicti asseclæ detestabantur. Ephræmius quidem Antiochenus ex hoc fragmento perspicuum esse putat,* quomodo S. Julius duas naturas fateatur; *indeque compertum haberi debere censet* D *eumdem papam in superiori epistola ad Dionysium* unam naturam pro hypostasi accepisse. *At utrobique, nostro judicio, eadem hæresis se prodit, quæ et unam in Christo naturam post unitionem comminiscitur, et eos mendacii arguit, qui duas credunt.*

FRAGMENTA SCRIPTORUM JULII

S. JULII EPISCOPI ROMANI IN SERMONE DE HOMOUSIO.

Ἰουλίου ἐπισκόπου Ῥώμης ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ὁμοουσίου.

Unde necesse est et corporeum de toto et divinum de toto dici. Et qui non potest in unitis differentibus cognoscere quid proprium utriusque sit, in absonas

Ὅθεν δὲ ἀνάγκης καὶ τὸ σωματικὸν καθ' ὅλου, καὶ τὸ θεϊκὸν καθ' ὅλου λέγεσθαι. καὶ ὃ μὴ δυνάμενος ἐν τοῖς ἡνωμένοις διαφόροις εἰδέναι τί τὸ ἴδιον ἑκατέρου, ἐν ἀντιῤῥήσεσιν ἀσυμ-

dum increatum cœlestemque Christi carnem, aliquando deitati aiunt esse consubstantialem, ac multa alia comminiscuntur absurda, quorum pudore sententiam vel mutare, vel vocibus specie catholicis obtegere sæpe coacti sunt. Catholicus autem personam Christi naturamque distinguens, dum non alium filium homi-

nis, alium Filium Dei, sic credit, ut aliam Verbi, aliam carnis sentiat naturam, recte affirmat filium hominis, etiam cum in terra est, esse in cœlo, ac negat naturam carnis aut cœlestem, aut increatam, aut Patri consubstantialem, sicut et negat naturam Verbi tristitia, dolore ac morte affectam.

Digitized by Google

φύσεις περιποιεῖται. Ἡ δὲ καὶ τὰ ἴδια γινώσκων, καὶ τὴν ἕνωσιν φυλάττων, οὔτε τὰς φύσεις ψεύδεται, οὔτε τὴν ἕνωσιν ἀγνοήσειεν.

FRAGMENTUM II (1).

Julius Romæ patriarcha in epistola V, ita scribit de unione divinitatis Christi cum ejus humanitate.

Cum ipse Deus appellatur, nemo humanitatem ejus, quæ cum divinitate conjuncta est, inficietur : cum vero humanitatis suæ nomine appellatur ob corpus quod assumpsit, nemo dignitatem ac dominium ejus vocet in dubium. Post unionem nemo illum (2) dividat tanquam duarum naturarum principium (*cod. Reg.* dividat in duas naturas). Ut enim homo constans ex duabus perfectis partibus natura distinctis (*cod. Reg.* ex duabus rebus singulis quæ natura diversæ sunt), anima (3) scilicet et corpore, post unionem tamen est unius naturæ, et uno nomine designatur. Cum vocatur corporeus, non ab eo anima excluditur : ut cum vocatur animatus, seu spiritalis, non ab eo corpus excluditur.

FRAGMENTUM III (4).

Sanctus Julius.

Non invenitur in sacris litteris distinctionem fieri inter Verbum Filium et corpus quod Christus assumpsit : sed ipse est una natura, una persona, suppositum unum, totus Deus (5) et totus homo, et ipse est qui operatur.

(1) Fragmentum illud, quod latinitate donatum Eusebius Renaudotius pro summo suo ad litteras juvandas studio nobiscum communicavit, erutum est cum *ex tractatu Arabico Isa filii Zaraa apologetico sententiæ Jacobitarum seu Monophysitarum circa incarnati Verbi mysterium*, tum ex codice Regio 432, item Arabico, in quo varia patrum testimonia in ejusdem opinionis gratiam proferuntur. Isa vero anno Christi 1007, obiit. Nec mirum est epistolam, unde excerptum est, vocari *quintam* ; cum Leontius offendisse se dicat septem Julio papæ ab Apollinarii asseclis adscriptas.

(2) In Christo non dividendum, sed distinguendum quod unitum est. Unitis enim naturis remanent proprietates suæ, quibus distinguuntur. Sed quia naturæ illæ in unam conveniunt Verbi personam, ex illa unitione conficitur, ut non una Christi natura, sed una persona sit, cui singularum naturarum proprietates tribuuntur.

(3) Anima et corpus censeri nequeunt ut duæ naturæ perfectæ et integræ, si considerentur sic a Deo institutæ et aptatæ, ut simul conjungantur. Quod de Verbo dici nequit et homine assumpto. Deinde ex anima et corpore aliquid perfectius existit, quam ex corpore solo aut anima sola : Verbo autem hominem assumenti nihil perfectionis accessit. Neque vero Catholici utuntur hominis similitudine, ut naturas in Christo duas negent, sed ut personæ explicent unitatem.

(4) Istud fragmentum in solo codice Regio 432, separatim ab antecedente laudatum reperitur.

(5) Recte a sanctis patribus Christus *totus Deus et totus homo* prædicatur, uti superius pag. 63, not. 1, ex verbis Leonis epist. 115, ad Palæstinos num. 6. Augustini Serm. 293, num. 7, necnon Hilarii lib. x, de Trin. n. 28. Sed quod in hoc fragmento præmittitur, *una natura*, hic sub verbis catholicis latere indicat doctrinam Apollinarianam, quæ ipsam carnem in Christo post unitionem Deum evasisse censet. A repugnantias incidet. Qui vero propria cognoscit, et unionem servat, neque naturas mentietur, nec unionem ignorabit.

OBSERVATIO.

Liturgia sacra Julii nomine a Jacobitis recepta.

Ex his fragmentis aliisque epistolæ ad Dionysium, quæ in Jacobitarum Doctorum scriptis sæpe laudantur, liquet quanta veneratione exciperetur ab hac secta, quidquid Julii papæ nomen præ se ferret. Ad eos autem ab Apollinario ejusque asseclis manasse videtur hæc veneratio. Cum enim Apollinarius esse acrem Arianorum hostem, eaque in re laudabilem præberet ; haud dubie pergrata ei fuit Julii epistola, in qua tam sapienter impugnantur iidem hæretici, tamque invicte confutantur. At cujus in Ariana doctrina impugnanda consensu gaudebat, eumdem in ea propugnanda, quam excogitavit, secum ostendere nequiit consentientem, nisi ejus nomine propria ipsius scripta inscriberentur. Hoc saltem a discipulis ejus præstitum esse superius in epistolam ad Dionysium probavimus. Tanti nominis, ut et cæterorum Patrum, quibus Apollinaristæ similia scripta supposuerunt, auctorite seductus Eutyches, ab unius naturæ defensione dimoveri non potuit. Iisdem quoque testimoniis decepti Jacobitæ, seu Monophysitæ, quamvis in cæteris detestentur Eutychen, in unius naturæ tuendo dogmate non minus pervicaces extiterunt. Horum porro erga Julium papam observantia eo etiam manifesta est, quod ipsius quoque nomine insignitam habeant sacram liturgiam, cujus editionem parat Euseb. Renaudotius, pluribus hujusmodi liturgiis jam in lucem emissis et illustratis de Ecclesia bene meritus.

CENSURA

EPISTOLARUM CYRILLI AD JULIUM ET JULII AD CYRILLUM DE DIE NATALI DOMINI.

I. Franciscus Combefisius Joannis Nicæni, qui circa sæculi x exitum florebat, epistolam de Nativitate Domini edidit ex codice Regio olim 696, nunc 2428, pag. 149, descriptam, in qua Cyrilli ad Julium epistola sic laudatur : « Scripsit aliquando Cyrillus, non is qui epistolam ad Constantinum (*leg.* Constantium), sed qui post ipsum in ejus sede successit, ad Julium Romanum episcopum. » Tum is Joannes ex eadem epistola probare volens, quomodo ut Natale Domini 25 decembris die celebraretur, constitutum fuerit, istud ex ea profert.

Quamquam hujus doctrinæ sectatores, quem *totum Deum* ultro prædicant, pariter *totum hominem* dicere reformidant atque refugiunt. Hoc enim ignorant ac respuunt discrimen, quod Ferrandus diac. epist. ad Sever. ut omnis vitetur ambiguitas, inter *totus* ac *totum* posuit, ubi dixit : *Totus Christus apud inferos fuit secundum animam rationalem, sed non totum*, etc. Ab his autem verbis, *totus Deus et totus homo*, sublata particula et, quæ sæpe apud Arabes nihil adjicere dicitur sensui verborum quibus inscribitur, mera restabit doctrina Timothei, Polemii aliorumque Apollinaristarum, qui totum hominem post unitionem totum Deum evasisse sentiunt ; adeo ut non sint amplius duæ naturæ, sed una divina.

Digitized by Google

CYRILLI VERBA A JOANNE NICÆNO RELATA.

« Magnus labor ac dispendium magnis ac præclaris festivitatibus contingit, quod una die celebrantur. Nam ambarum festivitatum lectiones et ordo (officii) imperfecta manent, eo quod nativitas et baptisma Domini (simul) celebrari nequeant. Quoniam itaque non possumus in una die (in Bethleem, et) in locum baptismatis occurrere; si quidem Bethleem tribus millibus ad meridiem ab Jerusalem distat, et Jordanis quindecim millibus ad Orientem, jubeat sanctitas tua omnia Judæorum commentaria investigari, quæ prædatus Cæsar Titus Romam Jerosolymis avexit. Fortassis certo reperies diem nativitatis Christi et Dei nostri. »

A Μέγας κόπος καὶ στέρησις γίνεται εἰς τὰς μεγάλας καὶ λαμπρὰς ἑορτάς, ὅτι τελοῦνται ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ. καὶ τὰ ἀναγνώσματα, καὶ ἡ ἀκολουθία ἀπομένουσιν ἡμιτελῆ τῶν δύο ἑορτῶν, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὴν γέννησιν καὶ τὸ βάπτισμα ἐκ τελέσαι τοῦ Κυρίου. ὡς δὴ οὐ δυνάμεθα ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀπαντῆσαι εἰς τόπον τοῦ βαπτίσματος· ἐπεὶ ἡ Βηθλεὲμ τρία μίλια ἀπέχει ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ κατὰ νότον, καὶ ὁ Ἰορδάνης ιέ μίλια ἀπέχει κατὰ ἀνατολάς· προστάξατω οὖν ἡ ἁγιωσύνη σου ἐρευνῆσαι πάντα τὰ συγγράμματα τῶν Ἰουδαίων, ἃ τινα σκυλεύσας ὁ Καίσαρ Τίτος ἀπήγαγεν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ῥώμην· ἴσως εὕροις βεβαίως τὴν ἡμέραν τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν.

II. Alius autem scriptor, cujus opus Ἀναγκαία διήγησις, « Necessaria narratio, » inscribitur, in memorato codice Regio 2428, pag. 120, asservatum, idem fragmentum (1) aliter citat in hunc modum : « Scripsit autem ea de re patriarcha Jerosolymitanus Juvenalis ad Julium patriarcham Romanum : » illudque deinde sic refert, ut non tantum verbis, sed et rebus a Joanne Nicæno dissentiat. Ita porro ab illo exhibetur.

B

EADEM EX ANONYMI RELATIONE.

Non possum una die conferre me ad Bethleem, et ad Jordanem. Etenim Jordanis distat ab urbe Jerusalem ad Orientem millibus 25, sancta vero Bethleem ad Austrum civitatis millibus sex; nec possum una die ambo festa peragere. Rogo itaque sanctitatem tuam, pater, ut scruteris commentaria et accurata inquisitione facta, tuo scripto, venerande, nobis notum facias qua die natus sit Christus Dominus, et qua die baptizatus fuerit. Probe enim scimus commentarios ab initio Jerosolymis Romam delatos fuisse per Titum et Vespasianum.

Οὐ δύναμαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀπαντῆσαι εἰς Βηθλεέμ, καὶ εἰς τὸν Ἰορδάνην. καὶ γὰρ Ἰορδάνης ἀπέχει τῆς πόλεως Ἱερουσαλὴμ κατὰ ἀνατολὰς μίλια κέ, ἡ δὲ ἁγία Βηθλεὲμ κατὰ νότον τῆς πόλεως μίλια ἓξ· καὶ οὐ δύναμαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὰς δύο ἑορτὰς ἀποτελεῖν· παρακαλῶ οὖν νὴν σὴν ὁσιότητα, πατέρ, ἵνα ἐρευνήσῃς τὰ ὑπομνήματα, ἃ καὶ δώσῃς ἡμῖν ἐν ἀκριβεῖ ἐρεύνῃ διὰ γραφῆς σου, τίμιε, τὴν περὶ τούτων εἴδησιν, ἐν ποίᾳ ἡμέρᾳ ἐτέχθη Χριστὸς ὁ Κύριος, καὶ ἐν ποίᾳ ἡμέρᾳ ἐβαπτίσθη. ὡς γὰρ ἀκριβῶς ἔγνωμεν, ὅτι τὰ ἔξαρχῆς ὑπομνήματα ἐξ Ἱεροσολύμων εἰς τὴν Ῥώμην ἤχθησαν ὑπὸ Τίτου καὶ Οὐεσπασιανοῦ.

C

III. Verum advertit quisque, duos illos scriptores et verbis et rebus inter se dissentire. Deinde ut observavit sodalis noster, qui novissimam Cyrilli Jerosolymitani editionem adornavit, manifesta est anonymi hujus scriptoris hallucinatio : cum a Julii ævo Juvenalis centum prope annis distet. Nec melius cum hujus papæ temporibus componi potest Cyrillus ille, cui Joannes Nicænus idem scriptum attribuit. Cyrillo enim qui ad Constantium scripsit, hoc est celebris illius epistolæ de cruce, quæ Jerosolymis in Pentecoste visa est, scriptori nullus excogitari potest successisse, qui Julio superstite Jerosolymitanam sedem obtinuerit. Epiphanius quidem hær. 66, n. 20, inter Jerosolymitanos antistites, duos recenset Cyrillos, unum Maximi successorem, qui mox dictam de cruce visa epistolam scripsit, et alterum (2) Hilarionis filium qui Valentis anno 13, hoc est Christi 375, Jerosolymitanæ ecclesiæ præerat. Sed valde verendum est, ne unum eumdemque Cyrillum ab exsilio ad Ecclesiam redeuntem, Epiphanius alterum juniorem existimarit. Sive autem uni eidemque Cyrillo post exsilium ad ecclesiam suam regresso, sive alteri in hujus locum subrogato tribuatur memorata epistola, falso hæc Julio inscribitur, cum is papa quatuor saltem annis ante obierit, quam Cyrillus e sede sua primum exturbaretur.

D

IV. Falsum est igitur, quod Joannes Nicænus et Anonymus Julium Cyrillo tum rescripsisse narrant, Joannes quidem his verbis : « Tunc Julius Romanus studiose unde huic (Cyrilli) petitioni satisfaceret quæsivit. Cumque omnia collegisset Judæorum scripta quæ capta et Romam deportata fuerant, Josephi chronographi quemdam nactus est commentarium, ab ipso conscriptum, in quo habebatur, mense septimo in festo tabernaculorum, expiationis die, angelum Dei apparuisse, sacerdotemque mutum sine voce mansisse ad illud tempus, quo Elisabeth ejus uxor in senectute peperit. » Anonymus vero rem ita refert : « His litteris acceptis, Julius Romæ patriarcha investigavit commentarios, invenitque quod 25 Decembris die natus est Dominus noster Jesus Christus, et post annos 30 a nativitate sua baptizatus est a Joanne in Jordane fluvio sexta mensis Januarii die. Cum ergo Patres investigationi huic morem gerentes festum divisissent, inter multos ortum est murmur, etc. »

V. Præterea narrationis hujus falsitatem pluribus evincere licet. Primo quidem prope certum est nata-

(1) Editum est a Cotelerio notis in lib. v. Constit. apost. c 13.

(2) Male apud Epiphan. Ἱλαρίωνος latine vertitur *Hilarionus*, qui velut Cyrilli successor ponitur.

Digitized by Google

lis ac Baptismi Domini festivitates nunquam a Cyrillo fuisse separatas. Quod probari putat novissimus ejus editor verbis Basilii Seleuciensis in homilia de S. Stephano, in qua laudatur Juvenalis, « quod gloriosum ac salutarem Domini natalem celebrare cœperit. » Ibi enim notari censet, natalis Domini 25 Decembris die celebrandi morem primum a Juvenale in Jerosolymitanam ecclesiam inductum esse. Si tamen antiquo scriptori Cosmæ nomine, qui Justiniano imperante florebat, fidem habeamus, Jerosolymitani morem illum ipsius ævo, hoc est sæculo v, nondum susceperant. Sic enim in novissima Chrysostomi editione t. II, p. 353, citatus loquitur : « Soli Jerosolymitani ex conjectura probabili, non tamen ex accurata ratione, in Epiphaniis natale agunt. » Deinde quod de Inventu Josephi commentario apud Joannem Nicænum dicitur, post Chrysostomi atque mox dicti Cosmæ tempora excogitatum esse, colligere est ex iis quæ ambo de natali Domini die disserunt. Pro certo enim ponentes, quamvis præter veritatem, Zachariam fuisse summum sacerdotem, eique cum in sancta sanctorum introisset, angelum Domini visum esse, ac Joannis ortum spopondisse, hinc consequi putaverunt, ut decima septembris die, qua una per totum annum summo sacerdoti in sancta sanctorum ingredi licebat, contigerit illa promissio; adeoque Christus post sex menses conceptus, mense decembri, non januario natus sit. Quod quidem Chrysostomus cum dedita opera ac multo labore persuadere nitatur, istud non veluti rem a Josepho jam traditam, sed veluti novum argumentum, quod ipse primus e Scripturis eliciat, proponit. Cosmam quoque, cum eodem argumento utitur, illud non e pseudo Julii epistola, sed e Chrysostomi potius homilia sumpsisse inde manifestum est, non modo quod nullam Josephi faciat mentionem, sed et Jerosolymitanos natale Domini in Epiphaniis agendi more nondum abstitisse conceptis verbis tradat. Ignotæ igitur ipsi erant commentitiæ illæ Cyrilli Juliique epistolæ, quas idcirco post sæculum v, confictas non immerito suspicemur.

VI. Sane, ut taceamus Josephum non eum fuisse, qui Zachariam simplicem sacerdotem « in ordine vicis suæ » sacerdotio fungentem, et « sorte » ingressum in templum Domini, inter summos sacerdotes computaret, si Cyrillus verum natalis Domini diem edoceri, ac duas festivitates uno die celebrandi labore levari cupiens Julium consuluisset, illius consultationi non satisfecisset is papa ex ignoto antea, nec nunc magis noto Josephi commentario, ex quo ad summum dies quo Joannes promissus, non quo conceptus, aut quo Christus natus est, certo edisceretur. Si vero auctoritatem aliquam petiisset Cyrillus, in promptu erat Julio, ut Chrysostomus observavit, ex Romanæ urbis archivo proferre scripturam census, cujus occasione Maria cum sponso suo Bethlem se conferens, ibi Christum peperit. Sed inquisitionibus his relictis, dubitari vix potest quin potius auctor ei fuisset, ut morem sequeretur, quem tota Ecclesia latina ex traditione servabat. Traditionis hujus meminere cum Januarius, ubi ab Augustino quæsivit : « Cur anniversarius dies celebrandæ Dominicæ passionis non ad eumdem redeat anni diem, sicut dies qua TRADITUR NATUS, » tum Augustinus ubi respondet (*August. epist. an.* 119, *nunc* 65, *n.* 2) : « Oportet noveris diem natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in memoriam revocari quod natus sit, ac per hoc nil opus erat, nisi revolutum anni diem, QUO IPSA RES ACTA EST, festa devotione signari. » Hujus autem traditionis vi cessere tandem orientales. Quocirca Chrysostomus primo anno, quo presbyter est inauguratus, adeoque anno Christi 386, Antiochiæ in die natali Domini concionem habens n. 1, ita loquitur : « Nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit, ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus. » Et n. 2 : « Romani multo ante et EX ANTIQUA TRADITIONE ipsum celebrantes, ad nos usque notitiam illius transmiserunt. » Unde conficitur, ut Antiochena ecclesia natale Domini 25 decembris die celebrare tantum anno 376, aut 377, cœperit. Item ex concione, quam Alexandriæ Paulus Emesenus episcopus 25 decembris die anni 432, habuit, morem eumdem in illa civitate tum receptum fuisse liquet. Gregorius vero Nyssenus homil. de Nat. Dom. ait : « Nunc per totum orbem habitatum diem festum » (natalis Domini) « celebrantium concors sonus auditur. » Cui favere videtur et Chrysostomus in homilia laudata. Gregorii quoque Nazianzeni orationem 38 habemus de Nativitate Domini Constantinopoli editam, qua hoc festum in illa urbe 25 decembris die actum esse nobis persuadetur. Certe sub ejus finem de ortu Christi prælocutus, subdit : « Ac quidem paulo post et Jesum purgatione mea in Jordane purgari videbis. »

DECRETA JULII PAPÆ I DECEM

JUXTA GRATIANUM ET IVONEM.

PRIMUM.

Turpe lucrum sequitur qui munus emit ut plus vendat, vel quid sit usura.

Quicumque tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam vel vinum, verbi gratia, de duobus nummis comparat modium unum, et servat usquedum venumdetur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

SECUNDUM.

Reus est animarum presbyter, qui pœnitentiam morientibus abnegat.

Si presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit : *Quacumque die conversus fuerit peccator ad pœnitentiam, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* 18; *Luc.* 23). Vera enim confessio ultimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est : sicut latro, unius momenti pœnitentia, meruit esse in paradiso in hora ultimæ confessionis.

Digitized by Google

TERTIUM.

Post mortem alicujus nullus de ejus consanguinitate sponsam accipiat.

Si quis desponsaverit uxorem, vel subarraverit, et sive præveniente die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus, eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.

QUARTUM.

Licet servo matrimonia contrahere

Omnibus nobis unus est Pater in cœlis (*Matth.* XXIII) et unusquisque dives pauper, servus, et liber, æqualiter pro se, et pro animabus eorum rationem reddituri sumus. Quapropter omnes cujuscumque conditionis sint, unam legem (quantum pertinet ad Deum) habere non dubitamus. Si autem omnes unam legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec servus semel conjugio copulatus ulterius dimitti poterit.

QUINTUM.

Ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris, usque in septimum gradum, nullus ducat uxorem.

Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris, usque septimum generis gradum, uxorem ducere vel incesti macula copulari. Præterea quoque illud adjecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam nec licet de consanguinitate uxoris suæ conjugem ducere propter carnis unitatem.

SEXTUM.

Ecclesia semel Deo consecrata quando est iterum consecranda.

De fabrica vero cujuslibet ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, et si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil judicamus officere, si per eam minime jactetur aqua exorcizata, quia in consecratione cujuslibet ecclesiæ, in qua Spiritus sancti arra non ponitur, celebritatem scimus tantum esse missarum. Et ideo, si qua sanctorum basilica a fundamentis fuerit innovata sine altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit missarum solemnitas celebrata, totius consecratio sanctificationis implebitur. Si vero sanctuaria quæ habebant ablata sunt, rursus eorum depositione, et missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiat.

SEPTIMUM.

De his qui sacrificando varie errabant.

Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro expiatione delictorum Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare; alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expressum vinum in sacramento Domini calicis offerre; alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, et in tempore sacrificii partem ejus aqua lavare, et sic offerre; quod quam sit evangelicæ et apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nulli lac (*al.* non illis), sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in evangelica veritate: *Accepit Jesus panem et calicem, et benedicens dedit discipulis suis* (*Matth.* XXVI). Cesset ergo lac sacrificando (*al.* in sacrificio) offerri, quia manifestum et evidens exemplum veritatis evangelicæ illuxit, quod præter panem et vinum aliud offerri non liceat. Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus suum commendavit et sanguinem. Seorsum enim panis, et seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis populis communicatur, valde est omnino confusum; sed, si necesse sit, botrus in calice comprimatur, et aqua misceatur: quia calix dominicus juxta canonum præcepta, vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credit copulatur et jungitur; quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini efficacia (*al.* efficientia) tantum designatur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur. Et ideo, quia jam ex hoc plurima et multiplex majorum manavit sententia, omnis deinceps talis error atque præsumptio cessare debet, ne perversorum et inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps erit licitum aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententiam conciliorum, panem tantum et calicem vino et aqua permixtum. De cætero aliter quam præceptum est faciens, tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat quod amisit.

OCTAVUM.

(*Ex decreto Ivonis Carnotensis desumptum.*)

Quid sit Ecclesia.

Ecclesia græcum nomen est quod in latinum vertitur convocatio, propter quod (*al.* propterea quod) ad se omnes vocet. Catholica (id est universalis) ideo

Digitized by Google

dicitur, quia per universum mundum est constituta. Vel quoniam catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est ad instructionem.

NONUM.

(Ex eodem.)

De illis qui ecclesias incenderunt.

Si quis ecclesiam comburit, quindecim annos pœniteat, et eam sedule restituat, et pretium pauperibus distribuat.

DECIMUM.

(Ex eodem.)

Libertam domino legitime nubere posse.

Si quis ancillam suam libertate donaverit, et in matrimonio sibi sociaverit, dubitabatur apud quosdam, utrum hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, et nihil impium et legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaremus?

EPISTOLA I (1)

INCREPATORIA JULII PAPÆ I AD ORIENTALES EPISCOPOS PRO CAUSIS ATHANASII, ET EXCESSIBUS CONTRA ROMANAM ECCLESIAM.

(*Conc. t.* II, *col.* 475.)

I. *Quod soli Romano pontifici liceat generale concilium cogere, et episcopos judicare.*

II. *Non oportet præter sententiam pontificis Romani concilia celebrare, vel episcopos damnare.*

III. *Ut accusatores et accusationes, quas leges sæculi non admittunt, repellantur.*

IV. *Si quis episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ damnaverit, vel a sede expulerit, de gradu suo dejiciatur, et excommunicetur; et episcopi ejecti restituantur.*

Venerabilibus fratribus universis orientalibus episcopis Julius.

Decuerat vos, fratres, alios ecclesiasticis instruere disciplinis, et non talibus arguere machinamentis, dicente Joanne Baptista: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis* (*Luc.* III), et reliqua. De qua re et apostolus Paulus nos instruit, dicens: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI), et reliqua. Et alibi Petrus apostolus ait (1 *Pet.* III): *Omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatur* (al. *persequatur*) *eam: quia oculi domini super justos, et aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala* (*Psal.* XXXIII). Quid pejus est, fratres, quam ut sacerdotes Domini, qui ab omni mala coinquinatione, et a nocumento omnium Christianorum, quanto magis a fratrum et coepiscorum, alieni debent existere, quos tueri et sublevare ab insidiis debent, et quos fovere et diligere summopere oportet, persequantur eos, et communione privare decertent? Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: *Perversæ enim cogitationes separant homines a Deo* (*Sap.* I)? Si perversæ cogitationes separant homines a Deo, quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est, quam ut illos, de quibus Dominus ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* II), quisquam avertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem virtus portat, protegit et consolatur oppressos, et docet insipientes. *Est enim Deus testis cordis hominis* (al. *humani*), *scrutatorque verus singularum conscientiarum, et linguarum singularum auditor: quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (*Psal.* XVII). Et alias idem ipse ait (1 *Joan.* IV): *Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere. Deum nemo vidit unquam: si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum, Salvatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo, et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timo-*

(1) Hæc cum seqq. supposita Baronio aliisque eruditis merito videtur, non secus atque aliæ Isidori merces ex Hispania primum, ut volunt profectæ.

NOTA SEVERINI BINII.

Epistola increpatoria Julii. Hanc epistolam Feliciano et Titiano consulibus datam anno Christ. 337 ex prima Romana synodo sub Julio habita a pontifice Romano scriptam fuisse his rationibus sic satis evidentibus statuere licet. Primum eodem consulatu Feliciani et Titiani hæc epistola atque Romana synodus consignatæ sunt. Secundo, quod de injusta Athanasii et Marcelli Ancyrani condemnatione et relegatione facta redarguantur ab his, qui se hunc ob finem convenisse in actis synodi aperte profitentur his verbis: *Pro fratrum oppressione tractantes laboremus; quia dum illi tam graviter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Anno Christi 336, Athanasium suis conventiculis aliquoties condemnatum relegaverant: quæ cum citra Romani pontificis scitum et consensum contigissent, jure meritoque de nullitate facti, et ecclesiasticarum constitutionum violatione reprehenduntur.

Digitized by Google

rem, quoniam pœnam timor habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Nam et ipsa sapientia ait (*Prov.* xv) : *Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. Lingua placabilis, lignum vitæ : quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Domus justi plurima fortitudo : et in fructibus impii conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles erunt Domino : vota justorum placabilia. Qui sequitur justitiam diligitur a Domino.* Item alibi (*Prov.* x) : *Labia justi considerant placita, et os impiorum perversa. Simplicitas justorum diriget eos ; et supplantatio perversorum vastabit eos, justitia rectorum liberabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui. Justus de angustia liberabitur, et tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia. In bonis justorum exaltabitur* (al. *exultabit*) *civitas, et in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione justorum exaltabitur civitas.* Nec consideratis, qui fratres persequi non cessatis, qualia Job patientissimus, inter cætera exorsus, loquitur (*Job.* xxix) : *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum : et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum : et causam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Et paulo post : *Si negavi*, inquit, *quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea : quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* Nam si quis hæc recto omnia consideraverit oculo, nequaquam fratres (*al.* fratribus) nocere, sed liberare festinabit, quia nihil deterius est, quam cives civibus invidere, et fratres fratribus insidiari, aut calumnias facere. Talibus enim refragari volentes insidiis patres sancti, synodum congregaverunt generalem in Nicæa, vitam corrigere hominum cupientes in Ecclesia commorantium. Licet dudum instituta sanctorum multa Patrum essent conscripta, posuerunt leges, quas sacros canones appellamus, quibus multa pernecessaria ad statum Ecclesiæ sanctæ Dei, et supplementum columnarum ejus, id est episcoporum, qui eam propriis humeris gestant, sunt decreta, et nocumenta eorum prohibita, ita ut qui talia agere tentaverint, aut eis nocere præsumpserint, si quidem clerici fuerint, a proprio gradu decidant, si vero monachi aut laici fuerint, anathematizentur. Quibus armati exemplis, oportere arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, ut hanc accensam discordiæ flammam extinguere apostolica debeamus auctoritate, et non concedere eam ulterius animas depasci humanas. Quapropter una cum omnibus apostolicæ subjectionis regulæ sancimus, ne quisquam deinceps Christianorum talia perpetrare, aut episcopis temere nocere præsumat, cum et doctor gentium idipsum prohibeat, dicens : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (I *Tim.* v), et reliqua. Bonum est namque procul dubio, et omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones et altercationes, fratribusque subvenire, et invicem non invidere, sed adjuvare. Audite, inquam, jam factam in Nicæna civitate synodum, cui et ipse conscientiæ meæ (1) cultum decenter exhibui, nihil aliud volens quam concordiam omnibus fabricare, et præ cunctis arguere et removere hanc insidiantium altercationem : quas prævidentes sancti Patres insidias et illicitas altercationes, unanimiter in prædicta Nicæna statuerunt synodo, ut nullus episcopus, nisi in legitima synodo, et suo tempore apostolica auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, judicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur (*al.* deducetur) quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur.

I.

Ipsi vero primæ sedis Ecclesiæ convocandarum generalium synodorum jura et judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis et apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper majores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec ullo modo potest major a minore judicari. Ipsa namque omnibus major et prælata est ecclesiis, quæ non solummodo canonum et sanctorum Patrum decretis, sed Domini Salvatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi), et reliqua. *Et quæcumque ligaveris super terram et solveris, erunt ligata et soluta in cœlo et in terra.*

II.

Porro dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta et universalis apostolica tenet ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis concilia celebrari (*Socr.* II, 8 *et* 17), nec episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam primatem (*al.* primariam) omnium ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita et hæc ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima et caput sit cæterarum, et ad eam, quasi ad matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, et judicia episcoporum recurrant, ejusque justa sententia (*al.* et juxta ejus sententiam) terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni pontificem, quatenus non ita proterve, et pro libitu

(1) Const. M. in ep. ad Alex. Trip. Hist. III, 27, ex Socratis I, 6.

Digitized by Google

cujuspiam, suo proprio arbitrio, quibusque metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, inconsulto Romano pontifice, aut majores Ecclesiæ causas deturbare, aut episcopos damnare, sed communi sanctæ Romanæ sedis episcopi consilio (1) et concordi actione quæque sunt Christi zelo agenda disponant unanimiter, recteque sentiant, et ea quæ senserint, non sibimet discrepando, sed Deo placita perficiant.

III.

Est etiam in jam fata Nicæna concorditer statutum synodo, accusatores et accusationes, quas sæculi leges non admittunt, a sacerdotali funditus averti nocumento. *Ecce*, inquit Propheta, *quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Illi vero non in unum habitant, qui a fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias præparant. Non alieno vos, fratres, patiamini peccato gravari (*S. Leo, ep.* 25), quia quod necesse est, nos dicere veremur, id est, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, et tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, et cum ipso communes omnium apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratrum non destructione, sed confirmatione et veritate in Christo passi sunt.

IV.

Nos ergo, qui Domini discipuli et dici et esse volumus, portare crucem Christi, et compati fratribus debemus, et non persequi. Subtrahite (rogamus) actus cogitationesque a talibus nocumentis, si non vultis ipsam in vos suscipere ultionem : quoniam talionem meretur qui fratri foveam præparat. Et nos scitote hunc (*Africani PP. in. ep. ad Bonifacium*) typhum deinceps non esse passuros, ut ea quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut judicia episcoporum et majores Ecclesiæ causæ, ut paulo superius prælibatum est, vos patiamur nobis inconsultis invadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die et deinceps episcopum præter hujus sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, et proprio carere perpetim honore, eosque qui absque hujus sedis sunt ejecti sententia vel damnati, hujus sanctæ sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, et in propriis restitui sedibus : quoniam et prius, a tempore scilicet apostolorum, hæc huic sedi sanctæ concessa sunt, et postea in memorata Nicæna synodo, propter pravorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, et insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus corroborata, ut magis singuli provideant (*al.* prævideant), ne talia audeant perpetrare, et caveant, si non propter Deum et amorem fratrum (*al.* fraternum), tamen propter opprobrium hominum, ruborem suum atque canonicam ultionem, saltem hæc timore et verecundia compressa, silentioque comprimantur, amputato scilicet totius (*S. Leo, ep.* 84) usurpationis excessu, quia nullus debet præsumere quæ sibi non videntur esse concessa. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere (*S. Leo, ep.* 4, *cap* 7), si unde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius observantiæ sumeretis : et beati apostoli Petri sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis. Unde sicut multum nos ea quæ a vobis pie recteque sunt acta lætificant, ita nimium ea quæ sunt perperam gesta contristant, quoniam necesse est post multarum talium experimenta causarum hæc in posterum sollicitius prospici, et diligentius præcaveri, quatenus ea, quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus statuta, nulla desidia negligantur, nulla dissentione violentur, nulla concertatione turbentur. *Nam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* (*Rom.* XII) Connexio (1) totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit; et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam et inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præmineret. De qua forma episcoporum quædam orta est distinctio, et magna ordinatione provisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursum quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam beati Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluoeret, et nihil usquam a suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Doctrinis variis et extraneis nolite abduci* (*Hebr.* XIII). En instituta apostolorum et apostolicorum virorum canonesque habetis (*Dist.* II, *Nolite errare*), his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. Satis enim indignum (*Gelasius, ep.* 9, *c.* 10) est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem et sequi videat et docere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente Scriptura : *Ordinate in me charitatem* (*Cant.* II). Et iterum : *Omnia cum ordine fiant* (I *Cor.* XIV). Iterumque Psal-

(1) Hadr. coll. 43. Habetur infra in decr. Julii papæ, Ad orientales episcopos pro Athanasio.

(1) Idem Leo, ibidem, unde liquere arbitror eruditis quam ineptus fuerit harum laciniarum sartor qui posteris oculos eruere voluit. Plura ex his habentur in decretali epistola Vigilii papæ.

Digitized by Google

mista prædicante : *Circumdate Sion, et complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra, in virtute ejus, ut enarretis in progenies alteras, quoniam hic est Deus, Dominus* (al. *Deus*) *noster in æternum, et ipse reget nos in sæcula* (*Psalm.* XLVII). Officii enim nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas (*al.* liberum), quibus major cunctis christianæ religionis zelus incumbit, nec per taciturnitatem aut favere aut consentire videamur fratrum nocumentis. Data Kalendis Octobris, Feliciano et Maximiano (*fort.* Titianio) viris clarissimis consulibus (anno 337).

EPISTOLA (1)

ORIENTALIUM AD JULIUM PAPAM I.

(*Conc. t.* II, *col.* 481.)

Causantur quod in communionem receperit Athanasium, et cæteros quos ipsi damnaverant.

Domino beatissimo et honorabili patri Julio, apostolicæ sedis venerabili episcopo; Eusebius, Theognius, Theodorus, et (2) *Berinthus una cum reliquis fratribus et coepiscopis nostris, in Antiochia congregatis*(3).

Licet circa omnes Romanam ecclesiam sciamus esse munificam, et apostolicam habere curam, et semper matrem existere pietatis, quamquam ab Oriente ad eam prædicatores (*Hist. Trip.* IV, 16, *et Soz.* III, 7) pietatis advenissent, tamen optaremus vos nobiscum concordare, et quos a communione suspendimus, a vobis esse suspensos : et quos in ordine confirmamus episcoporum, a vobis esse confirmandos : nec nos secundo loco habendos ; cum ex his partibus ad vos usque dogmatizantes apostoli pervenerint. Nec enim nos vestris resultavimus quamvis hoc agere potuissemus, quando Novatianus a Romana pulsus est ecclesia, quoniam (ut juxta vulgarem consuetudinem loquamur) *inimicitias quærit omnis qui vult recedere ab amico* (*Prov.* XXVIII). Nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatum, absque ejus licentia, a quo communione est privatus, in communionem susceperit, canonibus scilicet jubentibus, ut excommunicatus ab aliis, ab aliis non suscipiatur, viventibus illis a quibus communione privatus esse dignoscitur. Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed etiam in his, quod concilia nostra dissolvitis, neque ea rata sinitis esse. Sunt namque a nobis, et maxime a totius Orientis episcopis damnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyræ, Asclepius Gazæ, Lucianusque (1) Hadrianopolites, pro certis criminibus, quibus adversarii sunt apud nos inscripti, quæ per præsentes hujus epistolæ latores omnia sub certa relatione vestræ innotescere non omittimus sanctitati. Quibus aguitis, si nostris placitis magis quam eorum machinationibus assentire, et ordinatos episcopos (*Hist. Trip.* IV, 16) in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum et communionem habere volumus : si vero aliter egeritis, et eis amplius, quam nobis assentire judicaveritis, contraria celebrabimus, et vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque favere volumus, sed per nos, quidquid melius elegerimus, agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarum ætatem habens, qui ignoret prædictorum molimina seductorum, propter eos enim multa sunt mala peracta, multa concilia diversis et asperis temporibus celebrata, multæ seditiones, multæ machinationes (seductiones), multa nobis opprobria illata (2), et alia multa quæ enumerare perlongum est. Nam si his consentire eligitis, tunc liquet quod nos perdere vultis, et non, ut pater filios, fovere. Dicunt enim et affirmant tam cives istorum, quam etiam sacerdotes eorum, hos fovere vos velle homicidas (*Athan. apol.* II, *et ad solit. Hil. in fragm.*), sacrorum templorum eversores, virginum stupratores, sacrorum librorum incensores, sacrorumque vasorum, ac cæterorum sacrorum ministeriorum fraudatores, officiorum neglectores, imperatorum infidos, gentis et patriæ proditores, et inter sacerdotes maximam generantes discordiam, eo quod consubstantialitatis vocem, quæ scripta non invenitur, in fidei doctrina posuissent. Quid plura enumerare necesse est, cum propter eos nobis et cunctis hujus regionis habitatoribus scientibus, tanta cædes hominum sit perpetrata, ut amplius quam mille homines sint prostrati? Talibus autem favere quid aliud est, quam sceleribus eorum consentire, cum sacra scriptura hæc prohibeat, dicens : *Non solum qui faciunt culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Talibus enim vos obsistere totis viribus oportet, ne involvamini in peccatis eorum, et excommunicationem eorum ne suscipiatis. Tales enim a vobis procul abjicite, ne propter animositatem ta-

(1) Bar. aliisque eruditis commentitia ex variis aliorum fragmentis latine scriptis consuta.

(2) Theodorus fuit Perinthi sive Heracleæ episcopus quem in duos distrahit falsarius.

(3) Anno 341. Prodit hæc epistola hæreticos fuisse qui eam scripserunt.

(1) *Athan. an.* 335 *Tyri.* Marcellus 336, in syn. CP. Paulus, anno 340. Corr. Asclepas et Lucius de quibus Athan. Soz. Socr. Theo.

(2) En ut agnoscunt Romani pontificis primatum.

NOTA SEVERINI BINII.

Epistola orientalium. Ex epistola Julii ad orientales scripta, quam recitat Athanasius apologia 2, quæque supra col. 883 legitur certissime constat Arianos post concilium Antiochenum acerbius, ac majore cum fastu, superbia et contentione, quam decebat, scripsisse. Ita enim exorditur : *Legi epistolam vestram, quam mihi presbyteri mei Elpidius et Polyxenus attulerunt*, etc. Veram et germanam non existare, præter auctoritatem Baronii anno 341, num. 54, illud afferentis, ea quæ supra in principio Julii epistolarum annotavi, confirmant. Quæ hic secundo loco posita orientalium nomen præfixum habet, ex Sozomeno et Socrate ab incerto quodam auctore compilata esse videtur, tum quod multa desiderari, nonnulla etiam in rebus et nominibus in ea expressis variari advertes, si eam cum responsoria Julii, quam recitat Athanasius apologia 2, diligenter conferas.

Digitized by Google

lium hominum, infirmæ animæ et ignari populi, sacrilega dissentione dispereant. Itaque oportet (*Martinus* I, *cons.* 2 *conc. Later.*) vos improbis probe resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare perversos, liquet quod eorum protegatis errorem. Nec vero caret scrupulo societatis occultæ, qui manifeste (*al.* manifestis) facinoribus desinit obviare (*Felix III, in ep. ad Acacium*). Decet enim vos ad arguendam proterviam eorum linguam vestram exacuere, et velut venenosos a vobis repellere, ne eorum veneno vos vestrique in aliquo saucientur. Igitur (*Idem Martinus*) sufficiunt nobis querimoniæ contra eos delatæ, quoniam derelinquet nos tempus, secundum quod ait Apostolus, si voluerimus omnium obloquentium oblatus contra eos producere querelas: maxime cum hæc nobis sufficiant quæ superius dicta sunt. Nec nobis necesse est iterum eorum divulgare mala, cum ipsa per se prodeant, et maxime omnes orientales testes super eorum malis existant. *In ore enim* (juxta quod scriptum est) *duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII): quanto magis in multitudine tantorum sacerdotum et populorum, abbatum vel monachorum, in scripto et sine scripto contra horum pravitatem nos quotidie vox acclamantium? Nos vero diu expectavimus eos per multam patientiam, ut crearent uvas, sed illi e contrario fecerunt labruscas. Vos ergo non oportet de cætero negligere et differre tales, ne (quod absit) memoratis criminibus eorum submittamini (subdamini), irrationabiliter eos episcopos ponentes. Ipsi enim, nisi cito corrigantur, juxta quod beatus apostolus protestatur, *secundum duritiam eorum, et cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II). Qui corrigendi sunt, ne per temporalem delectationem (*S. Greg.*), et per mendacia atque figmenta sua vobis assensum præbentibus, æterna perdant præmia, quæ per veram pœnitentiam consequi potuerunt. Nec hæc, quæ prædicta sunt, solummodo Athanasio et sequacibus ejus irrogamus, sed etiam quod contra regulam egerit, quam nos decreveramus, quia non decreto communis concilii (*Trip. hist.* IV, 9 *et* 16, X, 17, *ex Socr. et Soz.*) episcoporum recepit sacerdotium, sed sibimet arrogando ecclesiam fuisset ingressus, et in sede resedisset, cum dudum (1) decretum fuisset, nullum a pauciore numero restitui debere, quam depositum fuisse constaret. Deinde, quoniam ejus adventu sit turba generata, plurimique seditione sint mortui, et non solum hæc per eum et propter eum sunt peracta, sed etiam quidam jam a dicto Athanasio cæsi, judicibus dicuntur esse contraditi. Hæc et alia innumerabilia sunt ab eo suisque sequacibus impudenter perpetrata, quos excommunicatos, communioni (ut audivimus) contra regulam in contumeliam omnium orientalium sociastis. Præfato itaque debitæ salutationis (*Ep. Africanorum ad Cœlestinum I papam*) officio propter beati Petri honorem impenso, postulamus, ut deinceps ad vestras hinc venientes aures non tam facile admittatis, neque a nobis excommunicatos ultra velitis excipere, ne canonum transgressores inveniamini, sed magis salva fraterna charitate, erratum hoc in posterum minime patiamini.

Et subscriptio : Orantem (Ep. *Tarracon, ad Hilarum papam*) pro nobis apostolatum vestrum Dominus ævo custodiat longiore, beatissime pater. Amen.

(1) Imo anno dumtaxat 341, conc. Antiocheni can. 12. Hoc hæreticorum esse decretum testatur Julius in epistola proxima.

EPISTOLA II (1).

SIVE RESCRIPTUM JULII I CONTRA ORIENTALES, PRO ATHANASIO ET CÆTERIS.

(*Conc. t.* II, *col.* 483.)

I. *De vocatione orientalium episcoporum ad Julium, et restitutione damnatorum episcoporum ab ipsis.*

II. *Ut episcopi accusati appellent sedem apostolicam.*

III. *De eadem re.*

IV. *Si quis putat se gravari a proprio metropolitano.*

V. *De accusatoribus, vel accusationibus, quas sæculi leges non admittunt.*

VI. *Ut nullus episcopus alterius parochiam retineat, vel ordinet*, etc.

VII. *Si quis adversus episcopum, vel auctores Ecclesiæ negotium habuerit.*

VIII. *De episcopis rebus suis expoliatis, vel a sede sua pulsis.*

IX. *De accusatoribus et testibus.*

X. *Si accusatus vel damnatus episcopus sedem apostolicam appellaverit, et de eis qui adversus Patres armantur, vel cum inimicis morantur.*

XI. *De accusationibus clericorum.*

XII. *Quæ metropoles primates vocentur.*

XIII. *Qui sint infames.*

(1) Falsa non secus ac præcedentes duæ.

NOTA SEVERINI BINII.

Rescriptum Julii. Hoc rescriptum Julii cum ea responsoria epistola, quam ab Athanasio recitatam, supra col. 883 ex pessimus, partim convenit, plurimum vero ab eadem differt. Cum utraque Eusebianos cum Athanasio ad concilium Romæ anno 340, indictum citatos esse referat: utraque etiam Athanasium ad statutum diem adfuisse, Eusebianos autem contumaciter remansisse, enarret; demum utraque epistola illius, quam ab ipsis post celebratam Antiochenam synodum scriptam, postque Gregorium Cappadocem anno Christi 342, magna et horrenda Alexandrinorum strage introductum, superbe, fastuose, et contentiose scriptam fuisse refert, meminerit, utramque unam eamdemque Julii epistolam esse oportet. Hanc mendosam, corruptam, et a quodam ex diversis compilatam (*al.* imo pro libito confictam): illam vero, quæ ex Athanasio desumpta infra subditur, germanum exemplar esse Juliani ad orientales episcopos rescripti, dubium non est. Hanc mendosam esse et corruptam, consulatus Feliciani et Maximiani, infra hic in fine additus, aperte demonstrat. Si enim prædictis consulibus scripta est, initio pontificatus Julii, anno Christi 337, scriptam fuisse necesse est, atque ita non subsistit quod de synodo Romana indicta, de Alexandrina seditione exorta commemorat.

Digitized by Google

XIV. *De causis episcoporum.*
XV. *Ut non admittantur ad accusationem errantes, vel a proposito recedentes, sive canonibus inobedientes.*
XVI. *De peregrinis judiciis.*
XVII. *Ut nullus extra provinciam vocetur ad judicium, vel si quis judices suspectos habuerit.*
XVIII. *De se confessis, non esse credendum supra crimen alienum.*
XIX. *De incertis non judicandis*
XX. *De criminationibus majorum natu.*
XXI. *De provinciali synodo retractanda a papa.*
XXII. *Si quis judices majoris auctoritatis appelluverit.*
XXIII. *Ut metropolitanus nihil agat sine consilio episcoporum, nec illi sine ipsius; nisi quantum ad proprias pertinet parochias.*
XXIV. *Ne judices in absentem proferant sententiam, et ut proditor non audiatur.*
XXV. *De accusationibus clericorum.*
XXVI. *De episcopis accusatis.*
XXVII. *De injusta episcoporum damnatione.*
XXVIII. *Detractores et fautores inimicorum ab accusatione removendos, nec majorem a minore debere impeti, nec in re dubia certa judicari sententia, et de judiciis inordinatis.*
XXIX. *Si possit episcopus a pauciori numero episcoporum restitui, quam fuerat damnatus.*
XXX. *Si sit fugiendum episcopis causa persecutionis, et de privilegiis apostolicæ sedis.*
XXXI. *Quanta cautela judicare oporteat, nec damnandum quemquam, priusquam accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat.*
XXXII. *Ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.*
XXXIII. *Qui non debeant admitti ad accusationem.*
XXXIV. *Nullum alterius judicis, nisi sui sententia teneri, et quales debeant esse.*
XXXV. *De episcopis rebus suis expoliatis, vel a sede sua pulsis.*
XXXVI. *Quod excommunicati episcopos non possunt accusare, nec illi qui eos in sua non recipiunt accusatione, nec majorem a minore posse damnari vel judicari.*

Julius sanctæ Romanæ et apostolicæ ecclesiæ episcopus Eusebio, Theognio, Theodoro, Berintho (Leg. *Theodoro Perinthio*), *et cæteris orientalibus episcopis.*

Decuerat vos adversus sanctam romanam ecclesiam et apostolicam limate, et non ironice loqui (*Hist. Trip.* III, 7) quoniam et ipse Dominus noster Jesus Christus eam decenter allocutus ait: *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI). Habet enim potestatem, singulari privilegio sibi concessam, aperire et claudere januas regni cœlestis, quibus voluerit. Nam si ei detrahere (quæ Domini ore sacrata atque desuper exaltata est) non renuistis (*al.* timuistis), nec mirum si fratribus injurias irrogare minime cessatis. Unde jam silentio non reguntur quæ vestro in concilio turbulenter (1) atque cum tempestate decreta sunt. Apparet enim quoniam tumultuosa quadam indisciplinatione veritas est oppressa: vobis quippe inconsiderantibus quæ placent Deo, propter jurgia quæ contra proximos vestros habetis, et vota nostra inevincibilia esse contenditis. Sed erit opus divinæ providentiæ, quatenus e contrario aperte deprehensa possint (*al.* et hæc contentio aperte deprehensa possit) evacuari, et quidquid illic convenientes, sine qualibet gratia, odio aut inimicitiarum causa gessistis, funditus repelli. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad hujus sanctæ sedis reverentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem per vosipsos possitis ostendere. Nam nec dubitare vos credo Athanasium (2) sacræ legis doctorem non solum a nobis, sed etiam a Nicæna synodo veræ fidei cultorem esse comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili sene, qui Arii prostraverat blasphemias post quinque menses Nicæni concilii Alexandrinorum ecclesiæ suscepit præsulatum: adversus quem ejusque sectatores multa mendacia texentes, et nudas valde calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum eum causam et caput esse perhibuistis, et non solum apud Ægyptum, sed etiam apud Palæstinam et Phœnicen, vicinasque gentes, scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re ecclesiasticam sequentes regulam, vos et illos Romæ (3) regulariter ad judicium die statuta, non sub Augusto temporis spatio (ut excusatio locum non inveniat) litteris et apocrisiariis evocavimus: illique, vocatione suscepta, ad diem præstitutum venere, sed vos, ne vestris mendaciis caperemini, vestraque calumnia enudaretur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oves pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Decuerat ergo, ut ad regularem veniretis convocationem, qualiter de his et de aliis vestris præsumptionibus veram redderetis rationem, quoniam occurreret veritas (*Cœl. ep.* 1 *ad Gallos*), si falsitas displiceret et nullus dubitat quod ita judicium (*Bonif. ep.* 2 *ad Gallos*), nocens subterfugit, quemadmodum qui est innocens ut absolvatur requirit. Nec suspicione caret qui alium calumniis derogat falsa dixisse, cum ipse ad judicium, ut probet quæ intulit, evocatus venire distulerit. Vellem enim vos magis ad jam dictam canonicam convenire vocationem, ut coram universali (4) concilio redderetis rationem, cur synodum ad statum ecclesiarum et fratrum in (*Trip.* IV 9, *et Socr.* II, 8) Anthiochia subvertendum, et Nicæni magni concilii destructionem fecistis, aut cur nobis

(1) *Hist. trip.* III, 7; ex Socrate et Soz., verba Constantini in ep. ad Concilium Tyrium.
(2) Ejusdem ex iisdem, IV, 2. Verba Constantini junioris Aug. ad Alexandrinos. Videnda quoque Theod. Hist. II, 2, et Athan., Apologia, 2.
(3) Theod. II, 3, interpretante Epiphanio Cassiodoli amico.
(4) Fuerunt circ. 50 ex Ath. Apol. 2.

Digitized by Google

inconsultis episcopos in eam convocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio, canonibus quippe in (*Ejusdem* IV, 19) Nicæna synodo jubentibus, non debere præter sententiam Romani pontificis ullo modo concilia celebrari, nec episcopos damnari : aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penes nos aut apocrisiarios nostros eorum causa canonice esset examinata, finemque perciperet rectum. Isti enim qui ad memoratam regulariter venere vocationem, videntes vos a prædictis subtrahere calumniis, multa adversus vos lacrymabilia et doloribus plena referunt, accusantes vos, et dicentes, multa se importabilia (intolerabilia) a vobis esse passos. Vobis ergo (1) refugientibus venire, illisque perseverantibus in vera ratione, suasque calumnias reclamantibus, super quibus et Ægyptiorum episcopi (*Trip.* IV, 19; *et Socr.* II, 17)litteris nobis missis protestantur suis, falsa esse quæ contra Athanasium suosque sectatores machinantur, cunctaque Arianorum machinata (*fort.* machinamenta) blasphemiis et talibus plena figmentis, liquet eos esse (*Trip.* IV, 15, *ex Soz.* III, 7), inculpabiles vosque culpabiles : quia si de vera confideretis innocentia, nullo modo a jam dicta vos canonica subtraheretis evocatione, quæ non subito, sed spatiose denuntiata est : sed omni subducta apologia, absque tardatione venire, et causas reddere festinaretis. Quibus ita gestis, scripsi (*Trip.* IV, 9) vobis, et omnibus qui in Antiochiam contra apostolicam canonicamque regulam, nobis inconsultis, fueratis congregati, arguens vos primum de injuriis litterarum, deinde cur Athanasium suosque consectatores ad vestrum concilium convocassetis, canonibus scilicet præcipientibus, nihil extra Romanum decerni pontificem, cui hæc et majora ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quam ab omnibus universorum conciliorum fratribus, speciali (ut jam dictum est) privilegio contradita sunt. Vobis vero refugientibus, et, ad concilium toties convocatis, adeste nolentibus, illis quoque in sua reclamatione et justa ratione persistentibus, vestraque cognoscentes crimina, et illorum justam examinantes rationem, omnesque eos Nicæno concilio comperientes et nostris apostolicis jussionibus obtemperantes, visum est nobis ac universo concilio, ut nos divinis præceptis et apostolicis monitis (*S. Leo, ep.* 4) informati, qui pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, si quidquam reprehensioni usquam invenitur obnoxium celeri sollicitudine ab ignorantiæ imperitia aut a præsumptionis usurpatione revocemus.

I.

His taliter consideratis atque discretis, tamquam (*Trip.* IV, 15) omnium curam gerentes, propter sedis propriæ dignitatem, suscepimus eos in communionem (2) singulisque cum suis, auctoritate hujus sanctæ sedi, rebus, proprias reddidimus ecclesias, quoniam huic sanctæ sedi propter pravorum hominum insidias, ipso Domino instituente, et sanctis apostolis, eorumque successoribus per singula concilia roborantibus, hoc semper licuit, licebitque, Domino auxiliante, in perpetuum. Unde, qui se scit aliis esse (*S. Leo, ep.* 84) præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum : sed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis et ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo (*Eadem Trip., ibid.*), quianon recte tractastis viros inculpatos, et a nobis minime examinatos, de suis ecclesiis communione privatos pellentes, et ecclesiasticæ disciplinæ injuriam irrogantes constitutumque Nicæni concilii minime servantes, talia indisciplinate agere non formidastis. Idcirco quoniam dudum venire vocati renuistis, modo ad certum diem, id est quinto decimo kalendas Novembris, vos iterum regulariter literis missisque evocamus, ut coram vestis ostendamus nos justam in eos protulisse sententiam, et de cætero non talia esse passuros. Est etenim in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, ut aliena qui invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione restituat. Unde et in Evangelio scriptum est : *Quod si aliquid* (Vulg. *quid aliquem*) *de fraudavi, reddo quadruplum* (*Luc*, XIX). In lege quoque cautum est : *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus : Amen* (*Deut.*, XXVII).

Quare miror vos tam audaces esse, et tam impudenter egisse, et terminos ac jura beati Petri apostolorum principis invasisse. Sui enim (ut paulo superius comprobatum est) juris erat, ut absque ejus sanctæ sedis auctoritate, nullus deberet aut concilia (*Socr. et Soz. alias citati*) celebrare aut episcopos ad synodum convocare, vel damnare eos, aut propriis pellere sedibus, aut alios in eorum loco ordinare, quæ omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo est aliud talis præsumptio, nisi quod apostolorum eorumque successorum decreta transgredi, et maledictionem superius comprehensam, in lege scilicet cautam, quam omnis populus uno ore consonaque responsione per *Amen*, id est, fiat, confirmavit, suscipere non timuistis? Nam (ut reor) talibus transgressionum funiculis constricti, nostrum, ne vestra proderentur flagitia, examen declinastis, et ad suprædictam vocationem venire distulistis. Sane manifestum est suum eos confiteri (*Bonf.*, *ep.* 2) crimen, qui toties evocati, absque inevitabili causa venire distulerunt, et purgandi se voluntate non utuntur. Nam si de vestris dictis confideretis, etiam in faciem (*Trip.* IV, 24, *ex Theod.*, II, 8, *referente synodicam conc. Sard.*) probare non distulissetis. Tales insidiatores spiritu prævidentes sancti Patres in Nicæa congregati, leges statuerunt (*Eadem* IV, 14, *ex Socr.* I, 22), quas nos canones appellamus, ne facile probi ab improbis damnarentur, ex quibus nonnullas sententias his inseri judicavimus, ut tantorum Patrum auctoritate nostra roboraretur epistola, atque omnes orientales, sive reliquarum partium episcopi hæc

(1) Julius in ep. quam S. Athanasius recitat apol. 2.

(2) Supposititios esse hos canones teste Contio vel id ostendit, quod nemo ne Gratianus quidem ipse eos allegare ausus est.

Digitized by Google

audientes, in tantam foveam non incidant, nec damnationem a patribus decretam percipiant. Sequuntur enim hæc ex prædicto concilio Nicæno capitula, id est, 18, 19, 21, 23, 26, 27, 28, 33, 41, 45 et 47 et 49 (*al.* 48) ac 51, 52, 53, 54, 55, 57, 58, 59, 60, 61, 63, 66 (*al.* 67). A

II.

Ut omnes episcopi (2, *qu.* 6, *Omnes episcopi*) qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem (*Conc. Sard. c.* 7), atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea (sicut semper fuit) pie fulciantur, defendantur, et liberentur. Cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas causas, et episcoporum judicia, antiqua apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis papæ fieri placuerit. B

III.

Placuit (3 *qu.* 6, *Accusatus Conc.*), ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua causa episcopus licenter (*Sard., c.* 4, 5 *et* 17) appellet, et adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio pontifex causam suam audit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quamquam a comprovincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo, et non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino : *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis : et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.*, XVI). C

IV.

Si quis putaverit (2 *qu.* 6 : *Si quis putaverit*) se a proprio metropolitano (*conc. Calch.*, 9 *et* 17; *Hadr.*, *col.* 6, 18, 20) gravari, apud primatem diœceseos, aut penes universalis apostolicæ ecclesiæ papam, judicetur.

V.

Accusatores et accusationes (3 *qu.* 5 : *Accusatores*), quas leges sæculi non adiciscunt (*Hadr.*, II *ex c.* 2 *conc.* VII *Carth.*), et nos unanimiter submovemus. Nec fiat in districta probatione impietas, cum recta sit judicii in electione sententia (*Ennodius*, *ep.* 18, *lib.* I). D

VI.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque ejus episcopi voluntate, vel judicare (*Hadr.* 16), salva tamen in omnibus apostolica auctoritate : quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita et dijudicatio : quoniam censemus nullum (*Annianus, in const. unicam tit.* 16, *lib.* IV *cod. Theod.*) alterius judicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit.

VII.

Si quis erga episcopum (2, *qu.* 7 : *Si quis erga, et in decret. Alex. pap.*), vel actores ecclesiæ, se proprium habere crediderit negotium, non prius adeat judices, quam ad eos recurrat charitatis studio (*Hadr.* II, *ex c.* 17 *conc.* V *Aurel.*), ut familiari colloquio commoniti, ea sanare debeant quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communione privetur.

VIII.

Nemo (2, *q.* 2 : *Nullus potest convocari*) pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus, aut a sede pulsum, excommunicare aut judicare præsumat; quia non est privilegium quo possit spoliari jam nudatus (*Ex syn.* V *Rom.*, *sub Symmacho*).

IX.

Pari tenore decernimus, non credi accusatori (*Arianus in const.* IX, *et* XIII, *tit.* 39, *lib.* XI, *cod. Theod.*), qui absente adversario causam suggerit ante utriusque partis discussionem. Nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei.

X.

Placuit (6, *qu.* 1 : *Sacer. qui*), ut si accusatus vel damnatus episcopus appellaverit Romanum pontificem (*Hadr.*, 21, *ex c.* 7 *Sardicensi*), id statuendum, quod ipse juste censuerit. Et omnes qui adversus (*Ex Proclo ad Domnum*) patres armantur, infames esse censemus : neque eos, qui cum inimicis morantur (*sent.* 1 *tit.* 15 *libri* V *Pauli*), ad accusationem vel ad testimonium recipiendos.

XI.

Placuit, ut semper in accusatione clericorum, primo persona, fides, vita et conversatio blasphemantium perscrutetur (*Hadr.*, 4). Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est (*Sixti sent.* 5 et 156). Nec eis omnino est credendum, quia veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt : quoniam tales et facile et indifferenter lacerant et criminantur recte et pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo et corrigenda, neque accusatoribus suspectis, et de inimicorum (*sent.* 1 *tit.* 15 *lib.* V *ejusdem Pauli*) domo prodeuntibus est credendum.

XII.

Quod non aliæ metropolitanæ ecclesiæ, vel primates sint, nisi illæ, quæ prius primates erant, et post Christi adventum, auctoritate apostolica et synodali primatum habere meruerunt. Reliquæ vero non primates, sed metropoles vocentur, eorumque episcopi, non primatum (*Hadr.*, 23), sed aut metropolitanorum, aut archiepiscoporum nomine fruantur.

XIII.

Infames esse censemus omnes, qui suam aut christianam prævaricantur legem, aut canonicam postponunt auctoritatem.

XIV.

Salvo in omnibus Romanæ ecclesiæ privilegio,

Digitized by Google

nullus (*Hadr*, 34, *ex can.* 35 *Apost.*, *interprete Dionysio Exiguo*) metropolitanus absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irritæ erunt, imo et causam in synodo pro facto dabit.

XV.

Alienis erroribus (3, *qu.* 4 : *Alienis erroribus*) sociatum, vel a sui propositi tramite recedentem, aut sacris canonibus inobedientem, suscipere non possumus, nec impetere recte credentes, vel sanctorum Patrum sanctionibus obtemperantes, permittimus.

XVI.

Peregrina judicia (3, *q.* 7 : *Peregrina judicia*) generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ut ab extoris judicentur, qui comprovinciales et a se electos (*Had.*, 17, *ex cod. Theod.*) debent habere judices.

XVII.

Salva apostolicæ Ecclesiæ auctoritate (*Hadr.*, 18), nullus episcopus extra suam provinciam ad judicium devocetur : sed evocatus (*fort.* vocato eo) ipse canonice, in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam ; quoniam si hoc minoribus, tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis servari convenit ? Nam si ipse metropolitanum aut judices suspectos habuerit, aut infensos senserit, apud primates diœceseos, aut apud Romanæ sedis pontifices judicetur.

XVIII.

Nemini (15, *qu.* 3, *Nemini*) de se confesso credi potest super crimen alienum (*Ennodius*, *ep.* 4, *lib.* 1), quoniam ejus atque omnis rei professio periculosa est (*Hadr.* 64, *ex Aniano. In decr. Sixti papæ* 2), et admitti adversus quemlibet non debet.

XIX.

Incerta nemo unquam pontificum judicare præsumat, quia quamvis vera sint (*Isid.* II, *syn.* 16), non tamen credenda, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.

XX.

Criminationes majorum (2, *qu.* 7, *Criminationes*) natu per alios ne fiant nisi per ipsos qui crimina intendunt (*Conc.* II *Carth. c.* 6), si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis publicis docuerint, omni se carere suspicione (*Conc.* I *Arelatens. c.* 13), atque inimicitia, et irreprehensibilem fidem atque conversationem ducere.

XXI.

Et provincialis (*Hadr.* 39) synodus retractetur per vicarios urbis Romæ episcopi, si ipse decreverit.

XXII.

Placuit, ut a quibuscumque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos (ubi est auctoritas major) fuerit provocatum, audientia non negetur (*Et in concil. Carth.* III, *cap.* 10, 2, *q.* 6, *Placuit, ut a quibuscumque*).

XXIII.

Si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum, aliquid agere tentaverit (*Hadr.* 43, *ex can. apost.* 35), gradus sui periculo subjacebit, et quod egerit irritum habeatur et vacuum. Sed quidquid de comprovincialium episcoporum causis, suarumque ecclesiarum et clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima et concordi administratione, sicut Dominus ait : *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX). Et alibi : *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Marc.* X), et reliqua. Similiter et ipsi comprovinciales (*Antioch.* 9, *Ephes. act.* 6, *Calch. c.* 12) episcopi, cum ejus consilio (nisi quantum ad proprias pertinet parochias) agant, juxta sanctorum constituta Patrum, ut uno ore, uno animo concorditer sancta glorificetur trinitas in sæcula.

XXIV.

Caveant judices Ecclesiæ (3, *q.* 9, *Caveant judices*), ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant (*Hadr.* 49, *ex conc.* IV *Carth. c.* 10), quia irrita erit; quippe et rationem pro actione reddent in synodo, et, ut proditoris calumnia, nec eorum postea vox (*ex Aniano et cod. Theod.*) audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille, qui injuriam ejusque sustinet nequitiam.

XXV.

Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit (3, *qu.* 6, *Si quis cler.*), in provincia, in qua ille consistit (*Hadr.* 8) qui pulsatur, suas exerceat actiones. Nec æstimet eum accusator suus alibi, aut longius pertrahendum ad judicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si judices suspectos habuerit, liceat appellare.

XXVI.

Primates accusatum discutientes episcopum non ante sententiam proferant (*Hadr.* 55) damnationis, quam apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes et canonice examinatos regulariter testes convincatur.

XXVII.

Irritam (3, *q.* 6, *Irritam*) esse injustam episcoporum damnationem decernimus (*censemus*), et ideireo a synodo retractandam (*Hadr.* 54), ita ut oppressis ab omnibus in cunctis subveniatur causis.

XXVIII.

Detractores (3, *q.* 4, *Detractores quoque ;* 2, q. 7, *Majorum quispiam*) qui divina autoritate eradicandi sunt, et fautores inimicorum, ab episcopali submovemus accusatione. Similiter, ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat; neque in re dubia detur sententia (*S. Greg. ep.* 30, *lib.* VIII, *et* 52, *lib.* XI), nec ullum judicium, nisi ordinabiliter habitum, teneatur.

Digitized by Google

XXIX.

Plura de his ideo hic non inserimus (*vide Hincmar, lib.* LV, *c.* 20), ne vacuare vilemve prædictam facere synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibusque prolixa faceret epistola. Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostræ ecclesiæ sedis scrinio et ea quæ prædiximus invenire poterit. Verum me (*Ennod, lib.* I, *ep.* 20) dixisse testis est divinitas. De receptione vero sedis, et sacerdotii, atque honoris, quæ dixistis Athanasium absque concilii decreto suscipere, non ita invenimus sicut calumniati estis : sed quorumdam episcoporum consilio atque decreto recepit suum quod injuste perdiderat sacerdotium, ac resedit in sede (*Trip.* X, 17, *ex Socr., Soz.*, etc.). Quod enim scripsistis, non eum posse a pauciore numero episcoporum restitui, quam depositus fuerat, non ita est; nec hæc regula orthodoxorum sanctæ ecclesiæ est episcoporum; sed Arianorum, sociorum videlicet vestrorum, hæc adinventio ad perditionem orthodoxorum episcoporum contexta est. Nam, ut nobis a veracibus est testibus relatum, quando Antiochiæ pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis congregati, odio prædicti Athanasii hanc regulam protulistis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit; quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romanæ ecclesiæ legatio interfuit, canonibus præcipientibus sine ejus auctoritate concilia fieri non debere (*Trip.* IV, 9 et 19). Nec ullum ratum est aut erit unquam concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate.

XXX.

Igitur de fuga, super qua Athanasium (1) reprehenditis, non bene (*al.* recte), agitis cum ipse Dominus mandatum hoc nobis dederit. *Cum persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X). Et ipse Dominus, per semetipsum exemplum nobis demonstrans (*al.* demonstravit), quando Pharisæi concilium fecerunt adversus eum, ut eum occiderent : *Sciens autem Jesus, discessit inde* (*Matth.* XII). Et alibi : *Tulerunt lapides Judæi, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo* (*Joan.* VIII). *Et transiens per medium eorum, abivit, et ita discessit* (*Luc.* IV). Nam et discipuli propter metum Judæorum recesserunt, celantes semetipsos. Et Paulus (II *Cor.* XI) in Damasco a principe gentis quæsitus, de muro in sporta depositus est, et manus quærentis effugit. Et alii quamplurimi et innumerabiles sancti, tam in Veteri Testamento, quam in Novo, fugisse leguntur. Si ergo fugam improperatis fugientibus, erubescite potius persequi, et quiescite insidiari, quiescentque continuo fugientes. Nam sive perimatis eos, mors semper contra vos exclamat : sive rursus exilia superponatis, ubique in vos mali memoriam destinare noscimini, et illi patiendo sibi proficiunt. Unde et Dominus ait : *Nolite timere eos qui occidunt corpus,*

(1) Fugit anno dumtaxat 342, a Gregorio pulsus. Vide ejus apol. 2, et Trip. VI, 22.

A *animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* (*Matth.* X). Multos enim cognovimus pessimis machinationibus injuste depositos : ideo summopere a me (*al.* mihi), cui vice apostolorum principis universalis Ecclesiæ cura commissa est, providendum est, auxiliante ipso summo apostolo, ne deinceps talia fiant : quoniam ideo huic sanctæ sedi (2, *qu.* 6, *Ideo huic sanctæ sedi*) præfata privilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis conciliis et judiciis ac restitutionibus episcoporum, quam et de summis ecclesiarum negotiis, ut ab ea omnes oppressi auxilium, et injuste damnati restitutionem sumant, et talia (*concil. Rom.* III, *sub Symmacho*) ab improbis ne præsumantur absque ultione, nec exerceantur
B absque (*al.* sua) damnatione. Non ergo recte egistis, quod prædictos fratres calumniati estis, dicente Domino : *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum* (*Levit.* XIX). Nec recte egistis, quod nobis inconsultis concilium celebrastis, eosque ad concilium vocastis, et damnare præsumpsistis, canonibus (ut præmissum est) jubentibus (*Trip.* IV, 9) nihil ex his absque hujus sanctæ sedis auctoritate fieri debere. Non recte egistis quod regulariter a nobis ad concilium vocati venire distulistis. Non recte egistis quod contra eos rationem reddere, ut vestra erga eos aut probaretur recta sententia aut improbaretur, non venistis, nec rationalem mandastis causam, ut quid hæc renuistis.

Iis ergo omnibus perpensis, manifestum est vos
C reos existere, et illos innocentes remanere : et vos recte excommunicatos, illosque juste liberari. Noluit itaque Dominus tam leviter suos tractari ministros, sicut facitis; aut a vobis damnari, sed (sicut memoratum est) aut ab hac sancta sede, cui commissi sunt, aut suo reservari judicio. Ait enim : *Qui vos contristabit, me contristabit* (*Luc.* X). *Qui fecerit injuriam vobis, recipiet id quod inique gessit* (*Coloss.* III). Et quanta pœna expectet eos qui Domini scandalizant discipulos, Evangelium sufficienter exponit, ubi de scandalizantibus discipulos loquitur. Nam quod a vobis non sint damnandi, sed aut ab hac sancta (ut præfatum est) sede, aut sibi reservandi, ipse manifeste dat exemplum, quando peccantes sacerdotes, quorum locum modo in sancta ecclesia tenent epi-
D scopi, non per alium, sed *per semetipsum vendentes et ementes ejecit de templo, et mensas nummulariorum proprio evertit flagello, et ejecit de templo* (*Matth.* XXI; *Marc.* II; *Luc.* XIX; *Joan.* II). Et ipse alibi ait : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit* (*Psal.* LXXXI), et reliqua talia et his similia. Et alibi idem ipse ait : *Nolite judicare, ut non judicemini, nolite condemnare, ut non condemnemini* (*Matth.* VII). *In quo enim judicio judicaveritis judicabimini* (*Luc.* VI).

XXXI.

Quapropter (30, *qu.* 5, *Jud. opus : et in decret. Eleutherii*) non tam temere (ut vos facitis) quispiam suam præsumat evomere iniquitatem, sed judicantem

Digitized by Google

cuncta oportet (1) rimari, et ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec de illis, quæ ei inconcessa sunt, ullo modo judicium præsumere interrogandi ac proponendi adjiciendique, patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec prius litigantibus (*al.* prius judex) sua velit sententia obviare, nisi quando illi, peractis omnibus, jam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant. Nec oportet quemquam judicari aut damnari, antequam suos accusatores præsentes habeat, locumque defendi accipiat spatiosum ad abluenda crimina (*Hadr.* xx).

XXXII.

Similiter in jam fata synodo statutum est (2, *q.* 6, *Ultra provinciarum*), ut ultra provinciæ terminos accusandi licentia non (*Hadr.* x, *ex cod. Theod.*) progrediatur, nisi ad hanc apostolicam fuerit sedem provocatum, ad quam omnes qui voluerint libere, et absque ullo impedimento a quibusdam agendo, confluere debent.

XXXIII.

Similiter in jam (3, *qu.* 5, *Similiter in præfato*) præfixa (*al.* præfata) synodo est decretum, ne suspecti, aut infames (*Hadr.* xv), aut criminosi, aut gratiosi (2), vel calumniatores, vel affines, aut facile litigantes suspiciantur accusatores, sed tales, qui omni careant suspicione, quia columnas suas Dominus firmiter stare voluit, nec a quibuscumque agitari.

XXXIV.

Similiter statuit præfata synodus, ut nullum sententia, nisi a suo judice dicta, constringat. Judices autem alii (1, *quæst.* 1, *Judices autem alii*) esse non debent, quam quos ipse qui impetitur elegerit (3), aut quos suo cum consensu hæc sancta sedes, aut ejus primates auctoritate hujus sanctæ sedis delegaverint. Ex his enim et aliis quæ tam in hac sancta sede quam et ab apostolis eorumque successoribus sunt statuta, nihil præfatis episcopis concessistis, sed vim eis inferentes, injusteque (ut superius commemoratum est) eos damnantes, aliquos absentes expulistis, quod omni christianæ religioni est inimicum. In quibus apparet, quod nec Domino sua servastis jura, nec huic sanctæ matri et apostolicæ Ecclesiæ, quæ (ut præscriptum est) eos suo judicio, aut huic sedi voluit reservari, ne a tam pravis (sicut estis) hominibus damnarentur aut ejicerentur, in his omnibus vos stultos et prævaricatores Evangeliorum et canonum esse, nulli sane sapientium est absconditum.

XXXV.

Nec his contenti in vestra estis prævaricatione (2, *q.* 2, *Nullus potest convocari*), sed etiam, quod prius expulsos eos, et suis expoliatos rebus, quasi vocastis atque damnastis, cum nullus regulariter aut vocari aut judicari possit, antequam sit regulariter restitutus, et sua omnia ei legibus (*conc. Rom.* III, *sub Symmacho*) sint integerrime reformata. Est namque in sæpe jam dicta sancta synodo ab omnibus unanimiter decretum et apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum (2, *qu.* 2, *Si episcopus suis fuerit; et in decr. Eusebii papæ sententialiter*) suis fuerit rebus expoliatus, et in accusatione pulsatus, ordinatione pontificum oportet et decet sanctum propositum prima fronte cedere, ut omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primo potestati ejus ab honorabili concilio redintegrentur, et præsul regulariter prius statui pristino reddatur, et ipse, dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad causam, et si ita juste (*al.* justum) videtur, accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos Patrum, judicantes et damnantes eos quos non debuistis? Quare judicastis eos quos non regulariter approbastis? Non observastis (*Anast.* II *papa, in ep. ad Anast. Aug., c.* 2) quod in Regnorum libro scriptum est: *Non, quomodo videt homo, videt Deus: quia homo videt in facie, Deus autem in corde videt* (I *Reg.* xvi). Et in Paralipomenon: *Omnia corda scrutatur Deus, et omnem cogitationem novit* (II *Par.* xxviii). Et alibi scriptum est: *Non potest humano condemnari examine quem Deus suo reservavit judicio* (*Hadr. c.* 55). Hæc omnia summopere præcavenda sunt, nec accusatio episcoporum facile est recipienda, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii* (*Exod.* xxiii). Et Apostolus inquit: *Adversus presbyterum inscriptionem non recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus* (I *Timoth.* v). Si hæc de presbyteris vel cæteris fidelibus sunt præcavenda, quanto magis de episcopis? Quibus cognitis, magis (*S. Leo, ep.* 84, *c.* 1) vos dominari velle manifestum est, quam consulere fratribus, aut sustentare eos, quia honor inflat ad superbiam: et quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque vos juxta præfatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis, et expectare quid ad vestra consulta rescriberemus, intantum ut, si etiam quidquam grave intolerandumque committerent, nostra præstolaretur censura. Et nihil prius aut aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognovissetis, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione recederetis. Cesset (*Bonifacius, ep.* 5) hujusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio, vitentur hujusmodi nocumenta; quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta quoniam convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Merito (*S. Cœlest., ep.* 1) namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.

XXXVI.

Est insuper in prædicta sancta Nicæna synodo (1, *qu.* 7, *In sancta Nicæna*) statutum, ut nemo anathema in nostra suscipiatur accusatione: nec illi qui nos in sua nolunt recipere querela vel accusatione, cum nos super illos scianus a Domino constitutos, non illos super nos. Et sicut (*Cœlas. de vinculo anathema-*

(1) Hadr. 24 papæ, ex Const. 1, tit. 18, l. II cod. Theod. cum interpr. Aniani. In decret. Ivo lib. IV.

(2) Id est, *adulatores*, ut exponit glossa in præfato capite.

(3) Hadr. 37, *ex cod. Theod.* lib. IV, tit. 16, const. 2, apud Greg ep. 56 libri XI.

Digitized by Google

tis) major non potest a minori judicari, ita nec colligari : quia rarum (*Zos. cap.* 1, *ep.* 1) est omne, quod magnum est. Portamus onera omnium (*Siricius ep.* 1) qui gravantur, quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, cujus vice fungimur legatione, et cujus regula informamur, quatenus ejus A fulti auxilio ab omnibus nunc et in perpetuum tucamur adversis. Data Kalendis Novembris, Feliciano et (1) Maximiano viris clarissimis consulibus.

(1) Titiano corrigendum ad eoque anno 237, unde patet dolus fabricatoris.

ANNO DOMINI CCCLXII—CCCLXXII.

C. F. MARIUS VICTORINUS

ET

CANDIDUS ARIANUS.

(*Galland. Bibl. p.* VII-IX; 133, 199; *Maii Coll. t.* III, *part.* II, *p.* 1-163.)

PROLEGOMENA.

NOTITIA

DE VICTORINO AFRO.

I. C. Fabius Marius Victorinus V. C. natione Afer, teste sancto Hieronymo (1), Romæ sub Constantio principe rhetoricam docuit, et in extrema senectute Christi fidem suscepit : quod quidem haud diu ante annum CCCLXII, quo Julianus apostata rerum potiebatur, contigisse videtur. Sanctus enim Augustinus Deum alloquens, de Victorino hæc habet (2) : « Imperatoris Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam : quam legem ille (Victorinus) amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quam verbum tuum quo linguas infantium facis disertas. » Magna porro eloquentiæ laude ac disciplinarum studio ipsum adeo claruisse, ut statuam in foro Trajani meruerit, testatur Doctor C maximus (3). Qua de re Deum iterum alloquentem Augustinum audire præstat (4) : « Ille, inquit, doctissimus senex, et omnium doctrinarum liberalium peritissimus, quippe philosophorum tam multa legerat et dijudicaverat et dilucidaverat, doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterii statuam in Romano foro meruerat et acceperat, usque ad illam ætatem venerator idolorum.... non erubuit esse puer Christi tui, et infans fontis tui, subjecto collo ad humilitatis jugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium. » Nonnullisque interjectis ista subdit sanctus Doctor : *Legebat sanctam scripturam, omnesque christianas litteras investigabat studiosissime et perscrutabatur.* Qua demum sacra subactus lectione Christo nomen dedit : ut propterea mitius accipienda D videantur ea sancti Hieronymi verba, quibus ait (5) quod Victorinus *occupatus eruditione sæcularium litterarum, scripturas omnino sanctas ignoraverit.*

II. Quandiu vero post fidem susceptam circa annum Christi CCCLX, aut CCCLXI superstes fuerit tantus vir, non est adeo exploratum, ut quidquam certi statui possit. Verum si attendantur ejus litterarum monimenta quæ superant, cum contra Manichæos tum adversus Arianos exarata, nec non commentarios in Apostolum quos memorat et legit sanctus Hieronymus (1), quosque etiamnum delitescere mss. in Herivallensi codice testatur Sirmondus (2) : hinc demum jure colligas, Victorinum, senem licet ad Christum conversum, neque vires neque ingenium defecisse, adeoque post annum CCCLX, aut insequentem diutius adhuc in vita fuisse, quo christianis dogmatis addiscendis sedulo incumbens, pro fide ac religione tot ac tanta perscriberet. In hanc autem sententiam eo in primis adducor, quod idem sanctus Hieronymus apologiam contexens pro suis libris adversus Jovinianum quam Pammachio inscripsit, hæc habet : *Si id ipsum virgo putatur et nupta, cur piaculum vocis hujus Romæ Victorinus audire non potuit?* Haud equidem ignoro, locum istum Hieronymianum fuisse primum a Martianæo immutatum (3), qui omisso *Victorini* nomine, ita rescripsit : *Roma audire non potuit?* Neque aliter Vallarsius, editorem Benedictinum deinceps secutus (4). Editi tamen priores, Erasmi præ cæteris (5) et Mariani Victorii (6), quibus adstipulantur mss. non pauci, lectionem constanter exhibent quæ *Victorini* nomen retinet, nobis modo prolatam : ut proinde non temere rejicienda videatur. Hac itaque vetere lectione semel admissa et mss. auctoritate firmata, in vivis adhuc egerit Victorinus anno CCCLXXXII. Constat namque inter eruditos, Jovinianum hæreticum quem Hieronymus eo loci per-

(1) *Hieron.* lib. de Vir. illustr. cap. 101.
(2) *Aug.* Confess. lib. VIII, cap. 5, n° 10.
(3) *Hieron.* in Chron. ad ann. 2370.
(4) *Aug.* l. c. cap. 2, num. 3 et 4.
(5) *Hieron.* præfat. ad comment. in Epist. ad Gal.

(1) *Hieron.* ll. cc.
(2) *Sirm.* opp. tom. I, pag. 345, § 5.
(3) *Martian.* edit. *Hieron.* opp. tom IV, epist. XXX, pag. 229.
(4) *Vallars. Hieron.* opp. tom. I, epist. XLVIII, pag. 210.
(5) *Erasm. Hieron.* opp. tom. II, epist. L, p. 101, *a.*
(6) *Mar. Vict. Hieron.* opp. tom. II, epist. L, pag. 388, *b.*

Digitized by Google

stringit, non ante eumdem annum Romæ substitisse. Sed quo demum exinde anno vitam clauserit, haud est plane compertum.

III. Iis ita de anno Victorini emortuali disputatis, jam quantum doctrina valuerit auctor, quove nomine inter Ecclesiæ scriptores locum sortiri meruerit, ex ejus quæ supersunt litterarum monimentis arguendum. Primum itaque in nostram ecclesiasticorum operum Victorini collectione libellos duos stitimus: quorum alter *ad Justinum Manichæum* (quem *Justum* (1) appellat Labbeus, licet alibi (2) et ipse *Justinum* dicat) *contra duo principia Manichæorum*, *et de vera carne Christi* inscribitur; alter *de verbis Scripturæ:* FACTUM EST VESPERE ET MANE, DIES UNUS. Eos vero ex Herivallensi codice descriptos anno 1630. Parisiis edidit Sirmondus, qui et simul monuit, se inscriptiones effinxisse, quibus in ms. libelli carebant. Utrum autem duo isthæc opuscula Victorinum Afrum scriptorem agnoscant dubitat propterea Launoius (3), quia eorum non meminit Hieronymus. Verum quam elumbe sit argumentum ex Hieronymi silentio ductum, quo nimirum huic vel illi auctori scripta nonnulla abjudicentur, alibi satis superque demonstravimus (4). Præterea, si eorumdem opusculorum stylus asper, obscurus, implexus cum ea scribendi ratione conferatur qua utitur auctor in reliquis operibus quæ ab Hieronymo memorata superant adhuc, eorum scriptor enimvero evincitur fuisse Victorinus, ut probe arguit Tillemontius (5). His adde quæ memoriæ tradidit auctor Appendicis ad Isidorum et Ildefonsum (6): *Victorinus episcopus*, inquit, *composuit et ipse versibus duo opuscula admodum brevia: unum adversus Manichæos, reprobantes veteris testamenti Deum, veramque Christi incarnationem contradicentes: aliud autem adversus Marcionistas, qui duo principia, id est, duos deos fingunt.* Ad quem locum recte Miræus: « Opuscula duo, ait, adversus Manichæos et Marcionistas quæ heic recensentur, videntur esse *Victorini Afri rhetoris*, de quo Hieronymus cap. 101. Victorini porro hujus libellos duos Sirmondus Lutetiæ 1630 publicavit. — Garsias tamen Loaisa putat, duo illa opuscula quæ hoc capite memorantur, esse attribuenda *Victorino rhetori Massiliensi*, de quo Gennadius, cap. 60. Ut ut sit, notet lector Victorinum nostrum hoc capite *episcopum* vocari: quem titulum nec suo Victorino Afro Hieronymus, nec suo Victorino Massiliensi Gennadius tribuit. » Hæc Miræus. Et quidem minus diligenter litteris consignavit anonymus ille auctor Appendicis, quæ de Victorino eo loci prodidit: at satis opportune aliqua saltem ex parte, ad id quod præcipue intendimus comprobandum.

IV. Opuscula duo modo laudata excipit alterum A ejusdem Victorini *de generatione divini Verbi*, seu *Confutatorium Candidi Ariani ad eumdem.* Præmittitur ejusdem Candidi Ariani libellus *de generatione divina;* cui, ut innuimus, suum opposuit Victorinus. Utramque porro opellam anno 1548 Basileæ primus evulgavit cum suis in Genesim et Exodum conceptionibus Jacobus Zieglerus (1). Exinde vero eadem in urbe anno 1555 inter Orthodoxographa reposuit Joannes Heroldus. Medio autem sæculo insequente duum Victorinorum scriptis intexuit Andreas Rivinus. Denique opuscula eadem velut adhuc inedita publici juris fecit Mabillonius (2). Et Victorini quidem integrum edidit vir doctissimus: at Candidi acephalum, quin et magnam partem truncatum: neque enim aliter se habebat codex Augustanus sancti Udalrici, unde ille B utrumque descripsit, mendis præterea quam plurimis obsitus. Ex hac tamen Mabilloniana editione illud commodi accessit, quod opusculi Victorini collatione instituta cum anterioribus editis, non solum haud pauca loca supplevimus, variasque olim corruptas lectiones integritati restituimus; sed, quod rei caput est, quum antea sive librariorum inscitia, sive potius male compactorum exemplarium vitio, luxata essent plurima, perperam transposita et fœde inversa; ex Mabilloniano edito ubi recte intercurrunt omnia, suis quæque locis digessimus, ut ex subjectis adnotationibus lector compertum habebit (3).

V. Illud vero animadvertere operæ pretium fuerit, sub finem prædicti libelli *de generatione divini Verbi* Victorinum suorum *de Trinitate* librorum *adversus* C *Arium* meminisse. Sic enim ille (4): *Dictum est a nobis sufficienter, ut credo in aliis libris, a quo sit progressio et descensio; regressioque promissi sancti Spiritus declarata est: et de triplici unitate et unali trinitate.* Nonnullisque interjectis: *Sed de iis tribus*, inquit, *alia nobis oratio.* Verum ex his haud colligas velim, libros IV *de Trinitate* ante hunc libellum absolvisse aut etiam evulgasse Victorinum: ut propterea iisdem IV libris alter de quo loquimur, subjiciendus esset, adeoque auctoris opera ordine præpostero digesta heic esse, nobis objicias. Ipsemet enim Victorinus hunc scrupulum eximit statim ab initio libri I, ubi Candidum Arianum alloquens hæc habet (5): *In primo sermone hujus operis, et multa et fortiora quædam etiam horum, o amice* CANDIDE, *proposita* D *atque tractata abs te sunt; quæ quamquam ut oportuit dissoluta sunt.* cet, Audin'? *In primo sermone*, inquit. Quibus sane verbis tum Candidi libellum *de generatione divina*, tum suum ejusdem libelli *Confutatorium* satis luculenter innuit auctor. Hinc itaque rite arguendum videtur, Victorinum dum superius ait, *Dictum est a nobis sufficienter*, cet., suos IV libros affectos quidem, sed non confectos indigitasse.

(1) *Labb.* Bibl. nov. mss. pag. 24.
(2) *Id.* Dissert. de Script. eccl. tom. II, p. 467.
(3) *Laun.* de Victor. opp. tom. II. part. I, p. 648.
(4) Prolegom. ad tom. I Bibl. PP. cap. 1, § 12, pag. 22.
(5) *Tillem.* Mem. eccl. tom. X, pag. 405.
(6) Cap. 7, apud *Fabric.* Bibl. eccl. pag. 69.

(1) *Ziegl.* Conc. in Gen. et Exod. pag. 232, 237.
(2) *Mabill.* Anal. tom. IV, pag. 155, et pag. 1 edit. nov.
(3) Vid. infr. pag. 144, not. 6, pag. 145, not. 12, pag. 146, not. 1.
(4) *Victor.* de gener. div. Verb. § 31, inf. p. 150.
(5) *Id.* lib. I, adv. Ar. § 1, infr. pag. 152.

Digitized by Google

VI. Jure itaque modo laudatis opusculis libros IV, adversus Arium subjecimus, *more dialectico scriptos* et *valde obscuros*, judice Hieronymo (1), *qui nisi ab eruditis non intelliguntur*. His præfixum est Candidi epistolium Victorino inscriptum, cui Arianus ille Arii epistolam ad Eusebium Nicomediencem intexuit, ab Epiphanio (2), Theodorito (3) et Nicephoro (4) recitatam. Id vero non agnovisse viros doctos qui veterum Patrum bibliothecas consarcinarunt, est quod miremur; eamdem scilicet epistolam libris IV Victorini præmittentes quidem, sed nulla distinctione neque ulli certo auctori tribuentes. Hanc autem Arianam epistolam ab amico suo Candido postulasse ipsummet Victorinum, et quo consilio postulasse, ex eodem comperimus. Sic enim ille Candidum suum allocutus (5) : *Quæ proposita atque tractata abs te sunt (o amice Candide) quamquam ut oportuit dissoluta sunt; tamen idcirco ista ex* EORUM EPISTOLIS *audire voluimus : ut dum hæc omni confutatione convincimus, illa quoque ex istorum confutatione vincamus.* Cæterum admonere nostra interest, in horum IV librorum inscriptione ac in præcedentis *Confutatorii* titulo, secutos nos fuisse veteres editos, in quibus Victorinus *Vir Consularis*, ab re tamen, dicitur; quum mss. siglæ *V. C.* reddendæ agnoscantur *Vir Clarissimus*, neutiquam vero *Consularis*, ut recte advertit Tillemontius (6). Atque ita sane cum in fronte collectionis operum ejusdem auctoris, tum etiam alibi nosmet ipsi rescripsimus. Neque vero heic omittendum quod admonuit Brasichellensis (7), caute nimirum hosce libros esse legendos, in quibus nonnulla duriuscula minusque ad catholicam regulam expensa reperire est, quorumque auctorem, ut ait Petavius (8), σκοτεινὸν non minori jure, quam Heraclitum illum, cognominare possis. Verum in hanc sententiam legas maxime velim, quæ ad Marium Victorinum ab ejusdem Petavii censura vindicandum litteris tradiderunt viri docti, qui S. Zenonis Veronensis episcopi Sermones eruditis dissertationibus illustrarunt (9). Cæterum nemo inficias ierit, exemplaria edita mendis passim fœdata circumferri, nonnisi alicujus vetustioris codicis tollenda, cujusmodi est ille Claromontanus septingentorum annorum, cujus meminit Simonius (10) : cui tamen malo mederi studens qui primus eos libros evulgavit, aliquot emendationes margini adlevit, quas ad limbum pro more nostro subjecimus, pauculis etiam nostris intextis. De potioribus vero Novi Fœderis locis a Victorino excitatis, præter laudatum Simonium, plura dabit Joannes Millius (1).

VII. Jam vero de tempore quo scripti fuere iidem libri adversus Arium, ab ipso Victorino erudimur. In iis enim loquens de concilio Nicæno (2) : *Probatum* illud, ait, *ab imperatore* (Constantino) *imperatoris nostri* (Constantii) *patre*. Eos itaque libros scribebat auctor, dum etiamnum rerum potiebatur Constantius; sub quo item principe ipsum adhuc ethnicum claruisse, superius ex Hieronymo intelleximus. Quin et aliam temporis notationem signat ibidem Victorinus, ubi rursus concilii Nicæni mentionem injiciens, illud *ante* XL *annos* celebratum tradit (3). Quum autem idem concilium habitum fuerit anno CCCXXV, hæc igitur litteris consignabat auctor anno CCCLXV, imperante Valentiniano, si rectam annorum rationem inierit. Utrumque porro Victorini locum probe animadvertit Baronius, qui de posteriore verba faciens (4) : « Annorum XL numerum, inquit, si quis velit ad exactum referre calculum, dicendum esset Victorinum nonnisi Domini anno sexagesimo quinto post trecentesimum eos libros scripsisse, quo expletur numerus ille quadragenarius a dicto Nicæno concilio. Quamobrem sic ipse expressisse numerum illum intelligi posse videtur, non ut ea obiter tractans certum volverit annorum numerum consignasse, sed quod post tertium annorum denarium quartus jam volveretur. » Hæc vir summus. Aliter tamen censet Gothofredus (5); qui Victorini verba, *ante* XL *annos*, tantum abesse putat, deductiorem, seu *minorem quadragesimo* numerum significent, ut contra etiam ulteriorem suadeant. Qua de re nonnulla observat Tillemontius (6) : qui tamen laboris impatiens, Victorini locum a Baronio excitatum consulere haud sustinuit. Sic enim ait : « Pour le premier livre sur la Trinité d'où Baronius le cite, il est trop long pour les y chercher (ces 40 ans) » Cæterum monendus heic est lector, probam Victorini lectionem, *ante* XL *annos* exstare in una *Hæreseologia* Joannis Heroldi (7), ubi occurrunt libri IV ejusdem auctoris adversus Arium; qua ex editione illam hauserit Baronius : nam cæteræ quæ insecutæ sunt in duabus veterum Patrum bibliothecis parisiensibus (8) mendose legitur *ante* II *annos*; quem quidem numerum litteris sic expressum *undecim*, exhibet quoque postrema Lugdunensis (9); quemadmodum et nostra (10), ad eas videlicet editiones exacta, quod tum *Hæreseologia* Heroldi ad manus non esset : ubi propterea restituen-

(1) *Hieron.* de Vir. illustr. cap. 101.
(2) *Epiph.* Hær. 69, § 6.
(3) *Theodor.* Hist. eccl. lib. I, cap. 5.
(4) *Nicep.* Hist. eccl. lib. VIII, cap. 9.
(5) *Vict.* lib. I adv. Ar. § 1.
(6) *Tillem.* Mem. eccl. tom. X, p. 401, not. 1.
(7) *Brasich.* Index libror. expurg. tom I. pag. 121.
(8) *Petav.* de Trinit. lib. I cap. 5, pag. 30 et 103.
(9) *Bellerin.* ad S. Zenon. Dissert II cap. 1, § 8, pag. 85.
(10) *Simon.* Critiq. de la Bibl. des aut. eccl., tom. I, p. 64.

(1) *Mill.* Prolegom. ad N. Testam. Gr. pag. 74. num. 778.
(2) *Victor.* lib. II adv. Ar. § 9, in fin.
(3) *Id.*, ibid., lib. I, § 28.
(4) *Baron.* ad ann. 302, § 301.
(5) *Gothofr.* Cod. Theod. Tom. VI, part. I, pag. 275 edit. nov., al. 251.
(6) *Tillem.* Mem. eccl. tom. X, pag. 799, not. 4, *sur S. Simplicien.*
(7) Hæres. *Herold.* pag. 186 edit. Basil. 1556.
(8) Bibl. PP. Paris. ann. 1624 et 1644, tom. IV, part. I, pag. 198, *b*.
(9) Bibl. PP. Lugd. tom. IV, p. 261, *h*.
(10) Bibl. PP. Ven. tom. VIII, pag. 162, *d*.

Digitized by Google

dus numerus XL, qui caligantibus oculis facili lapsu in XI perverti potuit; ex quo deinceps manavit numerus ille arabicus 11 et alter *undecim* syllabatim exaratus. Sed ut in viam regrediamur, illud præterea de hoc Victorini opere animadvertendum fuerit, librum I fortasse desinere cum professione fidei quæ extat cap. XLVII, clauditurque his verbis: *Gratia et pax a Deo patre et filio ejus Jesu Christo Domino nostro, sic ista confitenti in omnia sæcula sæculorum.* Atque hujusmodi conjectura ex iis confirmari posse videtur, quæ habet auctor sub initium cap. 54 ejusdem libri I, ubi sic: *Dictum*, inquit, *de istis est in* LIBRO QUI ANTE ISTUM. Verum ab editis non discessimus, id tantum annotasse contenti.

VIII. Libris IV adversus Arium subjicimus opusculum *de ὁμοουσίῳ recipiendo*, quod jure optimo videtur existimasse laudatus Gothofredus, nihil aliud esse quam Epitomen prædictorum IV librorum, posterius proinde ab auctore scriptum; quod tamen in antea vulgatis post Hymnum I perperam collocatur. Sequuntur hymni III *de Trinitate* ametri et anarythmi: caute quidem legendi; in nonnullis enim, judice Launoio (1), interpretem benignum exigunt, ut videre est apud Brasichellensem (2). Ad Carmen vero quod spectat *de septem fratribus Macchabæis*, Victorino nostro antea tributum; illud vero prætermittendum duximus cum viris eruditis Joanne a Bosco (3), Barthio (4), Labbeo (5), Oudino (6) et Balleriniis (7); qui complurium codicum mss. auctoritate ducti, carmen illud potius sancto Hilario episcopo Arelatensi, quam Victorino Afro adscribendum existimant.

(1) *Laun.* de Victor. opp. tom. II, part. I, pag. 648.
(2) *Brasich.* Index libr. expurg. tom. I, pag. 122.
(3) *Jo. a Bosco* Bibl. Flor. tom. II, pag. 198.
(4) *Barth.* Advers. III, 23.
(5) *Labb.* Dissert. de Script. eccl. tom. II, p. 468.
(6) *Oudin.* de Script. eccl. tom. I, pag. 1230.
(7) *Baller.* ad S. Leon. opp. tom. II, pag. 345, num. 4.

MARII VICTORINI

LIBER AD JUSTINUM MANICHÆUM

CONTRA

DUO PRINCIPIA MANICHÆORUM, ET DE VERA CARNE CHRISTI.

I. Loqui ei, qui jam olim multa lectione, continui laboris vigiliis indefessis, tenuerit quid ad fidem legis debeat confiteri, errantis est, Justine, sed amantis. Unde ego malui quanti te habeam pandere, et libenter accepi id me apud te laborasse, uti præintelligeres adhuc tibi esse requirendum quod Manichæus, et ut is Andreas actibus eloquitur, atque Thesauro revelavit. Quo ego conventus adtente disquiro vere hæc diceres, necne: diversa contrariaque nobis ab uno esse principio, disserendum habens pro voto, eadem non abnui respondere. Volo autem, faxis frater, operæ esse pretium hunc laborem. Libellum frequenter relege destinatum, et ipse volvendo quæ dicuntur altioris inquisitionis secreto penetra vel indaga. Vincit enim verba visus interior, et abditum immensi etiam ipsius mentis suspiciones fastigat et cæcat, quibus cum pie et reverenter quæritur, delectat potius quam terrere intelligitur. Namque homo uterque victurus, cum unum principium esse sanctæ mentis intentio percontatur, caroque hæc nostra, quam abditis cum herbis et graminibus quæ diligitis, unum eumdemque suum ac totius mundi, prout sibi est agere, veneratur auctorem. Admirans autem ego ipse, et obstupescens pertinax tuum consilium, quod carnem oderis, et gramina venereris, nondum scio utrum hæc ab uno an diversis latearis. Quod si ab uno dices, quid incidas vides: si ab altero, incautum est alterius propter alia laudare factorem, suum vero propter ea quæ in se sunt arguat et objurget. Sed ne hæc dicendo increpem potius quam respondeam, si moverint, post dicentur: modo accipe quæ quæsisti.

II. Valere et licere nobis quærere de his quæ ultra nos atque mundum sunt, cum pene ipsi nobis simus incogniti, amens est et insanum, verique periculi ambigere unde et quomodo, vel a quo sis, eum esse te et cum carne haberi non audeas dubitare, videasque perspicue in mundo te degere, et tui conditoris ope, cum ei es tamen obtemperans, liberari: habeasque confessum quod Salvator unus sit, et quod ab uno factore sis paveas confiteri, dividens quidem alterum factorem carnis, animæ alterum conditorem. Dicimus igitur hæc imaginantes quod mundo uterque dominantur, et facturam suam in homine custodiunt: insistens pariter ne dispereat quod de suis regnis quisque perfecit. Respuit hæc sol præclarus, et casta virginitas atque gloriosus siderum chorus, totiusque mundi omnis hæc fabrica refutat atque abjicit, originem sibi a duobus diversis et duobus ingenitis obvenire. Violatur enim profanis sensus nebulis, si tantus splendor fulgoris immensi antiquioribus tenebris atque earum parte consistat. Sic enim contingit ut ex ipsis sol sit, si de duobus principiis omnis mundus ut esset accepit. Plane quia nostrum non est in his intelligentiam detinere, atque in hac sensus peregrinatione consistere, fugimus et horremus eum, cujus etiam ipsi victores sumus, a se esse confiteri. Deni-

Digitized by Google

que capias desidero, quale est dicere carnem absque eo esse a quo exordium cuncta sumpserunt : eamque in regnis superioribus habitare, ubi est illa virginitas memorata, gloria, lux prædicata : quæ quia in Christum inde descendit, ibi non esse non potest æstimari. Inde enim est Christo habere carnem, cum de Maria dicere tua non patitur veneratio. Dicemus ergo ab altero esse quod Deum sumpsit? Quid agendum erat sumpturo, si non qui est conditor fabricaret? Ac si composuit, numquid est digna mereri?

III. Ilic, ut video, laudatur inventor et conditor, si in ea dignata est æternitas habitare. Si autem alia illa caro quæ in Christo, non tamen antiquior, et Deus factor posterior invenitur. Si antiquior, cur ipsa in mundo non est, et cur in cœlo est, ubi carneus nullus est? Et si ipsa in mundo non est quæ in Christo, unde in regnis alienis externis oris obvenit creatura? aut unde hic animæ copulatur? aut quare valet tam frequenter sibi animas captivare, ut pene plus potens in regnis pareat alienis? et quid laborat auctor interioris hunc interiorem e carne liberare? aut cur unde liberandus erat, eum ut clauderetur admisit? Certe totum hic quod mundus est regnum est veritatis et lucis, et qui factor ejus est dominatur. Si in hoc omni proprio sibi regno unum est alterius quod caro dicitur, hæcque sola tantum possit et valeat, ut impulsa ejus anima jactetur fluctuans et fatigata languescat, quantus in suis regnis esse possit qui factor carnis est intuemur. Si enim hoc regnum quod mundus omnis est, ejus esse capiamus, a quo carnem credimus ministram ejus; dicemus solem, et illum chorum, ac virginem singularem, e latebrarum fonte claruisse. Quod ego quidem libens amplector, et elata lætitia gaudeo profiteri, unum his omnibus conditorem, eumque quem lucem esse, et veritatem, atque totum haberi fas sit, piæ inquisitionis secreto causa curæ penetrantis agnitum venerari. Ita habere exsultantis animæ recordatio elevat sensus, et omnes curas spiritus fluctuantis festis rationum causis origo melior consolatur. Quidquid sæcula dicuntur, aut regna numerantur, vel mundi habentur, quidquid omni prisco prius antevenit unum esse, existere singularem, quodque immensum haberi eo colligitur, quod totum sit, sed unus dicatur.

IV. Aliter quidem, Justine, quod ipse est, aliter quæ ab ipso. Quod ipse est unum est, totumque est quidquid ipse est : quod vero ab ipso est, innumerum est. Et hæc sunt, quibus repletur omne quod uno toto clauditur et ambitur. Verum quod varia sunt quæ ab ipso sunt, qui a se est et unum est, variis eum convenit dominari. Et ut omnipotens apparet, contrariorum etiam origo ipse debuit inveniri. Idque plane jam illius silvæ est, quæ omne lignum materie discrevit specierum, arborum genere dispar atque dissimile : et tota tamen silva ac penes discreta confusio, in innumeris millium milliorum materie lignum esse conspicitur et videtur, et non tamen natura denotatur. Hæc similitudinum esse quæ decreta sunt, atque quæ ab altero ut essent eis contigit provenire, mecum et tu intuens recordaris. Illa vero, illa immensa et a semetipsis, ipsa carere similitudine, comparatione viduari, exemplo deficere nemo dubitabit : quo cogitur confiteri, et ad id urgetur artari nostræ intentionis ingressio ad illa excelsi abdita indefessis finibus meantia, ad secretius secretorum penetrare venerandum rerum, sola quidem quantum tamen valet natura, quantum sermo sufficit fari, aggredi, attingere vel tentare. Et ideo immenso quid erit simile jam requiro.

V. Dicito, si vales, qui compationibus fidem largiens consecutum te credis per imaginum umbras veritatem. Sed ut video deficis non tu, Justine, rebus, quam tibi res. Atque si, ut aisc soles et nunc dicis aliud regnum, numquid hoc est aliud nescio quod regnum quod et immensum? Sed non video convenire ut immensum dicatur, si esse et alteri non negatur : ubi enim incipit esse alteri, illic deficit finis alterius, et neuter est infinitus. Quod si ita est ut finitum sit, a quoquo ipsorum esse respuo vel abutor. Tamen quia ab altero sumus, et mundus a se non est, quique quantusvis sit, est tamen finitus, si non cæteris, utique vel factori : adeo infinitum factorem ejus sacrosanctum est confiteri. Ergo omnia quæ in mundo sunt, ea quæque sunt quod ipse mundus est, ab eo esse principio intueor et cognosco, quod unum et solum a se ipso in se sibi est, quodque immensum totumque infinite porrigitur, et eo meat ut non sit atque deficiat, ubi alteri esse sit vel existere : aut haberi aliud nequit esse quod tamen externum sit vel divisum, flatque æmulum aut consistat inimicum, quod in suis positum et commanens vinci recipiat, et post captivetur, atque intra victoris regna adsit attractum, translatumque ibi esse desinat, cesset ubi ei esse fuerit ante bellum. Certe si in eo adhuc est, adhuc superatum non est : ac si est, forte reparetur. Quoto id numero fiet? quantis sæculis pugna ista durabit? quando cessabit? exstinctus aut si jam victus est, in suis non est : et usquam est? quin immo ei esse jam desit et cessat. Ita et omnia quæ ejus erant cum suo fonte perierunt, atque sublata sunt. Si perierunt, nulla ejus unquam sunt : et caro quæ est, non ejus est, sed illius qui vicit potius.

VI. Tu forte malis victorem istum tropæum sibi ad sua regna vexisse ex his aliqua quæ qui victus est possidebat. Esto licet sint hæc, non tamen inimica sunt, quæ manubias qui vicit abduxit. Inimicam tu vero carnem Deo adhuc hodie confiteris. O ignaviam triumphantis! o otium verberati! o læsi torporem! o lacessiti pigras vires! o domini auctoritas conquiescens! Captivis tuis in tuo regno fatigaris; et qui vincere bellando valuisti, adsuescis parcendo superari. Habeantur tali ordine quæ prima sunt, et longe retro antequam mundus est errores colligat ista suspicio. Certe a se utrumque ais, quos bello coisse commemoras : par his virtus est, quibus a se origo et una æternitas reperitur. Audeam hic ego alterum dicere meliorem, atque majus esse in altero suspicari : nonne

Digitized by Google

incido vel incurro, et æterno ipsi, quod unum semper est, reus constituor et addicor? Habendo quod æternum est superari, et quod a se est unum non esse non paveam profiteri : atque quod omnipotentem fateamur, alicui non aliquando asseram dominatum? Cæca res et omni obscurius tenebroso panditur sacrilegi erroris. Cura dementi fando victum esse quod a se est, ut et victorem qui a se est metus exagitet captivati, quod est ingenitum subjacere. De oppressis ergo regnis se victor auxit omnipotens, et quod ingenitum percontaris, promis abolefieri vel auferri. Quin et erit a se esse quem sequitur non futurum, cum victoris succumbens virtuti aut occidet aut ducetur.

VII. Deinde quem dicemus suis non fuisse contentum, ut pugna quam memoras oriretur? lucem an tenebras? Si lucem, eguit tenebris, et delectata est tetro. Ubi est quod habetur omnipotentes, quod intelligitur totum, si in eo aliquid non erat, quod extrinsecus erat, et aliis regnis habebatur, et sibi erat veritas qui quidem erat, quod adhuc omnipotentis dominatio non habebat? At nunc movisse bellum tenebras opinemur, et statuamus umbram fulgoris ingeniti exsistentem suis propriis solidis conspirasse. Si lux illa ignis est, tenebræ ad incendium convenerint, ut earum solidum, quod ipsis erat, ad conflictum veniens extrinsecus ureretur. Sin autem inanes sunt, et ideo non utuntur, ubi rogo est coire solidis cum inani? Hæc sentire, atque meando sensu ad tam interna venisse, plane audax est et vesanum. Imaginari conflictum inani cum solido, profundo cum excelso, finito cum infinito, cum luce tenebris, falso cum vero, et quantillo cum toto? Non patior, frater, hæc dissonantia pari modo exorta condicere, atque ea æternitate memorare et ita locare, ut utrique his esse sit : sed esse uni ei tribuo, qui a se est, alteri vero asserens non haberi velim. Namque ista si respuis, edoceas quæ substantia sit inani, quid exterius infinito, quid æterno antiquius, quid toto tantumdem : ut capiam id esse et re haberi, et duas rebus origines non negabo. Hæc si aliquis Indus eloquitur, aut Persa commemorat, suæ genti præcipiat, suo cardini consenescat. Est enim illic aliter divina sapere, quibus est aliter uti jure. Tametsi natura homines sint, tamen ut separantur sermone, sint et ratione discreti, nec aliter habeatur de talibus, quorum aliter et corpus alitur, aliter aptatur habitus, aliter species limatur usu sumendi, aliter retinetur, forma altera etiam plerique nascuntur, et quod loquor sint gentes enumeris. Jam vidisti ne ergo quot Manis, Zoradis (1), aut Buddas hæc docendo deceperint? ad quærenda revocemur.

VIII. Quod sumus, Justine, ab eo sumus qui omnipotens est, et a se existens constitisse perspicitur; cui, in quod non sit, non esse est. Adeo nec obvenit esse qui et prælium commoveret. Verum quod duæ habentur species, hæque contrariæ vel diversæ, boni malive, solidi et inanis, excelsi et profundi, veri et falsi, lucis ac tenebrarum, æterni et temporalis, vitæ et mortis, et omnium contraria, non a duobus esse principiis rerum ordo edocet et revelat. Nam si duo æterna intueri, eaque inimica advertere sit sentire, hæc tenuisse sub eventus est. Ipsa principia collocasse, et formidinis trepidæ anxio pavori ingenita tradidisse, cum pugnatura regna tristis cura vexaret Parthis licuerit fortasse, qui eventus bellantium fuerint fabulati. Quæ conditiones pactaque convenerint, qui finis compresserit bellum, quem dominum constituit e duobus securior casus. Sed quia utrum tractatur, ingenito et victori, ut video, fit periculum : ergo fratres vincitur quod a se est, et quod sine initio est finietur et non erit, aut jam finitum est. Evasi, respiro : non est alter qui meus factor dicatur, aut si adhuc periret et manet, in suis habitat regnis, et ipse meus in hoc mundo non erit factor : isque mihi est conditor, qui et opifex mundo : a quo casta virginitas, gloriosus siderum chorus, sol præclarus cœlo sunt constituta, aut supernis, ut aisse soles, navibus collocata. Itaque exsultemus ovantes, jam non peritura caro gratulare. A tuo enim Christo es salvatore, sive cum in Adam es et Maria, seu cum in superioribus sumpta vasa æterni esse meruisti. Jam non spe promissionis desolata, imis detrusa, defluis consenescens : jam crucis pretio restituta, immortalitatis gloria vestieris.

IX. Et hoc dignum est ea, quæ totum quod æternitas est et immensum emeat, intrata cepisti. Hic enim jam delectat Babylonis magos ac Ctesiphonticos cantatores secretorum suorum notare mysteriis : quorum posse est carmini nunc suscitare spiritus, nunc vocare. Melior vero est, et plane divinum, nostri Salvatoris carnem sepulcris obrutam suscitasse. Non enim ambigit quispiam mortuum fuisse quod potuit sepeliri : et si carni desuper venienti vulneratum mors inhæsit, in Christo caro nostra resurrexit. Quid tamen causæ erat carnem sumere, si non ipsa levabatur? Sed si alia illa est, mortalis certe est quæ recipit occidi. Hoc immensum et inæstimabile, hominis habitasse membris. Nisi ab æterno esset, non esset omnipotens : hoc eodem in æterno esse quæ contraria dicuntur agnosce. Eidem mori fuit, cui pater ingenitus et ætas et æternitas invenitur : et ut omnipotens vere noscatur, nasci de virgine non negatur. Quid jam sit quod omnipotens est, æternum, infinitum, totumque; quid, quod immensum et excelsius cuncto summo sit, et sublimi, a quo omne quod rebus est manet ac veniat, adverto commonitus dicente omnium salvatore, qui se Filium docens Patrem sibi esse dignatus est indicare? quem Deum pandens, omnia ipsum esse etiam admiratus Jesus, quantum mensura mundi meruit, revelavit. Ob quod unum et solum principium Deus est, et Deus solus veritas : atque ipsa veritas lux est, et lux semper æterna : omneque quod verum est solidum est, et semper est, atque perspicuum per-

(1) In hujus hominis Magi Magiæque inventoris nomine eiferendo multum fuisse variatum, pluribus docet Cotelerius ad *Recognit. Clement.* lib. IV, cap. 27.

Digitized by Google

severat et manet. Quod autem a se verum est numquam vincitur, quod solidum est inane nihil habet, quod lux est tenebras non admittit, atque eas nescit, ac si admittit, et in eam veniunt, sibi esse desistunt. Magis vero aliis non sunt, quæ sibi esse cessarunt. Sin autem adhuc in suo sunt, extra hunc mundum sunt, et cum his adhuc confligitur, estque incertum an superentur, an vere pereant aliquando. Quod si adhuc ambigitur, etiam mundus, aut caro, in eo non ut ab altero esset accepit : sed de eo illi obvenisse est, a quo et præclarus sol mundo minister est constitutus. Imaginans namque tenebras id esse quod malum dicitur, capies et intelliges : non quidem accipiens ita esse dari tenebris, ut luci esse habetur et lumini; sed ita quod ex actu alterius, qui vere est, efficitur vel apparet. Est enim in rebus tam supernis, quam aeris, atque ex his ipsis nostris, quod ex actu alterius ut esset invenerit : ut, ex radio solis, calor; ex flatu venti, frigus, quod ligat amnes, quod scindit terram calore. Terra ergo ardore solis aperitur, amnium fluenta ligantur gelu.

X. Hæc quidem ita adverţenda, alterius actu aliud effici, ut in his quæ sunt videre sit, quod in eis qualitate non inest, ex actu alterius inveniat oboriri. Aliter vero est quod e re æterni quæ est, quod totum est alterius se datur evenire. Sunt enim tenebræ non sistentes, non solidæ, non penetrantes : sed inane quid quod luce depereat, et esse sibi non habere cum illa resplendet. Contigit enim his non esse lucis actu, quia ipsæ substantia non sunt, lucis substantia recipiunt deperire. Si ergo est tenebris a lumine deperire, ab eodem illis advenit apparere, eo modo ut profundo obvenit ab excelso, atque nihilo a toto. Nam cum totum æternum sit, tamen et nihilum est quod nulla substantia usquam est. Excelsum enim est, sed profundum ejus est : nam si excelsum non sit, profundum non potest apparere. Solidum si nescias, inane non perspicis. Sunt ergo quæ substantia sunt, sunt et quæ non sua substantia utentes sunt : quia illa sunt quæ substantia sunt, ex his apparere illis obvenit quæ substantia non sunt, ut pruinæ, ut gelus : quæ apparent, sed quia substantia sua non utuntur, ex actu frigoris illis esse obvenit, fluescunt et soluta depereunt. Et glacies tamen ex aqua est, sed aeris rigore constringitur. Duo ergo video aquæ esse, liquorem et gelum. Igitur substantia quod est, liquor est : quod autem ei actu obvenit, ejus ipsius fit in glaciem quod gelascit. Sed quia glacies ipsa substantia nulla est, deperit et aufertur, et tamen aquæ liquor manens substantia perseverat.

XI. Et hæc quidem mundana sunt : quæ aut a creatore sunt, aut natura. Verum illa superiora postrema, atque sine initio prima, quæ similitudine carent, comparatione deficiunt, quæ non imaginum exemplo formantur, quibus nihil par est, nihil prius : quibus ultra non potest æstimari, quæ eo solo comprehensa sunt, quod incomprehensa noscuntur, non ea causa vel forma actum habent, atque illa quæ dicta sunt, quæ mundus habet iste compositus. Sed ut eis est valere, quæ infecta, quæ ingenita, quæ infinita, quæ totum sunt, ita his esse perspice vel intende : ut sit unum et solum quod omnipotens est, quod totius omnes habetur, quod perspicitur infinitum, hoc est et consistit, suique solido invisibili extans dominatur et regnat, utensque ven rationis suæ admiranda substantia illo divino actu suo, quo aut motum est, aut immotum. Verumtamen id ipsum quod quidem est falso originem præstat ut totum : nihilo enim, cum totum est omnipotens, per eum obvenit ut et nihil appareat. Non enim omnipotens ita erit ut totum sit, si præter ipsum aliud quicquam nihil erit. Ergo est quod dicitur nihil, sed substantiam non habet : est et quod dicitur totum, et substantiam habet. Sed ei esse est, illi non esse est. Deus est ergo veritas, qui totum est, et infinitus consistit. Quia, nihilum extra totum esse potest, recte illud, Justine, quod alocale intelligitur, extra fines habetur, falsum dicitur : si tamen potest ratio aliqua admittere, ut finem ubicumque intelligas el quem totum esse perspicis, et indagas. Etenim si æterno totum occupatur, nihilum ubi sit non habet : ac si omnipotens omnia est, nihilo esse eo modo tantum intelligetur quod est quod extra totum est, non aliquid sit habeatur. Denique si omnipotentem ita metiaris, ut sit tibi et alius qui non sit omnipotens, Deo major locus dicetur, atque utroque ingentior : si propriis regnis diversa principia ingenita utentur, atque æmula consistunt.

XII. Hoc intelligere vel tenere æterno omnipotente aliquid esse majus, incautæ confusionis barbarus sensus est : atque coæternum esse quod bellat, et opinari vinci alterum de æternis, ejus est qui dicat et ipsam lucem quocumque sæculo non futuram; id ipsum tamen si exaudis, jam solem intelliges non futurum. Et cum ei esse sit cœpisse, si et a se exsistenti quod periturum sit fit periculum, ergo bellat ingenitus, ingenitumque est quod ab ingenito superatur. Numquid audes de ingenitis quid prius cœperit æstimare? ac de solo ordine forte dissimules, cœpisseque pariter fabuleris? Potesne majus et minus de æternis ingenitis arbitrari? Si tenebras anteferes, ipsis dabis omne principium, et earum erit esse majores. Si lumen fateris antiquius, ab eo omnia confiteris. Si utrumque æque coævum perspicis, aut vinci neutro erit, aut manebit alteri quod unus exceperit. Et ubi hic erit omnipotens vel æternus? numquid in altero ipsorum victor erit, et in pari existentia fiet causa dissimilis, et ingenitorum bellum reget eventus, aut suscipiet casus? Absit animæ sensui advertere hunc errorem, atque tam amentem intelligentiam confiteri abjiciat spes humana Unus exstat ingenitus, ab uno domino cuncta provenerunt. Verum quod diversa ejusdem sunt causa omnipotens invenitur ab omnibus creaturis, et ante principia et fines.

XIII. Ita ergo ex vero quod est provenit et falso esse, ut et umbræ de solidis. Si enim solidum non sit, neque umbra sit. Et hoc est mysterium veri verum. Quæ enim veræ sunt, ex his apparent et quæ

Digitized by Google

non sunt, ut et sibi a se sit, atque aliis ut sint fundat ex se, non sui opera, non labore, non materia, non natura, neque substantia. Si enim est omnipotenti esse totum, quod extra est, ejus est. Quod si quid sine eo obvenit, est neuter omnipotens, et actu casu principia accedentibus crescunt minuta utique quando addita fecerunt. Umbræ denique quæ materia, quæ natura est, quæ sine altero non apparet, neque habetur in tenebris? Sed quia hæc sua substantia non est, neque a seipsa est, evanescit ac deperit, et tamen solidum, e quo interdum umbra est, consistens suo robore perseverat. Mirare Manis Babylon ista mysteria, et has omnipotentis divitias : confitere nihil esse quod non ejus sit quem æternum venereris, quem dominum fatearis, cui sit nihil anterius. Et quemadmodum convenit aliquid non ejus vel ab eo esse, ante quem aliud nihil intendas? Sed quod turbaris anceps vagi erroris cura sollicitus, immo vani studii labore confusus, deceptus hebeti sensu, auspicantis animæ rudimenta majoris inquisitionis amentia sauciasti. Revoca in prima vestigia curas indomitas, et cessa credere unam æternitatem duo regna sumpsisse, et se quidem, ut ais, ipsa tentantia.

XIV. De duobus æternis si vinci uni erit, æternitas præcisa residebit. Habent ergo lux et tenebræ paria, atque in se diversa, immo contraria : potentia una convenit, sed in altera aliquando cessabit. Jam non eadem est, si ubicumque speratur, si alter ipsorum ante deficiet, erit, Justine, ut fatearis unum esse principium, si unus victor est de duobus. Certe quod intelligo in superioribus excelsis, et omni altitudini extremo, nihil habitare quod malum dicatur, quod ultra Angelos et Archangelos humanæ devotionis pavens veneratio suspicatur. Sacrilegum est eloquium malum in talibus habitare, aut si ei illic est sedes, et ipse creator accipitur, creaturæ omni, et ipsi soli diabolus dominatur. Si enim cœternus est, ibi est, aut si ibi non est, in suo nescio quo regno est. Credo alterum non habet solem, non cœlum, non mundum, non lucem, non veritatem. Et si ei ipsi alibi regnum est, nihil commune ejus est nobis : aut si in hoc mundo est, jam victus est, jam sole est, jam non habet vires. Quod si fateris, intelligis ipse hoc dici non posse principium, quod dominanti perspicis captivatum. Numquid convenit rebus duo esse summa, duo ima, duo infinita? Infinita duo dici non possunt, quia ubi alter incipit, est finis alterius : summum autem ideo est, si ultra eum nihil est, atque ita imum, si intra eum nihil est totumque tunc habetur, quando aliud non habetur. Hoc si unus et solus Deus est, summus, infinitus, ac totum, atque omnipotens, atque omnitenens, ipse principium unus et solus est.

XV. No perturberis, ne anxius tam venerandi veri admiratione territus obstupescas et cæceris, eo quod de bono auctore malum non potest oboriri. Recte in creaturis ista percontor, ut quæ creata sunt aliud ex se quam ipsa sunt non emittant, ut amarum de dulce, ex igni aqua, ex umbra inferi partus, ex ligno homo, ex incarneo caro, et alia quæque omnis mundus enumerat. Verum omnipotenti hæc adscribi non possunt. Est disciplina ut lex ei sit quid ex eo esse possit, quid non possit, quid ab ipso, quid per ipsum. Recte ista colligis et astringis, si omnipotentem minime confiteris. At si sparsa per totum ejus virtus est et æternitas, neque ei ut esset ex altero obvenit, utique omnia aut ab eo aut de eo, aut per eum, aut obveniunt, aut creantur. Ideo ergo et malum ab eo ut esset accepit. Malum tamen hoc quod dæmon dicitur; cætera enim si qua sunt quæ malum dicas, substantiam non habent, aut naturam. Dæmon autem nunc bonus, nunc malus, Angelica creatura consistit, sicuti docet Attici oris expressio, dicentis : ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ, et ΚΑΚΟΣ ΔΑΙΜΩΝ. Et eum ipsum bonum esse, qui κακὸς dicitur post dicemus. Reliqua autem quæque malum dicis, si errorum vitia conquiescant, nascendi originem non habebunt.

XVI. Ne sane conteris mali impulsu esse qui in vitia ire præcipitet, quasi existentis alicujus, aut orti factive substantia. Anima est, quæ in libertate consistens, dominationem sibi concessam liberi arbitrii licentia violavit. Cupiditate et concupiscentia curiosa potius decipitur quam superba. Deinde duarum substantiarum dominum nobis esse dominantem, aut geminæ vel potius multiformis naturæ humana regna innumeris gentibus dominantur. Ita enim delectaris exemplis, ut diligas æterna perpetua per mortalia et caduca perspicere. Carnem negas in Christo, et hominem confiteris : natum non vis, et vixisse non abnuis : occisum a Judæis clamas, et quod vulneratum est æstimas non fuisse. Ita mortua membra asseris damnatorum dextra lævaque cruciatorum, ut in ipsius Christi est impletus interitus : et verum hominem carne non vis, ubi veram invenis sepulturam. Ecce, Justine, quod vere est, non fuisse conaris asserere, et quod non est nec fuit, persistere niteris approbare. Sed te ipso commonitus præceptore constanter eloquor : Mori æterno possibile fuit; carnem non fuit habere possibile? Possibile ei et firmasse quod non erat; non fuit possibile duas naturas mundo concedere, lucis et tenebrarum? Dominus contrariorum origo virtute non esset, qui sibi ut esset ex se est? Cessa, Justine, cessa istius vanitatis barbariem diligenti cura captare, et Romanus vir a Persico vel Armenorium sacrilegio nitere removeri. Nequaquam enim convenit tenebris, aut diabolo auctoribus Mani in vitæ æternæ gloria regnis veræ lucis habitare. Et cassum nunc usque jugi inedia inimicæ, ut ais, carnis membra tenuasti, censens ipse animæ officere meritis ac naturæ pasti corporis succos, ad pinguedinis distentæ grassamina, atque ipsorum abdominum mole prægravari, si post hunc jejuniorum laborem ad creatorem tuum, quem ais aut diabolum, aut exteriores tenebras, reverteris. Melius arbitror ac plane pronuntio, Deum omnipotentem tuum conditorem esse fatearis, ut vere templum Dei sis, sicut Apostolus eloquitur Paulus dicens : *Vos templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16). Quod si hoc honore

Digitized by Google

viduaris, ut neque templum Dei sis, neque spiritus ejus habitet in te, Christus non Salvator hominis venit, sed abactor: quod quidem dicere prohibet fas divinum, et majestatis ejus æternitas non admittit. Si enim templum ejus non sumus, neque spiritus ejus in nobis est, quid ei et nobis est? Si enim ejus A sumus, utroque ejus sumus, et anima et corpore, et est illud verum ac catholicum sancto ore prolatum *Omnia in omnibus Deus* (I *Cor.* xv, 28): qui unus et solus principium est, omnipotens sine initio, et universi totum, infinitus per omnia. Cui est honor et gloria.

VICTORINI

DE VERBIS SCRIPTURÆ : FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS.

CŒPERITNE A VESPERA DIES, AN A MATUTINO.

I. Si divinæ scripturæ simpliciter legerentur, numquam lectio cujusquam capituli ab aliquo male intelligeretur, sed ut se continent pie et juste unanimiter susciperentur. Cessabat philonica disputatio, cessabat et syllogisticus sermo, cessabat omnis superstitiosa adinventio : nec unquam agnosceretur in quocumque hominum tenebrosa collatio. Omnes unum sentirent, invicem sibi acquiescerent, eadem profiterentur, ut lucidissima lectio se declarat. Namque carus noster et amicus fecit nobis quæstionem, utrum totus mundus competentes sibi horas haberet, necne : « Denique, ait, ego enim dico, si hic prima hora est, totum mundum prima hora teneret. Nam absurdum mihi videtur audire diversas horas dici per quatuor partes terræ contineri. Dico autem cum sint omnes habitabiles, quomodo probari mihi potest unam horam non omnes homines possidere? Sed dico, cum hic dies sit, ostendite mihi in qua parte noctem esse asseveretis, quando totæ plagæ cœli per diem inlucidentur. Nec enim Moyses aliter nos docuit libro Geneseos, quam ut dies, dies toto mundo esset, et nox, nox orbem universum tenebris obtineret. » Itaque, amice, si sufficiunt ad quæstionem hæc quæ a te dicta sunt, peto ut concedas patienter, et audias a nobis quæ vera sunt. Sed non quo deprehendas humana commenta, quam magis approbes divina esse dicta. Unde si auctoritatis inventa fuerit lectio, locum nobis concedere habes dicendi, ut possis planius ediscere, qualiter beatissimus Moyses breviter de die ac nocte significaverit. Namque et Salomon docet nos dicens : *Bonus spiritus tuus est in omnibus; propter quod quicumque errant, partibus corripis : de quibus autem peccant, admones alloquendo, ut relicta imperitia credant in Dei verba* (*Sup.*, xii, 1). Omnis enim scriptura spiritu Dei inspirata, dicit Apostolus Paulus quia indiget interpretatione (II *Petr.* i, 20). Nam et *Apollo potens in Scripturis* (*Act.*, xviii, 24) erat maxime, qui et spiritu fervebat : et tamen hunc apprehenderunt Aquila et Priscilla, et diligentius illi viam Domini manifestaverunt. Facile enim sapientes reprehenduntur. Scit enim Dominus cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt.

II. Pandimus itaque singula quæ lectio Geneseos doceat. Sed longum est sermonem de his quæ supra dicta sunt facere : et de cœlo ac terra, tenebris et abysso, aqua et spiritu disputare intermittamus, quia necdum tempus est aliquid de his dicere, quam nunc magis ad proposita respondere atque satisfacere. Est quidem quod tenebræ totum mundum possidebant, ut lectio superiori textu declarat. Sic namque dictum est : *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* i, 3). Requiritur a sapientibus ubi facta sit lux : nec enim tenebræ substantivæ erant, ut philosophi dicunt, et figuratio quædam materialis in illis erat : nihil sunt. Sed absit a nobis cum illis aliquid sentire, quando divina scriptura dicat Deum creasse tenebras et fecisse cœlum. Quod ergo a Deo fit, substantivum esse creditur. Unde si substantivæ sunt, non luce facta in nihilum redactæ sunt. Sed neque simul mixtæ sunt, quia utrumque substantiæ sunt, quæ sibi contrariæ hodieque sunt, ut calidum frigido, vel dulcedo amaritudini. Sed quando temperantur invicem, sibi necessaria esse dignoscuntur. Cesset itaque calumnia, si secundum substantiam contrarias diximus, sed necessarias in gignendi creatura, et requiescendi ab operibus omnibus esse. Ostendimus tamen luce facta tenebras non ablatas, sed immo docet Scriptura in parte eas redactas, hoc est in medio orbe condensatas, ut lux facta mediam partem mundi illuminaret. Nec enim Dei substantia est lux mundialis, quæ facta est ut totum orbem possideret. Alia autem lux quæ vera est, quæ totum mundum illuminare potest, de qua Evangelista dicit : *Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* i, 9). Vera itaque lux illuminat totum mundum, quia tenebræ cedunt locum suo auctori : sicut et sol a vero lumine obscurabitur, tenebrisque contegetur. Illa autem quæ vera lux necdum est, ideo mundum universum suo apice desemel illuminare non potuit, immo non debuit, ne dies definita esse adjudicaretur, sed momentis horarum velociori cursu statueretur. Infirmitas enim creaturæ apparet totum mundum non posse circumvallare, ideoque partibus hodieque dignoscitur peragrare.

III. At vero, si totum orbem luce sua possideret, nequaquam horam in die aliquam demonstraret : quandoque totum mundum illuminaret, non erat quod perambularet. Secundum hanc rationem, quam disputavimus, recte intelligere poterimus prophetam Moysem dicentem : *Et separavit Deus inter lucem et tenebras* (*Gen.* i, 4). Quid autem est separare, si non distantiam inter hæc facere? Qui si distantia instituit et contra alterum, et ea ipsa in divisione esse decrevit, ita ut lucem vocaret diem, tenebras vero noctem, aliud nunc audimus ex alio appellatum. Cur vero aliud non erat gratum, si quod primum denuntiatum

Digitized by Google

est sufficeret? postea vocaret diem tamquam in mentem illi venerit. Sed absit a nobis nolle requirere manente prædicto nomine diem appellari : quod subsecutus est utique duodecim horarum spatium conclusit significare. Nec enim dies hodie si dominica appellatur, sine horis competentibus definitur. Cum ergo diem dicis, horam quamcumque definitam usque ad vesperam statuis. Ita dominus meus Moyses lucem vocatam dicit esse diem, ut nos non sine officio duodecim horarum usum quotidianum dictum fuisse dignosceremus. Denique subsecutus ait : *Et factum est vespere, et factum est mane dies unus* (*Gen.*, 1, 5). Quod si vesperam et postea diem factam appellat, consummatas horas facturæ illius designat. Namque Salomon in libro Ecclesiastes interrogat : *Quid est quod factum est? ipsum quod fiet : quod autem fuit, ipsum est quod futurum est* (*Eccle.* 1, 9).

IV. Igitur, amice, si hodie dies ita definitur, quare non credamus prophetæ dicenti ipsum in initio factum esse quod hodie fiat : nihil novum sub sole esse, neque adjectum aliquid esse, neque diminutum? Manet vespera usque in matutinum, noctisque horas adimplens, et sic una dies definita appellatur, in quo matutinum non primi diei esse dicatur, sed secundi initium invenjatur. Requirimus autem utrum in die Dominus noster operatus est, an in nocte? Certe si in die, matutinum istud non primi diei esse adjudicatur, quando firmamentum cœli in eo fieri mandatur. Si autem secunda die firmamentum factum est, secundi diei matutinum esse apparuit. Æquilibratio enim dici et noctis definita extiterat : propter quod unus dies in numero appellatus erat. Iterum dicit scriptura : *Congregetur aqua in congregatione una, et pareat arida* (*Gen.* 1, 9), quam germinare mox præcepit herbam pabuli secundum genus suum, et ligna fructifera. In quibus factum est vespere, factum est et mane dies tertius. Itaque si matutinum istud de die tertia suscipis, cur dicit Scriptura : *Fiant duo luminaria in firmamento cœli, sic ut luceant super terram in inchoatione diei et noctis : ita ut dividant inter diem et noctem, et sint in signa, dies et tempora et annos?* (*Ibid.*, 14). Nullus autem hominum legem sciens, qui tibi consentiat tertia die solem et lunam factam fuisse.

V. Forte si te ipsum interrogem, respondebis mihi quarta die facta esse, et contendes matutinam istam de tertia die esse. Quæ matutina vere de tertia die si fuisset, numquam priores nostri quarta die factum solem et lunam professi fuissent. Qui si quarta die facti sunt, matutinum istud non de tertia die est, sed de quarta, in qua sol et luna et cætera facta sunt. Denique dividunt inter diem et noctem in inchoationibus suis. Sic enim æquilibravit inter eos auctor eorum, ut tantumdem mundi spatium tenerent, percurrerent : non quo adimpleto officio receptaculum haberent requiescendi, sed immo suis limitibus incessabiliter currunt. Namque sol quod per annum ambulat, luna illud triginta diebus currere dignoscitur. Peragrantes cyclum orbis ad punctum priorem reversi sunt, unde processerant. Non ergo pausaverunt cum totum cyclum cucurrerunt : aut doce scriptum esse, et ego conquiesco. Sed non doces, quia nec invenis, sicut Salomon dicit : *Oritur sol, et occidit sol, et ad suum locum revertitur. Ipse oriens vadit ad Austrum, et gyrans circumit usque ad Aquilonem* (*Eccle.* 1, 5). Si existimas occidere solem, redde nobis rationem quomodo ad suum locum revertitur. Unde si subterfugit te sensus falsa effingere, credo Salomoni dicenti ipsum orientem ad Austrum ire, ita ut gyrans perveniat ad Aquilonem : *Quia gyrans gyrando peragrat spiritus, in circuitum suum convertitur spiritus* (*Ibid.*, 6). Quid apertius poterimus nos disputare, quando propheta paucis verbis quæstionem nostram deliniaverit, spiritum esse qui gyrans gyrando incessabiliter orbem totum peragret? Sic dies unus definitur, et ad alium matutinum transitur, propter quod in dies, menses, annos instituti sunt.

VI. Fac tibi de cætero satis, et consenti parentibus nostris prioribus hæc tradentibus quæ supra memorati sumus, lucem istam non totum orbem tenere, sed medium. Et ideo quacumque sol respexerit, diem et horas fieri. Ita cum peragrans agrando delato spatio horas mutet. Quod si verum est, ubi matutinum factum fuerit, manere diutius non poterit ibi matutinum : quia cum sol ambulat ad alia loca, horæ semper se mutant, et ita fit ut perveniatur ad vesperam Sequens vero est in officio noctis quod horæ supplent. Sed cum matutinum oriri videmus, defectum tenebrarum esse recognoscimus, et quando vespera fit, dies occasum patitur. Sic enim climata cœli distinxit inter diem et noctem, ut quacumque parte sol gressum fecerit, matutinum habeatur : totidemque luna ubi peragrarit, vespera esse agnoscatur, quæ sequentis diei esse dicitur. Stultum namque est audire noctem priorem secundum vesperam factam fuisse, postque matutinum ortum esse. Quod si vespera prior facta fuisset, non aliquem noster legislator reveritus esset, unam noctem in numero noctium illam pronuntiare. Nemo quod primum et principale habet contemnit illud enuntiare, et id quod subsequens est audiat nominare. Itaque si ab hominibus nihil tale deprehenditur, quomodo a vobis reputatur ut matutinum posterius factum dies unus appelletur? Quare non profiteris quod prius legisti, lucem factam et diem appellatam, postque tenebras noctem vocatam? Non ergo ante nox facta est, quam dies. Sic nec vesperam credere debes, quam matutinum diei primum intelligas factum fuisse.

VII. Quod autem matutinum scriptura tacuit, rationem pandit quando lucem fieri præcepit. Quid autem ortus lucis ostendere potuit, si non matutinum esse definivit? Nec enim dies extra matutinum appellari potuit : recteque dicimus, Deus cum lucem vocavit diem, matutinum intra eum conclusit. Namque finito die vespera oriri cœpit, quæ nocte tota operando perveniret ad matutinum de secundo die, in qua firmamentum fieret. Et licet de tertia et quarta die, in qua solem et lunam fabricavit, dispu-

Digitized by Google

taverimus; tamen plenius requiramus in qua die homo factus sit, utrum quinta die aut sexta, ut inveniatur vespera si prior est a matutino. Dixit enim Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem : ad imaginem Dei fecit illum : masculum et feminam fecit eos, deditque illis omne pabulum ad escam. Et factum est vespera, et factum est mane dies sextus* (*Gen.*, I, 26, 27 *et* 31). Unde si matutina ista de sexta die est, homo ergo quinta die factus est. Nam si sexta die factus est, approbatur matutina ista de septima die esse, in qua Deus requievit. Quod si minime, redde mihi hic opera sexti diei ubi sunt, quo consummata sunt omnia quæ die sexto facta esse dixit. Quinto autem die invenio aquas produxisse, reptilia atque volatilia; non hominem, qui de terra factus cum quadripedibus et bestiis terræ. Quod si quinta die homo cum supradictis factus est : neque ea quæ aquæ produxerunt invenimus, neque illa quæ sexta die consummata sunt. Et quomodo Scriptura dicit septima die requievisse Deum ab omnibus operibus suis, quando invenio post hominem et ea quæ cum homine sunt facta, consummatam esse omnem operam quam Deus initiaverat facere? Itaque si quinta die homo et supra memorata facta sunt, quinta die omnia consummata invenimus esse, ut sexta die definiamus, Deum ab omnibus operibus suis requievisse. Quod si post aquarum creationem intelligas vesperam, invenire poteris non quarti diei principia, sed quintæ noctis initia. Quod si verum est, matutinum istud, quod post vesperam appellatum est, non ad quintam diem pertinere, sed ad sextam, quia in eo scriptura docet nos, quod homo factus est. Unde post facturam ejusdem hominis vesperam factam dicit, et matutinum, quod vere septimi diei est principium. In ipso enim matutino requievit Deus ab omnibus operibus suis, quæ cœperat facere : non in vespera quæ sexti diei sequentia erat. Tu nunc, amice, perspice planius lectionem, et fac animo tuo satis, non posse noctem præponi diei, sic neque vesperam matutino, in quo actus et opus diei definitum ostenditur, et sic vespera prosecuta appellatur. Denique post sexti diei vesperam cessavit mentionem facere ex ipsa, sicut de matutina, quam aperte lucideque septimam diem propheta denuntiavit ipsam esse. Unde si non ipsa, tu nunc doce de dilectione septimam vesperam, ut sequatur illam et matutinum. Quod si non invenis, crede lectioni septimam diem ipsam esse, quæ post vesperam matutinum appellata est.

CANDIDI ARIANI

LIBER DE GENERATIONE DIVINA,

AD MARIUM VICTORINUM RHETOREM.

I. Omnis generatio, o mi dulcis senectus VICTORINE, mutatio quædam est. Immutabile est autem omne divinum, scilicet Deus. Deus autem qui pater est in omnibus, et omnium prima causa est. Si igitur Deus, inversibile et immutabile : quod autem inversibile et immutabile, neque genitum est neque generat aliquid. Si igitur hoc sic se habet, ingenitus est Deus. Etenim generatio, per conversionem et per mutationem generatio est. Nulla enim neque substantia neque substantialitas, neque existens neque existentitus, neque existentia neque existentialitas, neque potentia, ante Deum esse, fuit. Quis enim potentior Deo? Num potentia, aut existentia, aut substantia, aut ὄν? Ista enim omnia, aut ipsum est quod Deus est, aut post ipsum. Ipse enim cuncta præstat. Sed fuerint prius ista. Et quomodo potuerunt, cum voluerunt, Deum generare? Neque enim erant perfecta, neque sui ipsa substitutiva. Imperfecta igitur. Quomodo ergo sua et ipsorum potentia aut genuerunt aut fecerunt Deum, imperfecta cum essent, perfectum? Si autem Deus imperfectus, sine causa est generare, quod jam fuit. Eadem ratio, si perfecta perfectum genuerunt. Sive igitur perfecta fuerunt, sive imperfecta : Deum generare, aut sine causa, aut per superfluum, aut impossibile. Primo quidem antiquius dicitur, ab omni quod est potentia : sed ad ipsum esse aliquid, sine actu et operatione, non pervenit potentia ipsa per semetipsam; cum sit potentia, non actio; non potentificata potentia in generationem alicujus, nedum in Dei. Manet enim potentia in eo, quod est potentialiter esse, sine actione. Unde igitur natus est Deus?

II. Videamus igitur, num fortasse substantia, num substantialitas, antequam Deus fuit, fuerit? Num existentia, num existentialitas? Sed enim substantia subjectum cum sit, alteri subjectum est, ei quod in ipso est : et ut alterum est, ab eo quod in ipso est. At vero aliud et aliud non recipitur circa Deum. Non enim in alio, ut aliud est, Deus est. Non enim aliud Deus, aliud Deum esse. Simplex enim quiddam, Deus : non igitur ex præexistente substantia. Ingenitus ergo Deus. Magis enim præstat Deus substantiam, quam præexstitit substantia ante Deum : quæ quidem est subjectum, et alterius, ut aliud, et ut receptaculum effecta : illo scilicet potior, cujus est receptaculum, et ideirco posterius adnata. Ista eadem oportet intelligere ex existentia et existentialitate. Differt autem existentia ab existentialitate, quoniam existentia jam in eo est, ut sit jam esse ei : at vero existentialitas potentia est, ut possit esse quod nondum est. Multo magis autem differt existentia a substantia : quoniam existentia ipsum esse est, et solum est; et non in alio esse, aut subjectum esse alterius, sed ipsum unum et solum esse : substantia vero non solum habet esse, sed et quale, et aliquid esse : subjacet enim in se positis qualitatibus; et ideirco dicitur subjectum. Quomodo igitur Deus, præexistente existentia, aut existen-

Digitized by Google

tialitate, aut potentia existentiali sive ipsa existentia, natus est, in solo quod est esse, his existentibus, et non habentibus actionem vel agendi virtutem atque vim?

III. His ergo, sic se habentibus, neque ὄν ante Deum fuit, neque ὀντότης; multiplica enim est et composita ex substantia et qualitate. Si igitur neque potentia fuit, neque existentia, neque existentialitas, quæ imaginem habent simplicitatis: multo magis ὄν et ὀντότης, et substantialitas et substantia. Post genita enim sunt ab existentialitate et ab existentia. Si ista omnia postgenita, genita ergo sunt: si genita ista, aliud fuit a quo genita. Ingenitum igitur illud, a quo genita ista omnia. Quid istud, nisi illud ex quo omnia, Deus? Ingenitus igitur Deus: siquidem causa horum omnium, Deus. Quid vero esse Deum? qualis? aut qua causa ipsum Deum esse? Etenim prima causa est: et sibi causa; non quæ sit altera alterius: sed ipsum hoc quod ipsum est, ad id ut sit, causa est: ipse sibi locus, ipse habitator. Non sic ut imaginatio duorum fiat, ipse est unum et solum. Est enim esse solum. Enimvero ipsum esse, ipsum idem est, ipsum vivere et intelligere. Secundum enim quod est, et vivit et intelligit: et secundum quod vivit, et est et intelligit: et secundum quod etiam intelligit, et vivit et est: et secundum unum tria, et secundum tria unum, qualitas simplex et unum simplex. Simplex autem, principium compositorum: principium autem, sine principio: præcedit enim, nullum ante se principium habens, propter quod est principium. Hoc est autem Deus. Sine ortu igitur, et ingenitus est Deus. Quod autem ingenitum, sine ortu: quod sine ortu, sine fine. Finis enim incipientis est. Si vero ista duo habet, infinitum est: si infinitum, incomprehensibile, incognoscibile, invisibile, invertibile, immutabile. Inversio enim et mutatio, principium et finis est: alii quidem principium, alii finis. Sed nihil horum Deus. Inversibilis ergo et immutabilis Deus. Si autem istæ Deus, neque generat neque generatur. Inversio enim quædam et immutatio, generari et generare. Huc accedit, quod generare est dare aliquid ei qui natus est, aut totum aut partem ejus qui generat. Si totum dat, interit qui generat, aut minuitur, si partem. Si enim Deus manet semper idem, non igitur generat.

IV. Hoc idem apparebit, si quis dixerit generationem a Deo secundum istos modos esse: scilicet, juxta effulgentiam, juxta radii emissionem, juxta puncti fluentiam, juxta emissionem, juxta imaginem, juxta characterem, juxta progressum, juxta quod superplenum est, juxta motum, juxta actionem, juxta voluntatem, juxta nominatum typum: aut si quis alius fuerit ad istud modus. Sine inversionem enim, et nihil horum talium est. Primum quidem refulgentia, et motus est, et assignat tempus, et recessionem quamdam secedentem in propriam substantiam. Quæ refulgentia etiam si semper manet, discernibilis pars a toto est. Si autem non vana generatio est, ab eo quod semper est, in id est quod non semper est. Quid deinde? Non est inversio, effulgentia? A substantia enim luminali, quasi fugiens et eructatus splendor. Refulgentia enim substantialis, non substantia. Et si substantia, non eadem substantia. Jam ergo inversio prioris, quod secundum.

V. Videamus igitur generationem juxta radii emissionem. Est igitur connexus radius, et connectitur illi á quo progressus est radius. Nihilominus inversus est, si est genitus: aut non est generatio, si radius semper in ipso manet. Si juxta puncti fluentum generatio ibi, quomodo? immobile enim punctum et terminus lineamenti, quod neque partem habet neque alterius pars est. Si ergo illud sic est, non procedet a semetipso: si enim procedit, jam non punctum, sed jam lineamentum. Immutatur ergo. Sed enim Deus, invisibile (1) est. Non igitur Deus, quod punctum. Si autem manet punctum, non ab ipso lineamentum. Immobile enim punctum: in motu autem vel a motu, lineamentum: et juxta istum modum nulla in Deo generatio, nec a Deo. Quid deinde juxta emissionem? quemadmodum secundum eam in Deo generatio? Si enim emittitur a semetipso, aliquid primum minuitur: aut ergo in substantia, aut in divinitate, aut in actione. Deinde, id quod emittitur, aut ipsius potentiæ est, aut non ipsius. Si ipsius, et quomodo duo dii et æquales? et ut quid duo, si æquales? Quod autem potest unus, hoc idem et alter: et non est necesse multiplicari perfectam plenitudinem in uno. Si autem non ejusdem potentiæ quod progreditur; et immutatur Deus, et a parte totum passus est: quod incongruum Deo est. Nulla igitur generatio in Deo et juxta hoc.

VI. Similiter autem et juxta imaginem. Multum enim differt imago ab imaginabili: illud ut substantia, istud juxta qualitatem solum adumbratum phantasma. In aliquo enim alio substantiam habet imago, et non a se subsistit: neque secundum quodpiam est, in quo est. Non ergo imago, id quod genitum a Deo est. Consecutio enim quædam, imago est, ejus cujus imago est. Eadem ratio est, si juxta characterem. Character enim signaculum est substantiæ: et ipse per semet nihil: et est in alio, qui figuretur. Igitur nil tale in Deo. Oportet enim quod generetur a Deo, consubstantiale esse. Character autem non est consubstantiale. Non igitur juxta characterem generatio in Deo est. Sed an juxta progressum et motum generatio a Deo? Differt autem progressio a motu. Quoniam omnis quippe progressio a motu et in motu: non tamen omnis motus est progressio: intus enim motus, non progressio, sed solum motus. Est enim progressus, foras pergens motus. Quid ergo dicimus, juxta progressum generationem esse a Deo? Semel, an sæpe, an semper? Si semel, qui usus? et si bonum quod progreditur, cur pauper Deus in progressu? Si sæpe vel semper, quid novum genuit? Et prima progressio, necessario imperfecta, si alius fuit indigens in sui perfectione.

(1) An *indivisibile*?

Digitized by Google

VII. Ex quibus apparet quoniam neque consubstantiale est quod generatur, neque sine conversione generatio a Deo. Si autem hoc incongruens Deo, nulla ergo generatio a Deo. Magis autem incongruum nobis apparet, si juxta motum generatio. Aut enim intus motus est, aut progrediens : si intus, nulla generatio : si progrediens, eadem. Immutatio ergo. Et si motus progrediens, non consubstantialis. Deinde si progrediens, in suam substantiam processit, aut in alicujus effectionem. Primum si passus est Deus, motus in motum ; et hoc inversio est. Deinde si in suam substantiam processit, substantiam non habuit : si in alterius substantiam, aliud fuit a Deo quod operatum fuit a Deo : et magis effectum, quam generatio a Deo. Non consubstantiale igitur, et conversio prioris in id quod secundum est. Nulla igitur a Deo generatio. Dicunt autem quidam, quod juxta superfluum generatio a Deo, superplenum generatio a Deo. Superplenum autem dicunt, sicut fons superbulliens habet quod superabundet, effundens et semper plenus. Sic et a Deo, quemadmodum quod a fonte quod superest, quod effunditur (1). Et hæc generatio a Deo. Sed in eadem rursus recurrit ratio. Si enim superplenum, et semper plenum : semper ergo a Deo generatio : non enim deficit fons. Quod autem crescit, effunditur. An manet, quod augetur? Nec non igitur effunditur id quod superplenum est : quoniam inconveniens, non effundi quod superest. Sed effundit, et semper effundit : semper enim superfluit. Ergo et novi angeli, et novi mundi. Inconveniens enim, non effundi quod semper effluit. Sed si semel superplenum, immutatio ergo Dei et inversio Dei, duplex : sic et istud incongruum : nulla ergo secundum hoc in Deo generatio. Si vero juxta superplenum, insuper nec consubstantiale quod effunditur ipsi Deo : Deus enim superabundans : quod autem effunditur, ipsum effusum est tantum, non autem semper abundans. Aliud igitur est quod post illud superabundat : ergo aliud post aliud, et aliud.

VIII. Dicunt quidam juxta voluntatem generationem, et juxta actionem. Est autem, ista duo idem accipere, voluntatem et actionem, magis in Deo. Simul enim agere et velle est in Deo. Attamen et est differentia, etsi in eo quid est velle, et actus Deo : etenim velle in hoc quod est velle, est causa actionis. Actio enim, effectio voluntatis. Aliud ergo voluntas ab actione : et verbi est, prius est et posterius. Impossibile, ambo idem. Deo igitur primum voluntas, posterius actio. Non juxta tempus dico, sed juxta ut sit causa alii essendi. Voluntas igitur in confesso est, quoniam substantia non est, nec actio. Deinde aliud quiddam est ab actione et voluntate, ipsum opus. Opus enim, operantis opus : non tamen ipse operator, opus. Opus ergo non consubstantiale operanti : ergo non generatio : neque quod effectum est, genitum est : et opus, non generatio neque filialitas, neque filius, neque unigenitus, neque consubstantialis ; magis autem cum necdum sit ipsa substantia, antequam Deus velit generare aliquid. Effectus namque Dei est omnis substantia (1). Non est igitur substantia, Deus. Per Deum enim substantia. Quomodo igitur, cum posterius sit substantia, Deum substantiam dicimus? Si enim Deum substantiam dicimus, cogit nos ratio confiteri substantiam esse priorem Deo. Etenim vere substantia subjectum quoddam est. Quod autem subjectum, non est simplex. Simul enim intellectus accipit aliquid aliud in subjecto esse, cum dici subjectum audierit. Sed enim simplum quoddam Deus est : insubstantialis ergo Deus. Si ergo insubstantialis est Deus, consubstantiale nil Deo ; etiamsi a Deo appareat nasci aut natum sit.

IX. Dicunt autem quidam generationem esse a Deo juxta nominatum typum. Deus enim spiritus est. Spiritus autem, cum in naturam suam intendit, in semetipsum residit. Istius modi motum, typum nominant. Quid deinde vero? Ab istius modi motione, filialitas quædam repente erumpit : et hæc generatio a Deo. Quomodo igitur? ut effluentium an ut emissio, aut ut refulgentia, aut aliud quid horum? Quid deinde? An ut pars a toto, an ut a toto totum? At quodcumque horum, aut imperfectum est, si partem effundit, et diminutio quædam fit patris, cum pars sit filius, aut vana generatio. Si vero totum a toto apparuit, nulla causa est, ab eodem ipso id ipsum generari. Et si duplex generari necessitas fuit, utrumque ergo imperfectum : et id quod est prius, et id quod est posterius in conversione. Sed enim insurgente in semetipsum (2), apparuit tantummodo aliud sine aliqua effulgentia. Id est manifestum, quoniam quod secundum est, ex iis est quæ aliquando non fuerunt. Factum est ergo, non natum, et idcirco non consubstantiale. A Deo igitur nulla est generatio.

X. Quid autem ex istis omnibus colligitur, mi dulcis Victorine? Quoniam Dominus Jesus Christus (*Joan.* I, 1, 3), qui est λόγος apud Deum, per quem effecta sunt omnia, et sine quo nihil factum est : neque generatione a Deo, sed operatione a Deo, est primum opus et principale Dei : *cui dedit nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 9), filium eum appellans et unigenitum, quod solum opera sua fecit. Effecit autem ex iis quæ non sunt : quoniam (*Rom.*, IV, 17) potentia Dei, quod non est, adducit ut sit. Hoc autem et Jesus per quem facta sunt omnia : hoc est ex iis quæ non sunt, ea quæ sunt effecit. Sed isto distat quod Deus facit, ut sit perfectum omnimodis : Jesus autem alia, non eodem modo, etsi perfecta effecit. In quo igitur Jesus est effector eorum quæ sunt, ex iis quæ non sunt, secundum operationem? Et in patre ipse est, et in ipso pater (*Joan.* XIV, 9, 11) : et ambo unum sunt (*Joan.*, X, 30). In quo autem non idem potest, alter accipitur. Non enim aliud omnimodis perfectum operari potest. Sed neque propria operatione operatur, neque propria voluntate ; sed

(1) *Quod effund.* Relativum delendum videtur.

(1) *Dei est omnis subst.* Hæc incipit Mabill. editio in *Analect.*, pag. 21, fol.

(2) *In semetipsum.* Mabillon., *in se spiritu.*

Digitized by Google

eadem vult quæ pater. Et ipse etiam (1) habet voluntatem ; dicit tamen : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI, 39). Et multa in voluntate patris (2) non scit : sicut judicii diem (*Marc.* XIII, 32). Et iste passibilis est, ille vero impassibilis : et ille est qui misit, iste vero qui missus est : et alia istius modi, ut quia iste induit carnem (3), in eo quod mortuus est, in eo quod resurrexit a mortuis : quæ omnia Filio contigerunt. Patri autem incongruum, operi autem ejus non incongruum : quod cum sit opus in substantia (4), quæ quidem receptrix est diversarum qualitatum et magis contrariorum.

XI. Quod autem Deus fecerit Jesum Christum, sacra lectio dicit in Actibus Apostolorum : *Certissime autem sciat omnis domus Israel, quoniam fecit nobis Deus Dominum Jesum Christum, quem vos crucifixistis* (*Act.* II, 36). Item apud Salomonem : *Fecisti me*

(1) *Etiam.* Mabillon., *etiam si.*

(2) *In voluntate patris.* Sic recte Mabillon. Deest vox *patris* in Orthodox. Jo. Heroldi, pag. 461, edit. Basil. 1555, qua utimur.

(3) *Ut quia iste ind.* Mabillon., *in eo quod ind.*

(4) *Quod cum sit op.* Mabill., *Sit opus.* Legendum forte, *quippe cum sit opus.*

præpositum ad omnes vias (*Prov.* VIII, 22). Hoc autem significat et in Evangelio secundum Joannem, cum dicit : *Et quod est effectum, in ipso vita fuit* (*Joan.* I, 3, 4). Si in ipso ergo aliquid factum, et ipse factus est ; magis autem, si ipse vita est. Nullus igitur velut insuave accipiat, Jesum Christum esse opus Dei, omnimodis perfectum Dei virtute : Deum vero ingenitum, Spiritum ingenitum, super omnes spiritus : unigenitum vero, operatione, potentia, filium substantiam factum, non de substantia. Etenim omnis et prima substantia, Jesus : omnis actio, omnis λόγος, initium et finis omnium quæ sunt, corporeorum, aut incorporeorum, intellectibilium ac intellectualium, intelligentium ac intellectorum, sensibilium ac sensuum : præprincipium, præcausa, præstatio, effector, capacitas, plenitudo : per quem effecta sunt omnia, et sine quo nihil : Salvator noster, universorum emendator (1) : ut servus in nostram salutem, Dominus autem in peccatorum et impiorum punitionem : gloria vero et corona justorum atque sanctorum. Amen.

(1) *Emendator.* Mabill., *emendatio.*

VICTORINI

LIBER DE GENERATIONE DIVINI VERBI,

AD CANDIDUM ARIANUM.

I. Magnam tuam intelligentiam quis fascinavit, o generose Candide? De Deo dicere, supra hominem audacia est. Sed quoniam inditus est animæ nostræ νοῦς ἠθικὸς, et spiritus desuper missus ad figurationes intelligentiarum inscriptas ex æterno in anima nostra : movet ineffabiles res ad investigabilia mysteria Dei voluntatum atque operationum, quasi mentis elatio animæ nostræ. Vult enim videre, et etiam nunc in tali sita corpore, quod difficile est intelligere solum, edicere autem impossibile. Dicit enim beatus Paulus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et cognoscentiæ Dei, quomodo ininvestigabilia sunt judicia Dei, et sine vestigiis ejus viæ* (*Rom.* XI, 33)! Dicit etiam Esaias : *Quis cognovit mentem Domini, aut quis fuit ejus consiliator* (*Isa.* XL, 13)? Vides igitur quanti constat cognitio de Deo. Sed quoniam de divina generatione scribis tam audenter : et nos tibi primo quidem de scripturis ostendemus, filii Domini Jesu Christi generationem æternam. An scripturas quas legimus, vanas opinaris? Si ut nomine, sic et re Christianus est quispiam ; necesse habet venerari scripturas, inclamantes Dominum Jesum Christum. Si igitur necesse tibi est scripturas recipere ; est et necessarium ea quæ in ipsis de Christo dicuntur, sic quemadmodum dicuntur, accipias et credas. Dicunt autem Jesum Christum Filium Dei esse unigenitum, ut dicit David propheta : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Et Paulus Apostolus : *Quia ipse proprio suo filio non pepercit* (*Rom.* VIII, 32). Et rursus : *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi* (*Ephes.* I, 3). Deinde et ipse Jesus Christus frequenter dicit : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Et : *Qui videt me, videt et patrem meum* (*Joan.* XIV, 9). Et : *Ego in patre, et pater in me est* (*Ibid.* 10, 11). Hæc dicens Deus fuit, si mentitus non est : si autem mentitus est, non opus Dei omnimodis perfectum. Sæpe et multi et millies dicunt ista : an tibi non apparet dici hæc ita ubique?

II. Audi de nobis aliud. Nos dicimus esse nobis patrem Deum, et eum quam maxime. Quæ causa, et juxta quid? Quoniam, inquam, charitate *prædestinavit nos in adoptionem per Christum* (*Ephes.* I, 5). Numquid et Christum per adoptionem filium Deus habet? Nullus id ausus est dicere : fortasse nec tu. Videsne, qualis blasphemia ex hoc dicto nascatur? Dicimus esse nos hæredes Deo patri, et per Christum hæredes, per adoptionem existentes filii : et Christum esse verum filium, per quem nobis efficitur esse filios et cohæredes esse in ipso Christo. Multa dixisti de Christo et vera, et ut se habent : quoniam potentia Dei est, et omnipotens, et universus λόγος, et omnis operatio, et omnis vita et alia plurima. Assecutus ergo est hujusmodi bona, effectus ex iis quæ non sunt? Et beatum est, quod non est ex eo quod verè est? Qui sic

VARIORUM NOTÆ.

I.—Νοῦς ἠθικὸς, *et spir.* Sic edit. Basil. At Mabillon. νοῦς πατρικὸς, *sensus paternus et spir.*

Jesum Chr. Sic Mabillon. Sed Orthodox., *Jesum Christum esse salvatorem omnium fidelium, Dei unigenitum. Dicit David*, etc.

Deus fuit. Mabill., *Si Deus fuit, non mentitus est. Filius ergo Dei, Christus. Si ment.*

II.—*Omnipotens.* Mabill., *omnipotens potentia.*

Digitized by Google

concipit intellectus, sine Deo est, sacrilegus et plenus blasphemiæ. Dominus ipse est super omnia quæ sunt, omniaque quæ non sunt. Et ipse igitur cum, ut dicis, sit factus ex iis quæ non sunt, poterit ipse facere omnia quæ sunt ex iis quæ non sunt? Attamen Deum, id quod sit et semper sit, non quod aliquando non fuerit, credimus esse. Præstat igitur quod est, et præstat per ineffabilem generationem, et præstat exsistentiam, νοῦν, vitam : non qui sit ista, sed super ista et semper omnia. Si igitur Deus non est quod non est, est autem supra id quod est, vere ὤν, potentia ipsius τοῦ ὄντος, quæ operatione in generationem excitata, ineloquibili motu genuit τὸν ὄντα, omnibus modis perfectum, a toto potentiæ totum. Deus ergo est totum πρόον : Jesus autem ipsum hoc totum ὄν, sed jam in existentia et vita et intelligentia, universale omnimodis τέλειον ὄν. Hic est finis, hic principium, hic filius, hic πᾶς λόγος, hic qui apud Deum et in Deo λόγος, hic Jesus Christus, ante omnia quæ sunt, et quæ vere sunt; prima et omnis existentia, prima et omnis intelligentia, primum et omnimodis τέλειον ὄν, ipsum primum ὄν, nomen ante omnia nomina; ab ipso enim omnia nomina, sicut declarabitur.

III. Volo autem audire, o mi dulcissime Candide, quid esse æstimas, quod non est. Si enim Deus omnium causa est, et ejus cui est esse, et ejus cui non est esse, causa est Deus. Sed si causa, non est id quod non est. Causa enim ut ὄν est : quippe unde et a qua sit id, cui futurum est ὄν. Et hoc ipso, causa vere super ὄν. Quod igitur nondum ὄν, id est, quod non est; ad hoc, ὄν causa est. Ideo πρόον dicitur : et juxta istam rationem causa est Deus, et eorum quæ sunt, et eorum quæ non sunt.

IV. Definiendum est ergo id quod non est : quod quidem intelligitur et vocatur quatuor modis : juxta negationem omnino omnimodis, ut privatio sit existentis : juxta alterius naturam ad alterius naturam, ut hoc non est illud : juxta nondum esse, quod futurum est et potest esse : juxta id quod super omnia quæ sunt, habet est; ut quia non est aliquid istorum, nec convenit cum aliquo eorum. Quid igitur dicimus Deum? τὸ ὄν, ἢ τὸ μὴ ὄν? Sed utique ipsum appellamus ὄν : quoniam eorum quæ sunt, pater est. Sed pater eorum quæ sunt, non est τὸ ὄν, si nondum sunt ea quorum pater est. Hoc non licet dicere, hoc nefas est intelligere, eorum quæ sunt, μὴ ὄν causam appellare. Causa enim prior est ab iis quorum causa est. Supremum ὄν igitur Deus est; et juxta quod supremum est, μὴ ὄν Deus dicitur : non per privationem universi ejus quod sit, sed ut aliud ὄν ipsum, quod est μὴ ὄν : juxta ea quæ futura sunt, τὸ μὴ ὄν : juxta quod causa est ad generationem eorum quæ sunt, τὸ ὄν.

V. Verum est igitur dicere Deum patrem τοῦ ὄν, juxta causam eorum quæ sunt, et eorum quæ non sunt. Voluntate igitur Dei in generationem veniunt et quæ sunt, et quæ non sunt. Et non æstimes quæ non sunt, quasi per privationem eorum quæ sunt. Nihil enim istorum neque existit, neque intelligitur. Si enim mundus et omnia superna subsistunt, omnia et sunt. Nullum enim μὴ ὄν, juxta privationem : sed subintelligentia quædam est, ab iis quæ sunt, privationem eorum subintelligere, non subsistentis, ne ipsius quidem subintelligentiæ, nec sic existenti ut eorum quæ sunt. Quædam vero quæ non sunt, quodammodo sunt, ut ipsa quæ nunc quidem sunt : quæ post generationem et sunt et dicuntur, et ante generationem aut in potentia sua aut in idea fuerunt. Sed unde vel ex quo generata sunt? Secundum illos modos scilicet; juxta alterius naturam, et juxta id quod nondum est, quod futurum est, et potest esse.

VI. Primo ergo Deus et super quæ sunt est, et super quæ non sunt : quippe generator ipsorum et pater, juxta quod causa est. Deinde secundum generationem a Deo aut secundum effectionem, quæ sunt ap-

VARIORUM NOTÆ.

Et præstat per ineff. gener. Hæc Mabill. pag. 22, quæ desunt in Orthodox. pag. 462.

Totum. Hanc vocem addimus ex Mabill. Et mox ex eodem, *Jesus autem ipsum hoc totum ὄν.*

Omnimodis. Sic Mabillon. At Orthodox. *omnibus*, minus recte. Mox pro τέλειον sive τέλειον habet Mabill. *perfectum.* Et paulo post, *hic est filius, hic omnis λόγος*, præcedentibus omissis.

Vere. Mabill. *vera.*

III.—*Esse.* Deest hoc verbum in Orthodox., sed habet Mabillon.

Et hoc ipso, etc. Mabill., *Sed esto hoc ipso, quod causa supra vere ὄν.* Minus recte, ut videtur; quemadmodum et quæ statim sequuntur.

IV.—*Omnino omnimodis.* Sic Mabill. Sed Orthodox. *juxta negationem, ut privatio sit existentis, ut omnibus modis esse negetur.*

Et potest esse. Hæc habet Mabill. quæ desiderantur in Orthodox.

Est. Forte *esse.*

Eorum, etc. Mabill., *eorum quia sunt causa ὄν appellare.* Rectius quidem, ut videtur, ex præcedentibus, si tamen hæc sic reformentur : *eorum* QUÆ sunt, CAUSAM ὄν *appellare.* Verum nihil forte mutandum, ob ea quæ statim sequuntur.

Supremum, etc. Sic Mabill. quem sequi maluimus. Orthodox. vero ita : *Super ὄν igitur Deus est; et juxta ea super quæ omnia est μὴ ὄν Deus dicitur : non per privationem ejus universi quod sit, sed ut aliud ὄν ipsum quod est μὴ ὄν, juxta* τοῦ μὴ ὄντος, τὰ μὴ ὄντα, καὶ μὴ ὄντα, καὶ μὴ ἀλλῶς μὴ ὄντα.

V.—*Verum est igit.* Heic in Orthodox. sub finem pag. 462, plura occurrunt perperam transposita, quæ spectare noscuntur ad § 9, ut ad eum locum monebimus. Recte vero procedunt omnia in edit. Mabill. ubi quæ hoc loci leguntur, extant pag. 22; in Orthodox. autem pag. 465, circa medium.

Τοῦ ὄν. Sic Orthodox. Forte τοῦ ὄντος. Sed nihil muto. Cæterum Mabillon. ita : *Verum est igitur dicere Deum patrem esse, et juxta causam esse et eorum quæ sunt. Voluntate*, etc.

Et sunt et dicuntur, et ante gener. Hæc desunt apud Mabillon. pag. 23, exscriptoris vitio, ob repetitam scilicet vocem *generationem.* Quæ item statim sequuntur ibidem, minus recte repræsentantur.

VI. — *Generator*, etc. Sic Mabillon. At Orthodox. *generator est, et pater est, juxta id quod causa.*

Effectionem. Hanc Mabill. lectionem alteri Orthodox. *effectorem* prætulimus.

Digitized by Google

paruerunt. Apparuerunt autem et μὴ ὄντα. Ipsorum autem quæ sunt, alia sunt vere quæ sunt, alia quæ sunt, alia quæ non vere non sunt, alia quæ non sunt. At illa quæ vere non sunt, non recipit in esse plenitudo Dei. Juxta enim id quod est esse, et id quod est aliquo modo esse, plenitudo Dei. Plenitudo enim est τῇ μόνῃ ἐμφάσει existente in intelligentia eorum quæ vere non sunt : quæ juxta subjectionem, ab his quæ non vere quidem sunt. Quodam tamen modo νοῦς cuncta incipiens, imaginata est circa id quod vere non est.

VII. Audi quemadmodum dico. Sunt quædam ejusmodi, quæ sunt natura manifesta, sicut quæ sunt et omnia supercœlestia : ut τὸ πνεῦμα, καὶ ὁ νοῦς, ἡ ψυχή, τὸ νόημα, ἡ παιδεία, ἡ ἀρετή, ὁ λόγος, opinio, perfectio, sententia, vita, intelligentia : et adhuc superius, existentialitas, vitalitas, intelligentitas : et adhuc super omnia ista, ὂν μόνον : et istud ὃ ἐστι ἓν μόνον ὄν. In ista si ἡμῶν νοῦς recte ingreditur, comprehendit ista et ab his formatur : et stat intelligentia, jam non in confusione inquisitionis existens. Sed quoniam intelligentia talis de altero est, comprehensio et definitio quædam efficitur. Alia ὄντα solum ὄντα esse intelligimus : quoniam in eo quod quidquid tale est, alterius est et aliud, ut intellectuale ad intellectibile. Ergo intellectibilia sunt ea quæ vere sunt : alia quæ tantum sunt, intellectualia. Sunt autem ista omnia, animarum in natura intellectualium, nondum intellectum habentium ; quæ sunt, sed ad intelligentiam accommodata. Excitatus enim in anima ὁ νοῦς, intellectualem potentiam animæ illustrat et illuminat, et intellectuat ac figurat : et innascitur animæ intelligentia atque perfectio. Idcirco et substantia dicitur anima, quoniam omnis substantia subjectum est. Subjectum autem alteri alicui subjacet : subjacet autem anima τῷ νόει, et πνεύματι ἁγίῳ ἡ ὕπαρξις τῆς ψυχῆς. Substantia igitur anima.

VIII. Omnia ergo quæ animæ sunt, solum ὄντα A sunt, non quæ vere sunt. Anima igitur comprehendit quæ vere sunt : quoniam si ingreditur νοῦς in animam intellectualem, comprehendit item et ὄντα ἀληθῶς : intelligit enim anima quoniam anima est : et sic ab iis ἃ ἀληθῶς ὄντα εἰσί, intelligentia efficitur eorum quæ sunt. At vero alia quæ non vere non sunt, et quæ non sunt, ab istis intelligentiam sumunt per conversionem intelligentiæ τοῦ ὄντος. Etenim non intelligitur τὸ μὴ ὂν secundum quod non ens : sed juxta τὸ ὂν intelligitur τὸ μὴ ὄν. Accipitur ergo τὸ μὴ ὄν, quasi quædam exterminatio τοῦ ὄντος. Exterminatio autem infiguratum quoddam est, et non est ut ὄν. Omne enim τὸ ὂν in existentia vel qualitate figuratum et vultuatum est. Infiguratum autem, quoddam aliquid est : ideo τὸ μὴ ὂν aliquid quodammodo est. B Sunt ergo τὰ μὴ ὄντα : et ideo etiam sunt quæ vere non sunt : et potiora sunt ad id quod est esse, ea quæ non vere non sunt, quam quæ μὴ ὄντα sunt. Propter quod efficitur τῶν ὄντων quidam naturalis ordo τοῦ ὄντος, τὰ ὄντα.

IX. Diximus ergo quæ sunt, et etiam quæ vere sunt. Dicamus nunc quæ sint quæ vere non sunt, et quæ sint quæ non sunt.

Intelligibilis et intellectualis cum sit Dei essentia et potentia, juxta intelligentiam apparuerunt cuncta quæ sunt. Sed intelligentia dupliciter operatur : sua propria potentia intellectuali, et juxta limitationem intelligendi, etiam sensu. Rursus autem sensus, simulacrum cum sit intellecti et limitamentum intelligendi, si perfecte percipit operationem intelligentiæ quæ illum fortificat in operari atque agere, efficitur sensus propinquus atque vicinus puræ intelligentiæ. Et ista est quæ cœlestia comprehendit, et ea quæ in æthere, et ea quæ in natura et ea quæ in ὕλῃ gignuntur et regignuntur, et alia hujusmodi quorum est potentia in sensuali intelligentia : et est illud esse quodammodo esse et non esse. Cœlum etenim, et omnia in eo, et universus mundus ex ὕλῃ consistens C

VARIORUM NOTÆ.

Alia quæ non vere non sunt. Ita edit. Mabill. μὴ ἀληθῶς μὴ ὄντα, ut infra ipsemet auctor. Orthodox. *alia quæ non vere sunt.* Mox Mabill. minus recte : *Ad illa —non recepit esse.—Juxta enim quod est esse, et aliquo modo esse plenitudo.*

Τῇ μόνῃ ἐμφάσει *existente.* Mabill., *sola emphasi existentiæ.*

Subjectionem. Orthodox., *subjectio.* An *subjectum?* D

VII.—*Quodam tam.* Heic plane cæcutiit Mabillonianus exscriptor.

Sententia. Mabill. *existentia.* Atque hujusmodi lectio confirmari videtur ex iis quæ sequuntur, præcedentibus affinia, nimirum EXISTENTIALITAS, *vitalitas, intelligentitas.*

Esse. Ex Mabill. hanc vocem sumus mutuati : apud quem tamen deesset subsequens *intelligimus.*

Enim Male in Orthodox. *est.*

Intellectuat. Mabillon., *invultuat.* Fortasse rectius : sic enim infra § 8, loqui amat auctor : *figuratum et vultuatum est.*

Alicui. Mabill., *alicubi* : quod non placet. Mox vero ibidem, τῷ νόει *et spiritui* dumtaxat, reliquis Græcis omissis.

Substantia igitur anima. Hæc Mabillon. quæ desunt in Orthodox.

VIII. — *Omnia ergo — non quæ vere sunt.* Hæc est lectio Mabillon. At Orthodox., *Omnia ergo quæ sunt et animæ, solum ὄντα sunt, quæ non vere sunt.* Statim vero Mabill. *Anima igitur non causa apprehendit.*

Et ὄντα. Mabill. *et ὄντα, hoc est, ipsa illa intellectualia.* Paulo post Orthodox. *At vero alia et quæ non sunt, ab istis,* etc. Mabillonium sequimur.

Etenim, etc. Mutilus et mendosus hic locus apud Mabill. ubi sic : *Etenim non intelligit τὸ μὴ ὄν. Accipit ergo τὸ μὴ ὄν, veluti exterminatio τοῦ ὄντος est. Exterm.*

Et non est ut ὄν. Mabill., *sed tamen est, non tamen sicut ὂν est.* Mox ibidem, *et in existentia et in qualitate.*

Infiguratum. Paulo aliter Mabill. apud quem mox, *et idcirco sunt, quæ non vere non sunt.*

Quidam natur. Mabill. *iste naturalis ordo* ὄντος, ὄντα ὄντα ; μὴ ὄντος, μὴ ὄντα, μὴ ὄντα.

IX. — *Diximus,* etc. Ita continenter Mabill. At in Orthodox. perperam transposita occurrunt sub finem pag. 462, ut superius ad § 3, admonuimus.

Et potentia. Hæc desunt apud Mabill.

In natura, etc. Mabillon., *in natura et in ὕλῃ.* Et mox : *et est illis esse.* Forte melius.

Digitized by Google

et specie, in commixtione est : ergo non est simpliciter. Hujus ergo mundi quæ partes sunt, participantes animæ intellectualis potentiæ et naturæ, sunt in natura eorum quæ non vere non sunt. Utuntur enim intelligentia, sed juxta sensum intelligentia, et sunt juxta sensum versibilia et mutabilia, juxta vero intelligentiam inversibilia et immutabilia. Quomodo autem sensus istud apprehendit? Sed non apprehendit nisi qualitates; substantiam autem, id est subjectum, nec percipit nec apprehendit : versibiles enim sunt qualitates; substantia vero inversibilis. Cum autem anima sit substantia, tamen est versibilis. Quomodo istud? Sic habeto.

X. Cum suscipit anima et intelligit quæ sunt in mundo, si illa intelligit quæ sunt animalia et animata; in eo quod est habere animam, sunt quæ non vere non sunt. Quodam enim modo μὴ ὄντα, juxta quod animam habent : quodam modo μὴ ὄντα juxta id quod conversibilem ὕλην habent et qualitates versibiles : et sunt hæc quæ diximus μὴ ὄντως μὴ ὄντα. Cum autem intelligimus sub anima ὕλην (in anima dico ὕλην, quidquid sine intellectuali anima est, circumlato sensu) ipsa comprehendit circa qualitates quasi μὴ ὄντα quæ sunt : sunt enim versibiles qualitates; et juxta hoc, μὴ ὄντα. Etenim ipsum subjectum quæ ὕλη dicitur, indeterminatum est; et ideo sine qualitate dicitur. Si autem determinatur, qualitas dicitur, et non qualis ὕλη. Sed sunt primæ qualitates in corporibus primis, igne, aere, aqua, terra : quæ sunt, sed per se, sine commixtione vel alicujus unione. Si enim ista, qualitates; et ista, ὕλη : qualitates igitur ὕλη. Non enim ut accidens accidit τῇ ὕλῃ; sed ipsa est qualitas : non potest enim esse qualitas, ipsa per semet, sed eo quod est; hoc ipso ὕλη est. Et semper quidem ὑλικὴ cum sit, nihil aliud quam ὕλη est. Sicut et anima, juxta quod intellectualis est, anima est; et juxta quod semper movetur et a se movetur, non secundum duplicationem neque secundum accidens, ista anima est, sed quod istæ qualitates, substantia est anima. Sic etiam ὕλη ipsa qualitas, ipsa substantia ὕλη. Differt autem anima ab ὕλῃ. Dicunt enim quidam, quod anima ὕλη est; quod subjectum et qualitas eadem sit substantia, eademque sit substantia et anima et ὕλη. Sed differt, ut dixi : quoniam anima intellectualis cum sit, intelligit semetipsam. At vero ὕλη omnimodis intelligens cum sit, neque intelligentiam neque sensum in sensu ullum habet. Et idcirco anima ea est quæ sunt : cum ipsa sola et pura est, ex iis est quæ sunt : mixta vero τῇ ὕλῃ, ex iis est quæ non vere non sunt. Sola autem ἡ ὕλη omnium quæ non sunt nutrix est. Anima vero et ἡ ὕλη, omnium nutrix est, sed anima, propria virtute omnium nutrix est et vitæ generatrix : ἡ ὕλη vero sine anima, effeta et densa facta, in æternum manet, animationem ab anima habens. Sunt igitur et dicuntur ista, μὴ ὄντα. De iis ergo quæ non sunt, ita se habet.

XI. Habes igitur quatuor : quæ vere sunt, quæ sunt, quæ non vere non sunt, quæ non sunt. Per conversionem autem et complexionem horum nominum, adhuc duo modi subaudiuntur : quæ non vere sunt, et vere quæ non sunt. Sedenim ea quæ non vere sunt, ea tantum quæ sunt significant : solum enim sunt, quæ non vere sunt. At vero quæ vere non sunt, ad id ut sint, locum non habent. Deo enim plenis omnibus, nefas et impossibile, quæ vere non sint, et dici et esse : quæ intelligentia sola, sicut declaravimus, differunt, non ab iis quæ non sunt, sed ab iis quæ sunt secundum privationem adnascuntur in anima, neque in sua substantia, neque in intelligentia positis quæ vere non sunt.

XII. Eamus igitur ad videndum, quid sit Deus, et in quibus est. Quæ vere prima et honoratiora sunt, numquid in ipsis Deus? Sed et his causa est, et ipsorum dator et pater. Nec est dicere, ipsum esse hæc, quibus ipse dedit ut essent. Cum enim unus

VARIORUM NOTÆ.

Simpliciter. Mabillon. *Simplex.* Et statim : *Hujus igitur mundi quæ partes sunt participantes animæ intellectualis, in potentia et in natura sunt eorum quæ vere non sunt.* Minus recte, ut videtur, cum distinctione, tum in textu.

Cum autem anima, etc. Sic Mabill. At Orthodox. : *Cum autem sit substantia, tamen est versibilis. Quomodo istud se habet? Cum suscipit anima et intelligit quæ sunt animata et animalia*, etc.

X. —*Conversibilem.* Hanc vocem omittunt Orthodox.

Μὴ ὄντως μὴ ὄντα. Ita rescripsimus, auctorem secuti, qui alibi dixit μὴ ἀληθῶς μὴ ὄντα, *quæ non vere non sunt.* Perperam utraque editio. Mabillon. enim μὴ ὄντος μὴ ὄντα : Orthodox. vero, μὴ ὄντος dumtaxat. Et statim eadem Orthodoxographa, pag. 463, circa medium, post verba μὴ ὄντος, subdunt : *ea quæ futura sunt, et quorum est causa. Ad generationem autem*, etc. quæ leguntur superius sub finem § 4. At Mabillonianum exemplar quod sequimur, post μὴ ὄντα subjicit : *Cum autem intelligimus*, etc., quæ in Orthodox. leguntur 464, lin. ult. et seqq. Omnia scilicet perturbata sive male compactorum exemplarium vitio, sive librariorum inscitia.

Quæ. Forte *quod* scripsisset alius quam Victorinus. Paulo post Mabill. *Et sunt primæ qualitates, ignis, aer, aqua, terra, ipsa secundum se sine commixtione.*

Unione. Sic ex Mabillon. pro *unius* Orthodox.

Non potest enim esse qualitas. Ista quæ habet Mabillon. desunt in Orthodox. fortasse ob repetitum *qualitas.*

Eadem sit substantia — et ὕλη. Mabillon. hoc deserimus, apud quem sic : *eadem ipsa sit substantia et animæ et* ὕλη, fortasse ὕλης.

Omnimodis intelligens. Malim *omnimodis* NON *intelligens.* Mabillon., *omnimodis omnino intelligens.*

Cum ipsa sola, etc. Pessime hoc Mabillon. exemplar.

XI.—*Complexionem horum nominum.* Sic recte Mabillon. At Orthodox. pag. 465, circa med. post vocem *complexionem* habet, *et solus natus filius*, etc., quæ inferius habentur § 15. Illa autem *horum nominum* et quæ sequuntur, extant ibid., pag. 464, sub initium. Omnia scilicet fœde inversa.

Differunt. Deest hoc verbum apud Mabillon.

Secundum privat. Sic utraque editio : ubi tamen aliquid deesse videtur.

Digitized by Google

et solus sit, assimilata esse voluit; et non ipsa illum unum : sed illud quod est unum esse, hoc voluit ipsa multa esse. Forsitan dices, o Candide, lieus hic sermo est : et secundum istam rationem dico, ex iis quæ non sunt, natum esse Filium Dei, secundum electionem, non secundum generationem. Sed μὴ ὄντα quæ esse diximus? numquid ea quæ omnino non sunt? Sed jam in confesso est, quod non : etiam in confesso est, quod quæ non sunt, juxta modos dicuntur quatuor : ex quibus duo juxta nihilum omnino, et juxta super omnia : alii vero juxta alterius naturam, et juxta quod nondum est; et tamen est potentia ad esse, et nondum actione esse.

XIII. Quid igitur Deus, si ne unum quidem est neque quæ vere sunt, neque quæ sunt, neque quæ non vere non sunt, neque quæ non sunt? Ista enim præstat Deus ut causa, istis omnibus. Eorum autem quæ vere non sunt, Deum esse, nefas est suspicari. Necessario enim Deum per prælationem et eminentiam τῶν ὄντων dicimus, supra omnem existentiam, supra omnem vitam, supra omnem cognoscentiam, super omne ὄν, et πάντων ὄντων ὄντα : quippe infintelligibile, infinitum, invisibile, sine intellectu, insubstantiale, incognoscibile : et quod cum super omnia, nihil tamen de iis quæ sunt : et quoniam supra quæ sunt, nihil de his quæ sunt : μὴ ὄν ergo Deus est.

XIV. Quid autem istud τὸ μὴ ὄν, super τὸ ὄν est? quod intelligatur ut ὄν, neque ut μὴ ὄν omnino : sed ut in ignoratione intelligibile, quoniam ὄν, et quoniam μὴ ὄν; quod sola sua potentia, τὸ ὄν in manifestationem adduxit et genuit. Est autem λόγος, istud sic se habere. Quid vero Deus qui supra ὄν est, ab eo quod ipse est, sicut ipse est, ὄντα produxit? An ab alio? an a nullo? Ab alio? Sed quo alio? Nihil enim ante Deum fuit. Sed neque ex altero ut Deo, quoniam nihil ei par. A nullo? Sed quomodo? Si enim τὸ ὄν produxit, verum est dicere quoniam a semetipso qui super τὸ ὄν est, τὸ ὄν generavit potius quam de nihilo. Quod enim super τὸ ὄν primo est, absconditum ὄν est. Absconditi vero manifestatio, generatio est. Siquidem et potentia ὄν, operatione ὄν generat : nihil enim sine causa in generatione. Et si Deus causa est omnium, causa est et τοῦ ὄντος in generationem : quippe cum super τὸ ὄν sit, vicinius cum sit τῷ ὄντι, et ut pater ejus et genitor. Etenim gravida occultum habet quod paritura est. Non enim fœtus non est ante partum, sed in occulto est : et generatione pervenit in manifestationem ὄν operatione, quod fuit ὄν potentia. Et, ut quod verum est dicam, ὄν operatione τοῦ ὄντος, etenim foris operatione generat. Quid autem generat? quod fuit intus. Sed quid fuit intus in Deo? nihil aliud quam ὄν; verum quippe τὸ ὄν : magis autem πρόων, quod est ὑπεράνω τοῦ παντὸς ὄντος : genus, inquam, quod est ens super entis entia, ὄν jam operante potentia. Hic est Jesus Christus. Dixit enim ipse : *Si interrogaverit, Quis te misit? dicito*, ὁ ὤν (*Exod.* III, 14). Solum enim illud ὄν semper ὄν, ὁ ὤν est.

XV. Filius ergo Jesus Christus τὰ μὲν ὄντα, et solus natus filius : quia ille πρόων nihil aliud genuit quam ὄν ante omnia et omnimodis perfectum ὄν; quod non potest esse cum altero, et quoniam quod omnimodis perfectum est, altero non eget. Universale enim ὄν, et solum ὄν, et unum et super genus generale ὄν, unum est et solum ὄν. Quoniam vero istud ὄν, non illud ὄν est quod perfectam potentiam habet, potentia natum est illud ὄν, ante omnia quæ vere sunt, et quæ sunt ἀρχαῖα ὄντα, ἀφ' ὧν πάντα εἶσι. Ipse est, inquam, a quo sunt omnia quæ sunt, et per quem, et in quo. Hujus gratia ὄν quod operatione est, imago est illius τοῦ ὄντος, quod potentia est, secundum nullum progressum semper in semetipso manens.

XVI. Quid deinde? Dicimus Jesum τὸ ὄν primum, ante omnia ὄν, per quem omnia quæ sunt. Hoc est enim nomen super omne nomen : principium enim nominum τὸ ὄν, et principium substantiarum, sicut

VARIORUM NOTÆ.

XII.—*Assimilata. Simulata* Mabill. mendose, ut videtur.

Et non ipsa illum unum. Mabillon., *non illud ipsum unum.*

Ex quibus duo — alii vero. Hunc locum ita ex Mabillon. refinximus, qui male se habet in Orthodox.

Juxta alter. Mabill. *juxta ad aliud naturam, et juxta quod nondum est; quod est potentiam esse, non jam actionem esse.*

XIII.—*Et πάντων ὄντων ὄντα.* Mabillon. *et ὄντος* (forte ὄντως) ὄντα. Mox ibidem, *sine intellectuali — et quod super omnia, nihil de his quæ sunt.* Minus recte, ut videtur.

Et quoniam supra quæ sunt. Sic Mabill. At Orthodox. *quoniam est supra quæ sunt.*

XIV.—*Intelligatur.* Mabillon., *non intelligatur.* Fortasse rectius ex seqq.

Quid vero Deus qui — ὄντα produxit? Mabill. sic interpungit : *Quid vero Deus? qui — ὄντα produxit.*

A nullo? sed quomodo? Mabillon. *A nullo igitur. Et quomodo Deo?* Paulo post, τὸ ὄν *generavit quamquam de nihilo.* Perperam.

Quod enim, etc. Mabillon. *Quid enim supra ὄν primo* (sic) *est? absconditum ὄν est. Mox in generatione est.*

Causa est et τοῦ ὄντος, etc. Heic Mabillon. lectionem expressimus. Orthodox. omissis *causa est*, sic : *et τοῦ ὄντος. In generatione quippe : cum super* τὸ ὄν sit, *vicinus, cum sit τῷ ὄντι, et pater ejus et genitor.*

Et generatione — potentia. Ita Mabill. At Orthodox. *et generatione provenit in manifestationem ὄν, et operatione quod jam fuit a potentia.*

Ὂν jam. Orthodox., *quod jam :* nullo sensu.

XV.—*Τὰ μὲν ὄντα.* Sic Orthodox. pag. 464, lin. ult., ubi legendum videtur τοῦ *μὲν ὄντος.* Hæc autem non agnoscit Mabillon. Quæ vero statim sequuntur, *et solus natus filius* habent eadem Orthodox. pag. 465, circa med. pluribus importune interjectis. Videsis observata superius ad § 11. Cæterum omnia rite intercurrunt apud Mabillon, pag. 24, sub fin.

Ante omnia — perfectum ὄν. Hæc desunt in Orthodox.

Potentia natum est istud ὄν. Hæc vicissim desiderantur apud Mabillon.

Digitized by Google

frequenter et in multis declaravi. Rursus Jesum Christum τὸ ὄν naturaliter circa Deum esse, et magis et in principio λόγον, et ipsum istum λόγον Deum esse dicimus. Deinde tres per χερουχίδια Joannem, αἰωνίους quæ confitemur : et dicimus hoc ita se habere. Dictum est enim quod in principio sit λόγος, et ut tu dicis, non est principium quod præcedit aliud principium : sine principio enim principium, si quidem et est dicitur principium. Qui igitur in principio fuit, ex αἰῶνος est, sive in Deo sive circa Deum (*Joan.* 1, 1). Erat enim circa Deum λόγος, et in principio. Ergo semper fuit. Si semper fuit, necesse eum est esse, non cum iis quæ non sunt, neque factum esse. Dicit Joannes (*Ibid.* 18) : *Deum nemo vidit umquam.* Rursus (*Ibid.*) : *Unigenitus Dei filius qui est in gremio patris, ipse enarravit.* Habemus igitur ista eadem, quoniam Jesus Christus ὄν est, quoniam λόγος est, quoniam in principio fuit, quoniam circa Deum fuit, quoniam in gremio fuit et est. Ipsa omnia nonne manifeste et dilucide significant, filium Dei esse cui attribuuntur ista, ὄν et ante omnia ὄν ; si pater Deus, antequam est ὄν, esse potentia accipitur ipsius quod ὄν est ? Quod quidem ὄν a sua potentia in suo patre exsilivit ; ipsum τὸ ὄν manifestationem accipiens, quod fuisset occultum : et ista, divina et ineffabilis generatio est. Exterminandum igitur dogma est, ex iis quæ non sunt, esse sive prodiisse Jesum.

XVII. Videamus rursus aliud. Λόγος est Jesus. Quid igitur est λόγος ? Dico ; quoniam est patrica quædam activa potestas, et quæ immota sit, et quæ se ipsam constituunt, ut sit in actu, non in potentia. Si ergo istud sic est, quare ὁ λόγος circa Deum erat ? Necessario circa id ipsum, ut per αὐτὸν λόγον omnia gignerentur, et sine ipso nihil. Operatur ergo Deus per λόγον, et semper operatur λόγος. Est ergo activa potentia immota, et quæ semper operetur, et quæ constituat, ut sit actione quod fuit potentia. Istum ergo dicimus, quod in principio fuit. In principio autem esse, non generatum esse significat. Et vere propterea Deus est λόγος, quoniam in principio fuit sicut Deus, et circa Deum fuit. Non genitus est λόγος, cum Deus ipse λόγος sit, sed quiescens et silens λόγος : ut videas necessitatem cognoscendi, non genitum esse λόγον multo magis quam ipsum fieri ex iis quæ non sunt.

XVIII. Quid deinde cognoscentia nostra ? quemadmodum fertur ? quomodo movetur circa λόγον ? Non sic λόγον videt, quasi aut propter aliud est, aut alterius est juxta quod est. Ad hoc est, ut aliud esse constituat, et omnino non aliter. Pater ergo et generator omnium λόγος, per quem omnia effecta sunt, et sine quo factum est nihil. Sed αὐτοῦ τοῦ λόγου potentiam, aliud constituendi et faciendi potentiam, sic non oportet intelligere et audire, sicut in omnium causa. Ipse enim constitutus est etiam et αὐτοῦ τοῦ λόγου. Si enim prima causa, non solum aliorum omnium causa, sed sui ipsius est causa. Deus ergo a semetipso, et Deus est.

XIX. Sed quoniam esse hoc ipsum, quod est moveri et intelligere, hoc est agere ; primum est potentia ; et constitutiva potentia, primum, inquam, est. Necessario igitur ipsum esse præcedit. Ergo et intelligere et moveri et agere ab eo est, quod est esse. Est autem secundum quod est, in actu esse : hoc est, filium esse ; et magis istud, quam illud ipsum esse quod est pater ; quod est esse, hoc est agere et operari. Non enim aliud ibi esse, aliud operari. Simplex enim illud unum, et unum et solum semper. In patre igitur filius, et in filio pater.

XX. Quomodo igitur effectum est ? quomodo filius et pater, si simul ? Neque solum simul ambo, sed unum et solum et simplex. Sed hoc non oportet quærere, sufficit enim credere. Dicamus igitur, cum fas est. Primum manifestum est ; quoniam λόγος neque aliud, neque ab alio, sed circa Deum. Dicit enim Evangelium : *In principio erat λόγος, et λόγος erat circa Deum* (*Joan.* 1, 1). Rursus dicit : *Unigenitus filius qui est in gremio patris* (*Ibid.* 18). Quomodo ista dicta aut accipis aut intelligis ? Romani πρὸς τὸν Θεὸν, *apud Deum* dicunt, quasi ad intus, vel penitus intus, id est in Dei existentia : et hoc verum. In eo enim quod est esse inest et operari. In Deo enim λόγος : et sic in patre filius.

VARIORUM NOTÆ.

XVI.— *Rursus*, etc. Mabillon. *Rursum vero Jesum, non λόγον circa Deum esse diximus.*

Deinde, etc. Hæc est lectio Orthodox. At Mabillon. : *Clamat resipsa per cervicem Joannem : Æones etiam confitentur istud sic se habere.* Utrobique sane mendose.

Ex αἰῶνος. Mabill. *ex æterno.*

Erat enim circa Deum λόγος. Heic dubio procul ad *Joan* 1, 1. respexit Victorinus : sed minus recte tum heic tum sæpius infra, sacri textus verba πρὸς τὸν Θεὸν, *circa Deum* vertisse videtur. Agnoscit tamen ipse Vulgatæ lectionem *apud Deum* infra § 20, illamque *circa Deum* respuit § 26.

Quoniam Jesus Christus. Mabill., *quoniam Deus ὄν est.* Et mox *in gremio Dei est.*

Esse sive prodiisse Jesum. Mabill. *esse Deum.*

XVII.—*Immota*. Perperam Mabill. heic et paulo post, *in motu* : apud quem paulo ante recte *patrica* sive patria, pro quo mendose *patriam* in Orthodox.

Potentia. Mabill. *in potentia.*

Deus est λόγος. Sic Mabillon. Male Orthodox. *Deus et λόγος.*

XVIII.—*Quomodo mov*. Mabillon. ita distinguit : *quomodo movetur ? juxta λόγον ?* Et mox legit *quoniam* pro *quasi.*

Causa. Mabill., *causando* : quod non placet. Et mox *constitutivus*, pro *constitutus*. Optime, meo quidem judicio.

Sui ipsius. Mabillon. *sibi ipsi — a semetipso et λόγος, et Deus est.*

XIX.—*Quam*. Ita cum Mabill. legere malim, quam cum Orthodox. *quoniam.*

XX. — *Sed hoc*, etc. Male apud Mabill. *si hoc oportet quærere ?* Mox ibid. *Dicamus in quantum fas est.*

Romani, etc. Sic Mabill. apud quem tamen desunt *quasi ad intus*. Orthodox. *Romani πρὸς τὸν ὄντα dicunt quasi ad intus*, etc.

Digitized by Google

Causa enim est, ipsum esse ad actionem : oportet enim esse primum, cui inest operari : et hoc est Deus. Ista ergo duo, duo dico secundum virtutem : secundum autem intelligentiam simplicitatis, dico unum solum. Si igitur principium causa est ipsum esse ad operationem et actionem, generatur agere ab eo quod est esse. Esse autem pater est : operari ergo filius.

XXI. Quæ igitur generatio est, aut apparentia generationis? Primum autem si oportet istud dicere, ne quis ἔμφασιν temporis accipiat. Primum, secundum intelligentiam dico. Primum igitur dicimus in semetipsum conversum, et moveri et intelligere intus in requie positam beatitudinem, omnimodis perfectam custoditam. Est autem ipsum beatitudinis et magnitudinis Dei, et intus et foris, et moveri et operari. Omne enim quod est omne, et intus et foris est. Quomodo istud, et intus et foris, Deo existente et in omni et in toto, postea dicendum.

XXII. Nunc autem accipe causas intelligendi, ἔμφασιν temporis penitus abesse, si juxta prius et posterius, omnino sine tempore effectis omnibus. Ex æterno enim omnia. Deus igitur omnimodis perfectus, et super omnimodis perfecta : is qui omnia creavit, et qui omnium causa est : non illud ipsum solum, quod unum fuit et solum; sed et multa et omnia quæ potentia sunt esse, fuit et voluit esse omnia. Alia vero, sine actione, quomodo possibile fuit esse? Exsilivit igitur Dei voluntate actio : ipsa autem actio, Dei voluntas fuit : simplex enim omne ibi. Λόγος ergo qui est in Deo, ipse Deus est, ipse voluntas, ipse intelligentia, ipse et vita, ipse actio : ex se genito motu, ab eo quod est esse, processit in esse suum proprium : id est, in quo est agere; apparuit ipsum agere, quod quidem effecit omnia. Ipsum vero natum est ab eo quod est esse, in id quod est agere; habens in eo quod est agere, et esse. Sicut illud esse, et agere habet et esse : Sic hoc, agere habet et esse. Ipsum autem agere, hoc est esse; ut illud esse, hoc est quod agere. Unum ergo et simplex, ista duo.

XXIII. Id si ita est, neque ex nihilo Jesus, qui ab eo quod est esse, apparuit actio ; cum ipsa actio, et hoc fuit quod est esse : neque non est propter ista duo τὸ ὁμοούσιον; quia idem est, quod substantiæ unius ejusdem est. Unum utique est una actio : quippe cum ipsum agere et esse sit. Hic est filius, hic a patre, hic circa Deum, hic qui in gremio patris, hic est intus, hic est foris. Opere enim foris, in eo quod est esse intus : et in Patre ipse Deus in Deo, qui idem omnino est ei : actione autem qui sit filius. Et ubicumque est, et esse est et actio : et isto modo, et pater est et Deus est, et filius est et λόγος.

XXIV. Ubi igitur est ille nefarius intellectus et blasphemus? Ubi habet locum aliud quid esse, et ab alio habet locum? Ubi est quod amplius dicit, ex nihilo esse Jesum Christum, filium Dei? Ubi est illud, quod nihilum est? Quomodo quod nihilum est, potest incidere in Deum aut in cogitationem Dei? Vera enim excogitatio, ex veris est. Porro quod vere non est, falsum est. Non igitur excogitat Deus, quod vere non est. Sed nos fallit, quoniam Dei potentia in isto magis credimus, si ab iis quæ vere non sunt, efficiat ea quæ vere sunt. Sed in quantum Dei potentia omnia potest, in tantum juxta quod potentia est, nihil aliud generat quam quorum potentia est ut sint. Eorum autem quæ vere non sunt omnimodis, omnino nulla potentia est.

XXV. Quomodo ergo nulla existente potentia eorum quæ vere non sunt, effecta est actio eorum quæ sunt? Quippe si est Dei potentia, ut ad esse ducantur ea quæ esse non possunt, jam secundum potentiam habent esse, vel sunt ὄντα, illa ipsa quæ omnino εἰσὶ μὴ ὄντα. Et idcirco non esse illa diximus, quæ in abscondito posita et in potentia, nondum tamen apparuerunt in actione. Fuerunt enim omnia in Deo. Eorum enim omnium quæ sunt, λόγος semen est. Λόγος enim in Deo : in operatione, id est in virtute Dei, qui est filius Dei, apparuerunt omnia quæ facta sunt.

XXVI. Sed dicunt quidam sacrilegi : Si circa Deum fuit λόγος, et supra gremium Dei exsistens filius, non intus in gremio, sed foris intelligitur. Quid vero? Anima homini inspiravit Deus ex se, ex intus : omnium autem creatorem, liberatorem ac sanctificatorem illius ipsius animæ, et totius corporis redemptorem et erectorem, non ex intus? Nonne angelicam naturam ex intus emisit? Quando

VARIORUM NOTÆ.

Et hoc est Deus. Hæc desunt apud Mabill., fortassis incuria exscriptoris.

Principium. Deest item hæc vox apud Mabill. Et mox ibid. legitur *ad actionem* tantum. Paulo post ibid. *generatur autem genere.* Male.

XXI.—*Generationis.* Mabill. *actionis.* Mox *neque emphasim.* Non recte.

In semetipsum. Mabill., *esse in semetipsum.* Et mox *custodit* pro *custoditam.*

In omni. Sic optime Mabill. At Orthodox. *homini.* Pessime.

XXII. — *Penitus abesse.* Hæc omittit Mabill. apud quem paulo post, *et æterno.* Utrumque non bene.

Perfecta. Melior videtur hæc lectio Orthodox. quam altera Mabill. *perfectus.*

Sunt. Hæc vox abest a Mabill. immerito ut videtur. Mox ibid. *alia vero omnia sine actione.*

In id quod est agere. Sic Mabill. At Orthodox. *in quod est agere.*

Sic hoc agere habet et esse. Hæc desunt in Orthodox., quæ sumpsimus ex Mabill.

XXIII. — *Et hoc fuit.* Mabill. *et in eo fuit.*

Neque non est, etc. Mabill., *neque non ὁμοούσιον, quia esse quod substantiale est, unum utrique est, et una actio quippe,* etc.

Qui idem omnino est ei. Hæc desunt apud Mabill.

XXIV. — *Habet locum.* Ista redundare videntur, si admittatur interrogatio. Magis placet hujusmodi lectio Mabill. : *Ubi habet locum aliud quid esse et ab alio, et magis ex nihilo Jesum Christum et filium?*

XXV.—Ὄντα. Hanc vocem desumpsimus ex Mabill. quæ desideratur in Orthodox.

Et erectorem, etc. Mabill *et e rectorem in angelicam virginem non intus emisit?*

Digitized by Google

autem hominem de terra formavit, et altera pecora et quadrupedia, et rursus ex aqua animantia cuncta, et cæterorum in aere ea ex alio in aliud, et illud ex quo primum ex iis quæ non sunt : Jesum vero unde dicis? Ante omnia namque filius. Num ergo ab inani, et omnino de nullo? Deinde corpus ejus formavit : animam vero aut spiritum corpus non habuit, antequam in mundum ingrederetur? Habuitne animam? Eam igitur insufflavit, sive insibilavit : neque enim in eum. Quomodo enim in ipsum, cum nondum haberet corpus? Sed si quod insibilavit, fuit id ipsum filius. Si istud ita est, est ergo a Deo filius : sic et spiritus. Non enim ex nihilo spiritus. Dicit enim Deus (*Isa.* XLII, 5) : *Omnem spiritum ego emisi.* Insufflando ergo, super se insufflavit Deus, et sic natus est filius : non ergo fecit illum Deus. Non ergo circa Deum vel supra gremium foris est, sed intus. Utrumque testificatur David dicens (*Zach.* XII, 1) : *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Non ergo, quod est filius, factum est, sicut omnia : contra id quod dicit Deus. Nam si factus est; antequam fieret, non erat Verbum Dei.

XXVII. Quid igitur dicimus? Nonne est necessarium confiteri, si Verbum fecit omnia, primum omnium esse Verbum, velut Verbum omnimodis Verbum, Verbum quod nos et prophetæ et evangelistæ nominamus λόγον et filium? Moses sic dicit (*Gen.* I, 1) : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Secundum Aquilam hoc idem sic : *In capitulo fecit Deus :* ut Hebræi Mosis dictum pronuntiant : sive *in principio*, sive *in capitulo*, in Christo eum fecit Deus. Principium ergo et caput, Christus. Et hoc frequenter dicitur : *Creavit omnia in Christo.* Λόγος enim Christus ut semen est omnium. Primus ergo Christus: ante enim omnem creaturam fuit. Unde igitur Christus? Si Verbum est, a Deo : si voluntas, a Deo : si autem motus aut actio, a Deo : et si ipsum agere et esse est, juxta ipsum esse pater est, filius autem actio est : et quoniam ipsum esse actio est, et agere est esse; idcirco ὁμοούσιον et pater αὐτὸς λόγος.

XXVIII. Sed quomodo ὁμοούσιον, nondu... exsistente substantia? Nomina vero ab iis quæ posterius sunt, et ab iis quæ post Deum, et inventa et assumpta sunt. Et quoniam non est invenire nomen dignum Deo, ab iis quæ scimus nominamus Deum; habentes in intellectu, quoniam non proprie nominamus nec appellamus : quemadmodum dicimus, Vivit Deus, intelligit Deus. Proinde a nostris actionibus nominamus actiones Dei, existente tamen illo super omnia; neque tantum existente, sed quasi existente, οὐδὲ ὄντως ὑπάρχοντος, ἀλλὰ ὄντος μικροῦ ὑπάρχοντος, Isto etiam modo substantiam, existentiam, et cætera hujusmodi apponimus Deo, et ejus essentiæ οὐσίαν aliter dicimus, aliter se habente substantia creata ad quod inest sibi, et ad suum etiam esse.

XXIX. Similiter et cum dicimus, quod Deus factus est Christus vel homo : non quod vere factus sit, sed quoniam unus sit, et in omnibus sit, et omnes in ipso : idcircoque dicatur omnibus omnia factus, ut essent : non quod factus sit ut esset, sed quod effectus sit ad ita esse. Siquidem non dicitur, Filius Dei factus est, sed (*Act.* II, 36) quod est factus nobis Dominus; sicut Salomon dicit (*Prov.* VIII, 22) : *Et fecisse me supra vias tuas.* Nam de æterna divinaque generatione supponit statim (*Ibid.* ℣. 25) : *Ante omnes me genuit Dominus.* Dicitque Joannes (*Joan.* I, 3, 4) : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quid deinde? Nonne Deus creaturam fecit, et in creatura primum cœlum et terram? Non ergo fecit Christum. Natus est ergo Christus, non factus. Ubicumque enim dicitur factus, post primum et æternum generari, dicitur post effectus esse. Sicut (*Gal.* IV, 4) de muliere dicitur factus; et in Actibus Apostolorum (*Act.* II, 36) : *Certissime igitur cognoscat domus Israel, quoniam istum Christum Deus fecit, quem tulistis in ligno crucis.* Ista omnia post generationem, quæ una est et sancta et ineffabilis, hæc inquam omnia dicuntur. Non ista dicuntur in ejus existentiam, sed in actus et administrationem potentiæ et virtutis ejus. De generatione igitur quæ est filius Dei, manifestum est et quod ὁμοούσιον substantia ejus, in majestate, in propria significantia intelligentiaque, intellecta secundum esse existentiæ substantiæ. Et sic demonstratum, quomodo ὁμοούσιον.

XXX. Habes, mi Candide, quod reliquum est dicere. Si filius Dei Jesus, generatione filius. Dicis enim : « Si generatio motus, et motus mutatio; mutationem autem in Deo esse, impossibile est intelligere : ergo nefas dicere necesse est, nonnihil

VARIORUM NOTÆ.

Et rursus, etc. Mabill. *et rursus ex aqua animam viventem avium, et aliorum in aqua; et hoc ab alio in aliud; et hoc est ab his quæ non sunt : Jesum vero*, etc.

Omnem spir. Mabill. *Omnes spiritus ego emisi insufflando. Si ipse insufflavit : a Deo filius et natus est filius : non fecit illum Deus.*

Primum omn. Mabill. *Primum esse Verbum, et Dei generatione esse Verbum universale, Verbum omnimodis, perfectum Verbum, quod*, etc.

Ut Hebr. Mabill. *et Hebræi : Sive in capitulo sive in principio, in Christo fecit Deus.*

Unde igitur Chr. Mabill. lectionem et interpunctionem hic sequimur.

Scimus. Mabill. *sumus.* Cætera vero, sive mendosa, sive male interpuncta.

Sed quasi exist. Mabillon. *sed quasi existente, neque ὄν existente, sed ut ὄν. Isto* etc.

Et ejus essent. Mabill. *et ejus esse οὐσίαν dicimus, aliter se habenti ad quod est ei esse. Similiter*, etc.

Quod... vel homo, Mabill. *quoniam factus est Christus.*

Istum. Cum Mabill. ita legimus. Orthodox. *Jesum.*

Existentiæ substantiæ. Mabill. *existente substantia.*

Ὁμοούσιον. Mabill. ὁμοούσιος. Et sic paulo ante rescribendum videtur ὁμοούσιος, *substantia.*

Si filius etc. Hæc juxta Mabill. sunt verba Candidi Ariani. Sic enim ibi : *Si filius Jesus, generatione filius : si autem generatio, motus*, etc. Vide superius ejusdem Candidi opusculum §. 7.

Digitized by Google

a Deo gignibile : non igitur Jesus Dei generatione filius. » Bono quidem ordine deduxisti : sed quem circumduxisti? Forte me? sed magis te. Dixisti enim, quod fecit Jesus Deum. Quid deinde? Facere nonne motus est? nihilo minus quam agere. Agere enim, facere est : sicut et facere, agere. Ambobus ergo in motu existentibus, necesse est sequi mutationem : quam in Deo constituere, sicut est declaratum, incongruum est. Confitendum igitur aut facere non esse motum, aut non omnem motum esse mutationem. Sed enim facere, motus est : et Deus juxta motum fecit; cui nullo modo mutari contingit, et omnino non congruit quomodolibet accidens recipere. Relinquitur ergo, non omnem motum mutationem esse. Si non omnis motus mutatio est, quid magis eligendum circa Jesum? secundum generationem illum esse, aut secundum effectionem? Juxta divinam intelligentiam, secundum generationem. Etsi enim Deus simul ac dicit, facit quæ facit : Sed dicere, motus est, præexistente silentio : mutatio est igitur, silenti dicere. Si autem per Verbum fecit Deus, ante fuit Verbum quam facere. Si ante fuit Verbum quam facere, juxta generationem ante fuit. Generat enim ὁ νοῦς Verbum. Generatio igitur Jesu, qui λόγος est. Quem Jesum gnari rerum dicunt secundum tres modos filium esse, veritate, natura, positione. Secundum veritatem esse filium, hoc ipso quod substantia est : et ipsum idcirco et simul et ejusdem substantiæ esse, quomodo et pater et λόγος et filius et Deus. Natura autem filius in animali generatione. Positione vero in adoptione. Sunt et alii modi : ut moribus, ætate, disciplina : ut Apostolus Paulus dicit (1. *Cor.* IV, 15) : *Ego vos genui*. Modus igitur secundum veritatem et altior modus est, et omnibus divinior. Quis autem modus sit generationis sive filietatis ejus, sive juxta significatos, sive alios modos : confiteor ego Deo, cujus hoc potentia factum est.

XXXI. Dictum est a nobis sufficienter, ut credo, in aliis libris, a quo sit progressio et descensio; regressioque promissi sancti Spiritus declarata est : et de triplici unitate et unali trinitate. Nec sûffero audiens dogma vestrum de Spiritu sancto, blasphemia plenum : « Quod iste Spiritus in sanctificationem est, et qui tantummodo sanctificet et doceat : et quod ipse factus sit, sicut omnis creatura. » Cum tamen ipse Spiritus differat propria sua actione a filio, cui tamen semper præsens est : sicut et ipse filius actione differt a patre suo, qui tamen sit pater juxta id quod est esse. Sicque istorum trium unum et idem existentium, una divinitas et non multifida majestas; sed οὐδὲ ἐντεῦθεν μάτε ἔθεν : sed tria unum, et unum tria : et ter posita, unum idemque atque solum. Sed de iis tribus alia nobis oratio.

XXXII. Salva nunc nos, pater, concede nobis peccata nostra. Et hoc quidem de Deo dicere, quid sit, peccatum est : et quomodo sit dicere, peccatum est : et non una voce venerari, quantum fieri potest sobria, sed enuntiare velle. Sed quoniam dedisti nobis, Domine sancte pater, Spiritum (I *Cor.* XII, 11) dividentem nobis prout vult, des nobis et cognoscentiam. Fidem enim habemus, et dicimus : omnigenam tamen de te ignorationem habentes. Attamen te patrem Deum, et filium Jesum Christum Dominum nostrum, et Spiritum in omni verbo semper confitentes, qui cum tecum et filio eodem vivit in æternum. Amen.

VARIORUM NOTÆ.

Sed quem circ. Ita cum Mabill. legimus. Orthodox. *Sed quid circumduxisti? forte te, sed magis inquam te.*

Generat. Mabill. *Generationem igitur Jesus, quoniam* λόγος *Jesus.*

Quomodo, etc. Mabillon. *quomodo et Deus et* λόγος *est pater et filius.* Et mox *animalium* pro *animali.*

Sanctificationem. Mabillon. *significationem.* Et paulo post : *Qui quidem ipse Spir.*

Et non una voce vener. Mabill. *et humana voce divina non venerari, sed enuntiare velle. Sed*, etc.

Qui, etc. Hæc desunt apud Mabillon.

CANDIDI ARIANI

EPISTOLA AD MARIUM VICTORINUM RHETOREM.

I. Multa licet colligas, o amice Victorine, et argumenta, et exempla, quibus approbare nitaris natum Christum esse, non factum : Arius tamen, vir acris ingenii, ejusque discipuli, et inter eximios excellens Eusebius, suis epistolis de isto sententias protulerunt; quas epistolas nunc subjicimus.

Arii ad Eusebium : « Domino desideratissimo, homini Dei fideli, recta opinanti, Arius qui persecutionem patitur ab Alexandro papa injuste, propter omnia vincentem veritatem, pro qua et tu propugnas, in Domino salvum esse. Patre meo Ammonio veniente ad Nicomediam, rationi debitum apparuit salutare te per ipsum, simulque et communem facere charitatem tibi innatam, et affectionem quam habes ad fratres, propter Dominum et Christum ejus : quoniam magnifice nos exportat et persequitur, et omne malum movet adversum nos episcopus, ut fugeret nos de civitate quasi homines sine Deo, quoniam

VARIORUM NOTÆ.

Epistolas. — *Arii.* Scripsit hanc epistolam Arius ad Eusebium Nicomediensem : eamque recitant Epiphanius, *Hæret.* LXIX, § 6, Theodoritus, *Hist. eccl.* lib. I, cap. 5. et Nicephorus, *Hist. eccl.* lib. VIII, cap. 9. Extat eadem latine in *Tripartita*, lib. I. cap. 15.

Communem. Legendum videtur *Commonitam.* Græce, ὁμοῦ τε ὑπομιμήσει τὴν ἔμφυτόν σου ἀγάπην.

Et omne malum movet. Græce, καὶ πάντα κίνει κακά; adeoque vertendum, *et omnem machinam movet.* Pro κάλων legebat interpres κακῶν.

Sine Deo. Græce, ἀθέους, *impios* vertit Valesius.

Digitized by Google

non consonamus ipsi publice dicenti : Ingenitogenitus est, semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius consubsistit ingenite Filius Patri : semper genitus est : neque ad intelligentiam, neque exiguo aliquo præcedit Deus filium : semper filius ex ipso est Deo filius. Et quoniam Eusebius frater tuus qui in Cæsarea est, et Theodotus, et Paulinus, et Athanasius et Gregorius, et Aetius, et omnes qui circum orientem dicunt, quod præexistit Deus filio sine principio : anathema facti sunt, excepto solo Philogonio, et Hellanico, et Macario hominibus hæreticis, quibus non insonuit, quod filium dicunt alii eructationem, alii emissionem, alii simul ingenitum. At istorum sacrilegia nec audire possumus, etiam si decies mille mortes nobis minentur hæretici. Nos autem dicimus et sapimus, et docuimus et docemus; quoniam filius non est ingenitus, neque pars ingeniti juxta illum modum, nec ex subjecto aliquo, sed quod voluntate et cogitatione subsistit ante tempora et æones plenus Deus, unigenitus, et immutabilis, et antequam genitus esset aut creatus vel definitus aut fundatus, non fuit : ingenitus enim non fuit. Persequimur, quoniam diximus : principium habet filius, Deus autem sine initio. Propterea persequimur, et quia diximus quia non de existentibus est. Sic autem diximus, juxta quod nec pars Dei est ; nec ex subjecto aliquo : idcirco persequimur. Jam tu scis. Confortari te in Domino, preces facio, memorem tribulationum nostrarum, Collucianista, vere Εὐσέβιε. » Hæc Arius dicit.

II. Et de his Eusebius juxta istum modum talia ad Paulinum : « Quoniam enim neque duo ingenita audivimus, neque unum in duo divisum, neque corporale aliquid quod patiatur, dicimus aut credidimus, domine : sed unum quidem ingenitum, unum autem quod ab ipso vere, et non ex ejus substantia factum, universale naturæ ejus quæ sit ingenita, neque participans, vel non ex ejus substantia : sed factum omnino alterum natura et potentia, ad perfectam similitudinem et affectionis et potentiæ ejus qui efficit quod factum est. Cujus principium non solum sermone inenarrabile, sed et excogitatione ; nec hominum solum, sed et eorum qui super homines sunt omnino esse incomprehensibile credidimus. Et hæc non legimus nobis substituentes, sed a sancta scriptura didicimus. Dicimus conditum eum esse, et fundatum, et factum substantia ; et immutabili et ineffabili natura et similitudine ea quæ sit ad facientem didicimus : Sicut ipse Dominus dicit (*Prov.* VIII. 22, 23) : *Deus condidit me principium viarum suarum, et ante æonem fundavit me, ante omnes colles genuit me.* Si autem ex ipso, hoc est, ab ipso erat sicuti pars ejus aut ex effluentia substantiæ, non conditum jam, neque fundatum esse dictum, nec tu ignoras, domine.

VARIORUM NOTÆ.

Ingenitogenitus est. Gr. ἀγεννητογενής ἐστιν.

Consubsistit ingenite Filius Patri. Hæc male interpunguntur in editis. Græce, συνυπάρχει ἀγεννήτως ὁ υἱὸς τῷ Θεῷ, *Filius Deo coexistit ingenite.*

Semper genitus. Theodoritus, ἀεγεννής; Epiphanius vero et Nicephorus, ἀεγενής, per simplex ν.

Neque ad intell. Gr. οὔτε ἐπινοίᾳ οὔτε ἀτόμῳ τινί. Vales. *Nec cogitatione, nec ullo temporis puncto.* Magis placet Ariani Candidi versio, *nec exiguo aliquo.* Mentio enim *temporis*, ubi agitur de Filii æternitate, minus apta videtur.

Semper filius.... Deo filius. Hæc *semper filius* paulo ante dicta, heic redundant, absuntque a textu, ubi tantum sic : ἐξ αὐτοῦ ἐστι τοῦ Θεοῦ ὁ υἱός. Cæterum hæc omnia in Græcis aliter digesta.

Athanasius. Editi perperam *Anastasius.* Epiphanius, Theodoritus et Nicephorus, Ἀθανάσιος. Nimirum Arius Athanasium illum heic nominat Nazarborum episcopum, qui Arianorum patrocinium suscepit adversus Alexandrum episcopum Alexandrinum, quique apertius hæresim suam prodidit, cum ait Filium Dei unam ex centum ovibus : ut nos edocet magnus Athanasius, lib. *de synod.* § 17.

Præexistit Deus filio sine principio. Candidus presse Græcis inhæret quæ sic se habent : προϋπάρχει ὁ Θεὸς τοῦ υἱοῦ ἀνάρχως. Valesius clarius : *Deum principii omnis expertem existere ante Filium, asserunt omnes per orientem episcopi.*

Quibus non insonuit. Gr. ἀκατήχητον, *nec eruditis in fide.* Mox interpres *simul ingenitum* reddit quod est Græce συναγέννητον. Vales. *coingenitum.*

Sacrilegia. Gr. καὶ τούτων τῶν ἀσεβειῶν οὐδὲ ἀκοῦσαι δυνάμεθα. *At istorum* IMPIETATES *ne audire quidem possumus.*

Dicimus et sapimus. Gr. τί λέγομεν καὶ φρονοῦμεν : *quid dicamus et sentiamus.*

Cogitatione. Gr. βουλῇ, *consilio.* Mox interpres *et æones.* Gr. πρὸ αἰώνων, *ante sæcula.*

Persequimur. Gr., διὰ τοῦτο διωκόμεθα, *Propterea persecutionem patimur.* Paulo ante in textu, οὐκ ἦν. ἀγέννητος γὰρ οὐκ ἦν. *Non erat : ingenitus enim non erat.*

Principium habet filius, Deus autem sine initio. Ita sane Græca : sed ea omisit Valesius interpres : vel forte typotheta ob repetita, *propterea persecutionem patimur.*

Jam tu scis, etc. Hic locus in editis ita male habitus : *Jam tu scis confortari te in Domino. Preces facio* (al. *facio*), *memores tribulationum nostrarum Collucianista vere* Εὐσέβιε. Græce : λοιπὸν σὺ οἶδας. ἐρρῶσθαί σε ἐν κυρίῳ εὔχομαι, μεμνημένον τῶν θλίψεων ἡμῶν, συλλουκιανιστά ἀληθῶς Εὐσέβιε. Quæ sic vertit Valesius : *reliqua tu nosti. Opto te in Domino valere, memorem vexationum nostrarum, vere Conlucianista, vere Eusebi.*

Quoniam, ect. Hanc Eusebii Nicomediensis epistolam ad Paullinum Tyri recitat Theodoritus, *Hist. eccl.* lib. I. cap. 6.

Universale, etc. Græce καθόλου τῆς φύσεως τῆς ἀγεννήτου μὴ μετέχον : *nec ullo modo naturæ ingeniti particeps.*

Affectionis. Gr. διαθέσεως. Valesio interprete, *naturæ.* Multa de hac voce lexicographi veteres. Hesychius præ cæteris : Διάθεσις, σχῆμα, ἀγάπη, ἀπόδοσις, προαίρεσις.

Et hæc non LEGIMUS *nobis substituentes.* Scripserit fortasse interpres Græce, ut alibi sæpe, λογισμούς, pro *legimus.* Sic enim in textu : καὶ ταῦτα οὐχὶ λογισμοὺς ἑαυτῶν ὑποθέμενοι. Valesius : *Atque hæc non ratiocinatione nostra, collecta.*

Et factum substantia. Habet quidem Theodoritus : καὶ γενητὸν τῇ οὐσίᾳ. Sed noster interpres legebat γενητὸν per simplex ν. Et sic sane scribere mallet etiam Valesius. Hoc enim, inquit, magis convenit dogmati Arianorum, qui Filium Dei *factum* et creatum esse dicebant.

Ad facientem. Sic in *Hæresiol.* edit. Basil. 1556. Perperam in bibl. PP. Paris. 1644, *ad faciendum.* Gr. πρὸς τὸν ποιοῦντα, *ad factorem.* Mox, *ante æonem*, Gr. πρὸ τοῦ αἰῶνος, *ante sæculum.*

Digitized by Google

Vero id enim quod ab ingenito existens est, condi tum amplius ab altero, vel a seipso, aut fundatum non fuisse, a principio ingenitum quod fuisset. Si autem natum illud dicere, substantiam quamdam præstare est, veluti ex substantiâ paterna ipsum fuisset, et habere ex ipso identitatem naturæ, cognoscimus quod non de ipso solo natum esse dixerit scriptura, sed, et in dissimilibus ipsi in omnibus naturaliter. Etenim et in hominibus dicit (*Isa.* I, 2) *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me respuerunt.* Et : (*Deut.* XXXII, 18) : *Deum qui te genuit, dereliquisti* Et alibi (*Job.* XXXVIII. 28) : *Quis*, inquit, *est qui peperit glebas roris?* Non naturam ex natura exponens, sed naturæ unicujusque eorum quæ generata sunt, ex ejus voluntate generationem : nihil est enim de substantia ejus : cuncta autem voluntate ejus facta, unumquodque ut et effectum est. Et ille quidem Deus : quædam autem ad similitudinem ejus per ipsum λόγῳ similia futura : quædam autem juxta participationem substantiæ facta, omnia autem per ipsum a Deo facta, omnia autem ex Deo. Quæ accipiens et destruens secundum quæ adest tibi divinitus gratia, scribere domino meo Alexandro cura. Credidi enim quia si scripseris ipsi, pudorem illi facias. Saluta omnes qui sunt in Domino. Salvum te, et pro nobis orantem divina gratia custodiat, domine. »

A

VARIORUM NOTÆ.

Sed et IN *dissimil.... naturaliter.* Leg. DE *dissimil.* Gr. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνομοίων αὐτῷ κατὰ πάντα τῇ φύσει. Vales., *sed etiam de aliis quæ natura prorsus ab illo discrepant.* Sic mox Arianus interpres ἐπ' ἀνθρώπων vertit *in hominibus* ; rectius, *de hominibus.*

Glebas roris. Theodoritus juxta LXX *Job* XXXVIII, 28 : τίς ὁ τετοκὼς βώλους δρόσου ; Vulg. *Quis genuit stillas roris ?*

Ad similitudinem ejus per ipsum. Verba *per ipsum* et alia nonnulla hic redundant. Locus integer græce sic se habet : τὰ δὲ, πρὸς ὁμοιότητα αὐτοῦ λόγῳ ὅμοια ἐσόμενα, τὰ δὲ καθ' ἐκουσιασμὸν γενόμενα. τὰ δὲ πάντα δι' αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γενόμενα, πάντα δὲ ἐκ τοῦ Θεοῦ. Id est : *Quæ autem ad similitudinem ejus verbo similia sunt futura, ejus voluntate facta sunt. Omnia autem per ipsum a Deo. Omnia denique ex Deo.*

Et destruens.... gratia. Gr καὶ ἐξεργασάμενος κατὰ τὴν προσοῦσάν σοι θεόθεν χάριν. *Et pro divinitus concessa tibi gratia perpoliens.*

B

C

D

VICTORINI

ADVERSUS ARIUM LIBER PRIMUS.

1. In primo sermone hujus operis, et multa et fortiora quædam etiam horum, o amice Candide, proposita atque tractata absolute sunt ; quæ quamquam ut oportuit dissoluta sunt, tamen idcirco ista ex eorum epistolis audire voluimus ; ut dum hæc omni refutatione convincimus, illa quoque ex istorum refutatione vincamus. Et primum definiendæ sunt Arii Eusebiique sententiæ, in quo nobis consentiant, in quibus discrepent, in quibus ipsi sibi videantur adversi. Arius ait, *quoniam filius non est ingenitus.* Item Eusebius, hoc idem *quod duo non sint ingenita.* Nobis quoque ista sententia est. Arius, *filius*, inquit, *pars ingeniti non est, neque est ex aliquo subjecto :* hæc duo et Eusebius. Et adjicit : *neque unum in duo divisum ;* id est autem, filium partem ingeniti non esse. Sed Eusebius : *Neque pars, neque effluentia*, inquit, *est.* Hoc nos consimiliter negamus : nam neque pars patris filius, neque effluentia quæ manando inde, minus fecerit unde manarit. Jam vero ex non subjecto esse ferre non possumus : non quod nos ex aliquo subjecto esse dicamus, sed quod a patre ut filium. Arius, *voluntate*, inquit, *Dei subsistit filius ante tempora et æones.* Item et Eusebius : Nos ante omnes æones, et ante omnia tempora ; sed genitum dicimus, non factum, non creatum, non fundatum. Arius dicit : *Filium factum*, scilicet *plenum Deum, unigenitum, immutabilem, qui antequam crearetur non fuerit, propterea quod non sit ingenitus.* Hæc eadem Eusebius, adjiciens, *quod filius omnia facienti sit similis :* nos contra, non enim similem, sed eumdem dicimus, quippe ex eadem substantia. Præterea addit Eusebius, principium filii sciri nec ab homine posse, neque ab aliqua superiore vel potentia, vel excogitatione, et audet tamen dicere, figmentum esse filium, voluntate et sententia patris subsistere, non ex aliquo existenti. Istud non est principium filii dicere : si enim dicit hoc, ex non existentibus est, non est patris neque pars, neque effluentia. Non solum principia novit, sed et τοὺς λόγους principiorum. Si autem non, quæ audacia est dicere : Hoc Deus, hoc Christus est : hoc pater, hoc filius ? Nos autem dicimus, patrem ut patrem, filium ut filium.

II. Et primum ut ille versiculis quinque quod asserebat, docuisse se credidit, filium factum esse, non natum ; sic nos filium natum primum sacra omni lectione docebimus. Deinde id ipsum, hoc est, substantialiter filium, permittente Dei spiritu, ut possumus asseremus. Atque ex hoc primum sumatur exordium. Paulus ad Ephesios (*Ephes.* III, 14-21) : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute confortari per spiritum suum in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, et altitudo et profundum : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut implemini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Christo Jesu, et ἐκκλησίᾳ, in omnes generationes sæculorum.* Quid ex his apparet possibile esse cognoscere Deum et Dei filium : et quomodo pater,

Digitized by Google

quomodo filius? Est autem et illud in Evangelio secundum Joannem (*Joan.* I, 18) : *Deum nullus vidit unquam : unigenitus filius qui est in gremio patris, ille exposuit.* Possibile igitur dicere de Deo, et idcirco et de filio. Quis enim de patre exposuit? filius. Quis iste? *qui est in gremio.* Non solum igitur processit, sed et in gremio semper est filius, sufficiens doctor de patre. Quid enarravit? quomodo Deus. Et Judæi ante et ethnici enarraverunt : quid ergo enarravit? patrem Deum, se autem filium. et quod ex eadem substantia, et quod a patre exierit. Dicit enim (*Joan.* VIII, 19) : *Neque me nostis, neque patrem meum. Si enim me nossetis, nossetis et patrem meum.* Hoc nunquam diceret, *nossetis*, nisi filius, et filius substantialiter : *Si me nossetis, nossetis et patrem.* Figmentum enim si esset, non ex ipso pater noscceretur, sed potentia Dei et divinitas, ut Paulus dixit : (*Rom.* I, 20). *Mirabilia enim ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta noscuntur : æterna quoque ejus virtus ac divinitas.* Et Spiritus sanctus exposuit de Christo, sicuti dicit Salvator in Evangelio secundum Joannem (*Joan.* XVI, 16) : *Spiritus sanctus quem mittet Pater in meo nomine, ipse vos docebit omnia.* Si igitur sic sunt ista, didicimus et patrem et filium et in sanctis scripturis, et a spiritu quem doctorem habet fide sanctus vir.

III. Dicamus igitur scripturas, et primum secundum Joannem : dicit enim (*Joan.* I, 1), quomodo λόγος et in principio erat, et circa Deum erat, et quomodo Deus erat λόγος. Numquid de alio dicit λόγου; omnino de filio. Quid ergo λόγος, si ex nullo est subjecto? quomodo λόγος potentiam habet, ut per ipsum creentur omnia, ipse qui sit ex nullo subjecto? Impossibile enim, semen esse omnium quæ sunt, quod ex nihilo factum est. Deinde si in principio erat, quomodo principium : secundum quod principium est, sine principio est : qui erat in principio, erat semper. Quæ igitur audacia? quæ blasphemia? Non erat aliquando, dicere, toties Joanne dicente : Erat λόγος in principio, erat ad Deum, erat Deus λόγος ipse? Erat hic in principio ad Deum. Licet enim *erat* præteriti temporis significationem habeat, frequenter non sine principio; sed hic sine principio accipiendum, quoniam dixit : *In principio erat.* Quod et vos significatis ante tempora, ante æonas dicentes (*Ibid.* 3) : *Omnia*, dicit, *per ipsum facta sunt, et sine illo effectum est nihil.* Etenim sine λόγῳ quid est, quod non ut sit accipiat? Solus enim λόγός, secundum quod λόγος, est et sibi et aliis ipsum quod est, ipse præstet omnibus quæ sunt. Et idcirco æqualis quidem patri. Causa enim principalis et sibi et aliis causa est, potentia, et substantia. Causa exsistens. Præ causa autem pater. Unde filius distabit hoc, quod movetur et operatur in manifestationem, propter magnam divinitatem nobis incognoscibiliter operante patre. Supra enim beatitudinem est pater et idcirco ipsum requiescere. Operari enim etiam, si imperfectionem operatur, in molestia motus : ista beatitudo est, secundum quod est operari perfecta.

IV. Audi igitur et aliud. Quod est esse, pater est : quod est operari, λόγος : et prius est quod est esse ; secundum, quod est operari. Habet quidem ipsum quod est esse, intus insitam operationem : si enim motu, hoc est, operatione, quæ vita aut qui intellectus est : ergo non est solum esse, sed ipsum quod primum est esse, propter quod est ei quiescere solum ipsum esse : est isto modo et quod est operari, quod est secundum, quoniam non intus, sed cum foris operatur, operari dicitur. Apparente enim operatione, et est et nominatur operatio, et ut generatio sui ipsius et æstimatur et est : sic igitur id ipsum quod est operari, et ipsum esse habet, magis autem non habet : ipsum enim operari esse est ; simul enim et simplex, et esse et operari, eorum quæ supra sunt natura est declarans et sortita : secundum quod est requiescere, ipsum esse et substantiam ; secundum autem quod est in motu esse, actionem, operationem : hoc autem quod est in motu esse, declaratio est ejus quod est esse secundum actionem. Et idcirco (*Ibid.* 9) *erat lumen* quod est *verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Λόγος ergo lumen est quod est verum ; et idcirco (*Ibid.* 3, 4) *quod est factum, in ipso vita est, et vita lumen hominum :* et ipse λόγος, lumen verum (*Ibid.*, 19) *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est ;* qui filius est Dei, de quo dicit (*Ibid.* 18) : *Deum nemo vidit unquam : unigenitus filius qui est in gremio patris, ipse enarravit de* λόγῳ.

V. Omnia supra dixit et conjunxit de filio, nullum alium filium declarans, quam τὸν λόγον. Erat igitur filius ad Deum, et in principio erat, et ipse Deus erat, et per ipsum omnia facta sunt, et ipse est unigenitus : et veluti prodiens quidem a patre, ad patrem erat propter hoc quod est operari ; propter vero quod est esse in gremio patris existens, enarravit de patre, declaratio patris effectus secundum quod est operari. Quod maxime λόγος est ipse filius, ipse lumen, ipse vita. Quod Deus est filius, sic dicit Joannes (*Ibid.* I) : *Et Deus erat* λόγος. Et rursus (*Joan.* III, 13) : *Nullus ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit.* Quod vita est filius (*Ibid.* 15) : *Ut qui credit in ipsum non pereat.* Et rursus (*Ibid.*) : *Sed habeat* spem, *vitam æternam.* Quod filius (*Ibid.* 16) : *Unde filium suum unigenitum tradidit.* Filium dixit, et suum, et unigenitum. Quid amplius ad verum filium? Quod ipse vita : *ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quod ipse filius Christus est (*Ibid.* 17) : *Non enim misit Deus filium, ut judicet mundum, sed ut salvet mundum.* Quod lumen, de ipso dicit (*Ibid.* 19) : *Quoniam lumen venit in mundum.* Joannes non erat verum lumen, et idcirco dicit (*Joan.* I, 20) : *Num sum Christus*, sed quod

VARIORUM NOTÆ.

Ipse præstet. Aut *præstat*, aut *cum ipse præstet*, legendum videtur.

Digitized by Google

missus sum. Missus est ergo Joannes. Christus autem A filius (*Joan.* III, 31), *qui desuper venit, supra omnes est.* Et rursus : *De cœlo veniens.* Dicitur quidem quod sit missus a Deo; ut (*Ibid.* 17) *filium* enim *misit Deus.* Sed ista duo, et veniens, et misit, et filium in patre, et patrem in filio esse significant; quoniam Christus vita Samaritidi dicit (*Joan.* IV, 10) : *Tu ab eo peteres, et tibi daret aquam viventem.* Et rursus (*Ibid.* 13, 14) : *Omnis qui biberit ex aqua ista, iterum sitiet; qui autem biberit ex ista aqua quam ego dabo ipsi, non sitiet in omni sæculo : sed aqua quam ipsi dabo, efficietur in ipso fons atque scatentis in vitam æternam.* Quod Christus Salvator (*Ibid.* 42) : *Et scimus, quoniam iste est Salvator mundi.* Quod filius Dei est (*Joan.* V, 17) : *Pater meus usque nunc operatur.* Quis hoc dicit? Christus. Quæ blasphemia ipsius, patrem dicere qui B non sit pater? quæ ira Judæorum (*Ibid.* 18) audientium patrem Deum, et irascentium in eum, qui dixit, quod filius esset Dei, cum non esset filius Dei : si enim non fuisset, non diceret. Sed dixit, et Dei cultor dixit; veritate igitur dixit, et idcirco incredulitas Judæorum punitur.

VI. Post ista, omnis responsio ad Judæos, et filium Christum, et patrem Deum declarat (*Ibid.* 19-21) : *Quæ facit pater, et ego facio : non facit filius a semetipso, nisi viderit patrem facientem : pater enim amat filium : suscitat pater a mortuis, suscitat et filius.* (*Ibid.* 26) : *Habet pater vitam in semetipso, habet et filius.* Et omnia deinde. Quod λόγος filius, et filius Christus (*Ibid.* 38) : *Et λόγον ejus non habebitis in vobis manentem, quoniam quem misit ille, ipsi vos non* C *creditis.* Quod filius (*Joan.* VI, 32) : *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Quod Christus non ab homine homo (*Ibid.* 33) : *Panis enim ex Deo est, qui descendit de cœlo.* Quod vita : *Et vitam dans mundo.* Et postea dicit (*Ibid.* 35) : *Ego sum panis vitæ.* Quod ex Deo (*Ibid.* 46) : *Non vidit patrem aliquis, nisi qui est a patre.* Quod pater et filius alius in alio (*Ibid.* 58) : *Sicuti misit me vivens pater.* Si vita filius, vivens pater, filius in patre : sicuti enim quale prius est, deinde qualitas; sic vivens primus Deus, sic vita. Qui enim genuit vitam, vivens est : vivit vita a vivente patre. Non enim ante vita, et sic Deus vivens, sed Deus vivens prior. Sic vita, et sic vivens vita. Et idcirco deinde dicit (*Ibid.*) : *Et ego vivo propter patrem.* Ergo et pater in ipso. Quod et D panis est, et vita (*Ibid.*) : *Et qui accipit me, ille vivet propter me* (*Ibid.* 59). *Hic est panis de cœlo descendens : Non sicuti patres vestri manducaverunt, et mortui sunt, manducans istum panem vivet in omne sæculum.*

VII. Numquid homo ista dicit de semetipso, qui sit solum homo? si enim homo ista dicit, blasphemat, et (*Joan.* IX, 31) *peccantes Deus non audit.* Sedenim dicit Christus quod audiat illum Deus : Non ergo peccator, neque homo. Et dictum est (*Psal.* CVII, 3) : *Vana spes in hominem.* Et dicitur (*Psal.* XIX, 8) : *Nos vero in Deum nostrum speramus.* Christus ergo Deus, non ab alia substantia (*Joan.* VI, 58) : *Vivens pater, et ego vivo propter patrem.* Et (*Joan.* VI, 55, 48) : *Panis vitæ sum ego* (*Ibid.* 59) : *qui istum manducat, vivet in sæculum.* Cuncta ista unam substantiam significant : Et idcirco dicit Jesus quod desuper est, qui dicit ista (*Ibid.* 63) : *Si igitur videritis filium hominis ascendentem ubi fuit prius?* Quod spiritus Deus est, dictum est (*Joan.* IV, 24) : *Spiritus Deus est.* Et quod filius spiritus est vivificans, quod ista fides sit perfecta in Christum, dicit Petrus (*Joan.* VI, 69, 70) : *Verbum vitæ æternæ habes : et nos credimus in te, Domine, quoniam tu es Christus filius Dei.* Quid est verbum vitæ æternæ? quoniam si quis te audit, vivet in æternum. Quod a Deo (*Joan.* VII, 29) : *Ego scio ipsum, quod ab ipso sum.* Quod substantia patris Christus (*Joan.* XIV, 10, 11) : *Ego in patre, et pater in me.* Hoc non per dignitatem solum, sed per substantiam. Si enim per dignitatem solum, quomodo ipse dicit (*Ibid.* 28) : *Pater meus major me est :* et pater mittat, mittatur filius? Rursus autem datur filio a patre dignitas : Secundum hoc igitur pater in filio. Numquid et filius dat dignitatem patri, non habenti substantiam? Igitur et pater in filio, et filius in patre.

VIII. Sed ista. Et iterum quod ipse Christus, qui filius patris, et ipse est Spiritus sanctus (*Joan.* VII, 37, 38) : *Jesus stabat, et clamabat : Si quis est qui sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, quemadmodum dixit scriptura, flumina ex ventre ipsius manant aquæ viventis.* Est illud quidem dictum de illo qui accipit spiritum; qui accipiens spiritum efficitur venter, effundens flumina aquæ viventis. Dat autem hunc spiritum Christus; dat et aquam viventem, ut ipse dicit, scriptura de spiritu dixit istud. Venter igitur qui accipit spiritum, et ipse spiritus venter, a quo manant flumina aquæ viventis : sicut scriptura dicit (*Ibid.* 39) : *Hoc autem dixit de spiritu quem futuri erant accipere credentes in ipsum : nondum enim spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Sed rursum iterum flumina spiritus, venter autem ex quo flumina Jesus; Jesus enim est spiritus. Jam ergo Jesus venter de quo flumina spiritus. Sicuti enim a gremio patris, et in gremio filius; sic a ventre filii spiritus; ὁμοούσιον ergo tres; et idcirco in omnibus unus Deus. Quod non sit ex mundo (*Joan.* VIII, 3) : *Ego sum lumen mundi;* propter ipsum enim vivit mundus, ac vivet quamdiu obedierit ei. Quod omnes tres spiritus, jam dixit (*Joan.* IV, 24) : *Deus spiritus est.* Et dicentibus quibusdam (*Joan.* VIII, 19) : *Ubi est pater tuus?* dixit : *Neque me nostis, neque patrem meum : Si me sciretis, scire possetis et patrem meum.* Spiritus autem sanctus Spiritus manifeste; ista autem omnia et pater, et ex patre : ὁμοούσιον ergo. Non enim spiritus ut alii : illi enim a Deo, non ex Deo : ὁμοούσιον igitur ista tria. Quod filius verus (*Joan.* XVI, 27, 28) : *Ego* enim *ex Deo exivi,* ut ex gremio patris, *et advenio in mundum.* Quod antequam in carne esset, erat Christus (*Joan.* VIII, 56, 58) : *Abraham, pater vester, lætabatur ut videret diem meum : et vidit et gavisus est.* Et rursus : *Ante Abraham ego sum.* Quod non homo (*Joan.* IX, 5) : *Cum sum in mundo, lumen sum mundi.* Quis autem dedit cæco vi-

Digitized by Google

sum? homo? impossibile : et ego, quod filius Dei (*Joan.*, IX, 35-37) : *Tu credis in filium Dei? Respondit ille : Quis est, Domine, ut credam in eum? Dixit ipsi Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* Quod ex eadem substantia et potentia (*Joan.* X, 30) : *Ego et pater unum sumus.* Et rursus (*Joan.* XIV, 10, 11) : *Pater in me, et ego in ipso.*

IX. Unde dictum in Paulo (*Philipp.* II, 6) : *Qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Ista igitur significant et unam esse substantiam, et unam potentiam. Quomodo enim, *Ego et pater unum sumus?* et quomodo, *Pater in me, et ego in patre,* si non a patre substantiam habuisset et potentiam, genitus de toto totus? et quomodo, *Non rapinam arbitratus est, æqualem esse patri?* Non enim dixit : Non arbitratus est æqualem esse, sed, *Non arbitratus esse rapinam.* Vult ergo inferior esse, non volens rapinam arbitrari æqualem esse. In istis enim arbitrari est, aut non arbitrari rapinam esse æqualem, quæ sunt æqualia. Sed putavimus æqualem, secundum potentiam dictum esse. Primum non est illud Arii dogma, quod major est pater dignitate, potentia, claritate, divinitate, actione : æqualia enim dixit : et si secundum istud æqualia, impossibile secundum istud æqualia esse, si non et substantia eadem, Dei enim eadem ipsa est et potentia, et substantia, et divinitas, et actio : Omnia enim unum, et unum simplex. Huc accedit, si ab alia substantia erat filius, et si maxime ex nihilo ; quæ illa substantia recipere valens istas divinitates et potentias? æqualitas æquali connectitur, et simile simili. Æqualis igitur filius et pater, et propterea et filius in patre, et pater in filio, et ambo unum.

X. Sed ista nunc. At vero illa Joannis videamus. Ipse Salvator dicit (*Joan.* XI, 25) : *Ego sum resurrectio, quoniam ipse vita :* Quis autem iste? Martha dicit (*Ibid.* 27) : *Quoniam tu es Christus filius Dei, qui in mundum venisti.* Quod non sic filius, quemadmodum nos : Nos enim adoptione filii, ille natura. Etiam quadam adoptione filius et Christus, sed secundum carnem (*Ps.* II, 7) : *Ego hodie genui te.* Si enim istud, solum hominem filium habet : sed (*Joan.* VIII, 58) *Ante Abraham ego sum,* dicens quod natura filius erat primum, declaravit. Non igitur Photinianum dogma verum. Deinde nos non gentes solum, sed et qui dispersi sunt filii. Dei igitur filius Christus ; filii et nos : sed nos per adoptionem, nos per Jesum Christum, nos ut filii dispersi : num et Christus sic filius? Natura igitur Jesus filius, nos adoptione filii. Quod natura filius, et ipse dicit sæpe (*Joan.* XI, 41) : *Pater gratias tibi ago quod me audisti.* Et (*Joan.* XII, 27) : *Pater, salva me ex ista hora.* Et rursus (*Joan.* XVI, 28) : *Ego ex ore patris processi.* Ista non, ut nos dicimus, secundum patrem Deum dicta sunt : Non enim mendax Deus, nec impius, filium se dicens, et patrem Deum qui omnino non esset : sed propter corpus passionem induxit, ut implerentur omnia in mysterio. Quod et antequam in corpore, fuit Christus (*Joan.* XII, 28) : *Et glorificavi, et rursum glorifico* : in mysterio enim in carne humiliavit semetipsum. Ergo ante istud et post istud glorificatus est Jesus. Quod propter mysterium et timens inducitur, et postulans aliqua (*Ibid.* 30) : *Non propter me venit hæc vox, sed propter vos.* Eadem similiter ista facio, non propter me, sed propter vos.

XI. Quod filius hominis ipse Christus, lumen in mundo filius Dei est (*Ibid.* 34, 35) : *Nos audivimus a lege, quoniam Christus manet in æternum : et quomodo dicis tu, quod filium hominis oportet altificari? Quis est filius hominis. Dixit ipsis Jesus : Adhuc paululum tempus lumen in vobis est.* Et deinde (*Ibid.* 36) : *Quamdiu lumen habetis, credetis in lumen, ut filii luminis efficiamini. Quod* ὁμοούσιος Deo (*Joan.*, XIV, 6, 7) : *Ego sum via, et veritas et vita. Nullus venit ad patrem, si non per me. Si cognovistis me, et patrem meum cognoscetis* : et *amodo cognoscitis ipsum, et vidistis ipsum.* Et rursum ad Philippum (*Ibid.* 9, 10) : *Qui vidit me, vidit et patrem. Non credis quod ego in patre, et pater in me est?* Et rursus ista et talia, in quibus manifestum est, quod et pater est juxta quod est, et filius est juxta quod est, et idcirco duo sunt. Sed quoniam et pater in filio, et filius in patre, ὁμοούσιοι. Non oportet igitur dicere duæ personæ, una substantia ; sed duo pater et filius, ex una substantia ; dante patre a sua substantia filio substantiam in hoc in quo genuit filium et ex ὁμοούσιοι ambo. Quod ipse facit, et faciet omnia, quoniam ego a patre (*Ibid.* 13) : *Et quod resurgitis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in me.* Quod paracletus et Christus (*Ibid.* 15, 16) : *Si me dilexeritis, et mandata mea custodieritis : et ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum.* Quis autem est alius paracletus (*Ibid.* 17) : *Spiritus veritatis, quem mundus videre non potest : quod eum non videt.* Alium autem paracletum, id est, Christum viderunt ; quod in carne, non crediderunt in ipsum. Quod potentia Christi sit paracletus (*Ibid.*) : *Vos autem cognoscitis ipsum, quoniam apud vos manet.* Ergo dedit ipsum ipsis Christus, dixit enim : *Manet in vobis, et in vobis est.*

XII. Ex his quid apparet? Si Deus spiritus, et Jesus spiritus, et sanctus Spiritus, spiritus, ex una substantia tria ; ὁμοούσια ergo tria. Quod a Christo Spiritus sanctus, sicut Christus a Deo, et idcirco unum tria (*Ibid.* 18) : *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos.* Et rursus dicit (*Joan.* XIV, 20) : *Illa die*

VARIORUM NOTÆ.

Et ego. Forte, *sed ego.*

Ante Abraham. Ita corrigendos duximus editos codices, præ se ferentes *ante Adam.*

Credetis. Forte, *credatis.*

Quod ipse facit, et faciet omnia. Legendum videtur, *Quod ipse facit* : respicit enim ad illud (*Joan.* XIV, 12) : *Opera quæ ego facio, et ipse faciet.... quia ego ad Patrem vado.* Sic statim : *Et quod* RESURGITIS *in nomine meo,* legendum plane PETIERITIS : hic enim locum recitat, *Joan.* XIV, 13.

Digitized by Google

cognoscetis, quoniam ego in patre meo, et vos in me, et ego in vobis : Secundum spiritum ista : Quod a filio paracletus (*Ibid.* 26) : *Paracletus autem sanctus Spiritus, quem pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia quæ ego dixero.* Manifestum ex his, quod in Christo Deus, et in sancto Spiritu Christus, primum paracletus Christus, paracletus sanctus Spiritus. Deinde misit Christus Deus : quæ locutus est Christus, ipsa loquitur sanctus Spiritus. Sed Christus locutus est in parabolis, et fecit signa : ergo in occulto omnia, quod ipse in carne erat; sicut ipse intus, sic et verum intus in parabolis et signis. Spiritus autem sanctus docet omnia : et enim Spiritus sanctus loquitur spiritui hominum ; ipsum quod est loquitur, et quod est loquitur in nulla figura : Et ideo *ipse docebit vos.* Et quæ loquitur? *Quæcumque dixero,* dixit Christus. *Dixero,* de futuro est. De quo futuro? Non eo quod nunc, sed eo quod est post ascendere ad patrem. Et si iste paracletus veniens a Deo in nomine Christi, illa docet quæ dicit Jesus : ipse ergo Jesus, an ipse alter Jesus? an ipso altero paracleto, hoc est, Spiritu sancto inest Jesus, sicut in ipso Deus? Ista hac serie tribus existentibus, et unum sunt tria, et ὁμοούσιον : quippe dicente Christo (*Joan.* XIV, 28) : *Eo et venio ad vos* : a Deo alius dabitur vobis paracletus, qui quæcumque habet, a me habet, et quæcumque habet pater, tradidit mihi omnia. Et enim omne mysterium hoc est, pater inoperans operatio, filius operans operatio, id est quod est regenerare : sanctus autem Spiritus operans operatio in quod est regenerare.

XIII. Sed ista quidem et in aliis dicta. Quod λόγος, hoc est, Jesus vel Christus, æqualis est patris, et inferior (*Ibid.*) : *Eo ad patrem, quoniam pater major est me.* Item dicit Paulus (*Philipp.* II, 6) : *Non rapinam arbitratus est se æqualem esse Deo.* Et id quod dictum est (*Joan.* X, 30) : *Ego et pater unum sumus.* Et quod operatio et pater, et filius : et quod non diceret, me major est pater, nisi fuisset æqualis : accedit etiam, si totus ex toto, et lumen ex lumine, et si omnia quæ habet pater dedit filio : omnia autem sunt et substantia, et potestas, et dignitas, æqualis patri, sed major pater : quod ipse dedit ipsi omnia, et causa est ipsi filio ut sit, ut isto modo sit. Ad hoc autem major, quod actio inactuosa : beatior enim quo sine molestia, et impassibilis, et fons omnium quæ sunt, requiescens, a se perfecta; et nullius egens : filius autem ut esset, accepit, et in id quod est agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo. Sed quoniam in ipso, et in ipsum, et per ipsum gignuntur omnia ; semper plenitudo, et semper receptaculum est, qua ratione et impassibilis et passibilis. Ergo æqualis et inæqualis : Major igitur pater. Quod paracletus a Deo, et a Christo (*Joan.* XV, 26) : *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a patre, Spiritum veritatis, qui a patre adveniet.* Quod duplex potentia τοῦ λόγου ad Deum : una in manifesto, Christus in carne : alia in occulto, Spiritus sanctus. In præsentia ergo cum erat λόγος, hoc est Christus, non poterat venire λόγος in occulto, hoc est, Spiritus sanctus (*Joan.* XVI, 7) : *Etenim si non discedo, paracletus non veniet ad vos.* Duo ergo et isti, ex alio alius, ex filio Spiritus sanctus, sicuti ex Deo filius conrationaliter, et Spiritus sanctus ex patre. Quod omnia tria unum, pater non silens silentium, sed vox in silentio, filius jam vox ; paracletus vox vocis (*Ibid.* 13, 14) : *Cum venerit Spiritus veritatis, præibit vobis in veritate omni :* non autem verum dicit a semet : Christus enim veritas : *sed quæcumque audiet, loquetur, et ventura dicet vobis : Ille me honorabit, quoniam ex meo accipiet, et nuntiabit vobis.* Deinde adjungit (*Ibid.* 15) : *Omnia quæ habet pater, mea sunt.* Dicit ergo : *ex meo accipiet,* quod una motio, hoc est, actio agens Christus est, et Spiritus sanctus : et primum est vivere, et ab ipso quod est vivere, intelligere : vivere quidem Christus, intelligere Spiritus : ergo Spiritus a Christo accipit, ipse Christus a patre, et idcirco et Spiritus a patre.

XIV. Omnia igitur unum, sed a patre. Quod Christus et a patre processit, hoc est, quod Deus ipsum misit, hoc est, a Deo processit, dicit enim (*Ibid.* 27, 28) : *Quoniam ego a Deo processi : processi a patre :* Cognoscendum quod et dixit : *et exivi.* Sed quod *a Deo* præposuit, *a Deo processi :* quod significat, quod Deus ipsum misit. Credite igitur hoc primum, quoniam ego a Deo exivi. Quod autem a Deo, et ut quis? Ab illo Deo qui pater meus est : *Exivi* igitur *a patre, et veni in mundum.* Hujus orationis naturalis ordo iste est : Processi a patre, exivi a Deo, veni in mundum. Sed effectus et locutionis ordo ab hominibus : *quoniam vos dilexistis me et credidistis, quod a Deo exivi ;* hoc enim primum in fidem. Deinde autem *processi de patre,* exponens a superioribus cujus erat dixit, unde et ipsi dicunt (*Ibid.* 30) : *Credimus quod a patre existi.* Quid autem supra dimisit Deum et patrem? non dicit enim (*Joan.* VIII, 16), *non sum solus : quoniam pater mecum est;* et non est intelligere quod pater passus est : neque enim ipse, sed homo ejus. Quod in resurrectionem carnis venit? (*Joan.* XVII, 1, 2) *Glorifica filium, ut filius glorificet te sicut ei dedisti potestatem universæ carnis, ut omne quod dedisti ipsi, det ipsi vitam æternam.* Ergo non solum homo Christus, sed Deus in homine. Quod hoc sit vitam habere, credere in Dominum et in filium ejus (*Ibid.* 3) : *Est autem æterna vita, ut cognoscant te unum et verum Deum, et quem præmisisti Jesum Christum.* Quod fuit ante mundum (*Ibid.* 5) : *Et nunc glorifica me, pater, apud te ipsum gloria, quam habui antequam mundus esset.* Quod homines a Deo, non tamen ex Deo (*Joan.* XVII, 6, 7) : *Manifestavi tui nomen hominibus*

VARIORUM NOTÆ.

Misit Christus Deus. Edit. Basil. *misit Christum Deus.*

Id est quod est. Sic edit. Paris. et Lugd. at Basil. *in id quod est.* Et statim : *sanctus autem Spiritus operans, operatio in id quod est regenerare.*

Digitized by Google

quos dedisti mihi. Ex isto manifestum quod non omnes *tui erant, et mihi eos dedisti, et verbum tuum custodierunt : Nunc cognoverunt, quoniam omnia quæ mihi dedisti, a te sunt*. Et quid mirabile, si homines a Deo, si et caro, quod ipse eam formavit ? Quid igitur? numquid sic et Christus ? Absit. Totus hic locus hoc struit, quod homines a Deo sunt, sed non omnes. Rursus et istud, quod Christus erat ante constitutionem mundi, quod omnia tradidit pater filio, si et nomen dedit, dicit enim (*Ibid.* 12) : *Custodivi eos in nomine tuo, quos mihi dedisti*.

XV. Habemus ergo quod Christus habet nomen patris, et quod vita est, et habet protestatem dare vivere. Quod ipse vita est, et pater vita, dictum est (*Joan.* VI, 58) : *Misit me pater vivens*. Et hæc est substantia Dei et Christi, ὁμοούσιοι ergo. Deinde dictum est, lumen Christus, et Deus verum lumen : ista enim ad intelligentiam : num aliud est Spiritus sanctus ? Nihil. Quod deinde lumen, non substantia : sic ergo ὁμοούσια. Et omnia quæ habet Deus, habet filius, ὁμοούσια ergo. Sed de isto posterius. Quod natus est (*Joan.* XVIII, 11) : *In istud natus sum, et in istud veni in mundum*, ut regnem. Quod a Christo Spiritus sanctus (*Joan.* XX, 21) : *Insufflavit* Christus *et dixit* : *Accipite Spiritum sanctum*. Ista omnia secundum Evangelium Joannis. Videamus etiam et secundum Matthæum pauca ; similia enim prætereo. Quod et satanas fatetur Christum Dei esse filium, dicit enim (*Matth.* IV, 3, 6) : *Si tu es Filius Dei*. Et istud ter dicit : Sed in secundo confitens de filio Dei tentavit, si ipse esset Christus, dicit enim : *Filius es tu Dei, mitte te deorsum. Scriptum est enim : quod Angelis suis præcipiet de te*. Confitetur ; qui dicit, *de te*, Dei filium confitetur, et hunc confitetur. Deinde confitentur rursus dæmones (*Luc.* IV, 41). *Exibant etiam dæmonia a multis, exclamantia et dicentia : Tu es filius Dei*. Audi, Ari, audi, Eusebi, et omnes audite, Ariani, et maxime qui dicitis ab eo quo est esse Christum : sed secundum serpentis intellectum : quoniam pater ὂν est, qui fecit Christum : Ideo ex eo quod est esse filium dicentes. Audite ergo, filium dicit Dei satanas, cui promisit regnum mundi, scit omnia quæ in supernis : Inde enim est. Quid enim post tertiam tentationem, quod diabolus abscessit, confessus est filium esse Dei? Quod et dæmones dixerunt filium esse Dei (*Marc.* I, 24) : *Quid nobis et tibi, fili Dei, venisti?* Quod non oportet dubitare de Christo (*Matth.* XI, 6) : *Beatus est qui non scandalizatur in me*. Quod omnia patris filius habet (*Ibid.* 27) : *Omnia mihi tradita sunt a patre, nullus cognoscit filium nisi pater, nec patrem nisi filius cognoscit, et cui vult filius revelare*. Quæ causa, solum filium scire patrem, aut patrem ut cognoscat filium? nisi quod nullus habet substantiam ejus. Omnia enim quæ in claritudine, et in divinitate, in potentia, in ipsa actione et cognoscunt patrem, et colunt. Sed quoniam cognoscere, hoc est, scire ipsius Dei, ipsum quod est ei esse, hoc est, substantiam ejus : idcirco nullus cognoscit Deum, nisi substantiam eamdem habens filius, et habens ab ipso. Alio enim modo nullus potuit videre, sicuti dictum est (*Joan.* I, 18) : *Unigenitus, qui est in gremio patris, ille enarravit*. Quod est esse Deum? in gremio enim, et in μήτρᾳ substantiæ, ὁμοούσιον, uterque, et substantia et divinitate consistens, uterque in utroque, et cognoscit uterque utrumque.

XVI. Quid igitur, et tu Valentine, dicis ? Processit primus αἰών, et volens videre patrem non potuit. In gremio patris esse filium, et semper esse Joannes dicit. Non solum ergo patrem videt, sed etiam in patre semper est. Quod est magnum peccatum : adversum sanctum Spiritum dicere (*Matth.* XII, 31, 32) : *Omnis blasphemia et peccatum remittetur hominibus. Et si quis dixerit sermonem adversum filium hominis, remittetur ei : Qui autem dixerit adversum sanctum Spiritum, non remittetur ei neque in isto sæculo, neque in futuro*. Primum respiciendum, quod Spiritus sanctus Dei est. Dixit enim (*Ibid.*, 28) : *In spiritu Dei ego ejicio dæmonia*. Deinde de blasphemia et peccato quod peccarunt Judæi, sicuti dixit, quale esse in sanctum Spiritum. Primum, quod blasphemia et peccatum in Spiritum sanctum non remittetur alicui. Peccatum est, blasphemiter cum voluntate dicere. Sed istud non sufficit. Dixit secundum : etiamsi invitus aliquis dicit qualemcumque sermonem, quod non est peccatum, non relinquetur illi in omni sæculo. Si igitur sanctus Spiritus ; Dei Spiritus est, et sanctus Spiritus a Dei filio omnia habet ; una substantia tribus a substantia patris, ὁμοούσια : ergo tria, hoc est, simul οὐσία. Si enim patris substantia Spiritus ; et filius, Spiritus, sanctus autem Spiritus, patris est Spiritus? In quo ordine ponitur sanctus Spiritus ? et præcedit enim, si patris est Spiritus ; et sequitur, si a filio habet quod est. Et rursus filius, secundum quod Spiritus, unus est et pater, et est in filio pater, et omnes in alternis existentes : ergo ὁμοούσιοι sunt, unam et eamdem substantiam habentes, et semper simul ὁμοούσιοι divina affectione secundum actionem subsistentiam propriam habentes.

XVII. Sed ista rursus sufficiunt nobis quæ dicta sunt in Evangeliis. Quod Christus Dei filius ipse Salvator dicit (*Matth.* XXII, 43, 46) : *Quomodo dicunt Christum filium David esse, et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? David ergo Dominum vocat, et quomodo filius ejus?* In isto Christum et antequam esset in carne mea, et spiritum Dei esse, et Deum esse ipse hæc demonstrat. Videamus igitur et Apostolum, dicit enim de Christo ad Romanos : Quoniam Deus est Christus (*Rom.* II, 5) *in diem iræ et revelationis justi judicii Dei*. Sine dubio hoc de Christo : ipse enim judicabit : quoniam apud Deum τὸ μὴ ὂν nihil est. Exemplum de Genesi inducit Paulus (*Rom.* IV, 17) : *Quia patrem multarum gentium posui te ante eum cui credidisti Deo, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam sint*. Quoniam Spiritus Dei Spiritus Christi, et idem Spiritus sanctus (*Rom.* VIII, 9) : *Vos vero non estis in carne, sed in spiritu : si tamen spiri-*

Digitized by Google

tus Dei habitat in vobis : si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ipsius. Totius mysterii virtus in baptismo est, ejus potentia in accipiendo spiritu. Hoc si ita est, dictum est : *vos in spiritu estis :* quem sanctus Spiritus dedit vobis. Qui iste est Spiritus, adjunxit : *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Quis est iste? *Si quis autem spiritum Christi non habet.* Idem ergo Dei spiritus et Christi spiritus. In quo et illud perspiciendum, quod idem est spiritus Christi, quod ipse Christus. Sequitur enim (*Rom.* VIII, 10) : *Si autem Christus in vobis*). Unde et spiritus Dei, Deus. Una igitur substantia, quia idem spiritus : sed in tribus, ὁμοούσιον igitur. Unde non similis substantia, quia idem spiritus : nec tamen idcirco passiones eædem et in patre, quia unus spiritus : in duobus enim tantum velut passiones, quia jam progressi spiritus sunt.

XVIII. Sed ista plenius postea (*Rom.* XI, 36) : *Quoniam ex ipso ; et per ipsum, et in ipso omnia. Ex ipso* : dicitur, ut de patre : *Per ipsum :* ut de Christo : *In ipso*, ut de Spiritu sancto. Alibi autem sic dicit : In ipso, per ipsum, ad ipsum. Quod Deus Christus (*Rom.* IX, 5) : *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnes Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum.* Ad Corinth. prima (I *Cor.* II, 8) : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent.* Quod Christus, sicuti Deus ; incomprehensibilis, aut vix comprehensibilis est, sed et quemadmodum dictum est (*Ibid.*, 9) : *Quæ oculus non vidit, quæ auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Deinde dicit, quod intelligit ista (*Ibid.* 11) : *Sicut spiritus hominis ea quæ in homine, sic et ea quæ Dei, spiritus Dei.* Si de Christo ista dicit, his apparet, quod non est facile scire generationem filii. Nam neque νοῦς percipit Dei filium, nec modum generationis scire potest. Si autem de præsentia ejus, et istud supra oculum, supra auditum, supra νοῦν est. Si autem, ut quidam intelligunt, dicit ista de his quæ præparavit Deus diligentibus ipsum : multo magis mirabilis est generatio, et vix comprehensibilis. Si ista sic sine intellectu sunt, quid ex his queas dicere, ab his quæ non sunt, esse Christum aut, aut similis substantia est Christus? Comprehensibilia et definita. At vero esse ὁμοούσιον non solum incomprehensibile, et habet contradictiones multas. Si enim ὁμοούσιος et ipse ingenitus : si ὁμοούσιος quomodo alter, quomodo alius pater, alius filius? Si ὁμοούσιος, quomodo alius passus est, alius non? Ex isto enim Patripassiani. Sed quoniam Dei voluntate inquirit omnia, et ea quæ Dei, Spiritus qui in nobis inhabitat, invenietur modus divinæ generationis, juxta quem et ὁμοούσιος manifestabitur, et illa exterminabuntur (I *Cor.* II, 12) : *Nos enim accepimus non mundi spiritum, sed Dei.* Quod idem spiritus Deus et Christus est, et sanctus Spiritus, et idem unus spiritus (I *Cor.* XII, 3-6) : *Propter quod notum vobis facio, quod nullus in spiritu Dei dicit, anathema Jesu. Et nullus potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus : et divisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui omnia in omnibus operatur.* Si igitur in spiritu nullus dicit Anathema Jesu, ipse est spiritus et Dei, et sancti Spiritus. De quo idem istud dicit : *Et nullus potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Præterea amplius istud dicit quod divisiones gratiarum a spiritu sunt, a Deo quidem gratiæ, divisiones autem a spiritu ; in actionem enim alia existentia Spiritus sanctus, in substantia ὁμοούσιον, quoniam Spiritus sanctus sicut et ministerium Domini : ipse etenim dividit ministeria in operatione vitæ operans, et ipse in substantia sua secundum operationem vitæ. In substantia autem ὁμοούσιος. Quod spiritus et operationes a Deo. Operationes autem multæ, sed in omnibus idem Deus. Differt autem Deus, quod ipse facit divisiones operationum, ipse tamen in omnibus omnia operans ; ipsum enim esse operationis causa cum sit, operationum divisiones facit, et ipse Deus juxta substantiam spiritus cum sit ὁμοούσιον actioni, omnia ergo tria actione ὁμοούσια et substantia ὁμοούσια. Quod omnia tria spiritus, et quod a patre Spiritus : a patre substantia.

XIX. Quod Christus vita est, et quod spiritus, dictum est (*Joann.* XVI, 63) : *Spiritus autem vivificat.* Et ibi rursum dicit (II *Cor.* III, 17) : *Dominus autem spiritus est.* Quod Christus de Deo, non ex his quæ non sunt (II *Cor.* IV, 4) : *Ut non splenderet illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Si imago Dei Christus de Deo Christus. Imago enim imaginalis imago. Imaginalis autem Deus ; imago ergo Christus. Sed imago imaginalis imago est, et quod imaginale est principale. Imago autem secunda, et aliud secundum substantiam ab eo quod imaginale. Sed non intelligimus ibi imaginem sicuti in sensibilibus. Hic enim nec substantiam intelligimus imaginem : umbra enim quædam est in aere, aut in aqua per quoddam corporale lumen corporalis effluentiæ per reflexionem figura, ipsa per semet nihil, nec proprii motus, imaginalis solum substantia, neque corpus, neque sensum, neque intelligentiam habens, et ablato aut turbato in quo figuratum est, omnino nihil et nusquam est. Alio igitur modo dicimus Christum imaginem Dei esse, primum esse, et per semet esse ; et quæ sit intelligens esse ; et viventem dicimus imaginem, et vivefacientem, et semen omnium quæ sunt : λόγος enim per quem omnia, et sine isto nihil. Sed ista omnia etiam Deo attributa sunt : ergo ὁμοούσιοι Deus et λόγος. Et quare imago Dei λόγος? Quoniam Deus in occulto, in potentia enim ; λόγος autem in manifesto : actio enim ; quæ actio habens omnia quæ sunt in potentia, vita, et cognoscentia secundum motum producit et manifestat omnia : propter quod omnia quæ sunt in potentia imago est actio, unicuique eorum quæ in potentia sunt speciem perficiens, et existens per semet, a nihilo enim nulla substantia. Omne enim esse inseparabilem speciem habet ; magis autem ipsa species, ipsa substantia est : non quod prius sit ab eo quod

Digitized by Google

est esse species, sed quod definitum facit species illud, quod est esse species. Etenim quod est esse, causa est speciei esse in eo, quod esse est. Et ideo quod est esse, pater est. Quod species, filius. Rursus quod ipsum quod est esse, præstat speciei ipsum quod est esse : esse autem speciei, imago est ejus quod est esse. Quod est juxta causam : Primum quod est esse ὁμοούσιον, ergo esse ipsis duobus, et secundum esse imago est primi esse sine tempore : primum et secundum dico juxta causam. Aliud alio ad ipsum quod est esse pater et filius. Quod autem non retrorsum causa, ideirco pater pater, et filius filius. In eo autem quod esse est, ambo simul sunt, et semper ambo, ὁμοούσιον juxta quod est esse, secundum autem quod est potentia et actione, potentia pater, actione filius. Natus igitur filius, habens in actione et potentialiter esse, sicuti potentialiter esse habet ipsum actionem esse in semetipso, quod est potentialiter esse. Ipsum autem habet, secundum intellectum accipite, non enim habet, sed ipsum est. Simplicia enim ibi omnia. Sed dixi secundum Evangelium (*Joann.* XVI, 15) : *quæcumque habet pater, eadem habet filius.* Secundum istam rationem et pater in filio est, et filius in patre, et ὁμοούσιον ambo, et imago filius patris ; ipsum enim esse duorum ὁμοούσιον. Quod autem alterum ab altero, imaginale et imago. Et rursus, quod alter ab altero, unum ingenitum, aliud genitum ; sine tempore autem ista, quod in principio ista, et ab æterno in æternum. Neque igitur qui hominem dicunt Christum, neque qui ex nihilo, neque qui ex aliquo tempore nec alii hujusmodi in ista perspectione locum habent.

XX. Videamus autem et istud. Dicit Moyses dictum Dei (*Gen.* I. 26) : *Faciamus hominem secundum imaginem nostram et secundum similitudinem.* Deus dicit ista, *faciamus :* cooperatori dicit, necessario Christo, et secundum imaginem dicit ; ergo homo non imago Dei, sed secundum imaginem : solus enim Jesus imago Dei, homo autem secundum imaginem, hoc est, imago imaginis. Sed dicit *secundum imaginem nostram.* Ergo et pater et filius imago una. Si imago patris filius est, et ipsa imago pater, imagine ergo ὁμοούσιοι. Ipsa enim imago substantia est : unum enim est et simplex et ibi esse et operari : ita autem sunt et substantia et species. Substantia autem cum sit imago, ὁμοούσιοι pater et filius, patre existente secundum quod est esse, etiam quod est agere : filio autem existente secundum quod est agere, etiam quod est esse, unoquoque habente id quod sit, juxta quod maxime est, antiquius existente quod est esse, ab eo quod est agere. Pater autem quod est esse, et maxime pater ipsum quod est esse, cui inest et actio potentialiter. Et rursus ut juniore existente quod est agere filius, ut junior ab eo quod est esse, habens filium in eo quod est agere a primo quod est esse. Propter quod unus pater juxta quod est esse, unus filius juxta quod agere, uterque simul existens in utroque, sicut demonstratum est : ὁμοούσιοι ergo. Dicamus ergo : *Faciamus hominem, et ad imaginem* A quid est ? et quid est *ad nostram ?* Deinde hoc quid est ; *et juxta similitudinem :* sic enim dictum, differentiam significat et imaginis et similitudinis. Multa cum sit quæstio de quo dixerit : *Faciamus hominem juxta imaginem nostram*, concedendum nunc quod de anima hominis, sive de ambobus, sive enim de sola anima, nihil aliud intelligitur, nisi de anima : ipsa enim sola est juxta imaginem Dei, et juxta similitudinem. Imaginem dicimus esse Dei Christum, ipsum autem λόγον. Juxta imaginem ergo Dei animum dicimus, rationalem dicentes. Non enim λόγος anima, sed rationalis : et quod totum vita Christus : anima autem vivit, quod vita substantiam habet. Juxta imaginem ergo Dei anima : Christus autem Dei. Quid autem intelligimus hoc, *juxta similitudinem ?* Quemadmodum λόγος substantia est, sicuti declaratum est : quoniam et λόγον esse ipsum est, et ipsum quod esse ; λόγος autem est agere, et est motum esse, et quoniam simplex est ibi omne istud ipsum esse et agere, hoc est quod est esse, quod est ibi substantia ; sic et anima quo anima est, hoc est quod est esse, et substantiam esse ; quod autem est a se se movens, imago est substantiæ : magis autem ipsa substantia juxta speciem substantiæ, et ideo in definitione animæ cum dicimus, quid est anima ? proprie dicimus et substantialiter, quod a se movetur. Manifestum et ex isto, quod substantialis imago, magis autem substantia est animæ, quod a se movetur. Hoc autem est rationale juxta imaginem τοῦ λογοῦ rationalem esse. Aliud igitur est *juxta imaginem* esse, quod quidem substantia est ; aliud autem *juxta similitudinem esse*, quod non est substantia, sed in substantia nomen qualitatis declarativum. Sed sicuti Deum, sic et imaginem, hoc est, Christum substantiam accepimus : perfectionem autem juxta quale significativum intelligimus. Et si simile quale significat necessario, quomodo dicimus animam rationalem esse, et perfecte rationalem juxta similitudinem perfectionis in Deo ? perfectam esse dicimus animam, *juxta imaginem*, ergo nunc et in mundo ; *juxta similitudinem* autem postea fide in Deum et in Jesum Christum, qualis esset futura si Adam non peccasset. In quo igitur rationalis est, ad rationem *juxta imaginem* est ; in quo futura perfecta est, *secundum similitudinem.* Aliud igitur est, imaginem esse, et aliud juxta imaginem, et magis aliud juxta similitudinem. Quæ igitur blasphemia, ὁμοούσιον dici Patrem et Filium : cum imago sit Filius juxta substantiam, non juxta similitudinem ? Sed nunc sic.

XXI. Eamus vero ad alia. Quod in Christo creatura, sed non una. Sunt enim creaturæ tres : una quidem cum creata sunt omnia per Christum ; secunda creatura nostra in Christo secundum baptismum, sed in Christo, et alia in Christo commutatio fit. Unde (II *Cor.* V, 17) *si qua in Christo nova creatura*, dictum est : Quod antequam esset Christus in carne (*Ibid.* 21) : *Qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* Quod fuit tempus in quo peccatum non noverat ? Antequam esset in carne, ad Ephesios.

Digitized by Google

Quod antequam esset Christus in carne (*Ephes.* I, 3, 4) : *Benedictus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus, in Christo Jesu, secundum quod prælegit nos ante constitutionem mundi.* Quod fuit Christus antequam esset in carne (*Ephes.* II, 12) : *Quoniam fueratis illo tempore sine Christo, abalienati a conversatione Israel* Quod Deus Christus (*Ibid.*) : *Spem non habentes, et sine Deo.* Hoc est, sine Christo. Quod spiritus est qui omnia colligat (*Ephes.* IV, 3, 6) : *Cupientes custodire unitatem spiritus in colligatione pacis. Unum corpus, et unus spiritus. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus, et pater omnium, qui in omnibus, et per omnia, et in omnibus.* Ad Galatas quod Christus Deus (*Gal.* I, 1) : *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum patrem.* Et rursus (*Ibid.* 11, 12) : *Evangelium quod evangelizatum est a me, non est juxta hominem ; non enim ego ab homine accepi ipsum, sed per revelationem Jesu Christi.* Ad Philippenses, quod Christus Spiritus (*Philipp.* I, 19) : *Et in subministratione Spiritus Jesu Christi.* Quod ὁμοούσιος, et simul patri filius (*Philipp.* II, 5, 7) : *Istud enim sapite in his quod et in Christo, qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominis effectus, et figura inventus sicuti homo.* Primum Photini, et ab isto, et ante istum, qui hominem dicunt Jesum et solum ab homine factum, cognoscant impiam blasphemiam in Christo, qui in forma Dei existens. Quando existens? Antequam veniret in corpus : dixit enim, quod exinaniverit se ipsum et acceperit formam servi : erat igitur et antequam homo fieret. Et qualis erat? λόγος Dei, forma Dei. Quid est istud, æqualis existens Deo? quod est ejus ipsius et potentiæ substantiæ : dixit enim æqualem esse. Etenim æquale et magnitudinis, et quantitatis est declarativum : magnitudo autem substantiæ molis magnitudo est, qualitas enim non habet magnitudinem, neque a substantia quod est esse habet. Solum autem quantum substantiæ, magnitudine quantum est. Et idcirco declarans beatus Paulus Dei substantiam, omnia quanta dicit (*Ephes.* III, 18) : *Ut Dei cognoscatis altitudinem, longitudinem, latitudinem, profundum.*

XXII. Secundum ista ergo æqualis Deo existit Christus. Non enim dixit similis Deo, quod non significat substantiam, sed in substantia alterum quid, ad similitudinem juxta accidens, sicuti secundum similitudinem homo ad Deum, alia cum sit Dei, alia hominis substantia. Ex hoc nefas est dicere hominem æqualem esse Deo. Si igitur Christus forma est Dei, forma autem substantia est, id ipsum enim forma et imago : est autem forma et imago Dei λόγος, et semper λόγος ad Deum, ὁμοούσιος λόγος Deo, ad quem et in principio, et semper est λόγος. Esse autem imaginem et substantiam, et simul cum substantia, quod ὁμοούσιον dicitur, ex hoc manifestum. Dixit enim Apostolus : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Numquid enim formam solum accepit hominis, non et substantiam hominis? Induit enim et carnem, et in carne fuit, et passus est in carne, et hoc est mysterium, et hoc quod salutare sit nobis. Si igitur exinanivit se ipsum, et Christus exinanivit se ipsum et antequam in carne esset, fuit Christus. Et si fuit ante istud, quoniam se ipsum exinanivit, ipse induit carnem. Quare enim se exinanivit, si, ut dicis, o Marcelle, aut Photine, assumpsit hominem quasi quartum esset? Oportebat enim λόγον qui esset manere, assumere hominem, et modo quodam inspirare spiritum ad actiones Sed dixit, *exinanivit se ipsum.* Recte : qui habebat induere hominem. Quid igitur est, *exinanivit se?* universalem λόγον non esse universalem in eo quod est esse λόγος, carnis, et fieret caro. Non igitur assumpsit hominem, sed factus est homo. Est igitur forma substantia, cum substantia, in qua est forma, ὁμοούσιος igitur formæ substantiæ principali, et potentialiter priori, quod ista præstat formæ esse, et in substantiam esse, et semper simul esse : sine enim altero alterum non est. Secundum igitur quod forma a substantia, substantia est forma quæ sit substantiæ, istud Dei filius est. Quod forma substantia, quod autem semper substantia cum forma, semper pater, semper filius ad patrem, hoc est, λόγος ad Deum, hoc autem semper. Sed quoniam ista forma substantia est, quæ imago est, et λόγος est, quem filium Dei esse dicimus, secundum quod λόγος est omnium quæ sunt, λόγος est. Universalis enim λόγος filius Dei est cujus potentia proveniunt, et procedunt in generationem omnia, et consistunt. Ipsius ergo potentia, procedens et simul existens cum patre, facit omnia et generat, et ipsa hæc potentia in eo quod est ei præcedere, quæ quidem actio dicitur, ipsa patitur si quid patitur, juxta materias et substantias, quibus præstat proprium ad id, quod est illis esse, inversabili et impassibili existente universali λόγῳ qui semper est ad patrem, et ὁμοούσιος. Et idcirco de filio dicitur, quod est impassibilis et passibilis, sed in progressu passio, maxime autem in extremo progressionis, hoc est, cum fuit in carne : illæ enim passiones non dicuntur, generatio a patre, motus primus, et creatorem esse omnium : ista enim substantialia cum sint, magis autem substantiæ : λόγοι enim existentium juxta potentiam substantiæ sunt ipsorum : non igitur passiones.

XXIII. Sed ista. Et rursus, quid igitur dicunt Photiniani? si ὁμοούσιος Filius Patri, quomodo Deus ex Maria hominem natum filium habuit? Quid autem et Ariani dicunt? si ὁμοούσιος et λόγος, et substantia simul est filius cum patre? Nefas enim dicere istud : Erat quando non erat. Et istud nefas : de iis quæ non sunt esse. Impii et illi rursus, qui dicunt ὁμοούσιον esse filium patri. Substantia enim secundum quod substantia est, non est alia, ut sit similis ad aliam : eadem enim est in duobus, et non est similis, sed ipsa. Sed alia cum sit, non quo substantia est similis dicitur, sed secundum quamdam qualitatem. Impossibile ergo et incongruum ὁμοούσιον esse aliquid. Præ-

Digitized by Google

terea simile quod in alteritate est, aut in eadem est, divisa in duas partes substantia, aut in alia : quo enim receptibile est dissimile esse, hoc receptibile est similem esse : substantia autem secundum quod substantia est, non recipit similem esse, aut dissimilem : juxta quod autem receptibilis est, qualitatis similis aut dissimilis dicitur, in potentia sua vel existentia manente substantia, vel eadem vel diversa. Quid autem vero illa substantia vel Dei, vel τοῦ λόγου numquid receptibilis est dissimilitudinis, ut dicatur similis esse? Sed impossibile, nec similis ergo, non igitur ὁμοούσιον. Videamus igitur et istud : si simile aut in eodem genere substantia est, ut hominis aut animalis : similis enim est et homo homini, et animal animali : aut in alio genere, velut homini lapis, aut statua equo. Quomodo igitur dicunt ista duo ὁμοούσια esse? si in eodem genere, ut in animali, magis præcedit substantia : si autem in ipsa substantia, aut divisa aut alia superiore substantia nata; sed utrumque aut subalternum est, et alterum subjectum, sed divisa, neque in æqualia, neque in inæqualia, habet alterum perfectum, sed duo perfecta, et a perfecto perfectum. Non igitur in ipsa similitudine, quippe et similitudo : si istud, sic necesse est in alio genere. Unde igitur, an alterum quid? Ex nihilo igitur : aut duo principia, sed nihil horum : quoniam et unum principium, et eorum quæ sunt omnia causa. Pater secundum τὸν λόγον, qui in principio erat, et idcirco semper erat : non ergo ex nihilo erat. Si vero et istud, neque et in eo quod alterum genus et similitudo. Quomodo autem dicit non quod Jesus arbitratus est semetipsum æqualem esse Deo, sed quod *non rapinam arbitratus est æqualem esse.* Ea enim quæ natura sunt æqualia, non per divinitatem propriam, sed quæ juxta fortunam facta sunt æqualia, quasi rapina æqualia sunt. Magna igitur confidentia, et vere naturalis divinitas ad id quod est æqualem esse, non arbitrari rapinam Deo æqualem esse.

XXIV. Sed ista. Et rursus ad Colossenses quid dicit : quod (*Coloss.* I, 17) *ante omnia* primus Jesus. Duplex enim generatio ejus : una quidem in divinitatem et filiationem, occulta, divina, et quæ fide intelligatur : alia autem in carnem venire, et ferre carnem. Illa quidem sola generatio a Deo potentiæ manifestatio : ista autem acceptio magis carnis, non generatio. Si igitur est prior, non ab homine est Salvator : si generatio est, non est figmentum : si autem a Deo generatio, non de nihilo : si imago Dei Jesus, ὁμοούσιος est : imago enim, substantia cum substantia, cujus et in qua est imago. Et quod imago substantia, a substantia ejus in qua est vel subsistit genita, in declarationem intus potentiæ : hinc pater qui intus, hinc filius qui foris. Rursus quod filius λόγος, est in actionem festinans substantia, vita enim λόγος, et intelligentia λόγος, processit in substantiam eorum quæ sunt intellectibilium, et hylicorum, et idcirco actio ipsius τοῦ λογου, propter imbecillitatem percipientium ipsum, et passibilis est, vel potius passibilis dicitur : dicit enim beatus Paulus de Christo (*Col.* I, 13 20)*: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum : qui est imago Dei invisibilis, primogenitus ante omnem creaturam. Quoniam in ipso creata omnia, quæ in cœlis et quæ in terris, visibilia, et invisibilia, sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates : omnia per ipsum, et in ipso constituta sunt, et ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt : ipse est caput corporis Ecclesiæ quæ est principium, primogenitus a mortuis, ut fieret in omnibus ipse primarius : quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per ipsum reconciliare, et reconvertere omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive ea quæ in terris, sive ea quæ in cœlis.* Totum mysterium in ista expositione dictum est, quod ὁμοούσιον, dicit ex isto qui est imago invisibilis Dei, quod filius primogenitus, quod non creatus ante omnem creaturam dixit; si enim et ipse creatus esset, non diceret, ante omnem creaturam : et proprie dixit primogenitus quod est de filio. Jungamus ergo sensum : *primogenitus ante omnem creaturam.* Ergo hic genitus ut filius; illa creatura, ut quæ creata sit : non autem quod et alium postea genuit, sed quod ante omnem creaturam primogenitus. Est autem omnis creatura et eorum quæ in cœlis, et eorum quæ in terris, visibilium et invisibilium. Sine creatura ergo filius; natura igitur et generatione filius. Quod Christus λόγος est, et quod λόγος omnium quæ sunt, ad id ut sint, causa; et idcirco dictum est, quod in ipso condita sunt omnia et per ipsum condita : λόγος enim et causa est ad id quod est esse, iis quæ sunt, et est receptaculum eorum quæ in ipso sunt. Quod autem omnia in ipso, ipsum receptaculum completur omnibus quæ sunt, et ipsum est et plenitudo : et idcirco (*Rom.* XI, 36), *omnia per ipsum, et omnia in ipsum, et omnia in ipso.*

XXV. Si igitur ex nihilo erat filius, quomodo ista? Sine fide igitur et impossibile sic ista talia esse. Et rursus, si non ὁμοούσιον, quomodo et pater plenitudo et filius? simul enim omnia plenitudo; et an ὁμοούσιον plenitudo velut animæ, et alia quæ creata sunt? Omnino impossibile. Etenim ὁμοούσιον, sicuti dictum in alteritate est : alter enim similis substantia non potest dici, nisi in ipsa non sit, illius autem potentiæ si altera substantia est, et ab ipsa quod est illis esse habent omnia quæ sunt, impossibile est unum esse omne : nunc vero Deo patre et filio λόγῳ ὁμοουσίῳ existente, quoniam per λόγον omnia in unum vocantur, et sunt a Deo omnia, et Deus omnia in omnibus, sine passione patre existente, sicut idem monstratum est. Quod autem Jesus λόγος, qui et omnium quæ sunt spiritus est vivificans, fons vitæ æternæ, secundum mysterium veniens in carnem, et in morte peccatorum vicit mortem, et in æternam vitam mortua suscitavit. Quod autem Deus potentia est ipsius fontanæ æternæ vitæ, et propterea filius est λόγος, fons vitæ æternæ, existens potentia patria, primogenitus a mortuis, et idcirco omnia in ipsum conversa unum fient, hoc est spiritalia : ergo ὁμοούσιος

Digitized by Google

Dei filius, quod æternæ vitæ fons est, sicuti pater potentia ipsius, et quod per ipsum filium unum fient omnia, quoniam per ipsum omnia. Quod Jesus, hoc est λόγος et semen est, et velut elementum omnium quæ sunt, maxime autem jam in ἐνεργίᾳ et manifestatione eorum quæ sunt, quod *in eo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9), hoc est in operatione substantialiter : in patre enim potentialiter omnia inhabitant. Et idcirco Jesus λόγος imago est patris Dei, hoc ipsum quod est, potentia est, jam hoc quod est actionem esse : omne enim quod in actionem exit, et imago est ejus quod est potentialiter, et ejus quod est potentialiter filius est quod in actione est, ex iis filius et pater ὁμοούσιον. Quod ex Jesu omnia, et ideo ex Deo omnia, omnia dico quæcumque sunt, *et non tenens caput Christi, ex quo omne corpus per actus et conjunctiones subministratum et productum, crescit in incrementum Dei* (*Ibid.* 19) ; unum enim omnia, etiamsi differentia sint, quæ sunt : non enim corpus totius universi velut acervus est, qui acervus tactu inter se solo granorum corpus efficitur, sed maxime quo alternatis in se invicem partibus, ut catena continens corpus est : catena enim Deus, Jesus Spiritus, νοῦς anima angeli et deinde corporalia omnia subministrata. Igitur plenitudo quippe producta est.

XXVI. Si igitur omnia unum, quippe in substantia, multo magis Deus et filius, non solum insubstantiatum, sed consubstantiatum. Insubstantiata enim sunt omnia ὄντα in Jesu, hoc est, ἐν τῷ λόγῳ sicuti dictum est : *Omnia in isto sunt condita* (*Coloss.* I, 16) : ὁμοούσια autem ista non sunt. Non enim quasi οὐσία est illud primum esse quod est Deus, neque autem ut substantia imago, quod est filius, sed simul solum istorum, quod est esse divinitatis ad causam, est esse iis quæ sunt : sola igitur ὁμοούσια Deus λόγος, ad Timotheum prima : *Etenim confidenter magnum quoddam est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum in mundo, receptum in gloria* (I *Tim.* III, 16). Hoc non est de prima generatione sed de secunda : hoc enim est magnum mysterium, quod Deus exinanivit semetipsum cum esset in Dei forma; deinde quod passus est, primum in carne se esse, et humanæ generationis fatum habere, et in crucem tolli. Non autem fierent ista mirabilia, si fuissent illæ aut ex homine solum, aut ex nihilo, aut ex Deo secundum facturam. Quid enim exinanivit, si non erat antequam esset in carne ? Et quid erat, quod dixit æqualis Deo ? Æqualis autem quomodo, qui ex nihilo factura esset? Idcirco ergo *magnum mysterium, quod manifestatum est in carne.* Fuit ergo antequam esset in carne, sed manifestatum dixit in carne : intelligibiliter enim erat et intellectualiter; sensibiliter autem et incarnaliter tunc manifestatus est Potentia enim τοῦ λόγου juxta suam substantiam vitæ est, semper substantia, secundum quod vita, et vivefacit, et revivefacit, et non permittit esse in morte quæcumque vivefacit. In prima igitur motione omnia in vitam adduxit, et ista est descensio τοῦ λόγου, quod quoniam a patre exiens, iis qui in cœlis sunt, et Angelis, aut thronis, vel gloriis, et hujusmodi quæ sunt, dedit suam propriam vitam potentia patria : λόγος enim omnium est, per quem facta sunt omnia. Et rursus, quod non esset vivefacere, nisi esset materia ad potentiam vivefaciendi, effecta est materia mortua naturæ, quæ vivefacta suas militias emisit vivificatione divina, et corruplt hominem, sed λόγος, vita perfecta complevit mysterium, et apparuit in materia, hoc est in carne et in tenebris. Quomodo enim erat possibile apparere quod fuisset, nisi in carne, hoc est, in sensu appareret ? Omnia ergo effectus λόγος, et in omnibus, et genuit omnia, salvavit, et regnavit, vita æterna existens in spiritu : Ergo *justificatus est, apparuit Angelis,* veniens ergo *prædicatus est gentibus.* Fuit igitur antequam veniret : *Creditus est in mundo,* sic enim et Isaias fatetur prophetans : *Laboravit Ægyptus, et mercimonia Æthiopium et Sabaim : Viri altissimi in te ambulabunt, et tibi erunt servi, et retro te sequentur ligati manicis, et te venerabuntur et te precabuntur, quod in te Deus est, et non est Deus extra te : tu es enim Deus, et non sciebamus, Deus Israel* (*Isa.* XLV, 14). Prædicatus ergo in mundo, receptus in gloria divinitatis et ab initio, et initio, et postea, et semper ab æternis, et in sæcula sæculorum. Amen.

XXVII. Vide autem et istud ad ὁμοούσιον quomodo spiritus dicit Isaiæ : *In te Deus, et non est Deus extra te :* quod filio dicit Domino nostro, manifestum *in te Deus,* hoc est, quod dictum est : *Pater in me.* Aliud autem, *et non est Deus extra te :* in isto verbo omnes hæreses prædicit. Ad istud quid dicunt omnes Judæi ? et qui dicunt hominem esse Jesum ? Et qui dicunt ex nihilo? et fuit quando non fuit ? erat enim Deus et semper unus Deus. Si enim Jesus λόγος et λόγος semper ad Deum ; et λόγος unus Deus; et non est alius, ὁμοούσιον ergo Deus. Et λόγος rursus si Deus est quod est esse, hujus autem Dei, et ejus quod est esse, virtus et sapientia Jesus, hoc est λόγος, unus Deus, et non est alter. Unalitas ergo λόγος et Deus, et ipsum quod est esse, et λόγος esse, idem simul in eo quod est esse subsistens, et idcirco ὁμοούσιον. Quod autem λόγον esse est, hoc est, vitam et νοῦν esse : ista enim sunt virtus et sapientia Dei, quod est Salvator Jesus, progressio est et generatio, et in substantiam filietas processio, et in actionem effulgentia et refulgentia. Hoc autem non fuit quando non fuit, sed semper fuit : semper ergo pater, semper filius. Et pater tantum pater, et filius tantum filius : ad patrem autem, quoniam id quod est esse, quod est Deus et pater, causa est τῷ λόγῳ ad id quod est ei esse, nec reversum autem : et est proprium ejus, quod primum est esse, quiescere ; τοῦ λόγου autem proprium movere et agere, et non localiter moveri, neque in locum translatione, sed motione quæ animæ est meliore et diviniore, quæ propria motione et vitam dat, et intelligentias parit subsistens in se ipsa, et non discissa a propria potentia in operationem.

XXVIII. Sed ista. Et rursus : Sunt enim et alia

Digitized by Google

in sacra Scriptura, quod Deus Jesus, quod ante A rones : quod filius, et natura filius, et in carne filius, et maxime in carne filius vocatus, quod tunc salvavit omnia ὄντα, et tunc vicit inimicitias divinitatis, et omnem mortem, et quod ipse passus sit secundum motionem : pater autem non secundum cessationem. Si ista sic sunt, hoc deest solum quomodo intelligendum ὁμοούσιον, aut ὁμοούσιον esse filium patri : hoc enim dogma nunc expergefactum est, et quidem olim rumoribus jactatum, quod non oporteat dici ὁμοούσιον, sed magis ὁμοούσιον : nunc inventum hoc dogma. Audent autem et hoc dicere, quod olim, non dico quando olim : sufficit enim quod mihi non ab æone, neque a præsentia Jesus, sed olim datum sit ante annos centum, concedo, et plures. Ubi latuit? ubi dormiit ante undecim annos? B cum in Nicæa civitate fide confirmata per 300 plures Episcopos, Arionitas excludentes, in qua synodo istorum virorum Ecclesiæ totius orbis lumina fuerunt. Vetus igitur dogma quod fugerat : si non fuit, convictum est, et nunc cœpit : si fuit, aut contentione situit, aut cognitionis et veritatis sententia fugatum est : forte tunc tu patrone dogmatis non solum in vita, sed episcopus fuisti : tacuisti et tu, et socii et discipuli, et condoctores, et toto tempore postea, usquequo imperator Romæ fuit, præsens audisti multa contraria, conviva existens istorum hominum quos nunc anathematizas : iratus vel quod sine te fidem scripserunt. An coactus a magistris legatus venisti in defensionem proditionis? Sed quid differt, sive triginta, sive septuaginta, sive amplius, et sive C sæpius eadem fides in destructionem aliarum αἱρέσεων effecta est? una cum sit, et ab uno incipiens, et operata usque nunc. Tu autem scribis ista et dicis : quæ Samosatenus Paulus, et Marcellus, et Photinus, et nunc Valens et Ursacius, et alii istius modi in hæresi religiosi inventi destructi sunt. Numquid ὁμοούσιον dicentes? Non. Quomodo autem blasphemantes? Samosatenus sicuti Arius : ex nihilo, et quod fuit quando non fuit, quod factura filius, et omnino omnimodis dissimilis patri. Quid Marcellus et Photinus? Tantum hominem ex homine Jesum, et esse Triadem extra Jesum. Et nunc Valens et Ursacius reliquiæ Arii. Propria ergo blasphemia, propter quam ejecti sunt. Tum autem idcirco vicisti eos, quod ὁμοούσιον dicis, non enim dixerunt ὁμοούσιον, et sic victi sunt. D

XXIX. Videamus ergo etiam et hoc quod dicis, et quomodo dicis : sic sapiunt et Afri, et Orientales omnes; quare igitur scribis ad illos, ut ejiciant a sancta Ecclesia ὁμοούσιον? Dicunt ergo istud : Non oportuit ad eos scribi : si oportuit scribi, oportuit et persuadere illis, non solum jussione, sed rationibus et sacris scripturis : debeas enim non solum ὁμοούσιον destruere, sed et ὁμοούσιον adstruere. Nunc autem supra infra in ὁμοούσιου perversionem nihil aliud dicis, quam quod istud dicentes necesse sit confiteri substantiam præexistere, et sic explosum patrem et filium esse. Primum non est necesse. Deus enim et substantia, et substantiæ causa est, et omnibus quæ sunt præexistit, et universæ existentialitati, et universæ essentiali : ab ipso enim omnia et ea quæ sunt, et nomina. Ex isto igitur Deo substantiæ principium qui est, et ideo qui sit substantia ὁμοούσιος filius in ipso et cum ipso. Quippe forma ejus qui sit et imago et character, sine quibus Deus non intelligitur nec intelligentiam ascendit : non tamen quod non sit, quod est simplex Deus : et non quod ista quasi aliud, quod in se ipso sint, aut ut accidentia, sed istud ipsum Deum esse : et sic esse ὁμοούσιον est quod est esse, et pater quod est esse. Quod autem sic esse filius est, Deus enim quod est esse, sic autem esse λόγος, et hoc significat semper quod dicit : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Et : *Pater in me, et ego in patre* (*Joan.* xiv, 10). Et : *si quis me vidit, vidit et patrem*, ὁμοούσια enim. (*Ibid.*, 9). Quid ergo dicit, dicens : præexistit substantia, ὁμοούσιον est? Quid vero si ὁμοούσιον est, non necesse est sic intelligere quod præexistat substantia, a quo duo ista substantia similia facta sint? et secundum tuam rationem, et tu in idipsum incurris, quod metuis in ὁμοούσιον. An tibi soli licet intelligere ὁμοούσιον, patre dante substantiam filio; nobis autem non est ista excogitatio ὁμοούσιον esse, patre causa existente ad hoc ut sit filius, substantiam Deum esse, et tu fateris ὁμοούσιον : esse enim dicis et patrem et filium. Quis, cui similis? secundum dignitatem, et dignitatem nominum filius patri? sed tamen et pater filio : sic enim sunt omnia ad aliquid, si istud est similitudo, et dicimus ὁμοούσιον, similem esse dicimus filium patri; et quomodo accipiemus Isaiæ dictum : dicit enim : *Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit similis* (*Isa.* xliii, 10).

XXX. Quid ergo λόγος? ante Deum, an post Deum, an cum Deo? si ante Deum, non ingenitus Deus nec pater Deus, nec principium principiorum : si autem post Deum οὐκ ὅμοιος, sed similis alius Deus. Sed si istud nefas dicis, non solum potentia, dignitate, deitate, sed et substantia : quid est esse substantia simile? Ex ipsa ista substantia, secundum quod ista ipsa substantia est, idem est, non simile : simile enim qualitate efficitur, quæ similitudo colore, habitu, affectione, virtute, forma similitudo est. Jesus autem, hoc est, λόγος, imago est Dei non similitudo. Imago Dei dicitur, non enim Deus imago, sed Deus imagine et substantia Deus, non ut duo, una enim substantia, et una imago, unde unus Deus, et unus λόγος, et unus pater, unus filius, et ista unum : unum enim et istud unum, non duo : et ideo simul, et substantia ipsum quod est alterum unum, et ideo istud non alterum unum, sed magis et solum unum. Sed ista. Et rursus, quid dicimus esse substantiam, sicuti sapientes et antiqui definierunt? quod subjectum, quod est aliquid, quod est in alio non esse; et dant differentiam existentiæ et substantiæ, et existentiam quidem et existentialitatem præexistentem subsistentiam sine

VARIORUM NOTÆ.

Convictum. Forte *conflictum*, aut *nunc factum*.

Digitized by Google

accidentibus, puris et solis ipsis quæ sunt in eo, quod est solam esse quod subsistat; substantiam autem subjectum cum iis omnibus quæ sunt accidentia, in ipsa separabiliter existentia, in usu autem accipientia et exitsentiam, et substantiam, ubicumque eodem modo esse aliquid significantes utimur istis nominibus. Sit igitur sic, sive in æternis sive in mundanis: licet enim dici sive existentiam, sive substantiam, sive quod est esse vere substantiam: ibi motio est, et non simpliciter motio, sed prima motio, quæ genus sit et ipsa status, et idcirco ipsa substantia. Sed ista et longioris, et alterius quæstionis. Nunc autem fatemur quod sit ibi substantia, quæ habet secundum proprium significatum hoc: aliquid ὄν esse; adversus autem eos qui dicunt nomen substantiæ non esse positum in sanctis scripturis. Non quidem substantiæ forte non est, denominata a substantia sunt, unde enim deductum ἐπιούσιον quam a substantia (*Matth.*, VI, 11): *Da panem nobis ἐπιούσιον, hodiernum?* Quoniam Jesus vita est, et corpus ipsius vita est, corpus autem panis, sicuti dictum est: Da nobis panem de cœlo. Significat ἐπιούσιον ex ipsa, aut in ipsa substantia, hoc est vitæ panem. Sic rursus et Paulus in Epistola ad Titum (*Tit.* II, 14): *Populum περιούσιον*, circa substantiam, hoc est circa vitam consistentem populum, sicuti et in oblatione dicitur: *Munda tibi populum circum vitalem æmulatorem bonorum operum circa tuam substantiam venientem.* Videtur mihi idem significari in Jeremia propheta, ubi dicit (*Jer.*, XXIII, 18, sec. LXX): *Quia quis stetit in substantia Domini, et vidit verbum ejus? quis præbuit aurem et audivit?* Et post modicum dicit (*Ibid.*, 22): *Et si stetissent in substantia*, sed in substantia substantia scribunt, non insubstantia. Sed si quis intellectum certe intelligit, nihil aliud invenit, nisi istud: Si quis in eo quod Dei est esse steterit, hoc est in substantia, quod in ipsa ὁμοούσιος filius, statim λόγον ejus videt; debemus enim quod ulterius non est, interius aliquid stare facere, τὸν νοῦν insubstantia, *substantia* Dei, hoc est in substantia, et statim comprehendimus et Deum, et λόγον, ὁμοούσιον enim, et simul ambo unum.

XXXI. Sed videris. Supponamus dicere substantiam Dei id illud quod est esse, et τοῦ Ἰησοῦ quod est esse, esse Deum, et pietas, et confessio: quæ igitur substantia Dei? Si substantia dicitur in mundanis, ut animal, ut homo, necesse est dicere in æternis substantiam esse Deum, sed vides ipsum Deum juxta illud esse, quod dicimus, aut lumen, aut spiritum, aut ipsum esse, aut potentiam ejus quod est esse, aut intelligentiam universalem, aut potentiam universalis intelligentiæ, aut universalis vitæ vel actionis, aut aliorum istiusmodi in quo sit, fontem esse omnium eorum quæ vere sunt, aut quæ sunt. Sed dicunt scripturæ lumen esse Deum, spiritum esse: hæc autem substantiam significant, non enim accidens; cui primo quod est esse accidit, si istud accidens? Sed nulli: impossibile enim ultra esse aliquid supra quod est esse. Ergo substantia, juxta quod est esse lumen, et spiritus, quod est simplex et incompositum, quæ ibi et idem lumen et spiritus: est autem lumini et spiritui imago, non a necessitate naturæ, sed voluntate magnitudinis patris: ipse enim se ipsum circumterminavit. Et idcirco dicitur, tu te ipsum intelligis, sed et filio intelligibilis, filius ergo in patre imago, et forma, et λόγος, et voluntas patris, juxta quod voluntas patris, alteri juxta quod voluntas patris filius. Omnis enim voluntas progenies est, juxta quod universalis voluntas, unigenitus, semel enim totius plenitudinis λόγος prosiliit e potentia Dei: ista potentia λόγος existens genuit λόγον, hoc est, in manifestationem et operationem adduxit. Sic igitur voluntate patris, voluntas apparuit ipse λόγος filius: est igitur Dei voluntas λόγος cum ipso qui semper est, et ad ipsum ipsa voluntas filiatio est: pater ergo, cujus est voluntas, filius autem voluntas est, et voluntas ipse est λόγος: λόγος ergo filius. Non enim λόγος locutio quædam est, sed potentia ad creandum aliquid, confabulans iis quibus futurum est esse secundum ὑντότητα virtutem unicuique propriam substantiam, et ipse λόγος forma, quæ cognoscentia est Dei: per λόγον enim solum cognoscentia efficitur. Propter quod dictum est λόγον esse ad Deum, et est λόγος verbum, lumen a lumine, aut spiritus a spiritu, et substantia a substantia, non prima et secunda secundum tempus, sed secundum quod causa est alii, ut sit potentia: semper simul, non enim abscissa est effulgentia luminis, sed semper in lumine est, et ipse lumen existens operatur omnia λόγος existens, a se movens, et quæ semper movens, copiam habens: illud patris omnipotentem esse.

XXXII. Quæ igitur hic similitudo, quæ consilio ut efficiatur et generetur, ut dicis, ad generationem filii? A se movens pater, a se se generans filius; sed potentia patris se se generans filius: voluntas enim filius, unde enim si ipsa voluntas non est a se se generans, nec voluntas est: sed quoniam Dei est voluntas, equidem ipsa quæ sit generans, generatur in Deo. Et ideo Deus pater, voluntas filius, unum utrumque, magis autem et unum, et solum unum non counitione, sed simplicitate: progressa quidem voluntate in potentiam actuosam, non abscedente tamen a substantia propria et eadem motione: ista enim tria ibi unum sunt, substantia, motio, voluntas. Substantia pater, juxta id ipsum motio et voluntas: rursus filius motio et voluntas, et juxta id ipsum et substantia, et hoc est ὁμοούσιον. Habeamus exempli gratia istud quod ego nunc dico: sic enim nunc oportet dicere, quoniam multi in anima corpus esse dicunt, sed nunc secundum dicendi usum anima sit in corpore. Anima in humano corpore est, in eo quod anima est, substantia est, sicuti vel hyle, vel corpus. Istæ enim mundanis duæ substantiæ. Et sicuti hyle formam habet, hoc est speciem, ut est corpus, aut aliud aliquid; unum quidem ὑλικῶς est in molem concretum. Necesse est enim aliquid quamdam quantitatem esse: quantumcumque igitur est

Digitized by Google

quod est hylicum : Sic enim quantitate definitur hyle, ut subsistat, et substantia fiat, jam aliquid existens. Isto modo et anima, substantia incorporalis quæ sit, definitionem et imaginem habet : vitalem potentiam et intelligentialem, bipotens enim, et gemini luminis : etenim et vivificat vitam dans animalibus, et habet coinquinatum τὸν νοῦν, et ὁμοούσιον, et idcirco ὁμοούσια omnia : simul enim substantia et motus id ipsum cum sit, secundum subjectum anima, juxta quod vivit et vivificat ; et juxta quod intelligit, et intelligentia est una motione, ut una ipsa cum sit, quæ species est ipsius, definitur enim motione, et existit unum ὄν, duplici potentia in uno motu existente : vitæ et intelligentiæ : impassionabiliter quidem ista, in actione duo, in una motione, id est, quod generatur, et Filius unigenitus animæ ipse vita, ipse νοῦς existens, et prima potentia cum eo quod ei esse vita est : quo enim est, hoc est quod est vita : illud enim esse isti ipsi quod substantia est, et vita est, et supra vitam est ; non enim aliud vivificat, neque semetipsum : non enim ab alio quasi aliud accipit, hoc enim ipsius quod est esse, ipsi est moveri, et motionem esse ; et quod est motio, hoc vita est ; et quod vita est, hoc est intelligentia. Ista enim substantialia dico, motiones, vitam, intelligentiam, nullam dicens, sensibilium motionum nec in locum transitum : duo ergo hæc, vita et intelligentia, ὁμοούσια sunt ei quod est esse, hoc est, animæ. Quæ duo una est motio, quæ quidem prima potentia vitæ est, forma enim eo quod est esse, vita est. Definit enim infinitum esse, quod est prima potentia motionis, secunda autem potentia ipsa motio ; quoniam quod definitur, et intelligentia comprehenditur a vita, innata intelligentia substantiaque sit, juxta quod est intelligentia et subsistens, et per semetipsam deducta a substantia vitæ. Unum hæc duo, et unum juxta motum filius est, unigenitus animæ, nihil passionis patientis juxta quod animæ est : hoc autem est vel mater, vel pater unigeniti filii, motione in duplicem potentiam procedente, quæ sola patitur : motio enim passio, et motione passio, in motione enim motio et status : statum autem esse in motione passio est, et in motione esse a statu est passio, ergo et motio : motione igitur omnis passio. Hæc autem duplex, secundum vitam et intelligentiam : secundum vitam quidem passio, quod adhuc indiget alterius quod vult vivefacere, et ideo juxta quod ejus est particeps, et alias patitur passiones usque in mortem. Secundum autem intelligentiam, quoniam et ista indigens est ejus quod intelligibile est, ut intelligentia subsistat ; magis passiones et infirmitates incurrit, et volvitur insensibilibus, et per phantasiam in falsam subsistentiam circumducitur. Istis igitur existentibus, ista patientibus, manet anima juxta substantiam, custodiens in semine motionis potentiam vitæ et intelligentiæ, qua semper manente vita et intelligentia accenditur, magis autem erigit, si in fontanam vitam, hoc est, in Christum, et fontanam intelligentiam, hoc est, in sanctum Spiritum resurgit resuscitata anima.

XXXIII. Sed ista sicut in similitudine. De Deo enim, et de λόγῳ, hoc est, Filio Jesu Christo, et Spiritu sancto diviniore intelligentia utentes, suscipiamus istorum ὁμοούσιον unitatem. Primum inquirendum, si idem est Deus, et Deo esse, an aliud aliquid ? Si idem, jam et esse est, et agere : si autem aliud Deo esse, aliud Deum esse, præexistentiale est Deo esse, quippe in potentia existens ad id quod est esse, quod vere magis id est quod est esse : potentia enim omnia præexistens et principium, et ante est quam vere ὄν. Sed istud beate, in quiete esse æstimant omnino omnimodis : in motu solum quod causa sit omnibus in qualicumque motione existentibus. Et dicunt istud prænoscentia concipi, quæ ipsa per semet nihil est, sed conceptione quod præexistit susB cipitur. Sed scriptura, et omnis intelligentia istum Deum et esse dicit, et ante ipsum nihil esse, qui et id est quod est esse, et id quod operari. Istum Deum confitemur et colimus, principium omnium quæ sunt : actione enim sunt, quæ sunt : ante enim actionem nondum sunt ; actuosum enim Deum accipimus, sicut in principio fecit Deus cœlum et terram, et fecit Angelos, hominem, et omnia in cœlis et in terra. Iste igitur verus Deus et solus Deus, quia et potentia et actione Deus, sed in æterna : ut Christus et potentia et actione, sed jam foris et aperta. Pater igitur Deus prima actio, et prima existentia et substantia, et principale τὸ ὄν, actione a se sua sese qui generet sine principio, semper existens a se, existens infinitus, omnimodis perfectus, omnipotens, immutaC bilis, semper sic et eodem modo existens, substantialis in semetipso : λόγος existens ad id ut sint omnia, non ut aliud aliquid, aut ut alterum, sed simul simplicitate coexistens, et unitione unum est : hoc enim quod λόγος est, id ipsum est quod est esse, et ipso quod est esse, λόγος est : ipse enim λόγος Deus est, unum ergo et ὁμοούσιον : non enim sine actione Deus, sed operatur Deus, sicuti dictum.

XXXIV. Substantia autem Dei imago est, actio, filiusque est, per quam intelligitur, et quod sit declaratur (*Joan.*, XIV, 9) : *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Et ipsa substantia existens, habens esse, et a se. Quoniam autem causa ipsi est id in quo est, imago ipsa filius est ejus, in quo est ineffabili generatione, et maxime ingenerabili generatione, aut magis semD per generante generatione : quod et Alexander dixit. Et dicitur semper pater, semper filius simul existens. Ergo et semper consubstantialis coexistens, unum existens, in patre filius est ; cum autem operatur, procedit : cum procedit, in filio est pater. Quomodo autem istud dicimus ? Deus et λόγος unum est et unitum, et idcirco ὁμοούσιον, sed quod Deus, juxta quod Deus est, ejus quod et esse potentia est, et omnium quæ sunt, ad id quod est esse, causa est λόγος juxta quod est : λόγος paterna est potentia, ad subsistere facere ipsum quod est esse : principale ipsum quod est esse, et principium, et perfectio. Ab eo enim quod est esse universale, et supra universale omne universale esse, et juxta genera, et juxta species esse,

Digitized by Google

et individua, quod est esse illis habet. Si igitur λόγος habet esse, est enim λόγος id ipsum quod est esse ipsi et λόγος, ergo ex illo quod est supra universale esse, esse est : sed universale quod est esse λόγος est : Deus autem id quod est supra universale esse, filius autem quod est universale esse : pater ergo supra universale quod est esse, ὁμοούσιον ergo in eo quod est esse, ad id quod est esse, et quod supra universale ad universale : hoc autem et progressio est ; ab eo enim quod est supra universale, universale egreditur, et magis certe intelligenti et egreditur, et manet, non enim derelinquitur universale. Ergo et subsistit per semetipsum quod est universale et intus est in eo quod est supra universale : connexum ergo est, et inseparatum est ; et istud luminis refulgentia dicitur, omnia luminis habens, sed non accipiens, neque enata, sed connaturalis, ὁμοούσιος semper existens. Non igitur motu locali, neque immutatione : immutabilis enim pater, et immutabilis filius, et semper pater, semper filius, etiamsi filius credatur in patre imago existens, et ejus quod esse forma, sicut dictum est, sive juxta progressum refulgentia luminis filius est. Iis sic existentibus, et magis unum existentibus, refulgentia enim splendor luminis, et ipsa in se lumen habet a patre et in lumine est et foris : ergo et in patre filius, et quod annexus est splendor luminis, magis ad lumen esse splendor dicitur, non in lumine ; etiamsi a lumine resplendeat in lumine est, et hoc significat (*Joan.*, I, 1) : *In principio erat* Λόγος, et Λόγος *erat ad Deum* : ὁμοούσιον ergo et filius et pater, et semper ista, et ex æterno, et in æternum.

XXXV. Dicimus et alia. Λόγος est ad Deum, in confesso est. Quid est λόγος ? per quem omnia, et in quo omnia, et in quem omnia ; istum esse et Jesum in confesso est. Quod λόγος est filius Dei, filius autem Jesus de quo dicit Paulus (*Coloss.* I, 13) : *Qui nos eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ.* Quis igitur iste filius ? ipse, inquit (*Ibid.* 14), *in quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum* nostrorum. Iste quis est ? qui natus est ex Maria. Quid deinde ? istud solum ? numquid maxime quod in eo, qui ex Maria erat ? Erat et ante quam ex Maria. Quid autem inducit (*Ibid.* 15), *qui est imago Dei* ? numquid hoc solum, de Maria ? non : imago enim Dei ab æterno imago. Si igitur in filio habemus spem, et ipse per sanguinem suum redemit nos ; ipse autem imago est Dei ; imago ergo filius est Dei. An ego dico istud ? Non solus, sed et Paulus ; quomodo enim dicit (*Ibid.*) ? *Primogenitus omnis creaturæ.* Quis primogenitus ? Filius. Quis filius ? Filius qui ex Maria. Quis filius ex Maria ? primogenitus totius creaturæ. Quis totius creaturæ primogenitus ? qui imago Dei est. Necesse est enim primogenitum esse ante omnem creaturam imaginem Dei. Quis autem est imago ? λόγος. Quis λόγος ? qui erat in principio : Sine enim imagine Deus quomodo ? Et quis λόγος ? (*Joan.* I, 2, 3) : *qui ad Deum erat, et per quem effecta sunt omnia, et sine quo effectum est nihil.* Quomodo imago λόγος est ? et λόγος filius ? et ipse qui de Maria ? magis autem qui in eo qui de Maria. Ex iis manifestum, si filius Dei redemit nos per sanguinem suum, qui de Maria filius est, et ipse imago est Dei ; Dei est filius : si enim totius creaturæ primogenitus, necessario filius, numquid alius ? Absit : unigenitus enim Dei est filius. Necesse est ergo eumdem ipsum esse filium, et imaginem, et eum qui de Maria. Quomodo enim imago Dei filius, si non primogenitus totius creaturæ ? Et quomodo imago Dei, qui Filius de Maria post omnia facta natus est ? Manifestum ergo, quod ipse primogenitus. Quid vero quod natum est de Maria ? non creatura est : sed si filius Dei, imago Dei ante omnem creaturam natus est, ipse est in eo, qui de Maria natus est. Manifestum igitur quod ipse unigenitus.

XXXVI. Post illud perspiciendum, quomodo idem ipse et imago, et filius λόγος est. In confesso est quod imago filius est. Dixit enim Paulus (*Coloss.* I, 15) : filius Dei *imago est Dei.* Dico ipsum esse λόγον, de quo dictum est : *In principio erat* λόγος. Dicit enim Paulus quomodo filius primogenitus totius creaturæ, quod (*Ibid.* 16-18) *in ipso creata sint omnia, quæ in cœlis et quæ in terra, quæ visibilia et quæ invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt.* Vides quæ dixerit de filio, quod ideo primogenitus, quia omnia creata sunt ex ipso, et per ipsum, et in ipso. Tria ergo dicit ex quibus, quod dictum est, omnia per ipsum, cui datum est semper, quod confessione est τῷ λόγῳ. Si igitur Paulus filio dedit *per ipsum* ; ipsum autem quod est per ipsum, dedit Joannes τῷ Λόγῳ primus Apostolus et Evangelistes : ante omnes consonant dicta. Quid erit dubitandum, ut non sit filius λόγος ? Quid vero alia duo quæ dedit filio, cujus magis propria ? necessario τοῦ λόγου ; potentia enim ejus, omnium quæ sunt subsistentia est. Sed si et istud, *in ipso sunt omnia*, ut dictum est, quod in ipso creata sunt omnia, et ideo in ipso omnia, quoniam efficientur omnia spiritualia, quod et Paulus significat, in consummatione mundi (I *Cor.* XV, 28) : *Nam cum omnia illi subjecta fuerint, tunc ipse subjicietur ei, qui subjecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Quid istud, et quomodo posterius ? Nunc quomodo spiritualia. Verum igitur quod de Maria filius est Dei, et ipse imago et ipse λόγος, et ipse ante sæcula et omnem creaturam, et quod omnis creatura per ipsum creata est, et in ipso, ex ipso, et consequenter quæ dicta sunt.

XXXVII. Quis ergo sine sensu, quis sacrilegus Arius ? quis sine Deo non videt quis Jesus ? et unde Filius unigenitus ? Esse autem et Deum λόγον ὁμοούσιον, hoc est, et patrem et filium, ex istis manifestum : quæ dedit filio Paulus, eadem dedit et patri, tria ista cum dignitate paterna in uno, ut appareret et divinitas una, et substantia, et potentia paterna. Ad Colos-

Digitized by Google

senses istud dixit de filio. Ad Romanos autem de patre eadem (*Rom.* xi, 34-36): *Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis consiliarius fuit ejus? aut quis prius dedit, et reddetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia.* Vides quemadmodum eadem, et sic eadem dedit, et patri et filio, in ὁμοούσιον: primum tria et tria, deinde eadem et patri, et filio: hoc autem per quem omnia et patri et filio datum est: quoniam filius λόγος, qui est omnium quæ sunt potentia actuosa, in ea quæ sunt, et quod in filio pater est, in ipso et pater actuosa potentia existit: simul enim et filius in patre, et pater in filio: una ergo potentia, hoc est, una substantia existit: ibi enim potentia, substantia: non enim aliud potentia, aliud substantia. Idem ergo ipsum est et patri et filio. Hoc autem *ex quo omnia*, et ipse filius: hoc igitur patri ut proprium: *in quo omnia*, quod λόγος et locus est: factorum enim et operum per semetipsum ipse est receptaculum. Ibi autem existentibus omnibus quæ sunt efficitur plenitudo: etenim et Jesus pater est omnium operum, eorum quæ per semetipsum. Unum ergo pater et filius. Sed quod non extrinsecus ingrediuntur opera: unde enim? nihil enim extra; in se ipso ergo omnia: ipse ergo et receptaculum et habitator. Et quoniam in filio pater, et pater habitator: proprium igitur filio *in quo omnia*, reliquum ergo hoc, et in ipso, hoc dico esse commune: in consummatione enim unum omnia et ideo Paulus ad Corinthios dicit (1 *Cor.* viii, 6): *Unus Deus pater ex quo omnia, et nos in ipso; et unus est Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Aut quomodo alius in ipso? quoniam et in aliis locis sic positum est de patre, *ex quo omnia, per quem omnia, in ipso omnia.* De filio autem, *in quo omnia, per quem omnia, in quem omnia*: æqualia igitur omnia et filio et patri dedit Paulus: recte. Quod ὁμοούσιος pater et filius, et idcirco dictum est: *Tunc ipse subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

XXXVIII. Vide virtutem dicentis; conducit (*forte* concludit) enim ὁμοούσιον: filius subjicit patri omnia virtute sua, ut videtur, sed ut est paterna: dicit enim: *Subjicietur ei qui subjecit ipsi omnia.* Cui subjicietur? Deo. Quis subjicietur? filius, cui subjicit omnia Deus. Actio igitur et pater et filius. Substantia igitur ubi? In qua actio ipsa, magisque sit actio, quæ est substantia, ὁμοούσιον ergo. Dicit Paulus et hoc (1 *Cor.* xv, 24), *cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Ipse igitur nunc regnat, et secundum propriam actionem Christus subjicit omnia, et inimicitias, et ipsam mortem exterminat: ipse igitur subjicit, sicuti dicit Paulus, *cum evacuaverit omnem potentiam.* Sic dicit quod filius propria virtute facit ista. Adjicit et istud (*Ibid.* 25): *Oportet enim illum regnare.* Deus quidem rex omnium: sed quoniam ὁμοούσιος et filius, et magis λόγος, hoc est, potentia et sapientia Dei; necesse est regnare primum sapientiam, per quam subjicientur omnia; λόγῳ enim et subsistunt, et subjicientur omnia: quoniam et dicitur, et dictum est, quod λόγος hoc est filius, subjicit omnia, et idcirco adjecit Paulus (*Heb.* x, 13): *Quousque ponat inimicos omnes ejus sub pedibus ipsius.* Quis? Cujus? manifeste, quia filius patris. Sed quoniam in filio pater, idcirco pater filio subjecit omnia, et ideo maxime filius inimicos habet, non pater: et quoniam ambo, id est, bona ambiguitas intellectus, et idcirco ὁμοούσιοι (1 *Cor.* xv, 26), *postremus inimicus evacuabitur mors:* si enim Jesus vita est et æterna vita, evacuabitur a vita mors: omnia igitur Jesus, id est, filius subjicit patri. Sed quoniam ὁμοούσιος patri et ipsa substantia, et ipsa potentia, secundum quod primum est esse patrem, et quod esse primum est, secundum autem operari, vivere, intelligere, quoniam duobus causa est quod primum; necesse est dicere patrem subjicere filio. Dicit ergo, *cum tradiderit regnum Deo et patri*, necessario filius; *et cum evacuaverit omnem principatum et potentiam*, necessario filius. Dicit rursus (*Ibid.* 27): *Cum autem omnia subjecta sunt, manifestum quod extra ipsum qui subjicit ipsi omnia*: non parva intelligentia

XXXIX. Sed nunc dimittamus. Quid vult nos intelligere, quod Deus causa qui sit, et præpotens, et præprincipium potentiæ, ipse fecit omnia, cum filius facit? et si pater in filio, et filius in patre, ipse in filio facit, quæ filius fecit; et (*Joan.* v, 19) *quæ pater facit, filius facit indifferenter:* igitur aut patri, aut filio dantur omnia, sive operationes, sive requies: In altero enim ad alterutrum, et nihil alterum, quod in uno alterum. Et idcirco unum solum, et nihil alterum, sed subsistentia propria et pater et filius est, ab una ex patre substantia. Filius autem, hoc est, λόγος, activa potentia est, et quæ faciat, et quæ vivificet, et sit intelligentialis: omnia igitur justa et generat, et facit secundum vitam, et regenerat secundum intelligentiam veritatis et Dei, quam dat Jesus omnibus λόγος cum sit, omnium et intellectuum, et universaliter omnium quæ sunt. Si igitur iste generat, et iste regenerat omnia, iste subjicit omnia, non solum homines, sed et ut dicit Paulus, omnem principatum et omnem potentiam; numquid ista ut homo, an ut λόγος? Etenim ipsum subjicere non temporis solum ejus ex quo de Maria filius, sed et ante, et postea. Si enim diluvium factum est, si Sodoma et Gomorrha incensa, si hæc et talia multa facta sunt, si in præsentia prima triumphat inimicos in semetipso, si in secunda præsentia *novissimus inimicus evacuabitur mors;* filius λόγος facit ista, sed potentia paterna. Facit igitur omnia spiritus spiritualia, *tunc et ipse subjicietur Deo, subjicienti ei omnia:* evacuatis enim omnibus, requiescit activa potentia, et erit in ipso Deus secundum quod est esse, et secundum quod est quiescere: in aliis autem omnibus spiritualiter, secundum suam et potentiam et substantiam. Et hoc est (1 *Cor.* xv, 28), *ut sit in Deus omnia in omnibus:* non enim omnia in unoquoque, sed Deo existente in omnibus, et idco omnia erit Deus, quod omnia erunt Deo plena.

Digitized by Google

XL. Dicamus et alia (*Rom.* I, 16) : *Non enim erubesco Evangelium Dei.* Virtutem et potentiam Paulus dicit Christum Jesum, hoc enim Evangelium dicit et de isto (I *Cor.* I, 24) : *Christus* ergo *Dei et sapientia et virtus.* Quid deinde sapientia et virtus Dei? non ipse Deus? Non enim ut in corporibus, aut in corporalibus, aliud est oculus, aliud visio. Aut in igne, aliud ignis, aliud lumen ejus : eget enim oculus et ignis alterius alicujus, et oculus alterius luminis, ut sit ex ipso et in ipso; visio ignis et aeris, ut sit ex ipso lumen. Sed sicuti visionis potentia in se habet visionem tunc foris existentem, cum operatur potentia visionis, et generatur a potentia visionis visio, unigenita ea ipsa : nihil enim aliud ab ea gignitur, et ad potentiam visionis visio est, non intus solum, sed et intus in potentia, in actione magis foris, et ideo ad potentiam, quippe visio cum sit, ὁμοούσιον ergo visionis potentiæ visio, et unum totum. Et potentia quidem quiescit, visio autem in motu est : et per visionem omnia visibilia fiunt, et passiones circa visionem sunt, visionis potentia impassibili existente, et sine passione visionem generante. Sic igitur et virtus et sapientia Dei ipse Deus, est totum, quod simplex, et quod unum, et unius et ejusdem substantiæ, et simul ex æterno, et semper, et a patre, qui sui generator est existens. Sapientia igitur et virtus operationis, hanc enim virtutem nunc significat : conjunxit enim sapientiam et virtutem. Ergo horum potentia est Deus, et ideo pater, quod ab ipso ista : gignit enim ista in actionem et impassibiliter, quod ὁμοούσια sunt potentia et actio et Deus, et Dei virtus, et sapientia : quæ cum activa sunt, juxta ea quæ foris sunt curam habentia, ad Deum sunt, semper sapientiam dantia, semper vivificantia, non Deum, sed a Deo factam per semetipsa omnem creaturam : et si qua passio, in actione passio est. Isto modo sive λόγος est Jesus, sive lumen, sive refulgentia, sive forma, sive imago, sive virtus et sapientia, sive character, sive vita ὁμοούσιον apparebit Λόγος et Deus Pater, et Filius, Spiritus et Christus.

XLI. Adhuc inducamus eadem ipsa. Vitam dicentes Christum, quomodo ὁμοούσιος est Deo? Dicit Joannes (*Joan.* I, 3, 4) : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Et iterum (*Joan.* V, 26) : *Sicuti enim pater habet vitam in semetipso, sic et filio dedit vitam habere in semetipso :* Quid tam simul? Quid tam idem? Habet pater in se vitam : habet et filius in semet vitam. Quid est habere vitam in seipso? Ipsum sibi vitam esse, non ab alio accipere vitam, sed a seipso et aliis dare. Dicit aliquis similis substantiæ esse, non tamen ὁμοούσιον esse. Illud jam dictum, quoniam, simile substantia non dicitur : neque enim est juxta quod substantia est, magis autem si ejusdem substantiæ est, idem substantia dicitur, non simile, simile enim juxta qualitates, ut ignis substantia est, et aer secundum substantiam idem, ὕλη enim ambo : qualitatibus autem simile, aut dissimile, notione virtutum, et aliis simile. Dic et terra, et aqua gravitate et densitate, aut aliis talibus, in quibus et istud accidit, quæcumque sint similia, eadem esse dissimilia, alia et alia qualitate. Simile enim non idem, neque idem unum, sed idem geminum : unum et ista non substantia, sed numero unum. Nos nunc de substantia perquirimus, quæ in Deo, aut filio, aut ipsa est, aut eadem : aut modo quodam et ipsa et eadem. Quomodo ergo ipsa est adventante filio, et tanta faciente et in cœlo et in terra, et intrante in carnem? Quomodo Jesus filius, quod significat patrem, quomodo et tres sunt substantiæ, Deus, Λόγος, Spiritus sanctus : non enim oportet dicere, nec fas est dicere, unam esse substantiam, tres esse personas. Si enim ista ipsa substantia et egit omnia, et passa est, Patripassiani ergo et nos : absit. Quid igitur? eadem est, non ipsa : sed si istud, ante præexistente substantia duo, aut ab eadem scissione, aut amissione partis ejusdem ipsa facta est eadem : neque dimissione, neque diminutione filius natus est, sed perfectus pater, et semper perfectus, et semper pater : perfectus filius, et semper perfectus, et ex æterno et in æternum filius. Quomodo igitur eadem, in duobus enim quæ eadem? sed pater et filius unum, et qui pater, pater : et qui filius, filius. Et non idem pater et filius, nec idem filius pater ejus cujus filius est. Non ergo unum sunt : neque ipsa, neque eadem est substantia. Relinquitur ergo modo quodam esse et ipsam et eamdem. Non enim fas est dicere alterius esse substantiæ patrem et filium : quoniam quod sit ipsa dicemus, sive Deum et Λόγον dicemus, sive Deum et Dei virtutem et sapientiam. Sive quod est esse et vitam, sive quod est esse intelligere, aut intelligentiam, sive esse et vitam intelligere, sive patrem et filium, sive lumen et effulgentiam, sive Deum et characterem, sive Deum et formam et imaginem, sive substantiam et speciem, sicut ibi, non ut heic, sive substantiam et motionem, sive potentiam et actionem, sive silentium et effatum ipsum substantiam esse confitendum. Deum enim quod est esse dicentes filium vitam; quomodo separamus vitam ab eo quod est esse, sive in patre, sive in filio? Etenim pater in seipso habet vitam, et filius, excepto quod filius a patre accepit quod habet. Pater ergo et Filius a se orti, a se potentes ad vitam, sic mihi intellige habere dicere, quomodo Evangelium, *et pater enim habet in se vitam.* Habere ergo non quasi aliud sed ipsum est, sed in intellectu.

XLII. Ista diximus. Si igitur pater in semetipso habet vitam, vita est, et substantia ejus vita est, et sic filius. Dicit enim (*Joan.* XIV, 6) : *Ego sum vita* : pater ergo vita est, et filius vita. Omnis vita juxta quod vita est, motus est, vivificans quibus posse est vivificari. Et idcirco definitio animæ et vitæ ista est : quod a se movetur esse. Et ut substantia ejus istud dicitur, multo magis ergo ista in Deo et Λόγῳ. Quid ergo diximus? vita pater et substantia est, et se movens substantia, et nihil aliud se movens motio nisi vita ipsa, igitur et substantia, et vita. Sed quoniam in motu intelligentia quasi aliud adintelligitur, et non perfecte aliud. Ipsum autem vivere ad aliud

Digitized by Google

veluti mixtione in utroque alterius, juxta quod vita est, et motus est, unum est. Rursus juxta quod vita est, in ipsum aliud unum, et idcirco eadem substantia. Sed sive ipsa, sive eadem ὁμοούσιον necessario et simul est: quoniam duo simul sunt; etenim sine altero nunquam fuit alterum. Unum ergo et unum sunt ista. Hoc igitur quod est esse vitam, et per semet esse motionem, pater est: Hoc autem quod est motum esse, et per semet esse vitam, filius est. Causa enim motionis vita. Pater ergo et magis principalis vita, motionem requiescentem habens in abscondito, et intus se moventem: Filius autem in manifesto motio, et ideo filius, quoniam ab eo quod est intus processit. Magis autem motio existens, quod in manifesto. Isto modo et vita filius a patre vita, qui sic accipit vitam esse a præprincipali principio. Natum universale ab universali, tota ex tota, et idcirco dicit (*Joan.* VI, 58): *Vivens pater misit me, et ego vivo propter ipsum.* Si igitur generans in vita, et filius secundum motionem filium, secundum autem motum vitam esse, vitam filio dante patre in motionem, generationem et simul vitam, ipse autem in semetipso ὁμοούσιον; ergo pater et filius et unum est semper, et ex æterno natus est, et alter in altero, et inseparabilis separatio, et in patre filius, et in filio pater, et maxime filius actio, quoniam filius cum actione vita: Pater autem secundum id quod est esse, vita; et secundum quod est vitam esse, actio. Manet igitur pater, et impassibilis manet. Operatur filius, et in manifestationem ducit. Et Deus intus operatur, existente actione juxta potentiam. Et in patre, et in filio juxta actionem actio est.

XLIII. Ista hujusmodi oportet revocare ad illa omnia quæ præposuimus: sive Deus est λόγος, sive lumen et effulgentia, sive silentium et effatum, sive alia quibus unum et simul ea ὁμοούσιον apparet, et ingenita generatio. Ubi igitur habet locum quod simile est ὁμοούσιον, dicere? qua causa dicitur? Semper et mysterium totum hoc est: Unus Deus, et Pater, et Filius et Spiritus sanctus unus Deus. Simile ergo quomodo unus Deus? At ὁμοούσιον necessario unus Deus. Si enim velut non simul, necessario duo; si autem simile illud alterum, necessario alterum ὁμοούσιον; ergo necessario alterius substantiæ. Isti Ariani, isti Lucianistæ, isti Eusebiani, isti Illyriciani, sed abjicientes aliqua, auferentes aliqua et mutantes, omnes diversæ opinionis hæretici. Huc accedit, si ὁμοούσιον pater et filius, quomodo dicit Salvator (*Joan.* XIV, 6): *Ego sum veritas?* Si id quod dictum est verum est, filius cum sit veritas: minor pater, similis qui sit veritati, non veritas. Quanta blasphemia ista? Si autem veritas Deus, veritas filius, sicuti ipsi filius dicit, et vere dicit, ὁμοούσιον Deus est filius: non ergo duplex, sed una semper veritas, et valde foris, et deorsum valde, quod est simile veritati, quod forte in mundo existat similitudo veritatis, ubi et error, et corruptio, et omnis passio. Ipsum ergo veritatem esse, substantia est; non enim aliud substantia, aliud veritas: quod enim simplex, hoc veritas, simplex Deus, simplex filius, veritas Deus, veritas filius, et Deus et filius una veritas. Veritas enim in semetipsa veritas. Item si similis veritati est filius, id est, quod simile est ducit, quæ ducit? si autem veritas, in veritatem ducit. Sed enim Deum ducit, et Deus veritas, in veritatem ducit ergo. Sed impossibile, cum ipse veritas non sit, in veritatem ducere: veritas ergo et pater, et filius, sicuti et dicitur (*Joan.* VI, 37): *Quem mittit ad me Pater, iste ad me veniet.* Ex istis omnibus non solum concluditur, sed manifesta efficitur confessio, extra mutationem esse motum in Deo. Non enim localis neque cum passione generatio, aut corruptione, aut augmento, vel minutione, neque aliqua immutatione; est enim movere ibi, et moveri ipsum quod est esse simul et ipsum, et simplex, et intellectu, unum in uno, sicut in potentia, et actione. Semper quidem, ὁμοούσιον in eo quod est esse, secundum autem agere ab eo quod est esse, filius, et pater. Sed sicuti dictum est, et in filio pater, et in patre filius.

XLIV. Num timor ex isto nascitur, esse nos ista dicentes quasi Patripassianos? Multum differt serpentinum dogma a veritate. Illi enim Deum solum esse dicunt, quem nos patrem dicimus, ipsum solum existentem et effectorem omnium, et venisse non solum in mundum, sed et in carnem, et alia omnia, quæ nos filium fecisse dicimus. Si enim dicimus patrem, patrem: et filium, filium, unum et dicentes, et ideo λόγος, id quod unum, non solum unum dicentes, sed unum et unum. Aliud autem impassibile, unum aliud passum, quomodo ergo Patripassiani sumus? Deus enim nec procedit a semetipso, neque in manifesto actio est, neque velut in motione: quod intus motio veluti non est motio; λόγος autem qui sit in motionis potentia, magis motio et actio est, fertur potentia sua in effectionem eorum quæ sunt? quo enim λόγος, hoc causa est eorum quæ sunt: quo autem causa, hoc non in se manet semper, qui sit in eo quod est λόγος. Et secundum hoc est iste inversibilis et immutabilis, sed in iis quæ sunt juxta genera eorum: quæ sunt alius et alius, ipso quo universalis λόγος est, in patre manens idem ipse. Passiones igitur ubi? neque in patre, neque in filio, sed juxta quæ sunt genere suo non recipienda, virtutem totam τοῦ λόγου, quodlibet universalis: unoquoque existente, et illo distribuente suum proprium, ut Angelorum, Potentiarum, Thronorum, Dominationum, Potestatum, animarum, et sensibilium, et ipsius carnis. Passio igitur in istis, et juxta hæc non τοῦ λόγου, hoc est, filii. Secundum carnem ergo Salvator passus est, secundum spiritum autem quod erat, sine passione. Unde differt nostrum dogma a Patripassianis. Non enim filium esse passio est, sicuti dictum, nec facere aliquid nec loqui: divina enim potentia sine passione fiunt omnia, et ista magis sua, et substantialis, et divina motio est, non passio. Deinde de isto non fuerunt Patripassiani, sed de cruce: quod Pater crucifixus est dicentes sacrilegi: impassibili passionis implicantes, et non intelligentes, necessario aliquid impassibile esse, si est aliud quod patiatur. Nos tamen impassibilem et fi-

Digitized by Google

lium dicimus, juxta autem quod Λόγος caro factus est, passibilem. At vero miseratio, et ira, et gaudium, et tristitia, et alia hujusmodi ibi non sunt passiones, sed natura, et substantia. Si igitur spiritus benevolentia, ipse per se optimus, quibusdam in vitam, quibusdam in mortem est; non sua natura mutatus, sed patientium materia et voluntate, signaturam immutabilem divinitas pro accipientibus aut ut oportet, aut aliter affici dicitur, vel pati: quoniam a nostris sensibus quæ divina sunt æstimamus. In sensibilibus enim juxta quod animal est animal, hoc est, anima utens corpore, vel corpus animatum, juxta sensum pati dicitur: vere autem neque per semet solius animæ sunt passiones, multo magis spiritus Λόγου et Dei. Impassibilis enim divina natura est.

XLV. Discedant ergo Patripassiani, quoniam nos et patrem dicimus et filium, ipsum solum passibilem juxta motum in hyle. Discedant Ariani, quoniam nos naturæ filium dicimus, ante omnem creaturam genitum. Discedant et ἀπὸ τοῦ ὄντος dicentes Christum esse, quod a Deo factus sit, qui Deus ὢν est: nos enim filium dicimus naturam, et a patre ipsum esse, et in patre. Discedant Marcelli et Photini discipuli, ipsum enim Verbum dicimus in carne fuisse, non aliud Verbum esse, et aliud hominem, in quo Christum dicunt esse, sed ipsum Λόγον carnem induisse. Illi enim dicunt esse et Deum, et Λόγον, et Spiritum. Quartum autem filium, id est hominem, qui ex Maria, quem assumpsit Λόγος, et ut ministrum rexit cui homini dicunt, et sedem paratam esse. Exciderunt ergo a Trinitate. Si autem manet Trinitas sola, ipse homo et λόγος; quem λόγον, nos supra filium demonstravimus. Non autem hoc significat: et λόγος, caro factus est, corruptus λόγος in carnem conversus est, sed λόγος, per quem effecta sunt omnia, et omnia effectus, et caro factus est, ut in carne cum esset, totum hominem sua passione et morte juxta passiones corporis mercaretur. Si enim non erat ipse homo de Maria, quare exinanivit semelipsum? Et quid est (*Philipp.* II, 7) *formam servi accipiens?* et quid rursus est (*Joan.* I, 14), *et* Λόγος *caro factus est?* Discedant et Basilii, ὁμοούσιοι. Nos enim ὁμοούσιον dicimus, et veritate, et juxta Synodum in Nicæapoli. Sic enim et pater, et filius unum ambo, et semper, et simul ambo, et quoniam ὁμοούσιον. Quod autem ὁμοούσιον dicunt, et si confitentur filium a patre habere substantiam, sed aliud quidem dicunt, dicentes neque generatione filium, neque faciendo esse a Deo, sed compulsu istorum duorum, et generationis et faciendi, veluti lapidis et ferri, atque inde emitti flammam. Ista dicentes occulti Ariani sunt. Primum non generatione dicentes Dei filium esse, sed factura, quod dogma est Arii; factura enim est, quod a compulsu exilit, et ex nihilo est. Non enim a ferro aut lapide flamma, quod maxime Arius insanus sapit. Etsi collisio facta est, fuit quando non fuit: et si compulsum faciendi et generatione factus est filius, præexstitit factio et generatio antequam fuisset filius. Posteriora autem ista. Quomodo ergo compulsio? Et hoc Arii: deinde quomodo ista collisio? et quorum et in quo? Numquid voluntatum in Deo concursio? Numquid passionum aut differentiarum, maxime contrariarum motionum? Et si istud passus est pater, qui est sine passione, et non ex sua substantia apparuit ei filius: collisione enim duarum aut voluntatum, aut passionum, nec voluntas facta est, nec passio, multo magis nec substantia a substantia paterna, sed extra quædam substantia, quæ ex nihilo existeret de λόγῳ ad patrem. Suspicari ista, impia blasphemia.

XLVI. Diximus de ὁμοούσιον, et sufficienter diximus: hoc enim nobis propositum. Quomodo autem si ὁμοούσιον, filius, et semper cum patre est, et procedit, et descendit, et ascendit, et mittitur, et facit quæ voluntatis sunt patris, et quomodo imago cum sit Dei, in dextera sedeat Dei, et quid sit dextera, et quid sedere, et quid est per quem facta sunt omnia, et quomodo omnia, et quid est quod nihil factum est sine ipso, et quomodo et ipse voluntatem habet, et quæ facit, voluntate patris facit, et quomodo perfectus, et a perfecto patre ut imperfectus et corpus accepit, et nunc corpus fert, et si sanctum spiritale, et simile eorum hominum, qui post sancti erunt, et quomodo semperque qui moveatur, et a se genitus potentia quidem patris: ista enim omnia ὁμοούσιον, definiunt. Si quis dignus sit intelligere, et in isto libro inveniet Fidem sic esse, et permittente Deo, et Jesu Christo Domino nostro, et Spiritu sancto dicimus, ne quis blasphemiter intelligens meum dogma dixerit, omnia enim a sancta scriptura et dicuntur, et sunt. Dicemus maxime illud, e quo gignuntur multæ hæreses, quod Evangelia, et Apostolus, et omnis vetus Scriptura de Deo quidem dicit omnia, et de Jesu Christo, hoc est de λόγῳ incarnato, hic enim mysterium salutis nostræ egit, hic nos liberos fecit, redemit: in istum credimus secundum crucem, et juxta resurrectionem a mortuis Salvatorem nostrum, idcirco Paulus dicit: *Non enim judicavi quidquam scire in vobis nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2).

XLVII. Confitemur igitur Deum patrem omnipotentem, confitemur filium unigenitum Jesum Christum, Deum de Deo lumen verum de vero lumine, formam Dei, qui habet substantiam de Dei substantia, naturam, generationem, filium simul cum patre consubstantiatum quod Græci ὁμοούσιον appellant, primogenitum ante constitutionem mundi, et primogenitum ante omnem creaturam, hoc est, et ante substantiam veniendi, et generationis, et revivendi, primogenitum a mortuis λόγον, qui sit omnium universalis λόγος, λόγον autem ad Deum, λόγον in postremis temporibus incarnatum, et cruce vincentem mortem et omne peccatum, Salvatorem nostrum, judicem omnium, semper cum patre substantialem et ὁμοούσιον, potentiam activam a patria potentia, et generantem, et facientem omnia, et substantiam

Digitized by Google

existendi omnium, et generationem, et reviviscentiam : quoniam vita est æterna, et Dei virtus, et sapientia : ipsum inversibilem, immutabilem (*al.* mutabilem) juxta quod λόγος est, et quod semper λόγος est : juxta autem quod est creare omnia, et maxime juxta inhyle actionem impassibiliter patientem. Ut fons aquarum immutabilis, impassibilis, extra omnem motionem, cum fluit, et in flumen advenit, juxta alveum et genera et qualitates terræ creditur pati, semper servans potentiam aquæ suam, et sicuti flumen irrigat terram, nullam diminutionem sentiens, ad hoc quod est esse aquam; sic Christus ille est fluvius, de quo Propheta dicit : *Qui irrigat, et infundit totam terram* (*Gen.* II, 6) : sed Christus totus omne irrigat, et visibilia et invisibilia, flumine vitæ omnium eorum quæ sunt substantia irrigat. In quo autem vita, est Christus : in quo rigat Spiritus sanctus, in quo potentia est vitalitatis, Pater et Deus : totum autem unus Deus. Confitemur ergo et Spiritum sanctum ex Deo Patre omnia habentem, τῷ Λόγῳ, hoc est, Jesu Christo tradente illi omnia, quæ Christus habet a Patre. Et isto hujusmodi modo simul confitemur esse hæc tria, ex isto quod unum, et unum Deum, ὁμοούσια ista, et semper simul et patrem, et filium, et Spiritum sanctum ineffabili potentia, et ineloquibili generatione filium Dei, Jesum Christum, Λόγος qui sit, et Deum, et imaginem, et formam, et characterem, et refulgentiam patris, et virtutem, et sapientiam Dei, per quæ appareat et declaratur Deus in potentia omnium, et existens, et manens, et agens omnia secundum actionem filii, id est, Jesu Christi, quem incarnatum, et crucifixum, et resurgentem a mortuis et ascendentem in cœlos, et sedentem ad dexteram Patris, et judicem futurum venire viventium et mortuorum, Patrem omnis creaturæ et Salvatorem, et voce, et toto corde confitemur semper, ἀμήν. Gratia et pax a Deo patre, et filio ejus Jesu Christo Domino nostro, sic ista confitenti in omnia sæcula sæculorum.

XLVIII. Spiritus, λόγος, νοῦς, sapientia, substantia, utrum idem omnia, an altera a se invicem? Et si idem, communione quadam, an universitate? Si communione quadam, quid primum, quid ex alio, et qua communione? si universitate et ista, et quæ differentia, et quæ communio? si a se invicem altera omnimodo, altera in alia ut subjectum, alia ut accidens : an juxta alium alterum modum? Si igitur omnimodis altera, et ἑτερόνυμα, et alterius substantiæ. Sed nihil omnimodis alterius substantiæ : eorum enim quæ sunt ὄν genus, et magis genus in eo quod est esse. Sed quoniam esse dupliciter, et ipsum τὸ ὄν dupliciter, est enim vere esse, est et solum esse. Si igitur τὸ ὄν, vere ὄν et solum ὄν ad omnia ὄντα, et solum ὄν ad solum ὄντα, sive συνωνύμως, sive ὁμωνύμως dicuntur, non omnimodis altera sunt : participatione igitur cujusdam communionis omnia quæ sunt, ad altera sunt. Etenim quod τῷ ὄντι est, hoc quod non ὄν est, opponitur, quasi contrarium secundum privationem nulla participatione ad se invicem; ergo nec alterum. Si igitur quæ sunt, etiam differentia sint et altera, quadam tamen communione eadem sunt, et secundum istum modum et eadem altera sunt; et istud duobus modis sive altera in identitate, sive eadem in alteritate; sed si eadem in alteritate, magis in alteritatem vergunt : si autem altera in identitate, maxime identitas apparet. Quid igitur istis concinat hinc perspiciendum.

XLIX. De Deo et λόγῳ, hoc est, de patre et filio Dei permissu sufficienter dictum, quoniam unum quæ duo. Dictum et de λόγῳ, hoc est de filio et de Spiritu sancto, quod in uno. Si igitur quæ duo, unum, et in uno duo; illud unum in quo sunt duo, quoniam cum illo est, et ex æterno cum ipso semper : quæ simul sunt sibi invicem eadem, duo unum sunt; necesse est igitur ista idem esse. Quomodo istud sit : Audi, ut dico. Ante omnia quæ vere sunt, unum fuit sive ipsum unum, antequam sit ei esse unum. Illud enim unum oportet dicere et intelligere, quod unam imaginationem alteritatis habet, unum solum, unum simplex; unum per concessionem, unum ante omnem existentiam, ante omnem existentialitatem, et maxime ante omnia inferiora, ante ipsum ὄν, hoc enim unum ante ὄν. Ante omnem igitur essentitatem, substantiam, subsistentiam, et adhuc omnia quæ potentiora unum, sine existentia, sine substantia, sine intelligentia. Supra enim hæc, immensum, invisibile, indiscernibile universaliter, et his quæ in ipso, et his quæ post ipsum, etiam quæ ex ipso. Soli autem sibi et discernibile, et definitum ipsa sua existentia, non actum, ut non quiddam alterum sit ab ipso consistentia, et cognoscentia sui impartile undique, sine figura, sine qualitate, neque inqualitate; sine qualitate quale, sine colore, sine specie, sine forma, omnibus formis carens. Neque quod sit ipsa forma qua formantur omnia, et universalium et partilium omnium quæ sunt. Prima causa omnium principiorum, principium omnium intelligentiarum, præintelligentia omnium potentiarum, fortitudo ipsa motione celebrior, ipso statu stabilior. Motione enim ineloquibili status est, statu autem ineffabili superelativa motio est. Continuatione omni densior, distantia universa altior, definitior universo corpore, et major omni magnitudine, omni incorporali purior, omni intelligentia et corpore penetrabilior, omnium potentissimus, potentia potentiarum, omni genere, omni potentia, omni specie majus, totum vero quæ sunt omnia ipsum existens omni toto majus, corporali, et incorporali, omni parte magis pars inenarrabili potentia, pura, existens præ omnibus, quæ vere sunt.

L. Hic est Deus, hic Pater, præintelligentia, præexistens et præexistentia, beatitudinem suam et immobili motione semetipsum custodiens, et propter istud non indigens aliorum, perfectus super perfectos, tripotens in unalitate, spiritus perfectus et supra spiritum. Non enim spirat, sed tantum spiritus est in eo,

Digitized by Google

quod est ei esse, spiritus spirans in semetipsum, ut sit spiritus; quoniam est spiritus inseparabilis a semetipso, ipse sibi et locus, et habitator in semetipso manens, solus in solo, ubique existens, et nusquam simplicitate, unus qui sit, tres potentias couniens existentiam omnem, vitam omnem et beatitudinem. Sed ista omnia et unum, et simplex unum, et maxime in potentia ejus quod est esse, hoc est existentiæ potentia, vitæ et beatitudinis quod enim est et existit potentia, quæ sit existentiæ, ac potentia est vitæ et beatitudinis ipsa per semetipsam, et ideo et λόγος sui ipsius, et vivere, et agens, habens secundum ipsam suimetipsius inexistentem existentiam, indiscernibilis spiritus counitio, divinitas, substantialitas, beatitudo, intelligentialitas, vitalitas, optimitas, et universaliter omnimodis omnia, pure ingenitum προὸν, unalitas counitionis nulla counitioni. Isto igitur uno existente, unum proinde exiliit unum, in substantia unum, in motu unum, et motus enim existentia, quoniam existentia motus. Istud igitur unum existentialiter unum, sed non ut Pater inexistentialiter unum, qui est secundum potentiam existentialiter unum. Habet enim potentiam, et magis habet quod ei futurum est secundum operationem esse, et secundum veritatem non habet, sed est; quoniam potentia, coactio actuosa sit omnia, est sine molestia, et vere omnimodis non egens, quæ sit ab hoc ut sit omnia potentia: etenim qua potens nata actio eget, agens ipsa unalitas.

LI. Igitur ista secundum istud quod esse dicimus unum, unum vita est, quæ sit motio infinita, effectrix aliorum, vel eorum quæ vere sunt, vel eorum quæ sunt, existens λόγος, ad id quod est esse quæ sunt, omnia a sesemet movens semper in motu, in semetipsa habens motum, magis autem ipsa motus est: sic enim Scriptura divina dicit: *Quod dedit ipse pater Deus in ipso esse vitam esse* (*Joan.* v, 26). Iste filius est λόγος, qui est ad Deum, iste per quem facta sunt omnia, iste filius et filietas tota paternitatis totius semper qui sit et filius, et ex æterno: filius autem et semet mota motione, potentia enim progrediente, et veluti immobili præexistentia, et non mota juxta quod potentia fuit. Ista motio nusquam requiescit et a semetipsa exurgens, et in omne genus motus festinans: quippe vita quæ sit infinita, et ipsa in vivificatione veluti foris apparuit. Necessario igitur vita nata est, vita autem filius, vita motio, a vitali præexistentia vita, existentia in constitutione, et apparentia omnium totorum, quæ juxta potentiam pater est, ut ab eorum quæ vere sunt intelligentia præintelligentia apparet. Ista igitur existentia est totius existentiæ vita, et juxta quod vita motus quasi fœmineam sortita est potentiam, hoc quod concupivit vivificare. Sed quoniam sicut demonstratum, ista motio una cum sit, et vita est sapientia, tota conversa in sapientiam, et magis in existentiam patriam, magis aut retro motæ motionis in patriam potentiam, et ab ipso vivificata vita recurrens in patrem, vir effecta, descensio enim vita, ascensio sapientia. Spiritus autem et ista. Spiritus igitur utraque: in uno duo, et sicut existente vita prima existentia, necessitas fuit in virginalem potentiam subintrare, et masculari virginis partu virum generari filium Dei. In prima enim motione, primam dico in apparentium venientem, veluti defecit a potentia patris, et in cupiditate insita vivefaciendi, intus quidem existens vita, motione autem foris existens in semetipsam recurrit: rursus in semetipsam conversa venit in suam patriam existentiam, virtute effecta et perfecta (*al.* per facta in omnipotentem virtutem effectus est perfectus spiritus, nutu in superiora converso, hoc est intro. Sic secundum typum oportuit ordinem esse, et cum est in corpore spiritus, hoc est, filio Christo, et quasi diminutionem pati, et a Virgine nasci, et ipsa veluti diminutione sua patria virtute, hoc est, existentia diviniore et prima resurgere et renovari, et reverti in patrem, hoc est, in existentiam et potentiam patriam.

LII. Quomodo istud est, adhuc audeo dicere, ut nostra incidentia plurima expositione manifesta sit. Ponamus intelligentiam: secundum istum modum Deus potentia est istarum trium potentiarum existentiæ, vitæ beatitudinis, hoc est, ejus quod est esse, quod vivere, quod intelligere. Quod autem in unoquoque istorum tria, manifestum et quod est esse primum, et secundum quod est esse secundum ipsum vivere et intelligere, sine ulla unitione, sed simpliciter simplicitas et istud manifestum sicuti demonstratum, illud et tale quod est esse, Deum esse manifeste, sicuti demonstratum; potentia potens præstandi quod esse omnibus, non ab eo quod esse ut partem dans et paternam et effectricem potentiæ unicuique quod est esse ei proprium consistens: hoc autem per ministrantem λόγον, hoc est per vitam quæ omnibus præstat vivere, et tunc subsistit, aliquis accipiens quod est esse secundum quod est vitam accipere. Si igitur esse Dei, non ab eo quod sibi esse omnibus præstat, sed ministrante hoc quod est vitam esse; ipsum autem vitam esse in eo est quod est Dei, esse unum et idem est quiescenti, quod est esse patri, cum eo quod est esse vitæ secundum identitatem, motus est ex sua potentia a patria potentia dependens. Et quoniam omnis potentia naturalis est voluntas, voluit vitam movere semetipsam, insita juxta substantiam motione impassibiliter, erecte in id quod est. Naturalis enim voluntas, non passio. Secundum igitur quod est esse Dei, in quo potentia existentiæ est, substantialitas patria, secundum potentiam, secundum istud esse ipsum et vita est. Si ergo movit vita semetipsam, motio autem voluntas, patria ergo motio, et patria voluntas, quoniam patria potentia vita. Sed si secundum quod est esse vita, motio est, propria ergo motio vitæ est. Sed quoniam motio aliunde ad aliud fertur, veluti ab eo quod est intus foras, quod vita et potentia est, et natura, et

Digitized by Google

voluntas : et maxime istud existentia ipsius, ideo effulgentia dicitur esse vel progressio, aut elevati spiritus manifestatio, operatrix in vivefaciendo id quod omne totum est essentitatis. Intus igitur existentis vitæ, juxta quod est motionem esse ipsam vitam, proles ejus quod est patrem esse vita est : secundum quod motio est. Sed quoniam motio juxta quod motio est, nullam elationem habens, ab eo quod est intus progressa foras est, sicut sensus ab eo qui νοῦς est, potentiam fontanam et universalem accipiens, juxta motionem et intus et foris est : motio enim νοῦς est, sic et vita juxta quod motio est, filius est factus manifesta motio a motione patria, quæ in occulto est, quæ secundum primam potentiam existentia est. Rursus vita secundum quod motio est, procedens a patria motione, et intus et foris est : sed enim vita motio est : vita igitur et intus et foris est, vivit igitur Deus, vivit ipsa vita, ergo et Deus et vita unum. Igitur ista duo et in unoquoque, et alterum et idem : in filio igitur pater, et in patre filius.

LIII. Exclamat igitur veritas, quod ὁμοούσια ista secundum identitatem counita alteritate. Rursus si pater vita, et filius vita, quoniam filius vita cum sit secundum quod motus est, et intus et foris est, vivit Deus, vivit filius, et foris vivunt omnia ubique filio existente. Et quoniam in filio pater, ubique et pater. Rursus item quoniam in filio pater : cum videritis filium, et intellexeritis, videbitis et intelligetis patrem. *Si quis me videt, videt et patrem :* propter hoc enim dictum est. Quoniam filius forma est patris : non autem nunc forma esse foris extra substantiam intelligitur, neque ut in nobis adjacens substantiæ facies ; sed substantia quædam subsistens, in qua apparet et demonstratur quod occultum et velatum est in alio. Deus autem ut velatum quiddam est : nemo enim videt Deum : forma igitur filius, in quo videtur Deus. Si enim existentia Deus, potentia, substantia, motus, et vita in occulto Deus velut sine forma. Ergo si manifesta vita, et manifesta juxta motus potentiam, vita juxta motum in occulto, in apparentia, in existente motione intelligitur, pronuntiatur, videtur. Adhuc sic quod est esse, pater : quod autem vita, filius, cum sit impossibile id quod est esse comprehendere : in occulto enim illud est, vita autem juxta quod vita est, jam et illud est esse : in vita igitur apparet quod est esse, igitur vita ejus quod est esse. Sed enim pater Deus quod est esse, filius autem vita, filius ergo vita patris Dei forma est, in qua speculatur potentia patria. Credendum igitur in filium Dei, ut vita in nobis fiat, quæ est et vera, et æterna vita. Si enim habebimus fidem in Christum Nazarenum, incarnatum de Maria, in filium Dei idem habebimus, qui fuit et effectus est Spiritus incarnatus. Quomodo istud audivi, dico.

LIV. Sed oportet prius videre, quomodo alia cui attribuentur patri, an filio ? Dico autem Spiritum, λόγον, νοῦν, sanctum Spiritum, sapientiam, substantiam, primum pater et filius idem, filius autem et sanctus Spiritus idem : existentia igitur et vita idem ; ergo existentia et beatitudo idem : rursus esse et vita idem, et vita et intelligere idem. Dictum de istis est in libro qui ante istum, et in aliis, quoniam in uno tria, et idcirco eadem tria : συνώνυμα ἄρα τὰ τρία, secundum nomen quod obtinet unumquidque istorum potentiam suam. Etenim quod est esse, et vita et intelligentia : sic et aliud ad alia ; eadem igitur et συνώνυμα, eadem congenerata, igitur et consubstantialia ista. Sed quasi apparet alteritas quædam in istis, et maxime, idcirco eadem non ipsa ; quædam enim sua potentia in occulto, et manifesta alia et sunt et intelliguntur, existentia autem in eadem potentia simul potentia et consubstantialia sunt, et in istis solis inest unum esse eadem, aliis vero ab istis in identitate altera esse et eadem.

LV. Nunc autem perspiciendum quid significent alia nomina in primis posita. Dico autem spiritus, λόγος, νοῦς, sanctus Spiritus, sapientia, substantia. Spiritus substantiæ nomen est vel existentiæ, quod quidem esse significat, et in eo quod quid est et appellatur et intelligitur. Si voles nosse quid est Deus, Spiritus ejus quod sit esse significat : ergo Deus et Spiritus quod est esse significat. Rursus quid est vita? quod Spiritus. Spiritus ergo et vita quod est esse significat : sic et Spiritus sanctus quod est esse secundum istud ipsum nomen significat, cum differentia duorum primorum uno nomine nominatorum. Quæ differentia substantialis cum sit, quod est significat. Ex iis jam apparet, quoniam substantia unoquoque existente quod est esse significat. In istis tribus igitur Spiritus substantia, ὁμοούσια ergo. Quoniam Spiritus non diviso Spiritu : quippe unus cum sit in tribus, sed naturæ, potentiæ et actionis una cum sit existentia patria, et ipsi quod est esse habenti tria sese generantia substantia sunt omnipotentia : neque igitur præextitit existentia. Pater enim suæ ipsius substantiæ generator, et aliorum secundum verticem fontana est existentia : neque scissa est ipsa existentia : et existentia, et potentia in eo quod est esse, in unoquoque istorum trium juxta majestatem omnem et omnipotentiam, et omnibus modis perfectionem, quæ semet generat, ipsam se substituentem a sese moventem, se semper moventem, consubstantialem, simul potentem ipsum hoc quod sic est esse, et ipsum quod est esse patre dante. Dicit Salvator : *Omnia quæ habet pater mea sunt, et idcirco dixi : ex meo accipiet* (*Joan.* XVI, 15); *non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audit, loquetur* (*Ib.*, 13). Sanctus igitur Spiritus si loquitur, a filio loquitur ; ipse autem a patre. Vox igitur, et λόγος, et Verbum, isti tres, propter quod unum tres. Sed pater quidem in silentio loquitur, filius in manifesto, et in locutione sanctus Spiritus non in manifesto loquitur, sed quæ loquitur spiritualiter loquitur.

LVI. Ista igitur tria vera lumina, magis autem unum lumen, verum unus λόγος, una vox, unum Verbum, hoc est, una potentia activa, consonat, antequam faciet esse quiddam. Animæ autem quod alia substantia sit, manifestum : Facta enim a tripotenti Spiritu, ne-

Digitized by Google

que pure vox, neque verbum, sed sicut ἠχὼ audit ut loquatur, imago magis vocis quam vox. Et hoc est Joannis *vox exclamantis in deserto* : *Dirigite viam Domini* (*Mat.* III, 3) : anima enim in deserto, hoc est in mundo exclamat, quoniam sit Dominum Deum et vult mundari, ut Domino fruatur Deo; et ista dicit testimonium de Deo, et præmissa est in mundum ad testimonium testimonii : testimonium enim Dei Jesus Christus, Filius ergo Dei, filius Joannes Domini. Etenim Joannes *non erat lumen, sed venit ut testimonium diceret de lumine* (*Joan.* I, 8). Verbum igitur, et vox filius est, ipse vita, ipse λόγος, ipse motus, ipse νοῦς, ipse sapientia, ipse existentia, et substantia prima, ipse actio potentialis, ipse ὄν, primum vero, ὄν ex quo omnia ὄντα, et per quem et in quo : qui est medius in Angelo Trinitatis, patrem declarat præexistentem, et complet sanctum Spiritum in perfectionem : ut enim dicit Paulus beatus : *Evangelium virtus est Dei et sapientia* (*Rom.*, I, 16) : per virtutem Filium significans, quod omnia per ipsum; verbo enim virtutis fient omnia, et sancti Spiritus sapientia perfecta fiunt omnia. Si igitur Deus ista, simul ista tria. Quoniam autem unum duo, omnia simul existunt in cognitione simul exi tente vita in patre, in qua est sanctus et Spiritus secundum existentiam, quoniam tria unum erant, et semper sunt. Si igitur æterna vita filius elucescentia est prææternæ vitæ, ipse autem vita cognoscentia perfecta et æterna vita : tunc enim perfecta cum cognoverit et quæ, et cujus sit, quoniam et semetipsa et jussione patris : tunc enim in semet existens, non fit infinita, salvans et salvata a semetipsa, necesse est intelligere et dicere : quod potentia Dei in ipsa est, hoc est pater in filio, ipsa autem per semetipsam infinita fuit. Et hoc significat : *et λόγος caro factus est* (*Joan.* I, 14). Infinito enim motu in inferiora vita descendit, et vivefecit corruptionem, cujus causa universalis λόγος et potentia vitæ caro factus est, ut dixit angelus : *Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Natus est igitur Jesus Christus secundum carnem de Maria, et ex sancto Spiritu, virtute Altissimi.

LVII. Omnia igitur Christus Dominus noster, caro sanctus Spiritus, Altissimi virtus, λόγος. Ipse implevit mysterium, ut omnis vita cum carne ad impleta lumine æterno recurrat ab omni corruptione in cœlos. Neque igitur solum caro, neque solum sanctus Spiritus, neque solum Spiritus, nec λόγος solum, sed simul omnia Dominus noster Jesus. Sanctus ergo Spiritus omnis beatitudo in prima ingenita generatione, quæ sola generatio est et dicitur, ipse pater, ipse filius fuit. Spiritu enim moto a semetipso, hoc est vitæ perfectæ in motione existentis, volentis videre semetipsam, hoc est potentiam suam, patrem scilicet, facta est ipsa manifestatio sui, quæ generatio est et dicitur, et juxta hoc foris existens. Omnis enim cognoscentia, secundum quod cognoscentia est, foris est ab illo quod cupit cognoscere. Foris autem dico, sicut in inspectione secundum quod est videre semetipsam : quod est scire vel videre potentiam illam præexistentem in patriam. In isto igitur sine intellectu temporis tempore, ab eo quod erat esse veluti egrediens in inspiciendum ipsum quod erat quoniam ibi omnis motus substantia est alteritas nata, cito in identitatem revenit. Non enim secundum dorsum effulgentia, sed sicuti lumina, aut vultus se intuentes visione in se invicem, id ipsum unum eodem modo et perfectum substitit. Lumina autem undique ut vultus se aspicientes sunt, et dorsum non habent, et mystice dicitur Deus, secundum dorsum videtur : nulla igitur diminutione totum semper unum mansit, maxime potentificata cognitione potentia patria. Sanctus igitur Spiritus motus primus intus, quæ sit excogitatio patria, hoc est sui ipsius cognoscentia : præcognoscentiam enim cognoscentia præcedit. Juxta istum ergo cognoscentiæ modum naturalem foris effectam intelligentiam natus est filius, vita factus : non quod, non fuerit vita, sed quoniam foris vita magis vita, in motu enim vita. Ille est λόγος qui vocatur Jesus Christus, per quem effecta sunt omnia, semen omnium ad id ut sint, quippe vita qua sine, impossibile est esse aliquid in iis quæ sunt, et in iis quæ non sunt, quæ consecutiones sunt.

LVIII. Quoniam autem diximus unam motionem et eamdem, et λόγον et sanctum Spiritum, λόγον in eo quod vita est : sanctum Spiritum quod est esse cognoscentiam, et intelligentiam esse : Quoniam quæ diximus id ipsum esse vitam et cognoscentiam : et quoniam diximus motam in prima motione intelligentiam : Iste enim ordo naturalis et divinus potentia cum sit, necesse fuit intelligentiam ad suimet ipsius cognoscentiam moveri. Natus est filius, λόγος qui sit, hoc est vita virtute patria, generante intelligentia, hoc est quod esse omnium quæ sunt, veluti æternum fontem. Non falletur ergo, si quis subintellexerit sanctum Spiritum matrem esse Jesu, et supra et deorsum, supra quidem ut dictum, deorsum autem isto modo : necesse fuit liberationis gratia omne divinum, hoc est seminarium spirituum omnium universaliter existentium, et id quod est esse primum, hoc est universalem λόγον, ab inferiore hyle et corruptione omni incarnari, in mortificationem omnis corruptionis et peccati : tenebræ enim et ignoratio animæ direptæ ab hylicis potentiis egerunt lumine æterno in auxilium ut λόγος animæ, et λόγος, carnis mysterio mortis detrusa corruptione in reviviscentiam, et animas, et carnes per sanctum Spiritum administratorem ad divinas et vivefacientes intelligentias erigerent cognoscentia, fide, amore. Respondit igitur angelus Mariæ et dixit illi : *Spiritus sanctus adveniet in te, et virtus Altissimi inumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Hæc duo in motu, quæ sunt λόγος et sanctus Spiritus, ad id ut gravida esset Maria, ut ædificaretur caro a carne, Dei templum et domicilium advenerunt : sanctus quidem Spiritus potentia in motu, generationis enim principium motus; virtus autem altissimi ipse λόγος est : *Virtus enim et sapientia Dei λόγος Jesus* (I *Cor.* I, 24). Sed de λόγῳ, hoc est de filio, *obumbrabit tibi*, dixit. Perfectum enim, divinum

Digitized by Google

et splendide ut est clarum non capit humana natura. Et hoc significat : *Et λόγος caro factus est* (*Joan.* I, 14). Magis autem obumbrationem significat, quod dictum est : *Exinanivit semetipsum* (*Philipp.* II, 7).

LIX. Habemus ergo secundum ordinem præmissa Dei et Patrem, et Filium ὁμοούσιον, et ὁμοούσια secundum identitatem in substantia. Una enim substantia Spiritus, is ipsum esse est. Ipsum esse autem et vita et intelligere est. Ista tria, in singulis quibusque, et ideo una divinitas, et unum ; quod omne unus Deus, quia unum Pater, Filius sanctus Spiritus : secundum potentiam et actionem solum apparente alteritate. Quod Deus in potentia, et in occulto motu movet et imperat omnia, ut in silentio; λόγος autem Filius, qui est Spiritus sanctus, et voce confabulatur ad generanda omnia secundum vitam, et secundum intelligentiam substituentia, ad id quod est esse omnibus. Ex iis apparet, λογος ipse et Spiritus sanctus νοῦς et sapientia : id ipsum etenim et Paulus dixit divine : *Quis cognovit* νοῦν *Domini?* (*Rom.* XI, 34). Et rursus de ipso : *Virtus et sapientia Dei* (I *Cor.* I, 24). Salomon etiam sapientiam de ipso dicit, et multa nomina in Filium revocantur, et ipsum et substantiam dicit Paulus ad Hebræos : *imago substantiæ ejus* (*Heb.* I, 3). Et item consubstantialem populum dixit et Jeremias : *quia quis stetit in substantia mea, et vidit Verbum meum* (*Jer.* XXIII, 18, *sec.* LXX). Et rursus : *Si stetissent in substantia mea, et audissent verba mea* (*Ibid.* 22). Et Evangelium secundum Matthæum : *Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11). In parabola Lucas : *Dixit junior de filiis patri : Da mihi congruam partem substantiæ* (*Luc.* XV, 12). Et rursus : *Ibi dissipavit substantiam suam* (*Ibid.* 13). Quod enim inde descendit, potentias suas non tenuit. Ista animæ sunt, sed dixi istud adversum negantes οὐσίας nomen positum esse in sacris Scripturis. Accedit autem, quod animam, hoc est hominem Deus fecit ad imaginem et similitudinem suam.

LX. Quid vero ista significent, audi ut dico : Summus νοῦν, et sapientia perfecta, hoc est λόγος universalis, idem ipsum enim in æterno motu, circularis motus erat a σημείῳ primo et in summo vertice circularis existens juxta ipsum σημεῖον, cyclica causa inseparabiliter conversa, ut a Patre, et in Patrem, cum Patre existens incedens, simul existens, et in Patre erat Filius, et in Filio Pater. Prima substantia, et in substantia jam substantia, spiritalis substantia secundum νοῦν, generatrix et effectrix substantia, præprincipium universæ intelligibilis, et intellectualis et animæ, et hylicæ universæ substantiæ in hyle. Si igitur prima motio, vita, inquam, et intelligentia : ista enim illud perfectum unum et solum. Non solum circularis motio ista, sed sphærica, et magis sphæra, et vere omnimodis perfecta sphæra. Si enim esse et vivere et intelligere, et si vita ipsum esse est et intelligentia, et summitates, et medium est in unoquoque, sic et intelligentia : unum igitur istorum tria sunt in se circulata et participantia invicem sibi. Magis autem simul existentia sine aliquo intervallo, sphæra est et prima, et perfecta, et ipsa sola sphæra : at vero alia juxta similitudinem sphæricam magis. Ex ista ratione necessario, et σημεῖον, potentia est, et γραμμὴ et γραμμὴν operans σημεῖον est : et a semetipso exiens, et exiens non semper, in mansione, et in motu simul, semper simul, κύκλῳ semet circulans undique sphæram esse Deo ubique existente. Quippe cum sit σημεῖον a quo, et in quod omnis motio conversione reducitur, hic est Deus λόγος totus, νοῦς totus, totus sapientia, omnipotens substantia, substantia quem veremur, quem colimus, solo Spiritu videntes, ipsius nutu et voluntate in ipsum erecti gratia crucis miserante nos Domino nostro Jesu Christo : ἀμήν.

LXI. Erecta motione cyclica rectam dico, quod a σημείου in σημεῖον, hoc est a Patre in Patrem in apparentia istius motionis et divinitatis universæ, et τὸν λόγον, et Filii existit jussione Dei imago juxta imaginem et similitudinem Dei imago imaginis, hoc est Filii : imago enim Patris Filius, ut demonstratum est : hoc autem est, quoniam Filius vita est, imago igitur vitæ anima effecta est, anima autem cum suo νῷ, ab eo qui νοῦς est, potentia vitæ intellectualis est, non νοῦς est, ad νοῦν quidem respiciens quasi νοῦς est : visio enim ibi unitio est, vergens autem deorsum, et aversa a νῷ, et se et suum νοῦν trahit deorsum. Intelligens tantum effecta, non jam ut intelligibile, sed si sic perseveraverit, eorum quæ super cœlum sunt mater est, lumen, non verum lumen, et quidem cum suo proprio νῷ lumen. Si vero in inferiora respicit, cum sit petulans, potentia vivificandi fit, vivere quæ faciet in mundum, et ea quæ in mundo usque ad lapidem lapidum more, ipsa etiam cum νῷ facta. Etenim cum quidem, λόγος sit anima, non λόγος : cumque in medium spirituum, et intelligibilium, et τῆς ὕλης proprio νῷ ad utraque conversa, aut divina fit, aut incorporatur : ad intelligentiam etenim suæ licentiæ est, et privatione veri luminis propter scintillam tenuem proprii τοῦ νοῦ rursum vocatur ; quoniam quidem solum est, tenebrata autem deorsum dicitur. Etenim summitates τῆς ὕλης puriores animandi vim habentes, causa sunt lumini velut in sua descenderet. Quare enim dictum est : et ista discerni, dicit aliquis, si talis est anima. Quomodo dictum est : *Faciamus hominem juxta imaginem et similitudinem nostram?* (*Gen.* I, 26.)

LXII. Inspiciendum prius quid est homo, denique quid imago, et quid differt imago a similitudine, et quomodo homo juxta imaginem et similitudinem, non imago ac similitudo effectus sit : et quid est, *ad nostram?* Dualiter enim homo, quod est in consuetudine, ex corpore et anima intelligitur. Quidam putant ex corpore et anima triplici : quidam autem ex corpore et anima tres potentias habente. Quidam rursus dicunt ex corpore et νῷ partili, et anima et spiritu, quo consistit fluens corpus. Adhuc qui iam de corpore quadripotenti quatuor elementorum et anima duplici, et duplici τῷ νῷ. Mea intelligentia

Digitized by Google

hæc : Corpus enim, sicut demonstratum : accepit enim pulverem Deus et plasmavit Adam, hoc est, fabricata jam terra, summitates terræ et florem habemus principia corporis. Geminum etiam νοῦν, geminam animam declarat Evangelium κατὰ Ματθαῖον et Λουκᾶν : sic enim dicunt : *Sic erit et præsentia filii hominis. Tunc duo erunt in agro : unus accipietur, et unus relinquetur; duæ molentes in pistrino, una accipietur, et una relinquetur* (*Matth.* XXIV, 40, 41). Lucas autem adjecit de corpore duo, *ipsa nocte erunt duo in uno lectulo, unus accipietur, et alter relinquetur* (*Luc.* XVII, 34). Alia autem similiter. Ergo quia in agro, λόγος duo sunt, vel νοῦς et λόγος cœlestis, et alius hylicus. Et molentes duæ animæ, cœlestis et hylica : et accipietur igitur cœlestis νοῦς vel λόγος cœlestis anima, hylicus autem λόγος, et anima relinquetur. Quomodo istud, audi. Homo ex anima et corpore confitendus. Ex corpore, quod a terra compositum, habet ergo animam terra hylicam, et factus est Adam, juxta corpus animal, sicuti est animal de aqua et terra. Alia animalia in animam vivam, sed Adam non sic, insufflavit enim Deus in faciem ejus ibi omnem potentiam sensibilem, cui adest νοῦς in discretionem sensus. Alia igitur anima divinior cum suo νῷ : sensibili enim potentiæ hylicus νοῦς est insitus, et consubstantialis hylicæ. Si igitur istud est, Λόγος cœlestis, hoc est νοῦς vel Spiritus divinus est in anima divina. Ipsa autem divina anima in hylico spiritu, hylicus autem spiritus in hylica anima, hylica autem anima in carnali corpore, quod oportet purgari cum tribus omnibus, ut accipiat lumen æternum, et æternam vitam : hoc autem peficit fides in Christo.

LXIII. Videamus igitur quomodo talis anima juxta imaginem Dei, et juxta similitudinem effecta sit, et si sola anima homo, ut dicit Paulus, alius terrenus, alius animalis, alius spiritalis, et ista omnia in uno homine, sed maxime hominem interiorem frequenter dicit, sic enim est anima : colligit enim νοῦν, et divinam animam; et dicit cœlestem hominem, reliquum autem terrenum hominem. Si istud est, anima nostra juxta imaginem est Dei, et Domini Jesu Christi. Si enim Christus vita, et Λόγος est, imago est Dei, in qua imagine perspicitur Pater Deus, hoc est quod Deus est esse in vita : hoc est enim imago ut dictum est : et si est Christus vita, quod est autem vivere, hoc est Λόγος ipsa autem vita, hoc est quod est esse, hoc autem quod est esse, Pater est. Et si rursus ipsa vita hoc est quod intelligere : id autem est sanctus Spiritus, et tria ista sunt omnia; et in unoquoque tria, et unum tria et omnino ὁμοούσια. Si igitur anima, secundum quod anima est, et animæ esse est, et vivere et intelligere est : tria ergo superioris Triados anima est, ut imago imaginis. Est enim juxta quod anima est in eo quod est esse, et vitam dans, et intelligentiam, ante intelligere simul habens, ὁμοούσια in uno, et sunt singula ut sua substantia, non scissione, non divisione, non effusione, nec protensione, neque partu præcisa, sed sempiterna tria : aliud existens in alio existente, et ista substantialiter; juxta imaginem ergo. A Et sicut Pater esse est, Filius autem duo, sed in motu et in actu; sic anima in eo quod anima, ut potentia patria : vivificatio autem et intelligentia in motu. Ista ergo esse animæ juxta imaginem Patris et Filii : sic autem esse juxta similitudinem, ὁμοούσιον ergo etiam ipsa in sua unalitate, et simili substantia : in triplici potentia, ipsa generans, ergo ipsa se movens, et semper in motu in mundo motionum, fons et principium, sicuti pater et filius ipsius animæ motionis et creator, et præcausa et præprincipium.

LXIV. Adhuc dico in occulto mysterium magnum : sicuti divinior Trinitas unali, secundum quod per se effulgenter fecit animam in mundo intellectibili in substantiam et propriam substantiam, quam proprie dicimus substantiam : sic animæ trinitas unalis secunda explicavit imaginationem insensibili mundo, B ipsa anima semper quæ sursum sit mundanas animas gignens, et istud ergo juxta imaginem et similitudinem. Videamus ergo si et juxta carnem quidem, et juxta carnem dicunt præ divinatione, quoniam futurum erat ut Jesus indueret carnem. Ego autem dico forte si et in isto quod Λόγος, et carnis est Λόγος, et Deus et corporalis, et super omne corpus dicitur : potentia enim universorum et omnium Deus, non frustra secundum imaginem corporis. Si enim futurum est nostrum corpus et carnem resurgere, et induere incorruptionem, et fieri spiritualis caro, sicuti et Salvator noster juxta omnia et fuit, et resurrexit, et ascendit, et futurum est ut veniat : et si post resurrectionem immutabitur, accipientes spiritale indu- C mentum, nihil impedit juxta imaginem carnis superioris τοῦ λόγου hominem factum esse. Ad istud enim testimonium dicit Propheta, dicens : *Et fecit Deus hominem juxta imaginem Dei* (*Gen.* I, 27). Si fecit Deus secundum imaginem, pater juxta filii imaginem : si autem istud dicit, *fecit ipsum masculum et feminam*, ut prædictum est, *fecit hominem juxta imaginem Dei;* manifestum quoniam et juxta corpus et carnem valde et mystice, τῷ λόγῳ in mare et femina existente : quoniam ipse sibimet filius erat, in primo et secundo partu spiritaliter et carnaliter. Gratia Deo Patri, et Filio ejus, Domino nostro Jesu Christo, ex æterno in omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER SECUNDUS.

I. Deum omnipotentem omnes fatemur Christum D Jesum nos nunc; mox tamen fatebuntur omnes, quibus fides in Christum filium. De utroque quod sint ambo, et singuli : quippe ut pater Deus, filius Jesus Christus, tota nobis religio est, et spes tota, et in isto fides. Sed cum fatemur singulos duos, unum tamen Deum dicimus, et ambos unum Deum, quod et pater sit in filio, et filius in patre. Alii unum Deum dicunt patrem solum, filium vero hominem, sed hos nunc omittamus : etenim Jesum filium cum dicimus et antequam de Maria nasceretur, fuisse filium confitemur. Nam si (*Joan.* I, 1-3) *in principio fuit* λόγος, et λόγος *fuit ad Deum, et Deus fuit ipse* λόγος, *ei hoc fuit in principio*, qui cum postea λόγος *caro factus est*, idem est Λόγον esse et Jesum. Si enim *in principio*

Digitized by Google

erat λόγος, in principio filius, qui postea in carne Jesus, propter mysterium, quod mandato patris implevit. Fatendum est igitur a principio fuisse filium. De patris substantia, an extra dicimus? Sed istud quærendum. Num Deum non fatemur esse? Fatemur. Qui igitur esse istud ἀνούσιον dicimus, an ἐνούσιον? id est, sine substantia, an substantiam? Ἀνούσιον, inquiunt. Accipio, sed quæro ἀνούσιον, quomodo, qui substantia non sit omnino? an qui supra substantiam sit, id est ὑπερούσιον? Sine substantia quis dicat, Deum qui esse fateatur? esse enim illi substantia sua, non illa nobis nota, sed ipse quod est ipsum esse, est ipse non ex substantia, sed ipsa substantia, parens omnium, a se sibi esse tribuens, prima substantia, universalis substantia, ante substantiam substantia. Per id igitur quod ὑπερούσιος est, ἀνούσιος a quibusdam dicitur, non quod sit sine substantia, quippe cum sit : veneremur ergo Deum, et esse dicamus, id est ἐνούσιον, qui constituit omnia, cœlum et terram, mundum, spiritus, angelos, animas, animalia, et hominem ad imaginem et similitudinem imaginis eorum. Quid igitur cum sit ἐνούσιος? Deus pater utique dicitur, sic fatemur, et pater Unigeniti : omnium fides ista. Num igitur fallit intelligentiam Verbum, ambiguo suo? Genuit enim vos, et de hominibus dixit Deus : si igitur significat genui et creavi, ut creaturam, et naturaliter de mea substantia genui. Quid magis unigenito? quid ei qui filius est? quid ei qui unus et solus? quid ei in quo pater est? quid ei qui in patre est? quid ei qui λόγος est, qui *in principio erat, et erat apud Deum, et Deus est, et per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Quid autem hoc significat, quod Christus unigenitus? Si enim Deus omnium pater est secundum creaturam, quomodo hujus unigeniti pater, si non alio modo et ex substantia, non ex nihilo? Erat autem non alia substantia ante omnia quam patris : de patris ergo substantia Christus.

II. Age : nunc esse in Christum fatemur. Quæramus eodem modo hoc, esse ἐνούσιον est, an ἀνούσιον? Jam supra dictum ἀνούσιον esse non posse cui sit esse. Quid igitur? istud esse, unde est; ἐκ τοῦ ἀνουσίου, an ἐκ τοῦ ἐνουσίου, id est, ab eo quod est esse, an ab eo quod est non esse? Deus, ut inquiunt, esse est : Christus item esse, sed cœpit tamen. Verum hoc est. Sed istud esse quod cœpit, ab eo cœpit, quod fuit aliquo modo fuisse, ut omnia divina, et a divinis orta, potentia semper sunt ac fuerunt : processus autem eorum actus est, et ex motu manifestatio, et quidem natalis : quid enim Dei nascitur, cum Deus sit ingenitus? an illud credibile est, aut fas est dicere, ex nihilo vel natum esse Christum, quem dicimus Dei filium? qui est Dominus majestatis; et cætera quæ supra diximus et in aliis libris. Hoc vero postremo hæresis dicit cui similes et illa est vel quæ a Maria dicit cœpisse Christum, vel quæ non ipsum Λόγον induisse carnem, sed assumpsisse hominem, ut eum ipse Λόγος regeret, atque hoc Marcellus : quod superius autem, Photinus. Excludamus igitur omnes qui hæc atque hujusmodi de Christo sentiunt : loquamur cum his, qui Christum Dei filium dicunt, et filium natum, quippe cum fateantur unigenitum, genitum utique, non factum. Parum istud est, adjiciunt, de patre filium, de Deo Deum, de vero lumine lumen verum, utique et consequentia de Spiritu, Spiritum, et in patre filium, et in filio patrem; hæc cum fateantur consilio nullo, ratione timoris potius quam veritatis. Alii substantiam heic nominandam negant, alii nominant, sed similem volunt, non eamdem dicere. Quibus illud primum perspiciendum est, quod propheta Isaias dixit (*Isa.* XLIII, 10) : *Nullus fuit ante me Deus, et post me nullus erit similis Deus.* Si filius Christus, utique post Deum, Christus ; nullus autem similis post Deum Christus ergo non similis Deo, aut si non post Deum, certe cum Deo, nam ante Deum nullo modo ὁμοούσιον. Et David sic (*Psalm.* LXX, 19) *nullus similis tibi.* Deinde, quod multis docuimus, substantia in eo quod substantia est, maxime si sit ejusdem generis, et hæc in duobus pluribusve sit, hæc eadem non similis dicitur esse substantia; ut anima substantia est, sunt licet multæ animæ, in eo quod animæ sunt, una est illis eademque substantia. Non quod præcesserit illa substantia et præexstiterit, sed simul semper exstiterit, ita et in cæteris. Quanto magis in Deo? cum ipse sit origo substantiæ, cum quo divino quodam ortu filius a patre accepta substantia, semper cum eo, et in eo, ut alter atque idem ejusdem substantiæ, nulla vel illius diminutione, vel hujus acceptione consubstantiali completiva unalitate Deus atque virtus ejus semper qui fuerit, et semper exstiterit, hoc est Deus et Λόγος, Deus et forma ejus, pater et filius, Deus et Jesus Christus, Deus et virtus et sapientia, ὁμοούσιον : ergo hoc si dictum ὁμοούσιον ut ὁμοούσιον, cum in eadem sunt specie simul existentes, ὁμοειδεῖς ejusdem temporis et ætatis. Heic vero ὁμοιλικὸς significat consubstantiale simul et substantiam sine composito vel discretione, sed simul semper quod sit rerum virtutibus actionibusque discretum.

III. Heic oriuntur quæstiones : Prima, quod in sacris Scripturis substantiæ mentio facta non sit, et magis non ὁμοούσιον non sit lectum. Alia quod si hoc ita est, compassus est filio pater. Tertia, quod si hoc ita sit, neque pater major, neque minor filius, neque alius mittens, alius missus. Et hæc et hujuscemodi talia. Primum igitur illud de substantia videamus : non est in Deo substantia, neque in Christo : An non est lectum? si non est, ut supra diximus : quia omnino non est, sic accipimus; an quia omnino supra substantiam est, Deum non esse nobis nefas dicere : substantia est enim quod Deus est, quod spiritus, quod lumen est. Cur enim addimus et verum lumen? Etenim in divinis, et in Deo sic accipiemus substantiam, ut in hylicis corpora, et in corporalibus animum. Hæc enim est ibi substantia, esse supra substantiam : Deum esse omnes fatentur eum sit potentia substantiæ, et ideo supra substantiam atque ex hoc substantia : etenim

Digitized by Google

potentiæ inest esse. Certe Deus omnipotens est, et quorum origo vel causa est, ipse ille omnia est virtute scilicet et modo quodam, unde dictum a Paulo (I *Cor.* xv, 28) : *Ut sit Deus omnia in omnibus* : ergo et ὄν est, et existens, et substantia, quæ omnia cum sit : quia parens omnium est, potentia igitur omnia est. Non dubitandum ergo dicere substantiam Dei : quia cum nos circa prima vel summa proprie verba deficiunt, non congrue demum apud nos quod convenire possit intelligentiæ aptamus, ut heic quod est, Deo esse, substanti jure dicamus. Eodem modo accipiamus Christum et esse substantiam, et de patre ejus esse substantiam, quippe cum sit et ipse lumen de lumine, Deus de Deo, Spiritus, Λόγος per quem facta sunt omnia. Et cum sit ita, ut usque ad mysterium corporale substantia sua venire voluerit, de quo dictum ab Apostolo (*Coloss.* II, 8, 9) : *Et non secundum Christum : quia in illo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* quod est οὐσιακῶς ; Deus enim potentia, et Λόγος actio, in utroque utrumque : nam et potentia quod potest esse est, et quod est, potest esse. Ipsa igitur potentia actio est, et ipsa actio potentia. Actio est ergo et pater, agit et filius, agit et pater : ideo pater, quia potentia gignit actionem : et ideo filius actio ; quia actio ex potentia : ergo et pater in filio, et filius in patre, sed utrumque in singulis, et idcirco unum. Duo autem, quia quo magis est, id alterum appareat : magis autem pater potentia, et actio filius ; et idcirco quia magis actio, magis autem actio, quia foris actio. Hoc si ita est, et substantia pater et filius, et una substantia, et de patre substantia, et simul substantia, et semper et ex æterno simul pater et filius, eadem simulque substantia, hoc est, ὁμοούσιον. An non est lectum in Scripturis divinis? Primum qui hoc negat, rem fatetur, sed Scripturæ quærit auctoritatem. Quomodo autem non iniquum est, ideo rem non admittere, quia majores omiserint, aliquo fortasse casu, vel causa, cum ratione vincaris? verum quid lectum negant substantiam? an de Deo et Christo substantiam? an ὁμοούσιον ipsum? De Deo et Christo substantia lecta est. De Deo lecta in propheta Hieremia (*Jer.* xxiii, 18, *sec.* lxx) : *Quis stetit in substantia Domini, et vidit verbum ejus? quis præbuit aurem, et audivit?* Item paulo post (*Ibid.* 22) : *Et si stetissent in substantia, et audissent verba mea.* Item lecta substantia apud prophetam David (*Psalm.* cxxxviii, 15) : *Et substantia mea in inferioribus terræ.* Lectum apud Paulum ad Hebræos de Christo (*Hebr.* I, 3) : *Qui est character substantiæ ejus.* Sunt et alia exempla, verum hæc sufficere arbitror.

IV. At enim apud Græcos posita est ὑπόστασις, non οὐσία. Videamus quid intersit. Οντα nominant Græci tam ea quæ sunt in æternis, quam ea quæ in mundo atque terrenis : in æternis igitur Deus est omnipotens, causa omnium ; et fons et origo omnium quæ sunt, id est τῶν ὄντων πάντων. Quid igitur damus Deo? hoc quod est esse, an omnibus damus esse, do, non damus? Equidem ratio sic se habet, ut primum esse sit Deus. Verum quia potest accipi esse non aperte quid sit illud esse, si jam comprehensibile erit, ὄν dicitur, id est, forma quædam in notitiam veniens, quod tale esse jam ὄν et ὕπαρξις dicitur, omnis ὕπαρξις habet quod est esse ; quod autem est esse, non continuo καὶ ὕπαρξις est, neque ὄν, nisi potentialiter, non in manifesto ut ὄν dicatur ; est enim ὄν figura quædam formatum illud quod est esse, quod tamen purum tunc purum intelligitur cum intelligitur jam formatum : forma enim intellectum ingenerat, manifeste pronuntiat aliud esse formam, aliud quod formatum est. Quod autem formatum est, hoc est esse : forma vero est, quæ intelligi facit illud quod est esse. Hoc ergo quod est esse, Deo damus, formam autem Christo, quia per filium cognoscitur pater, id est, per formam, quod est esse ; et heic dictum est (*Joan.* xiv, 9) : *Qui me vidit, vidit et patrem.* Est ergo et Deus ὕπαρξις, et Christus ὕπαρξις ; ὕπαρξις enim cum forma quod est esse, et quia semper simul sunt, et forma esse est, et ipsum esse forma, unde pater in filio, et filius in patre : est enim esse et in patre, quod est potentia, quod prius est ab eo quod est forma. Est item rursus et in filio esse ; sed istud, quod est esse proprium a patre habet, ut sit illi formam esse ; alter ergo in altero, et ambo unum. Ergo ὄν Deus, ὄν filius, id est enim τὸ ὄν esse cum forma : omne enim quod est ὄν esse, est cum forma : hoc et existentia dicitur et substantia et subsistentia, quod enim ὄν est, et existit et subjectum est. Hoc autem est quod est esse sine connexo ullo, quod simplex est, quod unum ; manifestior igitur subsistentia est, et existentia est, et substantia dicitur. Si ergo dicitur de Deo subsistentia, magis de Deo dicitur substantia, et magis ista, quoniam subjectum significat, et principale quod convenit Deo. Non sit autem subjectum sicut in mundo substantia, sed quod honoratius et antiquius et secundum fontem universitatis. Verum quod est esse, quod præstat Deus his quæ sunt, ut unumquodque sit ὁμοούσιος : ergo esse formam habens, et primum solum verum : quoniam quod est illud esse purum est, hoc magis substantia est. Quoniam autem rursus et forma est esse, et ipsa substantia est, sed hoc ὑπόστασις dicitur : jam enim formatum esse substantia est, formatum autem esse est Deus, quod Deus est, et pater, sic et filius, quod λόγος et filius. Subsistentia ergo proprie dicitur de ambobus, quod est substantia : quoniam quod est esse principale, cum forma substantia dicitur. Hæc autem et substantia dicitur, et ideo dictum est, de una substantia tres subsistentias esse, ut ipsum quod est esse subsistat tripliciter, ipse Deus, et Christus, id est Λόγος et Spiritus sanctus. Ergo ὑπόστασις jure Deo datur jure Λόγῳ, id est, patri et filio. Id autem Latini substantiam dicunt, quia diximus et substantiam dici posse, scilicet id quod esse est, magis formatum esse. Quæ cum ita sint, lecta est ὑπόστασις, hæc autem est οὐσία, sicut probavimus.

V. Nunc videamus utrum ibi, ubi legimus, aliud sinificet, ὑπόστασις quam οὐσία. Multi enim æstimant

Digitized by Google

copias atque fortunas significari hoc verbo, ὑπόστασις scilicet; sed si dixit : *Si stetissent in ὑποστάσει Domini, vidissent Verbum ejus* (*Jer.* XXIII, 22, *sec.* LXX). Quod heic intelligimus ὑπόστασιν Domini, nisi id quod est Deus? Est autem Deus spiritus, lumen, potentia, omnipotens, et hujusmodi talia. Hic qui stat et intelligit, non autem erat qui intelligit, stat ergo : intelligens autem Deum intelligit et videt Λόγον Dei filium; manifestum ergo hanc Dei esse ὑπόστασιν, quia intellecta et Verbum intelligitur, simul enim sunt, et hoc est ὁμοούσιον. Hoc et iterum dicit : *Quia si stetissent in mea ὑποστάσει, et verbum meum audissent.* Supra videre; heic autem posuit utrumque, hoc est quo intelligere. Is enim rem intelligit, qui in rei substantia stat, id est, in primo fonte rei, ut omnia quæ sunt ejus intelligat. Quid deinde? cum alibi vel in Davide, vel in Evangelio posita est et lecta ὑπόστασις, numquid aliud quam οὐσία intelligitur? Ὑπόστασις *mea*, inquid David (*Psalm.* CXXXVIII, 15) : de Deo utique, Ὑπόστασις *mea in inferioribus terræ*. Dicit enim : occultum se nemo credat, quia utique sum et omne quod sum et substantia mea, et in inferioribus terræ : ubique est enim Deus, vel spiritus Dei, quæ Dei substantia est.

VI. Volo nunc et illud videre in Evangelio per parabolam et exemplum positum. Dixit enim *pater familias* quidam duobus filiis, ὑπόστασιν *suam divisit Luc.* XV, 12); utique fortunas et patrimonium intelligimus. Sed si hoc referri ad Deum oportet, erit ὑπόστασις et heic potentia omnis et virtus. Hanc consumit unus filius qui a Deo recedit : etenim qui peregrinatur a Deo, nec spiritum Dei habet, nec lumen, nec Christum, hic apud se consumit substantiam Dei. Hæc est enim Dei ὑπόστασις, ut diximus; sive nunc heic divitias dicamus, vel patrimonium, nihil differt : sic enim dictum est ab apostolo Paulo : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* (*Rom.* XI, 33). Si igitur divitiæ Dei, sapientia et scientia sunt : et si sapientia et scientia ipsa virtus Dei est, virtus autem Dei Christus est, Christus autem Λόγος est; Λογος et vere filius, filius autem in patre ipse est : ipse ergo, divitiæ patris; ipse ὑποστασις est. Jam igitur nihil interest, utrum ὑπόστασιν divitias intelligamus, an οὐσίαν, dummodo id significetur quo ipse Deus est. Ergo lectum est de Deo vel ὑπόστασις vel οὐσία : hoc autem et de Christo intelligitur. Dictum est : *Ego in patre, et pater in me* (*Joan.* XIV, 10). Quod quidem ideo bis dictum, quia in patre esse potuit filius, non tamen et in filio pater, sed ut plenitudo atque idem unum in singulis esset. Si autem eadem ὑπόστασις, ὁμοούσιον ergo. Eadem autem : nam Christus Deus de Deo, et lumen de lumine. Ergo ὁμοούσιον. Id autem si ex æterno et semper necessario simul, ergo vere ὁμοούσιον.

VII. At enim hoc ipsum ὁμοούσιον lectum est. Omnia enim quæ diximus lecta sunt : vobis dico, qui jam fatemini de Deo, vel quod lumen sit, vel quod spiritus. Dicitis ergo de Deo Deum, de invisibili Spiritu Spiritum, et verum lumen de vero lumine, quæ sunt ὑποστάσεις Dei. Verum cum dicitis Christum, Deum de Deo, lumen de lumine, et talia : ubi sic legistis? an vobis licet sic dicere, unde magis ὁμοούσιον probatur, nobis discere ὁμοούσιον non licebit? Verum si ideo dicitis lumen de lumine, quia et Deus lumen dictus, et Christus lumen, et item et Pater Deus, et Christus Deus dictus; id quidem manifestum, verum de Deo non lectum, lumen de lumine; at licuit sumere. Liceat ergo de lectis non lecta componere. Ὁμοούσιον lectum negatis; sed si aliqua similia, vel similiter denominata lecta sunt, jure pari et istud denominatum accipere debemus. Dei οὐσία lumen est, hoc lumen vita est, et ista vita, ista intelligentia, hoc esse Deum, hoc esse Christum satis declaratum est. *Virit pater, et ego vivo* (*Joan.* VI, 58). *Pater habet in se vitam, et filio dedit habere apud se vitam* (*Joan.* V, 26). *Quæ habet pater, ea mihi dedit omnia* (*Joan.* XVI, 15). His et aliis sæpe probamus, eadem in patre esse et in filio, et quod semper et ex æterno : et ideo ὁμοούσιον appellatum est.

VIII. Sed unde hoc verbum, audi Evangelium, audi Paulum apostolum, audi orationem oblationis, quoniam vita est Deus; et æterna vita. Nos Christiani, id est, qui in Christum credimus, docemur in Evangelio (*Matth.* VI, 9) quomodo Deum patrem rogare debeamus, in qua oratione cum multa petimus, tum petimus panem, qui panis vita est (sic enim dictum est (*Joan.* VI, 59) : *Hic* enim *est panis, qui de cœlo descendit*). Hanc vitam et Christi et Dei, id est, æternam quod nomine ipse dicit, ἐπιούσιον ἄρτον, ex eadem οὐσία panem, id est, de vita Dei : consubstantialem vitam. Unde enim filii Dei erimus, nisi participatione vitæ æternæ? quam nobis Christus a patre afferens dedit. Hoc ergo est (*Luc.* XI, 3), δὸς ἡμῖν ἐπιούσιον ἄρτον, id est, vitam ex eadem substantia, etenim si quod accipimus, corpus Christi est, ipse autem Christus vita est, quærimus ἄρτον ἐπιούσιον, divitiæ enim in Christo corporaliter habitant; Græcum igitur Evangelium habet ἐπιούσιον, quod denominatum est a substantia, et utique Dei substantia : hoc Latini vel non intelligentes vel non valentes exprimere non potuerunt dicere, et tantummodo *quotidianum posuerunt*, non ἐπιούσιον. Est ergo et nomen lectum, et in Deo substantia, et dici potest græce etiam latine non exprimitur; dicitur tamen græce quia intelligitur. Ergo nos qui Christum credimus, quia ab eo vitam æternam speramus, quia ipse vita est, cum ipsum sequimur, et cum eo, et circa ipsum, et circa vitam æternam sumus, et appellamur λαὸς περιούσιος. Hinc sanctus Apostolus ad Titum Epistola sic dixit Græce (*Tit.* II, 14) : Ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Latinus cum non intelligeret περιούσιον ὄχλον, περιούσιον, τὸν περιόντα, id est, circa vitam quam Christus et habet et dat, posuit *populum abundantem*. Quid meriti est ut salvetur populus quo abundat? Hoc autem rursus magna causa et veluti necessitas, quo περιούσιος. Hinc oratio oblationis intellectu eodem precatur eum : σῶσον περιούσιον λαὸν, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Ergo lecta sunt omnia, denominata ab οὐσίας hinc itaque compositum ὁμοούσιον de Deo et Christo, quod et ab ratione non est alienum : habet enim οὔσιον,

Digitized by Google

quam (1) habent superiora nomina, et eodem modo denominatum est : et hoc nomen omnes excludit hæreticos ; necessario ergo positum a majoribus. Dicendum ergo et semper tractandum est.

IX. At enim quia non intelligitur, et scandalum facit tollendum et de fide et tractatu, aut certe latine ponendum : non intelligitur, dicunt. Ergo nec latine potest dici. Non intelligitur, quare vos timetis istud ? qui enim oppugnant, timent tamen : si timetis ; hæretici estis, hoc excluso subintrare cupitis. Num si οὐσίαν in Deo negatis, ὁμοούσιον ideo tolli vultis, quia οὐσίαν fatentur ? Ergo intelligitis et timetis. Si autem et Basilius ὁμοούσιον dicit, et hoc quoque nomen adversum vobis est, et ideo et hoc repudiatis, quia semel οὐσίαν negatis in Deo. Si autem ideo repudiatis, quia intelligitis ; et ipse Basilius intelligit qui ὁμοούσιον dici vult, de quo post loquemur. Non est ὁμοούσιον nomen, quod non intelligitur. Latine, inquiunt, dicatur. Quia difficile dicitur, ideo expetitis ; et si dicatur, sequimini. Magnum miraculum ! verbum vos hæreticos facit, vel potius sonus verbi, quod græce dicitur. Deinde si latine dixero, quia Ecclesia habet Græcos, et quia omnis scriptura vel Veteris Testamenti et Novi, et græce et latine scripta est, si non ponimus græce, interrogati a Græcis, quid respondebimus ? Necessario dicendum est ὁμοούσιον : ergo ponendum. Quid autem ? In Scripturis non multa sunt nomina, vel græca, vel hebraica, aut interpretata, aut non interpretata ? ut (*Matth.* XXVII, 46), Ηλεί, Ηλεί, λαμᾶ σαβαχθανεί. Item *Golgotha*, et *Emmanuel*. Item (I *Cor.* XVI, 22), *Si quis non amat Dominum nostrum Christum filium*, ἀνάθεμα. Sexcenta alia aut interpretata, posita tamen : aut non interpretata, et sola posita ; aut *anathema*, quod non exprimitur, nec latine nec græce, et tamen positum est, et quotidie usurpatur, sicut et *Alleluia*, et *Amen*, quæ in omni lingua incommutabiliter dicuntur. Licet igitur ponere eodem modo ὁμοούσιον. Certe verbum cum tollendum est, aut quia obscurum est tollitur, aut quia contrarium, aut quia minus vel plus exprimit, aut quia supervacuum est. Hoc non obscurum est ; nam et nos diximus quod significet ; et vos quia intelligitis, timetis : et Basilius, quia intelligit, mutat. Contrarium autem non est, nam cum de substantia jam omnes fateamur : substantia est enim Deus, Spiritus, lumen ; quæ de Deo patre et Christo dicuntur. Hoc verbum ὁμοούσιον, cum de substantia dicatur, non potest esse contrarium. Sed minus aut amplius exprimitur. Corrigendum potius quam auferendum. Jam vero supervacuum quomodo ? quia jam dictum, ubi dictum : an quia non utile, quod excludit hæreticos maxime Arianos ? Quod majoribus positum ut murus et propugnaculum ? Sed nuper est positum. Quia nuper erupit venenata cohors hæreticorum, quo tamen conditum juxta veterem fidem, nam et ante tractatum, multi orbis episcopi trecenti quindecim in civitate Nicæa quam per totum orbem decretam fidem mittentes, episcoporum millia in eadem habuerunt, vel illius temporis, vel sequentium annorum. Probatum autem ab imperatore imperatoris nostri patre.

X. Sed latine hoc nos dici volumus : nec hoc vobis negabitur, vos qui substantiam negatis in Deo quamque a Basilio vincamini, et tu, Basili, qui substantiam confiteris, utrique vestris vocibus ὁμοούσιον confitemini. Nempe dicitis Deum, et eumdem dicitis lumen, eumdem spiritum. Qui dicit ista, substantiam dicit Dei. Nam qui dicit patrem vel omnipotentem, vel bonum, vel infinitum et talia, non substantiam, sed qualitatem dicit. Item filium dicitis Λόγον, lumen, spiritum ; et ista substantiam significant. Rursus cum dicitis Deum, dicitis Deum de Deo, verum lumen de vero lumine : argumentum timoris Basilii tollitis, ne sit superior substantia, ex qua duo sunt. Si enim de Deo Deus, et lumen de lumine, utique patris substantia filii est : quia ipse Deus pater, ipse substantia est, de qua substantia filius Λόγος, lumen, spiritus : etenim cum dicitur filius, item Salvator, item Jesus Christus, secundum qualitatem, non secundum substantiam dicitur. Sic reliqua vel patri dantur vel filio, ergo substantiam fatemini. Vos autem certe Basilio credite, qui eadem de Deo, et de Christo dicit ; lumen Deum : spiritum, λόγον, et substantiam confitetur. At enim in istis ὁμοούσιον non est : ita est, si non in ὁμοουσίῳ eamdem substantiam intelligas. Sin autem cum componitur verbum, idem in duobus vel pluribus significatur ὁμοειδὲς, quod eadem sit specie : et ὁμοήλιξ quod eadem ætate, et quod ὁμώνυμος eodem nomine, concordia ὁμονοίᾳ, eodem corde, eadem ἐννοίᾳ : ergo consubstantiale quod sit eadem substantia est. Sin autem ὁμοῦ intelligitur, erit ὁμοούσιον, latine *simul consubstantiale*, non ab aliquo alio, sed Dei potentia ex æterno. Etenim si (*Joan.* I, 1) *In principio erat λόγος, et λόγος erat ad Deum*, quoniam principium ante nihil habet : si enim habuerit, desinit esse principium : ex æterno Deus, et ex æterno λόγος. Simul ergo ambo, et semper simul, nec aliquando alter sine altero, nec filius ex eo quod non est aliquando. Heic ergo exclusus Arius, qui protulit ἐνιότε οὐκ ἦν : sententia ejus fuit et illa, ἐξ οὐκ ὄντων esse filium, id est de nihilo. Significat ὁμοούσιον simul esse, et substantiam : Adversus utrumque sacrilegium verbi hujus potentia repugnat, quo ὁμοούσιον dicitur : sive enim ita est, ut ὁμοούσιον, sit ejusdem substantiæ, ut ὁμοειδὲς sicuti supra docuimus, excluditur quod dictum est, esse Christum ex nihilo : si enim Deus et Λόγος eadem substantia sunt, Deus et Λογος non solum non ex nihilo, sed ne ex simili quidem substantia. Si vero ὁμοούσιον ex eo quod est, simul esse substantia intelligitur, hoc est simul esse substantiarum, simul Deus et λόγος, et ex æterno semper simul pater et filius.

XI. Ex hoc excluditur quod dictum est : *fuit quando non fuit*. Hoc si ita est, hoc uno, id est, ὁμοούσιος, omne venenum Ariani dogmatis internecatur. O docti

(1) Heic videtur deesse *significationem*, *denominationem*, vel quid simile.

Digitized by Google

episcopi! o sancti! o fidem spiritu confirmantes! A o verbum, vere verbum Dei! quod Deus et λόγος ostenditur, simul ex æterno, et semper eademque substantia. Dictum igitur latine est ὁμοούσιον : unde necessario etiam græce ponendum atque tractandum. Sed adjiciamus etiam nunc aliquid, quo per confessionem vestram et per lectionem deificam latine expressum ὁμοούσιον approbetur. Lectio divina dicit : pater in filio, et filius in patre. Et ne parum sit ad fidem ipse Dominus noster Jesus Christus dicit (*Joan.* XIV, 10) : *Ego in Patre et Pater in me.* Quid ergo? Hæc nomina insunt sibi invicem? an virtutes, an substantiæ, an sapientiæ et potestates? pater quo pater est, in filio esse non potest. Item filius in patre esse non potest, sed quo virtutis substantiæ sibi est, hoc est, in altero. Inde alterum in altero : unum redB ditur etiam subsistentibus singulis ; unum tamen, quia idem in utroque intelligitur et nominatur. Ergo et pater in filio, et filius in patre. Sed isto modo. Hoc si ita est, videamus cætera. Dicitis, et recte dicitis : Jesum Christum Dominum nostrum, Deum de Deo, et lumen de lumine. Vicinum est, similiter dicere et istud. Dicamus ergo, vereque dicamus in Deo, lumen in lumine. Quod quidem ideo non et reversim dicitur, quia unum verbum est in duobus. Nam pater et filius duo sunt vocabula, et idcirco verti invicem possunt, ut et pater in filio dicatur, et filius in patre. At vero cum unum nomen in duobus dicitur, Deus in Deo, eodem modo dicetur et cum de altero dicitur, eadem ratio et cum dicitur lumen in lumine. Necessitate igitur nominis unius semel quidem dicitur, sed propter C duo patrem et filium bis et intelligitur et auditur. Dicamus igitur Jesum Dei filium, Deum de Deo, lumen de lumine. Dicamus et illud, Deum in Deo, lumen in lumine. Si enim, ut fatemur omnes, et filius in patre est, et pater in filio, est autem pater et Deus, et lumen, ita tamen ut de patre filius hic sit, unde necessario et vere est dicere : et Deus in Deo, et lumen in lumine. An durum illud est? sed necessario fatendum est et sic esse et sic se habere.

XII. Quid si etiam lectum est, et ex duobus istis unum apertissime sic positum, ut a me non inventum, sed sacra lectione sit jam probatum? Hymnicus David in libro Psalmorum, qui clavis mysteriorum omnium dicitur, sic Deo psallit (*Psalm.* XXXV, 10) : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videD bimus lumen* : Deo dictum æstimamus, an Christo? an utrique? Quia cuicumque recte : in patre enim filius, et in filio pater. Sed si patri Deo, hoc erit illud (*Jer.* XXIII, 22 sec. LXX) : *Si in substantia mea stetissent, et verbum meum audissent.* Si autem filio, hoc erit illud (*Joan.* XIV, 9) : *Qui me videt videt et Patrem.* Ergo *in lumine tuo videbimus lumen.* Est igitur lumen, *in lumine tuo videbimus lumen.* Neque enim dubitandem est quando et hoc sequatur, cum illud quod eodem modo est, et re sit, et lectione probatum. Quod si ita est, colligamus omnia : jam ὁμοούσιον apparebit et græce intellectum, et latine pronuntiatum. Credimus in Deum patrem omnipotentem, et in filium ejus unigenitum. Verum fiat : Satis est jam de hoc. Isaias sic ita (*Isai.* XLV, 14) : *Laboravit Ægyptus, et mercimonia Æthiopum et Sabaim. Viri altissimi in te ambulabunt, et tibi erunt servi, et retro sequentur, ligati manicis te venerabuntur, et te precabuntur, quod in te Deus est, et non est Deus extra te.* Jesum Christum Dominum nostrum, Deum de Deo, lumen de lumine : consubstantialem, simul substantialem : sic reliqua ad symbolorum quæ junguntur, et ad fidem explicitum est, et absolutum ὁμοούσιον plenum est, et de eadem substantia, et in eadem substantia, et semper simul, si placet, latine sic habeatur. Si autem unum verbum græcum, quod magna expressione, magnaque brevitate utrumque concludit, placet manere, de Deo et Domino nostro perseveret ; ὁμοούσιον vero magis ac magis teneatur, scribatur, dicatur, tractetur, in Ecclesiis omnibus prædicetur. Hæc enim fides apud Nicæam, hæc fides apostolorum, hæc fides catholica. Hinc Ariani, hinc hæretici vincuntur universi. Pax cum his qui ita sentiunt, a Deo patre et a Jesu Christo Domino nostro. Amen.

LIBER TERTIUS.

ΛΟΓΟΣ vel νοῦς divinus ut sede utitur, atque ut corpore, anima cœlesti ; ea vero sensuali νοῦ, vel Λόγος insensuali anima, ut ipse sensualis in corpore est, et ideo in qualicumque corpore. Omne autem quod ex divinis est ad sua quasi pars eorum est, sed ut imago, ut id in aliis et assertum est et probatum : quippe cum in ipsis divinis Λόγος Dei imago sit, sic igitur cætera ; ergo omnium divinorum. Ut enim Dei Λόγος imago est, ita τοῦ λόγου anima quæque hoc genus ibi, cætera imagines sunt. At in natura sensuali non imagines, sed magis simulacra, ac simulamenta dicenda. Ita enim rerum progressio est, ut effulgentia luminis, imago sit luminis : unde substantia eadem est in summis et æternis, quia imago luminis, lumen est. Ut enim de Spiritu, non nisi Spiritus, et de vero, verum, et de Deo, Deus : sic et de substantia, substantia : Spiritus enim, et verus, et Deus substantia est. Omne autem quod est unicuique suum esse, substantia est. Sed hoc esse quod dicimus, aliud intelligi debet in eo quod est esse : aliud vero in eo quod est ita esse, ut unum sit substantiæ, aliud qualitatis. Sed ista sic in sensibilibus et in mundo. At in divinis et æternis ista duo unum : omne enim quod ibi simplex, et hoc Deus quod lumen, quod optimum, quod existentia, quod vita, quod intelligentia : at de hoc et in aliis diximus. Omnia ergo ibi substantialiter simplicia, inconnexa, cum numero unum, nec numero unum, sed ante numerum unum, id est, ante unum quod est in numero, hoc est, plane simplex, solum sine phantasia, quod alterum. Unde quod inde nascitur imago, non scissio, nec effusio, sed effulsio : nec protensio, sed apparentia, nec germinatio potentiæ, quam potentiæ actio : ubi enim actio, aut unde, nisi in potentia atque ex potentia? Et quando aut ubi potentia, nisi cum actione et in actione? Non ergo alterum in altero, nec aliquando simile, quia idem

Digitized by Google

semper. Et quia effulgentia declaratur lumen, vel actio declaratur potentia ; idcirco (*Joan.* XIV, 9) : *Qui me videt, videt et Patrem.* Et quia potentiam ipsam solam nemo videt (*Joan.* I, 18) : *Deum nemo vidit unquam.* Et quoniam potentia cessans vita est, et cessans intelligentia, hæc autem vita et intelligentia actio est ; si quis Deum viderit, moriatur necesse est : quia Dei vita et intelligentia in semetipsa est, non in actu : omnis autem actus foris est, hoc vero est nostrum vivere, quod foris est vivere : ergo est mors Deum videre (*Exod.* XXXIII, 20) : *Nemo*, inquit, *unquam vidit et vixit ;* simili enim simile videtur. Omittenda igitur vita foris, omittenda intelligentia, si Deum videre volumus, et hoc nobis mors est.

II. Quoniam autem hæc vita et intelligentia Λόγος est, qui Christus est : per Christum et nos omnia : per ipsum est ergo Λόγος, et vita, et intelligentia. Quare? quia ista omnia motus, et adjectio est : nos ergo, si sumus in Christo Domino, per Christum videmus, id est, vitam veram, hoc est, per imaginem veram. Et quia veram, ergo ejusdem substantiæ, quia et in actione potentia est : ibi ergo Deum videmus, et hinc illud (*Joan.* XIV, 9) : *Qui me videt, videt Deum.* Quod vero de potentia actio, ideo de Patre Filius, ac de Spiritu Λόγος : et quia de Spiritu Spiritus, ideo de Deo Deus : ergo de substantia eadem substantia, ut supra docuimus. Potentia Deus est, id est, quod primum existentiæ universale est esse, quod secum, id est, in se vitam et intelligentiam habet : magis autem ipsum quod est esse, hoc est, quod vita atque intelligentia motu interiore et in se converso : est ergo motus in Deo, et ex hoc et actio, unde dictum (*Joan.* V, 19) : *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a semetipso facere aliquid, si non viderit Patrem facientem : quæ enim ille facit, eadem et Filius facit.* Similiter ergo et Pater et facit et agit, sed intus, unde cum nullo eget extrinsecus, semper plenum, semper totum, semper beatum est. Verum quoniam vita atque intelligentia motus sunt, omnis autem vita vivificat, omne vero quod vivificatur foris est ; itemque intelligentia quod intelligit foris est, et id quod intelligit intus, tracta et vita ex intelligentia, vel effulgente vel illuminante intelligit. Unde de Deo atque ex eadem substantia est, et substantia, et vita, et intelligentia, itemque motus cum intus in se est, idem est quod substantia : qui cum inde spectat, et ut foras emineat, id est, ut operetur atque agat, hic partus est, hic natalis. Et quia motus unus est, unigenitus filius, motus autem unus sive illa vita, sive intelligentia : etenim vitam motum esse necesse est. Vivefacit enim omnis vita, unde motus est vita, qui sive in se existens, atque in se conversus substantia ipse sibi est ; sive foras spectat, unde magis dicitur motus : nam intus motus cessatio est, vel mota cessatio, cessansque motus : debet enim Deus utriusque, cessationis dico et motus, et parens esse, et ipsa substantia, quod societate et quadam forma ad utrumque fons est, est simplex ipse et unus, semperque unus ac solus, et, ut supra diximus, totus. Qui cum in cessante motu accipitur atque intelligitur, hoc est Deus, atque ipse pater est, semper atque ex æterno pater : quia semper motus ex substantia, et in substantia, vel potius ipsa substantia, qui cum foras spectat, hoc est autem foras spectare, motum vel motionem esse : quod ipsum hoc illud est se videre, se intelligere, ac nosse velle : cum autem se videt, geminus existit et intelligitur videns, et quod videtur : ipse qui videt, ipsum quod videtur, quia se videt : hoc est igitur foras spectans, foris genitus vel existens, ut quid sit intelligat. Ergo si foris est, et si genitus, filius : et si filius, unigenitus, quia solus, qui est omnis actus, atque omnis et universalis, et unus est motus, idem autem motusque substantia : ergo et pater, et filius una eademque substantia : consubstantiale igitur, id est, ὁμοούσιον.

III. Omnia ergo filius, ut omnia pater. Sed quia potentialiter prior est substantia quam actus ac motus, prius autem ad vim dixi et ad causam, quia motui causa susbtantia : omnis enim motus in substantia, ergo necessario generator est pater, et item necessario omnia quæ pater habet, habet et filius (*Joan.* XVI, 15) : *Omnia*, inquit, *quæ habet Pater mihi dedit.* Et item (*Joan.* V, 26) : *Pater ut ipse habet ex se vitam, ita dedit Filio ex se habere vitam :* ergo ut pater, ita filius vita est, et ex se vita. Ipsa est enim vita, quæ sibi et aliis est vis vivendi, non aliunde vita. Igitur motus, et principalis motus, et unus motus, et a se motus, et unigenitus motus : hic est Λόγος : etenim vita est, per quem vivunt omnia. Et quia vita est, ipse est per quem sunt facta omnia, et in quem facta sunt omnia : quia purgata omnia in vitam æternam redeunt. Et omnia in ipso facta sunt, quia quæ facta sunt in ipso vita sunt : nihil enim quod sit, cui sit esse suum, ex quo ipsi vita sit esse quod sit. Ergo in Christo facta sunt omnia, quia Christus Λόγος est. Vita autem nec cœpit, quia a se sibi semper est, unde nunquam desinit, et infinita semper est, et per omnia, et in omnibus usque a divinis et a supracœlestibus ad usque cœlestia, cœlosque omnes, æthera, aera, humida atque terrena, omniaque quæ oriuntur e terra, omniaque cætera. Ergo et corpus caroque nostra habet aliquid vitale, omnisque materia animata est, ut mundus existeret, unde eruperunt jussu Dei animalia. In carne ergo inest vita, id est, Λόγος : vitæ autem inest Christus : quare Λόγος caro factus est. Unde non mirum quod mysterio sumpsit carnem, ut et carni et homini subveniret, sed cum carnem sumpsit, universalem Λόγον carnis sumpsit : nam idcirco omnis carnis potestas in carne triumphavit, et idcirco omni subvenit carni, ut dictum est in Isaia (*Isai.* XL, 5 ; LII, 10 ; *Luc.* III, 6) : *Videbit te omnis caro salutare Dei.* Et in libro Psalmorum (*Psal.* LXIV, 3) : *Ad te omnis caro veniet.* Item et universalem λόγον animæ : nam et animam habuisse manifestum, cum idem Salvator dixit (*Matth.* XXVI, 33) : *Tristis est anima usque ad mortem.* Et item in Psalmo (*Psalm.* XV, 10) : *Non derelinques animam meam in inferno.* Quod autem sumpserit universalem

Digitized by Google

λόγον animæ, his manifestum in Ezechiele (*Ezech.* xviii, 4) : *Omnes animæ sunt meæ, ut anima patris, sic et anima filii.* Item universalis animæ λόγος et ex hoc ostenditur, quod et irascitur, cum maledicit et arbori fici, et dicit (*Matth.* x, 15; xi, 23) : *Sodomis et Gomorrhis in illa die commodius erit quam vobis.* Sic etiam multis in locis. Item et cupit, cum dicit (*Matth.* xxvi, 39) : *Pater, si fieri potest, transferatur a me hic calix.* Ibi etiam ratiocinatur : *sed fiat potius voluntas tua.* Hæc et alia multa sunt quibus ostenditur animæ λόγος universalis : assumptus ergo homo totus, et assumptus, et liberatus est : in isto enim omnia universalia fuerunt, universalis caro, anima universalis, et in crucem sublata atque purgata sunt per salutem Deum λόγον, universalium omnium universalem : per ipsum enim omnia facta sunt, qui est Jesus Christus Deus et Salvator, et Dominus noster. Amen.

IV. Λόγος igitur quæ sunt, quæque esse possunt, quæve esse potuerunt, veluti semen ac potentia existendi, sapientia ac virtus omnium substantiarum de Deo ad actiones omnes, Deus potentia patris actuque, quo filius ipse cum patre unus Deus est. Etenim cum sint istæ existentiæ viventes intelligentesque, animadvertamus hæc tria, esse, vivere, intelligere, ita tria esse, ut unum semper sint, atque in eo quod est esse. Sed in eo quod est esse dico, quod ibi est esse : in hoc igitur esse, hoc est vivere, hoc intelligere omnia substantialiter, et unum subsistentia : vivere enim ipsum id est quod esse; neque enim ita in Deo, ut in nobis aliud est quod vivit, aliud vita quæ efficit vivere. Etenim si ponamus accipiamusque ipsum vitam esse atque existere, quodque ei potentiæ sit, id ipsum sit ei esse, clarum fiet unum atque idem nos accipere debere esse et vivere : hæc ratio est, visque eadem intelligentiæ est utique illi. Hoc ipsum ergo intelligere, hoc est quod est ei esse, idque esse quod est intelligere : ipsum hoc intelligere intelligentia est : esse ergo, esse et vitæ et intelligentiæ est, id est, quod vita et intelligentia : unum igitur quod vita, et idem esse quod est intelligentia. Quod si hæc in singulis atque in binis unum, sequitur ut ipsum vivere hoc sit, quod intelligere : nam si esse hoc est vivere, atque esse id quod intelligere; fit unum vivere atque intelligere, cum sit illis unum quod est esse. Huc accedit quod ipsum esse nihil est aliud quam vivere : quod enim non vivit, ipsum esse ei deperit, ut quamdiu quidque sit, hoc sit ei sumum vivere, unde commoritur esse cum vita. Sed nos cum de æternis loquimur, aliud vivere accipimus : sed hoc ipsum scire quod vivas, scire porro hoc est quod intelligere : Ergo scire intelligere est, et scire quod vivas, hoc est vivere : id ergo erit intelligere quod vivere. Quod si ita est, ut unum sit vivere et intelligere, et cum unum sit esse quod est vivere atque intelligere; substantia unum, subsistentia tria sunt ista : cum enim vim ac significantiam suam habeant, atque ut dicuntur et sunt; necessario et sunt tria, et tamen unum, cum omne quod singulum est unum, tria sint, idque Græcis ita dicitur : ἐκ μιᾶς οὐσίας τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις. Hoc cum ita sit, esse ut fundamentum est reliquis : vivere enim et intelligere ut secunda et posteriora, ut natura quadam in eo quod est esse, velut inesse videantur, vel ex eo quod esse quodammodo ut extiterint, atque in eo quod est suum esse, illud primum ac fontanum esse servaverint : nunquam enim esse sine vivere atque intelligere : neque vivere atque intelligere sine eo quod est esse jam probatum est.

V. Hujus rei ad intelligentiam hoc sit exemplum. Ponamus visum vel visionem per se vi sua atque natura potentialiter existentem, hoc est ejus esse, potentiam habentem visivam ad videndum, quod erit jus videre : et item potentiam habentem videndo visa quæque discernere, quod est contra intelligere : hæc si potentia sunt, nihil aliud quam esse dicitur et manent, et ut quieta sunt, atque in se conversa tantum ut sint, operantur solum visio, vel visus existentia, et idcirco solum esse numeranda. At cum eadem visio operatione videndi uti cœperit, quasi progressione sui visio, quasi, inquam, non enim progreditur, nec a se exit, sed intentione ac vigore propriæ potestatis, quod est ei vivere omnia quæ sunt ei obvia, vel quibus incurrendo obvia conspexerit cum officio vivendi fungitur, vita ipsius visionis est, quæ motu operante vivere indicat visionem, tantum in eo quod videt puro videndi sensu non discriminante, nec dijudicante quod videt. Quod quidem nos accipimus æstimatione, ut opinemur videre solum sine intelligentia : cum autem videre, quod est vivere visioni, videre non sit, nisi capiat comprehendatque quod viderit, simul ergo est et judicare quod viderit : ergo in eo quod est videre, inest dijudicare : neque enim si viderit, quomodocumque viderit non dijudicavit illud ipsum, vel quod viderit. Ergo, ut dicimus, in eo quod est videre est dijudicare : in eo autem quod est esse visionem inest videre : inconnexa igitur ac magis simplicia in eo quod sunt, non aliud quam unum, visio, videre, discernere; quo pacto et in eo quod est discernere, inest videre, et in eo quod est videre, inest esse visione, atque, ut vere dicam, non inest, sed eo quod est visio, in eo est videre atque discernere : ita in singulis omnia, vel unumquidque omnia unum.

VI. Extolle te igitur atque erige, spiritus meus, et virtute qua a Deo mihi es inspiratus, agnosce, Deum intelligere difficile, non tamen desperatum : nam ideo nosse se voluit, ideo mundum et opera sua divina constituit, ut eum per ista omnia cerneremus : Λόγος certe, qui ejus filius, qui imago, qui forma est, a se ad patrem intelligendi transitum dedit. Deum igitur in qua natura, in quo genere, in qua vi, in qua potentia ponimus, intelligimus, æstimamus? vel qua phantasia intelligentiæ attingimus, atque in eum provehimur? Et cum intelligibilem esse dicimus, certe insufflatione Dei anima nobis atque ex eo pars in nobis est, quæ in nobis est maxima : attingimus igitur cum eo, quo inde sumus atque

Digitized by Google

pendemus. Certe post Salvatoris adventum, cum in Salvatore ipsum Deum vidimus, cum ab eo docti atque instructi sumus, cum ab eo sanctum Spiritum intelligentiæ magistrum accepimus, quid aliud tantus intelligentiæ magister dabit, nisi Deum nosse, Deum cognoscere, Deum fateri? Et majores nostri quæsierunt quid esset, aut quis esset Deus; et his ab eo qui in ejus gremio semper est responsum est ita (*Joan.* XIV. 9, 10): *Me videtis et Patrem meum quæritis, olim vobiscum sum: qui me vidit, vidit et Patrem, ego in Patre, et Pater in me.* Ergo quid dicimus? Deum nempe Spiritum, et Spiritum vitæ: dictum enim est, vita pater est, et item Christus Spiritus est. Et ipse rursus de se dixit (*Ibid.* ϛ. 6): *Ego sum vita.* Et (*Joan.* v. 26): *Ut Pater habet in se vitam, ita et Filio dedit habere ex se vitam.* Eodem modo Spiritus sanctus Spiritus est, utique et ipse vita. Nam omnia Christus accepit a patre (*Joan.* XVII. 7, 8, 10): *Et omnia*, inquit, *ei dedi.* Et item: *Quæ habet mea sunt.* Ergo habet vitam, et vitam a se esse. Quare istud? quia ubi vita est, ibi est, a se esse vitam: et si istud ita est, ibi est intelligere se vitam esse, et quid esse sit vivere: et quid esse quod vita est: conjuncta igitur omnia, et unum omnia et una substantia, et vere ὁμοούσια, vel simul, quod est ὁμοῦ, vel eademque substantia.

VII. Pater igitur esse est; hoc enim cæteris principium et primum ad phantasiam secundorum: hic Deus, is cum duobus cæteris Deus, hic unus Deus, quia quod est vivere et intelligere, hoc ipsum est quod est esse; et duobus istis quod vivere atque intelligere, ab eo provenit quod est esse. Nemo igitur separet Spiritum sanctum, et profana blasphemia esse nescio quid suspicetur, quia et ipse de patre est, quia ipse est et filius, qui de patre est: namque post id quod est esse, id est existentia vel substantia, vel ig altius metu (1) quodam propter nota nomina conscendas, dicasque vel existentialitatem, vel substantialitatem, est id ὑπαρχότητα, οὐσιότητα, ὀντότητα, omnibus his esse quod dico manens in se, suo a se motu vivificans potentia sua, qua cuncta vivificentur, et potentificantur, plena, absoluta, super omnes perfectiones omnimodis est divina perfectio. Hic est Deus supra νοῦν, supra veritatem, omnipotens potentia, et idcirco non forma; νοῦς autem, et veritas, forma, sed non ut inhærens alteri inseparabilis forma, sed ut inseparabiliter annexa ad declarationem potentiæ Dei patris eadem substantia vel imago vel forma. Illud igitur primum quod esse diximus, quod Deus est, et silentium dictum, et quies atque cessatio. Quod si ita est, potentiæ progressio, quæ non quidem progressio, sed apparentia est; et si progressio non dimittens unde progreditur, sed cum connexione progressio, magis autem apparentia: non enim fuit aliquid extra quod progressio fieret. Ubique enim Deus, et omnia Deus: ergo potentiæ progressio actus exstiti? : is actus, si silentium Deus est, Verbum dicitur: sed (2) cessatio, motus: si essentia, vita. Quod, ut docuimus, in eo quod est esse et vivere, in eo quod est silentium est tacens Verbum, et in eo quod est quies vel cessatio inest vel occultus motus, vel occulta actio. Necessario itaque ex hac cessatione natus motus, et nata actio est, vel a silentio Verbum, vel ab essentia vita. Ergo ista essentia, silentium, cessatio, Pater, hoc est, Deus pater. At vero vita, Verbum, motus aut actio, filius et unicus filius; quia nihil aliud quam unum, vel vita, vel verbum, vel motus aut actio, magisque omnia ista motus aut actio: etenim omnia illa activa sunt, vita et Verbum, motu vigent et motu operantur; universalis autem motus, qui principalis est motus, a se oritur: quid enim est motus, nisi a se sibi motus sit? Nam si ab alio movetur, est quidam aliud quam motus, quod ab alio movetur: et si illud quod hoc nescio quid movet, motus non est, movere non potest: unde enim moveat non habebit. Sin motus a motu nascitur, motus ergo a se nascitur. Sed hoc est (*Joan.* v, 26): Dedit ei pater vitam, ut ei vita esset.

VIII. Ergo motus, et unus est motus, et a se motus. Et cum in parte occultus sit, atque inde hic motus apparens a patre motus. Et quia a motu motus, ideo a se motus, et unus motus, unde unicus filius. Hic Λόγος universalis in omnibus per quem facta sunt omnia. Hic vita omnibus, quia quæ facta sunt vivunt omnia. Hic etiam Jesus Christus est, quia ad vitam salvabit omnia. Unus ergo motus, et unus filius et unicus, quia unica vita, et una vita, solaque æterna. Ergo ὁμοούσιος filius patri: vita enim pater, et vita filius, quæ οὐσία est: item motus pater, et motus filius quæ οὐσία est, neque enim ibi aliquid accidens; ergo et Verbum pater, licet tacens Verbum, Verbum tamen, et Verbum filius, et hoc οὐσία. Quidquid enim vel est, vel agit atque operatur οὐσία, et ubi magis οὐσία, Verbum. Non enim ut hic aer sonans, Verbum, sed ut hic aliquid agens, Verbum. Unus ergo filius, quia unus motus: una vita, quia una sola vita quæ æterna. Nec enim vita, quæ aliquando moritur. Nunquam autem moritur, si se sciat. Scire autem se non poterit, nisi Deum sciat, et Deum qui vita est, et vera vita est, ac fons vitæ. Hoc si ita est, Deo cognito cognoscet omnia: quia a Deo omnia, et in omnibus Deus, et Deus omnia. Hoc Joannes clamat (*Joan.* XVII. 3): *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Cognitio est vita. Porro autem sive vita, sive cognitio motus est unus, et idem motus agens vitam, et per vitam cognitionem, et per cognitionem vitam: idem ergo motus, duo officia complens, vitam et cognoscentiam. Λόγος autem motus est, et Λόγος filius. Filius igitur unicus in eo quod filius; in eo autem quod Λόγος, geminus. Ipse enim vita, ipse cognoscentia, utroque operatus ad animarum salutem mysterio crucis: et vita, quia de morte liberandi fueramus:

(1) *Metu.* Forte *motu.*

(2) *Sed.* Forte *si.*

Digitized by Google

mysterio autem cognoscentiæ per Spiritum sanctum : quia is magis est datus et ipse omnes docuit, et testimonium de Christo dixit. Quod est cognitionem vitam agere, et ex hoc Deum cognoscere, quod est vitam veram fieri, et hoc est testimonium de Christo dicere. Ita Dei filius Christus, id est, Λόγος, et filius vita ; et quia id est motus etiam et cognoscentia, filius est opere quo vita est Jesus existens. Opere autem quo cognoscentia est, Spiritus sanctus et ipse existens, ut sint existentiæ duæ, Christi et Spiritus sancti, in uno motu, qui filius est. Et hinc et a patre Jesus (*Eccli.* XXIV. 5) : *Ex ore Altissimi processi :* et Spiritus sanctus etiam ipse a patre, quia unus motus utrumque in existentiam protulit. Et quia (*Joan.* XVI. 15 ; XVII. 10) quæ habet pater filio dedit omnia : ideo et filius, qui motus est, dedit omnia Spiritui sancto : omnia enim quæ habet (*Joan.* XVI. 14, 15) *de me habet*, inquit ; etenim quia et ipse motus est, de motu habet : non enim filius illi dedit, sed (*Ibid.*) *ille*, inquit, *de meo habet*. Principaliter enim motus vita est, et ipsa vita scientia est et cognoscentia : ergo quidquid habet cognoscentia, de vita habet. Hæc summa Trinitas, hæc summa Unalitas (*Ibid.*, ℣. 15) : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt ; propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.*

IX. Hoc igitur satis clarum faciet, esse quod pater est, et vitam quod est filius, et cognoscentiam quod est Spiritus sanctus, unum esse, et unam esse substantiam, subsistentias tres, qui ab eo quod est esse, quæ substantia est motus, quia et ipse, ut docuimus, ipsa substantia est, geminans potentia valet, et vitalitatis, et sapientiæ, atque intelligentiæ, ita scilicet, ut in omnibus singulis tria sint : ergo Spiritus sanctus scientia est et sapientia. Hoc ita esse probant sacræ lectiones (1 *Cor.* II. 16) : *Quis Dei mentem cognovit, nisi solus Spiritus ?* (*Rom.* VIII. 16) : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* Quis testis sine scientia ? Et scientia ipsa, quia sapientia est, docet nos esse filios Dei. Item : Quis autem scrutatur corda ? quis scit cogitationes spiritus ? Item quomodo ad scientiam junguntur ambo ? (*Rom.* IX. 1) : *Veritatem dico in Christo.* Ubi veritas, ibi scientia, quia veritas Christus ; ideo et scientia, quod est Spiritus sanctus. Et item (*Ibid.*) : *Non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* Quid est enim aliud conscientia, quam cum altero scientia ? Nunc nostra cum Spiritu, ergo Spiritus scientia : et Christus est scientia, quia veritas ; ergo et Christus et Spiritus scientia. At enim Christus vita : Quid si Spiritus vita : unus enim, ut dixi, motus est, et eadem vita quæ scientia : quid enim in Christo doctus, id est, a Deo ; et cum dico doctus, a scientia dico, quod sive a Christo, sive a Spiritu, unum atque idem est ; quid enim dicit Paulus, cum utrumque idipsum esse declaret (*Rom.* VIII. 6) ? *Prudentia vero spiritus, vita est.* Æstuat enim et rebellat, ac repugnat secum error, imprudentia, inscientia ; et hoc (*Ibid.*) *prudentia carnis*, quæ imprudentia, et quia Deum nescit, *mors est :* ergo *prudentia spiritus, vita atque pax est :* quo modo jam juncti isti sunt, et unum sunt.

X. Doceamus quod Deus et scientia sit et vita, quamquam ab ipso ista Paulus (*Rom.* XI. 33) : O, inquit, *altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Sic dictum ab eodem (*Ephes.* III, 10) : *Multiformis sapientia Dei.* Hinc et secretum Dei, hinc et Christus dictus sapientia, hinc et illud (*Ibid.* 18) : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Ita et scientia Deus est, et nos scientia liberat, sed per Christum tamen, quia ipse est et scientia, et janua, et vita, et λόγος, et omnium per quem facta sunt omnia. Ergo et scire ista, et etiam charitatem in Christum habere debemus. Hæc atque alia plurima, et Deum scientiam esse, et Christum, et Spiritum sanctum satis clarum etiam vitam esse uno licet satis probatur exemplo ; nam in aliis libris uberius approbavimus (*Joan.*, V, 26) : *Sicuti enim Pater vitam habet in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Item dicit (*Joan.* VI, 58) : *Sicut me misit vivus Pater, ita et ego vivo propter Patrem.* Sunt igitur ista sic singula, ut omnia tria ista sunt singula, una omni (1) ergo substantia est pater, ergo filius, Spiritus sanctus, Deus, λόγος παράκλητος, unum sunt, quod substantialitas, vitalitas, beatitudo, silentium, sed apud se loquens silentium, Verbum, Verbi Verbum : quid etiam est voluntas patris, nisi silens Verbum ? Hoc ergo modo cum Verbum pater sit, et filius Verbum, id est, sonans Verbum atque operans : ergo, inquam, si et pater, et filius Verbum est, una substantia est. Deinde (*Joan.* V, 30) : *Justum*, inquit, *meum judicium est, quia non quæro facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit.* Ergo una voluntas, unde una substantia : quia et ipsa voluntas substantia est. Verbum autem ipsum vitam esse sic ostenditur (*Ibid.* 40) : *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* Deinde et de hoc totum mysterium est, quod expono (*Joan.* VI, 37) : *Omne quod mihi datum est a Patre apud me habeo.* Quia vero idem motus est quod esse, et quod est esse motus est, et quia quadam intelligentia prius esse, ab eo quod moveri, sed prius κατὰ τὸ αἴτιον, id est, secundum causam : ideo dedit pater filio et motum, qui et quod est esse habet. Ergo motum esse est λόγος : igitur qui motus est habet et esse : esse autem vita est et scientia : habet igitur omnia, quia patris habet esse : ergo voluntatem patris implet filius. Quæ autem voluntas, nisi quia cum pater vita sit, motus est vita ejus ? hæc voluntas est, vivere facere alia. Hæc ergo et τοῦ λόγου, id est, Christi (*Ibid.*, 39, 40). *Quæ est*, inquit, *voluntas Patris qui me misit ? ut ex eo quod mihi dedit nihil perdam, sed resurgere faciam id ipsum postrema die. Hæc enim voluntas est Patris mei, ut omnis qui videt Filium et in*

(1) *Omni.* Forte *omnia.*

Digitized by Google

ipsum credit, habeat vitam æternam, et in die novissima resurgat. Videre autem est Christum scire Deum Dei filium, vitam, et vitæ Deum; et hoc est accepisse Spiritum sanctum Verbum, id esse quod vita. Hinc probatum est (*Ibid.* 69, 70): *Post quem ibimus? verbum vitæ habes, et nos credimus et cognovimus quod tu es Christus Filius Dei.* Totum mysterium Christus Dei filius, Christus Verbum, et ipsum Verbum, vitæ æternæ Verbum. Ergo hoc Verbum quod vita, et hoc qui audit et credit, utique cognoscit Deum: ergo et Spiritum sanctum habet.

XI. Pronuntiata heic plena fides est, quippe a discipulis. Item ad Judæos dicit (*Joan.* VIII, 19): *Me si sciretis, sciretis Patrem meum. Neque me scitis, neque patrem meum.* Et recte. Quamquam enim et in patre filius, et in filio pater, existentia vel substantia in vita, et vita in substantia; invisibilis tamen cum sit substantia, non intelligitur nisi in vita. Magis autem vita Christus, quamquam et substantia · ergo pater in filio cognoscitur. Unde? *Quia non scitis me, nec Patrem; si sciretis me, sciretis et Patrem.* Ipsum hoc quid est? Sciretis a me esse, quia ipse et scientia, quod est Spiritus sanctus. Item ad illos quia Verbum est, et Verbum pater: ergo una substantia (*Ibid.*, 26): *Item qui me misit verus est, et ego quæ audivi ab ipso ea loquor.* Pater filio loquitur, filius mundo: quia pater per filium, et filius virtute Verbi patris facit omnia, id est, secum loquens Verbum per Verbum in manifesto loquens facit omnia. Secum autem loquens Verbum Deus est cum filio, quia pater et filius unus Deus. Ipse præterea dicit (*Ibid.* 51): *Amen, amen dico vobis: si quis verbum meum custodierit, mortem non vidèbit.* Et ipse rursum (*Ibid.*, 55): *Novi enim Patrem, et verbum ejus custodio.* Uterque Verbum, sed ut dixi. Illud quantum aut quale est in Joanne (*Joan.* X, 17, 18)? *Propterea me Pater amat, et ego pono animam meum, ut iterum sumam eam. Nemo illam a me tollit, sed ego eam pono a me ipso: licentiam habeo ponere eam, et licentiam habeo sumere eam.* Christum nunquam dictum esse animam satis manifestum est; sed nec Deum dictum animam. Etenim Pater Deus dictus, Spiritus dictus. Item filius λόγος dictus, spiritus dictus, et sine dubio Deus: quippe cum ambo unus Deus. Ergo hæc, λόγος, πνεῦμα supra animam sunt, sua superiore substantia, longe alia substantia animæ et inferiore, quippe a Deo insufflata et genita, et sola vere substantia dicta, quod subesset suis in se speciebus, et eodem pacto ut hyle.

XII. Huc accedit quod vita Deus, vita Christus, et ex se vita utique, sed ut patre dante Christus habeat ex se vitam: ergo vita superior ab anima. Priora enim ζωὴ et ζωηρὶς, id est, vita, vitalitas quam anima: ergo illa ὁμοούσια Deus et λόγος, pater et filius. Quippe ut ille Spiritus, et hic Spiritus, et hic vita, et ille vita. Item Verbum et Verbum, et cætera. Spiritus igitur habet potestatem animam sumendi, ponendi et resumendi. Etenim vita, et a se vita potestatem habet sumendi, ponendi illud, quod sua potentia, sui participatione facit vivere: etenim anima ad imaginem imaginis Dei facta (*Gen.* I, 26): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ergo inferior, et a Deo atque λόγῳ magis orta vel facta. Nunquam ipse Deus aut λόγος, sed quidem λόγος, non ille qui filius generalis vel universalis, atque omnium quæ per ipsum facta sunt, semen, origo, fons. Illius vero λόγος anima: quomodo, aut qui, et dixisse memini, et suo loco esse dicturum. Ergo universalis, quia spiritus et vita, non anima, habet potestatem a semetipso animam ponere, et rursum animam sumere. Deus igitur et λόγος, vel quia vita sunt, vel quia Spiritus, vivunt et semper vivunt. Quippe qui a se vivunt. Ergo illa ὁμοούσια. Anima vero ὁμοούσιος, hæc cum assumitur a divinis, id est, a λόγῳ; neque enim a Deo: Λόγος, enim motus est, et motus anima, et motus a semetipso motus, unde imago et similitudo anima τοῦ λόγου est. Ergo cum assumitur, nihil adjicitur vitæ: quippe cum ex vita, id est, ex vivendi potentia animæ vita sit. Animam igitur cum assumit Spiritus, veluti ad inferiora trajicit potentiam atque actiones, cum mundum et mundana complet: ergo Spiritum, et maxime Λόγος spiritus, qui vita est, in potestate habet et sumere animam, et ponere: cum autem sumit, mundo veluti nascitur, et potentia ejus cum mundo colloquitur: cum vero ponit, a mundo recedit, et non operatur in mundo carnaliter, nec tamen spiritaliter. Hoc nos mortem ejus nominamus, et tunc esse dicitur in inferno, non utique sine anima. Hinc petit (*Psalm.* XV, 10) ne *Deus animam suam relinquat in inferno.* Ergo eam, quia rediturus ad mundum est, et ad ejus actum secum ad inferis ducit, quasi resumit ergo animam, id est, actus, mundum iterum accipit, et quia actus in mundo plenos ac totos Λόγος agit, et qui Spiritus est, et animam, et corpus, rursus ergo sanctificandum fuit, quia rursus ista susceperat. Ivit igitur ad Spiritum, et sanctificatus redit, cum apostolis egit, post sanctum Spiritum egit. Quis igitur est Spiritus sanctus? id est, λόγος, unus enim motus, et ideo dictum: et si discedo et præparo vobis, rursus venio. Quis enim venit post abitum Christi, nisi Spiritus S. Paracletus?

XIII. Id ita esse quod dico: ut pater et filius unum sint: item quod Jesus et Spiritus sanctus unum sint: ac propterea omnes unum sint, juncta lectione Joannes declaravit; cœpit namque a Λόγου (*Joan.* XIV, 6): *Ego sum*, inquit, *via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quis enim ad id quod est esse, et verum esse pervenit, quod pater est, nisi per vitam: vita enim quæ vera vita est, quia æterna est, hoc est vere esse, nihil enim mutatur, nihil corrumpitur, quæ genera mortis sunt, vita esse, verum vita est (*Job.* XVII, 2): *Vivit*, inquit, *Deus.* Ergo vitam esse, Deus est. Et (*Joan.* XIV, 19): *Ego*, inquit, *vivo.* Quicumque ad Christum venit, ad vitam venit, et sic per vitam ad Deum: ergo juncti sunt Deus et λόγος. Et hinc illud est (*Joan.* XV, 23): *Qui me cognovit cognovit et Pa-*

Digitized by Google

trem. Et (*Joan.* XIV, 9) : *Qui me vidit vidit et Patrem.* Hinc et illud (*Ibid.*, 11) : *Non credis, quod ego in Patre, et Pater in me?* Hinc et illud mystice (*Joan.* XIV, 14) : *Et si quid aliquando petieritis in nomine meo, istud faciam.* Quid est petere in Christi nomine? animam æternam fieri, lucem Dei videre, ad ipsum videndum venire, æternam vitam habere, non divitias, non filios, non honores, nihilque mundanum, sed spiritale omne, atque omne quo uniti Deo Christo jungamur : hoc enim est, ut glorificetur in Filio, id est, vita æterna, quam petentibus dabo.

XIV. Subjungitur deinde plenissime de Spiritu sancto, quid sit, unde sit, quod ipse sit (*Ibid.*, 15, 16) : *Si enim*, inquit, *me amatis, mandata mea custodite. Et ego rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in omne tempus.* Quid est Paracletus, qui asserat adstruatque apud Patrem homines omnes fideles atque credentes? Quis est iste? unus ne solus Spiritus sanctus? an idem et Christus? Etenim ipse dixit : *alium Paracletum dabit vobis Deus.* Dum dixit *alium*, se dixit alium; dum dixit *Paracletum*, operam similem declaravit, et eamdem quodammodo actionem. Ergo et Spiritus Paracletus, et Spiritus sanctus, alius Paracletus, et ipse a patre mittitur. Jesus ergo Spiritus sanctus : motus enim Spiritus, unde et Spiritus motus, eo quod Spiritus (*Joan.* III, 8) : *Spirat enim ubi vult.* Et ipse nunc dicit : *Spiritus veritatis*, et ita ei nomen est Spiritus sanctus, Spiritus etiam Christus, Spiritus et Deus, omnes ergo Spiritus. Verum Deus substantialiter Spiritus : inest enim in eo quod est substantia et motus : vel potius substantia ipsa, qui est motus, sed in se manens, ut sæpe jam diximus, et retinendi causa sæpe repetemus. At vero Jesus et Spiritus sanctus motio vere mota motio; unde foris operans, sed Jesus spiritus apertus : quippe et in carne : Spiritus autem sanctus occultus; Jesus quippe qui intelligentias infundat, non jam qui signa faciat, aut per parabolas loquatur ipsum se esse, ipse sic docet (*Joan.* XIV, 18) : *Non vos dimittam orphanos, veniam ad vos.* Ipse autem in Spiritu sancto esse occultum sic docet (*Ibid.*, 19) : *Mundus me jam non videbit, vos autem videbitis me, quoniam vivo ego et vos vivetis.* Hoc etiam sancto Spiritui datum (*Ibid.*, 16) : *ut penes vos sit in æternum Spiritus veritatis.* Et de se dixit (*Ibid.*, 6) : *Ego sum veritas.* Deinde adjecit (*Ibid.*, 19) : *Quem mundus non potest videre.* Et de se dixit (*Ibid.*) : *Jam me mundus non videbit.* Deinde adjecit (*Ibid.*, 17) : *Quoniam ipsum non videt, neque cognoscit ipsum.* Sed et Christum nemo cognovit (*Joan.* I, 11) : *In sua venit et mundus eum non cognovit.* Adjecit (*Joan.* XIV, 17) : *Vos cognoscetis ipsum, quoniam manet in vobis, et in vobis est.* Et ipse de se ita (*Joan.* XIV, 19) : *Vos videbitis me.* Et quoniam Christus vita est, de se adjunxit (*Ibid.*) : *Quoniam ego vivo, et vos vivetis.* Et quia Spiritus sanctus intelligentia est, utroque autem mundus ipse caret, ideo adjecit (*Ibid.*, 17) : *Quoniam apud vos manet, et in vobis est.* Unde autem aut est in illis, aut jam manet Spiritus sanctus, si adhuc postea venturus est, et non jam per Christum apud illos esse cœpit? Ergo juncti atque ex uno sunt, qui motus est. Id apertius in sequentibus declaratur, ait enim (*Ibid.*, 25, 26) : *Hæc vobis dixi apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, vos docebit omnia quæcumque dico. Ego*, inquit, *in vobis maneo.* Data est enim vita, nec ab illis jam Christus abscedit : sunt igitur et spiritali motu, quod est Christum in illis manere : ipsi autem animæ, in quibus spiritus manet, nec aliquando discedit, dictum tamen (*Joan.* XVI, 16) : *Nunc ibo ad Patrem.*

XV. Quid istud sit facile intelligi potest, si accipiatur ex mysterio dictum, et corporali mysterio : nam spiritaliter cum et ipse in Patre sit, et pater in ipso, quo, aut quare ibit. Ex eodem mysterio est, quod ad Christum Spiritus columbæ similis venit, et quod nunc Spiritus mittetur a patre, et mittetur ad patrem, Christo eunte et petente ut mittatur : a morte enim vita revocata, et vita non ipsa vita, quia Λόγος est : hæc enim mortem nescit, magis hæc ipsa interficit mortem; sed vita quæ in hominibus resurrexit a morte. Quam utique induit simul cum corpore, et eam ab inferno resumpsit. Propter hanc igitur sanctificandam, eundum fuit ad patrem, sed corporaliter adque animaliter, id est, in id quod in se pater fuerat penetrandum potentialiter atque existentialiter : hoc igitur modo ivit ad patrem. Denique nec absentiæ tempus edictum, sed contra dictum (*Joan.* XX, 1, 17, 18, 19, 20, 27, 29), quod nocte quæ sabbatum sequitur apparuerit Mariæ, tangi noluerit priusquam iret ad patrem : nuntiavit Maria discipulis : eadem nocte ad ipsos venit ostendens manus et latus, utique tangi jam non prohibens. Post Thomas palpavit, tetigit, ipso quidem hortante, quia ille desperabat, quod significat sanctificatum jam fuisse. Quam ergo breve hoc tempus est, sed propter mysterium dictum : *ibo ad Patrem :* nam cum ipse in patre, et in ipso pater sit, quo ibit? Eodem ergo mysterio : *quem vobis mittit Pater*, quia pater mittit, cum Christus mittit. Denique sic ait : *Mittit Pater in nomine meo*, id est, pro me : aut *in nomine meo*, quoniam spiritus Christus, et ipse Spiritus sanctus; aut *in nomine meo*, quia Spiritus sanctus ipse de Christo testimonium feret, sic enim dictum (*Joan.* XV, 26) : *Ille testimonium dicit de me.* Quis ille? *quem vobis ego mitto a Patre :* juncti ergo omnes : ego mitto, a patre mitto, Spiritum veritatis mitto : medius ergo Λόγος, id est, Jesus ipse mittit; motus enim principalis universalisque qui vitalis ac vita est, mittit intelligentiæ motum, qui sicuti docuit, ex vita atque ipsa vita est : scire enim quid sit, hoc est vivere, hoc est esse. Hoc autem esse quid est, quam ex Dei substantia esse, quod est Spiritum esse? unde nos spiritales efficimur, accepto Spiritu a Christo, et hinc æterna vita : Spiritus ergo appellata est ista Trinitas. Nam dictum (*Joan.* IV, 24) : *Deus spiritus est.* Item dictum a Paulo ad Corinthios secunda (*II Cor.* III, 17) : *Dominus autem Spiritus est : ubi autem Spiritus Domini, ibi liber-*

Digitized by Google

tas. Utique ista de Christo, ipse vero Spiritus sanctus dictus, quos sanciat Sanctos, id est, Sanctos facit; et certe ipse est Spiritus Dei: dictus est enim prudentia, sapientia, omniumque rerum scientia, ita enim de eo subjungit (*Joan.* XVI, 8-10): *Ille convincet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato*, inquit, *quoniam in me non credunt*, vel quod vita sit Christus, vel quod Dei filius et a Deo missus, et qui peccata dimittat. *De justitia autem, quoniam ad Patrem pergo:* tot enim in mysterio passionis, quia fidem mandatorum servavit et implevit: quippe cum dixerit, cum aliud vellet (*Matth.* XXVI, 42): *Fiat voluntas tua.* Itemque quia monitos derelinquens, jam non ita videndus relinquebat, justitiæ fuit, iis actis omnibus ire ad patrem, nec ire ad patrem tantum, sed cum illo jam esse: Nam idcirco dicitur (*Ibid.*, 64): *Sedet ad dexteram Patris. De judicio: quoniam princeps hujus mundi judicatus est*: mysterio enim crucis omnes adversæ Christo ab eodem Christo triumphatæ sunt potestates. *Hæc*, inquit, *docebit Spiritus sanctus.* Quid eligitur? De salute mysterium Paracletus complet, et non completa Christus abscidit: An quia idem ipse Christus est et Spiritus sanctus, vel quia ipse eum mittit, vel quia Spiritus habet omnia Christi? Habet omnia, per Christum celebratur.

XVI. Et tamen videamus quid acturus est, Spiritus scientiam daturus gestorum, et insinuationem scientiæ, quasi vim testimonii, ac magis judicii habiturus, vel ad pœnitentiam vel ad pœnam; *de peccato*, inquit, *quod in me non crediderunt.* Ergo ut sciat mundus jam pœnam suam. *De justitia autem, quod ad Patrem vado.* Et hoc potest esse de peccato quod injuste fecerunt qui eum in crucem sustulerunt, quia se filium Dei dicebat. Et nunc pergit ad patrem, quod item erit omnium, si in Deum credant, et faciant Dei jussa: ut et ipsi ad patrem pergant: justificantur enim, nam (*Gen.* XV, 6): *Abraham credidit, et reputatum est ei ad justitiam.* Deinde *de judicio*, inquit, *quod princeps mundi judicatus sit.* Hæc, ut cernitur, non ad salutem, quæ jam a Christo completa est, sed pertinent ad scientiam rerum gestarum. Est enim pater loquens silentium, Christus vox, Paracletus vox vocis. Ergo Spiritus sanctus in isto actu alter Paracletus, in salutis mysterio cooperator ut Christus, in Spiritu vero sanctificationis quod Deus. Si igitur et hoc modo Christus quod spiritus, sed Deus in mysterio æternæ vitæ Christus, in sanctificatione Spiritus sanctus, sanctificat autem Deus, ut dictum (*Joann.* XVII, 17): *Sanctifica eos in veritate*, patri filius dicit, ergo sanctificat pater. Item Christus sanctificat, ut dictum (*Ibid.*, 19): *Et pro iis sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate.* Item sanctificat Spiritus sanctus, nam et baptizare ad sanctificationem pertinet: dictum ergo in Actis Apostolorum (*Act.* I, 5): *Joannes baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto tingemini.* Quod superfudit se illis ad scientiam: nam jam sanctificati fuerunt baptismo, invocato Deo Christo; Spiritui sancto etenim sic dictum est: *Sanctifica eos in veritate.* Et veritas Christus est; Paracletus etiam Spiritus est veritatis: ergo omnis qui baptizatur, et credere se dicit, et fidem accipit veritatis, id est, Spiritum sanctum, fitque sanctior a Spiritu sancto, et ideo dictum in Actis Apostolorum (*Act.* I, 8): *Sed accipietis virtutem, adveniente in vos Spiritu sancto.* Non ad sanctificationem, sed scientiam, et ad ea quæ promisit in Evangelio Christus de Spiritu sancto, id est, de Paracleto. Primum ut testimonium de Christo dicat, sic enim ait: *Accipietis virtutem, adveniente in vos Spiritu sancto, et eritis mihi testes in Jerusalem.* Sed et Lucas dicit (*Joann.* VII, 39): *Nondum quidem misso Spiritu.* Jam tamen testimonium dicit. Paulus tamen in omnibus epistolis suis quid aliud agit, nisi de Christo testimonium dicit? et post abscessum Christi, solus Christum vidit et soli apparuit. Spiritus ergo per Christum, et Christus per Spiritum sanctum adfuit. Item dicit testimonium Joannes et Petrus (*I Joan.* I, 1): *Quod audivimus, quod vidimus, quod palpavimus.* Et in Actis Apostolorum et ipse, et Lucas qui scripsit de iis, de David ita dicit (*Act.* II, 30-32): *Propheta cum esset, et sciens quia jurejurando jurasset illi Deus; ex fructu ventris ejus sedere super thronum illius, providens locutus est de resurrectione Christi: quia neque relictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc ergo Jesum resuscitavit Deus, cujus nos omnes testes sumus.* Quando ista dicunt (*Ibid.*, 2, 4): *Cum jam factus esset de cœlo sonus, et tanquam vi magna, Spiritus ferretur, qui replevit totam domum, et repleti sunt Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis.* Deinde dicunt Apostoli de peccato mundi, quod non credidit Christo, in Actis ita (*Ibid.*, 22-24): *Sicut vos scitis, hunc decreto consilio et præscientia Dei traditum per manus scelestas, et suffixistis eum cruci, et occidistis quem Deus suscitavit.* Item in Actis Apostolorum, referente Petro (*Ibid.* 34): *David non ascendisse in cœlum, sed dixisse ita: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram.* Hoc etiam Paulus dixit (*Rom.* VIII, 34): *Qui resurrexit, qui est in dextera Dei.* Ergo docuerunt quod post resurrectionem ad Patrem ivit. Idem mox adjecit (*Ibid.*): *Qui et interpellat Patrem.* Ergo si Christus interpellat, Paracletus etiam ipse. Item in Actis, quod ad patrem ierit, testimonium est (*Act.* I, 9, 10): *Videntibus illis elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis ipsorum; cumque intuerentur euntem illum in cœlum*, et reliqua.

XVII. Dicta sunt jam tria de testimonio in Christum, de peccato, de justitia, nunc de judicio. Sic per Spiritum sanctum locutus Paulus ad Romanos (*Rom.* XVI, 20): *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* Item ipse ad Ephesios (*Ephes.* IV, 8): *Qui ascendit in altitudine captivam duxit captivitatem.* Item in Apocalypsi ipse dixit (*Apoc.* I, 18): *Et habeo claves mortis et inferi.* Item ibi (*Apoc.* XII, 7): *Et factum est prælium in cœlo, Michael et angeli ejus bellarunt adversus draconem.* Et totus locus demonstrat diabolum judicatum. Cum igitur ap-

Digitized by Google

probatum sit, tres istas potentias, et communi, et proprio actu et substantia eadem, unitatem deitatemque conficere; non sine ratione rerum in duo ista revocantur, in Filium ac Patrem: etenim cum quasi geminus ipse Pater sit, existentia et actio, id est, substantia et motus, sed intus motus, αὐτόγονος motus, et hoc quod substantia est motus, necessario et Filius, cum sit motus, et αὐτόγονος motus, eadem substantia est: eadem enim hæc inter se sine conjunctione unum sunt, et sine geminatione simplex, suo ut proprio existendi versum, vi autem potentiaque: quia nunquam sine altero alterum, unum atque idem tantum actu; sed qui foris est, in passiones incidente, alio autem interiore semper manente atque æterno, quippe originali et substantiali, et idcirco semper patre, qua ratiocinatione et semper filio. Paulus in omnibus epistolis (*Gal.* I, 4): *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino nostro Jesu Christo.* Item (*Joan.* X, 30): *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et per Deum Patrem.* Item in Evangelio (*Joan.* XIV, 9): *Ego et Pater unum sumus: ego in Patre, et Pater in me.*

XVIII. Nos quoque patrem et filium religiose semper usurpamus, et recte secundum rationem supradictam: etenim motus, ut supra docuimus, filius, atque ipse motus vita et scientia, vel sapientia. Certe Paulus plenissime expressit quod intelligi voluimus (I *Cor.* I, 4, 5): *Gratias ago*, inquit, *Deo meo semper pro vobis in Christo Jesu, quod omnes locupletati estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.* Verbum Christum diximus, id est, vitam, scientiam Spiritum sanctum, ergo unum: *In Christo enim*, ait, *locupletati estis.* Quod cum ita sit, si Deus et Christus unum, cum Christus et Spiritus unum, jure tria unum, vi et substantia: prima tamen duo unum diverse, hoc ut sit pater, actualis existentia, id est, substantialitas; filius vero actus existentialis: duo autem reliqua ita duo, ut Christus et Spiritus sanctus in uno duo sint, id est, in motu, atque ita duo, ut unum duo: prima autem duo, ut duo unum, sic cum in uno duo, et cum duo unum, Trinitas existit unum. Nam quid ego de Spiritu sancto, de quo tractatum est pluribus, multa commemorem? Ex ipso concipitur Christus in carne; ex ipso sanctificatur in baptismo, Christus in carne; ipse est in Christo qui in carne, ipse datur Apostolis a Christo qui in carne est, ut baptizent in Deo, et in Christo, et Spiritu sancto: ipse quem Christus in carne promisit esse venturum, quadam agendi distantia; idem ipse et Christus, et Spiritus sanctus; et quia Spiritus, idcirco et Deus: quia Christus quod Spiritus, ideo Deus: unde pater, et filius, et Spiritus, non solum unum, sed et unus Deus.

LIBER QUARTUS.

I. Vivit ac vita unum ne, an idem, an alterum? Unum. Et cur duo nomina idem, et quomodo? cum sit aliud in actu esse, aliud ipsam actionem esse, ergo alterum. Sed quomodo alterum? cum in eo quod vivit, vita sit, et in eo quod vita est, vivat necesse est: non enim caret vita quod vivit, aut cum sit vita non vivit: alterum igitur in altero, et ex hoc in quolibet altero duo: et si ut duo, non ut pure duo, quippe cum alterum in altero, et id in utroque, idem ergo. Sed idem in duobus est, et a se alter: is ergo et idem est, et alterum in quolibet horum aliquo. At si idem est, et ad se utrumque idem et unum est; quodlibet enim altero existente quod alterum est, neutrum ut geminum; ergo si utrumque hoc ipso quod est, et alterum est, erit apud se utrumque unum; at cum utrumque apud se unum est, in altero idem unum est: at cum idem unum est, vere unum est utrumque: nullo enim utrumque distat, nec existendi virtute, nec tempore, fortasse causa, et hoc altero prius est.

II. Hoc quo facilius judicetur, sic ista melius retractabimus. Vivere ac vita ita sunt, ut et hoc quod est vivere, vita sit: et hoc quod est vita, sit vivere; non ut duplicatum alterum in altero sit, neque alterum cum altero est: hæc enim est copulatio: num et ex hoc etiamsi inseparabiliter junctum sit, unitum est, non unum? nunc vero cum ipso eodem opere vitam esse sit vivere, et eodem modo vitam esse sit. De iis enim loquimur duobus, de vivere et vita; non de eo quod ad effectum vitam habet et vivere. Quamquam et ipsum tertium, et in eo quod vitam habet, et ut alterum ex altero, sed ut unum utrumque. Ex quo apparet, quid ipsa per se existentia in suis rebus valeant, cum substantia una atque eadem manente, esse suum nulla sui innovatione custodiant: namque vitæ esse suum, est moveri: ipsum autem moveri, hoc est vivere. Esse igitur et vivere est, et esse vitam: una ergo eademque substantia: namque unicuique in eo quod sit suum esse, substantia est. Etenim in supernis æternisque, id est, in intellectibilibus atque intellectualibus, nihil accidens, nihil qualitas, nihil geminum, vel cum altero, sed omnia viventes sunt, intelligentesque substantiæ, puræ, simplices, uniusmodi, hoc ipso quo sunt et vivunt, et intelligunt; conversumque quo intelligunt, hoc ipso etiam sunt. Vivit igitur ac vita una substantia est.

III. Sed quoniam intellectus ita se pandit, atque ita sermo processit, ut et in eo quod est vivere vita sit; et in eo quod vita sit, ideo sit vita, quia vivit: videndum, et intenta ratione quærendum, utrum naturalis ista complexio, et bigemina existentiæ modo pura simplicitas unave sit, an duæ. Si nihil interest, vivere, et vita sit; et vitam esse, vi insit et vivere; jure ac merito unam istorum, non geminam copulam ad existentiam sui esse dicemus. Sin autem primum, aliud est vivere, aliud vitam esse. Et item si distantia est, ut nunc vita causa sit ad vivendum, nunc ipsum vivere causa sit, ut vita sit: duo sunt ista, sed gemina inter se, atque apud se simpliciter unita: potentia enim Λόγῳ suo atque divino refert ista geminari, ut ejusdem naturæ ac potentiæ, alterum cujus sit id, a quo hoc alterum. Atqui est

Digitized by Google

nonnulla distantia, parva illa sit licet, unde non est frustra geminatio. Etenim non idem actio et agere, nec potentia et operatio, nec, ut verius dicam, idem causa est, quod effectus : illa enim origo, hic partus est. Unde cum duo ista, vivit ac vita, sit actio atque agere, quamquam in se simulque sint, tamen et alia vi atque natura existimanda sunt, ut alterum alterius causa sit, alterum existat effectum. Sed ut mihi intelligentia est, ac probata sententia, cum in principali naturalique primæ divinitatis exordio, primum sit quod est vivere, secundum vero quod vita; ita enim ratio docebit, et ipsa veritas approbabit; fit ut vivere causa sit, effectusque vivendi vita sit, quod tamen ipsum vivere et vita sit : simul enim ista, et simul semper, quod cognoscitur, erant. Aliud vita ad secunda tertiaque, vel deinceps quæ vivunt ordinata causa atque principium, ita scilicet ut idem sit simulque vita quod vivere; sed hoc vivere, secundum de vita, cum vita est : Illud primum ac principale vivere, simul et vita causa est vitæ, et fons, et origo viventium. Scio hoc obscurum videri posse, non tam rerum, quam eorumdem repetitionem sermonum, quod duo ista tali copulatione nectuntur, ut cum sit vivere vita sit, et cum sit vita, sit vivere; unde constituto quolibet uno, frustra alterius videbitur facta geminatio.

IV. Audi, lector, audi quod miraberis, lector : ista tam dura, tam tortuosa, tam clausa tractatu de Deo et de divinis, simplici disputatione pandemus. Deum certe fatemur omnes, Deum omnipotentem, Deum supra omnia, Deum ante omnia, Deum a quo omnia. Hunc cum fatemur, etiam esse sine dubio confitemur. Esse huic quid credimus? quid putamus? (*Joan.* IV, 24) : *Spiritus*, inquit, *Deus est*, lumen; et verum lumen Deus est. Quid hoc esse creditur, quod spiritus dicitur? nempe spiritum intelligere cogimur quamdam existentem, viventem, intelligentemque substantiam : in supernis quidem, et circa Deum maxime quasi humilem et alienum; et in posterioribus nomen non credunt convenire substantiam. Sed cur a nobis fugiatur hoc verbum? cum esse, cuique hoc ei sit esse substantiam. Et in Jeremia Deus loquens ita dicit (*Jer.* XXIII, 22 sec. LXX) : *Quod si in mea substantia staretis, videretis Verbum meum.* Sic etiam ibi non multo post, et aliis in locis multis. Est igitur spiritus substantia, id est, esse ejus : colligamus igitur κατὰ Ἰωάννην dictum (*Joan.* IV, 24) : *Spiritus Deus est; et adorantes eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Deus*, inquit, *spiritus est*, hoc est Dei, quod est esse : ergo substantia Dei spiritus est, eadem substantia, hoc est quod vivens : non ut aliud sit substantia aliud vivens, sed ipsum vivens ut sit ipsa substantia. Si enim dictum est ab eodem (*Joan.* VI, 63) : *Spiritus est qui vivificat*, utique is qui vivificat, qui vivit, et vitæ potentia est : ergo vivit spiritus, vivit Deus. Porro autem quia vivit, ut supra diximus, et vita est, Spiritus ergo et vita est, ut idem Joannes ait : *Spiritus vita est;* ergo Deus, cum est Spiritus, et vivit et vita est. Paulus etiam ad Romanos (*Rom.* VIII, 1, 2) : *Nulla ergo damnatio iis qui sunt in Christo Jesu, et non juxta corpus ambulant : lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Spiritus vitæ, inquit, tria enim ista spiritus sunt, Deus, Jesus, Spiritus sanctus.

V. Ac de Deo probatum puto et spiritum esse : spiritum autem et vivere, et vivere facere, et vitam esse substantialiter, ut ista intellecta sint, et simplex et una substantia, ut hoc sit spiritum esse, quod vivere, et vitam esse. Sed non istud quod nostrum est vivere, quod animalium, quod elementorum, quod creatorum ex elementis, quod mundi, quod omnium in mundo, quod Angelorum, dæmonum, vel etiam eorum quos in mundo de mundo deos nominant : non, inquam, illud vivere in Deo est. Hoc Deus est, quod est vivere animæ, aut uniuscujusque, aut illius universalis atque fontanæ; non ut ibi Angelorum, non ut ibi thronorum, gloriarum vel cæterorum in æternis existentium, vel in intellectualibus, vel intellectibus : sed illud vivere, unde hæc pro suo existendi genere vitam recipiunt et vivunt, illo quodammodo progrediente, et ista prout capere possunt potentiam viventis vigoris affluente, a se sibi, per se, in se solo simplex, purum sine existendi principio a quo fusum magis, vel progressum, vel natum principium est, per quod crearetur vivere cæterorum. Etenim vivere vitam parit; nam vi naturali prior actor, quam actio : agens enim actionem genuit, et quasi ex ipsa vocabulum et rem cum ipse tribuerit, ipse suscepit. Hoc cum rectum, etiam ratione admodum verum est : certe Deus, cui ad omnipotentiam principalemque summitatem hoc nomen convenit Deus : Deus, inquam, primum, si in Dei operibus dicendum aliquid primum : sed intelligentia humani ingenii, ut se exerat et res capiat, rebus vel simul existentibus, vel simul fusis; et ortus, et diversos ortus, et quasi tempus attribuit. Deus, inquam, primo universalium existentias substantiasque progenuit : has Plato ideas vocat, cunctarum inexistentibus specierum species principales; quod genus in exemplo est ὀντότης, ζωότης, νόησις : Et item ταυτότης et τερότης (1), atque hoc genus cætera : genera igitur generum profunduntur, adeo omnium potentiarum potentiæ universaliter principales. Ergo ὀντότης, id est, existentialitas, vel essentialitas : sive ζωότης, id est, vitalitas, id est, prima universalis vitæ potentia, hoc est, prima vita fonsque omnium vivendi. Item νόησις, intelligendi vis, virtus, potentia, vel substantia, vel natura : hæc tria accipienda ut singula, sed ita, ut qua suo plurimo sunt, hoc nominentur et esse dicantur : nam nihil horum est, quod non tria sit : esse enim, hoc esse si vivat, hoc est in vita sit. Ipsum vero vivere, non est vivere quod vivat intelligentiam non habere : quasi mixta igitur et ut res est, triplici simplicitate simplicia. Quidquid enim hoc ipso quo est, et alterum est, non aliquando dicendum geminum, sed semper unum.

(1) Forte ταυτότης et ἑτερότης.

Digitized by Google

VI. Verum de iis pluribus alibi. Deus igitur est vivere, quod summum, primum, fontaneum, principaliter principale, tria ista genuit, id est, suo vivendi opere, ut existerent procreavit. Ista igitur opere provenerunt, et hæc proles, ista generatio est, ut ab agente actus, ab eo quod est essentitas vel essentia, a vivente vitalitas vel vita, ab intelligente νόησις, intelligentium universalium universalis intelligentia nascerctur. Prius est igitur vivere, quam vita : quamquam in eo quod est vivere, vita sit : sed vivere ut parens vitæ est, vita et proles, et quod gignitur, quippe a vivente generata. Deus igitur est vivere illud primum vivere a semetipso, vivere ante omnium vivere, et ante ipsius vitæ vivere : agens enim et semper agens, et nullo principio agens, non ab actione agens est, ne actio vel phantasia principii sit ad agentem, sed ut actio agentis opere, vel progenita sit vel exstiterit, vel effusa sit. Hoc utique agere in eo ponimus, quod est vivere : Deus ergo vivere est, et principale vivere : vita autem ut genitum. Vivere ergo pater est, vita filius : namque quod in eo factum est, vita est, et ipse filius dicit (*Joan.* xiv, 6) : *Ego sum via, ego veritas, ego vita.* Hæc vita est, quæ orta est ab eo quod pater vivit, et hoc illud est (*Joan.* xvi. 27) : *Ego* enim *de Deo exivi.* Item ipse de se ita dicit (*Joan.* vii. 37, 38) : *Qui sitit, veniat ad me, et bibat; qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Hinc et illud est quod Samaritanæ respondit (*Joan.* iv. 10) : *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu magis petisses eum, et dedisset tibi aquam vivam.* Item postea (*Ibid.*, 13) : *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* Samaritana aqua mundana est anima (*Ibid.* et 14) : *Qui autem biberit de aqua quam ego dedero ei non sitiet in sempiternum, sed aqua quam dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Iis atque hujusmodi innumerabilibus exemplis satis clarum fit Christum Dei filium vitam esse, et æternam vitam : quippe qui et ipse ut pater Spiritus sit. (*Joan.* iii. 6) : *De Spiritu* enim *quod nascitur spiritus est :* Spiritus vero spirat, et a se spirat : spirare autem vivere est. Porro quod a se spirat, a se vivit : quod a se vivit, ex æterno et in æternum vivit : nunquam enim se deserit, quod sibi causa est, ut hoc ipsum sit quod existit. Cum igitur pater sit quod est vivere, ut supra docuimus, vivere autem sit vitam esse, itemque quod vita id sit quod gignitur ab eo quod est vivere, necessario id est vita, quod vivere : vivit enim et vita hoc ipso quia vita est, atque ex se vita est : ex se enim ei est vivere : verumtamen ex illo primo, quod est principaliter vivere, quod est pater, ubi et unde existit vita, cui inest et vivere, et ex se vivere, quod esse filium Jesum Christum probamus, intelligimus et fatemur.

VII. Ista omnia quæ a me dicta sunt, quemadmodum in Evangelio κατὰ Ἰωάννην significata atque asserta per ipsa Salvatoris verba videamus (*Joan.* vi. 58) : *Misit me vivus Pater, et ego vivo propter Patrem.* Ac ne qui istum in carne Christum dixisse istud crederet, subjunxit statim (*Joan.* vi. 59) : *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Deinde vitam esse, et æternam vitam sic testatur, sic docet (*Ibid.* 54, 55) : *Nisi acceperitis corpus Filii hominis*, sicut panem vitæ, *et biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis : qui autem edet carnem ejus, et bibet ejus sanguinem, habet vitam æternam.* Omne ergo quod Christus est, vita æterna est, vel spiritus, vel anima, vel caro : horum enim omnium ipse Λόγος est. Λόγος autem principalis vita est : ergo etiam ea quæ induit vita sunt ; unde ista et in nobis vitam æternam merebuntur per Spiritum quem Christus nobis dat, facta et ista spiritalia. Ac ne qui crederet de Christo carnali Christum ista dicere, et non de toto se, qui est Spiritus, anima, caro, quid ait? (*Ibid.* 63) : *Quid si videritis Filium hominis ascendentem?* Quis est filius hominis? Spiritus, anima, caro : hæc enim habuit cum ascendit, et cum quibus ascendit. Quid ergo est quod adjicit? ut spiritus intelligatur (*Ibid.*) : *Ubi primum fuit* : hoc est, spiritus : atque vita, quod Pater, quod Deus, unde hæc ὁμοούσια, id est, consubstantialia sunt, nullo tempore extra se existentia, principaliter principalia, una eademque substantia, vi pari, eadem potentia, majestate, virtute, nullum altero prius, nisi quod causa est alterum alterius, et idcirco alterum ; sed idem alterum verum quia idem unus Deus ; quia vero alterum, idcirco primum et secundum ; et quia causa alterum alterius, idcirco pater, quod causa est : id vero quod ab altero, filius : in substantia vero nulla distantia, nulla temporis discretio, nulla significatio ; unus motus, una voluntas, et aliquando phantasia alterius voluntatis, sed semper eadem.

VIII. Hæc ita esse sacra primum lectione docemus, deinde, ut ordo poscit, ut rerum necessitas flagitat, et perspiciamus in iis quibus est una eademque substantia, cur alter mittentis, alter missi potestatem gerant : imperantis alter, alter ministri : alter motu agendi a passionibus libero, alter per infinitos actus in creandis sæculis infinitus, et iis quæ sunt in sæculis, subjecit usque ad mortem innumeras passiones. Vivit quod primum est, vivit ex sese, vivit æternum, et hoc Deus est. Quod ipsum vivit, ut docui, existentiæ, vel substantiæ vim habet, et naturam vitæ et intelligentiæ : immo ipse in eo quod est ei esse, hoc est illud quod dicimus vivere, et hoc quod intelligere, et hoc Deus est : ergo quod est Deo esse, existentiæ causa et pater est. Et quoniam in ipso suo esse vita ei est, et in eo etiam nosse qui sit, et vitæ universalis, et intelligentiæ fons est. De tribus enim istis quæ simplici existentia in Deo sunt, vel quæ Deus sunt, magis esse Deus est : quod ex se habet vivere, et vitam esse, vel intelligere, et intelligentiam esse, ut supra docuimus, et in pluribus. Ut jam reliqua duo, vitam dico et intelligentiam accipiamus, ut genita ab eo quod est esse, suum esse habentia ab eo quod est primum esse motum, pro priore existendi vim ac nomen vitæ intelligentiamve sortita. Omnia enim in tribus terna sunt quodammodo

Digitized by Google

et ordine nominata : non quod non in singulis tribus trina sunt, sed quod motu id operantur quod esse dicuntur : esse enim primus motus est, qui cessans dicitur motus, idem intus motus : cum enim se ut existat operatur, recte et intus motus, et cessans motus est nominatus. Hinc nos motum esse dicimus, quod est vivit ac vivere : jam vero cum ex eo quod est vivit ac vivere confecta quodam modo et genita in habitus speciem ipsius quod est vivit ac vivere forma formata sit, hæc vita, hæc filius nominatur. Ut enim forma quælibet, vel ibi posita ubi est, vel alibi ducit nos ad cognoscendum eum cujus est ; sic vita facit nos nosse quid sit vivere : actus enim est vivere, et in actu momentis omnibus cursus, et ideo dictum (*Joan.* I. 18) : *Deum nemo vidit unquam.* Quis enim videat vivere, quod Deus est, sine vita quæ lineamentis agendis in quadam specie coit et existit, ut sit forma viventis? Ergo ejus quod est vivere, forma est vita, per quam, vel in qua quod est, vivit ac vivere videtur, accipitur et agnoscitur, quod a patre significat dictum Salvatoris (*Joan.* XIV. 9) : *Qui me videt videt et Patrem :* Filius enim Dei forma Dei est, id est, vita, quæ est forma viventis. Dictum enim a Paulo ad Philippenses (*Philipp.* II, 6) : *Qui cum in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo.* Item ad Colossenses (*Coloss.* I. 15) : *Qui est imago invisibilis Dei.* Ergo Jesus Christus et imago, et forma Dei. Diximus autem quod in forma videtur, id cujus forma : et eodem pacto et in imagine videtur is, cujus imago est, maxime si is cujus imago, est invisibilis, sicut heic dictum : *Imago Dei invisibilis.* Eodem modo dictum in Evangelio κατὰ Ἰωάννην : *Deum nemo unquam vidit, nisi Unigenitus Filius, qui de sinu ejus exivit.* Et item sic Moysi dictum (*Exod.* XXXIII, 20) : *Faciem meam non videbis; quis enim faciem meam vidit et vixit?* Permisit tamen posterganea sua videri, id est, deorsum, cæteraque præter faciem.

IX. Quot heic mysteria? quot genera quæstionum? quot signa ad declarandum et Deum, et Jesum Christum, et substantiam esse, et unum ambo esse substantiam, et simul utrumque unam esse substantiam, et a patre filio esse substantiam? Quæ cuncta, atque hujusmodi alia, nullo modo explicari, intelligi atque approbari possunt, nisi superior tractatus manifestis perceptionibus illucescat. Sit igitur nobis fixa sententia, quod Deus spiritus sit, et spiritus de quo et filius spiritus, et spiritus Spiritus sanctus (*Joan.* III, 6) : *De spiritu* enim *quod nascitur spiritus est* (*Joan.* VI, 65) : *Spiritus autem vivificat.* Quod vivificat, utique ipsum vivit : quod vivit, quia spiritus est, a se vivit : et quod a se vivit, hoc ipsum est quod vivit : et quia quod a se vivit, cum ipsum sit quod est vivit, nec aliud habet quod vivere dicatur : non enim vivificatum est, sed vivit ipsum, vivit vel vivere existens : et quia vivit, ac vivere agere est, in eo quod a se vivit, nunquam cœpit ; non enim expectavit alterum, ut nunquam se deseruit, aut deseret : ex æterno igitur atque in æternum vivit principalis et universalis substantia vivendi, non ut substantia sit, et sic vivens ; sed ipsum quod est vivens, hoc ipsum substantia est : neque enim cum ipsum vivens, ac vivit, et vivere esse, et quodammodo esse intelligatur, non suum sibi esse quod sit, substantia est, hoc et lectione omni sacra, et rerum ipsarum vocibus spiritus nominatur.

X. Spirat autem spiritus, et a se spirat, et Deus spiritus est : spirat vero, hoc est, quod vivit : vivit ergo a se et semper spiritus, qui Deus est : vivit, inquam, atque in actu vivendi, et ipso opere vita cum vivit, opere vitam cum vivit, operatur. Nata ergo est vivente Deo vita æterna, generata est, et quia vivit, ipsum substantia est : et quod est ab eo quod vivit, et vita ipsa substantia est, per eadem æqualis ac simul, quia ipsum vivit vita est, atque ipsa vita vivendo existit ut vita sit. Spiritus ergo est vivere, et vita spiritus est : complectitur se utrumque, et in utrumque est, et alterum non ut geminum et adjectum, sed simplicitate ex se atque in se existentis, quasi alterius substantiæ duplicatum, nunquam a se discretum, quia in singulis geminum. Etenim vivere cum vita est, et vita rursus cum eo est quod est vivere : vivere autem, ut docuimus, Deus est, vita Christus : et quia vivere ut generator est vitæ : actu enim, quod est vivere, ut quædam prolis vita generatur, fit (1) vivere pater, filius vita, ista ipsa quidem, qui alterum altero, idcirco duo. Unde enim duo, nisi alterum ab altero? et semper quod ab altero est filius est, illud autem unde alterum, pater. Sed nunc non ita alterum ut discretum atque diversum, sed tantum alterum ab altero, ut conficiens atque confectum, et generans atque gneratum, conjunctione substantiæ utrumque unum, cum et vivere vita sit et vita ipsa vivere : hinc pater et filius, unus Deus. Et quia conversio naturalis existentiæ non nisi una est : ut enim in eo quod est vivere inest vita, et item in eo quod est vita, inest vivere; una sola et conversio est. Unde cum in eo quod vita est, insit et vivere; idcirco unigenitus filius consubstantialis patri, unus et ipse filius, pater unus. Unde una eademque substantia, et simul ac semper : Hoc est enim ὁμοούσιον, ὁμοῦ οὐσίαν ἔχων, simul substantiam habens, paremque existendi vim atque virtutem, eamdemque substantiæ naturam, nullo tempore præeunte ; quod nos consubstantiale dicimus, causativo priore quod est vivere, ad id quod vita est, ut illud generans ac pater, hoc genitum ac filius, et sit, et esse dicatur. Ergo quia insunt sibi, et licet pater cum sit, filius non sit : rursusque cum filius, qui est ejus cujus est filius, pater non sit; tamen vi rerum et substantiæ paritate, cum vivere vita sit et una sit vivere, merito divina Salvatoris voce pronuntiatum est (*Joan.* XVI, 10, 11) : *Et ego in Patre, et Pater in me.* Hinc et illud est (*Joan.* X, 30) : *Ego et Pater unum sumus* : etenim

(1) *Fit.* Forte *sic.*

Digitized by Google

cum rerum vi et natura ipsa duce nihil sint omnia, si non vivant, et motu vitali vacua, nec molem hylicum aut existentiæ vel imaginem, vel speciem habere credantur : fluendi enim ac refluendi natura incondite subsistendi, non recipit vis lubrica inconstans, nec formam recipit, ut aliquid esse dicatur.

XI. Unde carens eo quod est aliquid esse, etiam esse suum tenet, ut recte nullo modo esse dicitur. At nunc comprehensa et tota, atque in partibus circumsistens, et formata, atque hoc corporata, et ad aliquid esse specie aliqua capta et esse creditur : quia motu vitali, et ab infinito certis lineamentis septa, in sensus certissimos promovetur. Ergo hylica quæ sunt, ut esse videantur, facit vis potentiaque vitalis, quæ defluens a λόγῳ illo qui vita est, quem dicimus filium, per Archangelos, Angelos, Thronos, Glorias, cæteraque quæ supra mundum sunt, primo in corpora, atque αὔλα, naturali sua substantia munda atque puriora cum currit ac labitur, lucem suam majore sui communione patitur, mox in animam fontemque animæ gradatim veniens. Quia anima imago τοῦ λόγου est, quasi quadam cognitione majorem defluendi accipit cursum. Et quia in animanda anima properat, fit ei in animanda ejus petulantior appetitus. Hinc in hylen mersa, et mundanis elementis, et postremo carnalibus vinculis implicata, corruptioni atque ipsi morti sese miscens, vivendi idolum materiæ fœcibus præstat. Vivunt ergo cuncta terrena, humida, aerea, ignea, ætherea, cœlestia, non λόγῳ illo priore, nec vitæ integro lumine, sed propter copulationem hylicam saucia luce vitali, vivunt supra cælestia, et magis vivunt, quæ ab hyle et a corporeis nexibus recesserunt, ut puriores animæ, et Throni, et Gloriæ ; item Angeli atque ipsi Spiritus, alii ut in alio, id est, in sua substantia vitam habentes : alii ipsa vita sunt : Jesus autem Christus, et sanctus Spiritus : nam et de hoc mox docebimus : simul cum Deo, sed a Deo tamen vita sunt, sed universali vita vivunt, et a se vivunt, et non in altero habentes quod vivunt, sed ut hoc ipsum illis esse sit vivere et vitam esse, et scientiam esse patre tradente, hoc est, principaliter existente eo quod est vivere. Ergo (1) hæc omnia enumerata vivant, et nihil sit vel in æternis, vel in mundanis aut hylicis, quod non pro natura sua vivat : utique confitendum est esse vim quandam vel potentiam qua cuncta vivefiant, et quasi vivendi fonte in vitales spiritus erigantur, ut ex hoc et vivant, et quia vivunt, esse sortita sint.

XII. Quis est iste, unde in æterna atque in mortalia vitalis spiritus spirat, quo vigent cuncta, quo subsistunt, quo actus proprios sumunt, quo et generata sunt, et generatura proveniunt? Deus, sine dubio Deus, et quod menti nostræ venerationi est vivendi pater, numenque vivendi. Hunc vel potentiam vitæ, ut in aliis diximus, vel vitam summam principemque, et generaliter generalem, atque omnium viventium originem, causam, caput, fontemque dicemus : Principium existentium, substantiarum patrem, qui ab eo quod ipse est, esse cæteris præstat, secundum vim ac naturam percipientium vivendi potentiam, substantiamque moderatus. Quid ipse, aut in quo? Quippe vivus verusque : Unus, ut nos de se loqui sinit : vivit, et ex æterno et in æternum vivit, ex se habens illud ipsum, quod ei substantia est : vivit ; non enim ei accedere actus aut debuit aut potuit, ne aliquando a se minus : sed semper perfectus, plenus ac totus, in eo quod est ei esse, inest etiam sic esse : cæteraque post Deum sunt, et potentiæ sunt, et actiones potentiæ, quæ vi sua jam esse creduntur, ut omnia et esse, et habere videantur, quæ maturis processionis actibus existentia in suo opere hoc habere provenit : actiones autem dicuntur, cum existendis processibus gignunt, ac foras promunt quod esse possunt. Ut semen jam potentia est, et culmus, et folia ; vel mas aut femina venereæ cupiditatis effusio ; sed hæc in mundo atque sub luna : supra vero in æthere atque cœlo actiones sunt, atque actionibus vivunt, sed genita etiam quod futurum fuerant facta : ex ortu enim suo in operationes proprias suasque dimissa, suos actus naturæ continentis contagione discurrunt.

XIII. Quod si hæc quæ in mundo sunt actus sunt, quanto magis illa quæ in æternis ac supra cœlestia sunt, actus sunt et actiones sunt, quæ mundana ista genuerunt? Item et anima et Angeli ex animis, et supra animas. Nam et anima αὐτογόνῳ, id est, suo et a se sibi orto motu fertur, αὐτοκίνητος dicitur, unde ἀκίνητος : ergo semper in motu est, quod est semper agere, et esse ipsam ἐνέργειαν, ut sit ei substantia, ille motus. Dictum est enim (*Gen.* I, 26) : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Habet ergo αὐτόγονον κίνησιν, id est, motum a se ortum, ut Deo est, ut Christo. Sed quia non est ille prior spiritus, idcirco alia substantia, et facta, non a se existens, sed facta ut a se haberet motum : quippe anima aliud, aliud vita : vita enim vivendi habitus est, et quasi quædam forma, vel status vivendo progenitus, in se continens ipsum vivere, atque id esse quod vita est, utrumque sit una substantia : non enim vere alterum in altero, sed unum simplici suo geminum ; et idcirco in se, quia ex se ; et ideo ex se, quia aliud operatur in septima simplicitas : quies enim nihil gignit ; motus vero et agendi operatio format sibi ex se quod sit, vel potius quonammodo sit : namque esse, vivere est : vitam autem esse, motus quidam est, id est, forma viventis, confecta ipso illo cui forma est : illud autem quod est conficiens, id est vivere : quia nunquam cœpit : a se enim quod vivit, non incipit, quia semper vivit, unde nec vita incipit : cum enim conficiens sine exordio, et id quod conficitur caret exordio. Simul ergo ut utrumque et consubstantiale. Vivere autem Deus est, vita Christus : et in eo quod est vivere, vita est, et in eo quod est vita, vivere. Hoc quidem modo alterum in altero, quia confectum et conficiens alterum in altero. Ut enim conficiens in

(1) *Hæc.* Forte deest *cum.*

Digitized by Google

confecto, ita confectum in conficiente, maxime si semper ista : ergo et pater in filio, et filius in patre : etenim conficiens et confectum conficiens, et confectum conficiente confectum ; ergo una substantia, non una duobus, et in una duo ; sed quia in qua Deus, in eadem filius, id est ejusmodi : ut enim vivit Deus, ita vivit et filius : in quali substantia pater, in tali filius.

XIV. Sed si vivit, inquiunt, pater, vivit et filius, et idcirco eadem talique substantia ambo. Substantia autem istius vivit, cum utrumque sit, vivit utrumque, sine ortu est utrumque sempiternum. Sed hoc excluditur Evangelistæ sacratis verbis, loquente ipso filio Domino nostro Jesu Christo : *Vivit Pater* (*Joan.* VI, 58). Illic fons sine ortu est. At ubi aliunde principium? *Et ego*, inquit, *vivo propter Patrem*. Si ergo propter patrem, a patre accepit : et si accepit, genitus ab ingenito : et si vivit, existentia certa est, visque substantiæ in utroque cum isto uniusmodi vivit, eadem patri et filio, sed filio a patre substantia est. *Quod enim de spiritu nascitur, spiritus est* (*Joan.* III, 6) : ergo de tali patris substantia, talis filii substantia. Atque ut ostendatur magis a patre data et substantia, et eadem unaque substantia, dictum quod vivit, ac vita substantia est : ergo eadem Deo, et a Deo Christo filio substantia ; hoc dicente Evangelista : *Ut enim Deus habet ex se vitam, ita et Filio dedit ex se habere vitam* (*Joan.* V, 26) : ὁμοούσιος ergo Christus cum Deo : id est, consubstantialis, quod est ejusdem substantiæ, id est, primæ, principalis, universalis, unde omnia quæ sunt, et vivunt vitam habentia ἔπεκτον, id est, illatam, non a se genitam, neque quo sit ipsorum vivere, quod est Dei et filii. Tantum quippe omnibus est cæteris ex vita, quantum largitur Christus. In Deo vivere ut principale conficiens est vitam, uno atque eodem existentiæ fonte, nullo priore vel tempore vel potestate, dumtaxat circa substantiam. Unde sive hoc accipiamus esse ὁμοούσιον, quod eadem sit substantia, nulla dubitatio est eamdem esse, quia et qui vivit, jam vita est, quod est Deus : et qui vita est, vivit, quod est Christus : et utrisque a se vita est, sicuti dictum est : *Ut habet ex se vitam Pater, ita et Filio dedit ex se habere vitam*. Si autem hoc accipimus ὁμοούσιον esse, quod est ὁμοούσιον εἶναι, simul eamdem esse substantiam, facilius id et manifestius approbatur quo patrem dixi esse vel filium. Vivere enim et vita ita simul sunt, et semper simul, ut et in eo quod est vivere, vita sit : et rursus id sit vita, quod vivere.

XV. Etenim capiamus exemplum : quamquam quod dico res ipsa est potius, non exemplum. Deum nihil aliud esse diximus quam vivere, sed illud principale, illud unde omne vivere omnium, cæterorum actio ipsa in agendo existens, atque in hujusmodi motu esse suum habens, quod est vel existentiam, vel substantiam suam habens : quanquam ne habens quidem, sed existens ipsum, quod sit principaliter et universaliter vivere. Id autem quod conficitur ex isto actu, et quasi forma ejus est, vita. Ut enim αἰὼν conficitur præsenti semper rerum omnium actu, ita vivendo et ipso vivendi semper præsenti opere vita conficitur. Et ut ita fingamus, vitalitas hoc est, ut vitæ forma ad potentiam suam substantiamque generatur. Sed et nostrum vivere constat ex præsenti semper tempore. Non enim vivimus præteritum, aut vivimus futurum, sed semper præsenti utimur. Hoc enim solum tempus est, quod ipsum solum, quia solum tempus est, imago esse dicitur τοῦ αἰῶνος, id est, æternitatis. Quomodo enim αἰὼν semper per præsentia habet omnia, et hæc semper. Nos quoque, quia per præsens tempus habemus omnia quæ habere possumus, idcirco hoc tempus nostrum τοῦ αἰῶνος imago est, quia nostrum præsens non iisdem, neque idem semper est præsens : conficitur ergo vivendo vita, ac simul existendo formatur : ac formatio apparentia est ; apparentia vero ab occultis ortus est, et ab occultis ortus et natalis est, et ejus natalis, qui et antequam sic oriretur exstiterit : hinc et in vivendo vita, antequam vita ; et posterior tamen vita, quia vivendo vita, et semper atque ex æterno vita : quia in eo quod est, vivit, et ex æterno vivit, est vita. Cum igitur vivat Deus, sit vita Christus, quia vita oritur existens ab eo quod et vivit ; necessario vivit pater, est vita filius, ita ut supra docuimus, ut et in eo quod est vivit, vita sit : et in vita insit et vivere. Ergo filius ὁμοούσιος patri, ut supra docuimus cum exemplis.

XVI. Nunc illud sequitur quid sit cum his sanctus Spiritus explicatus. De Deo ista et dicta sunt, et probata : Deum esse quod esse, Spiritum esse quod est vivere. Item lumen esse quod est intelligentiam esse, et scientiam. Etenim lumen nihil occultum, nihil obscurum esse permittit, aperit, illustrat, illuminat. Est igitur Deus hoc ipsum quod Deus, est esse, est esse primum et principale omnibus quæ sunt, pro modo percipientium esse præstans, ut ante docuimus, hoc, id est, vivere, hoc intelligere, id est, hoc quod est esse, hoc est spiritus, hoc lumen. Ista enim in uno ac simplici, immo unum ac simplex. Hoc sunt quod est esse, hoc vel existentiam, vel substantiam jure dicimus. Verum cum principale istorum sit illud, quod est esse ; duo autem alia vivere et intelligere motus esse intelligantur, cum omnis motus a quiete nascatur. Quies autem est id quod est esse ; ab eo vero quod esse, nascitur motio, exin actio : motio autem primi illius quod est esse, vivere et intelligere. Utrumque enim motus est, et unus motus, duas virtutes præstans officio gemino, una eademque substantia. Nam substantia iis motus est : non enim in iis aliud est esse, aliud moveri. Sic item non aliud est vivere, aliud intelligere, quantum ad substantiam pertinet. Etenim viventis est intelligere, et intelligentis vivere, per actus se vertente uno motu : ita tamen, ut manente opera actuque vivendi intelligentiæ actus agitetur : unde cum Christus vita sit, Spiritus autem sanctus scientia et intelligentia : omnia tamen Spiritus sanctus quæ habet a Christo accepit, Christus a patre, id est, ab eo quod est esse ; exstiterit vita, et vivere exstiterit scientia et intelli-

Digitized by Google

gere : nec tum, cum illud esse primum ita sit, ut cum esse sit, sit et moveri.

XVII. Quanquam dicatur quies, movetur autem intus motu unde vivit sibi, et intelligit semetipsum. Ergo a motu interno, extra et quod est foris natus est motus, ab eo quod est intus esse, et ab eo quod est intus vivere, foris vivere, ab eo quod est intus intelligere ; foris intelligere, movente se vita et intelligentia. Sunt enim motus eodem modo existente simul, eo quod est esse, ut et intus esset et foris, ista Trinitas intus, cum Deus unus et solus foris, cum Jesus Christus intus et foris, cum ambo Deus unus, atque ex iis cum Deus ὁμοούσιον Christo, necessario et Christus ὁμοούσιον Spiritu sancto, ac per hoc et per Christum Deo : ipse etiam de Deo egressus est. Si enim omnis motus qui foris est, a Dei motu qui intus motus est, ergo et iste a Deo. Etenim scientia et intelligentia, existentia est utriusque ac potentia cognoscentiæ ; idque hoc ipsum motus est, hoc ipso quod motus substantia : necessario igitur in Christo, vel Christus est, et ab ipso habet omnia, quia a vita quod Christus est, substitit intelligentia, et ideo alter. Hoc enim dictum : *Et a me habet omnia* (*Joan.* XVI, 14, 15). *Habet* autem et *a me*, duo sunt : ergo alter et alter : Sed quia motus et ipse Spiritus sanctus, motus et Christus, et quia vita vera Christus est, et credentibus in se dat vitam veram, hoc est æternum, et adest apud Deum credentibus in se, quod Dei sit filius, idque per fidem : idcirco per Christum reconciliamur Deo ; propter vero hominum obrutam sui et Dei memoriam, opus est Spiritu sancto, si accesserit scientia : *Et intelligere quæ sit latitudo Dei, quæ longitudo, quæ profunditas et altitudo* (*Ephes.* III, 18) ; et confirmata fuerit charitas, et fides in Christum per Spiritum sanctum, quia scientia est, fiet salvus : plene namque ipse dicit testimonium de Christo, et docet omnia, et est interior Christi virtus, scientiam tribuens, et ad salvationem proficiens, unde alter Paracletus. Etenim mortuis per peccata hominibus vita prius danda fuerat, ut erigerentur in Deum per fidem, quod erat jam vivere ex Dei vita quam attulit Christus in carne, ut carni etiam subveniret. Quare confirmatis hominibus per fidem in Christum filium Dei, etiam scientia danda videatur, et de Christo, et perinde de Deo : item de mundo, ut eum argueret. Quæ cum intellexissent, facilius ad Dei lucem hominis sui divinorumque intelligentia liberarentur terrenorum mundanorumque contemptu, et desiderio quod excitat scientia divinorum.

XVIII. Venit ergo posterior, id est, fides posterior operari : recedente enim Christo, qui per miracula et per præcepta seminaverat fidem, quod ipse Dei filius esset, et vitam in se credentibus daret, completa sunt spiritu omnia, et fides cognitione in Christum adulta succrevit, et ipso in Christo semper præsente, sic enim dixit : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, et futura annuntiabit vobis : ille me honorificabit, quoniam de meo accipiet* (*Joan.* XVI, 13, 14). Ergo de vita intelligentia, et ipsa vita de vivendo, id est, de Patre Filius, de Filio Spiritus sanctus ; sic enim subjunxit : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt* (*Ibid.* 15) : propterea dixit, *mea sunt*, quia quæ pater habet filii sunt, esse, vivere, intelligere : hæc eadem habet Spiritus, omnia ergo ὁμοούσια. Idem tamen ut ostenderet suam præsentiam semper κατὰ Ματθαῖον sic loquitur : *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Ex hoc ostenditur quodammodo idem Jesus, idem Spiritus sanctus, actu scilicet agendi diversi, quod ille docet intelligentiam, iste dat vitam. Etenim idem ipse et unus motus et primus motus : quo contingit, ut qui vivit, et vere vivat, et intelligat, et vere intelligat, qui vere intelligit, vere vivat. Atque ut idem manifestetur Jesus et Spiritus sanctus, attendamus istud : nempe Spiritus sanctus doctrina est, intelligentia, ipsaque sapientia et Christo et Deo sapientia datur : atque hoc Christus nomine nuncupatur, quod est (Evangelium) Christum esse Dei filium, quod (Evangelium) definitur Dei virtus atque sapientia, ut Paulus ad Romanos (*Rom.* I, 16). Item Salomon : *Omnis sapientia a Deo est, et cum eo fuit semper ante ævum* (*Eccli.* I, 1). Ecce ὁμοούσιον apparet cum sapientia et de Deo datur, et a Deo datur, utique Christo et Spiritui sancto. Et cum dictum est, quod cum Deo semper fuerit, quod ὁμοούσιον est apparet, cum sapientia et de Deo datur utique Christo et Spiritui sancto. Et cum dictum est, quod cum Deo semper fuerit, quod ὁμοούσιον est, ostenditur simul cum patre. Deinde cum dictum, *ante ævum*, non ergo cum in carne, tunc Christus. Item *prior omnium creata est sapientia* (*Ibid.* 4), si primogenitus Christus, sapientia Christus. Deinde quod sequitur, *Spiritus sanctus : et intellectus prudentiæ ab ævo*. Si Spiritus sanctus prudentia est, et intellectus ; si scientia, et doctrina. Christus est sine dubio, quia ipse est ab ævo, id est, ex æterno, et primogenitus, et quod est amplius, unigenitus. Hæc et alia in multis tractata libris a me, ὁμοούσιον probant non solum Deum et Christum, sed etiam Spiritum sanctum. Demus igitur vel accipiamus Deum id esse, quod est primum et principale vivere, quod est verum et principale esse : non enim est, quod non vivit : hoc ipsum vivere operatione ipsa conficere, et generare vitam, apertum fecimus. In eo vero quod vita est, scientia et intelligentia inest : vivit ergo Deus, et vivendo vita est Deus, et cum vita est, intelligentia est. Sed hæc tria ut unum ac simplex, et in eo ut principale sit, id est, hoc sit quod esse magis existentia principali est Deus vivens, necessario et semetipsum intelligens. Hinc enim omnia intelligens, quia semetipsum intelligit. Omnium existentiarum causa est, et ideo omnia : ergo vita et intelligentia in id accepta, quod est esse intus, semper operantur, quod est vivere. Vivere autem Deo hoc est quod est esse. Esse igitur cuncta, unus et omnipotens Deus est. Quid igitur ? si intus in se operatur, vel se potius

Digitized by Google

operatur vita et intelligentia? Quomodo ista veluti foris apparere potuerunt? et quid est foris aut intus ὂν λόγον? Quæsierunt philosophi et docti ad legem viri, quid sint et ubi sint. Quid sint, substantiam eorum vel existentiam, ut explicemus : ubi sint, utrum inde an extra, et in omnibus reliquis, an in utroque et ubique.

XIX. Hæc quidem nos in aliis libris exsequenter pleneque tradidimus. Verum nunc ista summatim breviterque dicemus. Ante ὂν et ante λόγον, vis et potentia existendi illa est, quæ significatur hoc verbo quod est esse, Græce quod est τὸ εἶναι. Hoc ipsum esse duobus accipiendum modis : unum, ut universale sit, et principaliter principale : unde in cæteris esse sit, alioque esse est cæteris quod est, omnium post vel generum vel specierum, atque hujusmodi cæterorum. Verum esse primum ita imparticipatum est, ut nec unum dici possit, nec solum, sed per prælationem ante unum, et ante solum, ultra simplicitatem, præexistentiam potius quam existentiam, universalium omnium universale, infinitum, interminatum, sed aliis omnibus, non sibi : et idcirco sine forma intellectu quodam auditur. et præintelligentia potius quam intelligentia accipitur, cognoscitur, creditur. Hoc illud est quod diximus vivere vel vivit, illud infinitum, illud quod supra universalium omnium vivere est ipsum esse, ipsum vivere, non aut aliquid esse, aut aliquid vivere, unde nec ὄν. Certum enim etiam quiddam est ὄν, intelligibile, cognoscibile. Ergo si non ὄν, nec λόγος, λόγος enim definitus est, et definitor : sive enim est ratio, sive existentiæ ipsius potentia, sive res illæ quas intelligentia accipit, ut uniuscujusque fit ei esse : cognoscat quod non cognoscit, nisi animadvertat et capiat quæ sint illa, quæ præstant unicuique substantiam : et hic λόγος rerum per quem creata sunt omnia, universalis potentia, continens universaliter omnium res, præstans ad existentiam unicuique sua et propria. Ergo quia sua unicuique et propria præstat, definit et determinat, etiam illud ὂν facit. Imponendo enim infinito terminum rebus ad existentiam sui unicuique formatrem, et intelligentiam infinitate sublata subjicit. Est ergo in eo quod rerum est potentia ad pariendas efficiendasque existentias λόγος : ex eo autem quod definit, atque concludit unumquodque formam tribuens, ὂν, est jam existens, cum fuerit ejus quod est esse certa forma.

XX. Hoc cum ita sit, videamus an nullius primi, quod est esse, sit λόγος. Si dicimus infinitum, si dicimus immensum, indiscretum, res quibus esse consistit non capimus, non tenemus : ergo λόγος ejus nullus est. Sed quoniam fieri non potest, ut sit quoquo modo et sine λόγῳ suo sit hoc ipsum existens quod est, infinitus est, sine dubio ei λόγος suus est, sed latitans, et occultus, ut sit in eo quod est esse ipsum λόγον esse; vel potius ipsum λόγος nihil aliud est, quam ipsum esse : hoc autem est quod dixi vere primum, illud et universaliter universale vivere, quamquam, ut docuimus, sit ipsum vivere, et vita, et intelligentia definita : nam potentiæ τοῦ λόγου; etenim definitum quidnam atque formatum est : intelligentia vero et definiens : tamen quia ista intus sunt, et in se conversa sunt, omnia ἄγνωστα, ἀδιάκριτα, incognita et indiscreta sunt : ita et Deus quod est esse, id est, vivere, incognitus et indiscretus est; et ejus forma, id est, vitæ intelligentia, incognita et indiscreta est : sunt enim ista nihil aliud quam esse, quod est vivere. Quod cum infinitum, et forma ejus infinita est, ibi manens, et nihil aliud quam esse existens. Cum autem foris esse cœperit, tunc forma apparens imago Dei est, Deum per semet ostendens; et est λόγος, non jam inde πρὸς τὸν Θεὸν λόγος, in qua vita et intelligentia, jam ὄν : quia certa cognitio et existentia, quæ intellectu et cognitione capitur : sed quemadmodum foris exstiterunt ista, et utrum ipsa forma, quæ intus est emissa, foras est, an se ipsum ejecit? sed cum illa intus forma indiscreta et infinita sit, quomodo et in ea quæ foris est, illa cognoscitur, an alia est hæc? sed si alia, non ergo ab illa nata vel emissione, vel sua motione : et si ita ut alia non pars, nec eadem nec omnino ὁμοούσιος, et deinde unde hæc apparuit?

XXI. De altero ergo duo principia, an de nihilo? nihilum non est sub Deo τῶν ὄντων. Deinde si Dei potentia vel voluntate exstitit, non est nihilum Dei potentia vel voluntas. Etenim si omnipotens Deus, omnipotentia ejus et causa omnibus, et ipsa existentia est. Num ergo quod reliquum est dicere audemus, a se orta hæc forma est? et quomodo cum esset in patre, inscio patre, an jubente? si jubente, non ergo a se : an insciente? est ergo aliquid quod non potentia Dei fuit, aut est quod sine illo fuit, cum de λόγῳ qui ejus dicitur forma, ita dictum sit : *Per quem facta sunt omnia et sine quo factum est nihil* (*Joann.* 1, 3). Quid istud est? tantarum confusionum quæ separatio? quæ si non veritas vel vita est veritatis. Adsit Spiritus sanctus : quid inspiratum nobis sit, modo auditor attendat, pura exponentes simplicitate pandemus. Interea unum monco, sine tempore hæc accipi convenire, ex æterno semper nullo temporis principio, sed ut sit unum utrumque principium et generator et genitum. Primum in rebus æternis, divinis maximeque primis manentia quieta, et in eo quo sunt existentia, nulla sui per motum mutatione generarunt. Primus Deus, deinde λόγος, vel νοῦς, vel quidquid alter est, vel uterque, ut spiritus, ut vivere, vel vita, ut intelligentia, vel cognoscentia : anima vero sola mota generationes habet. Hæc omnia sic domus : τριδύναμος est Deus, id est, tres potentias habens, esse, vivere, intelligere : ita ut in singulis tria sint, sitque ipse unum quodlibet trium nomen quo se præstat accipiens, ut supra docui, et iis multis : nihil enim esse dicendum, nisi quod intelligit. Triplex igitur in singulis singularitas, et unalitas in Trinitate : ista vero tria progressu suo exponemus.

XXII. Omnium quæ sunt, quæque esse possunt, aut esse potuerunt, existentiam, vitam, intelligentiamque pro rerum ac substantiarum captu, et parti-

Digitized by Google

cipationes præstant, sortita sunt : est enim in omnibus esse suum, vivere suum, intelligere suum, suumque sentire, ut sint ista umbra vel imago trium omnium superiorum : ergo Deus cum sit, ut ab omnibus dicitur, unum, et solum unum. Nonnulli autem dixerunt Deum esse unum omnia, et nec unum ; omnium enim principium, unde non omnia sed illo modo omnia. Istud autem hac de causa et primum quidem Deum esse unum et solum. Illa tria, quia non copulatione consistunt, sed existendo quod sunt ipso, et quod alterum credimus sunt, necessario unum, nec ullo modo alterum. Sed de hoc sæpe dictum. Quod vero dictum unum omnia, et nec unum, omnium enim principium, satis aperte dilucideque declarat, patrem rerum omnium et principium Deum : qui cum unum non est, magis omnia est : quia et omnium causa est atque principium, et in omnibus omnia. Quæ cum ita sunt, erit Deus omnia, existens, omnivivens, omnividens, et omniintelligens. Et quoniam diximus, confici ab actu potentiam : sic enim se prima habent, ut cum sint omnia a divina energia, id est actus, et operationes ; necessarium est, ut a Deo principio omnium potentiarum, universaliter universalium fons et origo nascatur. Iste namque rerum progressus est, ut cum omnia a Deo, potentiæ et actus a Deo, qui supra potentias et actus accipitur, orta hæc esse credantur.

XXIII. Verum cum a nobis dictum sit Deum actum quemdam esse, quod est vivere, sed hoc vivere quod supra omne est vivere, et ex æterno, atque in æternum, vivere simul intellectu acceptis, et eo quod est esse, et eo quod intelligere, sed sic simul, ut ne phantasia quidem copulationis sit : necessario autem vivendi actu, uti docui, confitetur atque exsistit forma quam universalem potentiam nominamus, per singula illa formata, quam ex omni existentia, ex omnivivenli omnivivenlia, ex omnividenti omnividentia. Hæc singula potentiæ ut nota et determinata : Sed cum in uno omnia, vel unum omnia, aut cum unum omnia, vel nec unum, nec omnia, fit infinitum, fit incognitum, indiscernibile, incognoscibile, et quod vere dicitur ἀοριστία, id est, infinitas, et indeterminatio. Etenim omnium esse sit, et omnium vivere et omnium intelligere, et id unum, et sine phantasia alterius unum : unde nec unum, quia omnium principium : unde et ipsius unius. Ex hoc cogimur jam necessario et illa de Deo dicere, ut ejus incomprehensibile sit et esse, et vivere, et intelligere, nec solum ut incomprehensibile ejus sit esse, vivere et intelligere ; ut nec esse quidem ista videantur quod ille supra omnia sit : quare et ἀνύπαρκτος, et ἀνούσιος, et ἄνους, et ἄζων, sine existentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur : non quidem per στέρησιν, id est, non per privationem, sed per supralationem ; omnia enim quæ voces nominant, post ipsum sunt : unde nec ὄν, sed magis πρόον. Eodem modo præexistentia, prævidentia, prænoscentia horum quæ conficiuntur : Ipse autem præexsistens, prævidens, prænoscens : sed hæc omnia apparentibus secundis et intellecta sunt, et nominata. Postquam enim apparuit cognoscentia, et intellecta et appellata est prænoscentia ; eodem modo et præexistentia, et præviventia. Erant quidem hæc, sed nondum animadversa, nondum nominata. Unde et incognoscibile omne quod Deus est. Sed quoniam tunc cognoscibile et habetur et dicitur, cum est cognoscentia : relativa sunt enim, et se invicem tenent et pariunt, aut invicem interimunt, nondum cognoscibile illud non fuit, quia non fuit cognoscentia. Non quo non fuit illud, quod cognoscibile sibi fecit cognoscentia ; sed quia erat quidem quod cognoscibile esse posset, non quo cognoscibile esset : quod tunc fit et accipitur, cum adintelligitur, quod et intelligentia esse possit. Hoc modo igitur et in Deo, et esse poterat, et erat ex hoc cognoscibile ; quia et esse poterat, ex hoc erat cognoscentia.

XXIV. Quid ergo ex his? Quoniam si hæc postea nata sunt, fuerunt in Deo : et si fuerunt, quia Deus unum, et ista unum, et id quod Deus, et ista unum quia Deus. Ista idem ergo cognoscibile et cognoscentia ; sed ita ut cognoscibile quod sit, hoc sit cognoscentia. Etenim cum virtus horum trium una sit : esse enim nihil aliud est quam vivere, atque ipsum vivere intelligere, cum sit et intellectum esse ; tota vis singulorum in eo est quod est cognoscere, vel esse cognoscentiam. Sed esse cognoscentia non potest, nisi sit cognoscibile : in his autem primis ubi quod est esse, id est quod vivere, et quod intelligere, esse cognoscibile non potest, nisi ipsa cognoscentia nondum apparens, sed se intus tenens, manensque quieta, cessans, atque in se versa sibi se cognoscibilem præbens. Cum enim ipsa cognoscentia lateat, atque apud se sit, forinsecus in se intrans, sed naturaliter mersa in eo, in quo ei esse est manens ; ejus formæ est, ut cognoscibile esse possit cum excita cognoscentia velut egressa se circumspiciens, cognoscentiam se fecerit, cognoscendo se fit cognoscibile suum facta. Hoc igitur, si fas est dicere, hoc inquam, modo illud primum, unum illud solum, illud Deus, vel spiritus, vel spirans, vel lumen, vel luminans, vel existens, vel omniexistens, vel existentia, vel omniexistentia, vel vivens, vel omnivivens, vel vita, vel viventia, vel omniviventia, vel intelligens atque cognoscens, vel omniintelligens, omnicognoscens, vel omniintelligentia, omnicognoscentia, omnipotens, omnimodis perfectus, interminatus, immensus, sed cæteris, sibi terminatus et mensus, super omnia, et idcirco nullum de omnibus, ac magis ex quo omnia . ergo unum et solum unum : principium enim omnium. Unde non unum omnia manens in se, neque in se, ne duo, auditor, accipias, sed ipsum manens vel mansio, quies quietus, quiescens magis, quia a quiescente quies, ut supra docuimus. Unde dictus est et sedere quasi in centro τῶν πάντων ὄντων, id est, omnium quæ sunt, unde universali oculo id est, lumine substantiæ suæ, qua vel esse est, vel vivere, vel intelligere, in eas τῶν ὄντων, non versabili aspectu videt, quia et quies est, a centro simul in omnia unus est visus. Hæc Deus, sed quomodo Deus pater, et quis filius, aut

Digitized by Google

quomodo filius, et postea quomodo Jesus filius omnium esse principium, ante omnia esse, est omnium esse, principium non tam quietem esse est, quam ipsam quietem esse. Omnia enim quæ genita factave sunt ex motu genita factave sunt. Motus autem ipse, quo motus est, antequam moveatur quies est; contrarius enim ortus contrariorum fiunt, ita ut contrario ortu contrarium unde hoc ortum est pereat non esse, ut ex vita mors, et ex morte vita. Item ex eo quod est esse: et ex eo quod non esse, esset. Et item ex quiete motus, et ex motu quies.

XXV. Sed advertamus acrius, atque audaci intelligentia rerum vim, altitudinemque videamus, ut proposita ista sunt, si diligens circumspector advertat, reperiet esse existentiam quamdam et in his, quorum phantasia quadam est interire: namque cum vita sit cui adest esse, ex qua mors nascitur; est etiam morti esse, si ex morte nascitur vita. Itemque si ex eo quod est esse, efficitur non esse; necessario erit etiam ipsum non esse, si ex eo nascitur quod est esse: itemque si cessatio est, motus esse cessationem necesse est, si motus nascatur. Quid igitur? nonne ortu contrariorum contraria, aut mori, aut non esse creduntur? Videtur ita, sed contra est: nam utraque manent, nec intereunt ab æterna substantiali sua qualitate. Quomodo istud sit, dicam, adsit Deus, fiet facilior explicatio. Esse in æternis hoc est esse, quod vivere, quod intelligere. Sæpius hæc et diximus, et probavimus. Id autem esse ita est, ut sint ibi viventes, intelligentesque substantiæ: has accipiamus pro modo existentium res tres præstare, et participatione sui cuncta retinere, et in noetis vigere, sola esse simplicia, divina, æterna: in mundanis vero et hylicis inesse quidem, sed carnalibus variis ac mortalibus sustineri. Heic ergo mors si est, corporum mors est; et si plenior adhibeatur intentio, nec corporum, id est, in eo quod hyle sunt; sed horum corporum, in ea specie quæ nunc est, effecta quodam interitu dissolutio: sola igitur corporis species dissoluta cum in elementa dispergitur, manent ac sunt unde victura reparantur. Etenim cum in mundo et hyle sit, quæ elementis certis semper existit, et cum imagines illorum trium, heic quoque, id est, in mundo se præbeant, quid mors agit illa cum et in suis imaginibus æterna sint? Imagines dico potentias per omnia a lineis animæ defluentes. Cum igitur æterna sint ista, æterna et in hyle elementa: mors si sola composita solvit funditus interit. Unde recte dicitur, quod ex vita mors efficiatur, quod ex vigore vivendi compositi cujuslibet corporis fiat usque ad certa resolutio, et rursus in aliam compositionem iisdem cunctis fiat ex morte reparatio. Hoc modo et esse in mundo accipiendum, hoc modo heic et quies, et motus: at in divinis, quia nulla sunt corpora, mors nulla: sed et vita alio modo, quippe illa principalis et vera; et idcirco ibi progressio non natalis, aut si placet, natalis magis apparentia et manifestatio. Item illa alio modo esse, et non esse, et alio motus atque cessatio: etenim Deus vivit; id autem est esse et intelligere, quæ ista unum tria conficiunt, potentias tres, existentiam, vitam, intelligentiam.

XXVI. Sed quia illa tria unum quomodo sint, docui: unum quodlibet tria sit, sic et ista tria unum sunt: sed in Deo hæc tria esse sunt, in filio vivere, in Spiritu sancto intelligere: ergo esse, vivere, intelligere, in Deo esse sunt: existentia autem, vita, intelligentia, forma sunt: actu enim interiore et occulto ejus, quod est esse, vivere, intelligere: intus enim ita sunt et occulta, magisque supra esse, et supra vivere, et supra intelligere Deus est. Unde et ἀνούσιος, vel ἀνύπαρκτος et item ἄζων, ἄνους dicitur, præintelligentia quadam inventus, et magis per formam suam cognitus, sed inhærentem et consubstantialem sibi. Et hoc est, quod in patre est filius: quod cum ita sit, idem filius quod pater, unde et filius Deus, quia hoc est forma, quia id quod est iis cujus forma. Etenim cum esse, vivere, intelligere Deus sit, forma autem sit existentia, vita, intelligentia: ista me dicere sic accipias velim, ut supra ista sit Deus. Quod si ita est, fit idem forma quod substantia: Eodem enim modo valent et sunt ista habentia vel existentia, esse, vivere, intelligere: ita cum duo λόγοι sint, unus per quem unumquidque sit: alius per quem quomodo sit: tamen quia eadem vi habet, quomodo et quidque sit, necessario fit unus λόγος, idem valente forma quod substantia. Ergo si idem valet, et idem est forma, istius tamen substantiæ quod ipsa substantia, substantialis enim forma est, idem erit filius quod pater, aut neque pater, neque filius ante egressum foras, sed unum ipsum solum.

XXVII. Hoc cum ita sit; cum sit ei intelligere et intelligentia, sit idem intelligentia quod vita et quod est esse: cum autem magis agendi virtus sit intelligere, quam esse, quam vivere; et cum hoc esse sit intelligere quod sit, et cum hoc sit vivere, intelligere quod vivat: necessario sit intelligere, vel intelligentia Deus est, cum intelligit Deus, se ipsum intelligit, cum autem se ipsum intelligit, non ut alter alterum, fit ut intelligentia ipsa se intelligat. Quod cum est, se esse efficit, atque in existentiam provenit, fitque sibi quod est esse: atque eodem modo intelligendo existit et suum vivere, quibus cunctis a se natis, vel magis a se existentibus, ingenitus Deus est, existens ex ingenitis: quæ unum cum sint, unum et simplex, unus Deus est, et hæc est ut intus intelligentia, quæ sine aliquo motu se intelligit, quippe quæ cum intelligit, existit, et cum existit, intelligit. Et hoc est Deus et utique hoc ex æterno atque in æternum.

XXVIII. Verum quoniam imaginem Dei filium dicimus Dei, genita est enim forma, ut ab eo quod est esse, vivere, intelligere, gigneretur existentia, vita, intelligentia. Quædam enim in his forma est, per quam ut per imaginem intelligitur quid sit esse, vivere et intelligere; necessario per formam intelligitur Deus, nam ipsum (*Joan.* I, 18) *nemo vidit unquam*. Ergo forma Dei cum accipitur in Deo Deus est

Digitized by Google

cum autem intelligit se Deus, per formam se intelligit : sed et ipsa forma intelligat necesse est. Etenim intelligens ac vivens existentia, cum nihil aliud intelligat, quam quod ista Deus sunt. Et hæc sæpe jam docui. Cum autem ipsa intelligentia intelligit quod sit intelligentia (necessario enim sequitur, ut et se intelligat intelligentia), veluti existens a semetipsa se intellexit, fecitque se extra : quod foris est intelligendo, se, id est, motu suo. Unde est hæc foris intelligentia, et hic est filius, hic est λόγος, natus filius, quia alius a Deo, de Deo tamen, id est, de eo quod est existens : et vivens, intelligentia, quæ Deus est, atque intus intelligendo se intelligentia foras se protulit, atque exstitit patri, in quo et ipsa fuit, atque est semper imago existens per intelligentiam internam, quæ esse est atque existere, ac propterea imago imaginis genita.

XXIX. Duæ igitur intelligentiæ, una intus existens quod est illi esse : alia existens, quod est illi intelligendo esse. Hæc foris, hæc filius. Quoniam vero intelligendo se intelligentia Deum intellexit, utique intelligentiam internam, illa autem Deus est ; intellexit et verum esse, et verum vivere, et verum intelligendo exstitit et ipsa verum esse, verum vivere, verum intelligere. Etenim qui unum intelligit, et habet unum, et est unum : secundum ejus apud se intelligentiam : sic ergo filius, id est, intelligentia, intelligendo se genita, intelligentia intellexit Deum, et omnia illa quæ ingenita Deus sunt, et intelligendo πλήρωμα quærendo, et πλήρωμα intelligendo, unde idem extitit quod pater. Etenim cum πλήρωμα pater sit necessario, χώρημα suum habet infinitum, licet et sibi finitum : ubi πλήρωμα suum tenet et capit, eodemque modo filius recipiendo et quærendo : hoc est enim recipere χώρημα, existere, intelligendo autem totum quod pater πλήρωμα, exstitit genitus, et ipse totus ex toto : et quia intelligentia est intelligens intelligentiam, cum lumen rerum sit intelligentia, existit lumen ex lumine : et quia intelligentia utraque, verum lumen ex vero lumine. Itemque cum Deus sit intus intelligentia, ista intelligendo se intelligentia Deus ex Deo est : ὁμοούσιον ergo in omnibus, in eo quod esse, et vivere, et intelligere. Item in eo quod uterque χώρημα et πλήρωμα est : item in eo quod imago et imago : dictum est enim (*Gen.* I, 26) *ad imaginem nostram*. Et in eo quod lumen et lumen, et in eo quod verum lumen et verum lumen, et in eo quod Spiritus et Spiritus : et in eo quod motus et motus, sed pater motus quiescens, id est, interior, et nihil aliud quam motus, non motione motus, filius autem motione motus est, uterque tamen motus. Item uterque actio et opera, uterque vita, et uterque a se habens vitam voluntas et voluntas, eadem virtus, sapientia, verbum Deus, Deus et Deus vivus et Deus vivus, ex æterno et ex æterno invisibilis et invisibilis : nam dictum a Matthæo (*Matth.* XI, 27) : *Nemo novit filium nisi pater, neque patrem nisi filius.* Simul ambo : hoc enim significat ὁμοούσιον, præter eamdem οὐσίαν. Hæc cuncta illo pleno intelligi possunt (*Joan.* XVI, 15) : *Omnia quæ habet pater, mihi dedit.* Et, *Omnia quæ habet pater, et ego habeo.* Omnia, inquit : si omnia ὁμοούσιον filius patri : Idem ergo : et si idem, par ; et si par, recte Paulus de filio Dei Jesu Christo dixit (*Philipp.* II, 6) : *Qui cum esset in Dei forma, non rapinam arbitratus est ut esset æqualis Deo.*

XXX. Multa hoc divina et magnifica mysteria continentur. Primum quod Christus forma Dei est, in quo ostenditur omnia habere quæ Deus habet : hoc enim est quod et imago dicitur, sicuti de ipso dictum (II *Cor.* IV, 4 ; *Coloss.* I, 15) : *Qui est imago Dei.* Habet igitur et Deus imaginem suam : et filius imago Dei est, etenim si dictum (*Exod.* XXXIII, 20) : *Faciem Dei nemo unquam vidit.* Et dictum (*Ibid.* 23) : *Posteriora mea videbis.* Est sine dubio facies Deo, est filio, vel potius est et filius Imago Dei, ut dictum est : *Qui cum in forma Dei fuisset.* Unde jure dictum (*Gen.* I, 26) : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Est ergo Filius, et si alter, est : non enim idem pater, idem filius : illis rebus omnibus supra a me positis idem, idem autem, hoc est, eadem habens existentia sua propria. Unde et idem, et alter : etenim cum hoc dictum : *cum fuisset in forma Dei*, utique aliud accipiendum quod forma est, aliud Deus. Sed videris, sit calumniæ locus, ut forma Dei sit in ipso Deo forma, ut sit una et indiscreta substantia. Quid sequentia quemadmodum intelligemus ? *Non est arbitratus rapinam se æqualem Deo.* In sua existentia positi est, se cum altero credere, vel dicere æqualem. Quid vero illud (*Philipp.* II, 7) *se exinanivit*, et *formam servi suscipiens ?* De Christo accepimus, quod mortuus est, an de Deo ? At nullus dixit unquam. Deinde cum dicitur de patre, qui filium suum excitavit a mortuis, nonne satis clarum est, alium esse patrem, alium filium, alium esse suscitantem, alium suscitatum ? Ergo forma Dei. Aliud forma, aliud Deus est ; et est quidem Deo forma, sed filius Dei forma in manifesto, Dei vero in occulto : sic enim omnia et existentia, et vita, et cognoscentia Dei intus in occulto, filio in manifesto : sic cætera χώρημα, πλήρωμα, imago, lumen verum, veritas, spiritus, motus, actio, operatio, vita, et a semetipso vita, voluntas, virtus, sapientia, Verbum Deus, Deus vivus, et cætera alia omnia. Sed hæc veluti foras, et in manifesto ; illa in se atque circa existentiam, vel ipsa potius quod est existentia : hæc autem in actu agente quod est in manifesto. Postremo hæc omnia filius habet, sed patre dante quod vehementer expressum in eo, quod cum filius habet a se, inquit, sed adjunxit (*Joan.* V, 26) : *Pater ei dedit ut haberet a se vitam.* Vera igitur imago, atque existentia in omnibus eadem, sed patre dante : ergo ὁμοούσιον et pater et filius, sed patre dante. De eo enim quod diximus patrem esse, vivere, intelligere ; existentia genita est, ut vita, intelligentia : et hæc est Dei forma, hæc est filius : sed filius cum in patre est, unum totum intus,

Digitized by Google

Deus agens, operans, se utens, se fruens, fons atque in se plenitudo omnium.

XXXI. Sed quoniam, uti docuimus, intelligentia vi potentiæ suæ, necessario dum in semet sese vertit, intellexit semetipsam, hoc quodammodo gemina facta, velut intus et foris filius est, genitus ab existentia patris : nam existentia est intelligentia, quæ et vita est : apparens ergo et existens est Deus de Deo. Et quoniam in quolibet uno de tribus cuncta sunt, esse, vivere, intelligere : cum intelligentia intelligentiam genuerit, genitus est filius, et omnia habet filius quæ pater, et habet a patre. Item quoniam hæc omnia sunt per quæ creantur omnia : quæcumque enim sunt, accipiunt suum esse, suum vivere, suum intelligere ; filius cum hæc omnia sit, quippe imago patris, et actu actuoso sit, id est, ut hoc præstet cæteris pro natura existentium, est necessario universis totisque cunctis λόγος, id est, vis et potentia, per quam, quæ sunt ut sint esse provenit, per quem Deus fecit et facit omnia, et sine quo nihil fit. Hoc appellant alii motum activum, verbum, rationem operantem. Quoniam tamen cum operatur, inest in illo vis patria, in se operatur, unde multa ita dicuntur, ut cum ipsius sit quod faciat, tamen ipse in patrem refert omnia, ut (*Joann.* VI, 38) : *pater me misit.* Et (*Ibid.*, 38) : *Non meam sed patris facio voluntatem :* Et mille talia. Attendamus tamen istum locum : inveniemus quasi ipsum per se facere, ut sua sponte (*Philipp.* II, 6) : *Non est arbitratus rapinam se æqualem Deo.* Et item (*Ibid.*, 7) : *Se exinanivit*, et *formam servi sumens*, qui habebat dominium. Ista omnia sunt sua voluntate facientis. Sed potest credi ipse facere, cum in ipso pater sit, ex quibus sunt et illa (*Joan.* X, 23) : *Ego do vitam in æternum.* Et (*Ibid.*, 7) : *Ego sum janua* (*Joan.* XVI, 6), *ego vita*, *ego veritas.* Item (*Joan.* V, 21) : *Sicut enim pater suscitat mortuos et vivificat*, *sic et filius quos vult vivificat.* Hæc vera, hæc varia, et in omnibus magis vera intelligentia facit et filium in patre esse, et in filio patrem, et tamen ut pater, ut alter sint et unum, tamen duo sint, quoniam autem alter pater, alter filius : quippe cum pater filii fons, filius ut flumen, quod excurrit ex fonte : in fonte autem ut manens aqua, et quieta est, pura, immaculata, sine scatendi specie, sibi occulto motu apertiore per diversa discurrens, terrarum quas sulcat qualitatibus et afficitur, et quodam modo patitur; sic et filius aqua sua, suaque substantia, quæ patris est, semper purus, immaculatus, impassibilis, regionibus per quas discurrit, locisque, vel supracœlestibus, vel cœlestibus, vel intracœlestibus, nunc spumat, ut occurentibus saxis, quæ sunt ex generibus animarum campus quietus excurrit. Recipit igitur passiones, non in eo quod substantia est, sed in actu atque operatione. Nam cum mysterium adventus sui compleret, tum jam passionem sustinuit, ut se exinaniret, ut personam servi susciperet. Sic et reliqua, in quibus omnibus actus est et operatio. Quamquam et in primo existentiæ suæ actu, sicuti A in multis libris docuimus, passio exstiterit recessionis a patre, unde tenebræ, id est, hyle consecuta est, non creata. Sed hæc plenius alibi.

XXXII. Nunc quid assertum est, quid probatum ? Deum patrem, filium Deum ὁμοούσιον esse, esse tamen et patrem in substantia, et filium in ea quidem substantia, sed sibi existentem actum agente in actu passione exstitisse, numquam separatum a patre, ex æterno et esse, et fuisse, et futurum esse. Actu, quia intra naturam agendi est, et cum patre, vel in patre esse ; et extra hoc dici, et intus et foris cum ipse agat, quia de patre ei actus est, patre agente agere dicitur, et tamen omnia patrem per illum agere dicitur ; hunc esse λόγον omnium, et universaliter universalium, et generum, et specialium, et partialium B λόγον. Et quia omnium et incorporalium, ergo et corporalium pro sua vi ad id quod esse possunt, ut sint λόγος : unde et mysterii ordinatione novissimis seculis λόγος, quia omnium existentium adumbrata per Spiritum sanctum Maria Virgine incarnatus est ipse ille, quem supra demonstravimus, filius, eodem modo ut esset in corpore, quo Spiritus sanctus in nobis, non totus : nam ut Deus ubique est, sed ut pars ejus : omnium enim divinorum pars hoc semper est, quod est totum, ut est anima in corporibus, ut virtus ac disciplina in animis, vel sol aut ejus lux in oculis. Ipsum autem λόγον, ipsumque illum quem demonstravimus filium, fuisse in corpore, omnia Evangelia declarant, Apostolus omnis, omnes Prophetæ. Cum enim prædixerunt futurum Christum, in carne C futurum prædixerunt, quippe cum ante in carnem dicant et visum, et apparuisse, ut Abrahæ, ut Jacob. Et ipse in carne dixerit (*Joan.* VIII, 56) : *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Et Apostolus, in sacro isto ac mysteriis pleno loco, declarat maxime filium Dei ante carnem, et ipsum postea sumpsisse carnem (*Philipp.* II, 5, 6) : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei constitutus fuisset.* Utique hoc quando ante carnem fuit, ergo et ante carnem et fuit qualis et quantus. *Forma*, inquit, *Dei.* Quid istud est, forma idem quod pater. Quid est forma ? in qua pater cernitur (*Joan.* XIV, 9) : *Qui me videt, videt et patrem.* Utique non in eo quod videbatur, sed in eo quod ipse Deus divina substantia, λόγος, vita. Hoc igitur fuit ante carnem : namque quid adjungit? D *Non arbitratus est rapinam ut esset æqualis Deo.* De se ergo cogitat, et de Deo : facit igitur ut non sit æqualis, sed fuit. Quid deinde adjicit ? *Sed se exinanivit* (*Philipp* II, 7, 8). Quid exinanivit ? aut unde, si non fuit ? Adjicit adhuc : *Et servi sumpsit formam in similitudinem hominum factus, et habitu inventus tanquam homo. Humiliavit semetipsum, subditus factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quid hic non ex omni parte declarat Jesum Christum et filium Dei ? Nam sic dictum (*Gal.* IV, 4) : *Deus misit filium suum* et missum suæ potentiæ, ac suæ etiam voluntatis arbitrio cuncta facientem, ut se nollet æqualem, ut se exinaniat, ut induat servi formam : fuit ergo qui fuit Dei forma, fuit qui se exinanivit : is autem ipse est Jesus,

Digitized by Google

qui sumpsit imaginem servi, et inventus homo est, qui se subdidit usque ad mortem, ut designetur plenius Jesus Christus, usque ad mortem crucis.

XXXIII. Hæc viris fidelibus satis probata sunt, et ante carnem fuisse, et in carne eumdem filium fuisse, illum qui ante sæcula est genitus, illum qui ascendit in cœlum, et inde descendit, illum qui nobis de cœlo panis est : illum qui in carne dicit (*Joan.* XVII, 5) : *Redde mihi, pater, honorem meum, quem habui apud te :* utique supra cœlos, et ante carnem, illum : λόγος est, et (*Joan.* I, 13) *in principio* λόγος, *et juxta Deum* λόγος, *et qui* λόγος *Deus est, et per quem* λόγον *facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil ;* illum (*Joan.* I, 9) *qui illuminat hominem in hunc mundum venientem ;* illum (*Joan.* I, 14) qui λόγος *caro factus est.* Audisti in principio, λόγος, audisti quod λόγος ipse caro factus est : audi quod ipse Dei filius sit, et de patre genitus, sit illa quam diximus supra generatio. Dicit evangelista (*Joan.* I, 18): *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus solus filius, qui est in sinu patris.* Melius autem dicemus gremio. Græci ἐν κόλπῳ, id est in gremio. Sed vel hoc verbum, vel illud significat et genitum filium, quod est foris esse, tamen cum patre esse, cum dictum est : *Qui est in sinu patris.* Omnibus lectionibus ita esse diligens et fidelis quæsitor intelliget. Jam vero Spiritum sanctum alio quodam modo ipsum esse Jesum Christum occultum, interiorem, cum animis fabulantem, docentem ista, intelligentiasque tribuentem, et a patre per Christum genitum, et in Christo : quippe cum unigenitus filius Christus sit, multis nos libris exposuimus ; et quod exemplis plurimis approbavimus, satis clarum est. Hoc modo atque hac intelligentia ut pater et Deus cum filio ὁμοούσιον, et filius quod ipse vita est cum eo. Quia autem ipse intelligentia est Christus, et Spiritus sanctus ὁμοούσιον intelligitur : unde juncto patri filioque accepto, quod sit idem quod Spiritus sanctus, eo quidem modo, quo filius idem est quod pater ; ita tamen, ut quomodo pater et filius unum cum sint, sic tamen Pater sit etiam filius, existentia unusquisque sua, sed ambo una eademque substantia : sic Christus et Spiritus sanctus cum ambo unum sint, existit tamen Christus sua existentia, et Spiritus sanctus sua : sed ambo una substantia, ex quo omnes, id est, tota Trinitas una, atque eodem modo juncto patre cum filio, filioque cum Spiritu sancto. Atque ista ratione patre cum Spiritu sancto per Christum juncto, singulis quidem existentibus unum, omnis Trinitas sit, atque existet illud ὁμοούσιος, cum sit omnibus una eademque simul ex æternitate substantia. Hæc nobis salus est, hæc liberatio, hæc totius hominis plena salvatio, sic patrem omnipotentem Deum credere, sic Jesum Christum filium, sic Spiritum sanctum. Amen.

VICTORINI

DE ὁμοουσίῳ RECIPIENDO.

I. Miror adhuc rationem intelligendi unam inter nos non certa mente teneri : omnes recte intelligimus, nec tamen jungimur. Dicam ergo omne mysterium, omnium verba, sententias, intellectus, oratione brevi, Arium ut possimus excludere. Græci quos Ἕλληνας, vel Paganos vocant, multos deos dicunt. Judæi vel Hebræi unum : nos, quia posterior veritas et gratia est, adversum Paganos unum Deum dicimus : adversum Judæos patrem et filium : ita dicentes duos, patrem et filium, sed unum tamen Deum complexi religiones ambas, adversum utramque alterius contrario repugnamus. Et Pagani quidem lapsi multum, et elementa et cibos suos deos esse dixerunt. Judæi errore carnali Christum negant, quem aliter confitentur. Nostrum igitur dogma est ad probandum, quod docuit veritatem, et correxit errorem. Id autem facile cognitu erit, si cognoscatur vis verbi a majoribus positi, quod ὁμοούσιον nominatum est, nec errare quemquam volo, cum tantum de patre et filio ὁμοούσιον dixero : quia Spiritus sanctus et a patre est, et in filio. Hæc autem ratio contra Arianos, et contra hæreticos maxime prævalebit. Esse Deum fatemur ; ita est esse : Christum fateamur sic esse : isto modo dico, est Deus, est Christus. Quid est autem istud esse? lumen esse, Spiritum esse, Deum esse, Λόγον esse fatemur. Ergo hæc nemo negat : hoc esse Græci οὐσίαν, vel ὑπόστασιν dicunt : nos uno nomine latine substantiam dicimus. Et οὐσία Græci pauci et rari, ὑπόστασιν omnes.

II. Distat quidem ; verum nunc omittamus. Scriptura divina Græce ὑπόστασιν sæpe dixit, latine substantiam. Et dixit de Dei substantia propheta Jeremias (*Jer.* XXIII, 22, *sec.* LXX) : *Quod si stetissent hi in substantia Domini, Verbum meum vidissent.* Quid autem est stare in substantia? intelligere Dei substantiam, quod verum lumen sit, quod spiritus infinitus sit. Hoc cum intellexissent, intelligerent Λόγον Domini, hoc est, Verbum Domini vidissent. Et sic et paulo post idem Jeremias loquitur (*Ibid.*, 18). Dicit David (*Psalm.* CXXXVIII, 15) : *Et substantia mea in inferioribus terræ,* et de Deo dicit, et substantiam dicit, et quid sit hoc manifestum est. Dicit Apostolus ad Hebræos (*Hcb.* I, 3) : *Qui est character substantiæ ejus.* Characterem enim dixit Spiritum substantiæ Dei. Sunt alia multa exempla, sed quid interest? lectum est quod sit, et dicatur Dei substantia. Et autem substantia Dei, lumen, Spiritus, Deus. Item substantia Christi est λόγος, lumen, Christus. Hinc omnes vere dicimus Christum verum lumen de vero lumine, Deum de Deo : recte ergo dicitur ejusdem esse substantiæ, hoc est ὁμοούσιον. Fatemini ergo ὁμοούσιον, cum dicitis lumen de lumine, Deum de Deo, cur repugnatis? propterea quod est Græcum? Ὅμο, tale est, ut cui jungitur nunc significet ejusdem rei, nunc si-

Digitized by Google

mul cum re res est, utputa species, quod Græce εἶδος dicitur junguntur ista ὁμο et εἶδος, et significat ejusdem speciei : sic ὁμώνυμον, ejusdem nominis. Ergo cum jungitur ad οὐσίαν ὁμο, fit ὁμοούσιον, ejusdem οὐσίας, id est ejusdem substantiæ. Ex hoc excluditur Arius, qui dixit, ex nihilo Christum. Item diximus ὁμο ὁμου significare, cum jungitur rei, nihil aliud, quam simul esse rem dicere, ut ὁμηλικὸς simul una ætate, et ὁμοτρόφους, ὁμοῦ τραφέντας, simul nutritos? ergo ὁμοούσιον, simul substantiale dicemus, vel consubstantiale. Ecce habemus et latine nomina : quod si ita est, et ex hoc excluditur Arius, qui dixit, *fuit quando non fuit*. Etenim si dicimus, semper pater, semper filius, et si (*Joan.* I, 1) *in principio erat* λόγος *et* Λόγος *apud Deum*, quoniam principium sine ortu est, et sine tempore semper fuit Deus, semper λόγος, semper pater, semper filius. Hoc si ita est, exclusum est, ut dixi, *fuit quando non fuit*. Ecce est in utroque ὁμοούσιον, contra Arium positum, universamque Arii hæresim.

III. Hæc si vera sunt, accipite ὁμοούσιον : nam si non vultis, novelli Arii non latetis. Sed ut ex vestris actibus clarum est, dicitis quidem Christum Deum de Deo, lumen de lumine; verum factum, atque hoc modo natum non de substantia Dei, sed de nihilo, idque ab aliis cogitis per argumenta vestra, ut audire possitis magis quam dicatis ipsi, et quare argumenta? O Deus, o Christe, succurre : si de Deo natus est Christus, aut divisus aut minutus est Deus. Hæc atque hujusmodi indigna sæpe profertis quasi corpus sit Deus, aut corporeus, aut hyle : heic enim divisio vel diminutio potest esse. Sed de isto multa jam diximus, quemadmodum in divinis, in incorporeis maximeque in anima, in spiritu, in mente, et magis in Deo aut motus sit, aut partus omnimodis. Etenim perfecta neque augeri, neque minui possunt, maxime circa substantiam, αὐτόγονα enim cum sunt et αὐτοδύναμα, de Deo dico de spiritu, qualia ipsa sunt, talia emittunt : nec ibi generatio immutatione generatio, neque ulla passio ibi, vel phantasia aliqua passionis. Interea his rationibus vestris quid cogitis nos fateri de nihilo Christum esse natum? Num minor vestra blasphemia est, cum vos eadem sentiatis? Aut cur non est aperta vestra professio, si ita sentitis? Verum contraria vos loqui non videtis : dicitis enim Deum de Deo, lumen de lumine. Hoc de nihilo est, cum dicatis unde. Ergo de Deo Christus, non ergo de nihilo, de lumine non de nihilo; de Deo enim, de ipsius substantia intelligitur. Nam aliud est quod a Deo est : nam omnia a Deo, Christus autem de Deo est : ipse vero Christus Λόγος est, vel Λόγος Christus est.

IV. Postremo quærite quid sit Λόγος, et invenietis Λόγος de nihilo esse non posse. Sed illi vos fallunt, illi, inquam, qui non intelligentes modum generationis, dicunt (*Isa.* LIII, 8), *Nativitatem Domini quis enarrare potest?* Primum de hominibus dictum videri potest, quis? vel, nemo. Spiritus autem sanctus et insinuare, et narrare potest. Unde et nos Dei patris, et Jesu Christi Domini nostri permissu diximus : et certe non desperatum hoc, sed cum miraculo dictum est. Deinde sit modus generationis ignotus, nos de substantia loquimur : si pater et filius, ὁμοούσιον. Quomodo autem Deus pater, et quomodo Λόγος filius sit, cognitu difficile. Nunc autem hoc non videtur esse quærendum : prius enim confitendum, quod de substantia patris filius, et sic quomodo filius; qui modus est vere difficilis, et a nobis alibi tractatus. Ergo nunc de ὁμοούσιον, certe ut satisfiat vobis (pacem enim volumus cum omnibus), habemus quomodo exprimamus ὁμοούσιον, primum consubstantiale vel simul consubstantiale. Deinde si dicimus Deum de Deo, lumen de lumine : lumen autem pater est, item filius lumen : cum dicamus quia in patre est filius, et in filio pater est, dicamus etiam qui recte dicimus Deum de Deo, lumen de lumine : quod verum erit, et plenum ὁμοούσιον. An dubitatis? Quid si et hoc lectum est? blasphemia est contradicere. David (*Psalm.* XXXV, 10) : *Est* enim *fons vitæ;* et (*Psalm. ibid.*) : *In lumine tuo videbimus lumen.* Fatetimini jam et hoc, et ὁμοούσιον. Similiter hoc objici potest ei qui dicit similem substantiam : eamdem enim nos dicimus et simul substantiam, certe dictum in Isaia (*Isa.* XLIII, 10) : *Nemo ante te, Deus, et nemo post te similis, Deus.* Et David (*Psalm.* XXXIV 10) : *Quis tibi similis erit, Deus?* Hæc adversus eos, qui similem substantiam dicunt : sed et multa prætereo, quæ plenius uberiusque tractata sunt, contra eos tractatus, quos ipsi miserunt. Nam de illis non loquendum, qui dissimilem dicunt : nec de illis, qui eos qui ista tractant quæ dicimus, Patripassianos putant. Omnes enim isti et alii hæretici facile refutati sunt majore tractatu. Deus adesto Pater, et Deus Domine Jesu Christe, ut sit in plebe tua ὁμοούσια per ὁμοούσιον. Amen.

VICTORINI
DE TRINITATE HYMNI.

HYMNUS PRIMUS.

Adesto, lumen verum, pater omnipotens Deus.
Adesto, lumen luminis, mysterium et virtus Dei.
Adesto, sancte Spiritus, patris et filii copula.
Tu cum quiescis pater es, cum procedis, filius.
In unum qui cuncta nectis, tu es Spiritus sanctus.
Unum primum, unum a se ortum, unum ante unum [Deus.
Præcedis omne quantum, nullis notus terminis.
Nihil in te quantum, quia neque quantum ex te est.
Namque ex te natum unum gignit magis, quam tenet [quantum.

Digitized by Google

Hinc immensus pater est : mensus atque immensus filius.
Unum autem et tu pater es, unumque genuit filius.
Quod multa vel cuncta sunt, hoc unum est quod genuit filius.
Cunctis qui ὄντως semen est, vera virtus seminis.
In quo, atque quo gignuntur cuncta, virtus quæ fundit Dei.
Rursusque in semen redeunt genita quæque ex semine.
Operatur ergo cuncta Christus qui omnis est virtus Dei.
Namque Christus in quiete motus est, summus Deus.
Atque ipse motus sapientia est, et virtus Dei.
Nullo a substantia distans : quia quod motus,
Hoc substantia est, quique motus, quia in ipso atque ipse est.
Ex Deo dictus Deus, natus autem : quia motus est;
Omnis enim motus nutus est, unumque cum sit Deus.
Ac Dei motus, unus et idem Deus existit.
Tamen motus ipse esse, ut sibi sit hoc quod ipse motus est.
Sed quia Dei motus est, habet in se motus Deum.
Rursusque ipso quia Dei motus est, habet in se motum Deus.
In filio igitur pater est, et in patre est ipse filius.
Sunt ergo singuli atque in semet semper, cum sint singuli.
Hinc duobus una virtus, hinc una substantia est.
Sed patre dante, quæ sibi sit filius substantia est.
Esse enim prius est, sic moveri posterum.
Non quo tempus illi adsit, sed in divinis ordo virtus est.
Esse nam præcedit motum, re prius, non tempore.
Hoc esse dicti in Deo memorant substantiam.
Hic autem motus ortus est, nam gignit motus substantiam.
Substantiæque generatio quid aliud quam substantia est ?
Ergo motus et patris est, filius ergo eadem substantia est.
Hunc λόγον Græci vocarunt, intus in patre Deum :
Causa qui sit ad partum atque ortus omnium.
Nihil namque absque hoc creatum est : per hunc creata cuncta sunt.
Hic λόγος si Christus est, et si λόγος vita est genitus,
Λόγος a patre est : est enim vivus Deus, in quo cum
Substantia Deus sit, Deusque sit vita substantia.
Genitus autem filius vita est, una est substantia.
Λόγος Deus, indiscretus ergo semper, semper et alter.
Simul missus, mittenti par, et fons tamen manans, semper
Discurrit, spargens vitas, missus ut flumen filius.
Hinc substantia unum ambo, fons Deus, flumen filius.
Sed quia in divinis substantia hoc idem quod vita est.
Vitaque ipsa est sapientia, ut præcedit esse.
Cui inest princeps ac simplex vivere, sic adest.
Intelligens sapiensque semper cum præcedit vivere.

Non quo præcedat quidquam alterum, neque quo sit omnino alterum.
Sed quo progressu actum sit ter triplex alterum.
Filius, actusque vita est, qua procedunt et creantur omnia.
Fit idem doctor et magister, idem perfector spiritus.
Seminatas sæclis animas irrigans scitis Sophiæ.
Sophia autem cum sit Christus, idem Christus filius docet,
Profectus Patre Patrem et Christum Spiritus.
Hinc patris cuncta Christus : hinc habet Christi cuncta Christus.
Sic Christus meus inter parentem et sese alterum
Spiritum implet parentem, dum esse præstat omnibus.
Atque esse cunctis vita est : et hoc est quod in Christo factum est.
Quid quia jungit ac salvat omnia, ac docet verum Deum.
Christum sequentes, Christo renato sanctus jungit Spiritus.
Ergo Christus omnia, hinc Christus mysterium.
Per ipsum cuncta et in ipso cuncta, atque in ipsum omnia.
Cujus altitudo pater est, ipse vero totus.
Progressus suo longitudo, et altitudo patris est.
Hinc Christus apparens sæclis, ad profundum doctum idque arcanum,
Et intimus intus docendo, Christus occultus factus spiritus.
Omnes ergo unum spiritum, omnes unum lumen.
Hinc singulis vera, hinc tribus una substantia est.
Progressa a patre filio, et regressa a spiritu,
Quia tres existunt singuli, et tres in uno singuli.
Hæc est beata Trinitas, hæc beata unitas

HYMNUS II.

Miserere, Domine, miserere, Christe, miserere, Domine, quia credidi in te, miserere, Domine, quia misericordia tua cognovi te.

Miserere, Domine, miserere, Christe : tu spiritus mei λόγος es, tu animæ meæ λόγος es, tu carnis meæ λόγος es.

Miserere, Domine, miserere, Christe : vivit Deus et semper vivit Deus, et quia ante ipsum nihil est, a se vivit Deus.

Miserere, Domine, miserere, Christe : vivit Christus, et quia Deus ei generando dedit, ut a semet ipso vivat Christus, quia a semet vivit, semper vivit Christus.

Miserere, Domine, miserere, Christe : quod si a semetipso vivit pater : et patre generante a se vivit Filius, consubstantiale patri est, quod ut semper vivit Filius.

Miserere, Domine, miserere, Christe : animam, Deus, dedisti mihi, anima autem imago vitæ est, quia vivit anima in æternum, vivat et anima mea.

Miserere, Domine, miserere, Christe : si ad similitudinem tuam, Deus pater, et ad imaginem Filii homo

Digitized by Google

factus sum, vitam creatus sæculis, quia me cognovit Filius.

Miserere, Domine, miserere, Christe : amavi mundum, quia tu mundum feceras : detentus mundo sum, dum invidet mundus tuis : nunc odi mundum, quia nunc percepi Spiritum.

Miserere, Domine, miserere, Christe : succurre lapsis, Domine, succurre pœnitentibus : quia divino et sancto judicio tuo quod peccavi, mysterium est.

Miserere, Domine, miserere, Christe : cognosco, Domine, mandatum tuum, cognosco reditum in anima scriptum mea, propero si jubes redire, nostri Salvator Deus.

Miserere, Domine, miserere, Christe : diu repugno, diu resisto inimico meo, sed adhuc mihi caro est, in qua victus diabolus, tibi triumphum magnum, nobis fidei murum dedit.

Miserere, Domine, miserere, Christe : *Velle mihi adjacet* (*Rom.* VII, 18), mundum et terras linquere : sed imbecilla pluma est, velle sine subsidio tuo : da fidei pennas, ut volem sursum Deo.

Miserere, Domine, miserere, Christe : jam portas quæro spiritus, quas pandit Spiritus testimonium de Christo dicens, et quid sit mundus docens.

Miserere, Domine, miserere, Christe : Pater qui genitus semper, qui repræsentas Deum, da claves cœli, atque in me vince diabolum, in sede lucis ut quiescam, gratia salvatus tua.

HYMNUS III.

Deus Dominus, sanctus Spiritus : o beata Trinitas.

Pater, Filius, Paracletus : o beata Trinitas.

Præstator, minister, divisor : o beata Trinitas.

Spiritus operationum, Spiritus ministeriorum, Spiritus gratiarum : o beata Trinitas.

Unum principium, et alterum cum altero et semper alterum cum altero : o beata Trinitas.

De qua Pater substantia, et ipse substantia Filius, Spiritusque substantia, sed (1) ter ipsa substantia : o beata Trinitas.

Pater perfectus, perfectus Patre perfecto Filius ; perfecto Filio sanctus perfectus Spiritus : o beata Trinitas.

Fons, flumen, irrigatio : o beata Trinitas.

In tribus ter gemina, sed una actio : o beata Trinitas.

Existentia, vita, cognitio : o beata Trinitas.

Caritas, gratia, communicatio : o beata Trinitas.

Caritas Deus est, gratia, Christus, communicatio sanctus Spiritus : o beata Trinitas.

Si charitas est, gratia est ; si charitates et gratia, communicatio est : omnes ergo in singulis, et unum in tribus : o beata Trinitas.

Hinc ex Deo Apostolus Paulus (II *Cor.* XIII, 13) : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus vobiscum.* O beata Trinitas.

(1) Caute lege, *ter*, id est in tribus : alioquin certum est substantiam seu naturam non numerari, sed esse unam. Simplicissimam plusquam unam numero.

Ingenitus, unigenitus, id est procedens genitus : o beata Trinitas.

Generator, genitus, regenerans : o beata Trinitas.

Verum lumen, verum lumen ex lumine, vera illuminatio : o beata Trinitas.

Status, progressio, regressus : o beata Trinitas.

Invisibilis invisibiliter, visibilis invisibiliter, invisibilis visibiliter : o beata Trinitas.

Omnis potentia, omnis actio, omnis agnitio : o beata Trinitas.

Impassibilis impassibiliter, passibilis impassibiliter, impassabilis passibiliter : o beata Trinitas.

Semen, arbor, fructus : o beata Trinitas.

Ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia : o beata Trinitas.

Unus simplex unus, unum et solum unum, et solum et semper unus. Alter unus, ex uno unus idem unus, et omnia unus unitor omnium, virtus unius, operans unum, ut fiant omnia : o beata Trinitas.

Ex æterno ingenite, ex æterno genite, ut omnia æterna sint genite : o beata Trinitas.

Tu creari imperas, tu creas, tu creata recreas : o beata Trinitas.

Tu Pater cunctis substantia es, tu Filii vita, tu Spiritus salvatio : o beata Trinitas.

Substantia ipsa vita est, vita ipsa qui est, æterna salvatio est : Pater ergo, et Filius, et Spiritus sanctus est ; o beata Trinitas.

Tu esse cunctis præstas, tu Filii formam, tu Spiritus reformationem : o beata Trinitas.

Tu Deus infiniti et definiti Pater es : o beata Trinitas.

Tu o Fili, quia vita es, infinitus es ; qui a mortuis vitam revocas, definitus es ; tu quoque et infiniti et definiti Pater es : o beata Trinitas.

Tu etiam Spiritus sancte, quia salvatio es, definitus es, et quia definitio quod infinitum est retines, et infiniti et definiti pater es : o beata Trinitas.

Si ergo ter Pater unitas, omnis autem a te, o Deus, paternitas, unum et Deus, et omnis paternitas : o beata Trinitas.

Tu λόγον, Deus, creasti (1), hinc Deus factus Pater, et quia a te creatus est λόγος, et ipse quia in illo es, factus est λόγος Deus. Hæc duo unum sancto unxisti Spiritu : simplex ergo et unum es factum in tribus.

Spiritus, λόγος, Deus : o beata Trinitas.

Primum ὄν, secundum ὄν, tertium ὄν, et simplex tria : o beata Trinitas.

Ον omne substantia est, ὄν formata substantia est : formata substantia aut sibi tantum, aut alteris, aut sibi aut alteris nota est : o beata Trinitas.

Substantia Deus est, forma Filius, notio Spiritus : o beata Trinitas.

Ον primum, ὄν verum Deus es : ergo omnis et tota substantia, Deus es : o beata Trinitas.

Ον secundum omnis forma Christus est : universalis autem substantia, cum universalis est, forma est

(1) Caute lege : nam solet Victorinus *creandi* et *faciendi* verbo pro generandi et producendi uti.

Digitized by Google

substantia : igitur cum forma est, et Deus Christus est : o beata Trinitas.

Ον tertium sanctus est Spiritus, sanctus Spiritus, totius exsistentiæ demonstratio est. Demonstratio autem numquam nisi nota demonstrat : nosse autem in divinis hoc est quod habere est. Cognoscentia enim ipsa eademque substantia est. Habet ergo Deum, habet Christum quem demonstrat Spiritus sanctus : o beata Trinitas.

Immensus, infinitus, invisibilis Deus es, sed aliis immensus, infinitus, aliis et invisibilis : tibi mensus, tibi finitus, tibi visibilis : Hinc ergo et forma tibi est, ergo et Λόγος : idem es, quia Λόγος forma est : et quia forma tibi notitia es, notitia autem Spiritus sanctus est : id ergo et Deus, et Λόγος, et Spiritus sanctus es : o beata Trinitas.

Tu, Fili visibilis, es enim universalis et omnium forma : Cum enim vivificas cuncta, fit forma de vita : Forma autem semper in substantia, et forma omnis notitia est : ergo in substantia Deus es, in forma Λόγος, in notitia Spiritus sanctus : o beata Trinitas.

Tu quoque Spiritus sanctus notio es : omnis autem notio formæ et substantiæ notio est : Cognoscis igitur Deum, et habes Dei formam. Hinc et Deus, et Filius, et Spiritus sanctus es : o beata Trinitas.

Esse Deus es, Spiritum esse Christus, apparere quod sit Spiritus Paracletus : o beata Trinitas.

Hinc Christum misit Pater, Christus Paracletum, Christus ut Paracleto, Christo ut appareret Pater : o beata Trinitas.

Secreta atque in occulto substantia Deus est : secreto atque in occulto forma Deus es : secreta atque in occulto notio Deus est : Hinc (1) pro ὂν istorum τῶν ὄντων Deus es : o beata Trinitas.

Publica jam apparensque substantia λόγος es : et quia publica et apparens, forma autem quia Patris forma es, hinc tibi substantia es. Ergo in te pater est, quia pater substantia est. Eadem autem substantia, neque enim alia ulla substantia. Si ergo λόγος apparens forma est, forma substantiaque ipsa; apparens autem forma apparensque substantia notio est : idem tu λόγος, et Deus, et Spiritus sanctus es : o beata Trinitas.

Omnis notio cognoscentia est, omnis cognoscentia substantia est, cognoscentiaque ipsa forma est : es ergo Spiritus sanctus publicata forma, apparensque substantia, sed salvans regeneransque, non manens generansve substantia es : o beata Trinitas.

Una igitur Deus, λόγος Spiritusque substantia est, manens in tribus, existensque ter in omnibus tribus. Hoc autem et forma et cognoscentia est, sic triplicatur omnis simplex singularitas : o beata Trinitas.

Tu, Deus incognite, tu incomprehensibilis Deus es, sed incogniti atque incomprehensibilis Deus es, quasi quædam forma sine forma est. Hinc pro ὂν cum ὂν diceris magis defectus ac requies. Hinc cessantis cognoscentiæ forma est noscentiæ : o beata Trinitas.

Tu λόγος forma cum sis, forma patris es : hinc ergo et imago patris es. Et cum forma patris es, est tibi forma et ipsa substantia, et quia forma eadem et substantia est : hinc in te Pater est, et tu in Patre.

Item quia forma es, notio ibi est, ergo et substantia tibi nota, ex hoc notus et Pater est. Quippe cum in sinu ejus sis ab eo genitus, verum ergo et tu ὂν verum, ἐκ τοῦ ὄντος τὸ ὂν : Omne autem ὂν semper in tribus : o beata Trinitas.

Tu, Spiritus sancte, connexio es : connexio autem est, quidquid connectit duo, ita ut connectas omnia, primo connectis duo, esque ipsa tertia complexio duorum, atque ipsa complexio nihil distans uno, unum cum facis duo : o beata Trinitas.

Tres ergo unum, et ergo ter, ergo ter tres unum : o beata Trinitas.

Hinc Pater summus mittit λόγον, missus creat, et ministrat omnia, portans in salutem nobis carnem simul et sanctam crucem, remeans victor ad Patrem, salvandis nobis esse misit alterum : o beata Trinitas.

Semper cum Deo Christus est juxta substantiam : Etenim vita semper est. At quoniam vita, actio autem ut agat incipit, hoc est Christus natus est : ex æterno autem Deus et Christus agit : ex æterno igitur Deus Christus natus est : o beata Trinitas.

In cœlos qui ascendit Christus est : de cœlis qui descendit idem est. Non ergo ab homine, sed usque ad hominem Christus est : o beata Trinitas.

Hic est Deus noster, hic est Deus unus, hic unus et solus Deus : o beata Trinitas.

Hunc oramus cuncti, et oramus unum, unum Patrem et Filium, sanctumque Spiritum : o beata Trinitas.

Da peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem et gloriam : o beata Trinitas.

Libera nos, et salva nos, justifica nos : o beata Trinitas.

(1) Forte προὸν hoic et infra.

VICTORINI

IN EPISTOLAM PAULI AD GALATAS LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

Epistola ad Galatas missa dicitur ab Apostolo ab Epheso civitate : et idcirco quidam illam præmittunt epistolam, hanc ordinant consequentem. Summa autem hujus epistolæ hæc est : errare Galatas quod ad evangelium fidei, quod est in Christo adjungant judaismum, corporali intellectu observantes sabbatum, et circumcisionem, item cætera opera quæ ex lege perceperant. His rebus motus Paulus scribit hanc epistolam, eos volens corrigere et a judaismo revocare, ut fidem tantum in Christum servent, et a Christo spem habeant salutis et promissionum ejus : scilicet quod ex operibus legis nemo salvetur. Ut refutet ergo ista quæ adjungunt, confirmare vult

Digitized by Google

evangelium suum. Ut autem det auctoritatem evangelio suo, adhibet principia, dicens, se esse apostolum non ab hominibus neque per hominem. His divisionibus, quod evangelium revelatione susceperit judæus, et acriter judæus; quod post triennium Hierosolymam ad Petrum venerit; quod quindecim diebus cum eo fuerit; quod Hierosolymam post quatuordecim annos redierit : quibus omnibus hoc ostendit, nihil se ab his didicisse vel propter exiguam præsentiam, vel propter longam absentiam. Confirmata igitur auctoritate quod a Deo susceperit evangelium (1) Domino nostro Jesu Christo, subjungit ipsa præcepta, id est non esse jungendum corporalem intellectum judaismi : et id se dicit olim ostendisse et egisse, cum ageret etiam contra Petrum. Deinde exsequitur hoc ipsum, asserens unum esse evangelium quod ipse docuit, et longe errare eos qui judaismi præcepta jungunt et observationem. Hæc igitur quemadmodum tractet, suo loco dividemus : interim ad principium epistolæ revertamur.

CAP. I.—VERS. 1.— *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum patrem, qui suscitavit illum a mortuis, et qui mecum sunt omnes fratres ecclesiæ Galatiæ.* Ordo in principio sententiæ hic est : *Paulus apostolus, et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiæ Galatiæ.* Et hic se laudat apostolus, *non ab hominibus* missum *neque per hominem, sed per* Dominum *Christum et Deum Patrem qui suscitavit illum a mortuis;* ostendens quis, cum quibus, et quibus scribat : et cum soleat de se tantum profiteri Paulus apostolus Romanis, Corinthiis; ut onerat Galatas, et in errore gravi notaret, conjunxit secum etiam omnes fratres qui cum eo erant, quod et ipsi illis scribant, faciens eis pudorem quod contra omnes sentiunt. *Non ab hominibus neque per hominem,* quo majorem vim faciat præceptorum suorum et evangelii quod annuntiat. Quippe correcturus Galatas dicit se non apostolum esse aut *ab hominibus* aut *per hominem,* sed esse *per Jesum Christum et Deum Patrem.* Ergo credendum mihi, et habenda fides : et verum Evangelium est quod profero; quippe *per Jesum Christum et Deum Patrem. Apostolus* ergo, inquit, *non ab hominibus* neque per homines; quoniam non per apostolos, de quibus dicit quia et paucos dies cum ipsis fuit, et quia dexteras sibi dederunt : nihil ergo ab ipsi didicit. *Neque per hominem* vel per prophetam aliquem, ut ambigue (2); neque per Christum hominem, sed per Christum qui in homine : Christus enim et Deus et homo. *Non ab hominibus neque per hominem.* Cum dicit *ab hominibus,* significare videtur Matthiam, qui ab hominibus didicit : hic enim suppositus est in locum proditoris; ergo ab hominibus didicit. Quod autem dixit neque *per hominem,* intelligit quod non missus aut doctus est ab homine, sed per Jesum Christum, scilicet Deum. Ergo in eo quod dixit *non ab hominibus,* apostolos innuit; quoniam apostolus Paulus, sicuti probavit, a nullo apostolo, qui cum Christo fuit, aliquid didicit. Item ne, cum per Christum didicerit, negare videatur, ut quidam hæreticus blasphemus, quod fuerit homo Christus; adjiciens, *non per hominem,* quid illud sit subjungit, dicendo, *sed per Jesum Christum et Deum Patrem.* Cum negavit utique *per hominem,* et subjunxit *per Christum,* intelligi licet *per Deum Christum.* Sed quoniam subjunxit *per Deum Patrem,* idcirco quidam vix a Paulo nominatum Deum dicunt Christum. Verum in multis locis probavimus Deum dictum etiam a Paulo. Etiam hic quoque intelligi licet : etenim si dictum est *non per hominem,* et subjunctum *sed per Christum,* intelligendum est quod et Christus Deus est. Quoniam tamen Deus quæ facit, per Christum facit, sicuti multis ostendimus, idcirco dictum *per Christum, et Deum Patrem qui excitavit illum a mortuis.* Utique ne diceretur, quo modo per Christum didicisti qui Christum non secutus es, et Christus mortuus est? addidit, quod resuscitaverit Deus Christum a mortuis. Ergo Christus me docuit, qui resuscitatus est a mortuis; resuscitatus autem Dei Patris virtute. Quod sit hoc mysterium resuscitati Filii a mortuis sæpe exposuimus; sæpe, cum occasio erit, dicemus. Et qui mecum sunt omnes fratres, ordinem jam supra hujus sensus ostendit Paulus apostolus *et qui mecum sunt omnes fratres.* Quid subjungitur? *ecclesiæ Galatiæ.*

VERS. 3, 4, 5. — Servata consuetudine qua addimus aut salutem aut aliquid tale, *Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qui se dedit* (1) *pro peccatis nostris ut liberaret nos de præsenti sæculo malo* (2) *secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum.* Memores simus quid in Epistola agat hac Apostolus; quoniam Galatas reprehendit, et corrigere cupit, ut in Christum fidem habeant, et ab ipso solo spem salutis, spem æternitatis expectent, remissionem peccatorum; et omnino ne sibi credant prodesse vel opera legis vel sabbata vel circumcisionem. Ergo in principio pacem illis precatur et gratiam a Deo : et deinde adjunxit a Christo, quia in Christo sunt omnia nostra bona : et probat in Christo esse omnia, et per Christum omnia, cum dicit *qui se dedit pro peccatis nostris, ut liberaret nos de præsenti sæculo malo.* Ergo ipsius beneficio, ipsius gratia, a Deo quidem Patre, sed passione ejus, nos de præsenti sæculo maligno liberamur; et liberamur per Christum, sed virtute Dei, Dei scilicet cui est gloria per omnem æternitatem. Si igitur Deus æternus, et gloria ejus in æternum. Et ex Dei voluntate Christus mysterio functus, pro peccatis nostris se dedit, ut nos liberaret omnes, liberatio ex Dei voluntate per Christum est. Quod si per Christum est, ultra nihil quærendum, et vana sunt illa, quæ Galatæ adjungunt, id est judaismus, opera legis, et sabbati observatio, et circumcisio.

VERS. 6. — *Miror quod sic tam cito transferimini*

(1) Ita codices sine copula *et;* quamquam Paulus in textu dicit *per Jesum Christum et Deum Patrem.*
(2) Ita se habent codices.

(1) Vulg. habet, *qui dedit semetipsum.*
(2) Vulg., *eriperet de præs. sæculo nequam.*

Digitized by Google

ab eo qui vos vocavit in gratiam (1) *in aliud evangelium.* Cum evangelium certum sit quod annuntiat apostolus Paulus, id est Christum Dei Filium, virtutem Dei in salutem (2) omnibus credentibus sive Græcis sive Judæis; nihilque præterea; sed omnem spem salutis, et gratiæ Dei circa nos in fide esse circa Christum, ut eum credamus Dei filium esse, pro nobis passum esse, resurrexisse, exinde nos quoque resurgere, cum remissione peccatorum; quod est verum evangelium, quod annuntiat Paulus; siquis aliud adjungit, idest judaismum et circumcisionem et sabbati observationem et cætera, peccat hujusmodi, atque alienus a veritate est. Cum igitur Galatæ adjungendum putaverint judaismum ad evangelium Apostoli; ideo, ait, *miror quod sic tam cito transferimini.* Primum enim peccatum est cito transferri; non enim habet rationem cum cito aliquid transfertur: et deinde quod transfertur, quoniam ab aliquo transfertur. Videamus ergo a quo *ab eo*, inquit, *qui vos vocavit in gratiam.* Etenim Christus qui pro nobis omnibus passus est, in gratiam nos vocavit, si in ipsum credamus; non enim magnum est gratiam ejus consequi, si modo eum sequamur credentes mysterio suo ista præstitisse; et id gratis, et sine labore, et sine magnis operibus. Hoc cum sit nobis ab eo præstitum, cito ab eo transferri, magnum est mirandi argumentum, ut transferri maluerint in aliud evangelium, sociantes judaismi disciplinam. Unum autem est evangelium, solumque unum, Christum credere Dei Filium esse, Christum cum passione sua et adventu in carne et resurrectione ac passione solvisse omnia peccata, vicisse mortem, corruptionem omnem exterminasse: hoc est solum evangelium. Ideo adjungit,

Vers. 7: — *Quod non est aliud:* solum enim illud est, quod supra diximus: aliud enim non est, neque ex operibus mereri salutem, neque ex sabbati observatione, neque ex circumcisione evangelium est, id est, salus nostra.

Nisi si aliqui sunt qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi. Dicit ergo quorumdam opera fieri non ex veritate, ut cum volunt vos conturbare, et quasi minus docti sitis, vos docere. Convertunt evangelium Christi, cum evangelium non sit nisi Christi. Illud vero quod ex operibus est aut ex circumcisione, Christi non est: etenim ista carnaliter intellecta Christi non sunt; si autem spiritaliter intelliguntur (3) ut circumcisio sit cordis, et omnia quæ in carne sunt, spiritaliter intelligantur, hæc inquam Christi Evangelium sunt. Porro autem qui ad opera, et ad ea quæ sunt carnalia descendunt, Christi Evangelium non habent. Ergo qui vos observare vel sabbatum vel neomenias vel circumcisionem vel cætera quæ operibus fiunt, volunt et jubent, isti Christi evangelium non habent: unde volunt vos convertere a Christi Evangelio. Porro autem cum in Christum credideritis, et in Christo omnia speranda, volunt vos conturbare dum aliud suadent

Vers. 8.—*Sed et si nos vel angelus de cœlo vobis evangelizaverit* (1) *præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Acrius ac vehementius coactum sensum conjunxit, errare omnes, si præter evangelium Christi quid annuntiaverint; siquid nos ipsi, quibus jam credidistis, vel amplius angelus, licet angelus de cœlo, aliter evangelizaverit vobis, aliter scilicet, præter evangelium Christi, quod quidem nos evangelizavimus, anathema sit; hoc enim dixit *præter quam quod evangelizavimus vobis.* Et mihi ergo, si aliter evangelizavero, et angelo qui de cœlo sit, si, inquit, aliter enuntiaverit quam nos semel enuntiavimus vobis, sit anathema; id est, quod supra exposuimus, repudietur: et sit ille sine præmio, immo magis cum pœna malefacti sui.

Vers. 9. — *Sicuti prædiximus.* Potest videri quia et in superioribus tale aliquid prædixerit, ut anathema sit illis qui aliter prædicant Evangelium: sed ideo dixit *sicuti prædiximus*, ut adjiceret *et nunc iterum dico* ut de hoc ipso quod nuper dixit intelligatur: *sicuti prædiximus*, et nunc iterum admoneo. Quid? illud, quod supra dictum est, si quis vobis evangelizaverit, præter quam quod accepistis, anathema sit: idest sive ego aliter prædixero et enuntiavero Evangelium, sive angelus, sive quilibet alius, anathema sit. Adjicit autem fortiorem rationem quia non hoc quod agit, ideo agit, ut hominibus suadeat, sed ut mysterium compleat, quod ei mandatum est. Sic enim adjungit,

Vers. 10. — *Modo enim hominibus suadeo an Deo?* non enim, inquit, hoc quod ago, ago propterea ut hominibus suadeam, sed suadeo ante dominum Deum, cui velim placere, ut id quod mandatum est exsequar. Græcus aliter habet, modo enim ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν (2)? Hoc est non evangelizo homines, neque quæ hominum sunt, sed Deum. Persuadere enim non homines volo, sed Deum Christum. Ergo et sic habeo necessitatem et metum vera dicendi, et non alia et alia dicendi. *Aut* (3) *quæro hominibus placere?* Non enim ea ago quæ pro hominum commoditate sint, ut hominibus placeam, sed ut placeam Deo in eo quod obsequium præsto, et mandata compleo. Fortius autem adjungit illud quod dicit *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Etenim placere hominibus, sicuti multis rebus ostenditur, non est gratiam Dei mereri. Si quis ex operibus putat agendam vitam, hominibus placet, adhuc gratiam non meretur. *Quod si hominibus placerem.* Ergo si vellem, inquit, hominibus placere, *Christi servus non essem*, id est non a Christo redemptus essem. Hoc est enim servum esse Christi, ut redemptus per ejus passionem, a mundo atque a dominis mundi et carnis liberatus, jam Christum dominum habeam, et ejus servus sim. Itaque qui hominibus placere vult,

(1) Hunc versum Vulg. sic exhibet: *Miror quod..... transferemini ab eo qui vos voc. in gratiam Christi.*
(2) Ita codd. sine verbo.
(3) Vulg. *Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet.*

(1) Vulg., *sicut.*
(2) Græcum textum (ut certe est in codice) a latino differre mihi non persuadet Victorinus.
(3) Vulg., *an.*

Digitized by Google

a Christo redemptus non est, et servit mundi dominis, cum hominibus placet : servus autem Christi fit qui est redemptus a servitute in libertatem : hoc est enim servum Christi esse, liberum esse a servitio mundano : is servus Christi est, qui redemptus, ut diximus, nescit illam servitutem; quæ plena libertas est.

VERS. 11. —*Notum enim facio vobis* (1) *Evangelium, quod evangelizatum a me, quia non est secundum hominem.* Sive, ut supra dixit, quod *non ab hominibus neque per hominem* apostolus sit, et nunc hoc dixit quia *non secundum hominem.* Etenim apostolus nuntiat, id est evangelizat, quod est Dei Filium prædicat Christum Salvatorem omnium, per quem omnia facta sunt : et hoc ego non secundum hominem dico, id est non ab homine acceptum. Sive quia ipse ille Salvator non homo est, ita ut quidam putant (2); neque quia in hominem missus, idcirco homo ; sed Deus mysterio carnem sumens ad carnem vincendam, sicut multis dictum atque tractatum, homo factus est (3). Non ergo, inquit, secundum hominem evangelizavi vobis. *Notum ergo facio fratres* qui erratis, et ad hominem deferimini et deportamini carnaliter sentiendo, observando sabbata, circumcisionem, et cætera; Evangelium meum non secundum hominem est, id est ut de homine agatur, id est de carne, sed secundum virtutem animæ. Omne enim mysterium ideo actum est, ut non eo modo sentiamus, quomodo secundum hominem sentiunt quidam, omnia carnaliter accipiendo : sed ipse subjunxit quid intelligi velit, quia *non secundum hominem.*

VERS. 12. — *Neque enim ego ab homine excepi illud, neque doctus sum* (4), *sed per revelationem Jesu Christi.* Non ergo secundum hominem evangelizavi, quia non ab homine accepi. Ergo si aliud est accipere ab homine, aliud erit secundum hominem : et item si aliud est non ab homine accepi, aliud erit non secundum hominem : unde intelligi licet secundum hominem, ut corporaliter sentias; quippe cum hoc accipiat argumentum, quia non ab homine accepi. Si enim mihi homo ista tradidisset, secundum hominem acciperem, ut omnia secundum carnem intelligerem : nunc vero quod evangelizo, non secundum hominem accipiendum est; id est non carnaliter sed spiritaliter : quippe cum hoc sit argumentum, quod non accepi (5). Si enim a spiritu accepi, et a spiritu doctus sum, spiritaliter debeo intelligere : et hoc erit non secundum hominem. Denique quid subjungit ? *Sed revelatum est mihi*, inquit, *a Christo Jesu.* Plus autem fidei habet quod revelatum dixit, quam si doceatur. Etenim homines docent, et quasi rationibus asserunt aliquid ; revelatio autem, ipsarum rerum visio est; quod utique plus est. Quis autem revelavit? Jesus Christus. Non enim ita accipere debent illi, qui jam Christum sequuntur, ut ab homine intelligant acceptum, cum dictum esset, revelavit Jesus Christus, et Galatæ jam acceperunt et Deum et Dei filium. Reliqua quæ adjungunt, ab homine sunt, vel ab his qui illis suaserunt, vel ab ipso Moyse, qui legem dedit. Ipse quidem a Deo accepit, verum illi parum intelligentes, omnia carnaliter sentiunt. Ita tantum est mali ! Etenim Moyses accepit legem hanc, et credidit : at vero apostolus revelatum sibi esse dixit, et hoc exponit.

VERS. 13. — *Audistis enim conversationem meam aliquando in judaismo, quia* (1) *supra modum persequebar Ecclesiam Dei et expugnabam* (2), *et proficiebam in judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantius zelator* (3) *existens paternarum* (4) *traditionum.* Summa hujus de se narrandi hæc est, uti doceat non se ab hominibus neque per hominem didicisse, sed a Deo atque a Jesu Christo : quæ quidem res ad illud proficit, ut aliter Galatæ non sentiant, neque adjungendum aliquid putent ad id evangelium quod eis annuntiavit Paulus; in Christum fidem suscipiendam, et credendum quod ipse salutem dat, et alius nullus : neque ex operibus salutem dari neque ex circumcisione vel sabbati observatione hoc esse evangelium, neque aliud accipi præterea debere, quod Galatæ acceperunt. Hoc ut facile probet, adjungit, uti dixi, de se narrationem, quid fuerit, quemadmodum conversus sit; postea quam conversus a judaismo in Christum cœpit credere, quæ egerit : et quod omnia hæc non ab hominibus didicerit ; si quidem neque Petrum vidi nisi jam paratus et doctus, neque aliquem apostolorum. Nam primo, inquit, judæus fui ; ergo contrarius : neque ab ipsis didici, quippe cum contra eos sit, quod in evangelio de Christo dicitur. Ergo fui judæus multa faciens contra Ecclesiam ; nihil ergo a judæis didici. Postea quam autem conversus sum, et per gratiam suam Deus revelare Filium suum in me cœpit; cœpi, inquit, evangelizare inter gentes.

Deinde se ostendit non sibi pepercisse nec venisse se Hierosolymam, ne forte ibi didicerit ab apostolis. Sed *recessi*, inquit, *in Arabiam ; inde Damascum redii* (5); *deinde post tres annos Hierosolymam veni.* Ecce jam evangelizat, et Christum docet. Non ergo ab hominibus hæc didicit : post triennium enim venit Hierosolymam. Deinde ergo vidit Petrum, et quindecim diebus cum eo fuit. Quando ergo didicit a Petro aut discere potuit ? Deinde neminem, inquit, vidi apostolorum nisi Jacobum fratrem Domini. In quo illud utique ostendit, a nullo se didicisse, cum et cum Petro paucis diebus fuerit : et Jacobum videns

(1) Vulg., *Vobis facio, fratres.*
(2) Scilicet non homo tantummodo est, ut quidam hæretici existimant.
(3) Verba *homo factus est* addita fuerunt in margine ; postea vero deleta.
(4) Vulg., *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici.*
(5) Supplendum videtur *ab homine.*

(1) Vulg., *Quoniam.*
(2) Vulg., *et expugnabam illam.*
(3) Cod. 1. *dum lator ;* 2. *eum lator*, sed delctur ibidem *eum* ; 3. *lator.*
(4) Vulg. addit *mearum.*
(5) Vulg. *Sed alibi in Arabiam et iterum reversus sum Damascum.*

Digitized by Google

fratrem Domini, magis confirmavit a Jacobo se non potuisse discere; si quidem ea in evangelio habet Paulus; contra Jacobus non hæc, ut post docebimus. Deinde isse se ad partes Syriæ dicit et Ciliciæ; omnibus tamen jam se ecclesiis et Judæis notum fuisse, quod cum Judæus fuisset, etiam evangelium sequeretur et evangelizaret.

Post hæc narrat, post quatuordecim annos venisse se Hierosolymam. Unde ergo didicit hæc quæ evangelizat? non ab hominibus neque per hominem, sed per revelationem. *Exposui*, inquit, *illis omnibus Evangelium, quod prædico inter gentes* (1). Deinde etiam apostolis ego magis narravi Evangelium, non illi me docuerunt. Ubi et quantum per dissimulationem fecerit, docet, ut Evangelium obtineret: si quidem judaismi particulam acceperit ex necessitate, ut veritas Evangelii permaneret, quod loco suo quid sit docebimus. Inde Evangelium unum, et Petrum et se habere dicit; sed Petrum ut evangelizet Judæis, se ut gentibus; et hoc sibi per revelationem datum; et hæc officia divisa esse a Deo et domino nostro Jesu Christo: ipse enim in ambobus operatus est: quod confirmaverunt sententiam suam eamdem esse Petrus et Joannes cum apostolo Paulo et cum Barnaba; et consenserunt ut isti gentibus evangelizarent, illi Judæis. Maximum autem illud et fiduciæ suæ et scientiæ et revelationis et Evangelii sui adjungit et memorat, quod integre Petrum dicit egisse antequam a Jacobo quidam venerunt: deinde postea quam venerunt, mutatus est: et hoc ipsum quod reprehenderit Paulus, et eum revicerit. Mutatus autem fuerat ut non ederet cum gentibus, et Judæis cibis uteretur. Hoc a se dicit reprehensum quippe cum antequam venissent a Jacobo, cum gentibus vivebat: postea timens veluti Jacobi legatos, cum Judæis vixerit; etenim Jacobus admixto Judaismo Christum evangelizabat, quod negat id faciendum. Si ergo jam hoc et reprehensum est, et in Petro cum ita ageret convictum atque superatum (2) et confirmatum; utique etiam isti Galatæ, cum hoc facere cœperint, corrigendi et commutandi sunt: scilicet ut hi per fidem in Jesum Christum credentes justificentur ex fide non ex operibus legis.

Huc usque ratio de se: deinde admonitio et enarratio est satis utilis et commoda ad id quod agere cupit, ut Galatas corrigat, ne sequentes judaismum, Evangelium non sequantur; quod unum est, et in Christum veram fidem habere, et ab eo justificari, non ex operibus legis. Post hæc dat alia argumenta, quia ex Christo justificatio fit non ex lege neque ex operibus; et est ista omnis lectio, quam supra dixi, usque ad illum locum, qui incipit ita, *si autem quærentes justificari in Christo, inveniemur et ipsi peccatores; ergo Christus peccati minister est?* » et reliqua. Sed nunc ad narrationem (quæ quare suscepta sit diximus) de sua persona redeamus. *Audistis*, inquit, *conversationem meam aliquando in judaismo.* Ne novam rem de se narrare videatur, audistis inquit vitam meam: hoc enim dixit conversationem: actum scitis vivendi, quem actum habebam aliquando cum in judaismo eram, et quemadmodum agebam, quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei. Non solum, inquit, judæus eram, et legem sequebar, sed contra persequebar ecclesiam et impugnabam. Ergo qui talis eram ut persequerer Ecclesiam, non possum hodie qui conversus sum a judaismo ecclesiam persequi, quam persequebar; non possum, inquam, probare ut et judaismum sequar, et Ecclesiam persequar: simulque, et quod supra dixi, in judaismo nihil intellexi neque accepi quod ad Ecclesiam pertinebat. Non ergo ab hominibus doctus sum: expugnabam ergo ecclesiam: parum est expugnabam: quid adjecit? et proficiebam in judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantius: et cum haberem collegas, æque omnes viucerem cupiditate, et professione in judaismo: et abundantius agerem, id est fortior ac vehementior ad judaismum asserendum essem: æmulator existens paternarum traditionum ut eodem modo traditiones paternas, id est lectiones judaismi et legis, exponerem et traderem. Æmulus, id est, imitator, et quasi concertatione quadam; qui et idem esse vellem quales fuerunt, vel patres mei vel ipsæ traditiones.

Vers. 15. — Hæc igitur cum fuerit vita, unde conversio tanta? Subjungit, *Sed cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus.* Ordo est, *sed cum placuit Deo revelare filium suum in me.* Quid est autem placuit Deo revelare filium suum in me? id est ut ego cognoscerem Christum: prius enim est ut cognoscat, deinde ut evangelizet. Sic *qui me*, inquit, *separavit de utero matris meæ*, id est nasci me fecit. Item *et vocavit me per gratiam suam;* id est ut ad gratiam suam venirem Deumque cognoscerem, evocavit: nemo enim cognoscit Deum nisi qui vocatus est. Vocavit ergo me, et placuit ei ut revelaret filium suum in me; ut ego, inquit, cognoscerem, et sic deinde ut eum evangelizarem inter gentes. Hoc postea quam placuit, quid secutum est? *continuo non acquievi carni et sanguini.* Ergo revelatum, inquit, mihi est quod evangelizo. Et omnino laboravi carnaliter. Hic enim labor non est. Nam si divina nuntiat, et ea quæ gratiam Dei habent animo labor non est, sed labor carnis et sanguinis, id est discurrere, ferre itineris laborem, provincias et gentes peragrare (1). *Non autem acquievi*, inquit, *carni et sanguini.* Caro enim et sanguis homo exterior totus est. *Neque veni Hierosolymam ad præcessores meos apostolos* (2). Hinc enim videri potuit ab hominibus vel per homines didicisse si Hierosolymam pergeret, et cum majoribus

(1) Vulg. *Contuli cum illis Evangelium quod prædixi in gentibus.*
(2) Ita codex antiquior; at duo reliqui *separatum.*

(1) Vulg. *Continuo non acquievi*, etc.
(2) Vulg. *ad antecessores meos*, etc.

Digitized by Google

et præcessoribus diu viveret. Non, inquit, ivi ad apostolos præcessores meos, non ab ipsis didici; *sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum.* Hoc est quod accepit per revelationem a Deo, ut evangelizaret inter gentes. *Abii*, inquit, *in Arabiam.* Quam longum iter! et cum redit Damascum, quam diversum? *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Ergo jam tribus annis evangelizaverat inter gentes. Quid utique, nisi quod a Deo acceperat, ut Christum revelatum sibi gentibus evangelizaret? Post tres, inquit, annos Hierosolymam veni. Deinde subjungit causam, *videre Petrum.* Etenim si in Petro fundamentum ecclesiæ positum est, ut in evangelio dictum; cui revelata erant omnia Paulus scivit videre se debere Petrum; quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret (1). Denique quid subjungit? *et mansi apud eum diebus quindecim.* Ergo mansi tantum. Numquid paucis diebus tantam istam de Deo scientiam tam parvo tempore a Petro potui discere? *Alium autem apostolorum neminem vidi, nisi Jacobum fratrem Domini.* Magna doctrina etiam hoc adjunxit magnoque ingenio: primo quod ita dixit, apostolorum neminem alium vidi: nam Jacobum apostolum Symmachiani faciunt quasi duodecimum (2): et hunc sequuntur qui ad dominum nostrum Jesum Christum adjungunt judaismi observantiam (3): quanquam etiam Jesum Christum fatentur: dicunt enim eum ipsum Adam esse, et esse animam generalem, et alia hujusmodi blasphema. Ergo hic Paulus negavit Jacobum apostolum (4), dicendo *alium autem apostolorum neminem vidi* quod neminem apostolorum alium vidisse se dixit, nisi Jacobum. Et causa, quare Jacobum, adjecta est *fratrem Domini* qui frater est habitus secundum carnem. Cum autem fratrem dixit, apostolum negavit. Videndus autem hic fuerat honorifice. Sed neque a Jacobo aliquid discere potuit, quippe cum alia sentiat. At neque a Petro, vel quod paucis diebus cum Petro moratus est; vel quod Jacobus apostolus non est, et in hæresi sit (1). Adjecit autem *et Jacobum.* Vidi ergo nominatim quid Jacobus tractet et evangelizet: et tamen quoniam cognita mihi est ista blasphemia (2), repudiata a me est, sicut et a vobis, o Galatæ, repudianda. Non enim potestis dicere, negas Jacobum, et inde ea quæ nos sequimur repudias, quia non vidisti Jacobum. Adjecit ergo *vidi et Jacobum.* Nec error est: quem Jacobum fratrem inquit Domini, id est auctorem sententiæ vestræ. Ita nihil apud me valuit. Et cum non secutus sim, et novi ejus sententiam. Quia ergo nihil mihi incognitum est, nec ille valuit persuadere, frustra vos cum sequimini (3).

(1) Locus insignis pro Petri auctoritate, quam etiam sapientissimi in Ecclesia doctores revereri apprime debent.

(2) Notabilis admodum est hic Victorini locus de hæreticis Symmachianis; adjungendusque paucis illis veterum auctoritatibus, quas ob hujus hæreseos tradendam notitiam, collegit Fabricius in scholiis ad Phiastrium, cap. 63.

(3) Jacobum indulsisse conversis ex judaismo christianis, ut mosaicos ritus partim saltem sectarentur, constat ex Actibus apost. XXI, 20, ubi Paulus ad Jacobum senioresque Hierosolymis versantes introductus, audivit eos sibi dicentes: *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis.* Idem tamen Jacobus in concilio apostolico (*Act.* XV, 13) secutus erat Petri sententiam, ne videlicet ii saltem qui ex ethnicis accedebant ad Christum, jugo legis mosaicæ subjicerentur.

(4) Quæstio inter viros ecclesiasticos diu ventilata num Jacobus, qui primus Hierosolymorum episcopus fuit, fraterque Domini dictus, e collegio duodecim apostolorum sit, necne. Quæ rursus quæstio ex alia controversia pendet, utrum tres Jacobi fuerint an tantum duo; qua super re docte disputavit inter cæteros Florentinius ad Martyrolog. Hieronym. dissertatione illa qua tres Jacobos fuisse contendit. Victorinus certe noster Jacobum episcopum Hierosolymitanum e numero apostolorum eximit: consequenterque tres Jacobos admittit: nam Jacobi duo recensentur diserte inter apostolos, Act. I, 13.

VERS. 20.—*Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo,*

(1) Nemo hcic scandalum inconsulte patiatur. Non enim Victorinus infami sensu hcic hæresim dicit, sed grammatice et naturali. Ecce enim in concilio apostolico (*Act.* XV, 5) *surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, dicentes quia oportet circumcidi, præcipere quoque servare legem Moysi.*

(2) Damnatam fuisse a Petro in concilio apostolico sententiam de retinendis in christiana professione mosaicis ritibus, eique decreto primum omnium assensisse Jacobum, tradunt Actus apostolici, cap. XV. Ob id blasphema sententia evasit; videlicet si quis ethnicos ad baptismum accedentes Mosi obtemperare cogeret. Porro a blasphemia longissime aberat Jacobus, qui nonnisi Judæos conversos passus est œconomia quadam retinere ritus patrios. Nonne etiam Alexandriæ judaizantem in primordiis ecclesiam narrat Hieronymus, de Vir. ill., cap. 8? Quid quod ipse Paulus aliquando necessitati cessit, v. gr, cum Timotheum circumcidit?

(3) Ita se habet hic locus in antiquiore codice Otthoboniano, a quo duo reliqui Victorini codices derivati fuerunt. Sed enim vetustior is codex manum emendatoris interdum expertus est; quæ modo in marginibus scripsit *lege caute;* modo etiam, quamquam raro, textui vim intulit, deletis nempe antiquis particulis (quæ tamen omnes sub litura adhuc leguntur) diversis autem in ora libri suppositis. Has autem emendationes receperunt in textum reliqui duo codices; ita ut genuinum et sine interpolatione textum codex unus aliquando suppeditet, quem ego semper exprimendum curavi. Cave tamen putes factam esse in Vaticana bibliotheca interpolationem: namque hic codex Otthobonianus nonnisi anno 1749, beneficio Benedicti XIV, in pontificiam bibliothecam est illatus; manus autem interpolantis adeo vetustior hac ætate est, ut mihi ad sæculi XV initium referenda videatur. Igitur qui codicem interpolavit, ita scripsit hoc loco in codicis ora: *Non ergo hic Paulus asserit Jacobum apostolum, dicendo alium autem apostolum vidi neminem, nisi Jacobum. Cur autem adjecit fratrem Domini? quia frater est illius habitus: videndus autem hic fuerat honorifice. Sed neque a Jacobo aliquid discere potuit, quippe cum alia sentiat. At neque a Petro, vel quod paucis diebus cum Petro moratus est; vel quod Jacobus apostolus in ea sententia est, ut servet legalia; quæ quidem a me repudiata est, sicut a vobis, o Galatæ, repudianda est. Non enim potestis dicere, Ea quæ nos sequimur, repudias, quia Jacobum non vidisti. Adjecit ergo, vidi et Jacobum fratrem Domini auctorem sententiæ vestræ. Scilicet ita nihil apud me valuit, ut eum non sim secutus, licet ejus noverim sententiam. Quia ergo nihil mihi incognitum est, nec ille valuit persuadere, frustra vos eum sequimini.*

Digitized by Google

quia non mentior. Deferenda fides erat etiam jurejurando. Iis enim, qui jam erraverunt a fide, ea, inquit, quæ scribo vobis non mentior, ecce coram Deo omnia profiteor me narrare, quemadmodum gesta sunt.

VERS. 21. — *Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ*, hoc est evangelizare per gentes.

VERS. 22.—*Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ quæ sunt* (1) *in Christo.* Id est jam notum erat evangelium pene omnibus ecclesiis Judææ, quod ego annuntiabam (quæ tamen Judæa est in Christo, non in judaismo Judæorum). Multæ autem ecclesiæ sunt in Christo, quibus omnibus notum erat evangelium, quod de Christo habet. *Eram tamen ipse ignotus facie.* His ergo omnibus, quid ostendit? jam se evangelium suum omnibus persuasisse etiam cum absens esset.

VERS. 23. — *Tantummodo audiebant quod is* (2) *qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem.* Hoc et miraculo dicit fuisse omnibus, quod utique et esse debet ad miraculum : audiebant, inquit, omnes quod ego qui judæus fuissem, qui persequerer Christianos et ecclesias aliquando, nunc evangelizarem fidem, id est, ut omnes haberent fidem in Christum : quam fidem antea denegabat, quam aliquando expugnabat. Miraculum ergo erat ut hodie evangelizaret fidem, qui aliquando expugnaverat; quod ipse fecerat.

VERS 24. —*Et in me*, inquit, *magnificabant* (3) *Dominum.* Quia omnes jam capiebant virtutem Dei, et magnificum Deum dicebant, quod ego conversus essem; et expugnator qui fueram, nunc essem prædicator. Sic fiebat ut magnificarent Deum in me; id est magnum dicerent, qui conversa subito mente prædicarem Dominum Christum, scilicet quem ego antea expugnabam. Quid enim tam magnificum, quam vinci mentem, et accipere contrariam et prædicare eam quam ante expugnaras fidem? Quod si ita est, ergo et vos nihil aliud sequi debetis, nisi quod vobis evangelizat fidem Christi.

CAP. IV.--VERS. 1.—*Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito.* Semel enim ante, post triennium; nunc post annos quatuordecim iterum, inquit, ascendi. Ergo evangelium a me gentibus enuntiatum, per revelationem accepi, non ab hominibus neque per hominem didici. *Cum Barnaba et assumpto Tito.* Hos utique ut testes habet, per quos probat evangelium suum per revelationem sibi datum; si quidem Barnabas mecum, inquit, ascendit; assumpsit etiam Titum; quorum fides probata omnibus et evangelium.

VERS. 2. —*Ascendi autem secundum revelationem, et exposui illis evangelium quod prædico inter gentes* (4). Magnis argumentis probare nititur evangelium ex revelatione sibi datum, quod inter gentes prædicaret a Deo esse : nam ascendi, inquit, Hierosolymam secundum revelationem; ut etiam docerem omnes; etiam ipsos Judæos; exposui, inquit, omnibus evangelium quod prædico inter gentes. In quo intelligitur, ex eo quod nemo contradixit, nemo restitit, hoc verum esse evangelium et unum : siquidem hoc quod prædico, inquit, inter gentes exposui in Hierosolyma. Sed potuit ignorare populus. Quid adjecit? *Seorsum autem his qui firmamenta videbantur esse* (1). Id est per quos mandata Dei tradebantur et evangelium, ut apostolis cæterisque; his, inquit, seorsum exposui evangelium quod prædico inter gentes, ut si quid esset quod aliter traderent, corrigerent, vel quod ipse aliter traderem, emendarent. Hæc igitur causa fuit cur ascenderem Hierosolymam : et propterea mihi revelatum est ut ascenderem, quo facilius cognosceretur bonum evangelium, et meum inter gentes, et illorum inter Judæos. Quod autem seorsum illis ostendit, est, ut Judæos de medio tollerent, et inter se mysteria communicarent ipsi, qui noverant. Quibus omnibus cum fuisset una sententia atque unum evangelium, quid persuadere nititur? nihil novi addere debere, nihilque conjungere. Unde peccant hodie Galatæ sequendo judaismum et disciplinam vel circumcisionis vel sabbati vel rerum cæterarum : *Ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Id est ne non integre evangelizarem : si enim minus aliquid evangelizavi, in vacuum cucurri, aut in vacuum nunc etiam curro. Si enim prodest circumcisio, sabbati observatio, rerumque cæterarum, non erit ex gratia Christi salus, et in vacuum curritur.

VERS. 3. —*Sed neque Titus, qui mecum erat, græcus* (2) *compulsus est circumcidi.* Illud explicat, nihil omnino actum esse ab his qui pseudoapostoli sunt, id est ab his qui evangelio Pauli, hoc est nuntio de Filio Dei Christo, per quem est fides et certa salus, huic, inquam, evangelio adjungendum putant esse, circumcidi, observare sabbatum, et cætera; hæc, inquam, non valuisse, ait; neque persuasum esse Tito, qui utique, inquit, græcus erat, id est paganus, ut compelleretur circumcidi, ac propterea non tamen illi persuasum est, neque ipsi quidem ausi sunt illum compellere. Ita consensus apostolo factus est de evangelio omnium, qui apud Hierosolymam fuerunt. Unde peccant Galatæ, qui novum istud adjungendum putant.

VERS. 4 et 5. — *Sed propter subinductos* (3) *falsos fratres, qui subintraverunt* (4) *auscultare libertatem nostram, quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigerent, ad horam cessimus subjectioni.* Quidam hæc sic legunt : *Nec ad horam cessimus subjectioni* (5); et est sensus integer cum superiori, ut neque græcus Titus compulsus sit circumcidi, nec tamen nos cessimus vel ad horam subjectioni; id est

(1) Vulg. : *erant.*
(2) Vulg. : *tantum autem auditum habebant : quoniam qui*, etc.
(3) Vulg. : *clarificabant.*
(4) Vulg. : *et contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus.*

(1) Vulg. : *seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse.*
(2) Vulg. : *cum esset gentilis.*
(3) Vulg. : *subintroductos.*
(4) Vulg. : *subintroierunt explorare... in Christo Jesu.*
(5) Sic est in editione Pauli vulgata, quæ hunc textum sic exhibet : *Quibus neque ad horam cessimus subjectione.*

Digitized by Google

ut in aliquibus cederemus. Quoniam tamen in plurimis codicibus et latinis et græcis (1) ista sententia est, *ad horam cessimus subjectioni*, id est ferimus quæ illis facienda videbantur, sed non ut semper sequeremur ; multis modis probatur legendum ita esse, *ad horam cessimus subjectioni ;* primum quia vere cessit ; nam et Timotheum circumcidit propter Judæos, ut ait in Actibus apostolorum (*Cap.* XVI, 3). Ergo mentiri non debuit apostolus. Deinde nec ad horam quis diceret, si negare opus fuerat omnino factum. Et certe si Petro restitit, quid est hic nec ad horam cessimus? Item si supra dictum neque *Titus, qui mecum erat græcus, compulsus est circumcidi ;* non ergo in omnibus nec semper aut multum ; postremo propter inductos fratres, qui erant miscentes judaismum christianismo. Et hinc propter Judæos declaravit certe semper consilium suum, ut aliquando cederet, etiam his rebus quæ veræ sunt. Nam hinc ille sensus est, qui judæus ut Judæos lucrifacerem, et cætera hujusmodi. Ergo nunc propter subinductos falsos fratres (quoniam multi pseudoapostoli, quos falsos fratres dicit) quidam cœperunt addere, subintrare persuasionibus suis, atque auscultare libertatem verborum apostolicorum ; id est intrare cupiebant nos. An veri apostoli tamen Christi ? an tentabant libertatem nostram quam habemus in Christo? Cum ergo illorum consilium videremus, ut nos inducerent in servitutem, ad horam quidem cessimus subjectioni, id est ad breve tempus ut aliqua faceremus. Non hoc cuicumque, sed perfecto et in fide corroborato permissum intelligere debemus, ut propter Christum aliqua faciat quæ extra regulam sunt ; dummodo ea, quæ facit, prosint legi, id est ut animæ liberentur. Et id multis in locis probatum, et a Paulo gestum ostendemus, uti cedat non veræ regulæ ; exinde corrigat, atque inducat ad veram regulam multos. Hinc et illud est quod concedit et secundas nuptias, et quod ipsas nuptias (2), et quod etiam cibos et omnes cibos : et idolothytos cibos quamquam prohibeat, fiducia tamen et certæ fidei concedit. Cum enim Christus in animo sit, et Christus nutriatur per fidem in nobis, cedere ad tempus regulæ non veræ periculum non est ; si modo tamen hoc ideo faciamus, ut eos adducere ad veram regulam ipsa prima societate possimus. Denique sic subjungit *cessimus subjectioni, sed ad horam, ut veritas evangelii permaneat apud vos ;* vos qui a nobis instructi. O Galatæ, non cessimus, ut et vos faciatis, sed ut illis satisfieret atque inducerentur ad veram regulam, et apud vos veritas evangelii ut permaneret.

VERS. 6. — *Ab his autem qui videntur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest, Deus hominis faciem* (3) *non accipit*). Ita positum, *ab his,* quasi ex his qui videntur esse aliquid, vel ab his qui ab ipsis provenerunt pseudo-apostoli (1), tamen aliquid essent, id est mutarentur, sequerentur jam evangelium. Quicumque igitur nunc videntur esse aliquid, et ab his orti sunt, ut ante tales fuerint, nunc vero integri (hoc est enim esse aliquid) : quales ante fuerint, id est aliquando, nihil inquit mea interest : sufficit enim mihi qualis sit, neque curo qualis ante fuerit. Et adjungit causam *Deus enim hominis faciem non accipit*, sed mentem, sed fidem : utrum græcus, utrum judæus, utrum aliquid fuerit, non hoc Deus accipit, sed quid sit ; et an fidem susceperit et evangelium : non enim in præjudicio veritatis acceptat Deus personam . neque ego illos accepi, qui dicebantur columnæ esse. Hoc est ergo quod ait : *mihi enim qui aliquid existimantur esse* (2), *nihil contulerunt*, hoc est nihil me docuerunt, nihil addiderunt, sed evangelium meum probaverunt. Ergo, et vobis nihil debuit addi ad evangelium, quod vobis pronuntiavi.

VERS. 7, 8, 9.— *Sed magis contra* (3) *cum vidissent quoniam creditum est mihi evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis ; qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis operatus est mihi* (4) *in gentibus : et cognita gratiâ quæ data est mihi* (5) *Petrus et Joannes* (6), *qui videbantur columnæ esse*, dexteras dederunt. Ordo : mihi illi præcipui viri Petrus et Joannes et Jacobus, *qui columnæ esse videbantur, dexteras dederunt ;* id est consensum commodarunt, cum viderent mihi creditum esse evangelium præputii, id est per gentes eodem modo creditum, ut Petro evangelium creditum est circumcisionis ut evangelizaret per Judæos. Quare autem creditum mihi sicut illis, subjunctum est *qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi in gentibus :* id est unus Deus atque idem Deus ipse operatus est ut Petrus evangelizaret Judæis, et mihi ut ego evangelizarem gentibus : qua gratia cognita, quæ data est mihi, quod et ego pari modo per gentes apostolus factus sum Dei gratia ; coactus Petrus et Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, id est qui sustentabant Ecclesiam, ut columna sustentant culmina et cætera ; isti, inquam, tales vel tanti dexteras mihi dederunt, id est copulaverunt amicitiam et pacem et firmitatem, et unum evangelium se habere pronuntiaverunt. Vos ergo, Galatæ, peccatis ; et neque meum sequimini evangelium, neque Petri, Jacobi, Joannis, qui columnæ sunt Ecclesiæ, dum additis ea quæ a nullo approbata. Hoc enim agit in hac omni narratione, peccare Galatas, addendo ad fidem in Christum, observationem legis judaicæ et sabbati et circumcisionis.

(1) Hujuscemodi varietatem ex Patribus collectam exhibet Wetstenius in scholiis criticis ad hunc locum. Consule etiam Sabatierium.

(2) In ora codicis antiquioris adnotatur *caute lege.*

(3) Vulg., *Deus personam hominis*, etc.

(1) Codd. *pseudoapostolis* ; sed tamen postrema s videtur expuncta in antiquiore codice.

(2) Vulg., *mihi enim qui videbantur esse aliquid.*

(3) Vulg., *Sed econtra cum vidissent quod*, etc.

(4) Vulg., *operatus est et mihi inter gentes.*

(5) Vulg., *et cum cognovissent gratiam*, etc.

(6) Addendus est *Jacobus*. Vulg. Sic habet hunc locum : Jacobus et Cephas et Joannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi.

Digitized by Google

Et Barnabæ societatis. Non mihi tantum dexteras dederunt societatis, sed etiam Barnabæ, qui mecum fuit socius. Plus autem adjecit, ne videretur sibi tantum creditum. Verum autem probatum est evangelium Pauli, si probatum est et Barnabæ, qui comes fuit Pauli; cui data est societas per dexteras ab his qui in Hierosolymis apostolatum gerebant, et evangelium nuntiabant Judæis. Unum verum probat esse evangelium apud omnes, et Galatas errare. *Ut nos in gentibus* (1), *ipsi autem in circumcisione prædicarent.* Ad hoc dexteras dederunt, consensum commodantes in evangelium et mihi et Barnabæ, ut nos prædicaremus in gentibus, ipsi autem Judæis, hoc est in circumcisione, evangelium prædicarent.

VERS. 10.— *Tantummodo ut pauperum memores essemus* (2). Ita si quid corrigendum esset, corrigerent et monerent: si quidem quod addendum putavissent, adjecissem. Quid tamen illud *ut pauperum memores essemus?* In omni epistola sua Paulus ita agit. Cum igitur ista tractarent Paulus et Barnabas cum Joanne et Petro et Jacobo, admissum evangelium est eodem modo, ut tradit Paulus, et confirmatum est. De hac tantummodo disputatione non admitti opera ad salutem, non libenter audierunt: monuerunt tamen ut memores tantum pauperum essemus (3). Ita et ipsum consentiunt, non ibi esse spem salutis, si in pauperes opera (4) efficiamus (5), sed tantummodo quid admonent ut memores essemus pauperum; non uti consumamus omnem actionem nostram, sed non habentibus id quod possumus habere commodemus. *Memores tantum ut simus pauperum.* Non in hoc curam et sollicitudinem ponamus, totamque virtutem salutis nostræ retinendæ. Ita pene correctus in hoc est et admonitus, tamen non fatetur: ut memores essemus, inquit, non ut hoc ageremus, sed ut in memoria haberemus; quod est minus quam in hoc operam ponere, et hoc solum complere. *Quod etiam sollicitus fui etiam hoc ipsum facere.* Plus adjecit ut etiam de hoc præter Evangelium, quod prædicabat, habuerit sollicitudinem, ut circa pauperes memor esset, et quodcumque posset præstaret. Etiamsi revera pauper nullus est, si modo fidem servans, et in Deum credens divitias expectat salvationis suæ. Nam victus præsens, et parvus est et sufficiens, et qui non magnopere constet vel præstanti vel accipienti.

VERS. 11. — *Cum autem venisset Petrus in Antiochiam, in faciem illi restiti, quoniam reprehensus* (6) *erat.* Non solum, inquit, evangelium meum probatum est ab his apostolis, qui erant in Hierusalem, neque solum admonitus sum, ut pauperum memor essem, quod bene officium est, necessarium tamen; quod ipsum implevimus, et sollicitus fui hoc ipsum ut facerem; verum etiam, inquit, peccatum Petri non tacui; in quo libertatem suam ostendit, et fiduciam de evangelio suo, si quidem quod aliter fiebat a Petro, reprehendit. Rursusque etiam illud quod utique Petrus reprehensus magis erumperet reprehendere, si quid in me vitii esset; neque si non recte agerem in evangelio, proderet; et læsus non parceret. Cum in Antiochiam, inquit, venisset Petrus, non per ecclesiam locutus sum et apud plebem, sed in faciem illi restiti, id est aperte contradixi. Et unde fiducia fuit? non ipse eum reprehendit, sed reprehensum ab omnibus arguit et accusat, quoniam reprehensus erat. Ergo et ille populi judicio peccavit, et accusatus est; et populus si quid in me peccati esset, pari modo reprehenderet, sicut illum reprehendit.

VERS. 12. — *Prius enim quam venirent quidam ab Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat se* (1) *timens eos qui erant ex circumcisione. Et consenserunt cum illo et cæteri Judæi, ita ut Barnabas consentiret simulationi eorum* (2). Aperte ipsum peccatum explicat, quid fecisset. Quod quidem peccatum se reprehendisse dicit in Petro, fortasse nunc tacuisset: sufficerat enim correctum esse Petrum reprehensione populi, et aperta hujus accusatione: sed quoniam prodest, et ad epistolam maxime necessarium, idcirco narratur. Ubi duo agit; primum quoniam evangelium suum privatum non esset reprehensum, et ipse cum reprehenderet Petrum nihil a Petro reprehensionis audierit; tunc deinde illud quod dixi maxime necessarium est, uti quoniam Galatæ, omisso evangelio primo, regulæ evangelii adjiciendum aliquid (3) putabant, ut et sabbatum observarent, et circumcisionem, et eodem modo viverent ut Judæi; hoc quoniam Galatæ faciunt, idcirco hæc epistola ad illos scribitur: unde optime narratur, quia id ipsum a Paulo reprehensum est in Petro, et populus reprehendit: unde colligitur et hos quoque peccare. Quomodo autem vel quid admiserit Petrus, sic subjungit per narrationem: prius enim, inquit, ante quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat tenens evangelium integrum, et regulam ejus, ut æqualiter de Christo annuncietur et Judæis et gentibus, et non observetur cibus Judæorum, sed vivatur simpliciter more gentium. Hoc prius, inquit, faciebat Petrus ante quam ab Jacobo venirent quidam. Jacobus enim frater Domini, qui (4) auctor est ad Symmachianos (5), primus apud Hierosolymam sibi hoc adsumendum putavit, uti et Chri-

(1) Vulg. *Ut nos ingentes, ipsi autem in circumcisionem.*
(2) Vulg., *tantum ut pauperum*, etc.
(3) Codd. *essent.*
(4) Codd. *operas.*
(5) Videlicet sine recta fide vel sine gratia Dei. Legendus autem Bellarminus est, qui hanc quæstionem plenissime et acutissime tractat de Justif. lib. I, cap. 19, seq
(6) Ita codd.; at vulg. ed. hunc versiculum sic exhibet: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

(1) Vulg. *Subtrahebat et segregabat se*, timens, etc.
(2) Vulg. *Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.*
(3) Codd. pro *aliquid* habet *ad vitam.*
(4) Codd. *quia.*
(5) Ita codd. Ego vero malim *auctor est Symmachianis.* Porro non Jacobus hæresim Symmachianam peperit, sed eum sibi Symmachiani auctorem calumniose assumpserunt.

Digitized by Google

stum prædicaret, et viveret ut Judæi, omnia faciens quæ Judæorum lex præcipit, id est quæ sibi Judæi observanda intellexerunt. Ab Jacobo ergo quidam cum venissent ad Petrum; veritus, inquit, et timens subtraxit se ne cum gentibus ederet. Sed hoc reprehendit quod antea cum gentibus edebat, et nunc subtraxit se, timens eos qui erant ex circumcisione, id est homines ab Jacobo venientes.

Atque id parum est quod ipse faciebat; inde (1) magnum peccatum, quod alii illi consentiebant. *Et consenserunt cum illo et cæteri Judæi.* Sic accipiamus hic Judæos qui jam tamen Christum acceperant, ut consentirent illi, et Christum accipientes, et judaicam disciplinam et observantiam; nisi enim hoc accipiamus, quid erit, *consenserunt illi*, si illi suo more viventes secundum judaicam disciplinam agerent? Sed qui jam evangelium perceperant Christo credendo, quemadmodum et ipse prius cum gentibus edebat, postea illo subtrahente se, et timente eos qui venerant ab Jacobo (quos timebat scilicet ex circumcisione viros) ita cæteri consenserunt, ut non cum gentibus viverent, sed cum circumcisione, id est cum Judæis et ipsi qui Judæi erant antea. *Ita ut et Barnabas consentiret simulationi eorum.* Ita, inquit, male simulaverant cum Judæis vivere, dimissis gentibus, ut Barnabas consentiret illis : de quo supra dictum quod socius sit Pauli, et evangelium integre tenet : consensit tamen illis, et illorum simulationi. Quid igitur intelligimus simulationem? Nam etiam Petrus, et Barnabas et cæteri Judæi vere transierant in hoc ut et judaica disciplina vitam agerent, sed ad tempus propter præsentes, et simularent : et idcirco, inquit, et Barnabas consensit eorum simulationi. Ita accipiendum : nam neque Petrus neque cæteri transierant ad judaicam disciplinam, sed ad tempus consenserant; quod quidem aliquoties fit simulata consensione : verumtamen unde peccabat Petrus? quia non ille (2) ad inducendos Judæos ista finxerat, ut consentiret illis; quod fecit ipse Paulus, et fecisse se gloriatur, ut consentiret Judæis, sed ut illos lucrifaceret : sed quod Petrus (3) simulavit quidem, in eo tamen peccavit, quod subtrahebat se timens eos qui erant ex circumcisione. Propter timorem igitur cum simularet seque abstineret a gentibus, ipsi simulationi et Barnabas consentiret, idcirco, inquit, ego aperte restiti, et eum accusavi, non recte propter timorem illum ita simulasse.

Deinde sic subsequitur, VERS. 14 : — *Sed cum vidissem quoniam non recte ingrediuntur* (4) *ad veritatem evangelii.* Tenebant quidem evangelium et integre tenebant, et intelligebant non ita vivendum quemadmodum vivunt ex circumcisione; sed quoniam simulabant, idcirco male evangelium et interpretabantur, et male ad veritatem evangelii non recta via pergebant. Hoc ergo cum viderem, dixi Petro coram omnibus : id est quod supra dixit in faciem restiti; et aperte dixi, et coram omnibus dixi : si tu cum sis judæus gentiliter vivis, quomodo gentes cogis judaizare? Utique intellexit etiam Paulus Petrum simulasse propter metum, ut non cum gentibus viveret. Itaque non hoc illi objicit; quia dicere poterat ille, simulavi. Quid igitur objecit illi? vixisti cum gentibus, et vivis cum gentibus : si enim ad tempus consensionem habes, sine dubio gentiliter vivis : quoniam simulatio decipit multos, peccas : cogis enim gentes judaizare. Ita et intellexisse ostendit consensisse Petrum Judæis, sed simulatione; et tamen illum peccare, primo quia timuit eos qui venerant; deinde quia cæteri fallebantur et cogebantur judaizare, non intelligentes illum simulare. Hoc ergo colligit, et dixisse memorat : si (1) tu, Petre, cum sis Judæus gentiliter vivis, id est cum gentibus vivis, quomodo ipsas gentes cogis judaizare? id est judaicam disciplinam agere et in cibis et in observationibus?

VERS. 15. — *Nos natura Judæi, et non ex gentibus, peccatores; scientes quia non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi Jesu : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide* (2) *et non ex operibus legis : quoniam ex operibus non justificatur omnis caro* (3). Adhuc pars orationis est ipsius Pauli accusantis Petrum et ad eum loquentis quod non recte judaismo consentiret, et sic induceret gentes judaizare. Nos, inquit, Judæi, id est, ego et tu, Petre, et cæteri qui peccatores sumus (4), non tamen ex gentibus, sed judæi sumus, nempe in Christum fidem sumimus, qua utique ratione cum judæi essemus; scilicet quia scimus non justificari hominem ex operibus legis, sed justificari per fidem, et fidem Jesu Christi; cum hoc igitur sciremus, *nos*, inquit, in Christo Jesu credidimus, et *credimus, ut justificemur ex fide, non ex operibus legis; quia ex operibus legis, non justificatur omnis caro*, id est homo qui in carne est. Ergo si hoc scientes credidimus per fidem justificationem fieri, utique erramus, si nunc ad judaismum redimus, ex quo transivimus, ut non ex operibus justificemur sed ex fide, et fide in Christum : ipsa enim fides sola (5) justificationem dat et sanctificationem. Ita quælibet caro, sive judæi, sive

(1) Codd. *unde.*
(2) Codd. *unde aliquod non ad inducendos illos*, pro *quia non ille.*
(3) Cod. *in Petro.*
(4) Vulg. : *Sed cum vidissem quod non recte ambularent*, etc

(1) Codd. *quare* pro *si.*
(2) Vulg. addit. : *Christi.*
(3) Vulg. : *propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.*
(4) Notabile dictum, quod demonstrat Victorinum posuisse comma ante *peccatores* in textu suprascripto Pauli, secus ac est in vulgata editione, ubi *peccatores* respicit *gentes.*
(5) Ita locutos alios quoque patres aliquot scimus, quos recenset explicatque Bellarminus lib. cit. cap. 25. Ego vero nolo nunc ingredi pelagus controversiæ de justificatione. Ecce tamen sacer Jacobus Ep. cap. II : *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est offerens filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus ejus, et ex operibus fides consummata est? — Ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum.*

Digitized by Google

ex gentibus, non ex operibus, neque observatione legis Judæorum, sed justificatur ex fide.

Vers. 17. — *Si autem quærentes justificari in Christo, inveniemur et ipsi peccatores, ergo et Christus peccati minister est* (1)? Etenim peccatores cum sint judæi, et peccatores non ex gentibus, et cum accepta fide in Christo agimus quod Judæi agunt, qui ideo in Christum fidem sumimus, quia non ex operibus legis justificari intelleximus hominem, in qua (2) volumus justificari in Christo; observantes legis opera, peccatores effeimur : jam fit ut Christus peccati minister sit; quem ideo accepimus, ne peccaremus; nunc accepto ipso; cum ad peccata redeamus, id est judaizemus, factus est Christus peccati minister? Sed hoc, inquit, absit : id est non ita oportet sentire, non ita agere, ut Christus peccati minister sit, qui ideo passus est ut peccatum interiret.

Vers. 18. — *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.* Cum enim credidi judæus in Christo, destruxi legem et legis opera : nunc autem post credulitatem in Christum si revertor atque ago legis opera, ædifico quæ destruxi, et sum jam prævaricator, qui contra facio quam utilitas et virtus et causa postulat. Cujus autem prævaricator sum? non legis, sed Christi : mandata enim Christi in prævaricationem trahо, si ad judaismum revertor, et ea observare incipio quæ condemnavi observanda; quia intellexi non ex ipsis justificari hominem, sed ex Christo.

Vers. 19. — *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Potest videri duas leges dixisse Paulus, unam Christi, alteram Moysi, ut ipsi legi mortuum se dicat, quæ fuit Judæis data, per legem quæ a Christo data sit : ut hoc sit, per legem legi mortuus sum; id est per legem Christi mortuus sum legi Judæorum ante datæ. Potest autem videri, quod frequenter ait Paulus, sed et ipse Salvator, ut idcirco duas leges hinc nominaverit, quoniam eadem ipsa velut duplex est, una cum carnaliter, altera cum spiritaliter, intelligitur. Ante autem carnaliter intelligebatur; et ex operibus et ex circumcisione et cæteris observationibus carnaliter intellectis legi serviebatur : at postea quam Salvator verum et spiritale lumen apparuit, intelligi lex cœpit spiritaliter; facta velut alia, cum eadem ipsa lex sit. Ergo erit sensus : ego enim per legem quæ nunc spiritaliter intelligitur, legi mortuus sum; illi scilicet legi, quæ carnaliter intelligebatur. Et cum ita sit, quia tamen spiritaliter intelligo legem, mortuus sum legi carnali, ut Deo vivam. Sic enim Deo quis vivit cum præcepta illa in lege posita non carnaliter intelligit, sed spiritaliter; id est quid sit vere circumcidi, quid sit verum sabbatum, quid cætera, quæ multis locis et tractata sunt et tractabuntur.

Cum Christo crucifixus sum. Hoc est jam aliam legem accepisse, ut jam homo vetus fixus sit cruci, id est tota caro, id est omnis homo vetus, et desideria carnis. Hoc enim Christus mysterio suo, et mihi egit. Confixi ergo cum Christo sumus cruci.

Vers. 20. — *Vivo autem, jam non ego, sed vivit in me Christus.* Id est jam spiritus factus sum, spiritaliter intelligendo mandata Dei. Ante totum circa carnem me exhibebam, et ejus desideriis vel serviebam vel imperabam, nihil spiritaliter intelligens. Nunc ergo quoniam ipse spiritaliter vivo, vivit in me Christus. *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei* et Christi. Hoc est vere spiritaliter vivere, ut cum in carne quis vivat, non propter carnem vivat, neque ex carne, sed vivat Deo et Christo in fide eorum : quod est vivere spiritaliter, de ipso cogitare, ipsum loqui, ipsum credere, ad ipsum desiderio tendere, fugere mundum, exponere omnia quæ in mundo sunt ex animo : hoc est fide vivere, a nullo aliud boni sperare quam a Christo et a Deo : hoc est in fide vivere et Dei et Christi, qui me dilexit et tradidit tantum beneficium, ut se pro nobis daret morti et cruci, ac sic nos de peccatis liberaret.

Denique sic subsequitur, Vers. 21 : — *Non sum ingratus gratiæ Dei* (1) ut cum ipse me hæredem fecerit per Christum, et Christus se tradiderit pro me, ego dimissa omni spe quam habeo in Christo, redeam ad spem legis ut credam ex operibus legis me justificari. Hoc est ingratum esse ei qui mihi tantum præstitit, ut pro me se objiceret, et me a peccatis liberaret per peccata in se punita. *Nam si per legem justitia est, ergo Christus gratis mortuus est.* Plena conclusio circa errores Galatarum et eorum qui ad christianismum judaismum addunt : etenim, inquit, si justitia est per legem, frustra mortuus est Christus. Si enim ideo mortuus est Christus, quoniam justificatio non contingebat ex lege, debeo Christum tamen sequi : sin autem etiam post adventum Christi per legem justificari me credo, non est mortuus Christus propter me, et gratis mortuus est, id est sine causa mortuus est. Pugnat et adversum sibi est, credere in Christum, et legis opera sequi; cum enim lex ex operibus suis non justificaret hominem, idcirco Christus venit, ut morte sua justificatio homini fieret : nunc cum ad legem reditus sit post fidem in Christum, gratis videbitur Christus mortuus esse, ut nihil nobis præstiterit; quippe cum jam præstabat hoc lex. Porro autem non præstabat hoc lex; et ideo Christus venit, ut ipse præstaret : ergo non gratis mortuus est Christus; sed per ipsum nobis justificatio provenit : quod si ita est, ex operibus legis non est justitia.

CAP. III. — Vers. 1. — *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit* (2), *ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est* (3), *et in vobis crucifixus?* Non patiuntur fascinum, nisi qui in bono aliquo pollent, et patiuntur

(1) Vulg. : *Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? absit.*

(2) Subintellige *fide.*

(1) Vulg. *non abjicio gratiam Dei.*

(2) Vulg. habet : *Quis vos fascinavit non obedire veritati.*

(3) Notemus lectionem *proscriptus* (pro *præscriptus*) quam alii quoque prisci patres repræsentant.

Digitized by Google

a malignis et invidis : et cum bonum ex evangelio vero accepissent, et in Christum crederent, et ejus promissa sperarent, nunc cum adjungere cœperint etiam judaismi disciplinam, quis, inquit, vos fascinavit, ut a bono vestro recederetis? Estis igitur stulti, id est non intelligentes. Quid autem admiserunt, unde stulti sunt? quod illis persuasum est colere judaismum. Ergo proscriptus Christus est, id est bona ejus distracta et vendita sunt, quæ utique in nobis erant, et judaismi persuasione proscripta sunt, vendita et perdita. Ergo stulti, quorum ante oculos Jesus Christus proscriptus est, ut ea bona in vobis præsentibus perirent, ut pereunt illa quæ proscribuntur : quod non restitistis, non repugnastis, et idcirco stulti. Denique et in hac sententia etiam illud est quod in vobis crucifixus est Christus; hoc enim fecerunt et in vobis illi Judæi, qui vobis persuaserunt ut judaismum sequeremini, quod fecerunt Christo ut in crucem tollerent : sic et persuadendo vobis judaismi disciplinam, et vobis Christum crucifixerunt. Stulti ergo vos, Galatæ, perdidistis ex vestris animis Christum et ejus bona. Nescio quis igitur vos in bonis vestris fascinavit.

Vers. 2. — *Hoc solum volo discere a vobis.* Nihil movebo, nihil reprehendam; hoc solum, inquit, volo discere, et a vobis discere; *ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei* quo meliores ad Dei cognitionem esse cœpistis? Unde, inquit, provenit vobis accipere spiritum, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Cum ergo vobis evangelizavi, ex auditu fidei spiritum accepistis : non ergo ex operibus legis. Aut, si non ex operibus legis, quare nunc adjungitis judaicam disciplinam, ut ex operibus legis spiritum accipere vos credatis, et de Deo sentire, et Deum sperare, cum jam accepistis spiritum ex auditu fidei? id est quod audistis fidem in Christum sequendam? Quod si ex auditu, contra fidem fit cum ex operibus legis spiritum vos accipere creditis, cum hac sola fide in Christum spiritus detur et datus vobis est.

Vers. 3. — *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummini* (1)? Expressit quid sit ex operibus legis, et quid sit ex auditu fidei : etenim opera legis nihil aliud agunt, nisi ut carni satisfaciant, ex carne affectum patiantur, carni subveniant. Secundum carnem igitur sapit, qui ex operibus legis justificari se credit. Vos igitur, inquit, sic estis stulti, sic non intelligentes, dum adjungitis opera ad justificationem vestram, quod est secundum carnem sapere, ut cum spiritu cœperitis per evangelium a me datum, ut ex auditu fidei in Christum acceperitis spiritum, nunc exitum actus vestri et vitæ carne consumetis; id est operibus ad carnem et secundum carnem susceptis?

Vers. 4. — *Tanta passi estis sine causa*? Facile adducit ad patientiam talis oratio, quæ reprehendit et monet, et tamen ipsam reprehensionem rursus reprehendit : namque reprehendit quod dixit, *tanta passi estis sine causa*, subdens *si tamen sine causa*. Monet autem cum dicit, *tanta passi estis*, ut cum toleraverint multa fortiter cum acciperent fidem, etiam spiritaliter viverent; necessario enim qui spiritaliter incipit vivere, dum abjicit mundana, dum sustinet cum novello suo homine invidiam Græcorum et gentium imperitorum, multa necesse est patiatur, quæ utique passos dicit Galatas. Verum cum tanta passi sitis, hoc magis dolendum quod sine causa passi non pervenistis ad præmium ex fide, propter quam tanta passi sitis. Ne desperare tamen videretur, quod dixit sine causa, correxit reprehensionem suam dicendo, *si tamen sine causa* : possunt enim corrigi, ut non sit sine causa quod passi sunt, sed habeant causam perseverationis in fide præmium et confirmationem promissorum ex Christi fide.

Vers. 5. — *Qui ergo tribuit vobis spiritum, et operatur virtutes in vobis ex operibus legis operatus est* (1), *an ex auditu fidei?* Quoniam supra dixit, tanta passi estis, et exposuit quæ passi viderentur, vel talia atque ejusmodi, in eo tamen quod toleraverunt, utique virtutes habuerunt circa tolerantiam : conjungit igitur, *qui tribuit vobis spiritum, operatur virtutes in vobis*, quibus virtutibus tanta passi estis et tolerastis. Jam ex hoc utique intelligere illos facit, quod operatus sit in his Deus virtutes plurimas : et si operatus est virtutes, tribuit illis spiritum. Ergo confirmato eo quod datus sit illis spiritus, recte procedit interrogatio, utrum ex operibus legis operatus sit Deus in illis virtutes an ex auditu fidei. Utique autem non ex operibus; non enim ulla opera a vobis progressa sunt, sed audistis fidem, et obaudistis fidei; et propterea operatus est in vobis Deus virtutes : et si operatus est, tribuit vobis spiritum : operatus est autem, et tribuit spiritum, si quidem multa et tanta passi estis. Hoc autem sine quare (2)? sine causa? Quod tamen correxit, quod non sine causa : nam sperat illos corrigi posse. Redit igitur ad confirmationem quod ex auditu fidei ista omnia eis provenerint : et id approbat, ut numquam mirabile aliquid eveniat et incredibile, nisi obaudiatur fidei evangelii.

Dat igitur similitudinem ex lectione quæ continet admirabilia passionum, quæ passi sunt Galatæ, et toleraverunt per fidem, ac propterea per spiritum datum et virtutem sibi a Deo operatam.

Vers. 6. — *Sicut Abraham credidit Deo et reputatum est ei ad justitiam.* In Genesi (*cap.* xv, 6) hoc positum quod *Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (3) ita Deus operatur virtutes cum fides provenerit in hominum animis, et fides ut in Deum credant. *Reputatum est*, inquit, *Abrahæ ad justitiam, quia credidit Deo.* Ergo et vos tanta perpessi estis et tolerastis atque vicistis : et virtutes in vobis operatus est Deus atque operatur, quia per auditum fidei credidistis Deo. Intellegitur ergo quoniam qui ex fide.

Vers. 7. — *Ii filii sunt Abrahæ.* Semini enim Abrahæ

(1) In vulg. *consummemini.*

(1) Non leguntur in vulg. hæc verba : *operatus est.*

(2) Nota *quare* substantivum quod postea barbari, a plebeia latinitate acceptum, passim in scriptis suis frequentaverunt.

(3) Confer Vulg. quæ habet tantum : *Sicut scriptum est*, etc.

Digitized by Google

promissa sunt multa ; ipse autem ex fide acceptus est ad justitiam. Ergo quicumque sunt ex fide, *si sunt filii Abrahæ*, ut sæpe admonuimus. Omne mysterium, quod a Domino nostro Jesu Christo actum est, fidem solam quærit : fuit enim pro nobis actum, et in nostram resurrectionem actum et liberationem, si fidem in mysterium Christi et in Christum habeamus. Hoc enim prælusit divinitas et præmisit, ut ex fide homo justificaretur. Ut reputatum est igitur Abrahæ ad justitiam, quia fidem habuit; sic et nos, si fidem habemus in Christum ejusque mysterium, erimus filii Abrahæ, id est reputabitur nobis omnis vita (1) ad justitiam. Denique sic adjungit : et mysterium circa Abraham idcirco gestum est ut ex fide justificarentur homines, ex fide scilicet in Christum.

A

Vers. 8. — *Providens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prædixit* (2) *Abrahæ*, hoc est prophetæ, ut id quod gerebatur circa unum, circa alios pronuntiaretur ad futura sæcula. *Providens*, inquit, *Scriptura*, id est quæ futura sunt videns ; *Scriptura*, id est prophetia quæ scripta est. Quid providens ? *quia justificare habet Deus gentes ex fide*, idcirco eadem Scriptura prædixit Abrahæ. Quid autem prædixit ? ex fide justificari gentes. Denique subjungit exemplum Scripturæ, quod benedicentur; id est in quo Abraham ad justitiam reputatus (3) est, scilicet ex fide. Hoc exemplum de Genesi est. Ergo qui ex fide sunt, benedicentur, quod est ad justitiam illis reputabitur, et a Deo benedicentur; benedicentur autem a Deo justificati : justificari autem est liberari a lege servitutis. Ergo ii qui ex fide benedicentur, quia ex fide benedictus est Abraham, benedicentur. Totum igitur fides est. Hoc ad Galatas quemadmodum revocatur ? scilicet quoniam tantum ex fide non ex operibus benedictio provenit et justificatio. Illi igitur erraverunt, qui præter fidem quam acceperunt in Jesum Christum dominum nostrum, adjungendam etiam legem putaverunt et præcepta legis, idest ut ex operibus justificationem crederent. Denique ita adjungit, ut et contrarium doceat, ex operibus quid proveniat ; ne veluti hoc æstiment Galatæ, et fidem retinere credant in Christum; et nihilominus prodesse sibi amplius posse, si agant aliquid et ex operibus.

B

C

At contra Apostolus negat ex operibus benedictionem provenire : sed quod est etiam gravius, et contrarium benedictioni, sub maledictione esse eos, qui ex operibus agunt.

D

Vers. 10. — *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledictione sunt* (4). Vehementer igitur adjunxit non modo non benedici eos qui *ex operibus sunt*, sed etiam eos esse *sub maledictione* qui *ex operibus legis sunt*. Quod autem dixit, *ex operibus legis*, intelligamus esse etiam opera christianitatis (5), maxime illa quæ sæpe Apostolus mandat, sicut sibi mandatum ait, *pauperum memores simus* et cætera quæ in hoc Apostolo (1) ad vivendum præcepta retinentur, quæque opera ab Apostolo omni christiano implenda mandantur (2). Alia igitur opera legis, scilicet observationes, immolationes agni cum jam pascha completum sit per Christum cæteraque opera quæ faciunt etiam circa circumcisionem et cibos vel habendos vel præstandos intelligamus. Igitur opera legis cum nescimus, Christus qui in cœlis est et ad carnem usque descendit, utramque ecclesiam copulat et jungit. Est ergo mediator, et mysterio suo per angelos disposito, quasi mediator liberat istam ecclesiam, id est membra ecclesiæ, et revocat ad superiorem Ecclesiam. Ergo mediator cum sit Christus.

Vers. 20.— *Non est autem unius mediator qui mediator est : Deus autem unus est.* Christus est qui revocat et jungit Ecclesiæ membra sua. Num igitur lex hoc facit? Numquid lex mediator est? Si ergo lex mediator non est; neque enim cum lex sit factorum, jungit aliqua quæ sunt separata; de factis enim tantummodo judicat : quæ idcirco interposita, inquit, quousque veniret Christus, id est semen cui promissa est hæreditas, in cujus manu dispositum est, quod dispositum est per angelos, qui mediator est, et mediator utique inter duo. Dixique duo; Deus autem unus est : ergo mediator Dei tantum esse non potest, quia unus Deus. Ita nullo modo lex justificat, nullo modo lex factorum hæreditatem consequitur : quia hæredes illi sunt qui inde originem ducunt, et inde spiritum accipiunt, unde hæreditas veniet; scilicet jungente Christo ea quæ sunt separata, et liberante partem ecclesiæ quæ hic per errores mundi tenetur, et revocante ad ecclesiam cœlestem : ipse est enim solus mediator. Mediator autem, ut docuimus, non unius : reliqui enim post Deum, unum non sunt : solus autem Deus unus est : ergo quidquid extra Deum est multa sunt, quæ adjungi possunt, quia inde sunt. aut separata sunt, quia ita mysterium fuit, et ita est etiam nunc, ut jungantur; quia longe alia sunt et divisa et hostilia et peritura. Solus ergo Deus cum sit, præter Deum mediator est, qui tamen

(1) Ea Victorinus agnoscit ad justitiam nobis reputari vitam bene actam post fidem susceptam.
(2) Vulg. *prænuntiavit*.
(3) Ita codd.
(4) Vulg. *maledicto*.
(5) Hieronymus in hunc ipsum Apostoli locum sic commentatur : « Exemplum quo probatur justus ex fide vivere, et non ex operibus, de Habacuc tulit, etc. Considerandum itaque quia non dixerit, homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda, sed *justus ex fide vivit :* ut quicumque fidelis esset per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire, vel in ea vivere, nisi prius justus fuisset, et puritate vitæ quasi quibusdam ad fidem gradibus ascendisset. Potest ergo fieri ut si aliquis justus, et tamen non vivat absque fide Christi, etc. Faciamus et nos aliquid simile huic quod dicitur *justus ex fide vivit* et dicamus : Castus ex fide vivit, sapiens ex fide vivit, fortis ex fide vivit, etc. » Certe quod sola fides justificet, id theologica doctrina, si severe loquamur, non patitur. Nonne enim spes quoque necessaria est, præcipueque charitas ad justificationem?
(1) Ita codd.
(2) Si mandantur ab apostolo bona opera, sequitur ut ad consequendam salutem necessaria sint. Quid quod Christus ex operibus, præsertim misericordiæ, patratis vel omissis judicium humani generis peractorus est?

Digitized by Google

non est unius mediator. Ipse autem mediator, alia quæ inter se mysterio quodam discreta sunt, quodam rursus mysterio reconciliat atque conjungit. Sumus autem nos, et qui separati sumus per majores nostros, et juncti rursus per majores quidem, sed secundum Christum, id est secundum fidem : unde apparet sine mediatore nos non posse liberari. Quod si ita est, vana spes est de factorum lege credere justificationem et salvationem; quæ, ut diximus, non mediator est : solus enim Christus mediator, qui jungit illa inter quæ mediator est. Ergo per Christum justificatio et liberatio, non per legem factorum.

LIBER SECUNDUS.

Omnis, ut diximus, ista epistola ad Galatas illud operatur, illud expugnat, quod sibi assumendum putaverunt Galatæ uti cum judaica disciplina atque observatione, Christi fidem servarent et evangelium tuerentur. Hoc neque ita esse neque se ita mandasse Apostolus docet, atque omnino frustra illud esse quod ex lege justificatio et salus speratur. Omnia enim ex fide proveniunt : promissio quippe liberationis et justificationis et hæreditatis in cœlo et supra cœlum Abrahæ data ex fide est, ita et ejus semini. Quod si ita est, docet omnino ex lege atque ex operibus ejus secundum præcepta completis nullam justificationem, nullam liberationem, hæreditatem nullam provenire : ob quam causam cum impugnare legem videatur, merito quæstio proponitur.

VERS. 21.— *Quid ergo*, inquit, *lex adversum promissa* (1)? Etenim si lex nihil agit ex operibus suis, et est hæc posterior ; promissa enim priora facta sunt Abrahæ (quia lex per Moysen data factorum justitiam tenet); quodammodo videtur aut frustra data aut esse contraria promissioni lex. Nam si nihil operantur opera ex lege, et nihil præstant, contra promissa lex est : promissa enim cum hæreditatem polliceantur et justificationem; hæc lex quæ ex operibus est, dum avocat a fide, dum in alio occupatas animas tenet, ut promissa non ex fide expectentur, sed ex alio, id est ex operibus, adversum promissa lex est. Non autem verisimile est, ut cum legem Deus dederit, eadem rursus lex adversum promissa data esse videatur : quæ utique adversum promissa est, si in alio occupat nos, scilicet ut opera compleamus ex lege præcepta, et non expectemus ex fide, quod promissum est, ut hæreditatem cœlorum fide consequamur in Deum.

Verum adversum hoc quid respondeat, sic accipiemus : ait enim primum generaliter : absit; id est non convenit ut id a Deo factum esse videatur, et adversum promissa sit, quod dedit legem, quæ occupatum hominem in aliis rebus cum tenet, evacuat promissionem, facitque meritum esse, non fidem ; id est ut operibus omnibus factis justificationem merito consequamur, non fide sola. Ergo absit, inquit : deinde supponit rationem. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. Diximus quod lex a Moyse data, nihil aliud quam peccata docet quæ peracta sint, et quemadmodum vitanda sint monet, nihilque aliud Scriptura conclusit, nisi ut sub peccato omnia præcepta poneret et de peccato (1). Hæc, inquit, non ideo data lex est, quæ posset vivificare : nam si ita data esset, vere ex lege esset justitia; nunc autem non ita data est, ut (2) vita inde quæratur, sed data est, ut scriptura sua (3) omnia peccata et doceat et vitanda demonstret. Non ergo ex lege justitia est, id est non est inde justificatio, neque salus sed ex fide, sicuti promissum est.

Denique sic subjungit, VERS. 22 : — *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Hoc, inquit, actum est per Moysen, ut ipse quidem de peccato legem constitueret, et omnis scriptura de peccato et quæ sunt sub peccato concluderetur; ut quod promissum erat, ex fide fieret, et hæreditas ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Ergo his omnibus quid agit vel egit? ut fides sola Jesu Christi sufficiat ad justificationem liberationemque nostram.

VERS. 23. — *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ futura erat, ut revelaretur* (4) ne vacua lex fieret, vel adversa promissis. Quomodo dicit necessariam? quoniam expectatio de fide futura erat, et promissio per fidem. *Prius*, inquit, *ante quam veniret fides, custodiebamur*, id est quodammodo duce lege atque custode vitam colebamus integram ex vitato peccato et ex cognito; ut cum Christus veniret, nos veluti *conclusi in illam fidem, quæ futura erat*, expectaremus adventum : in cujus fidem credentes, præparati per legem, cum peccata vitaremus atque opera legis efficeremus, facile promissum ex adventu, fidem scilicet in Christum, habere possemus. Non ergo fidem in legem habere debemus sed in adventum : nam *conclusi*, inquit, eramus *per fidem; in eam*, inquit, *fidem quæ futura erat* id est Christi ; ut revelaretur eadem fides, cum ille venisset

VERS. — 24. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo.* Quomodo enim qui pueros docent, monent viam, quantum possunt, vivendi et ostendunt, non tamen ipsi magistri sunt plenæ vitæ : sic et lex quasi pædagogus fuit, sed non sibi profuturus neque plenus pædagogus ad vitam docendam : sed *in Christo*, inquit, id est usque ad Christum : et sic custodiebat lex nos circa peccata monendo, ut in Christo omnem spem salutis ac vitæ habere possemus *ut ex fide justificemur*. Non ex lege, sed *ex fide*, inquit, ut liberemur, hoc est ut justificemur, et hæreditatem promissionemque capiamus.

VERS. 25.—Veniente autem fide, id est Christo ipso (tunc enim orta fides est, idest tempus habere cœpit, ut fides esset, atque in eum crederemus ubi tota salus est; et Judæis contra, qui non crediderunt) *jam non*

(1) In Vulg. legitur : *Lex ergo adversus promissa Dei.*

(1) Ita codd. Dubitabam autem num forte verba *et de peccato* ad sequentem periodum devolvenda essent.
(2) Codd. *non ut.*
(3) Ita codd. *sua* id est *legis.* Vel pro *sua* legendum est *sacra.*
(4) Vulg. habet : *Quæ revelanda erat.*

Digitized by Google

sub pædagogo sumus, id est jam non sub lege vivimus, quia custodivimus præcepta legis quæ ad ipsam fidem spectant, qui parabamur pædagogo legis. Veniente ipso Christo, id est ipsa fide, jam non sub pædagogo vivimus, sed ex fide vivimus vel vivemus.

VERS. 26.—*Omnes enim estis filii Dei, fide in Christo Jesu* (1). Hæc est enim hæreditas ut consequamur vitam æternam : tunc enim sumus filii Dei. Sed unde istud? fide in Christo Jesu. Tunc fidem in Jesum Christum habemus, id est dum in illum credimus, quod filius Dei sit, et quod ipse nos salvet, et quod illud mysterium pro nobis egerit, et illa omnia quæ in evangelio diximus. Verum illud hic animadvertendum, quod cum de rebus loqueretur, ad personam se vertit, ubi blandimentum ostendit quo facilius persuaderet. *Omnes*, inquit, *filii estis*. Supra, *sub pædagogo sumus*, nunc velut apostrofat (2) ad ipsos : *filii estis*, inquit, *Dei ;* sed filii ex fide in Jesu Christo.

VERS. 27. —*Nam quicumque in Christo* (3) *baptizati estis, Christum induistis :* hoc est in Christo filii Dei estis. Quid est illud in Christo? quoniam quicumque baptizatur in Christo, jam filius Dei est : quicumque enim baptizatur, in Christum (4) baptizatur : baptizatus autem in Christo, induit Christum. Habet enim Christum quicumque baptizatur ; et jam est in Christo, dum habet Christum : dum habet Christum, filius Dei est, quia Christus filius Dei est.

VERS. 28. —*In Christo* (5) *enim non est Judæus neque Græcus, non servus, neque liber, non est masculus neque fœmina : omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Tollit ergo reliquas personas hominum, quæ possunt accedere vel ex conditione, vel ex natura humana, vel ex gente. His enim rebus separati inter nos esse possumus, ut alius Judæus sit, alius Græcus, servus alius, liber alius. Hæc, conditione vel jure ; at illa, natura. *Non est*, inquit, *masculus neque fœmina*. Quid ergo? his sublatis omnibus, unum inquit, *vos estis omnes in Christo Jesu :* quod estis unum accepto spiritu a Christo, Christus estis. Ergo filii Dei estis in Christo :

VERS. 29.— *Ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes.* Quod si ita est, completum est illud, quod Abrahæ semini promissum est ; unde et vos estis semen Abrahæ, secundum fidem ; et vos in Christo estis, ac propterea *semen estis Abrahæ : secundum promissionem hæredes estis*, quia Abrahæ semini promissa est hæreditas. Vos autem, baptizati in Christo Jesu, Christum accepistis, et Christus estis ; semen ergo estis Abrahæ. Si semini promissa hæreditas, vobis quoque hæreditas dabitur, et hæredes estis secundum promissionem.

CAP. IV. —VERS. 1.— *Dico autem quamdiu* (1) *hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum Dominus sit omnium.* Per adjunctam similitudinem perseverat, ut quid fuerimus ante adventum Christi sub lege, doceat ; quid, postea quam venerit. Solvens enim quæstionem illam, an adversum promissa lex fuerit, dicit ad tempus legem datam, quæ nos sub custodia contineret : ac præcepta tradens custodiret a peccatis, quousque tempus veniret in adventum Christi, ut hæredes promissionum esse possemus. Ergo, inquit, hæredes cum parvuli sunt, quod est tempus sub lege ante adventum Christi, cum, inquam, parvuli sunt hæredes, nihil differunt a servis : licet enim domini futuri sint omnium, quod hæredes futuri, tamen dum non venit tempus, quo tempore exerant plenum domini nomen, quasi quodam officio servitutis tenentur ; sed non in perpetuum, quousque suæ sint ætatis et libertatis, et hæredis possint implere et nomen et potestatem. Hoc est quod subjungit.

VERS. 2. — *Sed sub curatoribus* (2) *est, et actoribus usque in præfinitum tempus a patre.* Omnis, inquit, hæres, dum est parvulus, *est sub curatoribus*. Lex illa Moysi velut sub curatore et actore custodiebat futuros hæredes, vel jam qui essent, sed pleni non erant propter ætatem ; quoniam ipsi per se agere non possunt, nec capere effectum vel plenum nomen hæredis. Nec tamen illo tempore sic servi sunt, uti vere serviant, sed sub custodia agunt : ut servi sint in tempus præfinitum a patre. Sic enim vel actor vel curator vel tutor valet patris instituto, ut cum ille in pubertatem suam venerit, agat jure suo, libera voluntate, atque acceptam hæreditatem gubernet. Hæc, ut dixi, similitudo refertur ad eos, quibus lex data est.

VERS. 3. —*Ita et nos cum essemus parvuli sub elementis hujus* (3) *mundi eramus servientes. Cum autem* (4) *venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* De alio quæstio fuit ; et in reditione ad similitudinem, aliud subjungit, id est amplius aliud quam fuerat ante positum. Nam cum ageretur de lege, quæ data fuerat, velut interposita post promissa, et ante adventum Christi diceretur interjectam esse legem, quoniam adhuc parvuli fueramus, et sub legis custodia positi ; et sicut ipse dixit sub lege custodiebamur, et erat nobis lex pædagogus ; quamquam, inquit, lex pædagogus erat, sed in Christo tamen (omnis dictio superior de lege fuerat, quousque veniret tempus, ut secundum promissionem hæredes esse possemus) hæc, ut dixi, cum de lege loqueretur, et similitudinem adjungeret, integro sensu persequebatur. At nunc in conclusione non ad legem, sed ad elementa retraxit : *et nos*, inquit, *cum essemus parvuli*. Quid subsequi debuerat? sub lege vivebamus. At non hoc adjunctum est ; sed *sub elementis hujus mundi eramus servientes*. Hoc aut alterum est a superioribus,

(1) Confer Vulg. quæ habet : *Omnes per fidem quæ est in Jesu Christo.*
(2) Ita codd. Est autem Afer Victorinus vel novator vel parum bonus latinitatis auctor, ut ex editis abunde constat.
(3) Vide Vulg. editionem. Hæc habet : *Quicumque enim in Christo*, etc.
(4) Ita codd. ; quamquam supra et infra *in Christo*.
(5) Vulg. ed. non habet, *in Christo*.

(1) *Quanto tempore*, in Vulg.
(2) Vulg. ed. habet, *tutoribus*.
(3) *Hujus* non legitur in Vulg.
(4) Legitur apud Vulg. : *At ubi*, etc.

Digitized by Google

aut ad superiora (1) pendet. Quærendum est quomodo non sit alienum. Sine dubio illud est supra dictum, quod quicumque in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Qui autem induimus Christum, neque judæi neque græci sumus. Si autem neque græci neque judæi sumus qui induimus Christum, jam non mundi sumus : etenim mundus hominem ante adventum Christi aut judæum habebat aut græcum. Vel Judæus vel Græcus, dum legibus suis ageret, sub elementis mundi vita gerebatur. Namque est (2) apud Judæos puniri sacrilegum, furem, falsum testem, et cætera. Eodem modo et apud Græcos, id est apud paganos (3), ista legibus vindicabantur et vindicantur. Elementa vero mundi simul habent secum, et motus suos, et quasi quasdam ex motibus necessitates; ut in sideribus, quorum conversione hominum vita vel in necessitatem ducitur : et sic serviunt elementis homines, ut astra jusserint, ut mundi cursus imperaverit (4) : quibus omnibus solvitur, quisquis in Christum fidem habens dominum vitæ suæ a Christo spiritum acceperit, ut omnem mundi necessitatem, elementique vim fugiat et vitet, neque mundo serviat, sed domino Christo serviens, habeat spiritu regente in suis actibus libertatem. Amplius igitur quam sperabatur illatum est, ut intelligerent omnimodo relinquendam Galatæ legem judaicam, atque ejus præcepta et observationes et opera : cum videant etiam mundi ipsius atque elementorum legem esse subversam, nec valere sub Christo, et conversionis mundanæ vim penitus everti.

(1) Ita codd.

(2) Ita codd. Verbum autem *est* regit τὸ *puniri*. Sic Victorinus etiam in opusculo edito contra Manich. cap. 2 : *inde enim est Christo habere carnem.*

(3) Sic Victorinus de ὁμοουσίῳ recip. cap. 1 : *Græci quos paganos vocant.*

(4) Cum dicit ethnicos ab astris regi, christianos nequaquam, nundum omnem superstitionem exuisse videtur Victorinus : nec mirum ; nam contra genethliacos scribebat adhuc Nicetas Aquileiensis (centum post Victorinum annis) teste Gennadio, cap. 22, quod Nicetæ opusculum amissum dolemus. Ego vero memini me in Ambrosiana bibliotheca olim legere pervetustum codicem (M. 77. pl. sup.) cui tres membranæ, integumenti interioris causa, additæ erant. In his autem membranis scriptura antiquissima majorisque moduli inerat ; sed passim palimpsesti faciendi gratia scalpro erasa, ita ut pauci versus nec sine lacunis a me potuerint exscribi. Est autem in his invectio contra genethliacos atque ejus generis hariolos ; quæ invectio utrum ex cognitis an ex incognitis Patrum scriptis sit, vestigare non est otium, præsertim quia fragmentum perexiguum hiansque est. Sic autem olim legebam..... « qui cuique e nascentibus, vel quomodo divinæ providentiæ administratio. Multi multa humanis suspicionibus tribuendum *censuerunt*. Ergo conjectata litteris..... simul fulmine aliquid percutiatur : quæ communia tantum valent, quantum præsumptione animorum, quasi quadam communi lingua cum (devinationibus) federata sunt. Quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. Non enim quia (certa, ideo) animadversa ; sed animadvertendo atque signando factum est ut valerent. Et ideo diversis diversa proveniunt, secundum cogitationes et præsumptiones suas. Illi enim ipsi qui decipere volunt, talia præcurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones et consensiones ejus vident. Sicut enim verbi gratia una figura X, quæ decussatim notatur, aliut aput Græcos, aliut aput Latinos (denotet) non natura, sed placito significandi..... Linguam quoque no*verit qui augurium prodit*, si homini græco velit aliquid significare..... Non in eam enim significationem ponit, cum hominis..... uno eodem sono aput Græcos littera, aput Latinos.... In his duabus syllabis aliut Græcus aliut Latinus intelligit. Sicut ergo hæ omnes significationes, pro suæ cujusque societatis consensione animos movente, diverse movent ; nec ideo consenserunt in eas homines, quia jam valebant ad significationem, sed ideo valent quia..... quædam..... dæmonibus partim inventa referenda cupidis malorum..... secundum pulcherrimum ordinem providentiæ..... generi humano..... quibus impietatis, curiositatis... »

(1) Pro *Editum ex fœmina*, legitur in Vulg., *Factum ex muliere.*

(2) *Vel* pro *et* non est insolitum. Cæteroquin quod Deipara non solum ante editum Jesum, verum etiam postea, perpetua virgo fuerit absoluta Ecclesiæ catholicæ auctoritas est. Virginitatem Deiparæ memoravit Victorinus etiam in comm. ad rhet. Cic. 1, 40.

(3) Ad Eph. IV, 13.

(4) Codd. *est.*

VERS. 4. — *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum editum ex fœmina* (1). Ut in rebus est plenitudo, ita et in temporibus : est enim plenitudo sua cujusque. Omnibus abundant et plena et copiosa perfectio rerum plenitudoque Christus est : temporum plenitudo consummatio est liberationis. Quemadmodum autem Christus, ut plenitudo tota sit et perfecta, colligit membra quæ dispersa sunt, et efficitur plenitudo ; ita eodem modo et temporum plenitudo tunc effecta, cum maturatis ad fidem omnibus, et peccatis usque ad summa surgentibus, medicina necessario ad rerum omnium mortem quærebatur : unde subvenit Christus, temporum plenitudine perfecta. Diciturque quod misit Christum suum : suum, inquam, ante quam mitteret, intelligamus, post autem *editum ex fœmina*. Sed misit filium suum, id est qui sibi fuerit filius : misit autem. Quomodo misit? *editum ex fœmina*. Sic enim mysterio suo Christus Dei filius subvenit mundo, nobisque omnibus : nos enim mundus sumus. Cum et ipse induens carnem, id est editus ex femina, omnia quæ in mysterio agenda fuerant compleret, id est ut videretur, et audiretur, et pateretur, et moreretur, et resurgeret : ideo misit *editum ex fœmina* ; eum, qui suus filius fuisset, *editum ex fœmina*. Quidam ita dicunt, *editum ex muliere :* et habent ipsi, propter positum a se verbum, quæstionem ; cum virgo Maria sit vel fuerit (2), quare dixerit *editum ex muliere?* In usu loquendi fœminam dicimus, quod Græci γυνὴ dicunt. Deinde ex eo quod ediderit Christum, cur non mulierem diceret? Omnis enim fœmina quæ edit aliquid, mulier dicitur : virtus autem mysterii quamquam et occulta et sancta sit, tamen ut interim in transitu agnosci possit, sic attendenda est, quod omnia quæ perfecta sunt, vir dicuntur ; omnia quæ imperfecta, fœmina. Denique cum perfectis omnibus sanctificatisque et justificatis concurrere in virum reperimus (3). Sic enim dictum esse (4) intelligi licet : cum mundus,

Digitized by Google

vel nos in ipso mundo positi, non perfectissimus, fœminarum modo et mulierum exigimus vitam.

Ut igitur Christus salutem nobis præstans vel præstaturus (1) ad nos veniret, natus est ex fœmina, id est accepit et illam partem, quæ imperfectum eum redderet, et nobiscum se parem faceret, id est vel carnem vel mundum; in quo mundo vel in qua carne cum esset editus, utique ex fœmina, id est ex non perfectis mysterio completo, sanctificatus etiam post passionem et post resurrectionem vir effectus, id est perfectum spiritum habens atque recipiens, similitudinem nobis daret, ut et nos in virum consurgeremus ex fœmina, id est ex hac vita, quæ cum corrupta est, merito vel fœmina vel mulier nominatur. Hinc enim malum ex fœmina: nam et in primo homine non peccatum nisi ex fœmina.

Factum. Sub hoc verbo error plurimus nascitur ut exinde intelligant non natum filium, sed factum, quia dixit *misit Deus filium suum editum ex fœmina, factum sub lege.* Sed multum interest, utrum filium factum diceret, an *factum sub lege.* Aliud est enim filium missum esse, qui jam fuit filius, et utique cum filius natus, nunc autem cum ex fœmina editus est, potest dici factus ab hoc ut sub lege esset. Quid est autem dixit *factum sub lege?* ut non inter gentes nasceretur, sed apud Judæos, et in disciplina ac lege Moysi. Omnis enim illic poterat esse correctio; etenim in Israel populus Dei dictus est, cui legem Moyses a Deo accepit, et dedit ip i utique male intelligenti legem; et idcirco peccanti debuerat subvenire, et peccata ei auferret; si modo idem ipse populus cognosceret Dei filium. Poterat enim si alibi nasceretur, id est inter gentes, Israel idcirco non cognoscere, quod non in sua gente natus videretur. Hinc autem majora peccata iste populus admisit, quod in sua gente, id est in lege Moysi, inter Israel natus, non est cognitus, cum ipsi genti, id est et David, dictum sit, quod semini ejus daretur hæreditas et æternitas. Ergo cum David sit pater Israel, ibi natus est, ut illum agnoscerent. Unde majus peccatum est, quod non agnoverunt factum sub lege.

Multa dici possunt, quare factum sub lege; vel quod ibi jam Deus unus colebatur, vel quod jam acceperant a Deo oracula atque præcepta, vel quod Moyses imago et typus fuit Christi; vel cum ipse, cum hoc esset quod ii qui sub lege sunt, et alio modo præciperet atque a lege pro salute discederet (2), non observando sabbato cæteraque; exinde scirent, non in operibus legis neque ex lege salutem sperare. Unde etiam Galatæ intelligerent (3) se in errorem esse delapsos, siquidem etiam Salvator ipse, in quem crediderunt, sub lege factus, non tamen servivit legi. Verum hæc et alia multa, quare factus sit sub lege, non colligenda, quoniam (4) ipse causam subjecit, quare factus sit sub lege, *ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut filiorum adoptionem reciperemus.* Hæc, inquit, causa est cur Deus misit filium suum, et misit utique jam filium, sed nunc *editum ex fœmina*; et misit factum sub lege. Quæ causa est cur sub lege? ut eos redimeret qui sub lege erant. Ergo si ut redimeret missus est, magis obligati sumus si a lege redimimur. Sed et ipse sic et alio in loco (1) cum de fœmina loquitur: quoniam cum vir ejus vivit, obligata est viro; at si perierit, liberata est a viro. Ergo quoniam lex præceptis velut tenebat vinctos, ad vitæ tantum integritatem, non et ad spem liberationis et æternitatis, misit filium suum Deus, et sub lege misit, id est in Israel, ut eos qui ibi fuerant, ac sub lege vivebant, redimeret. Magnum autem hoc, ut non illis viam vivendi præstaret neque præceptis tantummodo (2) excitaret ad æternitatem, sed ut redimeret, inquit. Hoc enim actum est mysterio ut redimeret omnes in illum credentes, ut fiant omnes in illum credentes, filii adoptionis.

Cum ergo tantum beneficium totumque beneficium ex Christo sit, nihil adjungendum præterea, neque legi serviendum: redempti enim sumus, et redempti a lege, et redempti ab hoc (3) mundo, ut filii Dei simus, sed et filii adoptione. Non enim filii, ut ipse filius, sed per filium filii. Hæc est igitur adoptio; quam ut reciperemus, inquit, Deus filium suum misit. *Sed quoniam filii estis Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra.* Ecce totus ordo trium istarum potentiarum (4) per unam virtutem unamque deitatem. Nam, inquit, qui pater est, misit filium suum, qui Christus est. Rursusque Christus ipse, qui est Dei virtus, et ipse Deus est, misit Deus, inquit; jam enim trinitas est. Et Christus et maxime post mysterium sanctificatus misit, inquit, spiritum filii sui, qui est spiritus sanctus, qui in corda nostra descendens facile cognoscit patrem. Est ergo a Deo missus filius Jesus Christus, in quem credunt, qui credunt, atque effleiuntur filii Dei: mittiturque in eos a Deo spiritus filii, id est spiritus sanctus, ut jam properent, ad patrem festinent, clament quodammodo interiore sanctificatione et interiore voce. Quid clament, ipse subjungit, *clamant abba pater.* Habent spiritus verba et magis habent cum cognoscentiam (5) patris capiunt. Ipsa autem cognoscentia patris, id est cum cognoscimus patrem, ipsa vox est spiritus nostri ad Deum quem spiritum nobis dedit Deus: cognitio consonans cum eo quem cognoscit, quasi quædam vox est in eum quem cognoscit. Ergo quoniam et per Deum et per Christum cognoscimus Deum, efficimur filii et ipsi Dei, et ipsa cognitione vocem habemus ad pa-

(1) Ita codd.
(2) Codd. *descenderet.*
(3) Codd. *intelligere.*
(4) Codd. *quoniam non.*

(1) I Cor. vii, 39.
(2) *Tantummodo* pertinet etiam ad præcedentem sententiam.
(3) Codd. *hominem* pro *hoc.*
(4) *Potentiam* dicit Victorinus pro *persona.* Si ergo est intelligendus apud Nicetam nuper a me editum titulus opusculi *de Spiritus sancti Potentia*, nempe *persona.*
(5) *Cognoscentia*, vocabulum in Victorini scriptis etiam editis non insolitum.

Digitized by Google

trem. Quomodo enim solus est, qui cognoscat Deum Christus, et ex eo quod cognoscit, cognitionem habet, ita eum vocat (1) atque illum appellat, quia eum cognoscit. Idcirco Christus Dei verbum est : dixi enim quod cognitiones quæque cum nos intelligere faciant et designare et capere et concipere id quod intelligimus, quasi illud, quale sit cognitione appellamus; accipimus enim in illum quem cognoscimus, de eo quem cognoscimus, verbum (2) cum quid sit appellamus, quia cognoscimus ea : quæ est omnis cognitio ejus rei, quam cognoscimus (3).

Ergo Christus quia cognoscit Deum, Dei verbum est; et spiritus quia Christus nobis datur, dat nobis cognitionem Dei per ipsum se : inde fit ut et nos verbum simus, et in Christum et in Deum; et idcirco clamemus cognitores. Cognitor autem cum est ipsius cogniti, fit ut cognitum pater sit, cognitor filius. Quod si ita est, merito cum cognoscimus per Jesum patrem, ex cognitione verbum ipsius efficimur (4) : ac propterea filii inde clamamus *abba pater*.

Vers. 7.—*Itaque jam non es* (5) *servus, sed filius.* Is enim qui dicit *abba pater*, Deum utique patrem nominat. Si patrem nominat, filius est : jam non ergo servus. Quod si ita est, in Christo neque servus, neque liber, neque masculus, neque fœmina : omnes enim unum sumus. Sed quo cogit hoc totum ? *Si autem filius* (6), *et hæres per Deum.* Ergo si filius appellatur (7), erit et hæres : hæres autem non factis, non operibus suis, sed Dei miseratione et Dei gratia. Hoc est quod dixit *sed per Deum.* Sicuti multis probatum est, quia non currentis sed miserantis; et omnia per Dei gratiam.

Vers. 8. — *Sed ante* (8) *quidem ignorantes Deum, his qui non sunt dii servistis* (9). Sæpe dixi et admonui, ignorare Deum est Christum nescire; per Christum enim cognoscitur. Nunc autem cum apparuerit Christus qui me docuit, et per se Deum ostendit, et se Deum et per se patrem, ignorare non licet Deum. Ante autem cum ignoraretis, inquit, Deum, o Galatæ, *servistis his qui non sunt dii.* Dici deos et numero plurali, et in lege dici, sæpe admonui : verum unus Deus : reliqui hoc nomine honorantur angeli, cæteræque virtutes, ut dictum *Deus deorum.* Atque utinam illis servivissent ! Porro autem his servistis qui non sunt dii, omnibus scilicet mundanis cæterisque falsis virtutibus imaginariis et a diabolo fictis atque simulatis.

(1) Codd. *in eum vocem.*
(2) Ita codd.
(3) Obscura sane impeditaque legentibus videbitur hoc loco et alibi Victorini elocutio : verum hoc vitio eum laborare in aliis quoque scriptis exploratissimum est; ita ut a Petavio appelletur, velut alter Heraclius, σκοτεινός.
(4) Codd. *efficiamur.*
(5) Ita codd., non *est.*
(6) Vulg. habet. *Quod si filius.*
(7) Codd. *appellatur num superiora erit.* Sed expungitur in antiquo codice *dum superiora erit.* Ego vero *erit* retineo.
(8) Codd. *nunc*, vulg. autem, *tunc.*
(9) Legitur in Vulg.: *Sed tunc... iis qui natura non sunt dii, serviebatis.*

Vers. 9. — *Nunc autem ut cognovistis Deum, imo cogniti estis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena hujus mundi elementa?* (1) Veluti aliud adjungit Galatis, quod etiam in gentilem transierint disciplinam : aut in eadem accusatione perseverat, quæ prima fuit, quod adjungerent etiam christianismo legem judaicam, de circumcisione, de sabbato, de victu : et hinc accusat, ut dicat, postea quam cognovistis Deum per evangelium a me datum, quomodo convertimini iterum ad infirma, quæ sunt utique. Vel intellige, si ad judaicam, vel ad paganos, qui et ipsi infirmi sunt. Sed cum adjunxit *egena elementa hujus mundi* magis quasi paganos tangit, qui etiam de elementis hujus mundi operantur sibi Deos, vel ipsa illa elementa ut ignem colant, aquam colant, terram colant, aerem colant. Nulla enim dubitatio quin singula hæc deos dicant, de quibus longa est disputatio, dummodo certum sit et ex elementis singula quæque paganos deos dicere, vel ipsorum elementorum repertores deos dicere, vel ex elementis deos sibi facere, ut et de terra deos faciant, sed (2) per ignem deos faciant : deinde etiam quosdam dæmones aerios vocent, rursus alii empirios, alii enydros, alii genios, id est terrenos, aquaticos, aerios, ignitos. Si ergo hæc pagani faciunt, quasi et hoc quoque reprehendit, illos etiam ad paganismum esse conversos, maxime cum dixerit ante quam Deum cognosceretis et ignoraretis Deum, serviebatis his qui non sunt dii. Quod utique de paganis et in superioribus intelligendum. Verum tamen cum et omnis ordo et omnis iste tractatus propterea sumptus sit, ut reprehendat illos Galatas, quod ad judaismum conversi sint, et de Judæis ista omnia intelligenda sint, quomodo convertimini iterum ad infirma, intelligimus. Igitur cum dixit *egena elementa hujus mundi*, intelligamus, quod illi carnaliter intelligentes legem, ad elementa videantur esse conversi quæ egena (3) sunt; eget enim semper caro et desiderat sustentari cibis et poculis et cupiditatibus, quæ tamen omnia infirma sunt. Ergo cum inquit, *convertimini ad infirma et egena elementa*, id est quæ semper egeant, anima enim et spiritus nullus eget, neque aliquid desiderat, nisi illa quæ sua sunt. Quod autem dixit *cognovistis Deum, immo cogniti estis a Deo*, servat virtutem præcepti sui, ut ii (4) veniant ad Christum, quos Deus mittit, et quos Deus vocat, et ii cognoscant Dominum, quos cognovit Deus : de quo tractatu supra multa diximus (5). Cogniti enim a Deo accipiunt spiritum, quo Deum cognoscant. Sed utique ut cognoscantur a Deo cognitique Deo sint, aguntur jam principali illo spiritu, qui datus est ut subdita (6) sit anima divinis illis patris sui præceptis; quæ cum

(1) Confer Vulg. quæ hunc locum sic habet : *Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quomodo*, etc.
(2) Ita codd.
(3) Codd. *agenda.*
(4) Ita codd. hoc et alibi.
(5) Victorinus morem suum ad scripta propria sæpe provocandi servat etiam in operibus editis.
(6) Codd. *scripta.*

Digitized by Google

se excitat, cognoscit eamdem Deus, et sic anima cognoscit Deum. Quod autem dixit *elementa hujus mundi egena*, non quo sint elementa alia, idcirco egena hujus mundi, et elementa quæ egena sunt : quamquam possumus etiam in superioribus elementa dicere : sed longe semotum hoc ab usitatione (1). *Quibus rursum* (2) *servire vultis*. Silicet, ut supra dixit, antequam Deum noratis, serviebatis iis, qui dii non sunt, nunc ergo *his rursum servire vultis :* vultis inquit ; ut eorum voluntatis sit, non necessitatis.

Ut autem ad Judæos ista et de Judæis videatur dicere, id est ad Galatas, qui Judæorum sibi disciplinam jungunt, sic adjungit.

Vers. 10. — *Dies observatis, et menses, et tempora et annos.* Cum *tempora*, genus sit ad omnia, cur (3) *et dies, et menses*, et anni interpositum ? Quasi alterum quod quidem fieri potest : nam aliud est observare *dies*, ut est ut sabbato requiescat : aliud est observare *menses*, ut est ut neomenia observet, cum finit luna vel incipit, aliud est observare *annos :* aliud vero tempora (4), ut jejunium, pascha, azyma, et cætera hujusmodi quæ apud Judæos multa sunt. Non enim aut (5) anni sunt aut menses aut dies, sed tempora.

Vers. 11. — *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Id est multum metuo ne labor omnis meus in evangelio quo instruxi vos, ut in Christum fidem habeatis ; ne hic, inquit, labor in irritum veniat. Frustra enim erit quod vos docui, cum Judæorum servare disciplinam et observationes cœperitis.

Vers. 12. — *Estote sicut ego, quoniam* (6) *et ego sicut vos.* Quomodo enim, inquit, transivi a Judæorum disciplina, et credidi in Christum, et illi servio, et aliud ago, et hoc vos docui, factusque sum talis quales vos feci. Vivite ergo, ut ego vivo : et si vos vivitis, vivo.

Vers. 13. — *Fratres obsecro vos*, nihil me læsistis ; *scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem.* Istud, quod interpositum, ad persuasionem pertinet, ut in omnibus sequamur Christum. Quo facilius autem hoc suadeat, repetit principia evangelii sui. Primum commendat labores suos, ut jam infirmus carne cum fuisset et laboraret, tamen imposuerit sibi laborem, et evangelizaverit Galatis : addidit etiam *jampridem* id est, olim ; unde firmari apud vos debuerat charitas erga me, fides erga Christum : si quidem longum tempus est. Non peperci, inquit, carni meæ ; sed *per infirmitatem carnis evangelizavi vobis*, et *jampridem* evangelizavi : quare ergo adjungitis alia, quæ ego vobis non evangelizavi ? Cum autem dixit *nihil me læsistis* illud adjecit, non aliquid vobis subtraxi, non aliquid minus dixi, quod facit ille qui læditur : ac ne crederent se veluti oneri fuisse, cum infirmus (7) carne evangelizavit, idcirco ait, *nihil me læsistis*, et ego propter vos infirmus carne cum fuissem, *evangelizavi vobis jampridem* ; et hoc utique scitis.

Vers. 14. — *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis neque respuistis* (1). Quid accipiamus tentationem vestram, ambiguum mihi est : quod vos me tentatis, an quod ego vos ? Quod vos me tentatis, nullus est sensus ; non enim tentaverunt illum ipsi. Sed rursus numquid Paulus ipse tentavit illos, qui verum dicebat, et evangelizabat Christum ? evangelizare enim non est tentare. Quid igitur, cum tertium nihil sit ? An intelligimus, quod cum ad Galatas venisset Paulus, quod illi eum tentare voluerunt, id est interrogare, et de Christo aliquid inquirere, an sciret : quod quidem videri poterat tentatio ; cum infirmum hominem, et in carne infirmum viderent Galatæ Paulum : scilicet ut cum Deo serviat, Deum prædicet, infirmus carne sit, fueritque ista cogitatio Galatis, interrogemus eum, videamus quid respondeat de Christo iste qui infirmus in carne est. Hoc, inquit, vos in *carne mea non sprevistis*, et me tentastis neque contempsistis tentationem vestram in carne mea : contemnerent autem, id est non interrogarent, falsumque putarent se audire posse, quod quærebant, id est quod interrogabant, quod est tentabant : falsum, inquam, responderi sibi credentes ab eo qui esset infirmus in carne. Verum perseverastis, nec contempsistis tentationem vestram in carne mea ; sed accessistis ad me, an in fide mea essem atque in evangelio perseverarem. Igitur in carne infirmum tentastis, interrogantes, si ea mihi evangelizandi esset perseverans sententia, cum in carne infirmus essem, hoc est *non* respuistis quasi infirmum in carne, minus idoneum ad respondendum, vel qui posset mutare sententiam, qui in carne esset infirmus : in quo et rationem reddidit, cur fieri non posset vel non factum sit, ut sententia evangelizandi alia esset : carne enim infirmus fui, non animo, non spiritu : ita et illos quasi considerasse dixit quod in carne essem ego infirmus, non etiam in spiritu : et idcirco perseverent, ut tentarent illum, neque respuerent, neque non tentarent : hoc est non contempsistis, non sprevistis tentationem vestram. Denique et ipsos intellexisse Paulum in carne infirmum esse, non in spiritu, ex subjunctis docet : *sed ut angelum excepistis me, ut Christum Jesum* (2). Adeo non vobis impedimento fuit, quod in carne infirmus eram, sed accepistis me ut angelum Dei, id est nuntium, prædicatorem a Deo missum ; hic est enim angelus Dei ; et me suscepistis ut Christum Jesum, quem vobis prædicabam : ita vere Christum Jesum suscepistis, si me recepistis angelum Dei, quomodo recepistis Christum Jesum.

Vers. 15. — *Quæ ergo* (2) *erat beatitudo vestra ?* Jam ostendit illos nunc miseros, siquidem antea

(1) Notemus vocabulum.
(2) Vulg., *Denuo*.
(3) Codd. *ut*.
(4) Sic adhuc dicimus in sermone ecclesiastico.
(5) Codd. *ut*.
(6) *Quia* apud Vulg. ed.
(7) Codd. *infirmis*.

(1) Notemus diversam a Vulgata periodi divisionem.
(2) Vulg. habet, *sed sicut angelum..... sicut Christum*.
(3) Legitur in Vulg. *ubi est ergo*, etc.

Digitized by Google

beatitudo illis fuerat, quia receperant Jesum Christum, quia Paulum ut angelum Dei. Magna, inquit, fuit vestra beatitudo : erat, inquit : nunc igitur utique contra, dum adjungitis ea quæ non docui, non insinuavi, quæ extra evangelium sunt, illa scilicet quæ supra dixi. *Testimonium vobis perhibeo, quoniam, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi* (1). Sic me suscepistis, et talem erga me animum habuistis, talem voluntatem, ut jam quoniam nihil est charius homini oculis, ipsos quoque oculos eruere vobis velletis (2), et mihi dare. Ergo cum sic me amaveritis, et amaveritis propter evangelium, unde vobis ista sententia est, ut adjiciatis ea ad disciplinam, quæ a me evangelizata non sunt? id est ut præter Christum aliquid de lege faciatis, et non ut simpliciter tradidi, in Christo habentes spem, fidem, credulitatem, omnia speretis, omnia consequi vos posse credatis, et remissionem peccatorum, et sanctificationem, et Dei gloriam?

Vers. 16. — *Ergo inimicus vester factus sum, verum prædicans vobis* (3)? Si enim alia facere cœpistis, *inimicus vobis factus sum*. Sed cum prædixerim vobis et prædicaverim Christum et evangelium, quod est vere unum Dei filium esse Christum, per ipsum omnia, et in Christo omnia, ipsum ante omnia; hoc cum sit verum, et ipsa sit veritas; quare vobis inimicus factus sum? Is enim inimicus esse debet, qui cum interrogetur quid verum sit, docet falsum : at ego cum verum dixerim (verum enim dicit qui prædicat Christum) non est convenicus ut inimicus vobis factus sim.

Vers. 17 et 18. — *Æmulantur vos non bene; et excludere vos volunt, ut illos æmulemini : æmulamini autem meliora dona* (4). Ut sæpe ab insidiis caveant monet, quod illi qui persuadent Galatis uti etiam judaicam legem sequantur, æmulantur, inquit, vos; id est invident vobis; nam æmulari dum duas res significet; unam, cum aliquis æmulatur, quia placet, quia bonum est : aliam, qua quidem ideo æmulantur, quia invident. Ii, inquit, *æmulantur vos non bene*; quo ostenderet de invidia illos æmulos esse. Deinde adjunxit *excludere vos volunt*, id est ab ista felicitate et beatitudine; quia Christum cognoscendo, salutis habetis spem et gloriam cœlestem : sed ab hac vos excludere cupiunt. Quod autem adjunxit *ut illos æmulemini* ut et vos sequamini illos, ita duplicem istam æmulandi significantiam diversis locis posuit, cum æmulatio sit imitatio, maxime cum et in bonum est. Hoc est quod hic ait, *ut illos æmulemini*, id est ut quasi bonum illorum sequamini. Porro autem quod dixit æmulantur vos, ut ostenderet ad invidiam æmulationem positam, adjungit *non bene. Æmulamini autem meliora dona*, non illa quæ Judæi habent, quæ bona non sunt, ac meliora non sunt; vos autem æmulemini ea quæ bona sunt, et meliora dona, id est uti quidquid in fide et charitate est, circa Christum æmulemini, et hoc sequamini. Bonum est æmulari meliora semper. Non, æmulari bonum est; sed meliora æmulari et semper, bonum est. *Et non solum cum præsens sum apud vos.*

Vers. 19. — *Filii mei* (1), *quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Non solum, inquit, me præsente æmulari debetis, sed semper. Ad id igitur quod posuit *semper* adjunxit *et non solum cum præsens sum apud vos*. Porro autem quod adjunxit *filii mei* quoniam multis modis dicuntur, nunc charitate, nunc natura, nunc sanguine, nunc etiam religione, qua hodie dicit Paulus, *filii mei* : sive quia per baptismum, cum regeneratio fit, ille qui baptizatum perficit, vel perfectum suscepit, pater dicitur (2) : sive quia cum renovat illos in Christum, facit filios suos; ideirco adjecit *quos ego parturio*, id est in lucem proferre cupio, magnisque doloribus animæ meæ nasci ad vitam cupio et ad salutem : hoc est enim quod ait *donec formetur Christus in vobis*. Omnis enim anima Christum recipere potest : anima, inquam, hominis si ratione utatur, si cognoscat mundum ut non suum, si omnia in mundo discernat, si creatorem suum recognoscat, recipere Christum potest; imo in ipsa illa anima Christus formatur, id est spiritus; quo insito et crescente per credulitatem liberatur, et ad cœlestia regna pervenit, et salutem consequitur lucis æternæ. Magna autem vis et potentia est, quod ait, *donec Christus formetur in vobis*. Atque iste sermo, qui nunc noster est, expositionem verborum simplicem tenet; unde quantum satis esse credimus, supra diximus. Quid sit autem Christus, quidve formari Christum, et in homine formari, altior veriorque expositio alibi a nobis panditur ac explicatur.

Vers. 20. — *Vellem autem nunc adesse* (3) *apud vos, et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis*. Per epistolam hæc præcepta, ut cernimus, dantur. Magna autem indignatione hoc sumptum ut diceret, utinam apud vos nunc essem et mutarem vocem meam! non quo evangelium aliter pronuntiarem, sed in iracundia exprimerem. Nunc monet, per epistolam, quam mittit : adjecit autem causam justæ iracundiæ, quia dixit *confundor in vobis*, id est pudore crucior, quod cito conversi estis, qui fidem tantam perditis, qui laborem et evangelium et insinuatam veritatem non tenetis. Hinc enim mihi de vobis efficitur magna confusio. Denique si iracunde quidem cum tentatione, tamen subjunxit.

Vers. 21. — *Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis?* Ex ipsa lege cupit illis persuadere, ad quam

(1) Confer Vulg. quæ hunc locum sic exhibet : *Testimonium enim perhibeo vobis, quia*, etc.

(2) Codd. *vellitis*, mox factum *velitis*. Malui *velletis*.

(3) Hunc locum sic habet Vulg. ed. : *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?*

(4) Hi versus sic leguntur in Vulg. : *Æmulantur vos non bene : sed excludere vos non volunt, ut illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono semper, et non tantum cum præsens sum apud vos.*

(1) Vulg., *filioli mei.*

(2) Notemus morem veterum suscipiendi baptizatos, eosque patres appellandi habendique qui baptizaverant et qui susceperant; quæ est spiritalis in ecclesiastico jure cognatio.

(3) In vulg. deest *nunc* et pro *adesse* legitur, *esse.*

Digitized by Google

transitum fecerunt : si modo enim ipsam legem legant, ex ipsa, inquam, lege persuadere nititur, ut intelligant quia scriptum ita est, ut in Christum credatur (1), et credulitas sumpta in Christum, sit tota liberatio, et tota salus, et omnis beatitudo. Qua ergo indignatione, ait, dicite mihi? Non vos ego moneo, sed vos ipsi respondete mihi, nempe in legem transistis, et *sub lege esse vultis*, et tamen *legem non legistis*, in qua scriptum ita est. Et subjungit, unde probet quid sit lex Judæorum et disciplina, et quæ spes, et quæ fides, et quid sit in Christum fides, et quæ spes et beatitudo.

Vers. 22. — *Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, unum de libera.* Hoc exemplum de Genesi est : hoc probatum cupit quod lex, quæ Judæorum est, et omnis populus veluti de ancilla filius sit : porro autem Ecclesia et Christiani, filius de libera est. Hoc enim scriptum est, quod Abraham, qui pater est fidei, habet unum filium de ancilla ; id est de Agar ; et alium de libera, id est de Sara Isaac : significans utique duos populos, sed istum meliorem, qui de libera est : in figura enim Christi Isaac. Denique sic subjungit.

Vers. 23.—*Sed is quidem* (2) *qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera, per repromissionem.* Etenim qui de ancilla natus est, carnalis est filius ; qui autem de libera, spiritalis est, propterea, quia a Deo promissus est. Deus enim ei promisit credenti, qui cum jam pene annos centum et ipse et uxor nati essent, filium habituri essent. Ergo cum vel emortuo semine, vel emortua etiam vulva, ambo jungerentur, non jam de carne, sed de spiritu, procreaverunt filium, quem procrearunt : et hæc fuit repromissio, illos cum habituros. Sed nos duos istos filios comparabimus, simulque et matres populi, ecclesiis Judæorum et Christianorum. Paulus vero aliter interpretatus subjungit ita.

Vers. 24 et 25. — *Quæ sunt per allegoriam dicta...* Sic utique nos interpretati sumus, quasi per allegoriam. Cum aliud dicitur, aliud significatur (3), hæc allegoria est, ipsam tamen allegoriam interpretatur Paulus, ut ipse subjungit : *Nam hæc sunt duo testamenta, unum quidem ex monte Sina, in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei qui* (4) *nunc est juxta Hierusalem.* Populus Judæorum, inquit, vel testamentum vetus significat filium ex ancilla : ancilla autem quæ ex monte fuit Sina. Quod autem in servitute erat ancilla, ideo et hic populus in servitute est. Quod autem fuit Sina mons conjunctus ei civitati, quæ Hierusalem est, ex ipso monte intelligi civitatem voluit, et per civitatem Judæos : per montem autem illa, quæ erat ex eodem monte Sina, ancilla fuit, et in servitute generavit; idcirco etiam Hierusalem, id est populus ejusdem civitatis, et testamentum quod scriptum est de eadem civitate, in servitute est cum filiis suis.

Vers. 26. — *Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, mater omnium nostrorum* (1). Ad illum populum redit, id est ad filios Abraham, qui sunt de libera, dicitque et istam Hierusalem, quam liberam nominat, esse in cœlis. Hoc est quod ait *quæ autem sursum Hierusalem* et quæ supra cœlos est, utique quia non in mundo est, non servit. Hæc igitur cum populis suis libera est Hierusalem, et hanc dicit esse matrem omnium nostrum, id est Christianorum; illam vero Judæorum. Quid sit istud, Hierusalem esse supra cœlos, et esse et in terra Hierusalem? Unde intelligi licet, et hic terram et ibi terram supra cœlos (2) : neque enim Hierusalem, quæ civitas est, sine terra est. Ergo quid sit istud inquam esse, et hic et ibi terram esse, et hic et ibi civitatem, sed illam liberam, hanc servam, alius tractatus est longus : modo, illud teneamus, illam esse nostram, ad illam esse festinandum. Moneo enim nunc interim illam esse spiritalem, quæ superior est ; hanc esse carnalem, quæ sit inferior.

Vers. 27.—*Scriptum est enim : Lætare sterilis, quæ non paris ; erumpe et clama, quæ non parturis; quoniam multi filii desertæ magis quæ ejus quæ habet virum.* Hoc exemplum de Isaia est, ad excludendum id quod maxime persuadere cupiebant, id est ut disciplinam quam sibi Galatæ assumpserant cum Christi veneratione et fide in Christum, observarent tamen etiam judaicam disciplinam. Ad hoc, inquam, excludendum, ut illam rejicerent, et solum evangelium de Christo haberent, assumpserat superius exemplum, quo doceret Abraham duos filios habuisse, unum de ancilla, alterum de libera. Illa autem libera, quæ vere uxor fuit, sterilis erat, neque enim edidisset partum, si non Deus repromissione sua ei filium præstaret. Unde intelligitur, non ex admixtione (3) inter se corporum, sed ex promissione Dei Abraham filium habuisse; siquidem hic filius liberæ, qui Isaac fuit, de sterili natus est, spiritu quodam potius conceptus quam copulatione. Hæc igitur sterilis, quæ filium fecit Isaac, qui ad imaginem et typum Christi natus est, ipse est qui liberavit populum. Cum igitur dicit *lætare sterilis quæ non paris*, quia tibi Deus filios facit; item cum dicit, *erumpe quæ non parturis ;* sine dolore etenim tibi filii creantur ; parturire enim, in dolore esse est, cum partus effunditur (4) : quod utique non eodem modo est, cum Ecclesia, quæ imaginem tenet, vel cujus imago fuit uxor illa Abrahæ libera ; Ecclesia, inquam, est, quæ filios multos habet, quos Dei filios, et spiritus filios cum lætitia magis habet, non cum dolore. Hos igitur dicit esse *multos filios desertæ*. Etenim illa ancilla, et si

(1) Cod. *conferatur.*
(2) Vulg. omittit *is quidem.*
(3) Vulg. habet *In monte*, etc.
(4) Vulg., *quæ nunc est Jerusalem.*

(1) Vulg., *Illa autem, quæ..... quæ mater nostra est.*
(2) Curiosa sine dubio quæstio, supra cœlos aliam terram compertum iri. Num innuit millenariorum aliquam opinionem Victorinus?
(3) Codd. *adsumptione.*
(4) Codd. *ei funditur.*

Digitized by Google

habuit filium, habuit ex dolore, habuit ex viro. Ergo cum dixit, *multi filii desertæ*, ad Ecclesiam retulit, cujus imaginem et typum præstitit supra. Deinde cum dixit, *multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*, ostendit quod supra, sine viro sed spiritaliter filium habuit. Numquam enim huic virum daret, nisi illa virum non viri conjunctione sensisset, sed spiritali promissione suscepisset. Et certe *multi*, inquit, *filii desertæ*. Utique cum Sara filium habuerit, non referendum ad Saram, sed ad Ecclesiam quæ multos filios habet : ut sit illa, quæ virum habet, lex et Ecclesia Judæorum, quæ corporaliter consentit, corporaliter cum sibi jungitur, filium spiritaliter habere non potest.

VERS. 28. — *Vos autem fratres secundum Isaac, promissionis filii estis* (1). Satis aperte comparatione B ista separat, ut Judæi filii videantur ancillæ, at vero Christiani filii liberæ. Ut enim promissus Saræ filius spiritalis est ; sic etiam vos qui fidei filii estis, filii liberæ secundum Isaac : hoc est secundum fidem filium habuerit Isaac. Fit ergo omnis filius, qui secundum fidem est : secundum fidem enim spiritaliter accipit filium, et spiritalem filium Isaac.

VERS. 29.—*Sed sicuti tunc, qui secundum spiritum erat, sic et nunc* (2). Plena expositione ostendit, quod qui secundum carnem natus est, id est ex ancilla, persequebatur eum, scilicet Isaac, qui secundum spiritum erat, sicuti in Genesi lectum est : et nunc isti persequuntur, qui secundum carnem intellectum habent, eos qui secundum spiritum vivunt, id est Christianos. Denique ut totius argumentationis vim, quam C concepit, ostendat, subjungit ista.

VERS. 30.—*Sed quid dicit Scriptura ? Ejice ancillam, et filium ejus ; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (3). Satis aperte declarat ex hoc exemplo, quod est in Genesi, quoniam quicumque sentit, et legem Judæorum sic accipit, ut carnaliter accipiat, secundum carnem est filius, de quo etiam lex pronuntiavit deditque sententiam, ejiciatur ancilla et filius ejus, propterea quia hæres esse non poterit ancillæ filius cum filio qui est ex libera, qui est Isaac. Ergo vos quoque quia adjunxistis observantiam legis secundum carnem, ut facilius hæredes esse possitis, estote filii liberæ, id est christianismum, solum legemque Christi atque evangelium in Christum suscipite, nihilque quasi ex ancillæ filio habitote, id- D est sequimini judaicæ disciplinæ.

VERS. 31. — *Ergo, fratres, non simus* (4) *ancillæ filii, sed liberæ*. Ipse aptius hoc subjungendo declarat, quod jam qui Christum accepistis et meam fidem, ancillæ filii non estis, id est non carnaliter sentitis, quoniam ancillæ *filius* carnalis est ; sed estis filii liberæ, id est fidei filii. Hoc enim Isaac fuit secundum fidem et promissionem, filius spiritalis. *Qua libertate Christus* A *nos liberavit* : illa scilicet libertate, qua mater est nostra libera, quæ libera est, fide scilicet : hæc enim vera libertas est, fidem servare in Deum, et Deum et Dei promissa omnia credere. Ergo secundum fidem nos Christus ad libertatem reduxit, et libertate fidei liberavit.

CAP. V. — VERS. 1. — *State ergo* (1), *et nolite iterum jugo servitutis contineri*. Subjungenda hortatio fuit, ut in iisdem, quæ per evangelium a se acceperant, perseverent, ne revertantur rursum ad legis (2) servitium. *State*, inquit ; quod non permittitur ei qui sub jugo est ; etenim ille deponit cervicem submissam (3) : non ergo stat. *Vos*, inquit, *ergo state* ; quod est liberis membris erectum habere corpus, *Nolite*, inquit, *iterum jugo servitutis contineri*, quia antea vel legi serviebatis (4) vel gentilitati. Ideo iterum ait, ne (5) ad eamdem revertamur.

VERS. 2.— *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Aperte ostendit, non prodesse Christum, si aliqui (6) in circumcisione spem ponat, et in circumcisione carnali. Ergo cum vos jungitis Judæorum morem et præcepta et disciplinam, si in his ponitis salvationem et liberationem, dico, inquit, vobis, et dico Paulus scilicet, qui vobis ante promisit cum in evangelium Dei vocavit, Paulus, inquit, ego nego vobis prodesse et in nullo auxilium ferre Christum, *si circumcidamini*, si omnem spem in circumcisione ponatis. Quamquam Galatæ videntur et accepisse Christum, et jungere judaicam disciplinam, tamen affirmavit et personam suam veluti obligavit, id quod loquitur dicendo, *nihil proderit vobis Christus, si circumcidamini*. Videri ergo potest, nescio quid occultum : quippe cum Christum sequantur Galatæ, et Christum sequentes spem salvationis in eo ponant, quomodo hoc confirmaverit Paulus, quod Christus nihil proderit si circumcidantur Galatæ ? Servato autem animo et fide circa Christum, aliquid amplius faciunt, non tamen Christum derelinquunt, aut non in Christo fidem ponunt. Sed redeamus ad animum et propositum et voluntatem. Cum Christum a Paulo acceperint, et fidem in Christum sumpserint, et hoc sit verum evangelium, utique a Christo minus accepturos se putaverunt, quod est jam blasphemiæ, et fidem non habentium, ex eo quod post acceptum Christum circumcidi voluerunt, et servire legi et operationibus. Quod si ita est, fides nulla in Christum : ex eo quod et aliud quod prodesse possit adjungitur, merito *nihil vobis proderit Christus*.

VERS. 3. — *Testificor autem* (7) *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*. Ne putarent Galatæ tantum sibi ex lege, quæ

(1) Vulg., *nos.... sumus*
(2) Vulg. : *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, ita et nunc.*
(3) Vulg., *cum filio liberæ.*
(4) Vulg., *Itaque, fratres, non sumus.*

(1) Vulg., omittit *ergo.*
(2) Codd. *intellegis* pro *ad legis.*
(3) Codd. *ulla deponit cervice summissa.*
(4) Codd. *servitutis.*
(5) Codd. *si* pro *ne.*
(6) *Aliqui* pro *aliquis* ; ut est in Cicerone observatum.
(7) Vulg. addit *rursus.*

Digitized by Google

Judæorum, certa assumenda esse, ut circumcisionem; cætera vero contemnerent, vel in cibis, vel in observantia dierum, vel in conjunctione, quæ qualis, et quarum rerum sit, in lege retinetur, in quibus omnibus quædam supervacua, quædam quasi nefanda, sic relinquuntur a vero christiano atque castissimo. Unum tantum memorabo, cum excitandi seminis causa fratri jungitur uxor fratris : et cætera hujusmodi aut fiunt aut leguntur acta : item cætera quæ dixi de cibis, deinde de observationibus, multisque etiam aliis rebus : quæ etiam assumenda sunt, inquit, ei qui se circumcidit. Quod si non facitis alia, frustra circumcisionem adhibuistis. *Testificor* enim quia *omni homini circumcidenti se*, fit necessitas, ut sit debitor ad universa, quæ legis sunt, facienda. Facit igitur illos et in lege illa, quam assumpserunt, peccatores esse, ex eo quod non omnia faciunt, et eligunt quæ facienda : et rursus circa legem, quæ Christi est, et circa evangelium omnino aberrant, et magis aberrabunt, si omnia, quæ legis sunt, faciant. Denique subjungit ex hac parte jam, qua agunt quædam quæ Judæi, ex hac, inquam, parte, quod a Christo videantur alieni.

Vers. 4.—*Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Omnis enim virtus in Christum credentis, in gratia est Dei. Gratia autem non ex meritis, sed ex Dei pietate est : ergo jam *a gratia excidistis*, si in lege justificationem vestram ponitis; ut quia operibus servitis, quia sabbatum observatis, quoniam circumcisi estis, *excidistis a gratia*, et *evacuati estis a Christo*. Jam enim non a Christo spem habetis, neque secundum ejus passionem et resurrectionem speratis gratiam vobis, si a lege justificationem creditis advenire.

Vers. 5.—*Nos enim in spiritu et* (1) *fide spem justitiæ expectamus.* Christiani, inquit, et qui Christum sequuntur, et in spiritu et in fide spem habemus, et in Dei justificatione non ex operibus. Omnis enim virtus mysterii hoc operata est, ut nobis per gratiam et Dei pietatem relaxatio fieret peccatorum, et vita æterna præstaretur, ut sæpe docuimus, ex Dei gratia, non ex operibus aut meritis. Hoc autem per spiritum contingit. Cum vero ex operibus justificatio speratur, non ex spiritu spes est. Hoc nos expectamus, et hoc est evangelium Christi sequi.

Vers. 6. — *Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium ; sed fides quæ per charitatem operatur.* Ubique ponit circa fidem in evangelium Christi, neque circumcisionem (2) valere, neque facta circa corpus, aut facta de corpore, aut propter corpus, ut circumcisio, ut opera, ut cætera hujusmodi : nihil horum, inquit, in Christo valet : frustra circumcisio est. Neque ex eo quod præputium est, valemus in Christo ; sed quia fidem in eum suscepimus, et quia promissa ejus credimus, et quia ex resurrectione ejus nos quoque resurgimus, et omnia cum eo perpessi sumus, et cum eo ad vitam, per eum tamen, resurgimus ; certa nobis fides est, per quam fidem operatio fit ad salutem, et per charitatem accipere nos oportere, quam habemus in Christum et in Deum, et exinde circa omnem hominem. Duo enim hæc maxime omnem vitam corrigunt et omnem vim legis implent, et omnia illa, quæ præcepta sunt in decalogo, continent (1). Si fidem qui (2) servet, sequitur ut servet charitatem, quæ duo implent omnia, quæ lex Christi præcepit. De his rebus sæpissime tractavi, quod fides liberet, et charitas ædificet.

Vers. 7. — *Currebatis bene ; quis vobis* (3) *impedivit?* Id est bonam fidem circa evangelium habebatis ; quare mutati estis? quare, quasi fascino quodam, ab integro cursu revocati? Illud enim quod vos per evangelium docui, integrum verum fuit ; hoc et falsum et contrarium, et nihil profuturum. Hoc est quod adjungit : *Veritati non obedire. Quis vos*, inquit, *impediit, veritati non obedire?* Etenim in nobis veritas est : huic obtemperare debuistis, ne quid aliud observaveris. Ergo primum veluti miratur cum dixit, *quis vos impedivit.* Postea jam monet, quid faciendum, *nemini consenseritis.* Omni genere pugnat, ne mutent sententiam, et adjiciant aliquid extra quam quod illis præceptum est per evangelium a Paulo. Nolite, inquit, consensum aliis accommodare.

Vers. 8. — *Suasio vestra ex Deo est, qui nos vocavit* (4). Id est quod vobis vel suasum a me est, vel quod ipsi jam suasum habetis a Deo, qui vos vocavit, sicuti supra dictum est, *quos vocavit et prædestinavit :* cætera quæque per ordinem dicta sunt.

Vers. 9. — *Nescitis quia modicum fermentum universam massam corrumpit?* (5) Omne fermentum corruptio est panis et corruptus panis farina, et massa farinæ dum dimittitur coacescit, et hinc fermentum efficitur. Modicum autem fermenti, cum in massam mittitur, corrumpitur massa. Oportet, inquit, vos azymos esse. Ergo illud quod putatis modicum vos adjecisse, id est, ut observetis circumcisionem, istud modicum quia corruptum est, corrumpit massam evangelii nostri, ut non plenam spem in Christo habeatis, neve vos Christus, ut suos ac de se spem habentes respiciat : fides enim liberat : et, ut diximus, fidem non habet, qui præter Christum aliquo modo auxilium, licet cum Christo, sperat.

Vers. 10. — *Ego confido de* (6) *vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Bene jam de futuro confido, inquit, quia nihil aliud habebitis in corde et sapientia, nisi ut fidem tantum habeatis in Christum secundum evangelium meum. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque fuerit* (7). Et illos terruit, qui seducebant, et istos per minas judicii futuri : qui vos, inquit, perturbat, *porta-*

(1) Vulg. habet *ex fide.*
(2) Codd. *conditionem.*
(3) Codd. *continentur.*
(4) *Qui* pro *quis*, ut *aliqui* pro *aliquis.*
(5) Vulg. habet *vos* pro *vobis.*
(6) Vulg. habet, *Persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.*
(7) Vulg., *Modicum fermentum universam massam corrumpit.*
(8) Pro *de* Vulg. habet *in.*
(9) Vulg., *quicumque est ille.*

Digitized by Google

bit judicium. Sufficit autem judicium nominasse, in quo utique non dici debuit quod pœnam patientur, sed vero judicium (1). Deinde præmisit, quod judicium futurum ab ipso est. Expressit autem jam metum pene, cum dixit portabit.

VERS. 11. —*Ego autem, fratres, si circumcisionem* (2) *prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Alienum se a præcepto, quod illi jungendum putaverunt, omni genere probat. Patitur persecutionem a Judæis. Qua causa? nisi quia circumcisionem non prædico. Ergo non vobis in Evangelio circumcisionem prædicavi: ex eo quod Judæi me persequuntur. Adjungit et aliud argumentum, ut ostendat quod circumcisionem non prædicat. *Ergo evacuatum est scandalum crucis?* Frustra est, quod pœnam merentur, qui in crucem Christum sustulerunt, et evacuatum est illud, quod male factum est. Hoc est enim scandalum crucis, unde et conturbabantur (3) Judæi. Jam hoc non ad prædicationem suam tantum revocavit, sed et ad rei virtutem. Ideo enim non prædico, quia *scandalum* crucis manet, nec evacuatum est. Debent ergo pœnas. Quod si debent Judæi, qui scandalum crucis effecerunt, superest ut et ego non prædicem, et vos circumcisionem non sequi debeatis.

VERS. 12. — *Utinam abscidantur, qui vos conturbant!* Maledicto persecutus est eos qui his injiciunt novas persuasiones, et conturbant. A veritate evangelii abscidantur, inquit, vel a se separentur, vel pœnis lacerentur. Magna autem fiducia maledictum in eos ingessit, ut ostendat illos non timeri a se, a quibus supra dixit, persecutionem patiatur. Ita nec persecutionem timeo, quia vera prædico, et circumcisionem non prædico, nec pati persecutionem timeo. Utinam abscidantur qui vos conturbant! non solum circumsecentur, sed abscidantur etiam: ut hoc quoque verbum ita sit positum quod ad circumcisionem pertinet, ut sit et abscisio (4).

VERS. 13.—*Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertate in occasionem carnis abutamini* (5). Etenim lex Christi, quæ spiritalis est, libertatem dat, qua exeamus a mundo, et ad patrem et ad originem revertamur. Sed quoniam adhuc in mundo sumus, id est in carne, non debemus istam, quam accepimus, libertatem ita exercere, uti secundum carnem ambulemus; et quasi occasio nobis sit etiam faciendi in carne, quoniam liberos nos esse confirmat fide circa Christum. *Per charitatem Spiritus servite invicem.* Libertatem datam accepimus, tamen servire nobis invicem debemus per charitatem, et spiritus charitatem, non carnis.

VERS. 14. — *Universa enim lex in vobis uno sermone impletur.* Frequenter hunc sensum et posuit, et nos tractavimus; quia tota lex, et omnis operatio legis, hoc sermone impletur, id est charitatis: qui enim diligit alterum, neque mœchatur, neque furatur: et hoc est, et Christum diligere: et ea quæ ostendit decalogus, quodammodo in hoc solo præcepto implentur, sicuti in superioribus diximus. Subjungit autem ipse exemplum de Exodo. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Omnem autem hominem, proximum accipere debemus; et tunc etiam proximum Christum habebimus. Ergo et vos quoque diligite vos, sed in spiritu. Hinc jam videtur, quasi omissa superiore quæstione atque tractatu, præceptum ad exhortationem dare ut discordiam non ament, sed se invicem diligant. Hoc autem fieri potest, si vos invicem diligatis, et in spiritu diligatis non in carne, neque in carnis opera, neque in observatione carnis. Nihil enim fraudat, nihil alteri eripit, neque nocet, neque contemnit, neque objurgat is qui alterum diligit.

VERS. 15. — *Quod si mordetis et accusatis invicem, videte ne consumamini ab invicem* (1). Exhortatio ad concordiam (2) ex hoc fit, dum docetur quid mali discordia faciat: si enim vos invicem accusatis atque mordetis, id est, nocere vultis vel nocetis, invicem vos consumetis. Ergo amate vos et diligite invicem, et implebitis legem sola charitate: non, sicut vos putatis, vel circumcisione vel operibus cæteri-que rebus pertinenter. Ergo appositum hoc de charitate, juxta tractatum superiorem, quo docebat illos extra Evangelium, quod ab ipso Paulo illis fuerat pronuntiatum, quod observare illi se legem putarent in circumcisione et operibus; cum solo hoc plena lex sit, si se invicem diligant.

VERS. 16.— *Dico autem vobis, spiritu ambulate, et desiderium* (3) *carnis non perficietis.* Tota virtus evangelii hæc est, secundum spiritum vivere, secundum spiritum credere, nihil carnis in animo habere et in actu et in vita; id est neque spem de carne suscipere. *Ambulate* ergo, inquit, *in spiritu*, id est, vitam agite: quod si facitis, carnis desiderium non perficietis; id est nullum peccatum admitteris, quod nascitur ex carne: alia enim cupiditas nulla nisi de carne. Ideo subjungit.

VERS. 17.—Nam caro concupiscit adversus spiritum, *spiritus autem adversus carnem* (4). Ut omnino isti intelligant, nihil se de carne cogitare debere, quod est in circumcisione et cæteris ex judaicæ disciplinæ observationibus, cum inter se doceat ista adversa: non solum concupiscit caro, sed etiam adversus spiritum concupiscit. Habet enim motus suos caro, habetque sensus, neque tantum ab anima suscitantur: quod intelligi licet etiam in his quæ animam non habent; ut in aqua, *quæ* impetus suos habet et virtutes suas, vel in sapore, vel in motu, vel in qualitate vel quantitate: item ignis pariterque terra et cætera elementa, ex quibus quasi quædam consparsio (5) est et caro facta est ex humidis (6).

(1) Codd., *judicio.*
(2) Vulg. addit *adhuc.*
(3) Codd. *conturbabuntur.*
(4) Codd. *abscio.*
(5) Vulg., *tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.*

(1) Vulg., *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.*
(2) Codd. *exhortatio concordia.* Eleganter Hieronymus, ad v. 13.: *Per charitatem nobis invicem serviamus, ut laciniosæ legis præcepta uno dilectionis capitulo concludantur.*
(3) Vulg., *desideria.*
(4) Codd. pro *adversus carnem* habent *ad subjunctum.*
(5) Ita codd.
(6) Ab hoc versiculo 17 usque ad primum capitis VI, nihil commentarii est in codicibus. Prorsus au-

Digitized by Google

CAP. VI. — VERS. 1. — *Ii qui spirituales sunt* (1). Quasi ad unum ex ipsis, qui spirituales sunt, hoc ita protulit ut consideret unusquisque eorum, ne et ipse tentetur : et idcirco debeat succurrere et instruere ejusmodi hominem ; et spiritu dato per tractatum ad modestiam æqualitatemque revocare.

VERS. 2. — *Alter alterius onera portate.* Rediit ad pluralem numerum, ut omnis homo mala portet aliena ; et quod alter patitur, ferat, sustineat, corrigat, in quantum potest : hoc est enim portare onera, patienter ferre alterius vitium et corrigere. *Et ita implebitis legem Christi.* Sic enim et ipse patiens et mala nostra portavit, et pro malis nostris ipse sustinuit. Legem, inquit, Christi implebitis, non simpliciter legem.

VERS. 3 : — *Nam si aliquis existimat se esse aliquid, cum nihil sit, ipse se seducit.* Ratione nunc probat, ideo illum, qui se jactat gloriæ cupiditate, et corrigendum esse et instruendum in spiritu, quoniam miser ille est, qui se ipse inducit, fallit, decipit, qui se aliquid esse existimat, cum nihil sit. Etenim si hæc summa legis est, ut quicumque humilis sit, dejectus, infimus (2) ; ita enim ex infimis eligit Deus quos sublevet atque altos faciat ; omnis homo, qui sibi aliquid vindicat, et se extimat aliquid esse, sine dubio nihil est. Quid enim est in mundo aliquid, cum nihil sit in mundo? Et ita agere ceu (3) nihil sit in mundo, hoc est apud Deum aliquid esse. Porro si qui (4) in mundo aliquid se esse putat, vel sapientem vel intelligentem, vel dominum, vel regem, vel divitem, vel aliquid horum ; aut in divitiis, aut in animo, aut in arte, aut in virtute ; is, quoniam sapientia mundi stultitia est apud Deum, is, inquam, nihil est ; et cum nihil sit, ipse se fallit ac decipit.

VERS. 4. — *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero.* Magnæ exhortationes, magna etiam disciplina ! nemo, inquit, sibi aliquid vindicet, neque opinionem habeat quod aliquid sit : tantummodo *opus suum probet ;* verum ipse judicio suo probet unusquisque opus suum, ne malo judice usus, probet se bene fecisse, cum fortasse non bene fecerit. Ergo probet, et probatum faciat opus suum : quo probato opere, *tunc in semetipso tantum habebit gloriam, non in altero.* Etenim qui existimat aliquid se esse, jactat se et ab altero gloriam petit : qui autem opus suum vel ipse probat, vel aliis probat, de se ipso habet gloriam, et apud se ipsum, et non ab altero expectat. *Non enim,* inquit, *ab homine laudari volo, neque hominibus probari, sed Deo.*

VERS. 5. —*Nam unusquisque proprium onus portabit.* Onus in medio ponitur sive bonum sive malum. Ergo proprium, inquit, portabunt onus omnes, unusquisque proprium.

VERS. 6. —*Communicet autem qui catechizatur verbum, ei qui catechizat in omnibus bonis* (1). Sensus iste : κατηχίζειν est circumsonare vel juxta assonare, quod contingit cum aliqui initio christianus incipit esse, et illi Deus et Christus assonantur, et dicitur in aures ejus, atque in animum immittitur : hoc est qui catechizatur verbum : id est per verbum si qui catechizatur, ut ei assonetur per invocationem. Is agitur *qui catechizatur verbum, in omnibus bonis communicet ei qui catechizat ;* id est in nulla re non ei communis sit ; in omnibus tamen communis sit illi, qui catechizat verbum, ut omnia in communione cum eo habeat, sed omnia quæ bona sunt. Cum enim supra dictum sit, *Instruite hujusmodi hominem in spiritu modestiæ,* utique bonum est quod catechizat ; et is qui catechizat verbum hoc tam bonum, in bonis catechizat. Igitur *qui catechizatur verbum, communicet ei qui catechizat.*

VERS. 7. — *Nolite errare ; Deus non deridetur* (2). Subjungit præceptum aliud quod quidem generale ad omnia, pertinet tamen ad id quod supra actum est, ne illi aliud præter evangelium sequantur ; id est ne adjungant etiam Judæorum disciplinam et opera. *Nolite,* inquit, *errare ;* nam ista omnia extra evangelium quæ assumuntur, errata sunt. Et adjunxit vim necessitatis ad præceptum : *Deus,* inquit, *non deridetur.* Non dixit, *Deus enim omnia scit ;* ne sperent quasi vel veniam erroris sui, vel quod absconditum esse possit : *non,* inquit, *deridetur.* Et subjungit quid futurum sit his qui in terra vitam tenent.

VERS. 8. — *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Id est qui triticum seminat messem habebit de tritico ; si autem seminat zizaniam, hoc et metet : malum seminat quicumque messor est mali. Bonum seminat? fructum de bono accipiet : ita et messis ut semen est. *Quia qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam.* Galatæ qui Judæorum disciplinam assumendam sibi putaverunt, ut observarent sabbata et circumcisionem susciperent, et alia hujusmodi carnaliter scientes agerent, spem in carne haberent et de carne. Quicumque ergo in carne spem habet, et seminat spem suam circa carnem, habebit messem de carne ; quem tamen fructum corruptionem, inquit. Etenim caro corrumpitur, et hic est ejus exitus ut corrumpatur, putrescat, pereat, intereat. Omnia ergo enim quæ de carne sunt putrescunt, corruptionem habent : nemo enim de carne sperare debet, nec seminare in carne, id est spem ponere in (3) carne. Nam si ibi posuerit spem, habebit fruc-

tem incredibile est Victorinum decem propemodum commata inexplicata reliquisse ; quare folium aliquod ex antiquo exemplari excidisse arbitror, unde vaticani chartacei derivati fuerunt ; quam lacunam vel non agnoverunt vel certe non commemorarunt recentiores amanuenses. Et quidem in aliam mox lacunam initio epistolæ ad Philippenses incurremus.

(1) Vulg , *vos qui spirituales estis.*

(2) Præclara enimvero doctrina, quod in christiana humilitate cardo religionis et summa versetur ! Atque hæc doctrina mirabilior in homine est, qui tantis honoribus inclaruerat, ethnicusque ad senectutem usque vixerat. Consonat autem Hieronymus epist. 108. 15 : *prima Christianorum virtus humilitas.*

(3) Codd. *cum.*

(4) *Si qui* pro *si quis.*

(1) Vulg. : *Communicet autem is qui catechizatur verbo ei qui se,* etc.

(2) Vulg., *irridetur.*

(3) Codd. *de.*

Digitized by Google

tum de carne. Quem fructum? Interitum, corruptionem. Illic enim fructus est carnis. Ergo melius est spem ponere (1) in spiritu, ut possimus spem habere de spiritu : quæ spes est de spiritu, et qui fructus de spiritu; hoc est seminare in spiritu, id est vitam æternam. Etenim hæc vita est, non æterna vita. Qui autem in spiritu, hic vivit, et secundum spiritum agit, nihil operatur carnaliter, seminat sibi vitam æternam, et hæc erit messis ei, ut hinc recedens accipiat vitam æternam.

Vers. 9. — *Bonum autem facientes non deficiamus.* Parum est bonum faciamus, neque enim continuo meritum nostrum Deo probabile est, si bonum faciamus, sed si *facientes non deficiamus.* Multi enim incipiunt, multi quasi perseverant, postea tamen desinunt vel fatigati vel seducti : merito monuit non deficiamus quolibet modo, ne deficientes quod cœpimus relinquamus, cum bonum facere cœperimus. *Nam tempore suo metemus, non deficientes.* Pulchre adjectum. Multi enim in hoc vitæ genere quod (2) bonum dicitur, si aliquid mali patiantur, putant se sine causa facere cum bonum faciant, et defatigati desistunt bonum facere. Quid ergo adjunxit? Non deficiamus, quia licet hodie non consequamur (3) fructum bene faciendi; postea, inquit, *metemus;* id est messem habebimus boni facti nostri, si non defecerimus in bene faciendo.

Vers. 10. — *Ergo dum tempus habemus, operemur.* Maximam necessitatem dedit ad bene faciendum : imminet tempus, cito finitur vita, jam finis est mundo. *Dum,* inquit, *tempus habemus* vel vitæ nostræ vel istius vitæ in mundo, *operemur bonum,* et *ad omnes* operemur, ut nulla sit exceptio personarum, nulla alia actio; sed *bonum operemur,* et *ad omnes* bonum operemur. Etenim si charitas ædificat, omnem autem hominem charum habere debemus, omne bonum quod operamur, ad omnes operamur. *Maxime autem ad domesticos fidei.* Dixit, *ad omnes bonum operemur :* facit tamen gradum ut bonum quod operamur ad omnes, maxime bonum operemur ad eos qui domestici fidei sunt, id est qui fidem in Christum et in Deum susceperunt. Magna conclusione id in exhortando posuit, quod ad Galatas maxime pertinebat : etenim illi adjungentes etiam quædam de judaismo, non ex fide agebant, sed quasi, ex operibus credebant et ex observatione carnali habituros se fructum, idcirco adjunxit, maxime bonum operemur ad domesticos fidei, quod solam fidem in evangelium susceperunt, id est in Christum et Deum.

Vers. 11. — *Ecce quantis* (4) *litteris scripsi vobis mea manu!* Ut ostenderet familiaritatem, et ne pudori illis sit quod alii sciunt illos vel peccare, vel corrigi, manu mea, inquit, scripsi vobis, et ex charitate signum dedit. Et vobis facilis est mutatio vitæ cum a me corrigitur, cum mihi tantum conscientiam debeatis.

Vers. 12. — *Quicumque volunt placere in carne ii compellunt vos circumcidi.* Aperte ipsum illud quod arguebat in Galatis quod transirent mandatum evangelii, per speciem collocat quod se circumcidere voluerunt. Omnes, inquit, qui volunt placere in carne, ii vobis persuadent ut circumcidamini, quod tantum est in ipso solo opere ut circumcidamini, non in auxilio aliquo ad salutem. *Tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.* Æstimantes, inquit, pœnas se non daturos, quod in crucem Christum sustulerunt et persecuti sunt, si ad evangelium, id est ad confessionem de Christo, adjungatis vel ipsi adjungant etiam circumcisionem. Sed et in eo peccant, ut cum spes tota de Christo sit et de ejus magis cruce, putemus etiam de circumcisione, vel putent illi; et idcirco persuadeant quasi non pati habeant persecutionem crucis Christi, id est quod Christum in crucem sustulerunt.

Vers. 13. — *Neque enim qui circumcisi sunt* (1) *legem custodiunt.* In Christo enim neque præputium neque circumcisio valet. Quam igitur legem dixit? Vel illam quæ spiritaliter intelligenda est, vel istam quam Christus dedit, quæ sine dubio et spiritalis est et spiritalia docet et spiritaliter agenda est. *Sed volunt vos circumcidi, ut in vestra carne glorientur.* Ostendit astutiam eorum, qui persuadent ut videantur vobis persuasisse, *ut in vestra carne glorientur,* cum tamen nihil prosit circumcisio; sed sola illis gloria quæritur, ut in vestra carne facta (2) se æstiment obtinere quod sine hac spes nulla sit; ut jam vicisse videantur, ne de solo Christo spes sit, nisi adjuncta etiam judaicæ legis in circumcisione fuerit disciplina.

Vers. 14. — *Mihi autem absit gloriari in nullo* (3). Ante gloriam illorum reprehendit : namque illorum gloria est in carne gloriari : at ego, inquit, in nullo glorior neque in carne, neque in homine, neque in aliquo horum, neque in me ipso. Et jam dictum et sæpe admonitum, ut omnis qui gloriatur, in Deo glorietur, de quo supra tractavimus. *Nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Id est ut ibi spes tota ponatur, et inde sit gloria et gaudium : quod ibi in cruce Domini nostri Jesu Christi salus nostra est et æternitas quæsita. *Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Ipsa est gloria, crux scilicet Domini nostri Jesu Christi, quia (4) mysterio illo, dum carnem suspendit cruci, et in ea potentiam hujus mundi triumphavit, omnis mundus per illum crucifixus est. Sed quoniam catholicum ille corpus ad omnem hominem habuit, omne quod passus est catholicum fecit; id est ut omnis caro in illo crucifixa sit. Ergo et ego crucifixus sum, et mundo fixus sum. Ego, inquit, carnalis ille et de carne qui sentiebam, mundo fixus sum, id est cum mundo affectus ad pœnam.

Vers. 15. — *In Christo enim Jesu neque circumcisio*

(1) Codd. *habere.*
(2) Codd. *cum.*
(3) Codd. *consequitur.*
(4) Notabilis lectio *quantis* pro *qualibus.* Et quidem legendus est hoc loco Hieronymus, qui a Chrysostomi interpretatione dissentit. Vulg. habet, *Videte qualibus litteris.*

(1) Vulg. : *qui circumciduntur.*
(2) Ita codd.; intelligitur autem vel *circumcisio* vel *gloria.*
(3) In vulg. deest *in nullo.*
(4) Codd. *qui.*

Digitized by Google

aliquid est (1) *neque præputium, sed nova creatura.* Quod supra tetigimus : quamquam ubique iste sensus sit, monet quid egerit mysterium, quod in Christo Jesu nulla persona sit, nulla discretio : omnes æqualiter, qui Christum sequuntur, æternam vitam merentur : non enim quia circumcisio, idcirco aliquid est in Christo : neque quia præputium est, ideo aliquid est in Christo : sed in quolibet horum, quicumque sit, si modo renascatur et mysterio novus fiat homo, valebunt omnes in Christo.

VERS. 16. — *Et quicumque hanc regulam sectatur, pax super illos, et super Israel Domini* (2). Conclusit ut hæc sola sit regula, in Christo sperare, neque discernere Christi virtutem præputio a circumcisione, sed nova creatura, quæcumque fuerit ; per Christum et in Christo plena spes et salutis et æternitatis et gloriæ. Hanc, inquit, regulam (non ut vos Galatæ tenere voluistis) hanc gloriam qui sectantur, *pax super illos* sit. Et adjunxit super *Israel Domini ;* non supra Israel quemcumque Judæum, sed *Israel Domini.* Etenim Israel vere Domini si Dominum sequatur, ut salvationem suam aliunde non speret. VERS. 17 : — *De cætero nemo mihi molestias præstet* (1). Id est ultra nemo peccatis suis faciat me anxium, tristem, molestias sustinere. Ita enim in principio diximus quod peccasse ægre tulerit et doluerit Monet igitur in postrema epistola, ut ii non ad peccata aliqua convertantur, ne molestias præstent. *Ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto.* Id est omnem passionem, et illa quæ in cruce toleravit, clavis figentibus, corpus vel vulnere lanceæ per latus, et cætera, inquit, stigmata Jesu Christi Domini nostri in corpore meo porto : id est et ego passus sum, et in mysterio conservio Christo, mysterium Christi patior : unde et vos adversa multa, omnia, tolerare debetis : quoniam cum Christo erit, qui cum Christo patitur, et ea quæ Christus passus est, et ipse actu suo adversantibus adversariis cœperit pati : ex quo ostendit, et quid ipse patiatur, quantum mereatur a Christo, et quid etiam nos pati debeamus, si volumus esse cum Christo. VERS. 18 : — *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres.* Conclusio fit epistolæ : precatio est et benedictio ut gratia sit ; sed cum spiritu, inquit, vestro gratia Domini nostri Jesu Christi ; ut quia in Christo vivitis, Christi gratia cum spiritu vestro sit.

(1) In Vulg. pro *est* legitur, *valet.*
(2) Pro *Domini* Vulg. habet, *Dei.*

(1) Vulg. : *De cætero nemo mihi molestus sit.*

VICTORINI

IN EPISTOLAM PAULI AD PHILIPPENSES LIBER UNICUS.

CAP. 1.— VERS. 15 (1).— *Posuit vel quatuor causas* vel quatuor personas, quæ annuntient Christum. Ex his duæ, prima et novissima, ex malignitate : duæ mediæ, ex bono animo et voluntate. Quod (2) inter se distent, prima et postrema : quod inter se, secunda et tertia, dicendum. Prima est de malignitate, propter invidiam et contemptionem : invidiam enim dixit quod sentiant (3) cum æmuli nobis sint. Postrema etiam est et ipsa de malo, ut, VERS. 17,—*quidam per contumaciam Christum pronuntiant* (4). Id est ut nobis noceant. Cum enim aperte Christum negent, finxerunt se annuntiare ; ut nos, qui eos adversarios putamus et credimus, doleamus ab his eadem pronuntiari quæ nos pronuntiamus : *per contumaciam* enim, inquit, non sancte neque caste, *pronuntiant Christum ;* sed ut nobis incutiant tribulationem et gemitum et dolorem ; ut pœnis et vinculis nostris se gaudere ostendant : quomodo dictum est ipsi Christo in cruce posito, si *filius Dei es, libera te,* ita et Paulo dicatur : *Deus tuus a vinculis te liberet ;* ille Christus Deus, Deus est ; sed tu tamen in pœnis es Hoc igitur modo distat hæc prædicatio malignorum ab illa superiore : illa non ut pœnas inserat vinculis apostoli, sed ut ipsi affectent gloriam prædicationis, cum per invidiam hoc faciant, non per intelligentiam et propriam voluntatem. At vero vel duplex causa, vel duplex persona, de bono sic se habet, quod quidam per bonam voluntatem Christum pronuntiant, quidam ex charitate. Hæ duæ causæ de bono adversæ sunt singulis de malo : namque ad primam respondit hæc quæ secunda est. Si enim primi, quia invident et quia contendunt, ideo prædicant Christum ; contra quidam de bonis per bonam voluntatem Christum annuntiant vere hoc sentientes, non invidentes nobis (1), sed quia bonum est quod sentiunt et habent bonam voluntatem circa Evangelium. Tertia autem quæ de bonis causa est, contraria est illi, quæ postrema est de malis. Nam si illa quæ de malis est postrema, talis est, ut quidam in nostram pœnam et tribulationem per contumaciam Christum pronuntient ; hæc de bonis contraria est, quia quidam ex charitate pronuntiant : hoc est me sequentes et chari mihi, non mihi insultantes : scilicet, inquit, *quod in defensione Evangelii positus sum* (2). Sciunt enim quia in defensione Evangelii sum, et idcirco pœnas has meas pro evangelio me sustinere : unde et ipsi ex charitate Christum pronuntiant, vel charitate in Christum vel charitate in me, non mihi insultantes, ut illi qui per contumaciam Christum prædicant ; non caste, sed *existimantes tribulationem* (3) *se suscitare vinculis meis.*

(1) Desiderari partem commentarii usque ad v. 15, capituli 1, res ipsa clamat : et tamen in codicibus nullum lacunæ indicium est.
(2) Malim *quid* hic et infra.
(3) Codd. *sed cum.*
(4) Vulg. *Quidam ex contentione Christum annuntiant.*

(1) Codd. *vobis.*
(2) Vulg. *Scientes quod in defensionem Evangelii positus sum.*
(3) Vulg., *pressuram.*

Digitized by Google

Vers. 18. — *Quid enim? dum omni modo sive sub obtentu sive veritate* (1) *Christus annuntietur.* Cum quatuor supra vel personas vel causas posuerit, ut Christus annuntietur, non se omnino (2) motum a malignis quia Christum prædicant, declarat et ostendit. Frustra enim illi existimant *tribulationem se suscitare vinculis meis.* Quid enim, aut quare moveor? aut quare in tribulationem mittor? cum enim gaudeam lætusque sim quod per omnem modum annuntiatur Christus : sive dum illi aliquo (3), suo obtentu vel aliqua sua occasione vel nocendi vel invidendi prædicant Christum, dummodo prædicent, sive veritate pronuntient. Eventus enim mihi plurimum placet, quod de Christo pronuntiant; et Christum et nominant, et Deum, sub alio licet animo, fatentur et Dei Filium. Hoc enim cum celebratur, exercetur, agitur, sic annuntiatur Christus ab omnibus, et nos ad id pervenimus quod volumus ut Christus annuntietur. Quod si ita est, frustra existimarunt me in tribulationem mitti. Denique sic subjungit : *Et in hoc gratulor, sed et gratulabor* (4). *Et gratulor*, inquit, etiam in hoc ipso, quod annuntiatur Christus. Non enim negant etiam illi qui nocendi modo (5), ut mihi noceant, Christum annuntiant : neque illi qui per invidiam Christum annuntiant, animi causa, et latenter, et *per* maligna verba, tamen Christum confitentur, et Christum annuntiant : *in hoc*, inquit, *gratulor et gratulabor.*

Vers. 19. — *Scio enim quoniam hoc mihi proveniet in salutem per orationem vestram, et subministrationem spiritus Christi Jesu.* Pene audaciter ac temere libenter accepisse et in gaudium accepisse, quod quoque modo Christus annuntiaretur etiam ab improbis, etiam per contumaciam, etiam per invidiam : sed hoc ex fiducia Dei, et benevolentia, et, ut ipse ait, ex subministratione Christi et spiritus ejus confirmo futurum; et scio futurum, quoniam istud quoquo modo (6), quod pronuntiatur, erit verum, eritque etiam ita ut ipse ille Paulus vult, qui vere annuntiat : et idcirco ait, scio enim quod hoc mihi proveniat in salutem : ut hoc quod illi, vel in perniciem meam pronuntiant, qui per contumaciam Christum pronuntiant, vel illi qui per invidiam et contentionem Christum pronuntiant, omnia tamen ita scio, quoniam mihi proveniant in salutem, subministrante scilicet Christo et spiritu ejus : secundum, inquit, quod expecto, et spem habeo, ita mihi fiducia est, ut nunquam mihi ipsi noceant, etiamsi alia causa pronuntiant Christum, ut ego pœnas patiar et crucier : tamen quoniam spes mea et expectatio est de Christo, proveniet id mihi in salutem.

Vers. 20. — *Quoniam in nullo erubescam; sed in omni fiducia, quemadmodum semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo* (1). Sequebatur uti non continuo in salutem provenire posset istud ipsum, quod maligni prædicant, quod per invidiam prædicant, quod per contumaciam prædicant, uti posset illi et perniciem afferre et pœnas, ut in catenis semper esset, verum etiam et in morte, sed utrumque. Nam apostolus prospiciens (2) dicit futurum esse ut Christus prædicetur quolibet in eventu : nunquam enim, inquit, *erubescam*, sed ex utroque et gaudio lætabor et gratulabor, et sicut *semper et nunc magnificabitur*, inquit, *Christus* : *in corpore*, inquit, *meo*; id est cum meum corpus pœnis subjectum omnibus tolerat universa, et Christum prædicat, nec desistit, nec pœnis terretur, et omnibus pœnis non cedit. Quid est autem omnibus pœnis, ipse exponit subjungendo *sive per vitam, sive per mortem.* Sive (3) enim tolerando pœnas vixero, prædicabitur Christus : sive sub pœnis mortuus fuero, magis ac magis prædicabitur; cum videant omnes me nec pœnis deterritum, nec morte revocatum, sed in evangelio aut vitam cum pœnis exegisse, aut usque ad mortem pœnas tolerasse, et tamen in evangelio prædicando perseverasse.

Vers. 21. — *Mihi enim vita* (4) *Christus est et mori lucrum.* Non igitur mortem timeo, quia mori mihi lucrum est : non ipsa mors lucrum, sed mori : vita autem Christus est, quia qui in illo sperat, semper vivit, et nunc et postea. Etenim cum dixerit, in corpore meo magnificabitur Christus, sive per vitam sive per mortem, ad vitam istam referens; si vincit eos, qui sibi parant insidias, et perseverat in Evangelio, gloriabitur vita ejus, quia in Christo gloriatur, non in catenis, non in salute, non si nihil patiatur. Si autem occisus fuerit, lucrum est mori, cum illi vita sit Christus. Sic (5) igitur singulis singula reddidit : ut ad mortem responderit, non timeo mortem, cum mihi vita sit *Christus :* sive in vita, sive in catenis licet me alligent, tamen *mihi vita Christus est*, et ipsum mori lucrum est, cum pervenio ad Christum. Sive utrumque hoc singulis superioribus datur, non timeo mortem, quia *vita mihi Christus est*, *et mori lucrum est :* sive cum vitæ mihi in pœna erit, non timeo vitam, quia *vita mihi Christus est.* Ergo illi nihil agunt, sive me morti tradant, sive in vita cruciatibus dedant : mihi enim utrumque non nocet, quia non est apud me in tormentis vita cum pœna, propterea quia *vita* (6) *mihi Christus est :* sive interficiant, non est mihi et ista pœna, quia *vita mihi Christus est, et mori lucrum.*

Vers. 22. — *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est.* Quoniam supra dixit, *vita mihi Christus est;* et incertum quam vitam dixerit, utrum istam quæ in carne, an illam quæ postea; adjecit de ista

(1) Vulg. : *Quid enim dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem.*
(2) Codd. *sed omni modo;* et quidem a prima manu, *sed omnino modo.*
(3) Codd. *aliquo et aliquo.*
(4) Vulg., *et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.*
(5) Ita codd.
(6) Codd. *quomodo.*

(1) Vulg. : *Quia in nullo confundar : sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo.*
(2) Codd. *per species.*
(3) Codd. *si.*
(4) Vulg., *vivere.*
(5) Codd. *sive.*
(6) Codd. *in vit.*

Digitized by Google

vita, quæ hic in carne est, et dixit nihilominus etiam in ista vita, cum hic in carne vivimus, *fructus est mihi*, inquit, *operis*. Qui iste operis fructus? ut labore meo et Evangelio annuntiem Christum, et multis spem vitæ et salvationis efficiam, cum sperare in Christum cœperint, et fidem Evangelio dare. Hic est, inquit, mihi fructus operis etiam in carne vivere. *Et quid eligam ignoro.* Sive enim moriar, quia *mors lucrum* est, ac *mihi vita Christus est*, et ad illum utique pervenio, cum morior (1) hic in carne : sive rursus hic in carne vivam, quia mihi fructus est operis annuntiare Christum et evangelizare ; *quid eligam*, inquit, nescio ; utrum mortem appetam, an adhuc in vita maneam.

Vers. 23, 24. — *Coarctor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo, quarto* (2) *magis optimum est. Ut vero autem in carne permaneam, necessarium propter vos* (3). Duplex, inquit, me necessitas et cupiditas in divisa (4) deducit : nam et habeo *concupiscentiam dissolvi*, id est discedere a corpore, *et esse cum Christo ;* etiam illam (5), lucrum consequi ; quod est quidem optimum et eligendum. Sed rursus est mihi in carne necessitas ut maneam et perseverem propter vos. Ita superiori parti concupiscentiam dedit dissolvi velle et esse cum Christo, quia summum est et præcipuum et optimum ; hic autem ut in carne adhuc maneat necessitatem *magis* dixit, quam illam ; ut propter hoc vivam, ut vos instruam, ut vos in Evangelio confirmem. Cum igitur duas veluti concupiscentias habeat, confirmat unam quod hic in carne adhuc manebit ; et hoc confidenter scio, quoniam manebo, et permanebo vobis, ad vestrum profectum et gratiam fidei. Vere ut pater, vere ut famulus Dei, de duabus cupiditatibus suis illam quasi reliquit, quæ ipsi tantum fuerat profutura, ut jam abiret, jam dissolveretur esseque cum Christo.

Vers. 25. — *Confido*, inquit, *et confidenter scio, quoniam Deus me hic adhuc esse faciet, ut permaneam ; et permanebo, ut vobis omnibus prosim, et profectum habeatis ad gloriam fidei* (6). Manebo, inquit, et adjecit amplius, *et permanebo*, id est, usque ad perfectionem manebo ; perfectionem autem profectus vestri, ut proficiatis et gratiam consequamini, fidei scilicet ; id est cum fidem præstatis a Deo gratiam mercamini.

Vers. 26. — *Ut gloria et exultatio vestra abundet in Christo Jesu penes me, per præsentiam meam denuo apud vos* (7). Ut cum apud vos esse iterum cœpero, hoc est *per præsentiam meam denuo* ad vos, exultet gloria vestra, et *abundet* ipsa *exaltatio in Christo Jesu penes me, per præsentiam meam denuo apud vos :* id est ut ego præsens sentiam quemadmodum gloria vestra exultet et abundet in Christo, quod Christum diligitis, quod Christo servitis, quod Christo vos servire gaudetis.

Vers. 27. — *Tantummodo digne in Evangelio Christi conversamini* (1). Tota vitæ summa christianæ ista est, in Evangelio Christo conversari, ipsum sibi annuntiare et cæteris, in ipso spem habere, omne quod agat ex mandatis ejus agere : hoc est digne in Evangelio Christi conversari. Sed et hoc parum est : ergo jungendum ut in Evangelio Christi conversemur ante omnia, et digne conversemur. Est digne conversari, secundum ejus præcepta vivere, et ea facere quæ Christus præcipit. *Ut sive cum venero, et videro vos ; sive per absentiam, audiam de vobis quoniam statis in uno spiritu, una anima concertantes cum fide Evangelii* (2). Ipse exponit quid sit digne in Evangelio Christi conversari, *uno spiritu* stantes, *una anima concertantes cum fide Evangelii : Spiritu* autem, *inquit*, stantes *uno* : quia unus est spiritus cum jam sapimus, et Evangelium sentimus, et ita vivimus. Animæ autem opus hoc est, ut adversa corporis expellamus : ideo una, inquit, concertantes cum fide ; quam fidem vobis Evangelium dedit. Ergo state, inquit, in uno spiritu, et colluctamini una anima cum fide Evangelii.

Verum hæc expositio illud continet quod supra dixit, digne in Evangelio Christi conversamini. Quomodo autem se habeant verba ut integra sibi et juncta sint, sic attendemus : conversamini, inquit, digne in Evangelio, ut digne vobis *audiam quoniam statis in uno spiritu et una anima concertantes cum fide Evangelii*. Audiam autem vel *per absentiam* ; fides autem erit, ut cum audiam, credam, cum venero ad vos, et videro vos. *Sive per absentiam audiam de vobis*, jam ad utrumque videro vos, quoniam statis in uno spiritu.

Vers. 28 — *Et nec in quocumque territi sitis ab adversariis* (3) : et hoc opus pertinet ad expositionem quod est digne in Evangelio Christi conversari, numquam terreri ab adversariis, nec in aliquo terreri : quandoquidem est illis declaratio interitus, nobis autem salutis. Hoc, inquit, non terreri (4) Evangelio servientes. Id est omnis actus christiani ad salutem est, non conturbari ab adversis, fidem Evangelii credere in Christo, pati pro Christo, simulque etiam ut sciamus ex Dei gratia provenire. Ergo hæc, inquit, res non terreri in aliquo ab adversariis, et nobis ad salutem est, et nostris adversariis causa est ad interitum : et hoc tamen donum est Dei. *Et hoc a Deo :* ne operæ nostræ putemus esse, quod non terreri causa nobis est ad salutem : nam et hoc a Deo est, sicuti frequenter monui, ut Dei nutu et misericordia et gratia fiant omnia.

Vers. 29, 30. — *Quoniam vobis donatum est a Christo* (5). Omni exhortatione præcepta hæc jungit : pertinet enim digne in Evangelio Christi conversari quid sit, sic ostendere secundum supe-

(1) Codd. *metior.*
(2) Ita codd.
(3) Vulg : *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius : permanere autem in carne necessarium propter vos.*
(4) Ita codd. pro *diversa.*
(5) Ita codd. Intelligo autem *concupiscentiam.*
(6) Vulg. : *Et hoc confidens scio, quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei.*
(7) Vulg. *Ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me per meum adventum iterum ad vos.*

(1) Vulg. *Tantum digne Evang.* etc.
(2) Vulg., *sive absens, audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes, colluborantes fidei Evangelii.*
(3) Vulg., *Et in nullo terreamini ab adversariis.*
(4) Codd., *terrere*, et quidem sine *non.*
(5) Vulg., *Quia vobis donatum est pro Christo.*

Digitized by Google

riora præcepta : et nunc cum exhortatio adjungitur ut credant in Christo ; neque tantum credant, sed ut etiam patiantur pro illo. Quæ autem patiantur, subjungit : vel quæ in me *vidistis*, vel quæ de me (1) *audistis* : hoc est enim digne in Evangelio Christi conversari, et hoc dono datum est nobis pro Christo, quoniam ille mysterium complevit, et ad liberationem nostram passus est omnia. Pro ipso igitur donum nobis dedit, ut credamus in eum. Magnum autem donum, si sola in eum fide tantam gratiam meremur. Sed ita credamus, ut etiam patiamur pro illo ; hoc enim subjungit : *Id ipsum certamen et agonem habentes, quem et vidistis in me, et audistis de me* (2). Ut vos quoque credentes in Christo, patiamini omnia pro illo, id est propter ipsum. Facere enim omnia, neque in alium converti, et pro illo pati omnia, hoc est certamen : et hunc agonem habemus scilicet et contentionem et intentionem, quæ educit ad palmam et ad coronam. Hunc igitur agonem ne ignoretis, ipse est quem in me vidistis, scilicet de catenis, de carcere, de cunctis malis, quæ perpessus est Paulus : quæ utraque apud vos habent fidem me passum esse, cum aut audistis aut vidistis.

Cap. II.—Vers. 1, 2, 3, 4. — *Si qua igitur advocatio* (3) *in Christo, si qua consolatio dilectionis, si qua societas spiritus, si qua viscera et miserationes ; implete gaudium meum, ut idem sentiatis omnes.* Petiturus beneficium, ut gaudium suum impleatur quod gaudium circa hoc mandatum est, *ut idem sentiatis omnes*, ut nullus discrepet (tunc enim et charitas et concordia est, idem sentientibus cunctis ; et si concordia est, hoc habebit apostolus gaudium) : ut ergo hoc impetret quod suum gaudium vult esse, per illorum unanimitatem, concordiam, eamdemque sententiam, et cætera similia, quasi rationem meritorum præmittit, quod ab ipsis meretur, ut impleatur gaudium suum circa hoc, ut idem omnes sentiant, et cætera. Meritorum autem rationes istæ sunt, quia advocati simul in Christo sunt : advocat enim Deus in Christo nos ; eos enim sanctificat, quos vocavit et elegit et quos ordinavit. Advocatio ergo prima est ; si est, inquit, advocatio in Christo aliqua in nobis, quod simul vocati sumus, et vocati in Christo, et meritum meum erga vos ; ergo implete gaudium meum. Prima igitur hæc ratio meritorum inter se, ut se invicem audiant : quod advocati sunt in Christo. Ex hoc autem quod advocati sunt in Christo, est etiam dilectio. Item adjungit *si qua consolatio dilectionis*. Cum enim in malis simus, et mundi malis laboremus, si nos invicem diligamus, Deus erit nobis consolatio dilectionis. Hæc, inquit, igitur si est consolatio dilectionis, ut quia vos diligo, vos me consolemini in malis in quibus sum : implete ergo gaudium meum. Singulis ergo hoc adjungendum. Deinde adjecit, *si qua societas spiritus*. Bono ordine et hoc tertium : nam primum est advocari in Christo, deinde dilectionem habere : cum autem utrumque fuerit, ut jam et advocati in Christo sint, et consolationem habeant inter se dilectus (1) et dilectionis, sine dubio est societas spiritus. *Si qua*, inquit, est *societas spiritus*. Audiamus illud, *implete gaudium meum*. Adjungit deinde, *si qua viscera et miserationes*. Unum enim corpus efficitur Ecclesiæ, cum sibi vocati in Christo charitate junguntur, junguntur etiam spiritu, et fiunt eadem viscera et eædem miserationes. Si qua igitur viscera, si quæ miserationis sint viscera, ad hoc ut vocatio sit in Christo, et societas in spiritu. Miserationes autem sunt ad hoc, si qua consolatio est dilectionis, ut omnis alterum consoletur, quod in malis semper in mundo sumus : quoniam viscera eadem sumus, miserationes invicem nobis præstare debemus. Sic ergo si qua viscera miserationis, *implete gaudium meum*. Quod autem gaudium, subjunxit, *ut idem sentiatis*, omnes id ipsum. Quid est *idem sentiatis?* supponit per subjecta, aut in quibus idem sentiant, aut quemadmodum idem sentiant : — *Eamdem dilectionem exercentis unanimes, unum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate sensus invicem vos ab alteris præcedi arbitrantes. Non sua propria tantum unusquisque vestrum perspiciat, sed aliorum singuli* (2).

Vers. 5. — *Hoc enim sentite in vobis quod et in Jesu Christo.* Ut dixi, exhortatio ista est quam nunc exsequitur, præceptis plenioribus : *implete*, inquit, *gaudium meum*, quibus in rebus effici potest : quæ præcepta, ut semper docuit, tenent quæ facienda sunt. et item quæ non facienda. Quæ facienda sunt, sic subjungit, *ut idem sentiatis omnes*, eamdem dilectionem exerceatis omnes, unanimes, unum sentientes. Interponit quæ non facienda, *nihil per contentionem neque per inanem gloriam*. Et subjungit quæ facienda rursus, *sed per humilitatem sensus invicem vos ab alteris præcedi arbitrantes*. Item subjungit quæ non facienda : *non sua propria unusquisque perspiciat*. Deinde id quod faciendum, *sed aliorum singuli*. Sic deinde subjungit, quod ad exhortationem plurimum valet, et certam exhortationem de præceptis, in qua conclusio præcepti hæc est, ut de aliorum recreatione (3) singuli cogitent. Hoc, inquit, facere debetis et constituere et sentire in vobis, quod Christus fecit : quod de aliis cogitans, de se et de sua gloria nihil cogitavit : vel de eo quod potentiam suam, ut docebit, ipse depo-

(1) Codd. *vel quæ de me, vel quæ audistis.*

(2) Vulg., *Idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.*

(3) Græcum vocabulum παράκλησις ambiguitatem creat, sitne *advocatio* an *consolatio*. Recte autem Victorinus primum retinet sensum, quia secundum mox e græco παραμύθιον habemus. — Vulg. *autem hunc locum sic exhibet : Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis.*

(1) Videtur positum pro *delectus*, ut apud Cic. de Rep. 1, 34.

(2) Vulg., *Eamdem charitatem habentes unanimes, idipsum sentientes ; nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.*

(3) Codd. unus *reatu quæ ratione*, alii *ratumque ratione.*

Digitized by Google

suit, ut aliis cæteris subveniret. Ergo hoc tenetur in exhortatione, ut gaudium possit impleri ipsius Pauli.

Videamus igitur singula quæ præcepta sint. Primo ait ut idem, omnis christianitatis potestatis, et jus et operatio illa est non dissentire, sed unum atque idem in animo habere. Etenim si unus Deus, si unus ejus filius, si unus Spiritus sanctus est, si omnia ista tria unum, ita debemus et nos unum habere quod sentimus, ut idem sentiamus omnes. Deinde sequitur ut eamdem dilectionem exerceamus. Hoc jam ad moralem disciplinam, id est ad vitam pertinet; illud ad scientiam. Nam cum duo genera dixissem esse in Paulo, et in omni tractatu, ut alia discerentur (1) ad scientiam, alia discerentur ad actus et ad vitam; ita et hic ad scientiam, ita positum ut idem sentiatis : deinde ad vitam, *eamdem dilectionem exerceatis*. *Eamdem* quid est? quam alter circa vos, eamdem vos circa alterum; neque divisam (2) dilectionem, sed in Christo dilectionem. Ipsa est eadem dilectio. Deinde adjecit : *unanimes unum scientes*. Eadem repetisse mihi videtur verso ordine, quæ supra sunt dicta. Namque unum est *unanimes* quod ad eamdem dilectionem : aliud est *unum scientes*, quod supra ut dixi, *ut unum sentiatis omnes*. Verum et amplius aliud in his duobus est, quod in superioribus. Namque aliud est *idem sentiatis omnes*, aliud *unum scientes*, in ipso quidem : quippe cum ad scientiam utrique pertineat. Verum illud superius idem sentire, ad hoc est, ut adhuc scientia nondum confirmata, par tamen videatur sciendi potestas, nondum confecta, jam perfecta scientia (3). Secundo igitur præcepto cum uno in sensu utrumque sit, fortius tamen positum; *unum*, inquit, *scientes :* jam præceptio est ipsa, cum *scientes* dixit. At vero superius *idem sentientes* dixit, id est sensus eosdem intelligentiæ habentes : illud ergo adhuc in actu est, hoc in perfectione videri potest. *Idem sentientes* et ad vitam pari modo, etiam in actu est, circa vitam *eamdem dilectionem exerceatis*. Porro autem in perfectione hoc est *unanimes et* utrumque de moribus et de vitæ genere : unde tamen cum eadem videantur singula in singulis, posteriora potiora sunt. Deinde adjunxit : *nihil per contentionem neque per gloriam inanem*. Potuit enim, et idem sentiendi, et idem sciendi esse tamen contentio. Modus igitur subjunctis est, qui esse debeat, vel potius qui non esse : *nihil*, inquit, *per contentionem*. Multi enim contendendi vel necessitatem habent vel voluntatem. Utramque igitur contentionem tulit, ut necessitas non sit contendendi nec voluntas. Quippe cum utrumque vitiosum sit. Alii curiositate in ipsam contentionem irruunt : alii natura tales sunt, ut contentiosi sint : ideo adjectum, *nihil per contentionem*. Deinde rursus alii ad jactantiam hoc proferunt, ut contendant, et pares esse videantur, aut potiores resistendi pertinacia et superiores aut gloriandi. Hoc ergo auferri vult, dicitque, *neque per gloriam inanem*. Etenim gloria inanis est placere velle sermonibus, placere ingenti calliditate, et contentione disserendi. Raro enim apud christianum debet esse contentio, non in sermone jactantia.

Huic ita posito posteriori præcepto ne quid per gloriam inanem facere videamur, necessario subjunctum, *sed per humilitatem sensus*. Sic enim inanis gloria poterit auferri, si humilitas sit in sensibus, id est intellectibus. Hos enim sensus posuit. Quærendi modo, proferat quæcumque tractat, non auctoritate suscepta. *Invicem vos ab alteris præcedi arbitrantes*. Vere enim hæc humilitas, si omnem alterum putas esse potiorem : hoc est enim invicem præcedi ut vos arbitremini; ne quisquam alterum non ita putet, ut non potiorem æstimet, et præcedere et esse meliorem. Quod si ita est, hæc est humilitas sensus. Deinde subjungit : *Non sua propria unusquisque vestrum perspiciat, sed aliorum*. Ex hoc sensu nectitur id quod postea subjungitur. Interea referendum hoc ad superiora, tunc enim implebitis meum gaudium, si et hoc quoque faciatis ut unusquisque non tantum sua propria perspiciat, sed aliorum, et ita singuli de aliis atque aliorum curas habeant. Hoc enim nos putamus. Quod si de nobis tantum cogitemus, nobis prodesse poterimus, et de nostris tantum rebus agere, de spe, de liberatione nostra : sed hoc parum est. Tunc enim vere de nobis agimus, si et alios curemus, et aliis prodesse properemus. Cum enim omnes unum corpus simus, aliis si prospiciamus, nobis prospicimus : si de aliis cogitemus, de nobis magis cogitamus. Hinc subjungit, quantum sit istud quod monet, quod præcipuum, quod vehemens, cum dicit : *Hoc idem nos in nostris sensibus habeamus, quod et in Christo Jesu*. Quid istud est, *Hoc sentite in vobis quod sentitis in Christo Jesu;* ipse exponit et explicat. Etenim si hoc sentimus in Christo Jesu, quia ipse magis de aliis, id est de nobis curam gessit, non de se, neque de eo quod ipse posset aut poterat, aut potest, sed de nobis potius cogitavit. Hoc est quod supra dixit, sed aliorum singuli curam geramus : etenim Dominus noster Christus Salvator, utique cum Salvator esset, aliis salutem attulit : et quemadmodum non modo benignitate tantum usus, neque fulgens sua benevolentia sua luce vestit et texit, atque ad se benignitate infusa et majestate revocavit. Ut ergo magis beneficium ejus, et maximum nosse possemus, exinanivit, inquit, se atque omni exuit majestate, ut in carnem descendens, ut omnem illam patientiam humilitatis suscipiens, nobis ut prodesset carne, injurias in carne, deinde crucem mortemque sustinuit. Quæ omnia docent et hortantur nos, ut (1) similiter imitantes Dominum, non de aliis potius cogitemus quam de nobis ipsis. Hoc est enim vere de nobis agere, aliorum curam pro eorum salute suscipere. Hoc est ergo ut hoc sentiatis in vobis, quod et in Christo sentitis. Illum profuisse

(1) Ita codd.
(2) Num. pro *diversam*, ut p. 54?
(3) Ita prorsus est in codd.; ne quis forte lector obscuritatem auctoris editori imputet, tum hic, tum in seq. pagina et alibi. Legesis, col. 1211, n. 2.

(1) Codd. *autem*.

Digitized by Google

aliis sentitis : ergo et in vobis hoc sentite, ut pro aliis cogitetis, et sollicitudinem pro aliis suscipiatis, ut aliis prodesse possitis.

VERS. 6, 7, 8. — *Qui cum in forma Dei constitutus* (1) *esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo; sed et semetipsum exinanivit, et servi sumpsit formam in similitudine hominum factus, et habitu inventus tanquam homo Humiliavit se ipsum, subditus factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* Duas res, id est duo præcepta, supra dederat, unum ut diligerent humilitatem, aliud non sua tantum curarent, sed et aliorum. Et ait : *Hoc sapite in vobis, quod et in Christo Jesu.* Quid igitur de duobus istis accipimus in Christo Jesu? utrum unum? et quod unum? an ambo potius? Namque unum de humilitate manifestum, quod semetipsum humiliavit Christus, et servi sumpsit personam. Potest tamen esse hic etiam secundum præceptum : prop er alios enim ita sustinuit, et de aliis potius quam de se cogitavit. Breviter autem hic expositum, quod Christus sit, et antequam in carne descenderet, et in qua sit virtute atque substantia. Dictum est enim quod forma (2) Dei Christus esset. Quid autem sit Dei forma? non figura, non vultus, sed imago et potentia. Plene de hoc et hic tetigi ad Ephesios (3), et plenus uberiusque in aliis tractavi libris, Deum esse in eo quod est ipsum principale esse ; esse autem ipsum, est principale habere, vivere et intelligere. Sed intelligere atque vivere, forma quædam est et imago ipsius existentiæ. Cum igitur existentia Deus sit, ut multis probatur, atque id magis quod supra existentiam est ; forma autem existentiæ, moveri, intelligere, vivere; circumformatur enim et definitur quodammodo, id est in considerationem et cognoscentiam devocatur, quod sit illud esse, quod invisibile est et incomprehensibile, vivere intelligitur et intelligere. Ita esse, pater est : vivere autem et intelligere, quæ ista ipsa in eo sunt, quod est esse, quasi forma. Christus ergo Dei forma est : vita est enim Christus, et cognoscentia et intellectus. Hæc igitur forma et imago Dei. Quanta potentia, et quanta deitas, vel virtus sit, alibi expressum. Ergo nunc Paulus : non, inquit, Christus rapinam credidit, id est hoc sibi vindicavit, tantum habere voluit, ut forma Dei esset; sed etiam se ipsum exinanivit potentia, ut ad mundum et ad carnem descenderet, et formam hominis sumeret, id est parvi et humilis imaginem.

Illud autem diligenter et acute attendendum puto, quod cum et ipse se missum a Deo dicat, et voluntatem patris implere. hoc ita positum mysterium est, ut ipsius sit voluntatis, quod venerit, et quod formam vel imaginem servi sumpserit. Sic enim ait, *qui cum in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit, et servi sumpsit formam.* Sed cum ita jungamus semper, et hoc intellectus necessitate capiamus, et in eo quod est esse, intelligentiam inesse et vitam, ut et Deo, cui est potentia hæc ut esse sit, et esse omnibus præbeat, sit tamen intelligens illud, ut vivens vel supra intelligentiam et supra vitam, et supra existentiam Christus, qui vita est, etiam progressa a Deo vita insit, et in eo quod vita est ipsa existentia, et ipsa intelligentia æqualis Deo est : unde et in Filio Pater est, et in Patre est Filius. Sed hæc, ut dixi, plenius alibi. Ergo et cum Pater voluit, Filius voluit : et cum Filius voluit, Pater voluit. Unde utrumque recte, et quod missus a Patre est, et quod hic positum ut ipse se exinaniverit. Intelligamus autem ipsum se exinanisse, non in eo esse quod potentiam suam alibi dimiserit, aut se privaverit ; sed ad sordida quæque se humiliarit, ad postrema officia descendens. Cum hæc implevit, se et potentiam suam exinanivit. Nam carnem sumens et formam hominis et similitudinem, omnia quæ hominis erant perpessus est, egit, implevit. Hoc est enim quod ait, *in similitudine hominis factus, et habitu inventus tanquam homo.* Non enim audiendi sunt illi qui phantasma dicunt fuisse, quia dictum hic est *in similitudine hominis* : sed ad Deum refertur, et λόγον ipsum formatum per carnis assumptionem in similitudine hominum. Etenim cum caro in terris diversas formas habeat, accepisse autem carnem Christum manifestum sit ; sed in qua similitudine dictum, in similitudine hominum, id est cætera animalia (1) non quo hic (2) similitudo hominum in Christo fuerit, non ipse homo susceptus.

Denique adjectum post similitudinem et habitum, ut ita se haberet tanquam homo. Sic adjunxit, *inventus tanquam homo.* Græcus quidem σχῆμα dixit, latinus *habitum* nominavit. Ita cum duo posita sunt apud græcum, in similitudine et habitu; accipiamus igitur habitu figuram, et ut se homo habeat. Etenim omnis hominis qualitas his duobus exprimitur, similitudine et figura. Potuit enim in immenso similitudo hominis, ut in gigantibus, ut in vultibus et in membris, quæ finguntur : ideo ergo adjecit : *et figura hominis*, ut certus habitus et modus præter similitudinem hominis, videatur assumptus. Porro autem quod dixit *inventus tanquam homo*, non hic cum dubitatione dictum, tanquam homo quasi non homo fuerit, sed phantasia hominis; sed dictum, *inventus tanquam homo.* Hæc scilicet media pronuntiatione, qua vere non homo fuit, sed Deus (3), et carne et

(1) Vulg. omittit *constitutus*, et mox habet *esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humil. semet. factus ob.*, etc.

(2) Ita codd., *non in forma.*

(3) Notemus Victorini testimonium de suo commentario in epistolam ad Ephesios. Quod autem addit *et in aliis libris;* sine dubio provocat ad suum quartum adversus Arium librum, cap. 30, ut conferenti cuilibet palam fiet. Ergo idem est auctor Victorinus et librorum jamdiu editorum adversus Arium, et horum, qui nunc a me vulgantur, commentariorum.

(1) Ita codd.

(2) Ita codd.

(3) Scilicet Deus et homo (in persona unica) ut supra manifeste ait Victorinus.

Digitized by Google

figura accepta quasi homo. Quod autem dixit, *servi formam sumpsit*, quoniam ipse forma Dei fuit, Dei autem servus homo est, idcirco dictum, *servi formam sumpsit*. Ex qua re se humiliavit, et se exinanivit factus, inquit, ut subditus usque ad mortem scilicet crucis. Ecce in hoc ipso cum dixit, *subditus factus*, græce autem aperte et plene, cum dictum ὑπήκοος γενόμενος, quod est, *subauditor effectus*, in quo ut dixit, in hoc ipso expressum, quod paulo ante diximus, quoniam a Patre missus est. Si enim subauditor, verum est illud et integre dictum, qui me huc misit et subditus factus; certe potest utrumque non solum per illam rationem accipi atque intelligi quia et in Christo Deus est, et est in Filio Pater, et in Patre Filius, sed quod etiam in multis locis simile reperimus, ut et mittentis sit auctoritas, et voluntas obtemperantis. Etenim ut apud poetas, si cum pater Mercurium mittens imperio suo misit; Mercurius autem patris cum pareret imperio, se ipsum composuit, et se exinanivit ut volaret et iter tenderet, si fas est divinis talia comparare; intelligi licet, et Patris imperio Dei omnipotentis missum Christum: et Christus Filius, eo ipso quod imperio obtemperabat, se exinanivit, ut hominis formam sumeret, et in carne veniret, et servi imaginem sustineret, se humilians et obauditor factus, obauditor autem usque ad mortem. Quam illam mortem? multa enim genera mortis sunt: nam primum esse in carne, mortis (1) est: deinde accipere omnia peccata carnis, et ipsa mors est: ideo adjectum, *usque ad mortem*. Quam mortem? *crucis*, inquit. Etenim nos Salvator morte non liberavit, sed morte crucis liberavit: omne enim mysterium non in morte tantum, sed Christi, sed et in morte crucis: unde dixit Paulus, fidem se habere in Christum, et in Christum ipsum *crucifixum*.

Vers. 9, 10, 11.—Quibus omnibus quid colligitur? Ergo Christus et aliis consuluit, et se humilem fecit. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, ut in nomine Jesu omnes genua flectant, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris* (2). Quid istud sit, quod nunc dictum est, quia ideo Deus Filium suum exaltavit, et ei donavit nomen quod supra omnia nomina est, et quod sit hoc ipsum nomen, et quare nunc hæc donaverit atque concesserit, etsi magni tractatus est magnæque doctrinæ, tamen nos id quale sit, breviter admonemus. Christus, id est λόγος, qui cum Deo est, et apud Deum, juxta Deum, et idcirco etiam ipse Deus, cui λόγος hic ex operatione ejus provenit, ut et Christus esset Jesus, et exaltaretur, et supra omnia nomina nomen acciperet, λόγος, inquam, iste in eo quod λόγος est, forma Dei est, vere jungitur, copulatur, unumque est, et idcirco et λόγος Deus est, per quem creata sunt omnia, et in quo quod effectum est, vita est, et hoc fuit a principio, et sine logo factum est nihil, qui jungitur. Simpliciter hoc aures accipiant, num ipso tempore Filius non dicebatur? Intelligi quidem potest, quoniam virtute Dei, ut Deus ipse, et forma Dei, ipse Deus, nomen hoc et hoc vocabulum postea acceperit, posteaquam in mundum descendens, id est ὕλην, ipsam ὕλην præcidit, et vicit, et mortem superavit, ut jam mors non dominaretur. Quod si tanta hæc ejus opera, et tanta misericordia Dei, per hoc ab illo munus impletum est, in reditu atque reversione hoc nomen accepit, et hinc exaltatus est, et hanc gratiam consecutus est, ut Filii nomen acciperet, quod nomen supra omne nomen est.

Sed catholica disciplina dicit, et semper fuisse Patrem, et semper Filium: et ita et dicendum est, et intelligendum. Verumtamen, quoniam apud nos hic error est natus (1), quod constet ante in carne descensum, nunquam filium dictum esse λόγον, nec nunc ita expositio ista currit, et sententiam suam tenet, ut cum dictum sit quod se ipsum exinaniverit, et cum Dei esset forma, formam servi acceperit et figuram, in similitudine inventus hominis et factus; et usque ad mortem se humiliaverit, et mortem crucis, et adjunctum ita sit, *propter quod Deus illum exaltavit*: videtur propter ipsam passionem exaltatus esse, et accepisse se hanc gratiam, ut hoc nomen acciperet quod supra omne nomen est, propter istam, inquam, causam. Sic enim dicit Paulus. Quod si ita est, quasi intelligi vult, ante hoc non fuisse nomen, ut fuerit virtus Dei, λόγος fuerit, etiam forma fuerit in eo quod λόγος, et Deus, et fuerit apud Deum: ac propterea quasi non conveniat, ut tunc filii nomen acceperit, sed posteaquam missus. In quo intelligimus jam, ex eo quod missus est, illum esse Patrem, et hunc Filium: deinde propter opera, propter mysterium, propter passionem, qua vita mors est, morte ipsa Christi; propter hanc, inquam, gratiam accepit nomen quod supra omne nomen est; ut tantum nomen accesserit, res eadem fuerit: et ante, id est λόγος, atque ipsa virtus; non ut nunc primum res fuerit, quando in carnem venit. Sed cum res venit, id est virtus, et sapientia, et actus, et operatio, λόγος tamen dictus fuerit, et λόγος fuerit. Nunc autem ipse λόγος cum induit carnem, ut dictum est, ipse, inquam, λόγος post passionem, et post mortem crucis, qua vicit omnem mortem et omnia peccata, vocabulum acceperit Filii, quod vocabulum supra omne nomen est. Quid enim est quod possit accipi æquale, quod comparari possit cum Filii nomine? Etenim amicitia, sanguinis conjunctio, germanitas, et cætera, inferiora sunt omnia; sive ministrorum, sive angelorum, sive quæcumque alia dixerimus. Est igitur Filius supra omne nomen: quod nomen dedit Deus Christo post passionem, post crucem.

Videri tamen potest, prope non ita esse ut verum sit, quod Filius supra omne nomen sit. Etenim si filius non dicitur nisi cum pater sit, et pater cum fi-

(1) Ita codd., *non mors*.

(2) Vulg.,... *Et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, etc.

(1) Loquitur de Arianis, quos etiam subtiliter in sequentibus coarguit.

Digitized by Google

lius sit, numquid etiam hoc nomen, Filius, supra illud nomen est, quod Pater est? Utique non. Quomodo ergo Filius nomen cum acciperet, supra omne nomen accepit? Utique circa alia sine dubio nomina accipienda sunt, supraque omnia alia hoc nomen Fili (1) sit. Nam pater cum Filio junctus est, et æqualia nomina ista sunt, quantum ad nomina; etsi non sit Filius nomen supra Patris nomen, nec Pater nomen supra Filii nomen. Virtus illa quæ dicitur Pater, supra est, supra illam virtutem, quæ dicitur Filius (2); nomen tamen vel Filius vel Pater, æqualia inter se sunt. Quod si ita est, Filius supra omne nomen est, quia Pater cum Filio simul supra omne nomen est; cui nomini, et in quo nomine, Jesu Christi, omnis homo genua curvat, et orat: neque homo tantum, sed omnia cœlestia et omnia terrena, et omnia sub terris quæ inferius esse dicuntur. Et item, Vers. 11:— *Omnis vox confitetur quod Jesus Christus Dominus noster in gloria Patris est* (3), et fuit semper. Hæc ergo gloria ei data est, ut gloria sit ipse patris, quoniam et pater eum genuit; et ab eo creatus mundus est et salvatus, et vita mors est; et salus æternitasque, quæ quæsita est his omnibus. Qui in ipsum credunt mortem in Christi morte vicerunt.

Vers. 12, 13. —*Quapropter, mihi charissimi, quemadmodum semper obauditis, non tanquam in præsentiam tantum, sed multo magis nunc in absentia, cum metu et tremore salutem vestram operamini. Deus est enim qui operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate* (4). Post mysterium totius administrationis editum, quod ista positum fuerat, uti præceptum confirmaretur, quo monebat ut omnis homo non de se cogitaret, neque curam gereret, ut et Dominus noster Jesus suo mysterio egit; subjungitur, ut dixi, exhortatio ut se invicem diligant, primo cum dixit illos charissimos sibi et dilectissimos: deinde sicuti, inquit, mihi obaudientes fuistis, ita semper obaudistis, non in præsentia tantum, sed magis ac magis in absentia, et obaudistis cum timore et tremore. Quare autem magis ac magis? vel quia dies præcedunt, vel quia in absentia plus timendus est ille, qui monet. Quid autem istud quod hortatur et monet ut agant atque operentur salutem suam, et agant observantes atque obedientes, cum timore, inquit, et tremore? ut timor ad animum, tremor vero ad corpus referatur. Magnum autem mysterium quod intente audire debemus, quod consulentes et curam aliis (1) gerentes, nobis magis salutem operamur. Deinde quod in nobis præstans (2) sit nobis salutem operari. Sic enim dixit, *salutem vestram operamini*. Sed rursus ne unusquisque parum gratiam Deo referat, si ipse sibi salutem operari videatur, adjectum est illud, *Deus est enim qui operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate.* Ergo *salutem vestram*, inquit, *operamini:* sed ipsa operatio tamen a Deo est: Deus enim operatur in vobis, et operatur ut velitis ita. Et velle quasi nostrum est, unde nos operamur nobis salutem. Et tamen quia ipsum velle, a Deo nobis operatur, fit ut ex Deo et operationem et voluntatem habeamus. Ita utrumque mixtum est, ut et nos habeamus voluntatem, et Dei sit ipsa voluntas; et quia habemus voluntatem, adsit efficacia pro bona voluntate. Magis autem hominis alligat timorem, cum dicit, *Deus est enim qui operatur in vobis.* Etenim si in ipsis Deus est qui operatur, sine dubio in timore esse debemus, ne faciamus contra Dei voluntatem, aut minus agendo, aut non cum timore et tremore. Operatur autem Deus in nobis, et velle et agere, pro bona voluntate. Ita qui non ex Deo operatur, primum non habet velle: deinde etiam si habuerit velle, efficaciam non habet, quia non habet bonam voluntatem.

Vers. 14, 15.—*Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus vel retractationibus* (3). Ista duo sunt monita, ut cum agimus aliquid jam fidentes, jam in Deum credentes, et mandata divina exequimur ve apostolica vel prophetica vel evangelica, non habeamus murmurationem, id est querelas obtemperandi cum obtemperamus: ne quid, inquit, agamus vel cum dubitatione aliqua vel cum ratiocinatione ac retractatione, faciendum enim vel non esse faciendum. Vel quia ex necessitate facias, si conqueraris, non est obtemperantis bona voluntas. *Ut sitis sine querela* (Græcus ait, *ut sitis sine culpatione*): id est, ut querela de vobis non sit: et hoc dixerit latinus, sine querela et inculpabiles. Denique hoc sequitur: *Et sinceri filii Dei immaculati, in medio pravæ generationis et perversæ* (4). Si enim hoc modo vivatis et hoc modo obediatis, non eritis maculati, inquit latinus. Græcus tamen ita posuit ἄμωμα τέκνα, id est filii sine vituperatione. Hoc est, et supra dictum, sinceri autem sitis nunc, ubi in medio pravæ generationis et perversæ. Quid hoc significet? si salvata anima hoc modo filius Dei fit, si ita vivat quemadmodum nunc, cum in mundo est, in medio est, in prava generatione et perversa, id est in hac vita. Ergo cum in hac vita sumus, laborandum nobis est, ut perversitatem istam fugientes et pravitatem generationis istius id est creaturæ, in qua sumus, immaculati sine vituperatione, sinceri Dei filii, vivamus; facientes omnia sine vituperatione et sine retractatione. Non ergo facere tantum sufficit, sed et hoc modo facere,

(1) Ita codd. pro *filii*. Et quidem unicam i in casu patrio sæpe exhibent antiqui codices.

(2) Legendi sunt hac super re Theologi, præcipueque Petavius, de Trinitate, lib. II, 2, ubi is aliorum quoque ecclesiæ doctorum similes locutiones sapienter expendit. Et quidem locum etiam Victorini nostri ex libris contra Arium ventilat, cujus verba passim esse obscurissima ait. Tum de illo Victorini loco sic definit Petavius: *Sed hæc minus ad catholicam regulam expensa, ut et alia pleraque, scriptor ille ferreus.*

(3) Vulg.. *et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

(4) Vulg.: *Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu..... operamini. Deus enim est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.*

(1) Ita codd.

(2) Sic videtur in codd.

(3) Hæc duo postrema verba Vulg. non habet.

(4) Vulg., *et sinceri filii Dei immaculati in medio pravæ generationis et perversæ.*

Digitized by Google

ut nulla sit apud nos vel retractatio vel admurmuratio et querela faciendi. Quæ si in vita ista faciamus, mens enim devota jam Deo tunc efficitur inter filios Dei, si faciat præcepta Dei volens, cupida, sine querela; et faciat nunc cum in medio sit pravæ generationis atque perversæ. *In quibus lucetis ita ut luminaria in mundo.* Magna exhortatio, cum jam in hoc ipso, in quo in hoc mundo sumus, emineamus jam in hac prava generatione et perversa : emineamus autem ita, ut mundi luminaria simus, quæ in ipso mundo; ut sol atque luna et ut cæteræ stellæ lucentes. Fide enim et cognitione Dei secundum divina præcepta viventes excellunt Christiani, et ut lux et splendor in hoc mundo existunt. Etenim si præter cæteros homines omnia, quæque mala sunt, vincunt, et occultos dæmones opprimunt, et iniquitates produnt, vincentes tenebras et opera tenebrarum; agunt in hoc mundo ut luminaria, et lumen omnibus præstant.

Vers. 16. — *Verbum vitæ obtinentes ad gloriam mihi* (1) *in die Christi.* Et vobis præmium est, quod ita vivitis, si quidem luminaria in mundo estis; et mihi ad gloriam eritis in die Christi, id est cum judicaturus venerit Christus. Ego per vos habeo gloriam, quia vitæ verbum obtinetis, id est quia Christum cognovistis, quod est verbum vitæ : quia in Christo quod factum est, vita est. Ergo Christus verbum vitæ est. Unde cognoscitur quantum sit beneficium et quanta gloria eorum, qui animas aliorum corrigunt. *Quoniam non in vacuum cucurri.* Hæc erit mihi, inquit, gloria per diem Christi, quod vos liberavi, et labor meus non in vacuum laboravit neque in vacuum cucurrit. Labor genus est, species laboris est currere. Ergo cum genus proposuisset, non in vacuum laboravi, quod esse poterat vel corpore vel lingua vel monitione vel instantia; adjecit speciem certam, *non in vacuum cucurri.* Hic vel labor est itineris, vel labor affectus, ut hoc persuaderet, et cito persuaderet : hoc est *non in vacuum cucurri.*

Vers. 17, 18. — *Sed si laboro in victima et obsequio fidei vestræ, lætor et gratulor omnibus vobis. Hoc idem et iamvos lætamini mihi* (2). Quod supra per præceptum datum est, hic (3) in exhortatione ponitur : uti non nostri tantum curam habeamus, sed etiam unusquisque et aliorum. Quod si ita est, et (4) gratulatio et ex nobis nascitur. De nobis et de aliis hoc ait. Sed si laboro, inquit, in victima et obsequio fidei vestræ, hoc est ut pro vobis etiam mori paratus sim, dummodo obsequar vobis, et fidem vestram confirmem, lætor et gratulor omnibus vobis. Sic ergo et vos lætamini mihi, ut pariter et curam nostri omnes geramus, et de nobis invicem lætemur.

Vers. 19. — *Spero autem in Domino Jesu Christo Timotheum celeriter mittere vobis, ut et ego bono animo possim esse, cognoscens quæ penes vos sunt* (1). Hoc autem de mandatis est. Vere autem curam illorum gerit, siquidem et mittere alterum, qui eadem præstet illis, pollicetur, et a quo cognoscat (2) quæ agant Philippenses. Timotheum suum carissimum promittit brevi se esse missurum. Et quoniam omnis actus noster Deo est assignandus, ut a Deo compleatur, *spero*, inquit, *in Domino Jesu Christo*, quod vobis mittam Timotheum, et celeriter mittam. Causa cur mittat subjungitur : ut et ego bono animo sim, cognoscens quæ vos agatis, aut quemadmodum circa vos res sit. Quod autem dixit, *ut et ego bono animo possim esse;* spero enim vos bono esse animo, quod omnia præcepta servatis, et fidem in Jesu Christo, unde bono animo estis; ideo autem ego mittere Timotheum celeriter volo, ut et ego bono animo possim esse, cum cognosco quæ sunt penes vos, vel ex moribus vestris, vel ex aliorum.

Vers. 20, 21. — *Neminem enim habeo, qui mecum sit unanimis* (3). Quare Timotheum polliceatur ostendit, et dat causas, quia neminem unanimem habet, id est, qui eamdem mentem gerat. Habes unam causam. Subjunxit alteram : *qui fideliter sollicitus est de vobis* (4). Vere iste mittendus, qui et mihi sit charissimus, et vestri curam gerat, et sollicitudinem pro vobis habeat : *Omnes enim sua* (5) *quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Quoniam dixit, solus est, et neminem inquit habeo, qui mihi sit unanimis. De cæteris quas causas ponit? Scilicet quæ secunda est pietas. Nam si Timotheus datur (6), qui fideliter sollicitus sit pro vobis; et hanc causam subjunxit, vitium atque peccatum, *omnes sua quærunt*, id est solliciti sunt, sua defendunt, sua custodiunt : et ad hoc (7) Christiani non est. Quid enim est Christiani quærere potius in quocumque socio fratre, *quam* quæ Christi sunt id est fidem in Christum, societatem, amorem, scientiam? Potest tamen illud intelligi, *quæ sunt*, id est de Christo evangelizare.

Vers. 22, 23, 24. — *Sed experimentum ejus optime scitis* (8). Id est probationem de eo habetis : græcus ita posuit. Scire debetis, percipite atque cognoscite qualem probationem ejus habeam. Denique juste connectitur, quod sequitur, *quoniam sicuti patri filius mecum servivit in Evangelio.* Apparet ergo quid sit, *non quæ sunt Jesu Christi quærunt.* Servivit, inquit, mecum Timotheus in Evangelio sicuti patri filius. Breviter quemadmodum servierit ostendit, quanquam dixerit mecum servivit (9) in Evangelio. Sed quomodo servivit? ut servit filius patri, in charitate et obsequio majore servivit mecum Timotheus

(1) Vulg. .....*Continentes ad gloriam meam.*
(2) Vulg. : *Sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis; idipsum autem et vos gaudete et congratulamini mihi.*
(3) Codd. *hoc.*
(4) Ita codd. nisi quis forte mavult *hæc* pro *et.*
(1) Vulgata aliquantulum variat.
(2) Codd. *cognoscant.*
(3) Vulg. *Neminem enim habeo tam unanimem.*
(4) Vulg., *qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.*
(5) Vulg., *quæ sua sunt.*
(6) Codd. *Timotheo datum*; quæ fortasse scriptura retineri potest.
(7) Ita Codd.
(8) Vulg. *Experimentum autem ejus cognoscite.*
(9) Codd. *servierit.*

Digitized by Google

in Evangelio : *mecum* enim, inquit, servivit : non *mihi* servivit. *Hunc igitur spero me mittere mox.* Posteaquam commendavit personam et affectum et diligentiam, subjunxit quod talem virum missurus sit. *Spero*, inquit, *me mittere.* Hoc et supra, *spero in Domino.* Quod autem dixit *mox*, hoc est quod supra *celeriter.* Ut videro quæ circa me sint, mittam Timotheum ; sed cum videro quæ circa me sint. *Confido autem in Domino quod et ipse cito veniam.* Magno affectu et magna monitione hoc adjunxit, quod cum mittat Timotheum, tamen se promittat esse venturum.

Vers. 25. — Confido enim, inquit, in Domino, quia circa me omnia recte erunt ; *Necessarium tamen existimavi Epaphroditum fratrem* (1), *et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum desiderii mei* (2), *mittere ad vos.* Licet promiserit Timotheum celeriter se missurum, tamen quia (3) habet adhuc quamdam moram, cum missurum se dixit, nunc mittit Epaphroditum : necessarium, inquit, mittere ad vos Epaphroditum. Commendat personam : postea subjunxit causam. Commendatio personæ est, fratrem in lege, commilitonem castris et in labore Evangelii, vestrum autem apostolum. Ecce Epaphroditum apostolum nominat. Omnis enim qui mittitur, et qui propter Evangelium mittitur, apostolus dici potest. Denique hinc illi apostoli dicti XII vel XI a ministerio, quo mittebantur prædicare. Ita quicumque ad hoc mittitur, apostolus dici potest. Quod autem dixit vestrum apostolum, vel quia (4) ad vos mittitur ; alii enim ad alia loca : vel quem vos de vestris elegistis apostolum ; *ministrum*, inquit, tamen *desiderii mei.* Quod est autem desiderium meum ? ut vos audiatis, ut vos verbum obtineatis.

Vers. 26. — *Quia desiderans et concupiscens erat omnium vestrum* (5). Nunc subjungit causam, quare ipsum mittat : etenim Timotheum celeriter se missurum dixit, ut bono animo possit esse cognoscens, quæ penes vos sunt. Nunc hunc mittit, quia desiderat vos, et concupiscit vos omnes, et ægre est se esse absentem. Probat autem quod ægre ferat sic : *et tædiabatur propter quod audiebatis esse* (6) *infirmum* (7). Hoc, inquit, tædio laborabat, et audiebatis illum infirmum esse corpore, id est ægrotare. An hoc significat tædiabatur, ut sibi sua causa sit, quod in ægrotatione fuit ? et ex ipsa causa tædiabatur, et propterea æger fuit, quia desideravit vos et concupivit ? Inde ergo jam mitto illum vobis.

Vers. 27. — *Nam et infirmus fuit usque ad mortem : sed Dominus misertus est ejus ; nec illius tantum, sed etiam* mei, *ut non tristitiam habeam* (8). Ostendit cur vel desiderabat Philippenses vel tædiabatur ; qui usque ad mortem, inquit, fuit infirmus. In tali ægrotatione magna sunt desideria et vehementia : ad mortem, inquit, ægrotabat ; Dominus autem misertus est ejus. Ecce quoniam beneficium a Domino et hic in vita sentimus. Deinde quia et festinare ad mortem debemus. Licet enim peccati ministerium mundus sit, et idcirco fugiendus ; tamen et desiderare vitam in mundo, peccatum non est. Et si debet desiderari, recte dictum, sed Dominus misertus est ejus. Deinde quoniam omne quod ad (1) vitam hic agimus, si et justi simus, et nobis prosimus et aliis, merito nostri miseretur Deus, et reservat in vita. Sic denique adjungit : *Non illius tantum Deus misertus est, sed etiam mei, ut non tristitiam habeam.* Etenim si supra dictum *ministrum desiderii mei*, de ipso Epaphrodito ; si enim perderem *ministrum desiderii mei*, contristarer et tristitiam haberem. Ergo multi servantur : et Deus eorum miseretur, per quos aliquid agitur quod ad ministerium salvationis pertineat. Simul et nos pro hujusmodi hominibus rogare debemus, ne tristitiam habeamus si illos amiserimus, quorum auxilio utimur in divinis rebus agendis, insinuandis, enuntiandis.

Vers. 28. — *Festinantius itaque misi eum.* Discrevit missiones suas. Nam de Epaphrodito, misi inquit. De Timotheo, *celeriter*, inquit, *spero me mittere vobis.* Et tamen supra, *necessarium existimavi mittere ad vos*, non de eo est, quod missurus est, sed quod jam missus Unde hic conclusit, *misi ad vos, ut cum videritis illum, denuo gratulemini, et ego sine tristitia sim* (2). Junxit et hanc causam, cur illum miserit. Supra ideo : Misi, quia desiderabat vos et concupiscebat : nunc ad ipsos Philippenses, ut vos gaudeatis, et denuo gratulemini, cum illum videritis. Quid est *denuo gratulemini ?* ut cum in tristitia fueritis ; sic enim supra dictum, *audieratis illum esse* (3) *infirmum*, nunc rursus gaudeatis, cum eum videtis. An denuo, quia post gravem valetudinem audierunt illum sanum factum, et gratulati sunt, nunc autem si eum videant, denuo gratulabuntur ? Quod autem adjunxit, *et ego sine tristitia sim*, quia si supra dixit ministrum (4) sui desiderii esse Epaphroditum, utique cum illum mittit, quasi videri potest tristis (5) : sed quoniam et ille desiderabat illos, et gratulabuntur si illum viderint, poterit Paulus esse sine tristitia.

Vers. 29, 30. — *Excipite ergo illum in Domino cum omni gratulatione ; et eos qui hujusmodi sunt, in honoribus habetote. Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, exponens in incertum animam suam, ut suppleret id quod defuit vobis circa meum obsequium* (6). Commendatio est hæc, ut Epaphro-

(1) Vulg., hic addit, *et cooperatorem.*
(2) Vulg., *necessitatis meæ.*
(3) Codd. *qui.*
(4) Codd. *qui.*
(5) Vulg., *Quoniam quidem omnes vos desiderabat.*
(6) Codd. *per* pro *esse.*
(7) *Et mœstus erat propter quod audieratis illum infirmatum.*
(8) Vulg. *Nam et infirmatus est . . . . . non solum autem ejus, verum etiam et mei ne tristitiam super tristitiam haberem.*

(1) Ita codd.
(2) Totum versum Vulg., sic exhibet : *Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego*, etc.
(3) Codd. *per.*
(4) Codd. *ministerium.*
(5) Codd. *tristius.*
(6) Vulg. : *Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino et ejusmodi cum honore habetote : quoniam propter opus . . . . . accessit, tradens animam suam ;*

Digitized by Google

ditum suscipiant. Dat autem gratiam causamque commendationi; in Domino, inquit, excipite; id est ut eum, qui minister sit Domini: vos qui jam in Domino estis, amate Domini ministrum, et amate cum omni gratulatione. Atque id vult generaliter omnibus exhiberi, qui tales sunt. Eos, inquit, excipite qui ejusmodi sunt. Quid est autem, *ipsum excipite? in honoribus habete.* Dat etiam causas, cur ista præberi hominibus velit, quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit. Hoc utique de Epaphrodito; quia dum vult labore et animi et corporis satisfacere Evangelio, hoc est verbum Domini prædicare, multum laboravit, et ægrotatione gravi ad mortem accessit. Simul et quid Epaphrodito contigerit, et quid nos agere debeamus ostendit. At (1) quantum laboravit? ad mortem, inquit, accessit; et ponens in incertum animam suam. Non in incertum quod circa vos agebat, sed in incertum quod usque periculum laboravit (2): ut jam in incerto esset, an viveret per laborem. Quid autem egit circa vos? Ut suppleret id quod defuit vobis circa meum obsequium: ut quod ego occupatus fui, ille compleret quod mecum defuit obsequium. Etenim revera quoniam una prædicatio est, et una doctrina est, labor tantum diversus potest esse in singulis apostolis et evangelistis; unum tamen est, quod docent. Denique et ipse Epaphroditus apostolus quid implevit (3)? Hoc, inquit, obsequium, quod vobis defuit, ille complevit.

Cap. III. — Vers. 1, 2, 3. — *De cætero, fratres, gratulamini* (4) *in Domino: eadem scribere ad vos, mihi quidem non pigrum, vobis autem manifestum* (5). Gaudete, inquit, in Domino, o fratres, quod mihi non pigrum est eadem ad vos non scribere, vobis autem plurimum prodest. Firmum atque tutum est, quod scribo Græcus sit posuit, ut firmum diceret et tutum; latinus, manifestum ait. *Cavete* (6) *a canibus, attendite operarios malos, intuemini præcisionem. Nam circumcisio nos sumus, qui per spiritum Deo servimus, et exultamus in Christo Jesu, non in carne fidentes* (7). Hæc admonitio non quid faciendum, sed quid vitandum sit, docet. Monet autem ut a Judæis se temperent: cavete (8), inquit a canibus. De canibus est tractatus (9): nam et ponit scriptura divina esse canes, qui prosint et defensores sint Ecclesiæ, sicut David docet in psalmo LXVIII (10), quos dicit satiari e sanguine inimicorum in tem-

A plo Dei. Et hic adversus canes dicit, a quibus dicit cavendum esse; Judæi scilicet, qui sint, quod operarii sint et mali: operarii enim in operibus exercent vitam, Deum non cognoscentes, et salutem sibi ex operibus sperant: de quibus supra jam dictum quod opera nihil valeant. *Intuemini*, inquit, *præcisionem.* Ut apud illos præcisio sit, quod fœdam partem corporis præcidunt. *Nos autem circumcisio sumus*, inquit. Circumcidimus enim omnem malitiam ex cordibus nostris: et id facimus, quia (1) per spiritum Deo servimus, illi autem per carnem; ergo præcisi sunt, non circumcisi. Exultemus, inquit; imo potius, *exultamus.* Ubi autem exultamus? Non in carne, ut illi, fiduciam habentes, sed in Christo Jesu. Ergo avocate omnem scientiam vestram a judaica disciplina, ab ope-

B ribus Judæorum, a circumcisione judaica; et circumcisionem cordis habetote; ut per spiritum Deo serviamus et exultemus in Christo. Illi autem in carne exultent; inde fiduciam habentes, quia in carne circumcisi sunt, se posse servari, et æternam vitam mereri.

Vers. 4, 5, 6, 7. — *Quanquam ego habeam etiam in carne fiduciam* (2). Multis modis probatur Judæos omnem fiduciam in carne habere et in circumcisione: siquidem etiam sic interpretati sunt Judæi, cum salus proveniret circumciso Moyse (3): unde intelligi licet Judæos etiam de carne, et magis in carne, fiduciam gerere. Sed hoc Paulus docet, si in carne, inquit, est fiducia, id est in circumcisione; magis mihi est: ego enim in carne, inquit, fiduciam habeo. Denique ita supponitur, si quis alter putat se in carne

C confidere, magis ego. Et docet, quare in carne fiduciam si aliquis habeat, magis ipse habeat. Et sic (4) ostendit personam suam totam omni modo judaicam, circumcisione, genere, tribu, gente (5), lege, administratione in lege, studio etiam vitæ. Et tamen omnia hæc circa judaicam compleverit disciplinam; ista, inquam, cuncta damno sibi esse dixerit propter Christum, et propter eminentiam carnis ejus. Hæc igitur omnia in propositione sic probabuntur. *Circumcisus sum octava die;* hæc circumcisio est. Genere, inquit, *ex genere Israel.* Item tribu, *Benjamin.* Item gente, *hebræus* (6) *ex hebræis.* Item lege, *secundum legem pharisæus.* Item studio, *secundum æmulationem persequens Ecclesiam.* Item vita, *secundum justitiam, quæ est in lege, cum essem sine repre-*

D *hensione* (7). His ergo omnibus se probavit magis fiduciam habere in carne et in circumcisione; quæ omnia judaicæ disciplinæ habuerit, et in sanguine, et in gente, et in animo, et in vita. Quod autem dixit *secundum æmulationem persequens Ecclesiam;* ut magnum studium pro synagoga habens, ecclesiam

ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

(1) Codd. *aut.*

(2) Codd. *laboratis.*

(3) Codd. *denique ad ipsum Epaphroditus quod apostolus implevit.*

(4) Vulg. *De cætero, fratres mei, gaudete.*

(5) Ita Codd.; non, *necessarium*, ut habet Vulgata.

(6) Codices duo *caute*, tertius, recentior, *cavete.*

(7) Vulg. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem: nos enim sumus circumcisio qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu et non in carne fiduciam habentes.*

(8) Codices *caute* et *cavete* ut supra.

(9) Ita codd.

(10) Scilicet LXVIII, secundum Hebræos; at LXVII, secundum Græcos et latinam Vulgatam. Sequitur ergo, more suo, Victorinus antiquiorem recensionem.

(1) Codd. *qui.*

(2) Vulg. *Quanquam ego habeam confidentiam et in carne.*

(3) Ita codd.

(4) Codd. *si.*

(5) Codd. *tribuente.*

(6) Codd. *hebræi.*

(7) Vulg., *sine querela.*

Digitized by Google

persequeretur. Item quod ait secundum justitiam, A hoc est per mores et vitam, unde homo justificatur; in lege tamen Judæorum ait. Cum essem sine reprehensione, ut nullum crimen admiserim, fecerimque omnia quæ lex jussit. Ipsa est enim justitia apud Judæos ex lege. Verum cum justitia nunc nobis Christianis a Christo sit, et propter ipsum justificemur; *Illa*, inquit, *quæ erant mihi in lucro, hæc pro damno esse duxi* (1): hoc est damnum mihi facere intellexi, habens omnia illa vilia propter Christum.

VERS. 8, 9.— Verum (2) et hoc adjecit, *Propter eminentiam Christi Jesu Domini nostri* (3). Græcus autem habet *propter eminentiam cognitionis Domini nostri Jesu Christi* : ut illa ostendat et parva esse et minima et magis contraria, si sola sint; quia B damno sunt, inquit : et ista Christi eminentia est quæ excellat (4) et vincat omnia. *Propter quem universis detrimentis affectus sum, et ut stercora existimo* (5). Concludit sensum, omnia se illa contemnere, et detrimenta omnia pati propter Christum, ut lucri Christum faciat. Quid autem est *detrimentis affectus sum?* Omnia illa, quæ gloriosa mihi fuerant, et de sanguine, et de tribu, et de gente, et quod in lege fueram pharisæus, et quod justitiam sic servassem, ut sine reprehensione essem; his omnibus projectis, detrimenta omnium rerum sustinui; et illa omnia ut stercora existimavi vel existimo. Melius enim sic legimus, quam *existimor* : nam et græcus ita posuit, ἡγοῦμαι (6), *non* ut ipse ab aliis existimetur, sed ut existimet illa omnia superiora, ut stercora; atque illa C abjiciat, et justa sententia Christum lucrifaciat. Ipse subjungit. *Et inveniar in illo*. Hoc est enim Christum lucrifacere, jam in eo esse, et fide illi jungi, et ipsum sentire, ipsum habere.

Non meam justitiam habens, quæ ex lege est. Illam scilicet quam supra exposui, cum sine reprehensione viverem : tunc enim quasi mea justitia est, vel nostra, cum moribus nostris justitiam Dei mereri nos putamus perfectam per mores. At non, inquit, hanc habens justitiam. Sed quam? Illam subjungit : *Sed eam, quæ est ex fide Christi, quam prædixit; ex Deo justitiam, ex fide* (7). Hanc ergo justitiam, inquit, habet; non illam, quæ ex lege est, quæ in operibus est, ut dixi, et carnali disciplina; sed hanc quæ ex Deo procedit. Quæ illa est? justitia ex fide, quæ est D fides ex fide Christi, id est ex nobis (8) in Christum. Et plenissime subjecit, quæ sit fides nobis in Christum, unde nobis justitia est.

(1) Vulg., *Sed quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.*
(2) Codd. *parum.*
(3) Vulg., *propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini nostri.*
(4) Codd. *excellet.*
(5) Vulg., *propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora.*
(6) Codd. ἡγούμενον.
(7) Vulg., *sed illam quæ ex fide est Christi Jesu; quæ ex Deo est, justitia in fide.*
(8) Ita codd.

VERS. 10, 11.—*Ad cognoscendum eum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum ejus: particeps oneris mortis ejus; si quo modo obvius fiam in resurrectione, quæ est ex mortuis* (1). Exponit fidem quam habemus in Christo, quam persuadere se dixit et annuntiare Philippensibus, quæ procedit ex Deo, justitia ex fide, ex fide (2) quam subjungit ad eum cognoscendum, quid sit, qui ipse sit, unde sit. Utique de Christo hæc deinde adjunxit, *et virtutem resurrectionis ejus.* Vel in eo quod resurrexit virtute; magna enim virtus resurgere a mortuis : vel in eo quod ad nostram salvationem resurrexit; hæc enim est virtus resurrectionis ejus. Atque idem sequentibus probavit : etenim, inquit, si societatem passionum ejus habemus, sicut ipse dixit, quia mortis participes fuimus vel sumus, idcirco et participes ejus erimus. Hæc virtus est resurrectionis, quia est societas nobis passionum ejus. Quæ autem est ista societas? quia qui Christum credimus, passiones toleramus, et omnes passiones, utique ad crucem atque ad mortem : quibus his omnibus ex cognitione et ex passionum societate resurrectio provenit; et inde cum participes mortis onerisque ejus sumus, aliquo modo obvii efficimur, ut in resurrectione obvii veniamus, quæ resurrectio est a mortuis. Ecce quæ fides in Christum est; et hanc docere se dicit, docens quid in vita agendum sit; scilicet ut socii passionis Christi, et hoc credamus, et hæc nobis fides sit, quia veniemus in virtute resurrectionis ejus; participes scilicet effecti oneris mortis ejus : ut ob hoc aliquo modo obvii fiamus in resurrectione, quæ est ex mortuis. Hoc præmium est, labor ille; illa vita, hoc meritum et gloria.

VERS. 12.— *Non propterea quod jam acceperim aut jam consummatus sim* (3). Fortius hoc adjecit de se quidem memorans; sed nostrum est ad nos revocare quod de se Paulus dicit. Quid autem istud est? ut illis laboribus, et illa tolerantia societatis in morte atque passionibus, obviam ire possimus, simulque consurgere in resurrectione mortuorum. Sed non propterea, inquit, hæc ego ago, quod jam ista *acceperim aut consummatus jam sim :* quamdiu enim quisque vivit, nondum hæc accipit aut consummatur : adhuc enim in societate passionum ejus versatur : quippe cum usque ad mortem sit societas passionum. Nondum ergo accipit neque consummatur, sed perseverat usque vitæ exitum, in iisdem istis laboribus et vera societate passionum ejus manens, tunc poterit in resurrectione ejus ex mortuis obvius ire. In quo tamen etiam dubitationem posuit dicendo *si quo modo obvius fiam.* Quod adhuc enim vivit, ideo dixit *si quo modo.* Nam cum perseverat in societate passionum, qui etiam ipsa morte consimilis exiterit,

(1) Vulg. : *Ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius, configuratus morti ejus : si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.*
(2) Ita repetitur, facta in margine emendatione apud antiquiorem codicem.
(3) Vulg., *Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim.*

Digitized by Google

nulla dubitatio est quin obvius fiat in resurrectione. Quid est autem obvium fieri in resurrectione mortuorum? Perfecta atque plena vita uniuscujusque et exacta ex societate passionum Christi omnibus modis eo tempore cum resurrectio fit a mortuis, id est cum resuscitantur mortui. Ille, ut Paulus de se loquens dicit, ille, inquam, qui plena societate passionum ejus egit vitam, obvius Christo fit : non resuscitatur, sed obvius Christo fit. Alii resuscitantur tantummodo; at vero perfecti, et omni genere passi quemadmodum Christo obvii erunt, et obvii ibunt venienti Christo; sicut et ipse alibi dixit. Merito igitur *si quo modo* ait, quod adhuc in vita sit. Et merito adjunxit, *non propterea quod jam acceperim, aut jam consummatus sim : sector autem ut aliquando comprehendar, in quo et comprehensus a Christo sum* (1). Vides quod adhuc in vita se esse dicat, et idcirco supra dubitaverit. Sectatur (2) enim adhuc per passiones omnes Christum, ut comprehendat Christum, id est ut perveniat ad Christum omnibus passionibus ejus particeps factus. Christus enim omnibus passionibus suis liberavit omnes sequentes; et quodammodo comprehendit universos, sed qui sequerentur. Is qui sequi et comprehendere Christum vult, in omnibus passionibus sequi Christum debet, ut comprehendat Christum in eo in quo et comprehensus a Christo est. Nam si passionibus suis Christus liberavit omnes, comprehendit omnes passionibus suis; in his igitur sumus. Id est particeps Christo factus per ejus passiones, in eo comprehendit Christum, in quo comprehensus a Christo est.

VERS. 13, 14.—*Fratres, ego me non arbitror comprehendisse.* Adhuc perseverat in eo quod dixi quod adhuc vivit, et idcirco non jam acceperit nec consummatus sit, nec jam comprehenderit. Hoc enim dixit, *sector autem ut aliquo modo comprehendam.* Ergo arbitror nondum me comprehendisse ut exinde intelligant Philippenses quam longe a beneficiis liberationis sint, cum ipse ille Paulus in tot passionibus Christi sæpe versatus, cæsus, inclusus, feris objectus, et cæteris malis oneratus, nondum tamen se arbitretur comprehendisse Christum; quippe cum adhuc vivat et supersit. Magna illa participatio passionis per quam vere jungimur, si Christum etiam in passione imitemur. *Unum adhuc tamen quæ sunt retro transmittens in oblivionem, in ea vero quæ in primo sunt extendens me secundum regulam, sector ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu* (3). Quoniam, ut diximus, ita supra locutus si quo modo obvius fiam in resurrectione mortuorum, et docuimus cur sit posita ista dubitatio quod adhuc vivat, et multa possent accidere, maximeque ipsa illa mors; idcirco adjunxit non se arbitrari comprehendisse adhuc Christum. Sed quidam (4) habere etiam nunc in sententia se ostendit; unum, inquit. Quid illud est? ut omnia quæ præterita sunt in oblivionem mittantur, sequatur tantum quæ futura sunt in primo; id est in his quæ ante nos prima sunt, et sequenda secundum regulam disciplinamque præceptorum, a Christo ut *ad bravium supernæ vocationis, in Christo* tamen *Jesu*, venire possimus. Duo igitur præcepta sunt ad reliquam vitam christiano ordine viventi, et qui ex regula adhuc vivat, ut ea omnia quæ egit, bene licet recteque agat, non sibi tamen in memoria teneat, tamquam inde mereatur quæ consequi habet; sed mittat in oblivionem, semper deinde quasi nova sequatur, quæ restant, secundum regulam tamen vivens, ac se in ea semper extendens, atque usque ad exitum mortis custodiens regulam christiani, ut possit ad bravium venire. Nam meminisse præteritorum, etiam recte factorum primum, merito suo attribuentis et vindicantis est; cum hæc nec nostra sint, et non operibus nostris gratiam consequamur. Deinde nescio quomodo in ea quæ in primo sunt, id est quæ consequuntur, negligentes sumus, fiducia quia multa facimus. Unde præcepit apostolus, retro quæ sunt, transmittenda esse omnia in oblivionem. Potest accipi etiam illa quæ diximus, sed diversa vita qua viximus : ut ipse Paulus, quod judæus fuit, quod insectator legis, et cætera : ut hæc dixerit retro esse, et in oblivionem mittenda; ac si nostrum unusquisque vitam præteritam in oblivionem debeat mittere. Verum fortior ille sensus, etiam bene gestam, et recte secundum regulam actam vitam præteritam, in oblivionem mittere debeamus, et in ea quæ in primo sunt nos extendere secundum regulam, ut sequi Christum possimus *ad bravium supernæ*, inquit, *vocationis.* Ex eo enim jam Christiani sumus, vocati a Deo sumus. Hæc superna vocatio est : nemo enim ad Deum vel a Deo vocatur nisi in Jesu Christo. Ipse enim est janua, ipse propitiator, conciliator ipse : et hoc multis partibus docuimus : et sic vita nobis est atque esse debet; ut duce Christo præeunte, id est fide (2) nostra in Christo, ad bravium venire possimus.

VERS. 15, 16.—*Quicumque itaque perfecti sumus, hoc sentiamus : et si quid aliter sapitis, et hoc Deus vobis revelavit* (3). Hinc intelligi licet, vere nos (4) exposuisse de his quæ supra diximus, ut retro transmittamus in oblivionem ea quæ sunt gesta a nobis in recta regula. Siquidem jungit : quicumque itaque perfecti, retro mittant in oblivionem omnia quæ gesta sunt. Non enim meritis nostris, sed Dei gratia, consequimur bravium. Sic igitur hortatur : *hoc sentiamus*, inquit. Qui illi hoc sentiant? *Quicumque perfecti sumus.* Quid autem sentiamus? Ut quæ sunt retro, transmittamus in oblivionem, et præsens enim tempus, id est quod nunc gerimus, in oblivionem transmittendum est. Utique si præsens, et præteritum scilicet, et quæ

(1) Codd. *sectantur.*
(2) Vulg., *Sequor autem si quo modo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.*
(3) Vulg. : *Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor ad br. sup. voc. Dei in Christo Jesu.*

(1) Codd. *quidam.*
(2) Codd. *fides.*
(3) Vulg., *revelabit.*
(4) Codd. *vos.*

Digitized by Google

in vita habuimus : et ad ea quæ in primo sunt, extendamus nosmetipsos secundum regulam. Hoc, inquit, sentiamus omnes, et omnes perfecti. Quod vero adjungit, *et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelavit*, si plenus est sensus, et se tenens non ad posteriora conjunctus, sic intelligendus est : et si est aliquid de hoc ipso, quod nos diximus, quod vos aliter accipiatis, et intelligatis, sapiatis concedo vobis : quoniam enim de perfectis loquitur, sic enim dixit, quicumque itaque perfecti sumus. Ergo qui perfecti, etiamsi aliter sapitis : quæ conclusit ad concessionem, et hoc Deus vobis revelavit, bonum est, quoniam hoc et hoc, quod vos sapitis, et id quod ego dixi. Si autem non est istud, concedentes, pendebit sensus, ut ita dictum sit, si quid aliter sapitis, et tamen hoc vobis Deus revelavit : adjungit quod subjunctum est : *Tamen id sapiamus ad quod pervenimus* (1), id est, quod nos docuimus, et ad quod instituti sumus. Sic enim subjungit, verumtamen in id quod (2) pervenimus, in id ipsum sapiamus, *in eodem ambulemus* (3). Hoc est, ex quo Evangelium vobis pronuntiavi, et ad hoc usque pervenimus genere vivendi et intelligendi; id ipsum, inquit, sapiamus, et *in eodem ambulemus;* in id scilicet quod pervenimus : etenim dicendo *tamen*, quasi repudiat. Quod supra est non admittimus, et sensus talis : est quidem istud tolerabile et faciendum; verumtamen illud maxime. Ergo et si aliter sapitis, et si hoc Deus vobis revelavit, quo (4) aliter sapitis; verumtamen in id quod pervenimus, in (5) id ipsum sapiamus. Quid autem illud est, *in id quod pervenimus?* Quod olim ex meis monitis accepistis, et quod nunc a me præceptum est : in id enim pervenimus, ex omni admonitione et præceptis : inquit autem, pervenimus; præceptis nostris scilicet; ut quæ retro sunt transmittentes in oblivionem, in ea quæ in primo sunt, extendamus nos secundum regulam, ut ad bravium supernæ vocationis veniamus in Jesu Christo. *In eo* ergo, inquit, *ambulemus*. Adeo de vita illa et de præcepto ad vitam superior ratio est. Siquidem supra dictum, quæ sunt retro transmittentes in oblivionem, in primo quæ sunt extendamus nos. Hoc est enim *in eo ambulemus*.

VERS. 17, 18. — *Imitatores mei estote, fratres.* Opportune ad sententiam, quam loquebamur; ut nihil ipsi novi faciant, etsi aliter sapiunt, etsi aliquid a Deo revelatum habent. *Imitatores mei*, inquit, *estote, fratres;* ut quæ ego ago, quæ præcipio, quæ in vita exerceo, quod sequor (6), hoc quoque vos imitemini, et sequamini. *Et contemplamini eos qui ita incedunt, quemadmodum exemplum habetis nos* (7).

(1) Vulg., *verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus.*
(2) Ita codd.
(3) Vulg., *in eadem permaneamus regula.*
(4) Ita Codd.
(5) Codd. *in ipsum.*
(6) Codd. *se quod.*
(7) Vulg., *Et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.*

A Præceptum dederat quid agendum perfectis viris esset, et postea adjecerat ne aliter saperent, et quasi concesserat; concludens tamen ut se potius sequerentur, atque ita ambularent quemadmodum ipse. Nunc plena hortatione cum diceret, imitatores mei estote, adjecit exemplum, quo facilius persuaderet; ideo facere oportere; scilicet quod alii facerent : *Contemplamini*, inquit, *eos qui ita incedunt, quemadmodum exemplum habetis nos.* Duo conclusit, qui ita incedunt quemadmodum nos, et in eo ipso ut et ipse his esset exemplum breviter collocavit, et qui aliis esset, et qui his esse deberet. Scilicet quemadmodum illi me imitantur, etiam vos habeatis et exemplum. *Multi enim incedunt, de quibus vobis sæpe dixi* (1). Plus adjecit, ut pauci B essent qui illum viderentur imitari : *multi*, inquit, *ita incedunt.* Et adjecit aliud argumentum, ne hodie vobis exemplum proferam ad exhortationem, multi, inquit, sunt qui incedunt sicuti nos, de quibus sæpe dixi. Ergo non ad tempus protulit eos qui ita incederent; siquidem de ipsis quod ita incederent, sæpe jam dixerit.

VERS. 19. — *Nunc autem etiam lacrymabundus dico, inimicos crucis Christi; quorum Deus venter, et gloria in turpitudine eorum qui terrena sapiunt* (2). Major hortatio est, cum ex metu sit. Supra enim ex commodis et utilitatibus. Nam est (3) exhortatio quemadmodum vivant, ad hoc ipsum quod supra præcepit, cum ipse ad eamdem vitam compellat et adigat Philippenses, et dederit rursus aliud argu- C mentum quod jam multi eodem modo vivunt, et multi quos jam ita vivere ipse Philippensibus Paulus sæpe dixerit. Hæc utilitas exhortationis majore ratione firmatur, quid mali pati habeant si aliter vixerint, et ut dixi major est persuasio ex timore. Adjecit etiam affectum, dicturus mala quæ patiantur illi, qui aliter vivunt dicendo : *lacrymabundus dico.* Doleo enim et lacrymo, quia qui inimici crucis sunt, id est qui non credunt in hoc Evangelium, quod scilicet credant in Christum hominem, id est qui in homine fuerit, qui natus ex Maria sit, crucifixus sit. Omnes igitur hæretici qui neque cruxifixum, neque in homine Christum accipiunt, qui multi et varii sint; ii, inquam, finem habebunt interitum. Alii enim dixerunt hominem fuisse, non in homine D fuisse(4). Alii negant omnino natum in carne, alii negant crucifixum. Omnes ii hæretici, ut dixi, atque horum (5) similes interituri sunt. Hoc enim dixit, *quorum finis est interitus :* quæ utique consequentur hujusmodi homines. Et quid patientur, et quid sint,

(1) Vulg. *Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis.*
(2) Vulg., *Nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.*
(3) Codd. *cum* pro *est.*
(4) Sensus loci est, quosdam hæreticos dixisse Jesum merum hominem, non Deum cum assumpta sibi hypostatice humanitate.
(5) Codd. *hujusmodi.*

Digitized by Google

ita numerat, quid patientur, *quorum finis est interitus*; quid sint, *quorum Deus venter*; quid consequentur, *et gloria*, inquit, *in turpitudine eorum?* Quemadmodum sapiant, adjunxit : *qui terrena sapiunt?* De interitu; quod finis eorum sit interitus, qui hæc non credunt, id est qui inimici crucis sunt. Hoc enim dixit, inimicos crucis Christi esse, crucem Christi non credere. Hi, inquam, perituri, et finis his est interitus.

At vero istud qui non credunt, id est qui inimici crucis Christi sunt, quomodo Deum habent ventrem, de quibus dixit, *quorum Deus venter est?* Duo quodammodo sunt, id est unum de duobus, qui inimici crucis Christi sunt : aut enim carnaliter sentientes crucem Christi rident, cum hominem Christum putant in crucem sublatum; non mysterio secundum Evangelium Christum in homine crucifixum, per quod peccatum vicit et triumphavit potestates, et triumphavit per carnem crucifixam : hanc, inquam, crucem in mysterio habemus. Alii, ut dixi, ut secundum hominem, vero tantum hominem accipiunt crucem : et idcirco inimici sunt cruci, et hi quia carnaliter sentiunt, contemnunt mysterium crucis : et hi, ut dixi, de carne sentiunt, et nihil aliud quam de carne extimant, et illis Deus venter est, et gloria in turpitudine eorum est, et hi sunt, qui terrena sapiunt, quorum tamen finis est interitus. Aut rursus illi qui spiritalem sentiunt Christum, et non intelligunt illum in carne, neque crucifixum; et idcirco inimici sunt crucis Christi, et ipsi finem habebunt interitum. Et hæc pars conclusa de illis est : quamquam ista pars pertineat et ad illos qui de Christo carnaliter sentiunt : at vero hæc tria, quæ sequuntur, ad eos pertinent qui de Christo carnaliter sentiunt; ut Deus eorum venter sit, et gloria in turpitudine eorum et terrena sapiunt.

Vers. 20. — *Nostra enim conversatio in cœlis est.* Utique hoc contrarium superiori est; ad istam partem tamen quod dixit terrena sapiunt, æstimando Christum hominem esse, et hominem fuisse, et non in carne fuisse, sed cum carne venisse, sicuti Judæi venturum dicunt, et cæteri hæretici. At (1) nos contra, omnem vitam, et conversationem vivendi in cœlis habemus; sentientes de cœlo venisse Christum, induisse carnem, in cruce sublatum. Denique sic adjungit : *unde etiam salutarem* (2) *expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.* Ut et inde venerit, et inde venturus sit. Etenim si inde venturus est, et ante inde venit. Qui enim ascendit, ipse est et qui descendit. Ergo nos in cœlis habemus conversationem, quia inde et *Salutarem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum*, qui venturus est ad judicium postremis temporibus; et erit nobis Salutaris, quia in ipsum credimus, et Christum expectamus.

Vers. 21. — *Qui transfiguravit* (3) *corpus humilitatis nostræ, ut sit æquiforme cum corpore gloriæ ipsius, secundum operationem potentiæ suæ, ut possit etiam universa illi subdere* (1). Et iste locus tenet de resurrectione mysterium. Etenim quod Christus in carne positus implevit ut salvaret animas, ut et carni etiam per resurrectionem immortalitas daretur, virtutes suæ crucis operatus est. Et hæc omnia expectamus, et ipsum Dominum nostrum Jesum Christum qui, inquit, illo mysterio quo descendit et crucifixus est et resurrexit, humilitatem nostri corporis vel figuram, aut magis corpus humilitatis nostræ transfiguravit. Quomodo istud est? Quia corpus nostrum humile cum resurgit et immutatur, in melius transfiguravit Jesus Christus humilitatem corporis nostri, vel corpus nostrum humile transfiguravit in magnificum. Dat (2) illi scilicet æternitatem, faciens ipsi indumentum cœleste; ut sit, inquit, æquiforme cum corpore gloriæ ipsius. Namque Christus spiritus est, ex quo illi corpus species (3), et virtus, ipsa species quæ virtus est, species gloriæ corpus est divinæ et æternæ (4). Cum autem nos resurgentes immutabimur, et spiritales effecti fuerimus et anima et corpore et spiritu, ita enim ista in unum virum concurrunt, atque unus spiritus erunt; si et corpus humilitatis nostræ æquiforme, hoc est ejusdem atque æqualis formæ cum corpore gloriæ ipsius Christi, ut et nos spiritus simus, ut et ipse spiritus est. Fiet autem hoc secundum operationem potentiæ ejus. Omne enim mysterium atque omnis actio Christi hoc operatur hoc complet secundum potentiam suam, ut nos in unum conveniamus; cum et anima et corpus et spiritus erunt, ut (5) ipse spiritus est.

Item, quia Deus cum spiritus sit, subjicientur universa Deo cum ad unam virtutem redigentur, et sic, inquit, poterit universa illi subdere, scilicet Deo. Videri potest in continuum et non conjunctum in oratione, cum ita posuit *ut possit etiam universa illi subdere*, neque præmisit quo referamus *illi*. Etenim si *illi* ad Deum revocamus, Deus supra nominatus non est, sit obscurum et non rectum, sed ab interpretatore magis positum quam a Paulo. Quo igitur referimus *illi?* Constat quidem quoniam ob hoc operatur Christus, uti universa Deo subjiciat; sed hic Dei significatio nulla est. Quo igitur referimus? intelligendum quomodo breviter, et aperte tamen posuerit Deum. Nam cum dixit quod Christus, quem expectamus, transfiguravit corpus humilitatis nostræ, ut ipsum corpus humilitatis nostræ sit æquiforme cum corpore gloriæ ipsius; hic est ubi Dei intelligentia accipitur, et ipse Deus, cum dixit secun-

(1) Codd. *ad.*
(2) Vulg. *Salvatorem.*
(3) Ita codd. heic et infra, non *transfigurabit.*

(1) Vulg., *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.*
(2) Codd. *da.*
(3) Codd. *spi.* igitur vel *species* vel *spiritus.* At in sequentibus idem cod. *species.*
(4) Ita se habet locus in codd. Atque haud scio an satis theologice loquatur Victorinus : sed certe obscuritate sua se involvit. Recole Petavii dictum col. 1211, n. 2.
(5) Codd. *et.*

Digitized by Google

dum operationem potentiæ suæ. Omnia enim fecit Christus ut consuleret animis, æternitatem carni etiam daret, et æquiforme corpus nostrum faceret corpori (1) gloriæ suæ, sed hoc fecit secundum operationem potentiæ suæ. Operatus est enim, sed potentia ejus per quam operatus est : Deus autem est ; per patrem enim operatur. Christus quidem operatur : scilicet pater in eo est, et per ipsum operatur. Ergo ubi dixit *potentiæ suæ*, illic intelligitur Deus, cui scilicet subdit universa, et propter hoc operatur, ut possit etiam universa illi subdere. Quod autem dixit etiam universa, refertur ad id quod ipse illi subditus. Nam verbum utique quod Christus (2), subditum est Deo, est enim Deus potentior (3). Et id multis probatum rebus est (4). Ille est qui mittit, hic qui mittitur : ille pater, hic filius : hic per quem operatio est, ille operator. Ergo ista (5) si sic habent, Christus ad Deum ut ipse ei subditus sit. Sic enim dictum in Epistola ad Corinthios prima : cum vero subjecta fuerint illi omnia, tunc ipse subditus erit ei, qui sibi subdidit omnia : ut Deus sit omnia in omnibus. An ille sensus est, quod dixit ut possit etiam, ut non solum æquiforme corpus humilitatis nostræ faciat, sed etiam possit illi omnia subdere ? Superatis enim omnibus, quæ aut carnalia sunt aut creaturæ, et mutatis, subdita universa redduntur potentiæ Dei, per quam Christus operatur.

Cap. IV.—Vers. 1.—*Quapropter, fratres dilectissimi, gaudium et corona mea, consistite in Domino* (6). Omnis virtus in christianis charitas est et dilectio, quæ fieri non potest si non unam essentiam habeant et in uno consistant, unum sentientes; quod est nunc *in Domino*, inquit, *consistite, o fratres dilectissimi*. Ex quo intelligi licet unum illos velle sapere quando *fratres*, inquit, *dilectissimi*. Hoc enim provenit, ut se invicem diligant qui unum sentiunt, et in uno consistunt. In quo illo? in Christo scilicet. Cum enim fidem omnes æqualiter in Christo habeant, in illo consistunt. Quod si vos, o Philippenses, id feceritis, eritis gaudium meum et corona mea.

(1) Codd. *corpus*.

(2) Sequitur in codd. *et λόγος quod est Christus*, quæ vana repetitio est.

(3) Codd. *potentius*.

(4) Quod attinet ad hanc Victorini doctrinam subsequentemque Pauli textum, audiamus Augustinum quæst. 69, ex 83 : *Regula catholicæ fidei sic se habet, ut cum aliqua in Scripturis dicuntur de filio, quod sit minor patre, secundum susceptionem hominis intelligantur : cum vero ea dicuntur, quibus demonstratur æqualis, secundum id quod Deus est accipiantur*. Idemque Augustinus contra Maximinum, I, 18 : *Scimus dictum esse patrem filio majorem, quia in forma servi erat filius, et adhuc in forma est humana filius quam levavit in cœlum*. Denique Hieronymus, dialog. 1, 18, contra Pelag. : *Deus cui docet Apostolus juxta dispensationem carnis assumptæ subjiciendum filium*. Et quidem heic valent aliorum quoque persimiles Patrum auctoritates adversus Arianos olim prolatæ, qui Pauli verbis abutebantur.

(5) Codd. *ita*.

(6) Vulg., *Itaque, fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum et corona mea ; sic state in Domino, charissimi*.

Vers. 2. — *Euchodiam rogo, et Syntychen rogo* (1), *id ipsum sapere in Domino*. Ut et ipsæ fœminæ unum sapiant in Domino, id est ut Christum credentes, ea quæ de evangelio sunt circa Christum sentiant et intelligant. Sed rogo, inquit, exprimens profuturum illis. Non enim mando, non impero, sed rogo.

Vers. 3. — *Ita obsecro, et te, germane unijuge* (2), *adjuva illas quæ laboraverunt simul mecum in Evangelio, cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*. Supra diximus Epaphroditum promisisse venturum ad Philippenses : postea ostendit quod eum miserit, cum dixit, *festinantius itaque misi eum*. Ergo quasi hoc adjicitur, ut et ipsum in epistola mandatum habeat, rogetque eum atque obsecret, ut illas scilicet fœminas Euchodiam et Syntychen moneat id ipsum sapere in Domino. Adjuva, inquit, illas quæ laborant simul mecum in Evangelio. Quomodo laborant in Evangelio ? ut et ipsæ vel ipsum Evangelium quod ego adnuntio agnoscant, custodiant, servent ; vel ipsæ adnuntient, asserant, evangelizent ; pro modo enim loquentes de evangelio, id est de Christo et de mysterio toto evangelizant etiam fœminæ.

Denique sic adjungit *cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum*, inquit, *nomina in libro vitæ*. Ita enim mysterium memorat quod omnes, qui de Christo fidem habent, et in eo fidem habent, et loquuntur atque insinuant fidem ipsam in Christum hominibus, velut adjutores sunt evangelistis : et cum ita hoc sit, jam in libro sunt nomina eorum apud Deum, quod in vita æterna futuri sint. Istum autem esse Epaphroditum, cui ista mandat ut adjuvet fœminas superiores ut unum sentiant. Hinc intelligi licet quia dixit, obsecro te quoque, germane unijuge ; quippe de ipso supra sic locutus est : *Necessarium tamen existimavi Epaphroditum fratrem meum commilitonem meum*. Ita ibi fratrem, hic dixit *germane* : supra dixit *commilitonem* : hic dixit *unijuge*.

Vers. 4, 5. — *Gaudete ; modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Hoc est quod consequens sit, ut qui unum sentiunt, et in uno fidem habent, de Domino gaudeant, et semper cari sibi invicem sint. *Gaudete*, inquit, *in Domino*. Parum istud est; *denuo dico, gaudete*. Cum enim juncti estis corde, in Domino gaudetis : et cum gaudetis in Domino, juncti corde estis, et consistitis in Domino. *Modestia*, inquit, *vestra nota sit omnibus hominibus*. Valde enim ad meritum vitæ futuræ pertinet et ad regnum in cœlis, si modeste vivamus. Modestia enim cognitio est uniuscujusque modum tenens, nec ultra se tendens et extendens. Etenim cum nos hic sumus, humilitatem nostram (quippe cum in alienis sumus) recognoscamus, et modum teneamus humilitatis nostræ, Deus sublevabit nos. Ergo *nota sit*, inquit, *omnibus hominibus modestia vestra*. Quare hoc monet ? ut hic placeamus ? non : sed ut cognoverit Christus humilitatem nostram, erigat, et modestiam suscipiat.

(1) Vulg. *Evodiam rogo et Syntychen deprecor*.

(2) Vulg., *compar*.

Digitized by Google

Quid enim adjungit? *Dominus prope est.* Magna exhortatio magnumque præceptum et ex vero et ex vi persuasionis. Cum enim jam immineat judicium, et finis istius vitæ omnibus adventet, esse nobis properatio debet, ut et bonis moribus magnaque modestia vivamus: prope enim est judicium atque adventus Domini.

VERS. 6. — *Nihil ad sollicitudinem redigatis* (1). Id est nec curam vestri habeatis, neve de mundo mundanisque rebus cogitetis aut solliciti sitis: omnia enim necessaria vobis, et nunc in hoc vitæ genere procurat Deus, et meliora in illa vita quæ æterna est. *Sed in omni precatione et oratione cum bona gratia* (2) *petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Ut omnis actio jam Christiani fidelis et boni et perfecti, omissis omnibus sollicitudinibus (ipsa est enim renuntiatio) precibus vacet et orationi. Preces sunt, rogare Dominum: oratio est et loqui cum rogas: ipsa est enim oratio, preces cum oratione. Sed quæ illa erit oratio? aliquid petens, an nihil? Quid est quod petat ille, qui jam fidelis effectus Deum rogat? Quam igitur habebit orationem aut petitionem, quippe cum renuntiaverit omnibus mundanis? Ipse monuit ut oremus et precemur cum bona gratia; ut omnibus nobis oratio in precibus gratiarum actio sit, ut gratias agamus; quod consecuti tantum donum, Dei pietate, simus. Hoc enim ait *cum bona gratia. Bona* autem adjecit, ne inviti faciamus, sed vere gratias agamus, et bonas gratias deinde adjunxit. Quoniam oratio est in precibus, quæ potest esse de bona gratia, potest de petitione. Supra cum dixisset *cum bona gratia, adjunxit petitiones*, inquit, *nostræ innotescant penes Deum.* Cujus (3) autem non est honesta? Et cœlestia ipsa illa quæ promittuntur petat ut impleantur. Qui petit, utique talia petit quæ jam fidelem petere justum est. Ipsa enim cum cogitamus petenda, quæ volumus innotescere penes Deum, necessario talia sunt quæ conveniant fideli etiam cœlestia speranti et divina omnia. Hæc, inquit, id est petitiones vestræ innotescant penes Deum.

VERS. 7. — *Et pax Dei quæ habet* (4) *omnem intellectum* (5), *custodiat corda vestra.* Hoc præmium erit si ita precemur, ita oremus, ut cum bona gratia oremus; et ita petitiones habeamus, ut innotescant penes Deum. Hoc ita est, erit, inquit, pax Dei quæ *custodiat corda vestra*; quæ pax Dei *habet omnem intellectum.* Vehementer et acute hoc positum: etenim cum pax Dei venerit in nos, Deum intelligemus: nihil dissonum, nihil discrepans, nihil per argumenta litigiosum, nihil quod recipiat quæstionem, ut nobis contingi in mundanis: sed ita aperta omnia sunt, cum pacem Dei habeamus uti omnis intellectus nobiscum sit: pacis enim est jam quiescere, jam securitatem habere. Quum (6) Deus pacem committit cordibus nostris, jam omnis intellectus nobiscum est. Qui enim Deum intelligit, omnia intelligit: cum Deum intelligit, custodiuntur corda ejus qui intelligit. *Item corpora vestra in Jesu Christo* (1). Ecce et hic significatio est de resurrectione: et hoc quoque præmium positum vel adnuntiatum his qui ita rogant, et ita precantur cum bona gratia, ut habeant Dei pacem, et corpora in Jesu Christo. Dixit enim de corde, de intellectu, quod custodientur cum pax data est: nunc de ipsis illis, id est de corpore de anima; *corpora*, inquit, *vestra in Jesu Christo*: in ipsius enim majestate et virtute corpora nostra sunt, quæ cum ejus adventu resurgent, reviviscent, merita accipient: quæ omnia erunt nobis integra, si illa præcepta servemus, in Christo unum sentientes, gaudentes, modesti, nihil sollicitudinis habentes; in omni precatione et oratione, cum bona gratia, petitiones nostras penes Deum notas facientes.

VERS. 8, 9. — *De cætero, fratres, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate; quæ et didicistis, et accepistis, et audistis etiam in me; hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum* (2). Docuit preces quales habeamus, id est cum bona gratia item quemadmodum petitiones: deinde quæ pax, id est quod beneficium a Deo nobis detur; sic agendum, et rogandum ut custodiatur intellectus noster et corda nostra, et sint omnia corpora nostra in Christo Jesu. Hæc cum ita sint, de cætero, inquit, fratres, hæc cogitate. Quid est de cætero? postquam correcti estis, sublata jam omni discordia et errato, quoniam unum sentitis; de cætero sic sentite: quæcumque sint vera, hæc accipiatis et cogitetis. Quæ autem illa vera sunt? quæ in evangelio ponuntur, Christus Jesus Dei Filius, et cætera quæ sæpe diximus. Cum autem vera cogitatis, sequuntur ut casta sint: non enim corrumpitur quod verum est: hoc enim castum est: quod non corrumpitur, verum est. Deinde quæ vere casta sunt, hæc et justa sunt: justificantur enim sanctificatione a Deo. Omnia quæ justa, quæ casta, quæ vera sunt, quæ sancta sunt jam et amabilia, jam et bonæ famæ. Quis enim sanctum non amet? quis non bene de eo loquatur ac sentiat? Hæc ergo, inquit, cogitate quæ ad bonam pertineant famam: utique amabilia sint, et habeant charitatem, neque habeant discordiam. Omne enim amabile, concordiam habet: item quæ bonæ famæ sunt, non habent invidiam et in concordia sunt. Ex quibus omnibus superiora ad ipsam veram virtutem pertinent, posteriora ad fructum virtutis. Nam virtutis est amare vera, casta, justa, sancta, Fructus virtutis amabilia et bonæ famæ. Idcirco duo ista posuit quæ subjunxit: si qua virtus, si qua laus. Vim rerum diligenter attendit. Etenim cum gratia Dei fiant omnia;

(1) Vulg. *Nihil solliciti sitis.*
(2) Vulg. *Sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione.*
(3) Codd. vetustior *cujus* vel *quis*; alii *quid*.
(4) Ita Codd.
(5) Vulg., *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum.*
(6) Codd. *quam*.

(1) Vulgat., *et intelligentias vestras in Christo Jesu.*
(2) Vulg. *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate; quæ et did., et accep., et aud., et vidistis in me*, etc.

Digitized by Google

ipse enim per spiritum suum missum in nos et gubernat (1) et regit, ut nihil in nobis sit; ita ait, si qua virtus. Et rursus si virtus, quæ in nobis est, non ex nobis est, sed ex Deo, ne laus quidem nostra: et idcirco, *si qua laus*. Verumtamen quoniam videtur vel virtus nostra, vel laus; unde dixit ibi (2), *hæc*, inquit, *omnia cogitate*. Utique quæ illa sunt? quæ didicistis, me scilicet docente, et accepistis, et audistis, et vidistis in me. Perfectum primo posuit, *didicistis*. Unde autem didicistis? Causæ subjunctæ, *accepistis*. Rursusque ipsum accipere unde *audistis* et vidistis? ex me vidistis in me: ut non monitor solum Paulus sit, sed etiam præbeat exemplum quemadmodum vera sequantur, quemadmodum casta, quemadmodum reliqua. Hæc, inquit, agite. Supra dixit, *hæc cogitate*; nunc adjicit, *hæc agite*; ut non solum ex cogitatione sint ista bona, sed etiam in actu. Deinde adjunxit præmium sicuti supra, *et Deus pacis erit vobiscum*: quod maxime necessarium Philippensibus præmium, ut nulla sit discordia, unum sentiant omnes, sit pax in eorum ecclesia: et Deus pacis qui est pater, et ejus Filius Jesus Dominus noster, omni animæ in Deum conversæ pacem præstans: hoc est quod ait pax vobiscum.

Vers. 10. — *Gratulatus sum autem vehementer in Domino quod tandem aliquando refloruistis, ut et pro me sapiatis in quo et ante sapiebatis* (3). Ut in errorem lapsi Philippenses fuerant docti in Evangelio ab apostolo Paulo; sed nunc admoniti, reversi sunt in pristinam intelligentiam ut credant in Evangelio quemadmodum adnuntiatur. Et *refloruistis*, inquit; id est ad florem reversi estis: ideo in Domino gratulatus sum, et vehementer gratulatus: et hoc est quod ait, *ut pro me sapiatis*: id est ut ego quemadmodum vos docui, sapiatis; cœperant enim aliter sapere. Quod autem ait, *ut pro me sapiatis*, quia intelligentia vestra et sapientia quæ fuerat una pro me non erat: nunc autem cum sapitis quemadmodum docui, et Evangelium tradidi, pro me sapitis; id est prodesse mihi potest, quoniam vos docui. Et quid illud est, in quo et ante sapiebatis, nunc refloruistis et idem sapientes pro me jam sapitis?

Vers. 11. — *Occupati autem eratis. Non propter penuriam dico* (4). Si hic sensus superiori jungitur, quia dictum supra est, etiam pro me sapiatis, id est ut de me cogitetis, erit intellectus ut ea quæ mihi sunt necessaria, mittatis; sed etiam misistis: et ideo dictum sit, gratulatus sum autem in Domino quod tandem aliquando refloruistis, et abundare cœpit fructus ex operatione vestra. Sic enim postea dicit, *et cœpistis pro me sapere*: in quo est et illud, *in quo et ante sapiebatis*, ut mihi necessaria mitteretis: et hoc est quod sequitur. Quo modo sapiebant? Ante occupati erant, ante in his operibus. Quod quidem Paulus, *non ideo*, inquit, *dico propter penuriam*. Non enim quod volo (1) pro me sapiatis aut in quo et ante sapiebatis, et in quo occupati eratis ut mihi mitteretis, aut quod nunc volo ut mittatis, propter penuriam dico. Sic enim et postea ait, *non quia exquiro abundantiam in oratione*. Non ergo propter inopiam istud quæro, sed ut fructus sit abundans in oratione vestra, cum hæc omnia pro me curatis et sapitis: ita est enim curam gerere; non quia egeo. Nam, et abundo, inquit; quippe sufficiens mihi sum: sic enim subjungit: *Et ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse*. Novi sensus (2) hic est: *novi*, inquit, *sufficiens esse, in quibus sum*: didici enim ego ut contentus sim quæ habeo; et in quibus sim mihi ipsi sufficiens: non enim ad sumptus tantum hoc referendum, sed curam et cogitationem et orationem exhibere debent pro Paulo: ut hoc sit ad omnia referendum; ut et pro me sapiatis, in quo et sapuistis. Generaliter ergo ut vel necessaria, vel ut oratio et cura Philippensibus pro Paulo habeatur. Denique non ad fortunas tantum vel ad necessaria quæque posuit etiam hoc:

Vers. 12. — *Et humiliari novi et abundare* (3): et de virtutibus, et humiliari novi et abundare in omnia, in eodem modo: id est præbere omnes virtutes. *Et in omnibus* (4) *institutus sum*. Id est ad omnia assuefactus, et fere sitim, famem, frigus; et rursus in abundantia lætari. Sic et de virtutibus, et de laboribus, in omnibus, inquit, institutus sum; et satiari, et famem sustinere institutus sum, inquit, et copia satiari, et rursus famem sustinere. Item ipsa duo repetit, et abundare, et egere in omnibus possum. Dicendo in omnibus, non ad necessaria victus nostri diximus, sed ad omnia quæ in actu sunt, labores virtutesque, referenda sunt ista. Ita se institutum dixit, ut possit et abundare et egere in omnibus. Novum est quod ait in omnibus egere possum: id est tolero cum in omnibus egeo, id est egens fuero.

Vers. 13. — Atque ut verum, et nihilominus ex disciplina dicat evangelica, adjungit, *Per eum qui me confortat*. Quod genus vitæ semper et habendum et tenendum, ut et nos laboremus, et nostri instituti sit omnia ista gerere, com plere, ferre, tolerare: ita tamen ut hoc credamus, quia nos ad omnia ista fortes Deus fecit. Cum enim dixerit, *in omnibus egere possum, et famem sustinere* (5), revocavit virtutem suam ad Deum: *per eum qui me confortat*. Ita et vos, et omnes qui in Deum fidem habent, credant certe quæ sint, se posse fortes fieri, et in egestate, et in cæteris laboribus. Deus enim nunquam deest his qui eum diligunt, qui in eum fidem habent et spem.

Vers. 14. — *Sane bene fecistis quod tribulationi meæ communicastis* (6). Id est participes fuistis vel subve-

(1) Codd. *gubernabat*.
(2) Codd. *sibi*.
(3) Vulg., *Gavisus sum autem in Domino vehementer quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire sicut et sentiebatis*.
(4) Vulg., *non quasi pauper penuriam dico*.

(1) Codd. *voco*.
(2) Codd. pro *sensus* habent *se risus*.
(3) Vulg., *scio et humiliari, scio et abundare*.
(4) Vulg., *ubique et in omnibus*.
(5) Vulg., *institutus sum et satiari et esurire et abundare et penuriam pati*.
(6) Vulg., *verumtamen bene fecistis, communicantes tribulationi meæ*.

Digitized by Google

nistis mihi in tribulatione ut est communicatio, pari modo jungi mysterio : qui autem compatitur cum altero, et subvenit alteri.

VERS. 15. — *Scitis autem etiam vos, Philippenses, quoniam per initia Evangelii cum a Macedonia profectus sum, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos tantummodo* (1). Hic aperte exposuit, ut supra dictum est; tribulationi meæ communicastis, id est auxilium et præsidium dedistis, dando mihi necessaria. Denique hoc adjungit : scitis, inquit, Philippenses; et vos quoque scitis, quoniam in principio evangelii, quando profectus sum in Macedoniam, per omnes ecclesias evangelizavi; sed nulla mihi, inquit, communicavit. Ubi autem communicavit? in ratione, inquit, dati et accepti : id est in sumptibus, quod est datum et acceptum : nam qui dat (2), habet rationem cum eo qui accipit : et qui accipit, habet rationem cum eo qui dat, quantum dedit, quantumque accepit ille qui accepit. Non quo et ipse dederit aliquid, qui accepit; sed cum munus dat, ratio dati est et accepti. Quid enim est in quo Paulus de pecunia daret? Sed quoniam ratio dati et accepti est in pecunia inter eos qui dant et eos qui accipiunt, ideo sic junctum. Non enim pecunia accipitur pro evangelio, ut ratio dati sit in pecunia; at longe aliter.

VERS. 16. — Vos, inquit, tantummodo communicastis. Denique subjungit illos dedisse : *Propterea quod in Thessalonicam semel et bis misistis ea quæ mihi necessaria fuerant* (3). Aperissime declaravit quid sit *quod communicavistis* (4) et quomodo ratio sit dati et accepti. *Vos*, inquit, *tantummodo in Thessalonicam semel et bis misistis ea quæ, mihi necessaria fuerunt.*

VERS. 17. — *Non quia requiro datum; sed exquiro fructum abundantem in oratione vestra* (5). Non egeo, inquit, neque ista necessaria exquiro, sed tantum benevolentiæ vos usum habere debetis, ut mihi fructus vestræ benevolentiæ sit, quod in benevolentia abundatis; id est ut cum orationem de vobis habeo, sit mihi fructus benevolentiæ vestræ. Cum vel Deum pro vobis rogo, vel Deo pro vobis gratias ago, est mihi fructus circa orationem, quæ pro vobis est, dum abundare vos intelligo et esse benevolos.

VERS. 18.— *Habeo enim omnia et abundo.* Ideo, inquit, non requiro datum; nam omnia habeo : et multi habent omnia, sed non abundant : vere enim possumus adhuc velle si non abundemus, sed habeamus. Qui abundat, et habet et plusquam necesse est habet. Supra enim dixit, *quæ mihi necessaria fuerunt misistis;* nunc : Hæc, inquit, ego habeo et abundo. Denique persequitur ut ostendat abundantiam : *Repletus sum cum accepi quæ per Epaphroditum misistis.* Ne illud quod abundat alienum sit, dicit et ipsorum esse quia A miserunt : *Repletus sum*, inquit, *cum accepi ea quæ per Epaphroditum misistis, odorem suavitatis, sacrificium acceptum, sanctum, gratum Deo* (1). Si supra nihil aliud de eo quod datur expetere se dixit nisi fructum abundantem, ita et hic cum repletum se dicit, et accepisse quæ missa sunt, non in his quæ missa sunt gaudeo et repletus sum; sed in eo quod habuistis voluntatem curamque mittendi, quæ est benevolentia, et fructus abundantiæ; unde ordo mihi suavitatis est, vos tales esse; et sacrificium sanctum, gratum Deo, libenter facere quæ facias; curam gerere, præstare quod præstandum est alteri ad necessitates : hoc est ipsum sacrificium et sanctum et acceptum et gratum Deo, ipsa benevolentia.

VERS. 19, 20. — *Deus autem meus impleat omne* B *desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu. Deo autem et patri nostro gloria in sæcula sæculorum.* Quoniam et rectos opera ipsa, et bonos ex voluntate quod libenter mittant et curam gerant sacrificium esse hoc optimum Deo dixit et odorem suavitatis. Jam ad referendam gratiam optat, votum facit, ut Deus (sed apostoli sit Deus), *Deus*, inquit, *meus;* ne commune sit cum cæteris; *impleat omne*, inquit, *desiderium vestrum*, et impleat *secundum divitias suas.* Id est cum vos non expetieritis quæ mundi sunt, sed ea quæ Deus de divitiis suis largitur et dat, id est quæ cœlestia sunt, quæ divina; ipsæ sunt enim divitiæ Dei. Denique adjunxit, *gloria in Christo Jesu*, ut hæ sint divitiæ, quæ sunt in Christo Jesu, id est vita æterna, sanctificatio. Adjunxit autem, quod cum religione semper adjungitur, et devotione et obsequio : *Deo*, inquit, *gloria, Deo patri;* et *Deo*, inquit, *nostro*, scilicet Jesu Christo (2) patri nostro : sit illi gloria æterna, quod est *in sæcula sæculorum.*

Finit epistola. Inde monitis præceptis quæ ad recte vivendum, sequuntur salutationes. Primo salutat ipse, vel salutari suo nomine alteros mandat. Quos tamen alteros?

VERS. 21, 22. — *Salutate omnes sanctos in Christo Jesu.* Sanctos in Christo Jesu, an in Christo Jesu salutate? *Salutant vos qui mecum sunt fratres.* Non, inquit, solus saluto vel mando ut salutetis, sed salutant vos et fratres. Adjecit *qui mecum sunt.* Hoc de plebe et de omni christiano, qui secum sit, accipi voluit. Denique aliud : *salutant vos universi sancti*, quos utique accepta fide sanctificavit : *præcipue autem qui sunt ex Cæsaris domo* (3) : ipsi vos præcipue salutant, qui sunt de domo Cæsaris. Ex virtutem evangelii ostendit, quod de domo Cæsaris crediderunt multi : qui utique erecti esse debuerant, et nihil aliud quam de Cæsare cogitare : et rursus humilitatem ipsorum, qui et humiles sint et hospitales, et omnes fratres salutent alibi posi-

(1) Vulgata non nisi aliquantulum variat.
(2) Codd. *quidam* pro *qui dat.*
(3) Vulg., *quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis.*
(4) Codd. *communicavi istis.*
(5) Vulg., *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.*

(1) Vulg., *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*
(2) Nota testimonium de Jesu Christi divinitate; et recole comment. ad Galat.
(3) Vulgat. nonnisi leviter variat in his duobus versibus

Digitized by Google

tos. Quod autem dixit *præcipue* intelligi licet illos operam dare ut placeant in obsequio, et idcirco extra cæteros dixerit quod ipsi salutant.

VERS. 23. — *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Qui ita sensit de Philippensibus ut illos non quomodo in cæteris epistolis rectum sentire, neque a pseudoapostolis seductos esse accepit, sed tantum exhortativa epistola scripta et in prece. *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro.* Si enim spiritus inest, recte sentiunt. Quid ergo preces aguat apostoli? Ut gratia Domini Jesu Christi sit cum spiritu illorum in Christo Jesu. Amen.

Victorini commentarium in epistolam Pauli apostoli ad Philippenses explicit.

VICTORINI

IN EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

Epistola ad Ephesios summam illam tenet, quæ totius disciplinæ semper esse debet, scilicet ut habeant cognitionem theologiæ, id est Dei Christi, mysterii ipsius et adventus, et cæterorum quæ ad eam cognitionem pertinent. Item præcepta vivendi Christianis vel omnibus vel singulis convenientia continet: quid dominum apud servum, apud patrem quid filium, quid maritum apud uxorem, oporteat facere. Hæc igitur cum duo sint, principio de theologia disponemus universa: deinde de vitæ genere et præceptis ad vivendum. Sane materia illa est similiter, quæ in omnibus custoditur; quod etiam Ephesii a pseudoapostolis depravati videbantur judaismum jungere christianæ disciplinæ. Monendi igitur modo et corrigendi, epistola ista conscripta est; ut illa, quæ sunt illis male insinuata, corrigant, emendent; et quod ante illis traditum est, custodiant, atque in eodem perseverent. Summa igitur in principio ista est: Christum Dei filium, et ante mundum fuisse, et semper esse, et ipsum venisse, et in eo spem positam esse; et ejus promissa, Dei promissa esse. Quod si ita est, judaica disciplina longe discreta est, aliter accepta, aliter insinuata, aliter intellecta, sicuti frequenter diximus, et nunc exponimus. Non ergo adjungenda est vel scientiæ divinæ vel vivendi operibus et actibus.

CAP. I. — VERS. 1. —Sumit ergo initium Christum, ut insinuet et eum se evangelizare profiteatur, et quod in ipso uno sit spes. In quo principio secundum consuetudinem suam Apostolum se Jesu Christi dicit, ut ad Romanos: *Paulus servus Christi Jesu.* Secundo adjunxit *vocatus apostolus* utique vocatus a Christo; et cum prædestinatus in evangelium Dei, a Christo prædestinatus; olim prædestinatus; et si olim, ergo olim Christus; hoc enim Judæi negant. Eodem modo ad Corinthios *Paulus vocatus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*, quæ est Christus: voluntas enim Dei, Christus est; quia ea facit quæ Deus vult. Ergo Christi apostolus et vocatus a Christo: hæc est enim voluntas Dei. Eodem modo et in secunda: *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Nunc quoque iisdem verbis: *Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei.* Sed hæc cum dicit, *sanctis qui sunt fidelibus Ephesi* (1), quid adjungitur? *in Christo Jesu.* Ita omnibus modis confirmat omnem virtutem et evangelii et intelligentiæ in Christo Jesu consistere, et inde liberationem et promissa et æternam vitam. Eodem modo et in cæteris, ut post dicemus.

Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Christus enim Jesus in corpore, ipse autem in spiritu voluntas Dei est. Cum ergo elegit Jesus Christus et apostolum Paulum fecit, per spiritum elegit, qui est voluntas Dei, vel potentia agendi quæ velit: vult autem Christus quæ Deus vult. Intelligamus igitur, ut sæpe diximus, Deum esse ipsam potentiam, magnitudinem, substantiam plenitudinis totius; Christum vero, id est λόγον eum, qui in Christo fuit, Dei voluntatem. Et hoc si penitus aliqui (1) ac diligenter attendat, inveniet inseparabilia esse Deum et ejus voluntatem, et tamen quasi separabilia. Aliud enim Deus, aliud voluntas, juncta tamen et cohærentia, et nunquam discreta inter se sunt, et Deus et Dei voluntas. Sic fit ut sola voluntas sciat, quid Deus velit et cogitet. Significat ergo paternam potentiam voluntas Dei, et in patre posita; et rursus ipsa patria potentia in filio; quia filius voluntatem Dei facit. Simul et hoc attentius videndum, quomodo filius sit, et quomodo pater. Non enim generatione mota, sed (si similitudo capienda est) quasi quodam partu mentis, cogitatione prorumpit velle conceptum et effunditur. Etenim cogitationes animæ, quasi filii sunt animæ. Porro cum Deus universali cogitatione unam voluntatem habeat, idcirco unus est filius et unicus. Non enim cogitavit prius aliquid, et postea aliud vel diversum, non modo contrarium. Unde unus Deus, unus Christus; id est unus pater, unus filius. Sed ut diximus, hæc semper voluntas a Deo, et in Deo est potentia, et ipsa Dei, et patris virtute plena et ipsa existens, et ipsa quæ huc venerit in mundum sæpe alio atque alio modo; et nunc in carne, quam sibi potentia sua formavit; et mysterium propter mundum et animas, quæ in mundo trahebantur, implevit. Scribit igitur Paulus *sanctis*, inquit, *qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.* Constrinxit illos et ligavit ad religionem cæteramque vivendi legem, quod et sanctos illos appellavit et fideles in Christo, inquit, Jesu. In aliis epistolis cum ad Ecclesiam et ad populum scribit, non apponit *sanctis et fidelibus;* at vero nunc, quia illos ad legem nominis tenere cupiebat, ne novum aliud quod extra nomen esset adjungeretur,

(1) Vulg. finem hujus vers. sic exhibet: *Omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu.*

(1) Ita codd. pro *aliquis.*

Digitized by Google

quoniam sanctificati jam sunt hoc nomine, et fideles in Christo sunt ; idcirco eo ipso quod illos in Christo sanctos et fideles nominavit, ostendit illos nihil aliud sentire debere, nisi Jesum Christum, cujus nomine sancti sunt et fideles.

VERS. 2. — *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo.* Duo sunt quæ maxime et contentiones tollunt et præceptionem Dei tradunt, gratia et pax. Quoniam igitur isti errore tenebantur(1), idcirco optata est illis gratia, id est ut Deum noverint, et plene Deum et Christum sequantur, et in Christo omnia collocent, nihilque aliud admittant : si quidem judaismus non eodem modo est, ut non Christum laceret : non enim legem, sed intelligentiam vivendi acceptam a Judæis repudiat, sicut post docebimus. Ergo gratia vobis, inquit, ut intelligatis Deum, et secundum Dei præcepta vivatis. Adjunxit *et pax a Deo :* quia qui dissentit, utique discordat : ergo et pax a Deo vobis, cum Deo patre, inquit, nostro. Vide quantum gratiæ datur a Deo, quæ optata est Ephesiis : siquidem Deus pater est noster. Deinde adjunxit (unum est enim sicuti supra diximus) *et Domino nostro Jesu Christo.* Ille enim Deus est, hic enim Dei potentia est ; ille pater, hic filius. Maxime omnis Dei gratia et potentia in Christo Jesu est. Per illum enim cum impletum sit mysterium salvationis, in ipso est omnis salvatio. Nam et ante Christum idem Dei filius, id est λόγος, id est Christus, et fuit, et semper est, et erit, et per ipsum condita sunt omnia. Sed idem ipse in Christo fuit, idest (2) Jesu ; et tum subvenit saluti omnium hominum Deum cognoscentium et præcepta sua servantium.

VERS. 3. — *Benedictus est* (3) *pater Domini nostri Jesu Christi.* Magnificum argumentum sumit, ut exponat per Christum omnia facta, et potentiam mysterii. Id ergo junxit ut quantum nobis præstiterit Christus, id est Deus per Christum, cognoscerent homines, et magis Ephesii : quo cognito, a Christi nomine non recederent. Etenim supra dixit *gratia vobis et pax a Deo patre nostro.* Et cum dixisset *et Domino Jesu Christo*, quid subjungit? *Benedictus est pater Domini nostri Jesu Christi.* Jam ergo si Deus et pater noster est, quanti sumus, et quanti gratiam accepimus? siquidem Christo cogniti sumus, et fratres Christi facti : siquidem unum Deum patrem habemus. Sed hæc omnia non nisi per Christum. Denique sic subjungit, quia per Christum et nos Deum patrem habemus. *Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo Jesu.* Ergo nos filii efficimur, sed in Christo filii ; id est si Christum fateamur, si illum sequamur, si ipsum concipiamus animo, si ejus administrationem, qua complevit universa, et intelligamus et veneremur : et ipsum sequentes genere vivendi per præcepta data, filii efficimur. Ergo benedictus est pater. Quoniam et noster et Christi, adjunxit *pater Domini nostri Jesu Christi.*

Deinde subjunxit causam, quomodo benedictus *qui nos*, inquit, *benedixit in omni benedictione spiritali in cœlestibus.* Hic hominum miserandus error attendat, benedictos nos dixit et in omni benedictione benedictos : ergo nihil mali pati debet qui benedictus est. Sed quid (1) adjunxit? id est in omni benedictione spiritali, non carnali. Quod si quid hic in mundo patimur malorum, si quid etiam extra, non adscribamus Deo, sed nobis magis. Tunc enim benedictionem consequimur si spirituales simus, et spiritaliter sapiamus, et spiritalia bona quæramus. Et potest quidem fieri ut hæc omnia sentiamus; nec obsit, si hæc et alia sentientes, patiamur tamen aliquid adversi in mundo. Namque multi spiritaliter agentes, spiritaliter viventes, multa substinent adversa, ut Paulus, ut Petrus, ut cæteri. Verum ubi est illa benedictio, quæ nos benedictos facit? Dei benedictio : non spiritali tantum benedictione, sed in cœlestibus, id est cum ex hoc mundo exierimus. Ergo ferenda sunt omnia, quia quæ nobis promittuntur ex Dei benedictione, et spiritalia sunt et in cœlestibus sunt, id est extra mundum, supra cœlos. Et hæc tamen omnia, sicuti dicit, in Jesu Christo : ipse est enim spiritus. Et spiritalia cum promittuntur in Christo promittuntur : et nos tunc consequemur spiritalia, si Christum sequemur.

VERS. 4. — *Ita ut* (2) *elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus sancti.* De divinitate tractatus est, et mysterii totius brevis explicatio, in quo ponuntur hæc ; quod ante mundum Christus, et quod mundus factus, et quod ante mundum animæ (3), et quod Dei dispositione mundus, et quod Dei dispositione animæ vel in mundum venerint, vel de mundo liberentur : sitque voluntas Dei omne quod geritur, et quod præmium sit secundum Christum viventibus, ut et peccata donentur, et participatio sit nobis gloriæ Dei; de qua et in aliis epistolis tractavimus. Simulque hic tangitur quæ summa, quæ causa sit totius mysterii; vel mundum factum esse, vel in Christo mundum, aut a Christo mundum factum : vel animas in mundum missas, vel ante mundum animas, et rursus de mundo animas liberatas : quæ quidem occulta vera tamen et plena sunt. Quare summa concluditur, quod Christo operante, et per Christum, et in Christo, omnia reconciliantur Deo quæ et in cœlis sunt et in terra, in Christo tamen, ut omnibus ad plenitudinem redactis, omnia in omnibus unum essent, et id tamen fieret per plenitudinem temporis ; nihil enim immaturum, nihil non ordinatum, sed plenitudine temporum gestum est, ut suo loco docebimus. Ad quam plenitudinem specialiter descendens Apostolus, jungit

(1) Codd. *tenebant.*
(2) Codd. *id.*
(3) Ita codd. *est*, non *Deus*, quod verbum exhibet Vulg. ed.

(1) Codd. *cum* pro *quid.*
(2) Vulg. : *Sicut..... ante mundi constitutionem.*
(3) Opinio per se falsa, quamquam ab aliis quoque nonnullis recitata. Verumtamen Victorinus, col. 1241 subtilitate quadam philosophica declarat, quamam ratione animæ videantur multo ante corpora extitisse.

Digitized by Google

etiam Ephesios evocatos esse, ut et ipsi in plenitudine sint; ut ex hoc eos hortetur ac moneat debere servari fidem, et in Christum, et in Deum fidem, uti nihil aliud sentiant, nisi omne mysterium, et per Christum et in Christo a Deo perfectum. Quod si ita est, nihil adjungant, nihilque existiment esse faciendum : corrigantque illud, quod judaismum associaverant disciplinæ puræ simplici de fide in Christum et salvatione et liberatione per Christum et ex Dei voluntate.

Primum igitur consideremus quod ita locutus est *elegit Deus nos* utique jam cum essemus (1) elegit; et elegit in Christo : ergo et nos, et Christus ante. Et quid est ante? utique ex æterno. Hoc enim dixit *ante constitutionem mundi : elegit*, inquit, *ante constitutionem mundi :* non elegit nisi de his qui erant : et deinde tum dixit in Christo, id est in ipso : ergo et Christus fuerat, et nos in Christo. Neque enim fieri potest ut Christus fuerit, et nos non fuerimus. Si elegit nos in ipso Christo, ergo spiritales fuimus, si in Christo fuimus : et si fuimus in Christo et spiritales fuimus; fuimus autem, ut postea subjungit, *ante constitutionem mundi;* quid est causæ ut huc veniremus, et cur constitueretur mundus? si Christus omnia, quæ et in æternis sunt et in mundo, ipse per Dei voluntatem fecit omnia, et omnia in ipso fuerunt; et fuerunt utique substantialiter, jam non vi nec potentia qua futura erant, sed qua jam fuerant. Ergo erant omnia in Christo. An cur constitutus, an cur in mundum plurima huc venerunt, animis et cæteris hujusmodi potentiis in Christo ut dixi positis, perfectio quædam minor est? nisi omnia, quæ esse possunt, experiantur, cognoscant : et sic quid sequendum, quid eligendum sit, videant, et sequantur in spiritu utique, qui Christus est : sicut vi et sua potentia animæ non hoc ipsum sunt quod spiritus, sed sunt ut recipere spiritum possint : non tamen in eo (2) quod animæ sunt, jam spiritus sunt (3).

Quoniam igitur talis natura animarum est, uti si integre et perfectis omnibus se agat; id est si et se noverit, et Deum sciat, et ea quæ sunt aliena ita discat, ut repudiet ut excludat, merito fit perfecta; et perfecta cum fuerit, repudiatis alienis, cognito Deo, scientiam plenam cum receperit universitatis, continuo efficitur spiritalis. Sic etiam et homo, et omne quod homo est. Cum autem secundum intellectum potens anima sit, falli autem intellectus potest; nisi sciat etiam id quod imitatur intellectum; non tamen est intellectus si in (4) hoc quod fallit, quod mentitur, ac decipit, animadvertat anima, cognoscat, et repudiet, et fugiat quasi hostem et deceptorem, facile se et virtutem suam tenebit, et cognoscet, et erit plena et perfecta in Christo, id est spiritalis. Quid est autem quod faciat similitudinem intelligentiæ, et decipiat tamen sensum, qui non est nisi in mundanis et in materie (1) quam ὕλην Græci vocant? carnalibus enim, et foraminibus (2), et sentiendi virtutibus, quasi quidam intellectus nascitur fallax et multiplici fuco decipiens integram intelligentiam et lædens quodam modo per imagines veritatem. Cum sit igitur animæ naturale (3), ut intelligendi quidem potens sit, intelligentia tamen facile labi et cadere in vicinam virtutem possit, atque imaginem intelligendi, id est sensum, qui in mundo ex natura totus est, ut hoc caperet, neque aliquando caperetur; opera Dei et voluntate mundus factus est, et omnia composita sunt in materia : quibus anima detenta cognosceret, et qui sunt sensus, et quantum valeant : dataque lex a Deo est et monitiones, ut cognosceretur Deus, et cognosceretur quod Dei non est; sed tantum victæ animæ sensualibus potentiis, nihil nisi mundum, materiam, et carnem, et corpus in sensu haberent; et hæc vera sola crederent; neque idoneæ essent ad vincenda et rumpenda vincula quæ animam continerent Dei potentia et voluntate; ut eas liberaret a sensibus et a fallaci mundo misit filium suum Dominum nostrum Salvatorem Christum spiritum sanctum, uti mysterio patefacto doceret primum quid pater esset; deinde quid esset spiritus, et quid spiritaliter vivere, et quid anima sequeretur, et quid esset alienum, sicuti docui. Hæc est enim virtus Christiani, discernere ista et separare, quæ sunt æterna, quæ mortalia, quæ ad perniciem ducant, quæ ad salutem.

Ergo mysterio quod hic implevit, et carne, et cruce, et morte, et resurrectione, subventum est animis : etsi in Christo fides sumatur, ille suscipit hujusmodi animas et adjuvat et liberat. Christum enim credere, et in Christum fidem sumere, jam spiritaliter sentire, et jam tolli a desideriis carnalibus et materialibus : et ex hoc veluti cognatio intelligendi nos jungit et sociat Christo : et dum Christo sociaverit, inquit, et Deo. Per Christum enim Deo jungimur, neque spes ulla salutis nostræ nisi Christum credere. Hoc est spiritaliter jam sentire, et capere sensum, et mundi et materiæ motibus non exagitari : quibus omnibus homo totus in spiritu vero est, et ex hoc jam in Christo est vita : cum autem in Christo vita est; jam mysterio acto a Christo recipimur, et per Christum in numerum filiorum suscipimur a Deo, spiritales facti, ut nos quoque de mundo resurgamus et de morte per Dei voluntatem, sed in Christo tamen. Hoc enim et nunc, et sæpe et ubique præcipitur, ut in Christo tota sit vita nostra, tota spes, totus intelligendi labor. Omnis enim ratio æternitatis nostræ et gloriæ et salvationis, et Christus est, et in Christo est, si projicientes omnia spiritaliterque sentientes, separemus a nobis mundanas cogitationes, mundanos affectus, carnalia quodammodo desideria, carnales dignitates, carnales potestates, et mundi etiam velle potentias vel dignitates. Omne

(1) Nempe in cogitatione Dei, ut dicit inferius loc. cit. Victorinus.
(2) Codd. *quo*.
(3) Distinctio hæc declarabitur mox.
(4) Codd. *in qua*.

(1) Ita codd., at infra *materia*.
(2) Ita codd.
(3) Codd. *anima naturali*.

Digitized by Google

enim quidquid mundanum est, licet cœleste sit in mundo etiam vel ætherium vel quodlibet aliud divinum nominatur secundum mundum et æternum, sed secundum mundum tamen, neque divinum est neque æternum est; etenim materiale: et quicquid materiale est, et temporale est et caducum et corruptibile.

Ergo si omissis omnibus mundanis, sicuti dixi, in Christo tota intelligentia sit, et de Christo tota intelligentia nostra sit, et propterea per Christum de Deo. Unde spirituales, ut dixi, facti resurgimus, et Deo per Christum jungimur, fitque per omnia plenitudo; quæ plenitudo nihil aliud est, quam quod omne quod ejus est, ipsius sit: unde cum animæ gradu progressionis ex ipso, cum ipsius essent, tamen quia quadam longinquitate ab ipso minore luce fulgebant et minore lumine non ita perfectæ fuerant, id est quia labi ab intelligentia veri poterant in ea quæ verisimilia erant, et a verisimilibus in falsa, id est in ea quæ sensus sunt; sunt autem ea, quæ dixi, vel mundus vel materia vel omnia in mundo. Hæc nesciendo anima minus perfecta esset, et tali natura permaneret, si ista veniens cognosceret et contemneret: et ut perfecta ab eo quo capi poterat, adque integra redderetur, fecit Deus mundum ad cognitionem sensuum, uti quia magnis illecebris sensuum captæ animæ jam illam virtutem luminis sui perdiderant. Quippe caro factæ et carnalia sentientes, mysterium per Salvatorem completum est, uti et discerent homines parentem suum, et ad virtutem intelligendi, contemptis sensibus et calcatis et contritis omnibus, pervenirent: et sic perfectione per omnia completa, et in omnibus secundum Christum et per Christum et in Christo unum fierent universa: et sic plenitudo illa, sicuti supra dixi, perfecta ex omnibus redderetur.

Hæc in his sermonibus ita tractantur uti doceantur universa facta, et per Christum facta, et Dei per Christum in voluntate completa: ita ut elegit nos, benedixit nos in ipso. Unde id probas? quia *benedixit nos* ita ut, inquit, elegit. Quando autem elegit? *ante constitutionem mundi*. Quando autem benedixit nos? quando ad fidem accessimus cognovimusque mysterium: *ita ut elegit nos in ipso ante constitutionem ut essemus sancti*. Admoneo, ut sæpe admonui, salutem nostram atque omnem æternitatem in Christo esse et per Christum; animasque nostras et ante mundi constitutionem fuisse, quippe cum sua substantia in æternis semper extiterint (1). Has igitur Deus ante mundi constitutionem prædestinavit et elegit ut sanctificarentur: id est acceptio spirituum confirmaretur, depositis omnibus vitiis, quæ in eas incidere possent, spiritus fierent. Cum enim natura sint aliud, in sensum, qui mundi et mundanorum totus est, labi possint et rursus excitata virtute naturali, et Deum noverint, et Deo viciniæ sint, et Deo veluti filii exsistant; ante constitutionem mundi Deus constituit illas atque elegit ut sanctæ fierent, et sanctificarentur; mundusque propter eas est constitutus; ut intellectum verum susciperent mundanis omnibus per sensum, qui deceptor veræ intelligentiæ et integritatis ac veritatis. In adversis enim probatur justus, et in tenebris lumen, et in falso veritas: unde in mundo facile Deum cognoscerent, et per Christum id est per spiritum spiritaliter intelligendo spiritus fierent: hoc est enim sanctificari. *Prædestinavit* igitur *Deus ut essemus sancti*. *Prædestinavit* ergo non est nisi eorum quæ sunt, ut quasi ordo quidam sit effectus. Videris enim quomodo quis accipiat. Jam enim substantialiter fuerant, sicuti et ego judico et credo: sive non fuerant eo modo, quemadmodum credo, in sua substantia vel existentia. Etenim cum in Dei cogitatione fuerant, cogitatio Dei quoniam non nihil est, sed est certa existentia, necessario concedendum est ut animæ fuerint in vera rectaque existentia. Etenim nostra cogitatio quasi inanis est; *non* (1) ita et Dei: quamquam sapientium ratione etiam nostræ cogitationes, nonnisi existentiæ sunt substantialiter rerum. Sed de his ac de eodem tractatu alias et pluribus explicavimus.

Et immaculati. Vides igitur quantum adjiciatur et quid habeat immaculatio non ut essemus, inquit, sed *ut essemus sancti*; neque ut essemus, sed ut essemus *immaculati*. Ergo macula res adjecta est substantiæ. Fuit ergo substantia, sed potuit macula contingere. Hoc prædestinavit Deus *ut essemus immaculati*. Licet enim nondum maculasset nos mundus, tamen quoniam natura tali fuimus, ut in maculam cadere possemus, idcirco prædestinavit nos Deus, ut cum in maculam incidissemus, essemus immaculati per ejus gratiam, id est per Christum. Cognoscendo enim Christum, et cognoscendo in mundo, et cognoscendo in sensibus, et cognoscendo in eo quod adversum est; et cognoscendo in tenebris, tunc verum lumen accipimus, tunc Christum, id est spiritum, sumimus: et tunc rejectis corporeis maculis, id est sensibus carnalibus, existimus immaculati et sumus sancti.

Vers. 5, 6. — *Coram ipso in charitate* (2), *prædestinans nos* (3) *in adoptionem filiorum per Jesum Christum, in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ*. Et quid, et quibus, et quare, et per quem, quid etiam præstat, ut filiorum adoptionem habere videatur de nobis, quod magnum, et præcipuum et vix votis nostris optabile est ut adoptati filii videamur. Quibus autem præstat? animis scilicet longe a virtute Dei positis, quippe qui cadere in vitia possint; quippe cum maculas recipiant. Per quem autem præstat? per Jesum Christum atque in ipsum. Quare autem vel propter quid?

(1) Adhuc inculcat Victorinus præexistentiam æternam animarum; quem errorem vix aut ne vix quidem purgat mox, cum animas extitisse ait in Dei cogitatione. Aliud enim est prævidere rem futuram, aliud illam existere. Est autem doctrina christiana creari a Deo singulas animas, cum in genitorum nuper hominum corpora immittuntur. Legesis collect. vat. T. I. p. 84 sqq.

(1) Videbatur mihi prorsus addendum *non*.
(2) Vulg.: *In conspectu ejus in charitate*.
(3) Vulg. habet: *Qui prædestinavit nos*, etc.

Digitized by Google

in laudem, inquit, gloriæ suæ. Gratiæ, id est ut cum magnum beneficium dat, præcipuam gloriam Deus ex hoc potentiæ suæ ostendat, quando nos tales et in vitiis (1) positos et peccatis carnalibus, et obligatos, non solum liberat, et donatis peccatis vacuos a criminibus reddit, sed etiam adoptat ut filios. Hæc igitur est laus gloriæ, et gratiæ ejus: gloriæ, quod tantum potest: gratiæ, quod hæc nobis præstat. A

Quod autem dixit *in adoptionem filiorum* plene, certe, proprie: namque filius Christus, et vere filius Christus, et vere filius, sicuti sæpe docui, cum imago Dei est. Cum autem longe a Dei imagine sint animæ; et rursum accipiant animæ longe positæ spiritum; spiritus autem filius; fiunt loco filii animæ: et cum loco filii efficiuntur animæ, in adoptionem filiorum animæ jure susceptæ esse dicuntur, per Deum tamen Christum, id est per spiritum, qui est vere filius, et solus filius. Si ergo verus et solus, cum recipimus Christum, id est spiritum, adoptati filii sumus, non filii; per virtutem enim Filii, nos efficimur filii: et hæc est adoptatio, *in qua gratificavit nos in dilecto filio suo*, id est gratiam nobis præstitit: hoc enim est gratificavit. Sed ubique firmat, et quæ sit gratia, et per quem gratia: nam et per quem gratia est subjungit, *in dilecto filio suo*. Æque gratiam subjungit: B

Vers. 7. — *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius* (2) *remissionem peccatorum*. Hæc enim gratia est ut in Christo per ejus sanguinem habeamus redemptionem, et remissionem peccatorum, ut et remittantur nobis peccata nostra per id quod lege crucifixus est. Hoc est enim per sanguinem ipsius et ipse nos redemit a morte, id est a carnalibus cogitationibus et cupiditatibus, et suos fecit servos, id est sibi servire, quod est spiritaliter jam vivere: item (3) nihil carnaliter agere, nihilque sensu sentire, sed totos verti ad Deum et mundana omnia calcare, et originem nostram repetere: hoc est enim redimi, a captivitate liberari. Porro captivitas non est nisi ab origine libertatis in captivitatem duci. Ergo fuimus liberi, id est ante mundum: sed mundus nos captivos fecit; natura enim tali fuimus ut caderemus et capi possemus: sed hæc captivitas ad utilitatem nostram provenit: nam cognitis omnibus servitutis malis et captivitatis, redempti a Christo sumus: id est ad naturam illam pristinam quæ nobis a Deo erat, reducti, spiritaliter jam vivimus: et ex hoc spiritus sumus, et propterea Dei filii, sed per adoptionem, remissis scilicet omnibus peccatis nostris: non enim virtute nostra ad spiritum reversi sumus, et per sanguinem Christi spiritum accepimus. Ergo remittuntur nobis peccata et donantur per Dei gratiam; non nostra virtute ea deponimus; solumque hoc virtutis nostræ, Christum credere, ac propter Christum spiritaliter vivere: ipse vero remittit peccata, ipse redimit nos, et gratiam Dei commendat, ut æternitatem et sanctitatem immaculati jam habere possimus. C D

(1) Codd. *invitus*.
(2) Vulg.: *Ejus* quod sequitur comma.
(3) Codd. *idem*.

Vers. 8. — *Secundum divitias gratiæ ejus, qua abundavit* (1) *in nobis in omni sapientia et prudentia*. Deus pater est ab ipso enim veluti fonte orta sunt omnia. Quomodo orta, magnus intellectus et magna doctrina est: est tamen certa confessio, a Deo omnia. Porro autem omnia, et ea quæ summa sunt, et ea quæ infirma, et ea quæ non æterna, et cætera hujusmodi. Cum enim omnia dico, intelligenda et diversa, et contraria, et repugnantia; et omnia denique utique sunt quæ, vel quomodo, vel qualiacumque sunt; quæ cum ista sunt, manent tamen, et in suo modo, et in substantia, et in sua re, et sua qualitate. Igitur et cum angeli, et dæmones, et materia, et elementa, et animæ cæteraque hujusmodi omnia quæque sunt, habeant naturam suam, communem procreationis habent vim virtutemque et conditionem sua manentia, animæ tamen quæ utique et ipsæ inter omnia vi sua valent, non in eo perseverant, ut extiterunt atque substantiam sortitæ sunt, sed Dei potentia in meliorem substantiam provehuntur: et ex animis cum animæ sint, spiritus fiunt (2). Ergo istæ Dei divitiæ in nos collatæ ut amplius efficiamur quam esse cœpimus atque extitimus, cæteris conditione sua manentibus, ut suam substantiam suamque qualitatem, ut sunt orta, custodiant. Gratia magnifica Dei, Dei magnæ divitiæ cum animis præstat hoc munus ut ad adoptionem veniant filiorum Dei, per Jesum tamen Christum, id est per spiritum spiritalia sentientes, ut spiritus sint. Istæ sunt divitiæ ejus, et ejus gratiæ, qua abundavit in nos. Merito ergo abundavit in nos: nam angelus in eo quod est angelus, manebit; itemque cætera, sive in materia, sive in luminaribus, sive in cæteris hujusmodi rebus; quæ omnia sunt a Deo parata atque conservata. Anima tamen inter omnia plus a Deo meruit, et maximum munus, et magnas divitias, cum cognoscendo Deum, Dei tamen voluntate infusa sibi per Christum Jesum, meretur ut inter filios accepta Deo vicina sit; et filio, id est Jesu Christo, per ipsum Christum tamen, veluti cohæres æternitatis et majestatis et potentiæ effecta, meretur filii nomen et potestatem. Abundavit ergo, inquit, in nos. Quomodo autem abundavit? *omni sapientia et prudentia*. Vere enim omnis hæc sapientia est et prudentia, Christum cognoscere; per Christum, Deum et intelligere et videre: reliqua enim vel mundana sapientia licet: alia hujusmodi, extra mundum licet. Sine Christo tamen, vana et misera sapientia est, et omnis prudentia; illa scilicet ratione, quia qui Christum cognoscit, qui Christum accipit, spiritus fit: spiritalia omnia agendo, inter filios adoptionis suscipitur, et quodammodo et ipse existit. Hæc igitur in nos abundavit Deus gratia, et omni sapientia, et omni prudentia; ut genus, sapientia; ut species, prudentia.

Vers. 9. — *Ut nobis notum faceret mysterium voluntatis suæ*. Nobis utrum hominibus? anne nobis christianis qui legem accepimus? Nos enim intelligimus mysterium voluntatis Dei, quo superabundavit

(1) Vulg.: *Quæ superabundavit*.
(2) Codd. *sint*.

Digitized by Google

gratia ejus in nos, ut divitias ejus cognosceremus per sanguinem Christi, et per remissionem peccatorum. Quam quidem voluntatem, sicut dicit, mysterium prudentiæ, vel mysterium voluntatis in Christo Jesu. Sic enim subjicit *secundum voluntatem quam proposuit in illo* (1). Non enim solum voluntatem licet, sed in illo licet propositam voluntatem. Omnia enim per illum, et nihil omnia, nihilque et in mysterio quod factum sit non per Jesum Christum : et mundus, et in mundo, et liberatio nostra, et causa omnium, in Christo sunt, et Christus sunt.

A motus, et omnium rerum motus, nonnisi a Deo, et per Deum. Itaque operatio cum motus sit, a Deo operatio est, quia est motus operatio. Reliqua etenim torpent, ignava sunt, vitiosa, pigra. Denique ut in motum veniant, Dei operatio est, per Jesum scilicet Christum. Ergo Deus est qui universa operatur, et operatur secundum consilium voluntatis suæ. Hoc interest ergo, quod cum Deus operatur, et Christus operatur, Christus operatur ex Dei voluntate; Deus operatur secundum consilium voluntatis suæ ; etenim Christus voluntas Dei est. Aliis libris quid sit voluntas Dei, et quid Deus sit, idem ne an aliud sit ; unum, an et aliud, et cætera hujusmodi, et explicasse nos puto et satisfecisse. Hic enim contenti esse simplici expositione debemus,

Vers. 10. — *Et hæc est voluntas Dei quam proposuit in illo* (2) *in dispensatione plenitudinis temporum.* Ostendit ordine cuncta disposita, ut dispensatio fieret. Item omnia veluti erogarentur; quidquid enim fiet, ordinatum est : ut fiat, sine dubio dispensandum est : mundus autem et omnia in mundo disposita sunt, et sic fiunt et quæ sit summa dispensationis, utique apparet per singula quæ fiunt. Hæc est autem *plenitudo temporum*, cum suis quibusque temporibus perveniur ad summam, quæ conficitur ex omnibus, scilicet liberatio nostra et animarum omnium, cœlestium scilicet : sed id ut (3) *plenitudine temporum*, cum implentur tempora, dum fiunt ista quæ de Deo dispensita sunt in Christo.

B metu hoc et religione retinentes, quod Dei voluntas est Christus, quod Dei voluntas est motus, quod Deus omnia operatur, quia Deus motus, et Dei voluntas est motus, et Deus sit.

Vers. 12. — *Ut simus in laudem gloriæ ipsius* (1). Si enim in ipsum credimus, atque spirituales efficimur sequendo Christum, erimus in laudem gloriæ ipsius Dei *qui ante speravimus in Christo.* Ordinem dedit. Tunc erimus *in laudem gloriæ ipsius*, cum speraverimus in Christo : vel illi erimus *in laudem gloriæ ipsius qui ante speravimus in Christo.* Prius est ergo sperare in Christo, id est Christum sequi, et credere omnia compleri posse a Christo promissa ; et sic erit consequens, ut simus in laudem gloriæ Dei : quia, ut sæpe dixi, per Christum æternitas pariter, quæ nobis salus est, et Dei gloria est; unde laus erit gloriæ ejus.

Et per Christum restaurare omnia in Christo et quæ in cœlis sunt, et quæ super terram sunt in ipso (4). Non enim omnia restaurantur quæ in Christo sunt, et ea ipsa quæ in cœlis sunt, et ea quæ supra terras sunt ; sed in Christo quæ sunt : sunt enim et alia atque aliena. Quæcumque ergo in Christo sunt, hæc restaurantur et resurgunt, quæ in cœlis sunt, sive in terra. Ipse enim salus, ipse renovatio, ipse æternitas : in quo et sortem consecuti sumus. Quod oportebat, adjunxit. Non enim omnes simul, sicubi et alio loco dictum : Christus primum ; deinde nos ; deinde cæteri. Hoc est ergo quod ait :

C

Vers. 13. — *In quo et vos, audito verbo veritatis evangelii salutis vestræ* (2). Descendit, ne generaliter illud atque non commode vel utiliter tractasse videretur, et aliorum istud esset beneficium, non et eorum ad quos loquitur. Adjunxit speciale, scilicet quod ad Ephesios epistolam mittit : hoc, inquit, etiam vestrum est ; nam et vos in hoc estis. Quid est autem *in quo et vos?* in Christo scilicet. Quid autem *in Christo ?* quod *audito verbo veritatis evangelii salutis vestræ*, fidem secuti estis jam in Christo. *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Ipsa ratio exhortationis, plerumque mysterium ; credere in Christum, credere Evangelio, hoc est verbo veritatis, inquit : in hoc, et vos *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto* : ut jam et vos Spiritum receperitis sanctum promissionis Christi. Sed quoniam velut aliud est Spiritus sanctus, aliud Christus, tamen consummatio et perfectio et plena liberatio, Spiritus sanctus est. *Signati estis*, inquit, *in Spiritu sancto promissionis* circa ea quæ promissa sunt : quoniam nobis Spiritus sanctus promissus est et datus : et de eo sic subjungit :

Vers. 14. — *Qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem adoptionis* (3), *in laudem gloriæ ipsius.*

Vers. 11. — *Sortem consecuti sumus, prædestinati utique secundum propositum ejus* (5) ; id est quis quo tempore, et ut supra diximus; et ad perfectionem utique prædestinati jam essemus. Nihil enim est, quod fit, quod non a Deo prædestinatum sit, et ante quodammodo factum. Nunc sensibiliter fiunt quæ spiritaliter a Deo sunt constituta.

Qui universa operatur (6) *secundum consilium voluntatis suæ.* Qui utique universa Deus, inquit, operatur : etenim Christus Dei virtute operatur; et cum operator ipse sit, tamen Deus per ipsum operatur : ergo Deus operatur, et operatur universa. Omnis

D

(1) Vulg.: *Secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo.*

(2) Hæc verba : *Et hæc est voluntas Dei quam proposuit in illo*, desunt in Vulg.

(3) Ita codd. Et quidem obscurissimi ferreique Victorini jamdiu me tædet.

(4) Sic Vulg. exhibet hanc secundam partem vers. 10 : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso.*

(5) Vulg. : *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus.*

(6) Vulg. : *Qui operatur omnia.*

(1) Vulg. : *Ut..... ejus nos.*

(2) Vulg. : *In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ).*

(3) Vulg., *acquisitionis.*

Digitized by Google

Qui Spiritus, inquit, *pignus est hæreditatis nostræ* : ipsum enim nobis misit quasi pignus, hæreditatem nos adepturos esse cœlestium et æternitatis et gloriæ Dei. Hoc enim dictum in redemptionem adoptionis, ut nos redimamur ab istis mundanis terrenisque et corporalibus et carnalibus malis; et redimamur in adoptionem, et filii existamus, quærentes magis gloriam Dei. Et gratia est quæ meritum nostrum : ultra enim meritum munus magnum, quod accipitur : gloria ejus est qui præstitit, non ejus qui accepit.

VERS. 15. —*Ideo et ego audita fide vestra in Domino Jesu Christo* (1). Specialiter descendit (2) ad exhortationem Ephesiorum, simulque cum illa admonitione, ne aliter sentiant. Urbano dicendi genere *audita*, inquit, *vestra fide in Domino Jesu Christo*. Hæc enim summa rerum est, hæc virtus, hoc mysterium, ut fides in Christum Jesum sit. Quæ res etiam illud necessario habet ut diligantur omnes sancti qui fidem in Christum sumpserunt et sanctificati sunt. Ita is, qui fidelis in Christum est, diligit sanctos, id est, sanctificatos ex fide Christi et mysterio baptismi. Ergo et ego audita fide Christi et mysterio baptismi; ergo et ego (3) *audita fide vestra*, vos diligo : audita etiam dilectione vestra, *dilectione in sanctos*, operam dabo, ut gratias agam pro Deo vobis.

VERS. 16. — *Non cessabo* (4) *gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis*. Omnis oratio quam agimus ad Deum, aut de eo agimus quod accepimus, aut de eo ut accipiamus aliquid. Et quoniam omnis, qui orationem facit, primo pro se facit, deinde (5) pro his, quos amat, sic ait Paulus in oratione memoriam, inquit, vestri facio. Ergo est principalis oratio, primo pro me, deinde etiam pro vobis. Et illam duplicem causam supponit, gratias agens pro vobis. Hoc de præterito est. Sed adjunxit :

VERS. 17. — *Deus* (6) *Domini nostri Jesu Christi, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ*. Hoc igitur de futuro est, orationem facere cum aliqua petitione, ut cum in Christum creditis, agam pro vobis gratias Deo : rursusque orem et memoriam vestri faciam in orationibus meis, ut Deus (qui Deus? ne aberrent, ne suspicentur alia, vel gentilia, vel Judæorum), *Deus*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi pater*, qui est pater gloriæ. Potest ergo separatum videri, ut Deus Domini nostri Jesu Christi : ipse est enim Deus Christi: ergo et Dominus noster est; quia Dominus noster, est Christus; et is Deus noster, qui est Deus Domini nostri Jesu Christi, qui longe separatus est a Deo Judæorum; is ipse, qui et pater gloriæ. Ergo facio orationem, ut Deus det vobis spiritum sapientiæ, ut sapiatis, et quod verum est intelligatis. Et hic et plurimis in locis satis confirmatum satisque certum et demonstratur et ostenditur, quod ut sapiamus atque intelligamus et verum intelligamus, spiritus nobis a Deo datur, sed spiritus sapientiæ.

Denique adjungit, non nostrum probans esse quod intelligimus, vel intelligere nitimur. Quid enim ait? *et revelationis in agnitione ejus*,

VERS. 18. — illuminatos oculos cordis vestri, *ut det vobis spiritum sapientiæ et revelationis*. Spiritus sapientiæ est ut ipse nos spiritus faciat sapere, et in nobis sit, et quasi nos ipsi per nosmetipsos sapiamus, cum spiritus nos faciat sapere. Porro spiritus revelationis, ut reveletur nobis quasi extra nos, quod intelligamus, et quod accipiamus et sequamur. Ita aliquo modo aliud spiritus est sapientiæ, aliud spiritus revelationis. Sciamus igitur quasi duobus modis nos ad veritatem et ad mysterium plenissimum pervenire, vel dum ipsi intelligimus Deum, et scientiam de divinis comprehendimus, vel dum revelatio quædam est, id est quasi extrinsecus admonitio, quæ nobis ostendit Deum et omnia divina. Est quidem apud quosdam præcipuum et magnum, et quasi vero vicinum, revelatione aliquid percipere; sed aut simile, aut paravit (1) simile magis et certum. Cum autem nos sapientiam accipimus, ut nostro ingenio, et ut vere dicam, et quemadmodum etiam hic positum est spiritu divino, quæ sunt divina capiamus, inter nos scilicet et nobiscum tractatum jam habentes, et ut fas est dicere, jam quasi spiritu existente. Oro igitur, ut det nobis spiritum sapientiæ et revelationis. Circa quam rem, subjunxit; scilicet in agnitione ejus, ut hæc sit sapientia, et per hæc revelatio, id est ut Deum cognoscamus, habeamusque illuminatos oculos cordis circa Dei cognitionem. Hoc, inquit, precor vobis, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis. Deum cognoscere, magnum quidem præmium; verumtamen nescio quod parvum homini præmium, nisi ipse aliquid consequatur, atque aliquo modo se melior fiat. Ergo peto, inquit, ut spiritus vobis detur sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, et oculos habeatis cordis vestri illuminatos.

Sed quoniam, ut dixi, agnitio Dei magna quidem, parva tamen apud nos, nisi exinde aliquid capiamus, adjunxit, in ipsa Dei agnitione quid magis intelligatis; ut *sciatis*, inquit, *quæ sit spes vocationis ejus*. Primum quam spem habeamus vocati : deinde quas divitias consequamur, et divitias gloriæ; quæ sunt divitiæ gloriæ hæreditatis ejus, ut et gloriam ejus consequamur et hæreditatem, ut inter filios numeremur. Cum enim in adoptionem nos recipiat pietas Dei, in adoptionem filiorum suorum, hæredesque simus; hæredes autem, non ut in mundanis est, eo pereunte cujus quis hæres est, quod nefas intellectu et dictu est; sed ut in his, de bonis, ut qui hæredes sunt habeamur; ut quibus bonis Deus utitur, iisdem et nos bonis utamur, simus in gloria, simus æterni. Hæc est hæreditas. Nam et cum Christo cohæredes sumus, et Christus Deus est : ergo cum Deo hæredes divitiarum gloriæ ejus sumus. Sed hæc omnia sunt in sanctis,

(1) Vulg. *Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu.*
(2) Codd. *descendi.*
(3) Ita repetitur in codd.
(4) Vulg. *cesso.*
(5) Codd. *de his* pro *deinde.*
(6) Vulg. addit; *ut.*

(1) Ita codd

Digitized by Google

id est in his qui sanctificati sunt mysterio, Christi nomine. Probatissimum hoc ergo peto ut illuminemini, et sciatis hoc magnum beneficium, ut imploret et roget, ut nobis adventet spiritus, qui nos hoc doceat. Et nos quidem pro nobis frequenter hoc petimus : verum non parvum beneficium præstat ille qui jam emeritus Domini et sanctificatus est. Idem ipsum rogat nobis provenire quod nos cupimus et rogamus. Hoc ergo Ephesiis se (1) præstare Paulus commemorat.

VERS. 19, 20. — *Et quæ sit sublimitas magnitudinis virtutis ejus in vos qui credidistis secundum operationem potestatis virtutis ejus, quam operatus est in Christo* (2). Hoc, inquit, in orationibus meis peto, *ut det vobis spiritum sapientiæ et revelationis :* item peto ut sciatis quæ sit spes vocationis, quæ divitiæ; et item ut sciatis quæ sit sublimitas. Exponit ipsam sublimitatem : *magnitudinis*, inquit. Sed quæ est ista magnitudo? *virtutis* adjecit. Item quæ est ista virtus? quæ est in vobis, aut in vos, quod vobis illam præstat. Quæ est autem ipsa virtus quam vobis præstat? ut credatis in eum et credatis secundum operationem potestatis virtutis ejus. Multa autem operatio est virtutis Dei : etenim quidquid per Christum factum est, quasi operatio Christi est, ut mundus et omnia quæ et per eum facta sunt. Tamen operatio Dei vera certa simulque magnifica, quam operatus est in Christo.

Subjungit autem quæ sit illa operatio Dei quam operatus in Christo est *suscitans illum a mortuis, et constituens illum in dextera in cœlis* (3).

VERS. 21, 22, 23. — *Supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo : sed etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus illius* (4), *plenitudo ejus* (5), *qui omnia in omnibus adimpletur. Secundum*, inquit, *operationem potestatis virtutis* Dei vos credidistis. Est autem operatio virtutis Dei. Quamquam in principio illa sit misisse Christum, vel illa propter animas subjectum mundum fecisse; quoniam hoc et altum et reconditum ab his rebus quæ aperte manifestæ sunt; quippe quæ gestæ (6) sunt, et gestæ nuper, et ante oculos adhuc versantur. Inde sumit expositionem virtutis Dei, quam operatus est in Christo. Quæ illa est? ex resuscitatione a mortuis. Cum enim resuscitavit a mortuis Christum, quam utique vidimus, magna utique operatio est potestatis virtutis Dei. Deinde hæc quæ consecuta sunt postea quam suscitavit a mortuis, constituit illum in dextera sua in cœlis. Magnum utique hoc, tantum honorem dedisse, tantam majestatem, ut et in cœlis eum constitueret, et in dextera sua constitueret. Parum hoc est : *Supra omnem*, inquit, *principatum;* ut nullus alius princeps, sive mundanus sive supra mundum, nonnisi inferior Christo sit. Et *supra omnem*, inquit, *potestatem*, et supra *omnem virtutem*, supra *omnem dominationem*, et *supra omne nomen*. Quod nomen? vel in terra, id est in sæculo, nominatum; vel in hoc mundo, vel etiam in futuro. Item quid est quod præstitit? quod omnia subjecit pedibus ejus, et quod ipsum dedit caput esse supra omnem Ecclesiam : quam quidem definit, ut intelligamus quid sit Ecclesia quæ corpus est illius; id est quæ membra omnia sunt Christi, Ecclesia est; quia ipsa *plenitudo ejus*, qui omnia in omnibus adimpletur.

Hæc ergo cum præstiterit Deus tanta et tam magnifica Christo, et impleverit circa Christum quem resuscitavit, magna utique operatio potestatis virtutis ejus est, quam (1) est operatus in Christo. Quoniam sensus apparet, et summa dictionis, nunc singula retractemus. *Suscitans illum a mortuis* quod palam gestum, quodque omnibus testimoniis clarum est, Deus Christum Jesum, qui fuit in carne, mortuum et in cruce sublatum resuscitavit tertio die a mortuis. Licet simplici intellectu mysterii ratio sit magnifica, tamen suscitatum esse a mortuis, nihil egisse mortem illam, quam homines sustinent, vel per violentiam, vel per corporis necessitatem, Deum hoc sustulisse, ut mors non valeret, magna utique virtus Dei, magna potestas, magna operatio. Sed quoniam sæpe vel quid sit Christus, vel quid sit in carne illum esse, vel quid sit in crucem illum sublatum esse, vel quid sit resuscitatum esse, sæpius diximus, hoc breviter admonemus : nam mysterii plenioris ratio, et a nobis in his libris sæpe tractata est, et alibi plenius explicata. Per Christum, id est per spiritum recreatas animas et liberatas esse, ut in suam originem reverterentur, et peccata tollerentur, in quæ lapsæ animæ fuerant. Quoniam autem homines vivere non poterant per carnis imbecillitatem, missus est Christus, id est spiritus, et intelligentia, et revelationum, omnium divinarum rerum, et vitæ æternæ spiritus, ut per ejus mysterium, et per corporalem mortem resuscitatæ animæ ad virtutem cœlestem redirent : simulque passus mortem crucis Christus, et resuscitationem a patre suscipiens, imaginem per mysterium præberet animis omnibus ad resuscitationem. Verum hæc, ut dixit, et aliquo tempore.

Et constituens illum in dextera sua in cœlis. Quoniam Christus Dei motus est; motus autem in operatione est; operatio vero motus semper in dextera est; idcirco Christus in dextera Dei est constitutus (2) supra omnem principatum et potestatem. Primus enim motus omnium, motus est Christi. Principatus vero et potestates et virtutes et dominationes motus sunt rerum agendarum, sive in divinis, sive in sæcularibus. Sed cum fons sit et origo et principale omne

(1) Codd. *Ephesii ipsa.*
(2) Vulg. *Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, secundum operationem potentiæ virtutis ejus.*
(3) Vulg. : *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus.*
(4) Vulg. addit *et.*
(5) Codd. *ei.*
(6) Codd. *egestæ.*

(1) Codd. *quæ.*
(2) Adnotemus ingeniosam Victorini interpretationem.

Digitized by Google

quod movetur, idcirco supra omnem principatum positus est Christus, ut supra omnem potestatem. Aliud autem principatus est, aliud potestas : principatus in actu est, potestas in virtute qua esse potest, non qua jam est, sed qua aliquid esse potest. Cum autem Christus ipsa origo est omnium, et in eo est quod potentia est, supra omnem est potestatem. Itemque cum fons sit omnium actuum ; actus autem est principatus ; supra omnem principatum est. Item quoniam sive cum est, et potest esse aliud ad ipsum, potentia est, et potest ante quam actio est, esse supra omnem actionem ; in his omnibus vel in principatu, vel in potestate virtus est : id est et ante actum ; ut possit esse et ipse principatus. Idcirco quoniam supra hæc omnia est Christus, et est supra omnem virtutem, inde quoniam omnes illæ potestates vel mundanæ vel cœlestes vel ultra in æternis, vel omnes principatus, vel omnes virtutes quæ dominationem tenent circa unam quæque (1) enim dominantur. Fons autem Christus est omnium : exinde enim omnia, quippe qui pater totius motus est ; et hæc omnia motus sunt ; etiam supra dominationem omnem Christus est.

Et omne nomen. Omnia quidem nomina a posterioribus inventa sunt, et maxime ab his qui in mundo sunt, vel hominibus vel angelis, vel potestatibus. Etenim æterna illa omnia, res ipsæ sunt, et potentiæ viventes, æternæ, intelligentes, quæ substantialiter cognoscuntur (2). Nullum igitur ibi nomen est, sed nomina illis addita nostro vocabulo sunt, vel nostra lingua, vel ut dixi angelorum, eorum tamen qui in mundo sunt. Porro autem cum ille Christus spiritus divinus et sanctus et Dei filius hæc nomina a nobis accipiat, ultra est tamen quam hæc omnia vocabula viderentur imposita. Et quidem quodam loco tetigimus quod nomen omne post genitum est, et est in ipsis nominibus nomen principale, quod vere supra omnia nomina est, et unde omnia nomina sunt, quod græce ὤν dicitur (3). At vero Christus et supra ipsum ὤν est : ergo et supra omnia nomina. Sed illud ὤν in æternis est ; et si in æternis est, et Christus supra ὤν est, merito dictum supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Acrius et acutius : nomina enim jam facta omnia sunt, quæ per intellectum fingi potuerunt ad expressionem earum rerum quas (4) intelligentes cepimus. Sed quoniam multa futura sunt nova, et in illo sæculo magis nova, quod sæculum futurum est, cum indicabuntur omnia ; quibus utique rebus nondum cognitis, nomina nondum a nobis imposita sunt ; neque enim possunt ; quippe cum nota non sint ; supra ipsa quoque nomina quæ futura sunt præpositus est Christus : ita et in rebus primus ac summus, quando supra omnes potestates, principatus, et reliqua. Est supra omnia nomina, quando et in hoc sæculo nullum nomen ei merito applicari possit, et omnia quæ futura sunt nomina, intra ejus sunt vel appellationem vel substantiam, vel quamlibet de eo pronuntiationem, et effationem (1).

Et omnia subjecit pedibus ejus. Multis et variis modis una virtus intelligitur, quæ Christus est, sive motus, sive verbum, sive Christus primus universalis, per quem omnia fiunt, facta sunt, futura sunt. Merito ergo omnia subjecit Deus sub pedibus ejus. Etenim progressio a Deo Christus, et per cuncta progressio Christus est, et omnia quæ provenerunt, et quæ redeunt in Deum, ipsius potentia redeunt. Item (2) ergo omnia actione subjecta sunt sub pedes ejus. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Multi Ecclesiam, omnes animas dicunt. Ergo Christus, qui spiritus est, per quem animæ Deum cognoscunt et spiritales efficiuntur, et liberantur a qualitate animæ, ut jam non tententur, neque ut labantur, quippe spiritales factæ per spiritum Christum, in quem credentes, spiritaliter sentiunt, et sic in Dei cognitionem veniunt. Hoc modo Christus caput est *super omnem Ecclesiam*, quæ est corpus illius. Ecclesia omnis, item omnis anima, sed salvanda, et inde substantiam habens de æternis, per quam vigent omnia ; et sic omnes animæ per Christum sicuti frequenter diximus. Ergo omne corpus Christi anima est omnis quam ecclesiam nominavit. *Plenitudo ejus*, id est ipsa Ecclesia, quæ corpus est illius. Plenitudo est ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Christus plenitudo est, qui omnis plenitudo adimpletur. Omne autem quod adimpletur, exinanitur. Christus autem et exinanitus est, vel ipse se exinanivit, et rursus recuperatis omnibus per mysterium salvatisque animis universis, adimpletur in omnibus. Ideo ergo plenitudo est. Sed sic locutus est Paulus, ut diceret Ecclesiam corpus ejus esse ; cujus (3) plenitudo est, inquit : et plenitudo ejus est, qui omnia in omnibus adimpletur. De duobus his verbis, plenitudine et capacitate, in aliis libris a me distinctius et plenius explicatum est. Quemadmodum Deus plenitudo tantum (4), quemadmodum Christus, et capacitas et plenitudo. Hæc omnia ad magnificentiam Christi et ad potentiam dicta hoc agunt, hoc probant, nihil ultra accipiendum, nihil extra sentiendum ; ac propterea errare Ephesios, si quid præterea adjungant, et ex doctrina vel Judæorum vel mundana associent : unde ad eosdem nunc redit, atque admonet, jam in Christum receptos, et Christum recipientes, nihil aliud quam plenitudinem Christi (5) accipere debere.

CAP. II. — VERS. 1, 2. — *Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum hujus mundi, secundum principem potestatis aeris, spiritus qui operatur in filiis* (6) *diffidentiæ.* Totus hic sensus jungendus est, et de Ephesiis quod in peccatis fuerint ; et de se ipso quod Paulus in desideriis carnis et in consiliis carnalibus

(1) Ita prorsus legitur in codd.
(2) Codd. *cognoscentes.*
(3) Exod. III, 14.
(4) Codd. *quæ.* Nisi mavis referre ad nomina.

(1) Ita codd.
(2) Codd. *idem*, ut alibi.
(3) Codd. *cujusque.*
(4) In codd. repetitur *plenitudo.*
(5) Codd. *plenitudine Christum.*
(6) Vulg., *in filios.*

Digitized by Google

fuerit. Illis, inquam, omnibus, jungendum est illud quod Deus, qui dives est in misericordia, salvos omnes fecerit, et ipsum Paulum, et Ephesios. Sic enim concludit, cujus gratia estis salvi facti, cum ambularetis mortui delictis; et vos cum ambulaveritis mortui delictis et peccatis vestris. Frequenter monui, mortem duplici modo accipi, illam unam notam, cum fine vivendi in mundo anima separatur a corpore; aliam, cum in ipso corpore constituta, desideria carnis agit atque in peccatis vivit. *Vos*, inquit, *cum essetis mortui*: et designavit mortis genus, *delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum hujus mundi.* Ostendit quæ sunt peccata, scilicet desideria in mundo, de mundo, divitiarum, vel voluntatis vel scientiæ mundanæ, vel religionis de mundo, et cætera hujus mundi quæ animam perdunt errantem a scientia veritatis. Quod autem dixit *sæculum hujus mundi*, sunt enim et superiora, et illa sæcula æterna, quæ quomodo intelligantur, et quam significantiam habeant, aliis a me libris est replicatum. Sæculum hujus mundi autem omnis regio mundana, vel omnis mundus, in mundo motus rerum tempus faciens et involvens. Non eodem modo sæculum in æternis est: esse autem æternorum sæcula, etiam Paulus declaravit, et omnes prophetæ: siquidem dicitur et frequenter dicitur *benedictus Deus in sæcula sæculorum.* Etenim sæculum finitur; sæcula autem sæculorum, et de æternis et in æternum sunt.

Secundum principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in *filiis diffidentiæ* (1). Qui ambulat secundum sæculum hujus mundi, ambulat *secundum principem potestatis aeris*, qui est spiritus filiorum diffidentiæ (2). Cum duo sint lux et tenebræ, veritas et falsitas, bonum et malitia, non ita ut ex æquo sint; neque enim fas est aliquid Deo vel per contrarium comparari. Sic accipiamus et spiritus, unum fidei, alterum diffidentiæ. Spiritus satanas et ejus diabolus hic substantiam de aere habet, id est de hyle atque materia, et potestatem in ipsa materia, vel in eos qui materialiter sentiunt. Est ergo ille princeps ejus potestatis quæ in aere est, id est in materia: qui princeps spiritus est, sed ut dixi materiæ; et in materiis nunc operatur, *in filiis diffidentiæ:* id est eorum animos tenet, et ibi dominatur. Ergo qui vivit secundum sæculum hujus mundi, vivit secundum principem potestatis aeris spiritus, qui nunc operatur *in filiis diffidentiæ.* Est autem lectio duplex, spiritus operantis, et spiritus qui nunc operatur. Aeris autem vel principem vel spiritum materiæ nos quidem diximus: ratio tamen vehemens illa est quod ipse est inter elementa princeps, aer scilicet. Nam et ignis aer agitatus est, et aqua aer humectus est, terra aer siccus et solidus: qui si omnia secum habeat, ipse est chaos, id est tenebræ, et materia tenebrarum. Ignis autem purior aer et cœlum est, qui est aer agitatione succussus (1). Nam cum poeta (2) ventorum describeret potestatem, qua possent omnia confundere nisi regerentur, in aerem dixit cuncta converti, si venti habeant liberam potestatem.

> Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
> Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Horum separatio singulorum, mundi dispositio: sicut Moyses docuit, qui separavit aquas in principio per Dei verbum; separavit et terram, separavit et spiritum. Ergo merito materiæ spiritus, aeris spiritus dicitur.

Vers. 3. — *In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus.* Ne injuriam Ephesiis faceret, qui dixerat *cum essetis mortui delictis ac peccatis*, secundum spiritum aeris ambulantes; adjunxit etiam se et cæteros; ut aliquando conversati omnes sint secundum hanc vitam, quam subjungit *in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis nostræ et consiliorum* (3). Hæc sunt circa quæ habet princeps potestatis aeris operationem, sed in filios diffidentes, ut desideria carnis habeant, faciant carnis voluntatem, et consilia carnis: quæ qui abjecerit, jam Deum et cognoscit, et sequitur; nihil de carnis operibus cogitans. *Et eramus naturales* (4) *filii iræ, sicut et cæteri.* Quoniam et consiliis carnis et ex desideriis viventes (5); *eramus*, inquit, *filii iræ naturales;* id est secundum naturam carnis geniti et materiæ: ipsa enim natura est. Non enim divinam naturam dicimus, sed eam quæ mundana est: et ubicumque nasci est, ibi natura dicitur. Ergo in superioribus, quia ingenita sunt omnia, cum dicuntur quædam genita, quodam mysterio intelliguntur genita, non eo modo quemadmodum in mundo: ubi enim est natura, ibi (6) generatio: generatio autem est, cum ab eo quod non fuit, aliquid esse incipit; aut ab eo quod aliter fuit, aliud esse incipit; sicut de semine homo, vel virgulta alia de semine, cæteraque alia animalia. At vero in æternis, quoniam quæcumque illa divina sunt, quasi quadam discretione apparere incipiunt, ideo veluti genera dicuntur: cum tamen eadem virtute sint, et eadem substantia qua fuerunt, idcirco ut generata non sunt. Neque enim cum Deus omnia fecerit natura, non ea quæ æterna fecit ex æternis, ut habuit; sed tantummodo veluti separavit, et singula constituit: quæ quanta et qualia sint, aliis libris intelligimus. Nunc vel Christum vel angelos vel animas cæteraque omnia, quæ æterna sunt, in æternis quasi genita accipimus, cum longe aliter generatio sit, quæ in mundo est. Ergo eramus, inquit, naturales filii; id est per naturam facti. Sed filii cujus? non Dei, sed iræ: ipse enim adversarius, qui est ira, nos ex materia sibi vindicaverat. Sic, inquit, *eramus* nos *filii iræ, sicut cæteri.* Sunt enim proprie filii iræ, qui ex

(1) Codd. *differentiæ.*
(2) Rursus codd. *differentiæ.* Sed tamen ante et post scribitur *diffidentiæ.*

(1) Codd. *successus.*
(2) Virgil. Æn. 1, 58.
(3) Vulg.: *Facientes voluntatem carnis et cogitationum.*
(4) Vulg.: *Et eramus natura filii iræ...*
(5) Codd. *viventibus.*
(6) Codd. *ubi.*

Digitized by Google

hoc mundo : sicut de quibus dixit *sicut cæteri* ut nos, A qui ex illo mundo sumus male viventes ; id est secundum carnem viveremus, quasi filii iræ ; quemadmodum vivunt filii iræ, hoc est sicut cæteri.

Vers. 4. — *Deus autem, qui dives est et in misericordia, propter multam charitatem suam miseratus est nos* (1). Vere enim divitiæ magnæ sunt Dei circa misericordiam. Cum enim nos peccatis nostris alienos fecissemus (2) a Deo, cum essemus ex superiori mundo, ille gratia sua donans peccata, indulgens etiam delictis, nos sibi redemit per filium suum; cui cum non pepercit ut nos liberaret, magnæ sine dubio sunt ejus divitiæ, magna etiam charitas. Quantum enim est amoris ejus in nos, cum filium suum propter nos exinanivit ut nos redimeret passione sua? Hæc igitur charitas.

Vers. 5. — *Et cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo.* Quia charitas Dei, inquit, manet. Hæc, inquit, est charitas ; hæ sunt divitiæ ; ut cum substantia ex æternis nobis esset, et cum mortui essemus peccatis, redimeret nos per passionem Christi, et salvos faceret. Quôniam autem passio Christi, mortificatio est peccatorum ; resurrectio autem Christi, resurrectio est nostra ; ait *convivificavit nos in Christo*, id est ad vitam æternam restituit ; sed per Christum *cujus gratia estis salvi facti* (3). Conclusit quod maxime necessarium et ad omnes et ad Ephesios fuit, ut nihil extra Christum accipiamus ; siquidem ejus gratia salvi sumus. Ergo et vos, Ephesii, gratia Christi salvi facti, nihil extra accipere, nihil *externum* in religione et fide habere debetis.

Vers. 6. — *Et simul suscitavit, et simul collocavit* C *in cœlis* (4). Hoc sanctum plenumque mysterium est, ut fidem habeamus in Christo, non nos nunc mereri suscitationem vel regna cœlestia ; sed cum Christus suscitatus, tunc nos suscitatos. Hoc enim ait *simul suscitavit*. Item, *et simul collocavit in cœlestibus*. Cum enim collocavit Christum, simul collocavit etiam eos, qui in Christo sunt et erunt. In cœlestibus,

Vers. 7. — *Ut ostenderet in sæculis superveni-entibus superabundantes divitias gloriæ suæ* (5), *in bonitate super nos, in Christo* (6). Non enim nobis reddidit meritum : quippe cum non hoc meritis nos accipimus, sed Dei gratia et bonitate. Suscitavit ergo nos simul in Christo causa bonitatis suæ, et gratia quæ est in Christo, ut ostenderet futuris sæculis et superveni-entibus divitias suas. Quas divitias? gratiam bonitatis D super nos. Sed omnia hæc, ut sæpe monet et ego insinuo, in Christo. Ibi (7) est enim omne mysterium resurrectionis et nostræ et omnium. Per Christum enim reconciliantur omnia : ipse enim janua est, ipse resurrectio, ipse vita, et ad Patrem via.

(1) Vulg. : *Deus... propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.*
(2) Codd. *fecisset.*
(3) Vulg. : *Cujus gratis estis salvati.*
(4) Vulg. : *Et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus*, etc.
(5) Vulg. : *Gratiæ suæ.*
(6) Vulg. addit *Jesu.*
(7) Codd. *ubi.*

Vers. 8. — *Nam gratia salvati estis per fidem* (1). Explicavit aperte, quod a nobis fides debeatur : tantum autem debetur, ut credamus in Christo. Quod si ita, solum hoc nostrum est ; non merito nostro salvi sumus, sed Dei gratia. Denique sic adjungit *et hoc non ex vobis ; Dei donum est :*

Vers. 9. — *Non ex operibus, ne quis forte glorietur* (2). Quod salvi sumus, gratia, inquit, Dei est : ita et vos, Ephesii, quod salvi estis, non ex vobis ; Dei donum est : neque ex operibus vestris, sed Dei gratia est, et Dei donum est, non meritum nostrum (3). Aliud esse opera, aliud meritum nostrum : unde separavit *non ex vobis* dicendo *non ex operibus* : præter opera etenim, quæ quotidie præbenda sunt in officiis in pauperes, et cætera bene-B facta. Sed etiam cum esse possit meritum ex officio et religione, ex castitate et abstinentia ; non enim neque operibus vestris potest (4). Opera ista sunt. Ideo utrumque conclusit *non ex vobis, neque ex operibus*, et adjecit *ne quis glorietur*. Nescio quomodo enim qui operibus suis redditum meritum putat, suum vult esse, non præstantis : et hæc jactatio est.

Vers. 10. — *Ipsius enim figmentum sumus* (5), *creati in Christo.* Ipse mysterio quodam nos finxit et formavit in Christo, ut cum illo resurgeremus, cum illo hæredes esse possemus, credentes in Christo. *In opera bona quæ paravit Deus.* Paravit, creavit, formavit in Christo Deus opera (6), inquit, bona : scilicet quæ futura sunt, an hæc quæ nunc hic agimus? Sed et sive quæ futura sunt intelligamus, sive quæ C nunc sunt, bona utique sunt, testes in Christo sunt. Et videri potest de præsentibus dixisse operibus : quippe cum ita subjungit *ut illis ambulemus* :

Vers. 11. — *Memores in ipsis* (7), inquit, *operibus* : ut jam eodem modo vivamus, et eadem opera faciamus, quæ bona sunt. Quippe jam figmento suo Deus nos creavit in Christo, ut simus memores : ac propterea fidem servantes, in ipsis jam operibus ambulemus. *Et vos qui aliquando eratis gentes in carne.* Utique quia dixit *ambulemus*, adjecit *et vos utique ambuletis in bonis operibus quæ paravit Deus.* Vos, inquit, *qui aliquando eratis gentes in carne*, id est gentiliter sentiebatis ; et propterea carnaliter, id est carnis desideria facientes. Cui contrarium illud est, esse in Christo, id est spiritualiter vivere, et omnia secundum spiritum cogitare. Hoc frequenter exposui. Utique illud est, de Deo cogitare, in Deo sperare, habere ad Deum animum, tendere ad Patrem, cognoscere viam æternitatis nostræ Christum, credere per ejus resurrectionem nos resurrexisse.

Qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumci-

(1) Vulg. : *Gratia enim estis salvati per fidem.*
(2) Vulg. : *Non ex operibus... ut ne quis glorietur.*
(3) Codd. *merito nostro.*
(4) Ita codd.
(5) Vulg. habet : *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.*
(6) Codd. *in opera.*
(7) Vulg. : *Propter quod, memores estote, quod aliquando vos gentes in carne.*

Digitized by Google

sio in carne manu facta. Vos, inquit, *eratis gentes in carne* dicti (1) ab his qui circumcisi sunt, id est Judæis, quæ circumcisio manu facta est. Ab hac igitur circumcisione, id est a Judæis, vos dicimini præputium; id est qui circumcisi non estis. Cum autem dixit, quod circumcisio quæ manu facta est, vos præputium nominat; intelligi voluit, non esse a Deo datam circumcisionem (2), quæ manu facta est; sed esse alteram circumcisionem quæ mentis est, et desideriorum omnium, et peccatorum omnium, ut vere mundum a se circumcidat, et separet desideria carnis universa. Quid enim prodest carnem circumcidere, cum magis vitium omne per animos crescat ex carne? Illa igitur, quæ ex carne peccata sunt, circumcidenda sunt: et hæc circumcisio non manu facta erit, sed anima et spiritu. Hoc autem ideo dictum, ne pudeat illos quod præputium dicuntur: non enim aut hoc (3) extra religionem Dei est, aut vere dicitur; quippe cum a Judæis, cum dicatur idem ab ea circumcisione, quæ manu facta est: cum melior sit et verior circumcisio, quam fecerit anima et spiritus, circumcidens carnis omnia peccata.

Vers. 12.—*Quoniam eratis illo tempore sine Christo.* Cum enim gentes eratis, utique sine Christo eratis: itaque semper Christus; sed quicumque receperit Christum, in eum sumpserit fidem; tunc quasi circumcisus est, et tunc erit in circumcisione, sed non manu facta. Ergo ideo præputium eratis, quoniam non eratis cum Christo. Et hoc adjungit, non eratis veri Judæi *alienati a conversatione Israel.* Vera enim ejus conversatio, si secundum spiritum sentiamus, et secundum spiritum vivamus, et Christo circumcidamur a carnalibus desideriis.

Et hospites testamentorum, promissionis eorum (3) *spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Hoc est, gentes eratis; et quia nihil agebatis cum Christo, et eratis sine Christo, idcirco, inquit, non eratis in conversatione Israel, idcirco hospites eratis testamentorum, id est alienati testamento. Quid est testamentum? a promissione testamentorum; hoc est promissionis eorum quæ Deus promiserat per testamenta sua, id est per prophetas, spem non habentes: scilicet promissionis eorum spem non habentes. Cum enim essetis sine Christo non vobis promittebatis spem promissionis eorum testamentorum: quippe cum ab his hospites essetis et alieni, et essetis sine Deo, id est sine Christo. Sic enim dixit *cum essetis sine Christo.* Ecce et hic Deum Christum appellavit (5). Deinde potest intelligi sine Deo, quia ex Christo Deus est. Eratis autem in hoc mundo sine Deo. Sine Deo vivit, et hospes est a promissis testamentorum, et alius a vero Israel, cui cœlum et regna cœlorum promissa sunt in æterna vita et Dei (1) gloria.

Vers. 13.—*Nunc autem in Christo* (2) *vos, qui aliquando longe eratis, facti estis prope in sanguine Christi.* Omnis oratio, quæ exhortationem tenet, post generalem disputationem revocat sententiam ad eos ad quos epistolam scribit, ad Ephesios scilicet. Ergo, inquit, *vos* quoque *qui aliquando longe eratis*, id est gentiles, nunc autem in Christo *facti estis* quemadmodum *prope in sanguine Christi*: quoniam non opera nostra, neque Ephesii sua prope sint, et in Christo sint; sed *sanguine*, inquit, *Christi.*

Vers. 14. — Et exponit quid illud est quia per sanguinem Christi in Christo sumus, perfidem tamen. *Ipse est enim pax nostra.* Per mysterium etenim ejus reconciliati Deo sumus etiam non alieni neque adversarii. Cum enim alios colebamus, et idolis serviebamus, quasi bellum habebamus cum Patre, id est cum Deo. At medius Christus mysterio suo et passione reconciliavit nos in se. Ergo *pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem materiæ solvens, inimicitias in carne sua.*

Vers. 15.—*Legem mandatorum, in decretis evacuans.* Pax, inquit, nostra Christus est: quem et alibi mediatorem appellat. Ipse enim se interposuit inter divisa regna, cum animæ a Dei fonte natæ, in hoc mundo teneantur vel tenerentur: ut intercederet medius paries, quasi sæpes ac maceria, per illecebras carnis et mundanas cupiditates. Christus mysterio suo et carne et passione et disciplina medium istum parietem solvit, id est vincens carnem et vincendam docens, et mundi cupiditates solvens ac solvendas docens, medium parietem sustulit: in carne tamen, inquit, suas inimicitias utique solvens. Ergo non nostri laboris est, quod sæpe moneo, ut nos solvamus; sed sola fides in Christum nobis salus est. Ille enim solvit omnes inimicitias in carne sua. Item solvit et legem mandatorum, in *decretis evacuans* eam, ut non per opera neque per sabbata. Ipsa enim decreta sunt in lege ipsaque mandata: nunc (3), inquam, hujusmodi præcepta observationum, quæ carnaliter intellecta sunt, evacuavit Christus. Quibus evacuatis, medium quod intercesserat, sublatum est: nec animæ jam impediuntur quasi objecto mundo, id est cupiditatibus mundanis, et intellectibus, et desideriis scilicet carnalibus, ne videant Deum, cognoscant, sequantur, etiam cum eo juncta sint. Hoc enim docet *ut duo conderet in semetipso, in uno novo homine faciens pacem* (4). Dixi quos duo; animas, et superiora illa, æterna scilicet et spiritalia. Cum (5) ipse Salvator, qui spiritus est et sanctus Spiritus, in animas descendit, junxit duo superiora spiritalia, et animas spirituales esse fecit, et condidit in semetipso in uno, inquit, novo homine. Novus autem qui est homo? spiritalis: vetus enim animalis est, et exinde carnalis.

(1) Codd. *qui* pro *dicti.*
(2) Nempe sermonem non esse de illa vetere circumcisione.
(3) Codd. *ex hoc.*
(4) *Eorum* deest in Vulg.
(5) Nota rursus præclarum Victorini de Christo Deo testimonium; et recole col. 1147.

(1) Codd. *Deo.*
(2) Vulg. addit *Jesu.*
(3) Codd. *non, inquam, per hujusmodi*, etc.
(4) At Vulg. habet: *Ut Deus condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem.*
(5) Codd. *quo.*

Digitized by Google

Faciens, inquit, *pacem:* id est discissis et separatis et pugnantibus, id est animis ad terrena dilapsis et terrena sequentibus, et idcirco repugnantibus his quæ cœlestia sunt et spiritalia; pacem, inquit, fecit; dum reconciliavit spiritalia et Deum; ut jam unum animo sentiant, unum colant, unum sint, scilicet spiritales.

Vers. 16. — *Et ut exhiberet et reconciliaret ambos in uno corpore*, Deo (1). Jungens, inquit, ut diximus et animas et spiritum, pacem fecit: ut exhiberet conjunctos duos illos quondam separatos, et reconciliaret Deo. *In uno*, inquit, *corpore;* id est, ut ipsa anima jam spiritus cum esset, et ipse spiritus cum jam animam sibi vindicaret, esset unum corpus, quod fuerat antea separatum. Sed hic corpus accipiamus item copulationem, ut substantiam unam; quod est cœleste corpus et in æternis. Corpus quomodo dictum est? de Domino nostro Jesu Christo; quod corporalis substantia est Christus corporalisque majestas. *Per carnem interficiens inimicitias in semetipso.* Hoc autem est mysterium crucis, ut in pœnam tollerentur omnia, quæ inimica sunt animis et spiritui nostro; id est desideria mundana, carnis cupiditates, ipsaque caro quodam modo corrupta atque vitiosa. Per carnem ergo Christus interfecit inimicitias, id est omnia adversa animis. Et ubi interfecit? *in semetipso.* Ideo enim assumpsit carnem, ut in semetipso vinceret carnem; et sic per carnem carni prodesset, interficiendo corruptionem carnis; et per resurrectionem, assumendo puram atque æternam carnem atque omne corpus deitatis; cum omnia spiritus fiant, sicut multis locis et Paulus docet, et res ipsa manifestata est. In quo etiam illud, quod ubique ostendamus velim, quia Dominus noster Jesus Christus istam ipsam quodam modo carnis et mundi pugnam vicit, superavit. Nostrum pene jam nihil est, nisi solum credere qui superavit omnia. Hæc est enim plena salvatio, Christum hæc vicisse, Christum ideo in cruce sublatum esse, Christum ideo resurrexisse, ut nobis in eum credentibus salus, æternitas et cœlorum gloria pararetur.

Vers. 17. — *Et veniens evangelizavit pacem nobis qui longe, et pacem his qui juxta* (2)... Omnem actum et adventum Domini Salvatoris per ea quæ geruntur et gerenda sunt, exprimit. Adventus enim Domini evangelizavit pacem, id est ut reconciliarentur homines, totusque mundus per animas in Deum respiciens, nihil adversi (3) sentiret, haberet pacem. Quod autem dixit quod Deus, id est Salvator, veniens evangelizavit; omne quidquid bene est et bonum pronuntiat, evangelium dicitur. Deum enim nuntiare, et Deus ut cognoscatur docere, et in Deum conversionem nuntiare, evangelizare est: et hoc est evangelizare pacem, ut non discordantibus animis et errore depravatis, dum servimus vel hylicis potestatibus, bellum A quodammodo geramus in Deum. Hoc est, inquam, pacem evangelizare rursus quod dixit et *qui longe*, et *his qui juxta* ad id referendum quod est Judæis et gentibus. Namque juxta sunt Judæi scilicet, longe autem gentes. At vero quoniam ipse Salvator accepit evangelium ut in gentes pronuntiaret Deum, prime illud posuit; ut vere etiam Christus adveniens his pronuntiaret pacem, qui longe sunt, id est gentibus sicut multis rebus ostenditur. Nam et meliores filii dicuntur qui ex gentibus ad credulitatem veniunt quam ex Judæis. Verumtamen ne et illis negaretur, adjunctum et *his qui juxta sunt.*

Vers. 18. — *Quoniam per ipsum accessum habemus utrique in uno spiritu ad patrem* (1). *Utrique*, ut dixi, et Judæi et gentes per ipsum Christum habe- B mus accessum ad patrem. Sed quomodo? in uno spiritu enim, qui Christus est: dum in ipsum credimus, in nos illabitur, et Deum sentimus, et Deum cognoscimus, et Deum colimus. Ergo in ipso spiritu ad patrem ut venire possimus, per Christum utrique venire poterimus. Itaque Judæi nisi per Christum ad patrem venire possunt; quemadmodum et gentes nullo alio extrinsecus vel idolo, vel potentia, vel qualibet, ut ipsi nominant, majestate.

Vers. 19.—*Ergo jam non estis hospites et incolæ* (2), *sed estis cives sanctorum et domestici Dei.* Concludit ad speciem, Ephesiorum scilicet, quod non sint etiam alieni neque incolæ neque hospites. Qui enim peregrinantur a Deo, quoniam in Dei operibus manent, id est in mundo, hospites et incolæ sunt ut possint esse domestici, C Etenim si et dæmonibus immolabunt (3), postea credentes et sequentes Deum, sunt domestici, sed in mundo. Nunc autem qui non credunt, ii hospites sunt et incolæ. Porro quod concludit ad Ephesios, si qui Deum crediderit, et per Christum se ad Deum pertinere cognoverit, neque hospes neque incola est; *estis* ergo, inquit, Ephesii, *cives sanctorum et domestici Dei.* In unam enim civitatem, id est æternam illam superiorum divitiarum, quam Hierusalem vocant, conveniunt omnes, et sunt *cives sanctorum et Dei domestici:* quoniam in eadem civitate Deus veluti rector et dominus et princeps est. Iidem ergo *domestici Dei.*

Quid autem intelligamus *cives sanctorum?* quasi aliud erunt isti qui cives dicuntur, et aliud sunt D sancti. Quod si ita est, qui sunt sancti, et qui cives? intelligendum puto sanctos posuisse apostolos et prophetas et cæteros, qui Deum aut passi sunt aut viderunt; hoc est qui inhabitante in se spiritu, divina locuti sunt, aut præsentem aliquo modo viderunt; aliquo modo dixi, vel per carnem, vel per spiritum, ut Abraham, ut apostolus, ut cæteri ii per carnem et per spiritum, ut omnes apostoli: hi ergo sancti sunt. Qui autem credunt in Christum sine horum aliquo, *cives* sunt *sanctorum et domestici Dei.*

(1) Vulg. non habet *ut exhiberet*, sed tantum, *Et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.*

(2) Vulg. : *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope.*

(3) Codd. *adversis.*

(1) Vulg.: *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad patrem.*

(2) Pro *incolæ*, vulg. habet, *advenæ.*

(3) Codd. *indicabunt.*

Digitized by Google

VERS. 20.—*Superædificati supra fundamentum apostolorum.* Satis ipse declaravit, aliud esse sanctos, aliud vices : siquidem superædificatos dixit istos supra fundamentum apostolorum. Item ut præcepta vel observare debeant, vel ad Dei cognitionem, vel ad cultum ac religionem. Jesus Christus, et præcepta ejus, fundamenta sunt apostolorum : quæ fundamenta superædificationem habent jam ex vita et ex moribus et ex genere vivendi et disciplina. Primum tamen fundamentum est ad vitam : cætera, ad exornandum et exædificandum. Primum, inquit, fundamentum est Christum credere, et in eo spem habere, et in Deum fidem mittere. Hoc autem docent apostoli; et hoc est fundamentum etiam prophetarum : bono ordine, secundum illud quod supra divisi, ut sanctos dicerem et eos qui viderunt et eos qui spiritum tolera- B verunt (1). Viderunt enim apostoli, spiritum habuerunt prophetæ. Secundum igitur præcepta apostolorum et prophetarum (quæ præcepta Christi) est annuntiatio, et est fundamentum totius æternitatis et spei.

Superædificati estis, inquit, *in ipso angulari lapide Jesu Christo.* Omnis medietas inter duo semper posita. Hæc, duo aut jungit aut separat. Sed ubi separatio est animis, ibi (2) mundus φραγμὸς dicitur, id est maceria. Ubi autem junctio animis, Christus est, et lapis dicitur angularis, quoniam vere angularis lapis : et is est qui in primo collocatus est ; vere angulo fundamentum positum, duobus lateribus jungit. Hunc lapidem ἀκρογωνιαῖον appellavit : non enim tantum angularis, sed qui primus et summus est, unde incipit C fundamentum anguli, qui duo jungit et copulat et unum reddit. Etenim duo, sicuti diximus, vel superiores animas, quæ etiam cum Christo fuerunt ; et istas quæ hic sunt sanctæ, et mysteriis Christum habentes ; vel ipsas illas omnes Christi animas, etiam gentium animas, quæ junguntur illo angulari lapide Jesu Christo.

VERS. 21, 22. — *In quo structura* (3) *compacta in templum sanctum in Domino.* Omnes enim animæ collectæ, omnesque homines spirituales (4) redditi per Christum struuntur, ubi Deus inhabitet, quasi templum sanctum ; ut cum in omnibus inest Christus, et cum est in Christo Deus, omnes templum sint per Christum Dei. *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Ut sæpe docui, ad speciem, id est ad Ephesios, rem vocat, ut et ipsi ædificati in eodem angulo sint, id est in spiritu Christi, ut et ipsi habitaculum sint Dei. Magna autem moderatione, ut exhortatio fieret : non enim jam factos dicit, sed adhuc ædificari : deest enim illis ; et idcirco admonet et hortatur. Et cum illos habitaculum Dei in spiritu dicat, utique quid agit aliud, nisi ut aliud quodlibet excludat ex animis, solumque Christum ibi animas coædificare adhuc dicat, ut templum fiant Dei ?

CAP. III.—VERS. 1, 2.— *Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi* (1), *pro vobis gentibus : si tamen audistis dispositionem Dei gratiæ.* Superat ut cum de rebus locutus esset, quod spes omnis in Christo, sic et spiritu coædificentur omnes, ut sint habitaculum Dei ; superat, inquam, ut id doceret quis ipse esset ; an ipse impleret coædificationem per evangelium, daretque rationem auctoritatis suæ ut ei crederetur. Hoc igitur adjungit *hujus*, inquit, *gratia*, id est ut habitaculum Dei in spiritu ædificemini. Non enim tantum Ephesiis istud, sed omnibus dictum audiatis. Denique *pro vobis*, inquit, *gentibus vinctus Christi Paulus ;* vinctus, aut associatus ad evangelium Christi, aut qui multos labores et pœnas toleravi, et pro vobis tolerarem, annuntians Christum : et sim vinctus Christi ; qui annuntiando Christum, vinciar ; sed propter vos. Id ut probare videretur, se pro gentibus vinctum esse Christi, adjecit mysterii erga se habiti (2) fidem. *Si tamen*, inquit, *audistis dispensationem Dei gratiæ.* Id est, si est cognitum vobis quæ gratia disposita sit, id est quomodo per me evangelium ordinatum sit, ut annuntietur Deus per Christum, et Christi virtus, quæ virtus Dei est. *Quæ data est mihi in vos* (3) *secundum revelationem.* Etenim, sicut ipse Paulus multis locis memorat, non ab hominibus, neque per homines mysterium accepit aut didicit, sed revelata illi cuncta sunt. Hoc enim dixit, gratiam sibi datam, sed per revelationem. Quo in loco intelligi licet christianum ex revelatione fieri posse, et maxime fieri. Electus quidem est, et vas electionis dictus est Paulus ; verumtamen quia Dei potentia omnibus modis gratiam suam ministrat, intelligamus esse istam legitimam mandatorum Salvatoris disciplinam, uti renascatur homo per spiritum et aquam, et sic Christi spiritum recipiat. Sed id et ab hominibus et per homines. Istud vero quod Paulo provenit (quamquam hoc, ut æstimatio nostra est, meruit solus) tamen, ut dixi, revelatio Dei ejusmodi aut alio simili modo per Dei gratiam fieri potest. Unde non est abnegandus a Christi gratia, cui revelatio per Christi gratiam data sit, ut spiritu compleretur ; et Christi cognitione per revelationem habita, deserviret.

VERS. 3, 4. — *Notum mihi factum est mysterium* (4), D *sicut antescripsi in modico ; prout potuistis legentes* (5) *intelligere prudentiam meam in mysterio Christi.* Et hic quoque admoneo revelationibus posse cognitum esse mysterium Christi : et licet circa Paulum ex electione Domini videatur impletum, tamen quoniam electio Domini libera est, etiam circa alios potest ut non ab hominibus neque per homines fiat cognitio veræ plenæque deitatis. Magna quidem et

(1) Ita codd.
(2) Codd. *ut* pro *ibi.*
(3) Vulg. : *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in domino.*
(4) Codd. *spiritaliter.*

(1) Vulg. addit *Jesu*, et pro *dispositionem* habet, *dispensationem.*
(2) Codd. *habenti.*
(3) Vulg. *in vobis.*
(4) Vulg., *Sacramentum*, *sicut supra scripsi in brevi.*
(5) Codd. *intellegentes ;* sed recte infra *legentes.*

Digitized by Google

unica dignatio, et fortassis ex parte quod fiat hodie, A concedatur. Etenim cum ipse dixerit, si propheta aliquis et de eodem alius sibi revelatum dixerit, sedeat et cognoscat qui prophetat, ut audiatur is qui sibi revelatum dicit; ergo et revelari potest; et quod parte, eodem modo etiam in toto. Etenim mysterium Domini et Dei voluntas in omni potentiam suam extendit: et illum posse omnia, et velle quæ potest, accipere debemus; et hæc alterius quæstionis sint. Nunc revelatum sibi mysterium ostendit (1); cum dixit Paulus id se scripsisse Ephesiis, id est ipsum mysterium; non revelationem, sed quod revelatum est, hoc est mysterium. Scripsi, inquit, sed immo dico; et ut potuistis, inquit, *legentes intelligere*, in quantum potuistis prudentiam meam; in mysterio Christi prudentiam. Scientiam posuit non illam quæ B prævidet sua potentia quæ sunt, quæ futura sunt ratiocinando invenit et comprehendit: at hic scientiam, prudentiam nominavit. Non enim per prudentiam consecutus; sed postea quam consecutus est, habere cœpit prudentiam. Denique prudentiam, inquit, in mysterio Christi; id est in eo quod percepi, quod mihi revelatum est, quod mihi notum factum est; id est in eo (2), quod doctus sit prudentia, in eo quod sibi revelatum est vel memoria, vel scientia, vel intelligentia. Hæ enim sunt partes prudentiæ: ita et locus prudentiæ est, et tamen non per prudentiam mysterium consequi possumus, sed per revelationem.

Vers. 5. — *Quod aliis generationibus non fuit notum* (3) *filiis hominum*. Potest hoc ad prudentiam argumentum esse, uti Deo revelatum illi sit, quia C prudens erat et percipere poterat revelationem, mysterium; et solus meruit propter prudentiam mysterium nosse, *quod aliis generationibus notum non fuit filiis hominum*. Quid est *aliis generationibus?* id est ante mea tempora (4). Generationes enim, sicuti in evangelio lectum est, quasi per homines tempora. Nulli, inquit, eorum qui ante me in generatione fuerunt filii hominum; nulli, inquit, notum fuit de mysterio. Quod sit mysterium, quod revelatum sibi et notum factum Paulus dicit, sæpe locuti sumus. Adjiciendo autem *filiis hominum* ostendit fortasse mysterium illud antequam Paulo revelatum est, fieri potuisse ut revelatum sit angelis; id est non filiis hominum, *sicut nunc revelatum est sanctis ejus apostolis*. Plene mysterii concordiam quod unum sit atque idem, D quod sibi revelatum est et apostolis, docet. Ne discordet et non idem videatur esse per præsentiam Christi traditum apostolis, quod ipse sibi per revelationem traditum dixit; conjungit id sibi revelatum quod sanctis apostolis. Parum est: adjicit *et prophetis in spiritu*. Acute et vehementer: etenim propheta qui mysterium locutus est, in Spiritu illi revelatum est; mysterium ipse non scivit. Quia dixit filiis hominum revelatum non fuisse neque notum mysterium; fuit autem notum et prophetis, qui filii hominum sunt; adjunxit notum, sed *in Spiritu*; id est cum afflati Spiritu mysterium loquerentur.

Vers. 6. — Ipsis tamen non notum fuit, *Esse gentes cohæredes et concorporales et participes promissionis ejus in Christo per Evangelium* (1). Hoc est quod sibi mysterium notum factum esse dixit, simulque etiam *sanctis apostolis* et *prophetis in Spiritu*, quod et gentes cohæredes sunt in Christo et concorporales, id est ejusdem quasi corporis: quod sæpe ita memorat ut omnes animæ sanctæ et liberatæ (2), et Christi spiritu junctæ, unum corpus esse dicantur. Exinde ergo participes promissionis ejus in Christo sunt etiam gentes. Non enim solus Israel, sed et gentes, quæ in Christo per evangelium concorporatæ fuerunt, participes promissionis; quod æternam gloriam merebuntur, quod vitam, quod remissionem peccatorum, et cætera, quæ et Deus et Salvator promisit se sequentibus. Ergo omnes per evangelium promissionis participes in Christo sunt.

Vers. 7, 8.—*Cujus factus sum ego minister secundum donum operationis Dei, quæ data mihi est secundum operationes virtutis ejus* (3). Minister, inquit, sum evangelii factus ipsius, per quod in Christo participes promissionis et gentes et Israel sumus: cujus evangelii ego minister, factus autem dono gratiæ Dei. Ubique enim non nos meritis nostris hoc accipere, sed gratia Dei, memorat Paulus; ut dantis sit, non accipientis, quidquid gratiæ datur. Quod autem adjunxit *secundum operationem virtutis ejus*, et hoc quoque Deo tribuit; ut si quid ego operer, virtus Dei sit. Non enim in me mea virtus operatur, sed Dei. Quomodo autem utrumque jungat et quid sequatur, perspiciendum diligenter est. Adjungit enim: *Mihi minimo omnium sanctorum data est hæc gratia*... Si operatio jam agentis est, et secundum operationem data est gratia, meritum est prius operantis, et sic gratia. Sed supra dixit, secundum donum gratiæ Dei datam esse hanc gratiam, ut minister esset evangelii: soli vero posterius data est, qua nunc operatur, et operatur virtute Dei, et dicitur *propter operationem virtutis Dei data est gratia*. Quid igitur? operatio ante gratiam data est? an postea gratia data? Sed cum dicitur operationem virtutis Dei esse, jam data est gratia. Rursusque cum dicitur, secundum Dei gratiam factum ministrum esse Paulum, ante operationem intelligimus datum donum, ut minister esset; et donum Dei (4) esse gratiam quod minister est. Jam ex accepta gratia ministri cum operetur; et illa gratia est, ut operatio ejus ex virtute Dei sit. Ita ut minister esset, donum Dei fuit; ut esset operatio Dei virtus in eo, gratia Dei fuit. *Mihi* igitur *omnium sanctorum minimo hæc data est*, inquit, *gratia*. Quæ illa gratia?

(1) Codd. *et nos* pro *ostendit*.
(2) Codd. *factum quæ est autem in eo*.
(3) Vulg. *non est agnitum*.
(4) Codd. *ante meis temporibus*.

(1) Vulg.: *Gentes esse cohæredes et concorporales et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium*.
(2) Codd. *libertas*.
(3) Vulg. *Cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei quæ... secundum operationem...*
(4) Codd. *Deus*.

Digitized by Google

secundum operationem virtutis ejus inter gentes evangelizare. Quid autem evangelizare, subjicit : non apostolorum minimo, sed sanctorum, inquit. Sancti enim, et fide et spiritu sancti, sunt apostoli, quibus mandatum est evangelium. *Incomprehensibiles divitias Christi* (1). Quæ enim aut divitiæ tales esse possunt, aut quemadmodum comprehendi divitiæ, quæ sunt Christi, quæ nos faciant Dei filios, æternam vitam tribuant, corruptionem omnem auferant, mortem ipsam interficiant, in cœlis esse faciant, peccata donent omnia? Ergo magnæ divitiæ, et in tollendis malis indulgentia peccatorum, et in dandis bonis, et tantis bonis, quæ supra dixi, et alia talia.

VERS. 9. — *Et illuminare omnes quæ sit dispositio* (2) *mysterii.* Ordo : data est mihi gratia inter gentes evangelizare et illuminare omnes. In qua re *illuminare?* quid sit *dispositio mysterii;* ut non solum mysterium evangelizent sed et illuminent, id est aperiant quæ sit dispositio mysterii. Quod autem dixit *illuminare omnes* tenuit et Israel et gentes. Accepit enim sine dubio in gentes evangelium; sed et Judæi illuminari possunt, si sequantur, si obediant. Quid autem sit *dispositio mysterii*, exponendum est; quoniam illuminare se dixit Paulus. Sed id in sequentibus declaravit *absconditi a sæculis in Deo.* Data mihi, inquit, inter gentes est gratia, *omnes illuminare quæ sit dispositio mysterii.* Cujus mysterii ? quod absconditum est, inquit, a sæculis in Deo.

Quid est a sæculis, et quid in Deo; quid est absconditum; et quomodo absconditum; breviter explicemus. A Deo, qui pater est primus, genitus est Christus qui est lumen ex lumine, et Deus ex Deo (3), qui Jesus est, qui Deus ex Deo est (4). Nemo me velut alterum Deum dicere existimet; sed ita ordo loquendi flagitat. In hoc, inquam, Christo, qui Deus ex Deo est, omnia perfecta sunt, et per ipsum, omnia; sed quod nunc necessarium est, in ipso omnia. Sic enim dictum, et per ipsum, et in ipso. Si igitur in ipso omnia, quamquam per ipsum omnia, sed Deus in ipso omnia (5); etiam hoc mysterium est, et in ipso absconditum. Absconditum autem quibus? a sæculis. Christus enim unigenitus Dei filius, et ab ipso reliqua creata sunt : id est per ipsum Dei opera in ipso operante per ipsum. Omnia sæcula igitur posteriora Christo; quippe a Christo facta. Nihil igitur ante Christum, nec superiora ante Christum. Nullo temporis exordio Christus natus ex Deo. His igitur sæculis, item ab his in Deo mysterium absconditum est, ut suis temporibus reveletur, Dei filium Christum venire, carnem induere, succurrere, liberare hominem, donare peccata, in æterna et cœlestia tollere, justificare, et glorificare, et cætera quæ subjungit. In quo igitur mysterium hoc absconditum est? *in Deo.* In quo Deo? qui universa creavit. Si enim per ipsum revelatum est mysterium in ipso absconditum; fuit autem absconditum antequam veniret, revelatum est posteaquam venit. Quis iste est? qui universa, inquit, creavit. Ergo creator licet Deus accipiatur, sed per Christum tamen creator Deus. Creator enim non convenit Deo (1), sed convenit Christo, et sic per Christum Deo. Ille enim genuit Christum : Christus creavit omnia ipso Deo operante et per se creante. Ita unum est quod creata sunt omnia, et ab uno creata sunt. Si quidem Dei patris opera per Christum creata sunt omnia.

VERS. 10. — *Ut innotesceret principibus* (2) *et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Hoc est mysterium quod absconditum in Deo, id est in Christo, quod postea revelatum est non animis (3) sed hominibus, neque tantum hominibus sed *omnibus principibus et potestatibus in cœlestibus*, et revelatum est per Ecclesiam, quod scilicet per mysterium sapientia Dei est. Cum autem dixit *principibus et potestatibus in cœlestibus* intelligi licet illis revelatum non esse, quæ adversæ sunt : in cœlestibus enim, inquit. Et quod dixit per Ecclesiam, id est per membra Dei omnia, per membra Christi, et per omnem animam mysteriis ejus indutam (4), et in ipsum spem habentem. Ita quantum homini datum sit, intelligi licet. Si quidem non principes et potestates in cœlestibus, ipsi sapientiam Dei hominibus declarant; sed *per Ecclesiam*, id est per eos qui membra sunt Christi, sanctificatione in fide, potestates et principes in cœlestibus sapientiam Dei cognoscunt editam esse per hominem. Discere et noscere (5) etiam principibus mundi et potestatibus sapientiam Dei, facilis erit agnitio, si ubi homo sit, et ubi habeat principium didicerint, cognoverint, per prophetam Ezechielem cum loquitur de cherubin; in quo visio est, quemadmodum locus ipse certam expositionem desiderat. Breviter ergo mysterii omnes partes, quas nos supra diximus, tetigit dicendo *multiformis sapientia Dei* : vel quod filium misit, vel quod tanta majestas servi formam suscepit, vel quod tanta signa facta sunt, vel quod promissa tanta sunt, indulgentia peccatis, et promissio cœlorum. Item æterna vita et glorificatio et hæreditas simul cum eodem Christo, et ejusdem post mortem resurrectio, et ipsa mors, et cætera hujusmodi, multiformis est sapientia Dei.

VERS. 11. — *Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.* Ex hoc apparet quid sit in Deo absconditum esse mysterium si quidem adjunxit *secundum præfinitionem sæculo-*

(1) Vulg. : *Investigabiles divitias Christi.*

(2) Pro *dispositio mysterii*, Vulg. habet *dispensatio sacramenti.*

(3) Respicit Victorinus ad symboli Nicæni verba. Et quidem, puero vel adolescentulo Victorino, celebrabatur magnum illud Nicææ pro Christi divinitate concilium.

(4) Atqui hoc jam dixeras, Victorine mi.

(5) Ita prorsus est in codd.

(1) Quis sic loquitur, ut heic Victorinus? Deo certe convenit creatoris appellatio. Cæteroquin cur creatio de filio Deo sæpius quam de patre Deo prædicetur; seu potius cur pater per filium creare dicatur, subtiliter disputat Photius a me nuper editus amphiloch. 188. Coll. vat. T. I. p. 328. sqq.

(2) Vulg., *principatibus.*

(3) Ita codd. Num pro *angelis?*

(4) Malim *imbutam.*

(5) Codd. *notescere.*

Digitized by Google

rum. Certis etenim sæculis determinatis atque conclusis apparere mysterium per præsentiam Domini, in quo absconditum mysterium fuit. Per ipsum enim revelari debuerit in quo absconditum fuit. Hoc enim adjunxit *quam definitionem sæculorum fecit in Christo Jesu Domino nostro*. Quo tempore appareret, quo tempore revelaretur mysterium, quo salus et liberatio ostenderetur.

Vers. 12. — *In quo habemus libertatem et aditum in confidentia per fidem ipsius* (1). Licet in mysterio præsentiæ Domini nostri Jesu Christi et redemptio facta sit et salus data, summa tamen, et vere (si attendamus) hæc summa sola est, certe maxima, quod libertas nobis data est. Etenim pressi captivitate non valebamus per legem resistere, sicut ipse dicit quod nostra infirmitas corpore resistere non valeret. Venit igitur ut vinceret carnem, et mortem per mortem : qua B victa, fecit possibile nobis esse, quod impossibile credebamus. Data ergo libertas est, et datus ad confidentiam aditus per fidem ipsius, hoc est cum fidem in ipsum habemus. Monui, et sæpe monui, eam esse januam liberationis nostræ, si in Christum credamus : mysterium enim ejus liberavit nos, si eum sequamur. Tunc enim proderit nobis ejus mors et ejus resurrectio, si fidem in eum habeamus ; quod omnia propter nos et fecit et passus est. Confidamus ergo, sicuti subjungit.

Vers. 13. — *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis ; quæ est gloria vestra.* Exhortationem quam debet omnibus, ut eos confirmatos redderet, in se revocavit. Propter hanc, inquit, causam scilicet quia mihi minimo omnium sanctorum data C est hæc gratia inter gentes evangelizare, et cætera ; propter quod, id est propter istam causam, peto ne deficiatis in tribulationibus meis. Multum enim qui Paulum sequuntur fatigari possent in fide, cum audirent eumdem Paulum tribulationes sustinere. Si enim ille qui prædicat, qui evangelizat, qui a Deo electus est, multa tolerat, fatigatur periculis, laboribus multisque aliis tribulationibus ; multum, inquam, deterrentur illi qui eum sequuntur, et fidem pene non integram incipiunt habere, quod quasi et ipsi periclitari possint et graviter laborare ; si quidem ille qui evangelizat et prædicat, est tantæ gratiæ (2) in tribulationibus. Sit ergo peto, inquit, propter id quod mihi revelatum est, ut *non vos deficiatis in tribulationibus meis* : quas tamen tribulationes non meo merito patior, neque D mea causa ; sed quoniam vos vel infirmi in fide estis, vel adhuc trepidatis, et nescio quomodo alia adjungitis. Idcirco ego tribulationes sustineo, volens vos ad disciplinam veram observationemque revocare, ut a Christo ne recedatis ; nihil ad Christum adjungatis, solam spem de Christo habeatis. Hæc non est gloria vestra ; mea, inquit. Ergo tribulationes quoniam pro vobis sunt ; gloria, inquit, vestra est, ut ad gloriam me laborante, operante, per tribulationes exercitato, ad gloriam vestram venire possitis.

(1) Vulg. : *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus.*
(2) Ita codd.

Vers. 14. — *Hujus rei gratia flecto genua ad patrem domini Jesu Christi. Cujus rei gratia* scilicet tribulationes pro vobis sustineo. *Hujus rei gratia flecto genua ;* id est plene rogo, et rogo *patrem Domini, patrem Domini* (1) *nostri Jesu Christi*. Omnia quidem operatio per Christum et omnis actio ; sed quoniam, ut sæpe monuimus, ministeriorum spiritus Christi est ; quippe ipse ministerium Dei est, et omnia Deus per ipsum ; idcirco ad patrem, inquit, *flecto genua*. Ipse enim rogandus, uti misereatur, et subveniat, fidem nostram dirigat, operetur in Christo nobis, ut ipsum Christum sequamur, atque in eum fidem habentes ad promissa pervenire possimus. Precum autem et rogationis plenus habitus, genua flectere. Non solum enim animo flectere nos debemus in preces, sed etiam corpore nulla parte altiore simus, vel imagine altitudinis, vel quod superbiam (2) habere videamur (3). Denique alio loco : servabit sibi Deus tot millia hominum qui non flexere genua ante Baal (4).

Vers. 15. — *Ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur*. Scilicet ex patre Deo, et patre Domini nostri Jesu Christi : ipse enim pater, ipse primus pater, et ab ipso quicumque pater est, pater est nominatus. Et tamen hoc vocabulum vel potestas a primo Deo patre, velut a fonte, defluxit. Nam et Christus pater omnium quæ creata sunt : per Christum enim creata sunt omnia. Item et in mysteriis pater (5). Et Paulus quodam modo pater : siquidem dixit filii mei estis : ego, inquit, in Christo Jesu per evangelium vos genui. Denique paternitas in cœlis Christus est : in terra paternitas, vel apostoli, vel quicumque evangelizat, vel qui tradit mysterium. Iis enim modis atque aliis multis filii dicuntur qui fidem accipiunt, et illi patres qui tradunt. Paternitas igitur omnis a Deo patre proficiscitur.

Vers. 16, 17. — *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute confortari* (6) *per spiritum suum, in interiore homine* (7) : *habitare Christum per fidem in cordibus vestris*. Quas preces habeat pro Ephesiis, expressit ; ut det vobis, inquit, *divitias gloriæ* : easque divitias ostendit gloriam Dei, virtute confortari per Spiritum suum, uti fortes adversum carnem et carnis desideria sint, et adversum potestates hujus mundi iniquissimas ; quod fit et quod provenit per Spiritum Dei. Quemadmodum autem per Spiritum Dei confortantur, id est fortes redduntur ? *in interiore homine*, inquit, *habitare Christum*. Christus enim in homine interiore, id est in anima, cum habitare cœperit, fortes virtute per Spiritum redduntur homines : expelluntur enim omnia quæ adversa sunt. Quomodo autem habitet Christus in interiore homine, subjecit

(1) Ita repetit more suo Victorinus.
(2) Codd. *superbiæ*.
(3) Notemus Victorini doctrinam de orantium corporali habitu.
(4) III Reg, XIX, 18 ; ad Rom. XI, 4.
(5) Nempe qui initiat, pater dicitur initiati. Recole col. 1184, not. 2.
(6) Vulg., *corroborari*.
(7) Vulg., *in interiorem hominem*.

Digitized by Google

per fidem, inquit, *in cordibus vestris*. Ergo facilis et magnifica res est : facilis in eo quod fides sola implet tantum munus et tantum beneficium, ut in cordibus nostris Christus habitet. Quo habitante quid consequimur? ut fortiores simus per Spiritum, et sic habeamus divitias gloriæ Dei, et fortes redditi nihil periculi sustineamus, contemnamus mundum, vincamus omnes iniquissimas potestates. Hæ sunt divitiæ Dei. Speremus etiam gloriam et repromissionem *in veritate* (1) *radicati et fundati*. Maximum præceptum hoc, et ubique a Paulo positum, et a me in admonitione sæpius constitutum : quia firmitas et firmamentum, et totus animæ ad æternitatem status, *in veritate* est, de qua sæpe dixi : quæ et in Deum et in Christum est charitas, et circa homines. Hæc radicatam efficit fidem nostram et fundatam.

VERS. 18, 19. — Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et altitudo (2) et profundum. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Jesu Christi*. Precum suarum, ut dixi, summam exposuit; quod roget Deum ut Ephesii consequantur. In quo non Ephesiis tantum hoc accipiendum est precari Paulum, quam omnibus qui in Christum credunt. Præter igitur ista, quæ supra diximus; precatur et rogat, ut Ephesiis tribuat Deus, illud quoque quod est maximum uti scientiam consequantur, altitudinem, profunditatem. Precatur etiam ut consequantur Ephesii charitatem Christi; quæ charitas supra scientiam prævalet et supereminet, plusque ad salutem proficit, et ad æternitatem (3) animis, si aliqui (4) charitatem in Christum suscipiat. Ita cum docuerit (5) tria perfectionem christianitatis implere, fidem, scientiam, charitatem; omnia breviter hic complexus est; atque in precibus se habere declaravit, ut Ephesiis hæc Deus præstet. Nam de fide sic locutus est : ut habeatis, inquit, in interiore homine Christum habitantem per fidem in cordibus vestris. Item de scientia sic locutus est : *ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis* latitudinem, longitudinem, altitudinem, profunditatem. Item de charitate sic adjungit : scire etiam supereminentem scientiæ charitatem. Et tria posuit : et ordinem, et quid magis valeret ostendit. Tria sunt, fides, scientia, charitas. Ordo est, ut prior fides sit : qui enim credit, is ad scientiam venit. Sic enim dictum est : si credideritis, tunc intelligetis. Post scientiam præponitur omnibus charitas Christi : sola enim charitas in Christum et (6) desiderium, et amor, et affectus et cupiditas, elevat et liberat animas. Ergo supereminet charitas scientiam.

Quod autem quatuor posuit, quæ scientia debeat comprehendere; naturaliter quidem tria sunt : nam mensura corporis habet tria, longum, latum, altum. Altum autem tam in superius quam in inferius est.

(1) Vulg., *in charitate*.
(2) Vulg., *addit et sublimitas*.
(3) Scilicet beatam.
(4) Ita codd. pro *aliquis*, antiquo more.
(5) Codd. *docuerim*.
(6) Codd. *in* pro *et*.

Longum est quod producitur quasi contra nos. Latum quod juxta nos per utraque latera tenditur. Altum, ut dixi, quod ad superiora pertinet et ad inferiora. Hic igitur composuit altitudinem et profunditatem. Ipsum quod nos altum diximus, in duo divisit; ut altum diceret quod in superioribus, et profundum quod in inferioribus. Ita altum dividens, duo collocavit, et facta sunt quatuor, quæ tria sunt per naturam. Ergo hæc veluti mensura corporeæ intelligentiæ homini interiori insinuanda et perspicienda est, ut circa Deum hæc animadvertantur. Cum enim Deus per omnia et in omnibus sit, et sit omnia, et ex quo sunt omnia, et per quem sunt omnia, et super omnia, illic est scientiæ labor animadvertere et scire quæ sit longitudo, quæ latitudo, quæ profunditas. Quæ omnia quemadmodum sint vel intelligi possint secundum partitionem istam : et intelligi in Deo, altior aliusque tractatus est. Denique precatur, ut Ephesii hæc intelligant : et ne desperatio sit quod ista intelligi minime possint, adjunxit : *ut comprehendere possitis*, inquit, *cum sanctis*. Ergo sancti comprehendunt, et exponi hæc possunt. Sed hoc (1) ut dixi alterius est operis, et magnæ atque arduæ expositionis, *scire supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Attendendum vehementer et acute, quod in precibus hoc oret Paulus, ut Ephesii hoc quoque sciant, quod charitas Christi superemineat omni scientiæ. Hoc orat, inquam, sciant, qui enim scit, quod superemineat omni scientiæ charitas, plene implet charitatem in Christum. Non igitur orat ut faciant, quia consequitur; sed orat, ut sciant. *Ut impleamini omni plenitudine Dei* (2). Omnia hæc, quæ pro Ephesiis orat Paulus, confortari in spiritu, confortari in interiori homine, et habitare Christum per fidem, et charitate radicari, comprehendere cum sanctis latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundum; scire etiam quod superemineat scientiæ Christi charitas; hæc est plenitudo Dei, quod Græci πλήρωμα dicunt, id est perfectionem, cui nihil desit : quam plenitudinem Christus mysterio suo operatur, implet, et implevit; ut faciat illud *Deus in omnia et per omnia*. Hæc enim est plenitudo.

VERS. 20, 21. — *Ei autem qui potest super omnia facere abundantius quam petimus ut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in me* (3) *ipsi gloria in Christo Jesu, et in Ecclesia, et in omnes generationes sæculi sæculorum*. Ordo sensus istius : ei autem gloria in Christo Jesu, et gloria in Ecclesia, et in omnes generationes in sæcula sæculorum. Cui autem gloria? ei, inquit, qui potest super omnia facere abundantius quam petimus aut intelligimus. Nos enim pro vobis hæc oramus, ut ista faciatis, et ista intelligatis. Si quis autem plus poterit et abundantius poterit et supra hæc omnia poterit, supra scilicet quam petimus aut intelligimus, illi gloria. Is autem qui supra

(1) Codd. *nunc*.
(2) Vulg., *In omnem plenitudinem Dei*.
(3) Vulg. : *Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus..... operatur in nobis*.

Digitized by Google

et abundantius supra poterit, utique poterit secundum virtutem quæ operatur in nobis, secundum virtutem scilicet Dei et Christi Domini nostri, secundum eam enim operor. Et ille igitur secundum eam virtutem operatur, quæ est in nobis. Igitur ei, qui supra omnia hæc potest facere abundantius quam petimus aut intelligimus, gloria sit in Christo Jesu et in omnia sæcula, et in omni Ecclesia. Potest tamen hoc totum ad Deum referri. Ipse enim potest superabundantius ista facere. Et ipsi gloria.

CAP. IV. — VERS. 1. — *Obsecro* (1) *vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine et patientia.* Hic locus exhortationis est et admonitionis, simul cum precibus humiliter et commendatione, ut et ipsi tollerent, cum et ipsum videant patienter multa tolerare. Ego, inquit, *vos obsecro vinctus in Domino*, ut cum multa tolerem (nam et vincula et varia toleravit et passus est); cum ergo, inquit, vinctus in Domino sim, id est propter Dominum, ego ipse qui moneo in multis patiens, moneo *ut digne ambuletis* ea scilicet *vocatione qua estis vocati*. Sæpe enim diximus vocari homines Dei gratia. Hac vocati jam vos vocatione, quia jam Deum cognoscitis et Christum Dominum, hac vocatione digne ambulate. Subjungit quemadmodum.

VERS. 2, 3, 4. — *Cum omni humilitate et mansuetudine et patientia.* Et (2) tolerantiam multam ponit, ne efferantur, ne superbi sint. Primo posita humilitas, deinde mansuetudo. Humilitas animi dejectio est. Frenum superbiæ et immanitatis (3), mansuetudo est. At vero quæ sequitur patientia, in eo quod tolerant, si quid adversi evenerit. In prioribus, ne vereantur (4) pati, duo posita, humilitas et mansuetudo. In his quæ sequuntur, si passi fuerint, quales sint patientia, inquit. Deinde quod subjungit *cum omni magnanimitate* (5). Hæc enim magnanimitas in hoc est, ut non solum patienter feras (6), sed erecto animo semper sis. Denique hoc subjungit, ut si passus fueris patienter, et magnanimiter feras *sufferentes omnia quæcumque acciderint portantes invicem in charitate.* Potest et ad *sufferentes invicem in charitate*, referri. Potest tamen integer esse sensus qui sequitur : *Solliciti servandæ unitatis spiritus in vinculo pacis* (7). Ut spiritus unitatem servetis, aut unum spiritum servetis servandæ pacis et in vinculo pacis, hortor vos ut solliciti sitis. Dat tamen rationes quare unitatis spiritus in vinculo solliciti esse debent : *Unum corpus*, inquit, *et unus spiritus.* Quia unum corpus est tota Ecclesia et unus spiritus. *Ita ut et vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Et hoc argumentum est ad unitatem spiritus servandam in vinculo pacis, quod ita et isti vocati in una spe : non enim diversam spem habent, sed unam omnes, qui vocati sunt, promissorum Dei. Quæ autem promissa sunt, notum est omnibus.

VERS. 5, 6. — Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium, qui supra omnia, et per omnes in omnibus nobis (1). Late patet, et simplex tamen est iste tractatus; *unus Dominus*, id est Christus; *una fides*, utique in Christum, et in Deum; *unum baptisma;* non enim aliter ab aliis; neque si aliter ab aliis, baptisma; sed illud baptisma, quod in Deum patrem et in Dominum nostrum Jesum Christum Filium et Spiritum sanctum datur. Aliter ergo datum baptisma non est. Ergo *unum baptisma, unus Deus :* quoniam etsi et filius Deus tamen, quia in filio Deus, et pater Deus, unus Deus. Item quia in Deo filius, unus ergo Deus. Qui Deus? pater, inquit, Deus; quia ipse est *per omnia*, et ipse est *in omnibus*, et supra omnes : ergo unus Deus, qui *pater est omnium*, qui supra omnes, et per omnes, et in omnibus nobis. Attendamus autem ordinem diligenter connexum. Unus Dominus : ab ipso cœpit, per quem incipit omnis christianitas, et ingressus ad liberationem. Cum enim Christum quis cognoverit, tunc sequitur ut in eum fides sit, et reliqua. Una in Christum fides; deinde consecratio ejus. Unum baptisma; deinde conjunctio. Unus Deus, pater omnium, super omnia, per omnia, in omnibus. Quatuor posuit : est enim Deus, quia causa : pater omnium, quia ultra ipsum nihil : supra omnia, quia actio; per omnia, quia unitio et connexio in omnibus.

VERS. 7. — *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Hoc adjecit : hinc enim potest impatientia nasci vel injuria fieri. Et cum moneat humilitatem et patientiam et cætera, rationem dat ut unusquisque patiens esse debeat et magnanimus, quia secundum mensuram donationis Christi unicuique nostrum data est gratia. Cum igitur alia aliis data sit, neque invidendum est, neque negandum est; nec quod alius habet, dolendum; nec quod quisque habet, non dandum. Si donatio ergo Christi est secundum mensuram gratiæ unicuique datæ (2), omnes invicem nos charitate accipere debemus, et sufferre magnanimiter et patienter omnia cum mansuetudine cum humilitate.

VERS. 8. — *Propter quod dicit ascendens in altitudinem, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus.* Exemplum ad hoc datum est quia dixit secundum mensuram donationis Christi. Probat autem donationes esse Christi, dato exemplo de psalmo LXVII, in quo docet Christum Dominum nostrum Jesum in altitudinem ascendisse, et captivam duxisse captivitatem : id est illam, quæ nos captivos fecit, captivitatem captivam fecisse, et illam oppressisse, et sic nobis dona dedisse. Ergo si data nobis dona sunt a Domino

(1) Vulg. addit *itaque*.
(2) Codd. *ad*.
(3) Codd. *illa humilitas animi dejectio est fera superbia et immanitate*.
(4) Codd. *mereantur*.
(5) Hæc verba *cum omni magnanimitate*, sicut et sequentia, *sufferentes omnia*, etc., non leguntur in vulg.
(6) Codd. *efferas*.
(7) Vulg. : *Solliciti servare unitatem Spiritus...*

(1) Vulg. : *Qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.*
(2) Codd. *gratia unicuique data*.

Digitized by Google

nostro, qui mysterio suo captivam captivitatem duxit, ascendit in altitudinem, liberatis nobis, et captiva facta captivitate, dedit dona hominibus : per quem gratiam ejus consecuti, diversa ageremus, deifica omnia ; sicut postea dicit, ut alii essent apostoli, alii evangelistæ, alii prophetæ, et reliqua. Hæc ergo dona sunt. Cum autem a Christo hæc gratia unicuique data sit secundum mensuram donationis ejus, nemo alterius debet aut invidere gratiæ aut suæ ; sed omnia paria (1) invicem dare et credere, et universa humiliter et cum mansuetudine et cum patientia et magnanimitate sufferre, conservandæ *causa* unitatis in spiritu unitatis, in vinculo pacis ; ut et concordiam habeamus, et pacem servemus, nulla discordia perturbante animos nostros.

LIBER SECUNDUS.

Oportet nunc interpretationem, qua nunc utimur, exequi atque complere in his verbis quæ Paulus adjungit, et necessario adjungit, quia supra per exemplum docuit, quod ascendens in altitudinem, captivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus. Propter hoc, inquam, exemplum tractat, quoniam qui ascendit utique descendit ; quod quidem mysterium late patet, habetque alios in ista explicatione tractatus. Quid sit ascendere, et quemadmodum descenderit in inferiora terræ, et quemadmodum ascenderit super omnes cœlos (quod est vehementius), omni cura atque omni diligentia perspiciendum. Ascendit, inquit, ut impleret omnia. Quid est adventus, et quid est reditus? ut dixi, magnus iste tractatus est ; magnusque etiam ille, quomodo implevit omnia, et magis rediens implevit omnia. Ac si complecti velim et enarrare, non sinit operis magnitudo ut in ista parte, qua commentationem simplicem facimus, pars ista ponatur. Arbitror de isto sensu istoque tractatu librum aliquem esse complendum, quem permissu Dei jam aggrediar (2), ut omnia necessaria ad istius modi intelligentiam liberi a necessitate interpretationis valeamus implere. Nunc igitur simpliciter admonendi modo ista breviterque dicemus.

CAP. IV. — VERS. 9. — *Quod autem ascendit, quid est nisi qui et descendit in inferiora terræ* (3)? Positum est in psalmo *ascendens altitudinem* ex quo verbo capiamus intelligentiam quia is ascendit, qui descendit. Natura etenim rei sic se habet, ut ascendere in cœlum non possit nisi qui inde descendit. Hoc circa cœlestia : nam circa alia hujusmodi terrena potest aliquis ascendere, qui non descendit : sed in cœlum atque in cœlos nemo ascendit, nisi qui inde descendit. Sic enim Salvator in Evangelio dixit : nisi quis renatus fuerit, non potest regnum Dei tenere. Deinde subjunxit, quoniam *quod ex carne nascitur, caro est ; quod autem ex spiritu nascitur, spiritus est.* Spiritus autem de supernis est ; ergo spiritus ad superna redit. Nam et cum resurrectio fuerit, omnia spiritus erunt ; et totus homo spiritus factus, in cœlum ascendet, scilicet per spiritum. Ergo necessarium factum est ut qui ascendit in cœlum, ipse sit qui descendit. Christus ergo, de quo dictum est, quia ascendit in cœlum, intelligitur quod descenderit : et si descendit, utique in terræ inferiora descendit ; non solum in terram, sed in inferiora terræ. Lectum est enim, quia in infernum descendit Salvator passione illa crucis, ut omnem animam liberaret, et ex omnibus locis redimeret membra sua.

VERS. 10. — *Qui descendit, ipse est qui ascendit.* Repetit ipsum sensum quia se invicem ligat, ut ille qui ascendit, descenderit : et rursus qui descendit, ascenderit. Sed ut superior sensus ostendit, quia cum descendit Dominus noster, in inferiora terræ descendit, rursus adjunxit, quia ipse est, qui ascendit sed ascendit super omnes cœlos. Ita nihil vacuum Christo est : siquidem et descendit in inferiora terræ, et ascendit super cœlos. Quos cœlos? multi tres dicunt ; alii plures ; verum mihi sententia est, tres esse. Siquidem et ipse Paulus raptum se dicit super tertium cœlum. Et sic etiam quidam docent supra terram esse aquas quasi primum cœlum : deinde firmamentum ipsum, quod appellatur cœlum : deinde rursus alias aquas, tertium cœlum (1) : de quo tractatu jam multa diximus in præterito. Verum quid interest? Christus qui ascendit, super omnes cœlos ascendit. Illic enim jam æternitas est, et vita illa incorruptibilis, et omnia ex spiritu viventia. Hæc autem alio modo se habebant usque in descensionem Christi : quæ omnia, mysterio gesto, post passionem Christi in ascensionem salutem acceperunt, et perfecta sunt. Hoc est enim quod subjungit, *ut impleret omnia*, id est perfecta redderet et plena, ut nihil minus esset. Ergo passio illa Christi et resurrectio et ascensio, perfectio est omnium tam in mundo quæ salvari possent, quam in æternis, et super omnes cœlos. Quod mysterium plenissime unius libri explicatione tractavimus. Aut numquid (2) hoc intelligimus, ut impleret omnia quæ ei mandata sunt ut nihil ibi correxerit, nihil ibi perfectum reddiderit? sed ascendit supra cœlos, ut omne mysterium impleret ; et descendit, sed ut impleret majestate scilicet et perfectione et Dei lumine et charitate. Descensus enim ejus et ascensus illuminavit universa. Magis autem illuminavit, cum ascendit perfectus et sanctificatus a patre. Omnia sancta facit per reditum suum, et unde redit, et quousque redit.

VERS. 11. — *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas.* Hinc incipit dona varia

(1) Codd. *patria.*

(2) Admotemus promissum a Victorino opus, quod in editis non comparet.

(3) Vulg. : quod... *quia et descendit primum in inferiores partes terræ.*

(1) Notabilis hæc Victorini doctrina. Quod autem ait se alibi de hac re scripsisse, intellige commentarium ab eo, ut puto, confectum in epistolam II ad Corinthios, in qua Paulus dicitur raptus fuisse in tertium cœlum.

(2) Codd. *animum quid.*

Digitized by Google

enumerare, de quibus supra dixit, quod dedit Deus dona hominibus, ut omnes habeant dona Dei, quod supra tractabat; et nullus alteri invideat. Sunt autem dona hæc, apostoli, prophetæ, evangelistæ, pastores, magistri, ministri; quos omnes enumerat. In primo tamen apostolos posuit, deinde prophetas. Mirum autem videtur quod cum dictum sit usque ad Christum prophetas esse, ipse Christus scilicet fecerit et prophetas. Post apostolos posuit prophetas et evangelistas. Quid igitur intelligimus? prophetas non solos illos dici, qui spiritu Dei accepto, de Christo dixerunt et de ejus adventu, de quibus recte dictum *usque ad Christum prophetæ*: quia cum venit ille, de quo prophetæ erant, sine dubio jam quare prophetæ sint, causa nulla est. Quos igitur prophetas intelligimus? quos Christi dono prophetas esse dicit; illos scilicet, qui de Deo tractant, et Spiritu pleni divinam exponunt disciplinam. Hoc etiam in superioribus diximus.

Vers. 12. — *Alios vero evangelistas, alios autem pastores et magistros* (1), *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*. Loquendi de lege gratiæ genera quinque sunt; loqui linguis, loqui revelatione, loqui scientia, loqui prophetia, loqui doctrina. Hæc plene ad Corinthios in prima. Verum præter hæc, aliud est evangelistam esse, id est quæ Christus fecerit narrare, et de Christo annuntiare ipsum colendum esse; hoc est enim evangelistam esse. Ergo fecit Christus dono suo evangelistas: fecit etiam et pastores et magistros, qui regunt Ecclesiæ populum. Qui administrant, pastores dixit: magistros vero, qui docent. Non enim pastores hic a pascendo, neque ad cibos referendum, sed ad gubernandum, ut pastores appellant episcopos; et ipse Christus pastor, quod oves æstimatæ sunt animæ. Magistros vero, ut diximus (quamquam etiam ipsi pastores, magistri pecoris dicantur, quasi præpositi) tamen doctores intelligamus magistros dictos.

Hæc tamen omnia dixit, ideo dono Dei constituta ut consummatio sit sanctorum, id est perfectio. Sanctos sæpe quid significet, docui, id est qui fidem acceperint et sanctificati spiritu sint. Hi ergo ut consummentur, id est perficiantur, dono Christi instituta sunt hujusmodi et mysteria et ministeria, quibus perfectio et consummatio omnium sanctorum. Nam quia apostoli possunt agere et docere et evangelizare, verumtamen possunt et alii hæc facere, et apostoli tamen non sunt; ergo separatum est quod apostoli alii sunt, alii prophetæ, alii evangelistæ, alii duces, atque doctores. Verum his omnibus perfectio fit consummatioque sanctorum, per ea quæ ipsi agunt, et per ea quæ alii agunt. Nam mysterium, id est quod nos facimus; ædificatio autem corporis Christi, id est quod circa alios facimus. Ergo illa omnia duabus de causis et duobus effectibus (2) instituta sunt per donum Christi, ut præsint mysteriis, ut ipsi agant, ut ministri sint, quod supra; et ædificent corpus Christi, id est Ecclesiam, et omnes animas ad fidem confirment: hoc est enim corpus Christi.

Vers. 13. — *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem Christi, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Pleno mysterio, quod factum sit, et propter quid factum sit, et quid futurum sit (1), exposuit. Quid factum sit, quod descendit et ascendit Christus, et quod ipse dedit apostolos et prophetas et cæteros. Deinde adjunxit propter quam causam *ad consummationem*, inquit, *sanctorum*. Quid illa consummatio est? quod subjecit, ut perfectis sanctis omnibus in unitatem fidei, et una fides apud omnes sit, et in agnitionem Christi, ut omnes agnoscamus Christum: ibi enim omnis est salus. Deinde quod futurum sit, ut occurramus et concurramus in virum perfectum: perfecta enim anima per fidem et per Christum cognitum, vir perfectus efficitur (2). Sic et propheta David de eadem anima perfecta in primo psalmo posuit: *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*. Et beatum, inquit, et virum nominavit: et hæc est mensura ætatis et plenitudinis Christi; collectis omnibus membris, et viro pleno reddito, in singulis omnis plenitudo redditur Christi.

Vers. 14. — *Ut ultra* (3) *non simus parvuli fluctuantes*. Cum enim non sumus perfecti, parvuli sumus: et cum parvuli eramus, fluctuabamus: cum autem fide confirmamur, non fluctuamus. Cum cognoscimus Christum, viri efficimur. *Et jam non parvuli circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad remedium* (4) *erroris*. Cum enim perfecti non sumus, et in fide labimur et vacillamus et multa nos perturbant; cum per doctrinas plurimas discurrentes, vento intelligendi vario agitamur. Quæ doctrina, nequitia est hominum et calliditas et astutia, et quasi quædam remedia erroris: ut quod sentis, quasi quorumdam sapientium sensu et intelligentia sentire credas; et sit erroris tui remedium intellectus alienus. Quæ omnia dimittenda sunt, ut his duabus rebus refecti simus, et virum complcamus, fide scilicet et agnitione Christi. Denique hæc veluti duo scilicet fides Christi, id est in Christum, et agnitio Christi, beatum faciunt: qui vir beatus non fluctuat, non circumfertur doctrina, in nequitia hominum. Hæc ita tetigit beatus propheta David in eodem primo psalmo: *nam beatus*, inquit, *vir*: quem nos dicimus fieri fide et Christi cognitione; qui nescit doctrinas, nescit nequitiam et errores: quos errores doctrinasque sic enumerat David dicendo: *qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit*. In cathedra pestilentiæ sedere, est docere hæreticas disciplinas: abire in consilium impiorum, est in nequitia homi-

(1) Vulg. *Et doctores.*
(2) Codd. *et duo effectus.*

(1) Codd. *est.*
(2) Codd. *efficiatur.*
(3) Vulg. *ut jam.*
(4) Notabilis Victorini lectio; quum in græco sit ἐν τῇ κυβείᾳ vel κυβίᾳ; in vulgato autem latino *ad circumventionem*; quod vocabulum jam sic explicandum videtur ex Victorini magisterio, ut *circumventio erroris*, sit *remedium adversus errorem*.

Digitized by Google

nam versari : stare in via peccatorum, est in astutia versari ad remedium erroris.

Vers. 15, 16.—*Veritatem autem facientes in charitate, augeamus* (1) *in ipsum omnia, qui est caput Christus.* Exhortatio est, quia vult Ephesios in charitate esse, et omnia secundum veritatem agere, et magis cumulare quæ agunt. Hoc est augeamus omnia, sed augeamus omnia in ipsum Christum, ut nihil extra agatur, nisi de confirmanda fide in Christum : qui Christus est, inquit, caput. Cum enim ex capite omnia membra regantur ; et omnis Ecclesia a Christo regitur; id est omnis anima sancta et fidelis. Ergo caput est Christus, *ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem junctiuram subministrationis, in mensura uniuscujusque partis, incrementum corporis* (2) *in ædificationem sui in charitate*... Diximus quod caput est, ex quo connexum est omne corpus et compactum. Ergo si Christus caput est et principium et fons et unde omnia reguntur membra, quæ sunt in corpore per omnem juncturam ; acute hic accipiendum, ut quomodo membra singula junctura cohærentia diversis in administrationibus totius corporis mensuram faciunt ; sic et in Ecclesia, singula quæque membra ministeriorum circa sanctificationem mysterii, et circa fidem Christi, juncturas præstant, et corpus suum in charitate constringunt atque ædificant : ita et membra nostra, veluti naturaliter nexa, atque amore genuino sibi cohærentia, incrementum corpori præstant suis partibus : sic et omnia ministeria, quæ sunt in Ecclesia, corpus est (3) Christi, si se invicem in charitate diligant servientia capiti, id est Christo.

Vers. 17, 18.—*Hoc ergo dico et testificor in Domino, ut non amplius ambuletis, sicut et gentes ambulant* (4). Sicuti semper docui, exhortatio duplex est : et quid non faciendum, supra dixit ; quid faciendum, nunc subjungit. Quid non faciendum ; ne, inquit, ambuletis ut gentes. Hoc, inquit, dico et hoc testor, et testor in Domino, id est adhibeo testimonium Domini, quod moneo. Hic et terror est : exhortationi enim mixtus terror, persuasionem facilem facit. Cum autem dixit, ut non amplius ambuletis, ostendit illos diu ambulasse, et ita ut gentes vixisse. Quo autem modo ut gentes, ipse supponit : *in vanitate mentis suæ* (5) ; *obscurati intellectu* (6), *alienati a vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, per cæcitatem cordis eorum.* Expressit quæ sit vitagentium ; ut vani sint, inquit, et mente non sapiant, et intellectum suum obscurent (7) : *quod est* intellectu suo de Deo nihil cogitare, sensu duci et rebus in mundo. Namque si mundus tenebræ sunt, et de mundo quidquid intelligitur. Denique subjunctum *alienati a vita Dei* quæ vita est Christianis cum Deum et colunt et intelligunt. Hoc dicit *a vita Dei* quæ Deo debetur a nobis. Et subjungit propter intelligentiam : hinc enim alieni a vita Dei sumus, cum Deum ignoramus : cum autem cognoscimus, vitam Dei agimus, et vitam a Deo meremur illam, quæ vere Dei vita est, quam nobis Christus pollicitus est. Hæc autem, inquit, in ipsis per *cæcitatem cordis eorum* : cum eorum cor cæcatum est tenebris, cogitat et versatur in tenebris, et istam mundanam sapientiam quæ tenebrarum sapientia est, æstimat esse sapientiam.

Vers. 19. — Denique hujusmodi intellectum quæ res consequatur, ostendit : *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ et avaritiæ* (1). De gentibus loquitur, quibus cæcatum cor est, et nihil sperant, id est mortales se et fatentur et probant ; neque de æternitate sua aliquid credunt : ac propterea vitam mundi, quasi ea frui volentes, et rapiunt, et libidinose vivunt, et cum impudicitia exercentes, ut credunt, voluptatem (2) habendi cupidi, et in usu vivendi ducti omnibus turpissimis voluptatibus.

Vers. 20, 21. — *Vos autem non ita didicistis Christum ; si tamen audistis illum et in illocredidistis* (3). Contra Ephesios docet non ita vivere ut gentes : quippe qui didicerint Christum : quia Christus ut immortales nos faceret, egit mysterium, præsto in carne fuit, docui ut cognosceremus patrem, et in ipsum fidem haberemus, et est æternitas nobis viventibus secundum ejus mandata. Vos igitur non ita didicistis, ut gentes : quippe quia vos Christum audistis (*si tamen audistis illum*) id est intellexistis et credidistis. Hoc est enim quod adjunxit, qui in illum credidistis : quia, ut diximus et dicimus semper, credere in Christum, immortalitem consequi est, et vitam æternam mereri ; ipse enim est vita, ipse lux, ipse æternitas, ipse qui mortem vincit et vicit, et nobis vicit, per mysterium quod implevit.

Vers. 22. — *Sicuti est veritas in Jesu ; deponite vos secundum priorem conversationem* (4) *veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris* Ante Christi adventum error omnis et vana sapientia fuit, mundana hæc, æterna æstimare ; secundum carnem vivere ; hunc mundi regem, Deum credere. Hic vetus homo est. Hunc, inquit, deponite, sicut est veritas in Jesu ; quoniam in aliis veritas non est. In Jesu autem veritas : quæ Jesus docuit, ea vera sunt : et hic novus homo, secundum quem vivere debemus. Vetus ergo ille (5), et prior conversatio deponatur : etenim ille *corrumpitur secundum desideria erroris.* Totus enim ad corpus conversus corporea æstimabat omnia et

(1) Vulg., *Crescamus in illo per omnia*, etc.
(2) Vulg., *Secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit*, etc.
(3) Ita codd. pro *sunt*.
(4) Sunt hic quædam variantes in Vulg. quasi ibi vide.
(5) Vulg., *In vanitate sensus sui.*
(6) Vulg. : *Tenebris obscuratum habentes intellectum.* In sequentibus pro *in ipsis*, habet *in illis*, et pro *eorum*, legitur *ipsorum.*
(7) Codd. *obscurum.*

(1) Vulg., *In avaritiam.*
(2) Codd. *voluptate.*
(3) Vulg.: *Et in ipso edocti estis.*
(4) Vulg.: *Deponere vos secundum pristinam conversationem.*
(5) *Homo* scilicet.

Digitized by Google

carnalia. Hinc errores et quasi sapientia mundana, cum omnia quæ in mundo sunt, non secundum spiritum fiant : ante Christi tamen adventum ; nunc autem postea quam nos docuit illa æterna, sapimus quæ spiritalia sunt. Hic est, ut dixi, homo novus, qui sic vivit et sic sapit.

VERS. 23, 24. — *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum spiritum* (1) *creatus est in justitia et sanctitate veritatis*... Ut dixi, novus homo est, qui secundum spiritum sapit. Hoc ait : *renovamini spiritu mentis vestræ*... Ita anima melior, pura, integra ; mens vero fortior spiritus est (2). *Renovamini* ergo, inquit, *spiritu mentis vestræ ; et induite novum hominem*, ut jam secundum ipsum vivatis ; qui spiritalis est, cum ex spiritu sapit ; qui ipse ille homo spiritalis secundum Deum creatus est, id est juxta Deum : quomodo dictum est, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Non autem vultum Deus habet aut faciem (3) : sed quemadmodum Deus spiritus est, ita et nos secundum Deum creati sumus, ut secundum spiritum sapiamus ; id est nihil carnaliter, nihil in mundo. Denique quid est secundum Domini creatum esse hominem, ipse dixit *in sanctitate et justitia et veritate* : id est, ut sit justus, ut sit sanctus, sit et verus : etenim qui mundanum (4) sapit, secundum carnem sapit : qui secundum carnem sapit, verum non sapit neque justum, neque sanctum. Ergo quoniam spiritus sanctificat, spiritus vivificat et justificat, spiritus qui vere est, et semper est, et magis solus est, ipse est veritas. Hæc igitur omnia sic intelligentes, novum hominem induunt, renovati in spiritu mentis suæ.

VERS. 25. — *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus alter alterius* (5) *membra*. Concludit exhortationem ad omnia superiora, quibus et divisas gratias docebat, et omnem hominem tolerare debere alterum socium, et patientem esse cum omni magnanimitate, et sufferentes invicem in charitate. Ergo hic mendacium, inquit, deponite : nemo alterum fallat : *loquimini veritatem ;* et unusquisque cum proximo suo quod verum est agat, faciat, loquatur : nihil per fraudem, nihil per fallaciam. Et qui dixit cum proximo suo, adjunxit quoniam sumus alter alterius membra. Sic et supra unum corpus, et unus spiritus, et item reliqua. Ecclesia enim cum unum corpus sit, et omnes in Ecclesia unum corpus faciant, singuli partes sunt Ecclesiæ. Ergo alterius membrum est, et sic unum corpus efficitur (6), ut ipse dicit, Ecclesiæ : cujus Ecclesiæ, id est omnium animarum fidem habentium in Deum, hujus, inquam, caput est Christus. Ergo nos corpus sumus ; et corporis singuli membra ; ergo alter alterius membra sumus.

VERS. 26. — *Irascimini autem* (1), *et nolite peccare*. Subjungit monita quæ multa sunt ; sumens tamen, ad exemplum (2), quod positum est in psalmo quarto, sumens initium præceptorum. Verum hæc dividit, ut primum moneat Ecclesiæ homiuem id est christianum, quæ agenda et quæ non agenda : deinde moneat, quæ viris agenda et uxoribus invicem ; deinde quæ patribus et filiis invicem ; deinde quæ servis et dominis : postque exhortatio est, quæ facienda generaliter omnibus. Verum ut se ordo contexerit, ita et nos locis singulis, et monita enumerabimus, et rationes singulis proprias intellectusque reddemus. Ac primo ecclesiastico viro christiano dat monita hæc, ne irascatur ; aut si iratus fuerit, ne peccet per iram. Deinde ne diu iram teneat, sed intra diem iram suam finiat. Deinde neque furto vivat et furtis operam det, sed magis manibus operetur ad victum, et inde etiam aliis in necessitate succurrat. Deinde ne malos sermones aliquos proferat, sed magis bonos ; et ædificet alterum, et non alterum contristet : ut nulla in animo amaritudo sit : ut nulla ira, nulla indignatio, nullus clamor, nulla blasphemia : ut se invicem benigne ament ; sint misericordes ; peccata sibi invicem donent, sicuti Deus in Christo donavit nobis peccata ; ut diligant se ; ut pudici sint ; ut ab omnibus mundi, et ab avaritia, et a turpitudine, a turpiloquio, a scurrilitate alieni sint ; magis gratias agant : etenim tales mores, id est in vitiis et peccatis positi, regnum Christi non habebunt, neque hæreditatem in regno Christi. Deinde monet ne ab aliis per sermones seducantur, idest vel ab hæreticis, vel ab irreligiosis, vel ab his quos filios appellat tentationis et diffidentiæ ; quos terret, quod in illos ventura sit ira Dei. Deinde ne communicemus operibus malis infructuosis : magisque illos objurgent qui peccant et malis moribus vivunt, et manifestent eorum peccata ; et vivant ut sapientes non ut imprudentes, vino abstineant, multo magis loquantur in spiritu, in psalmis, in hymnis canticis, et magis in corde ista fiant : Domino gratias agant, et agant pro omnibus in nomine Dei et Domini nostri Jesu Christi : subjecti sibi sint invicem in timore Christi. Hæc sunt omnia præcepta ecclesiastico viro data. Post subjungit quæ sint observanda mulieribus, id est viris et uxoribus.

Nunc ad singula revertamur. *Irascimini autem, et nolite peccare*. Si Deus irascitur, sicuti dictum (3) ; revelatur enim ira Dei, ira de cœlo, in omnem impietatem. Et item in multis locis. Recte ergo et homini datur ira (4), id est ut irascatur : sed peccat in ira, qui non ut corrigat, irascitur ; sed ut puniat. Ergo *irascimini, et nolite peccare ; sol non occidat super iracundiam vestram*. Et modum iræ, et tempus ostendit, intra diem conceptam iram debere deponi.

(1) Vulg., *Qui secundum Deum*.
(2) Jam retro distinxit Victorinus animam a spiritu, secundum suam quamdam subtilitatem.
(3) Hunc locum suum commemoravit Victorinus in comm. ad Philip.
(4) Malim *mundum*.
(5) Vulg., pro *alter alterius* habet *invicem*.
(6) Codd. *efficiatur*.

(1) Vulg. non habet *autem*.
(2) Codd. *ab exemplo*.
(3) Ad Rom., I, 18.
(4) Legesis opusculum Lactantii de ira Dei, t. VII, nostræ editionis.

Digitized by Google

Hoc imitantur multi præceptum, et ponunt inter præcepta sua. Etenim si omnis dies habet curam suam et malitiam, sufficit sibi; de præterito die nihil addi debet ad alterum (1) diem. Ergo.

VERS. 27.—*Non occidat supra iracundiam vestram sol, neque locum detis diabolo* (2), si enim manserit ira, in venit illeoccasionem ut nos in peccata ducat, et faciamus aliquid non faciendum; quod est diaboli voluntate peccare. Ita ostenditur ex hoc præcepto in nostra potestate esse, et irasci, et non irasci; et diabolo iracundiam immittere, sed occasionem habere ut cum nos irascimur aliquid nos faciat (3). Hoc in omnibus affectibus animæ cogitandum, et in omni actu diaboli, nihil illum posse circa nos, nisi cum ipsi per nos et occasionem damus. Ita et domini sumus nostræ voluntatis, et merita de bonis bona habemus, et pœnas de malis actibus, quia nostro vitio fit diabolo occasio (4).

VERS. 28: — *Qui furabatur jam non furetur.* Non omnino peccare, peccatum est (5), sed in peccato perseverare: datur enim pœnitentiæ locus, datur correctioni. Ergo qui furabatur, jam non furetur. Non autem hoc ad hoc solum peccatum accipere debemus, sed ad omnia; ut qui in quocumque peccabat, jam non peccet. Omne enim peccatum cum committitur occulte, furtum est: sed cum sciat Deus omne quod geritur, non est peccandum, ut furari nos credamus peccata nostra; quippe cum omnia manifesta sint: *Magis autem laboret operando manibus suis.* Ex hoc intelligi licet, vere de simplici supra dixisse, ut nemo jam furetur, quando adjunxit *magis autem laboret operando manibus suis.* Qui enim laborat operando manibus, habet unde vivat: non ergo furetur. Animadvertamus præterea quia simplex dictum est, cum manibus operantis laboramus; reliqua ex arte, ex ingenio, vel oratione, vel quolibet alio modo. Ubi non opera est manuum, magis furta sint, quam victus labore quæsitus; quod bonum est, ut habeat communicare necessitatem habenti; ut ex operibus per manus suas consequatur quod ipse habeat, et communicet ei qui habeat necessitatem; atque de suis operibus quod commodi consecutus fuerit, largiatur.

VERS. 29. — *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Et hoc præceptum de eo est, quod non faciendum est. Monui autem, duo esse genera præceptorum quid faciendum: nemo, inquit, proferat verbum ex malitia. Hinc enim magnum peccatum; sicuti dictum (6), non quod in os intrat, sed quod de ore exit, plurimum nocet. *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ut sermo exeat, qui est bonus. Qui est autem bonus sermo? ad ædificationem fidei. Tunc enim audienti gratiam dabit, cum id quod loquitur, ædificat fidem.

(1) Codd. *æternum.*
(2) Vulg., *Nolite locum dare diabolo.*
(3) Ita legitur in codd.
(4) Insignis Victorini doctrina de humana libertate in diaboli tentationibus.
(5) Idest peccatum sine venia, peccatum quod reum perpetuum constituit hominem.
(6) Matth., xv, 11.

VERS. 30.— *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei:* vel vestrum, qui est in vobis, vel qui est in altero; qui contristabitur malo sermone vestro. *Nolite,* inquit, *contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis*: in quo spiritu vos utique consignati estis signatione per Spiritum sanctum: et ipsum nolite contristare, vel in vobis, cum malum sermonem dicitis, vel in audientibus. *Indie* (1) *redemptionis.* Ordo: consignati estis in die redemptionis: per ipsum enim redemptio vestra factaest; quæ redemptio certum diem habet, scilicet Dei judicii. Signati enim sumus in Spiritu sancto, in die quo redimimur ac liberamur.

VERS. 31.— *Omnis enim amaritudo et indignatio* (2) *et clamor et blasphemia auferatur a vobis cum omni malitia.* Conclusit breviter quinque: amaritudinem, iram, indignationem, clamorem, blasphemiam. Quamquam et subjunxerit genus *cum omni malitia.* Etenim amaritudo est et in invidendo, et in male loquendo, et in cæteris actionibus. Et item ira, animi motus est cum ulciscendi libidine atque puniendi. Indignatio est motus animi fervens et elatus ultra meritum. Clamor autem, vox aliquo furore prolata. Blasphemia, jam Deum lædens est in Deum emissa vel vox vel scelerata cogitatio. Hæc, inquit, omnia auferantur a vobis: pro eo quod est, a vobis auferte: sed ita est et ipse sensus, auferatur a vobis: quod vere dixit *cum omni malitia:* quia fieri potest, quod quædam sine malitia fiant, ut ignorantes in blasphemia simus, ignorantes clamemus, indignemur sine malitia. Hæc omnia auferantur *cum omni malitia.* Sic enim, ut supra locuti sumus, *irascimini, sed nolite peccare.*

VERS. 32.—*Estote autem invicem benigni.* Illa superiora, ut dixi, non facienda; hæc quæ facienda: ut invicem benigni sitis; non unus in alterum, sed singuli in singulos, ita omnes in omnes. *Et misericordes, donantes vobis invicem.* Et in superioribus invicem posuit, *estote invicem benigni.* Dixit etiam donantes vobis invicem; unde et misericordes invicem audire debemus; donantes autem scilicet peccata. Denique de peccatis hoc dictum esse ex eo declarat, quod subjunctum est *sicut et Deus in Christo donavit vobis;* utique peccata: in Christo autem, ut frequenter diximus, quia pro nobis Christus mortuus est: ergo in Christo donata sunt peccata nobis. Mysterium enim illud, ut frequenter diximus, pro peccatis nostris est: quia nos peccata vincere non poteramus, venit Dominus noster, qui peccatum vinceret, et sic peccata nostra nobis donaret, cum in ipsum credentes a peccatis liberamur.

CAP. V.— VERS. 1.—*Estote ergo imitatores Dei, sicut filii Dei charissimi.* In hoc utique imitatores Dei, cum et vos peccata vestra invicem vobis donatis, ut Deus donavit in Christo nobis nostra peccata. Vivite ergo imitatores Dei, et sic vivite, ut filii Dei et filii charissimi. Etenim siquidem pro vobis filio suo non pepercit, et pro peccatis vestris eum peccato dedit, ut peccatum vinceret; sicuti mysterium intelligitur.

(1) Vulg., *in diem.*
(2) Vulg., *et ira.*

Digitized by Google

VERS. 2.—*Et ambulate in dilectione.* Magnum præceptum et utique retinendum, omnia enim concludit; et sufficit charitas, in qua lex tota est; et totum mysterium christianitatis, dilectio et charitas. *Sicut et Christus dilexit vos* (1). Hoc est quod supra dictum *imitatores Dei* ut et vos invicem diligatis vos, *sicut et Christus dilexit vos.* Quid est autem *dilexit et tradidit semetipsum pro vobis?* Eadem substantia, unum (2) et voluntate. Et item ego et pater unum sumus Hic tradidit semetipsum pro vobis; id est pro alio, filio suo non pepercit; ut hoc modo etiam nos invicem pro vobis nostra demus; et usque ad hoc, id est juxta passionem pro altero, invicem diligamus. *Et semetipsum tradidit pro vobis oblationem et hostiam Deo in odore flagrantiæ* (3). Obtulit se Deo, ut spiritus et hostia per hoc mysterium fierent omnia. Hic est enim odor bonæ flagrantiæ; cujus substantiam spiritus, odorem bonæ flagrantiæ esse dixit: de qua re est liber certus hoc exponens quid spiritus sit, et quam intelligentiam habeat, ut substantia ejus possit intelligi (4).

VERS. 3. — *Impudicitia* (5) *autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur inter vos sicut decet sanctos.* Hæc quoque præcepta sunt de his quæ non sunt facienda, ut absit impudicitia, immunditia, avaritia; quæ tria in tantum excludenda ab animis sunt, ut nec vocabulum aut mentionem inter se habeant, maxime qui sancti sunt. Etenim ista et nominare peccatum est; quanto magis vel habere vel admittere? Hoc enim sanctorum exigit nomen et mens et conscientia, ut et lingua pura sit. Nam si moribus qui (6) purus nominat vitia, habet tamen peccatum, cum in eo quod loquitur, ostendit ipsa vitia se nosse.

VERS. 4.—*Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Subjungit etiam alia tria, quæ a superioribus distant. Namque impudicitia longe aliud quam immunditia. Ubi pudor nullus, est impudicitia; non continuo turpitudo: turpitudo enim est facinus atque peccatum; impudicitia vero, cum pudor deest. Item immunditia, quæ potest esse et in voce, et in vita, et in moribus. Jam vero avaritia cupiditas est habendi. Longe igitur *distant* hæc tria, quæ sequuntur, turpitudo, stultiloquium, etiam vane loqui. Licet cum non obsit, loqueris; tamen si stultum sit, nec sapiat nec prosit, sanctis alienum est. Itaque scurrilitas jocosa oratio, et alterum lædens joci causa, ac propterea contumeliosa. *Quæ ad rem non pertinet.* Potest enim et scurrilitas increpationis poni modo ex stultiloquio. Sed si ad rem pertineant, admittenda sunt ista. Illa peccata sunt si fiant, cum ad rem non pertineant. Nam si vel moneant vel corrigant, ad rem cum pertinent, complenda sunt. *Sed magis gratiarum actio.* Dictis quæ esse debeant, subjungit, quid magis esse debeat, id est istud *gratias agamus:* non dubium quin Deo; quamquam et hominibus; et ideo pure positum.

VERS. 5. — *Hoc enim scitote* (1) *quod omnis impudicus aut immundus aut avarus quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Cum tria supradicta posuisset, tria subjunxisset, præceptum hoc ita constringit, ut doceat tria superiora gravissima esse. Quippe et cum ita sit locutus, ut illa tria nec nominentur inter sanctos. Ergo gravia. Quam (2) gravia? scitote, inquit, quod hæc, nempe impudicitia, immunditia, avaritia, non habent hæreditatem in regno Christi et Dei. Avaritiam autem idololatriam dixit, sive quia qui avarus est, servit idolis; credens sibi ab ipsis præstari quæ in mundo sunt, in quo (3) avarus est. Etenim Deus, cum ea præstet quæ in futuro sunt; qui avarus est, utique de præsenti vita avarus est; et propterea servit idolis. An ideo dictum, quod avaritia idolorum est servitus? quia cum unus sit Deus, avaritiæ est multos colere, et alios adorare, et aliis servire velle. Hic igitur non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Christus enim regnum habet in cœlis: et qui sequitur Christum, habebit hæreditatem in regno Christi. Regnum Christi, Dei regnum est. Nec in Dei ergo regno habet hæreditatem, qui idolis servit.

VERS. 6. — *Nemo vos seducat vanis sermonibus* (4). *Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Et hoc quoque inter præcepta est, de quibus dixi vobis, quæ non sint facienda. Multi enim sermonibus suis et mundi utilitatem suadent, et idolorum culturam, id est habendi cupiditatem. Verum hi vani sermones sunt. Quod autem dixit *propter hæc enim venit ira Dei* propter illud scilicet quod hujusmodi homines in regno Christi et Dei hæreditatem non habent. Propter hæc, inquit, habent etiam pœnam, ut et bonis æternæ vitæ careant, et in ipsos ira veniat. Quos illos (5) filios dixit diffidentiæ? Multi enim vanum putantes esse (6), quod promittuntur regna in cœlo; ut dicant, quis hominum ascendit in cœlum? Diffidunt ergo et non credunt. Ergo in filios diffidentiæ venit ira Dei Diffidentia autem est ille diabolus, cui serviunt illi qui diffidunt, et idcirco filii ejus sunt.

VERS. 7, 8, 9.—Nolite ergo effici participes eorum. Cum generaliter supra tractaret, redit ad præceptum, et ad Ephesios, ut omni genere ab hujusmodi hominibus alieni sint neque participent cum his. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ergo ut omni genere se separent a filiis diffidentiæ, dicit quid fuerint antea cum gentiliter viverent. *Tenebræ,* inquit, *eratis.* Qui autem sequitur Christum, lux est: lucem enim accipit quicumque in Christo baptizatus fuerit. *Sicut filii lucis ambulate* (7). Ergo quoniam *lux*

(1) Vulg., *nos, nobis.*
(2) Codd., *utrum.*
(3) Vulg., *suavitatis.*
(4) Notemus opus a Victorino hoc nominatum, vel suum vel alienum, de substantia spiritus.
(5) Vulg. *fornicatio.*
(6) Ita codd. cum tmesi pro *siqui*, vel *siquis.*

(1) Vulg. addit, *intelligentes*, et pro *impudicus* habet, *fornicator.*
(2) Codd. *quod* pro *quam.*
(3) Codd. *quæ immundos in quæ avarus*, etc.
(4) Vulg. habet *inanibus verbis.*
(5) Ita codd.
(6) Codd. *se.*
(7) Vulg. pro *sicut* habet *ut.*

Digitized by Google

estis et Domino (non enim lux estis, sed *in Domino lux estis*) ; filii ergo et vos lucis cum estis, ita vivite, sicut vivere debent qui filii sunt lucis. Quid autem est vivere quasi filium lucis, ipse supponit, *Nam fructus lucis in omni bonitate et justitia et veritate est.* Hoc est enim, et lucem esse, et filium lucis esse, bonitate præstare, præstare justitia, præstare etiam veritate. Hæc tria ipsa sunt lux : nam contra sunt tenebræ malitia, injustitia, falsitas : quæ omnia diabolo conveniunt : at vero hæc lucis sunt, quia lux est Christus. Ergo et bonitas et justitia et veritas. His ergo moribus vivite.

Vers. 10, 11. — *Probate autem quid sit quod placeat Deo* (1), *et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Dixi quod per eadem præcepta se convertit, quæ sequenda, et quæ non sequenda ; ut in bonitate vivatur et in justitia et in veritate. Item et hoc; ea, inquit, probate quæ Deo placeant. Deinde subjunxit, quæ non sequenda : *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuosis tenebrarum;* quæ sunt avaritia, impudicitia, et cætera hujusmodi, et idololatria : quæ opera fructus non revocant : nihil enim consequitur, qui hæc appetit; et idcirco fructus non habent; et ideo tenebræ sunt ; quia nihil lucis, nihil fructus, ostendunt. *Magis autem et objurgate* (2). Ut non solum nos a malis moribus separemus, nec communicemus operibus tenebrarum infructuosis ; sed etiam et objurgemus et accusemus easdem operas, hoc est eos homines qui ita vivunt.

Vers. 12. *Nam quæ in occulto fiunt ab his, turpe est etiam dicere* (3). Prope manifeste dixit quæ ab his fiunt, quando ostendit turpe esse illa dicere. Ergo nolite participare : ergo *magis objurgate.*

Vers. 13. — *Omnia autem quæ objurgantur* (4), *a lumine manifestantur.* Quia præceptum dedit ut et objurgent male facientes, adjecit quantum sit munus objurgatio : quoniam peccata illa in occulto, quasi lumine manifestantur cum objurgantur. Is enim qui objurgat, ostendit quantum malum sit illud quod objurgat : et dum ostendit, quasi illuminat malum : quod cum intellexerit ille qui admittit, discutit tenebras et ad lumen accedit. *Omne enim quod manifestatur, lumen est.* Ostendit ipse, quod exposuimus. Intellectum enim quodcumque est, et manifestatur, et lux est, et videtur, et apertum est.

Vers. 14.—*Propter quod dicit* : surge a mortuis, *et continges Christum* (5). Dedit exemplum quemadmodum qui objurgatur in peccatis suis, lumen accipiat et intelligat se peccare : et cum intelligit se peccare, illuminatur, id est a mortuis resurgit ; id est tenebras dimittit, et contingit Christum ; id est lumen accipit, et incipit jam et peccata vitare, et spem habere æternæ vitæ.

Vers. 15, 16.—*Videte* (1) *ergo quomodo caute ambu-*

(1) Vulg. : *Probantes quid sit beneplacitum Deo.*
(2) Vulg. : *Magis autem redarguite.*
(3) Vulg. : *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.*
(4) Vulg. : *Arguuntur.*
(5) Vulg. : *Surge, qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

letis, non ut insipientes, sed ut sapientes. Uno præcepto utrumque conclusit; monens quemadmodum ambulent : non, ut insipientes, sed ut sapientes ; sapientia scilicet illa quæ de Deo est, non inquit, illa quæ mundi est. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Omnes isti, qui in mundo dies sunt, mali sunt : mali enim, quod in ipsis est, nobis operantur : et omne quod bonum est, de futuro est. Hoc, inquit, tempus redimamus; id est nostra virtute, patientia, obsequio, tempus nostrum faciamus esse, et velut emamus illud laboribus atque patientia nostra. Tempus hoc, quod adversus nos est, nostrum sit. Hoc est redimentes tempus.

Vers. 17 — *Ideo nolite effici* (2) *imprudentes, sed intelligentes.* Eadem rursus admonitione monemur ad intelligentiam mundi et mundanam. In quo eramus (3) imprudentes; sed simus (4), inquit, intelligentes. Quid autem sit intelligentiam esse, sic subjunxit : *quæ sit voluntas Domini* (5). Ut hoc intelligamus quid Dominus voluerit, quid velit ; id est nos cum integritate et justitia et fide vivere, et in eo spem collocatam habere, nihilque aliud nisi de Deo cogitare. Hæc, inquit, voluntas est Domini.

Vers. 18. — *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et hoc est de non faciendis, ut plurimo vino utamur, quod inde multa vitia. Deinde subjungit quid agendum : *Sed implemini spiritu, loquentes vobis invicem* (6). Magnum hoc præceptum : etenim illa omnia in nostra sunt voluntate et in nostro labore, non inebriari vino, non ambulare insipienter, tum quæ supra dicta sunt. Hoc vero ex Dei voluntate tantum intelligeretur, nisi hic admoneret nostræ voluntatis esse impleri Spiritu. Sic enim ab omnibus vitiis peccatisque purgamus animam, si spiritu impleamur, ut nos nobis Spiritum faciamus, et impleamur spiritu (7).

Vers. 19, 20.—*Loquentes vobis invicem in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus.* Ut sibi invicem loquantur nihil aliud quam psalmos, quam hymnos, quam cantica (8). Quæ sit istorum differentia, certo loco dicemus : omnia tamen Dei laude sonant, et in Deum spem homini habendam esse pronuntiant. Hæc enim vere, si ita sint, spiritalia erunt. Hæc igitur cantemus, et cantemus in cordibus ; ut ipse subjungit, cantantes et psallentes. — *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, patri et Deo* (9). Cantantes (10), quæ voce proferuntur : psallentes, id est percutientes et moventes vel citharam vel cætera organa : quæ et propheta David ponit, in chordis et in cymbalis. Sed hæc, inquit, in cordibus vestris agentes gratias, et semper

(1) Codd. *vide.* Confer Vulg., quæ admittit aliquas variantes.
(2) Vulg. : *Propterea nolite fieri.*
(3) Codd. *erimus.*
(4) Codd. *sumus.*
(5) Vulg. : *Dei.*
(6) Vulg. addit, *Sancto, loquentes vobismetipsis.*
(7) Codd. *in spiritu ;* sed paulo ante *spiritu.*
(8) Codd. *cunticos.*
(9) Vulg. : *Deo et patri.*
(10) Ante *cantantes* est in codd. *ut hæc omnia.*

Digitized by Google

agentes, et agentes pro omnibus : non enim tantum pro nobis, sed etiam pro aliis, quos correctos videmus. Et agamus gratias cui? *Patri et Deo*, sed Patri et Deo in nomine Domini agamus gratias. Tunc enim gratias recte agimus, si non nostro nomine, sed in nomine Christi Deo gratias agimus. Necesse est enim, et de hoc ipso quod nos liberati sumus, et de eo quod Spiritum recipimus, agamus gratias Deo : sed tunc recte, si in nomine Christi agimus Deo gratias.

VERS. 21. — *Subjecti invicem in timore Christi.* Invicem, id est alter pro altero : *in timore Christi* in eo quod timemus Christum : ut dictum timor Domini initium sensus (1).

VERS. 22, 23, 24. — *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.* Etiam præcepta dantur mulieribus, quid eas oporteat facere et quomodo. Nam quid eas oporteat facere, dixit *viris suis subditæ sint.* Quomodo? *sicut Domino*, vel sicut Christo : ut ita sint illis viri, quasi earum dominus. Denique ita osse, irationem reddit. *Quoniam vir caput est uxoris* (2), *sicut et Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis* (3). Sic etiam vir caput est uxoris. *Et ut Ecclesia subdita est Christo* (4), *ita et mulieres subditæ in omnibus*, modestæ ac moderatæ in omnibus.

VERS. 25, 26. — *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro illa, ut eam sanctificaret mundans in lavacro aquæ in verbo* (5). Transit ad viros, ut pari modo præciperet viris quid agendum cum uxoribus. Diligite, inquit, uxores vestras. Reddit rationem de eodem exemplo ; sicut, inquit, Christus dilexit Ecclesiam. Etenim caput est mulieris vir, et caput est Ecclesiæ Christus : et sicut Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia ut eam sanctificaret, sic et hic vir pro illa omnia patienter sustinere debet, ut eam sanctificet. Perseverat tamen quid præstiterit, Christus ostendere, quod semetipsum tradidit, ut mundaret in lavacro aquæ et in verbo Ecclesiam. Utique accipiamus Ecclesiam, omnem fidelem, et omnem qui baptisma accepit : in fide assumitur scilicet et lavacro aquæ et invocatione verbi. Hæc ad virum circa uxorem quemadmodum revocanda sint, parum clarum est : potuit tamen videri id quod ad similitudinem dabat in parte superiore convenire, hac parte circa mysterii narrationem esse completum. Verumtamen etiam hoc quoque si revocemus ad viri patientiam, ut se tradat pro muliere, et omnia ejus ferat patiaturque etiam passiones tolerans, illa mundabitur lavacro et verbo; id est habebit apud Dominum purificationem; cum illam puram reddit, et patientia idoneam facit ut lavacro et verbo sanctificetur.

VERS. 27. — *Ut præberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam.* Pro Ecclesia, inquit, se dedit Christus, ut gloriosam sibi faceret Ecclesiam suam; etiam puram, et sine macula et sine ruga : hæc enim afferunt deformitatem et maculam et rugam ; quibus cum caret corpus, viget, floret, decorum est. Sed præter hæc adjecit *aut aliquid ejusmodi*, id est si quid tale etiam est ut nomen habeat ; *sed ut sit sancta et immaculata.* Hoc egit Christus ut sit Ecclesia et sancta et immaculata. Ita sancta in eo, id est quod lavacro aquæ et verbo mundatur : immaculata, quod sine macula est et sine ruga.

VERS. 28. — *Ita et viri debent diligere uxores suas sicut suum corpus* (1). Paria præcepta etiam viro dantur, ut uxores suas diligant ; *ut suum*, inquit, *corpus.* Sic enim et historia generationis ostendit, quod de viri costa fœmina effecta. Ergo sic uxorem diligat, quasi *suum corpus. Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit.* Eadem repetit : si enim ex corpore nostro uxor est, *qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit.* Et sic postea subjungit exemplum : *et erunt duo in carne una.*

VERS. 29. — *Nemo enim unquam suam carnem odit* (2), *sed nutrit et fovet illam.* Confirmat, quod secundum naturam est hic amor, ut carnem nostram diligamus. Si autem caro nostra fœmina est, et prima fœmina de carne viri, et sic fœmina ut eadem uxor ipsius fuerit, cum nemo suam carnem oderit, sed magis nutriat et foveat; debet ergo et uxorem sic diligere, ut suam carnem, *sicut et Christus Ecclesiam.* Et circa virum eadem præcepta sunt, quæ circa uxorem. Sic enim data religio est atque formido, ut uxor viro serviat quoniam vir uxoris caput est, ut Ecclesiæ Christus : ita nunc et viro hoc præceptum datur, ut uxorem suam diligat, quemadmodum Christus Ecclesiam.

VERS. 30. — *Quoniam membra sumus corporis ejus.* Et supra ita dictum Ecclesia omnes sunt sancti fideles, quæ membra sunt Christi, et fit unum corpus Christi Ecclesia, cui caput est Christus. *De carne ipsius, et de ossibus ejus.* Membra sumus, inquit, omnes de ipsius carne et de ejus ossibus. Non ita hic accipiendum tanquam hujus carnis, quam induit et in qua apparuit, nos partem habeamus (3), et de ejus ossibus, quæ ossa fuerunt carnis ejus, in qua Christus apparuit : sed accipiamus deitatem totam ejusdem, quæ est in spiritu, ubi in omnibus supra cœlum et in cœlestibus potentiam deitatis suæ habet, circa spiritum, circa mentem, quam νοῦν Græci dicunt, et circa animam. Hic igitur quoniam et nos hæc eadem habemus, accipiendum ita est, quod membra sumus Christi, id est in substantia spiritali; et de carne ejus, id est de anima ; et de ossibus, id est dico quod νοῦς dicitur græce. Omnia enim ista virtute Dei in superioribus spiritus sunt ; sicut et idem Paulus dicit in epistola ad Thessalonicenses prima (4) : ipse enim Deus pacis sanctificet vos per omnia ; ut (5) integer spiritus vester et anima et corpus servetur.

VERS. 31. — *Propter hoc relinquet* (6) *homo patrem*

(1) Psalm. cx, 10. Pro *sensus*, Vulg. habet *sapientiæ.*
(2) Vulg. : *mulieris.*
(3) Vulg. addit, *ejus.*
(4) Vulg. : *Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.*
(5) Deest *vitæ* apud Victorinum heic et infra confer vulg. propter variantes Victorini.

(1) Vulg. : *Ut corpora sua.*
(2) Vulg. : *Odio habuit.*
(3) Codd. *habere.*
(4) Cap. v, 23.
(5) Codd. *et.*
(6) Codd. *relinquit.*

Digitized by Google

et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Hoc exemplum de Genesi est, quo probatur tantam esse debere charitatem, vel esse hominem ita charam habentem (1) uxorem ut et patrem et matrem derelinquat, et hæreat uxori, et sint *duo in una carne.* Multis modis docet conjunctum virum uxori; et ponit ita esse debere, ut et vir uxorem diligeret (2) et uxor virum. Hoc ita, ut res est simpliciter, sic et a nobis dictum et a Paulo : verumtamen in quo (3) subjunctum est, ostendit altius patere istam sententiam : adjungit enim,

Vers. 32. — *Mysterium* (4) *hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Ultra quam simplicitas ipsa indicabat (5), esse aliquid Paulus ostendit, quando ait *mysterium hoc magnum est*, et tamen non apparuit quid intelligi vellet : tantummodo aliam interpretationem ipse subjecit, ut vir et uxor, hic (6) accipiatur interim Christus et Ecclesia. Sed quoniam magnum mysterium dixit, altius intelligendum. Quid igitur nos suspicamur? Ego arbitror accipi istud, ut vir et uxor sint sibi invicem juncti spiritus et anima. Hoc enim Adam et Eva; ut spiritus sit Christus. Ecclesia sit anima. Sed hoc interpretatus est Paulus de Ecclesia et de Christo intelligi debere, dummodo id ipsum spiritus sit et anima. Sed hoc facilius et quod ad populum bene perveniret. *Ego*, inquit, *dico in Christo et in Ecclesia :* non autem dixit, Christus et Ecclesia, *sed in Christo et in Ecclesia.* Nam et Christus in membris suis Ecclesiam habet, et Ecclesia in suis membris caput habet Christum. Ergo in Christo Ecclesia; in qualibet una carne duo sint.

Vers. 33. — *Verumtamen et vos singuli unusquisque uxorem suam diligat ut se* (7). Licet generaliter supra viris præcepta dederit de uxoribus, et mulieribus de viris; nunc specialiter ad Ephesios eadem præcepta convertit *et vos*, inquit. Hoc ideo quia per figuram exposuerat dictum esse mysterium magnum, quod in una carne ambo essent et uxor et vir. Et hoc intelligi voluit de Ecclesia et de Christo. Ideo addidit *verumtamen* ut, licet illud in veritate, hoc intelligi voluerit Christum et Ecclesiam, ut in uno sint corpore; tamen, et vos hoc ipsum observate et imitamini, ut unusquisque uxorem suam diligat. Et item subjungit de uxoribus *mulier* (8) *autem ut timeat virum.* Hic et amor est in timore, et servatus affectus est cum honore, ut viri uxores diligant, mulieres viros timeant.

CAP. VI. — Item transit ad personas alias filiorum et parentum. Postea adjuncturus servorum.... (9) et dolcant quantum præstent quemadmodum tamen magis implicent animum quam resolvant et intra mundum alligent, plenis rationibus exposui, tradidi, docui, illic (1), ostendens usque ad cœlum (2) nequitiam spiritalem mundanæ potentiæ maxime operari, cum miseris animis quod fiant quasi quædam nomina pollicetur (3).

Vers. 11. — *Propter hoc accipite arma fidei* (4), *ut possitis resistere in die malo.* Iis omnibus supra dictis cum insint magnæ difficultates, et adversus rectores hujus mundi et enebrarum harum; et, quod est majus, adversum spiritalia nequitiæ in cœlis; his, inquam, omnibus resistere quoniam magnæ est virtutis, subjiciendum fuit, quo id fieri posset : *accipite*, inquit, *arma fidei.* Sola enim fides in Christo munit nos, uti non valeat circa nos istarum potestatum mundi ulla tentatio. Ita illud quod difficile videbatur resistere, facile factum est, si in potestate est unde resistamus : est autem in potestate; quippe fidem in Christum habere, et plenam fidem habere, nullus labor est, nulla est difficultas, animi tantum voluntas est commodata (5) et credula. Ergo fit facile resistere his tot malis, si fidem habeamus. Sola sufficit, sola obsistit, sola munit; sed fides plena. Quamquam etiam ipse dixit : si ut granum sinapi, habeamus fidei granum, possumus et montibus imperare. Ergo fides sincera et pura, fides, inquam, in Christum, et fides in Deum, adversum tot illas potestates nobis arma præstabit. Sumite nunc, inquit, arma fidei, ut possitis resistere. Quando resistere? cum tentatio advenerit, cum aliquid vos tentare cœperit. Hoc est quod ait *in die malo.* Malus autem dies est cum tentamur.

Vers. 14. — *Et omnibus effectis* (6) *stare; succincti lumbos vestros in veritate.* Scit se supra multa monuisse facienda; vel per singulas personas, ut dominis et servis, maritis et uxoribus, patribus et filiis; vel per ipsa quæ agenda sunt, vel quæ non agenda, ut nolite inebriari, et agite omnia in nomine Domini, et cætera supra dicta. Idcirco ait *et omnibus effectis* quæ supra mandavi et præcepi; *state*, inquit, *succincti lumbos vestros*, id est parati et instructi. Omnis enim conatus aut ad lumbos, si labor fuerit, cadit; aut ut labor sit et conatus, ex lumbis nostris (7) est. Inde enim omnis virtus et omnis materia ad sanguinem; hinc enervas, elumbes dicimus. Ergo ut fortitudo se præparet et corporis et animi, *succincti lumbos*, ait *State* inquit, *in veritate* : hoc enim, quod vos monemus, veritas est : reliqua autem in mundo, falsa sunt, quæ de mundi sapientia docentur ac disputantur. *Et induti lorica justitiæ.* Adjungit aliud præceptum, præter fidem, ut justitiam servemus. Quamquam illud, quod supra dictum est, id est fides in Christum (8) caput est omnium : etenim justitia non tantum valet quantum fides; etenim

(1) Notemus hellenismum ab εἶναι ἔχοντα.
(2) Codd. *liberet.*
(3) Ita pro *in eo quod.*
(4) Vulg. pro *mysterium*, habet *sacramentum.*
(5) Codd. *indicabit.*
(6) Codd. *hoc* pro *hic.*
(7) Vulg. *Uxorem suam sicut seipsum diligat.*
(8) Vulg. *Uxor.*
(9) Hoc in loco lacunam esse, nullus dubito; quamquam in codice nullum sit indicium; id quod etiam alibi observavimus.

(1) Divinandus locus est.
(2) Ita codd.
(3) Ita codd. Videtur autem oratio abrupta aut pessumdata.
(4) Vulg. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*
(5) Ita codd.
(6) Ita codd. Vulg. in fin. v. 13 : *Et in omnibus perfecti stare : state ergo succincti*, etc.
(7) Codd. *vestris.*
(8) Codd. *ipsum*, pro *in Christum.*

Digitized by Google

justus ex fide vivit; tamen quia est et hic affectus impiendus ut justissimus; tunc enim fides nobis proderit, et tunc vera erit fides si justissimus: et justitia proderit si accedat fides. Ergo adjunxit post fidem *induite loricam justitiæ*. Supra arma, dixit, fidei induite loricam justitiæ: quoniam in armis tam illud intelligitur quod munit, quam etiam quod resistit et adversarium superat, in lorica autem nihil aliud sit quam ut muniamur; fides autem et resistit: et ideo dixit arma fidei. Quomodo autem resistit fides? scilicet si cum tentare hostis cœperit, non sequamur, et fide custodita in Deum atque in dominum Christum, a sententia non movcamur. Resistite ergo, ut resistit qui habet tela, gladios. Ergo arma, inquit, induite fidei, ut resistatis. At contra, justitia tantummodo in factis est; non adversario resistit, sed ipsa se præstat bonam clementem. Ergo lorica, inquit, justitiæ; qua bonum sectatus, et bonam mentem et bonum cor ostendit.

Vers. 15. —*Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*, quoniam Evangelium fertur, et per gentes prædicatur. Ubicumque ergo prædicatur, audiendum est. Ut autem audiamus, eundum, properandum, festinandum. Ergo *calceati*, inquit, *pedes in præparatione Evangelii*. Cujus Evangelii? *pacis*, inquit: quoniam Evangelium qui audit et qui in Evangelio paratus est, Domini fit, Christum credit, promissa accipit, fiduciam gerit, cum nullo hostis est. Ergo pacis Evangelium; id est pacis, quæ (1) est animis. Hoc ergo ut capiamus, calceati pedes esse debemus, id est parati excurrere, circumvolare, audire. Illis ergo omnibus quid efficitur? facile resistemus potestatibus, rectoribus spiritalibus nequitiæ.

Vers. 16.—*In omnibus, accepto scuto fidei* (2). Redit ad illam summam, quæ concludit omnia, quæ implet universa: aliter enim fortiter repugnare resistere tot illis potestatibus non valemus, nisi muniti scuto, ut omnes ictus atque impetus universarum potestatum munimento fidei repellamus.

Denique subjunxit: *in quo possitis omnes sagittas nequissimi igneas restinguere* (3). Sagittas frequentissime et in evangelio, et in Paulo, et in prophetis, et in David positas legimus; quas intelligimus disputationes et verba et tractatus esse; sed nequissimi sagittas, id est male suadentes male vulnerantes intelligentiam animam spiritusque nostros; ideo igneas dixit perurentes, quas omnes extinguit fidei scutum, id est ipsa fides, ut apud se nihil valeant. Cum enim adest fides animis, ille ignis, qui per linguam mittitur, persuadens maligna omnia mundana, extinguetur et intepescet. Nam omnis illa persuasio maligni, quoniam carnaliter loquitur et carnaliter insinuat, per sanguinem valet: idcirco excitat ipsum sanguinem per novas intelligentias: excitatus autem sanguis igneus fit. Fiunt ergo illæ sagittæ igneæ, quas fides comprimit et extinguit, quia spiritaliter omnia accipit fides. Spiritus autem lumen est, non ignis. Hinc neque spiritus, dum lumen imitatur, ignis est: ignis autem omnis nocet. Ergo neque spiritus nocet: verum dum in Christum est fides, a lumine in Christo accipit lumen: sic lumen fidei ignem vincit, quia ignis circa carnem valet et operatur, et ipse mundanus est, et de materie materia est. Non valet autem circa lumen æternum Dei Jesu Christi. Sic lumine illo hic ignis extinguitur: quem ignem dixi maxime concitari sermonibus; qui sermones, quia excurrunt et volant, sagittæ sunt nominatæ.

Vers. 17. —*Et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Quia supra dixit induti loricam justitiæ, et hic audiendum induite galeam salutarem et gladium spiritus. Utrum gladius spiritus per se accipiendum, et galea salutaris per se adjungendum, salutaris spiritus et galea est, et gladium induite (1). Sed si gladius vere certeque revocatur, quod est verbum Dei, separatum est, induite gladium spiritus. Quid ergo erit *galeam salutis induite?* Christus quidem in eo quod huc descendit, et mysterio suo nos redemit, salutaris est: ipse caput nostrum: custodit enim caput Ecclesiæ; unde galea salutaris est. Porro autem verbum, quo adversæ potentiæ vincuntur, opprimuntur; sicuti dictum (2): *diabolum perdet spiritu oris sui*. Ergo Christus, *quod est verbum Dei*, ideo missus est ut omnem corruptionem et omnem malignitatem atque ipsam mortem vincat. Idcirco dictum est: gladius est spiritus verbum Dei.

Vers. 18. — *Per omnem rationem et observationem* (3) *orantes, in omni omni tempore, in spiritu.* Ad expellenda illa, quæ supra dicta sunt, id est potentias mundi vincendas, rectores tenebrarum et spiritalia nequitiæ, hoc quoque adjungit ut oremus quotidie et obsecremus, et per omnem obsecrationem oremus in omni tempore spiritu. Quanta hic et quam occulta præcepta sunt de eo quod rogamus! Primum quod dixit per omnem orationem; quæ multa sunt, nunc pro nobis, nunc pro aliis, nunc ad ea quæ sunt præsentis vitæ, nunc ad ea quæ futuræ, nunc ad ea quæ animæ sunt, nunc ad ea quæ corporis, ut aliqua optemus. Omni, inquit, oratione oremus in spiritu et omni tempore: oremus in spiritu, id est non quædam verba dicamus vel proferamus, vel recitemus, orantes quasi meditata, quasi scripta; sed in spiritu, inquit, omni tempore oremus: id est ut et adhibeamus affectum; et interior spiritus, id est homo interior, orationem pleno desiderio debeat et habeat omni tempore: ut etiam cum non orat, in spiritu oret. Quid deinde illud quod ait, per omnem orationem et obsecrationem? Distantiam puto istam esse, ut oratio sit, et cum laudes Dei dicimus, et cum enarramus magnalia ejus, et cum gratias agimus, et cum alia hujusmodi: obsecratio vero est, quando Deum oramus vel propter veniam

(1) Codd. *pacem quod.*
(2) Vulg. in omnibus. *Sumentes scutum fidei.*
(3) Vulg. *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

(1) Ita est in codd.
(2) II Thess. II, 8.
(3) Vulg., *obsecrationem.*

Digitized by Google

et peccata nostra ; vel propter gratiam , ut nobis præstet. Hæc, inquam, est obsecratio : et dummodo isti duo modi sint cum Deum oramus , ut et orationem habeamus et obsecrationem. Per omnem igitur, inquit, orationem et per omnem obsecrationem. Non contenti simus quasi quædam verba et consuetudine proferre, sed ex animo interiore atque ex mente; atque , aperte ut dicam , ex ipso spiritu atque in ipso spiritu : ut etiam cum deest oratio vel obsecratio in verbis , oremus in spiritu.

Et in ipso vigilantes semper in omni oratione (1). Adjecit etiam certum tempus : nam cum dixit in omni tempore , potuit accipi quod tempus homini datur , id est dies. Sed in omni tempore ut plenius adjiceret quid adjunxit ? *vigilantes semper*. Potest tamen ad intentionem mentis hoc accipi *vigilantes semper* ut in omni oratione non veluti dormientes , quod patiuntur illi qui ea quæ nota sunt recitant , vel legunt, vel memoria pronuntiant ; quid dicant et quemadmodum dicant pene non sentiunt. Idcirco ait : *vigilantes semper in oratione pro omnibus sanctis.*

Vers. 19.—*Et pro me.* Magnum etiam hoc monitum et frequenter quoque tetigimus, et notandum diximus : non enim pro nobis tantum, sed etiam pro aliis rogare debemus. In quo et multis locis et hic admonco, quoniam istud præceptum duplex est, ut et ipsi illi sancti , et episcopi , et apostoli , et majores pro fidelibus et catechumenis et pro omnibus aliis inferioribus rogare debeant sicuti frequenter idem hic enumerat quod in omni oratione sua mentionem facit etiam omnium suorum. Ita et hic rursus et ipsi qui inferiores sunt rogent in omni oratione sua et pro sanctis, et pro episcopis, et pro me, inquit : quod attendendum et pro miraculo habendum, uti ab his, quos ipse monet , quos instituit , quibus evangelium pronuntiat , velut auxilium petat , ut oratione consequatur aliquid. Quid autem illud sit quod petendum pro se dicit, ipse subjungit *ut detur mihi in adapertione oris mei sermo in confidentia notum facere mysterium* (2). Monuit Ephesios ut et pro sanctis rogarent et maxime pro se. Quid autem rogarent pro se, id est pro ipso Paulo , subjecit , non salutem , non aliquas cupiditates , sed ut posset idem Paulus habere sermonem et apertam orationem, id est confidentiam in expositione evangelii atque mysterii. Vere enim etiam eorum oratione postulandum est, quibus prodesse hoc potest ; ut quoniam mysterium et evangelium Paulus pronuntiat , illi qui perceptori hoc sunt , hoc orent ut sermo abundet, et os apertius proloquatur, et confidentia sine aliqua trepidatione exponens mysterium.

Vers. 20. — *Pro quo legatione fungor in catena.* Id est ego legatus a Christo, licet in catena positus , tamen mysterium pando et evangelium : in quo quid patiatur ostendit , et quemadmodum perseveret , ut non deterreatur adversis , neque dolore vincatur , sed impleat munus apostolatus injunctum. *Ut in ipso fiducialiter agam* (1). Bene et hic fiducialiter , inquit , et in confidentia. Quid enim aliud adversum terrores, adversum pœnas impositas aut precari , aut polliceri debuerat , nisi ut fiducia sibi esset in exponendo ? ut mihi, inquit, sermo in adapertione oris detur in confidentia ; id est (2) in agendo , ut in ipso fiducialiter agam ; in ipso, id est, in evangelio atque mysterio. *Ita ut oportet me loqui ;* id est enim ipsum agere evangelistam , loqui , et loqui ut oportet , hoc est fiducialiter ; ne minus impleam , aut aliquid in animo meo egerint catenæ, et non impleam ut oportet exponens mysterium.

Vers. 21. — *Ut autem vos et sciatis , quæ circa me sunt ; quid agam , notum vobis faciet* (3) *Tychicus charissimus frater et fidelis minister in Domino.* Bene de his quæ patitur nihil epistolæ dare voluit , sed tantummodo per nuntium , ut cognoscant Ephesii , quid mandavit , vel quid agat , vel quæ circa ipsum sint. Duo sunt enim : nam et circa ipsum catenæ sunt et cæteræ injuriæ : quid autem agat ; quod perseverat , quod mysterium pandit , quod evangelizat et aperit. Commendat autem personam : Tychicus charissimus, inquit , frater , et fidelis minister in Domino : non enim minister mihi, sed in Domino minister circa evangelium et circa mysterium.

Vers. 22. — *Quem misi ad vos in hoc ipsum.* Non enim ipse cum pergeret , ego mandavi ; sed propter hoc misi. Ita et de vobis curam gero , et omnia vos scire volo. In hoc ipsum ergo , ut scireris, nisi ; ut cognoscatis quæ circa nos agantur. *Et consoletur corda vestra.* Hic jam amplius , quoniam de duobus unum hic conjunxit , quæ circa nos agantur, id est quas pœnas toleremus , quas catenas : idcirco adjecit , et consoletur corda vestra : ne de me cura et sollicitudine laboretis , vobis consolationi sit ipse cum exposuerit quali animo sim et quali fiducia.

Vers. 23, 24.— *Pax fratribus et charitas cum fide. Gratia cum his* (4), *qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in æternitate. Amen.* Postrema pars epistolæ precatio est , et precatur et optat pacem fratribus : item charitatem , deinde fidem. Supra enim ita dixerat , quod esset inter illos discordia. Deinde adjunxit *gratiam his qui præstant fidem , et diligunt Dominum nostrum Jesum Christum.* Ita omnia conclusa sunt ; pax ad discordiam , charitas ad concordiam, fides ad Deum : et ex fide gratia præstatur, gratia Domini his qui charitatem inter se et pacem habent, et fidem in ipsum. In æternitatem autem quod subjunxit, ne præsentis vitæ tantum vota sint , sed et futuræ, quæ est in spe et promissione Christianis. Amen.

(1) Vulg. , non habet *semper* et pro *oratione* in ea legitur *instantia et obsecratione.*
(2) Vulg. : *Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium evangelii.*

(1) Vulg., *Ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.*
(2) Codd. *hic*, pro *id est.*
(3) Vulg., *Omnia nobis vota faciet...*
(4) Vulg. , *Omnibus.*

Digitized by Google

VICTORINI
DE PHYSICIS LIBER.

(*Mail Coll. t.* III.)

Monitum libro de Physicis a Maio præpositum.

Tres ad hanc commentariorum curandam editionem adhibui vaticanæ bibliothecæ codices; nempe otthobonianum 328 A, sæculi XIV, a quo exscriptus est otthobonianus 3288 B, sæc. XVI; postremo vaticanum 3546, sæculi item XVI, ab alterutro otthobonano ferme desumptum : quare lectionum varietas in his inediis commentariis nulla propemodum est; eædem autem in cunctis codicibus lacunæ, eadem plurimorum locorum corruptio vel ambiguitas atque obscuritas : cæterroquin orthographia paulo vetustior est in illo priore 3288 A, quam videlicet recentiores amanuenses in aliis exemplaribus identidem immutaverunt. Porro et codicum continentia eadem cunctorum est, nempe editorum pariter ineditorumque Victorini scriptorum. Primus occurrit Victorini in Apocalypsim commentarius (seu commentarium ut sæpius in his codicibus scribitur), cum prævia Hieronymi epistola; quod opusculum sub controverso Victorini Petavionensis nomine extat in magna Lugdunensi Patrum bibliotheca tom. III, p. 414, sqq. Sequuntur Victorini commentarii hactenus inediti in epistolas ad Galatas et ad Philippenses. Dein de Victorini scribuntur opuscula duo, nempe de illis verbis Geneseos *factum est vespere et mane dies unus*; et contra duo principia Manichæorum; quorum utrumque primus extulit in lucem Sirmondus, ex herivallensis monasterii codice sumptum; in quo codice commentarii quoque latebant Victorini ad aliquot Pauli epistolas; quos Sirmondus laudavit quidem, et consueto Victorini stilo pleniores atque apertiores dixit (op. t. I, p. 345, ff. v); non tamen edidit : sive diversis occupationibus, sive alicujus hominis voluntate, sive alio quovis casu, prohibitus. Attamen in vaticanis codicibus opusculum contra Manichæos caret priore capitulo; quod habet textus editus : vicissim vero editus textus caret clausula, quam nunc ego proferam. Cæsat enim edito *cui est honor et gloria*. At codices vaticani habent *cui est honor et gloria ab omnibus creaturis, et ante principia atque post fines. Ita ergo ex vero, quod est, provenit et falso esse; ut umbræ de solidis : si enim solidum non sit, neque umbra fit.* Sequitur in codd. commentarius hactenus inedius in epistolam ad Ephesios. Extremum est in codicibus opusculum inscriptum *de Physicis*; quod quidem sub Victorini certe nomine non est editum; utrum vero alio sub nomine forte extet, ignoro. Mihi certe Victorini prorsus videtur, tum ob stili similitudinem, tum quia in tribus his vaticanis codicibus, nullum inest scriptum nisi Victorini. Quod si huic scripto Victorini nomen non præponitur, ano id ipsum nomen ne duobus quidem opusculis in his cod. præponi, quæ a Sirmondo edita dixi, quæque Victorini sine dubio sunt. Ergo Victorini scriptum *de physicis* in hoc meo volumine desiderari non sum passus.

DE PHYSICIS INCIPIT LIBER.

I. Rerum omnium conditorem Deum (1) sensus hominum judicio naturali motuque cognoscit. Sed (2) physici res ipsas admirantes, immo stupidi, vi miraculi (3) cæcati, totius creaturæ conditorem ipsum obliti sunt. Quidam enim non esse Deum, sed natura a se generari omnia sine Deo, motu audacissimo contendunt. Alii et Deum et naturam confitentes, æqualem rerum naturam Deo constituunt : quem quidem vim aiunt (1) fecisse naturæ, eo quod ab ipsa usurpando fabricasse docetur : rursus autem violentiam pati, ex eo quod ea quæ ipse instituit, natura resolvit. His duobus generibus adversantibus sibi, utrique autem blasphemantibus, respondendum est : et primis his, puto, qui magis sunt audaciores, quosque diximus negare Deum, qui ex omni creatura sua manifestatur. Quis enim ambigit ordinem, qui in rerum natura est, ab aliquo esse positum, non a se? cum tempora mensuras et cessionem sibi invicem tribuant : et sol quidem, licet clarior et efficacior sit, et virtutem maximam habens, minoribus sibi lunæ choroque stellarum concedat noctu, nec diem ipsam in eodem spatio possit semper conservare : sidera et luna id ipsum quod habuerunt spatium potestatis admittant : ver, autumnus, hyems, et æstas præfinito spatio ordinati sperentur et veniant. Et ipsis tamen temporibus aliquotiens vis infertur, ut non id agant semper quod speratur; sed prohibente aliquo, modum excedant. Quid oportet de mari, de fluviis, de terra, montibus, cæterisque elementis, aut quæ ex his nascuntur frugibus, sermonem protrahere? Accedamus nunc ad ea quæ promissa sunt.

II. Ipsa creatura aliquem fabricatorem sui enuntiat : nec enim ipsa, sibi generando, se rursus absumit; cum aliud sit propositum faciendi, aliud absumendi : et si rerum natura a se totum semper proferebat, totum quoque conservasset; maxime cum æternam naturam dantes et sine initio, æternam quoque illi virtutem dare cogantur : quæ virtus cum in his quæ generat invenitur, et ea quæ generantur æterna, et sine initio esse necesse est : quod quotidiana rerum natio falsum esse comprobat. Et si dicatur semper esse res ipsas, ideo quia sibi invicem succedunt; tamen in singulis definitio nationis et resolutionis ostendit, singulis quoque in hoc vitio coartatis, per ipsam singularitatem omnibus vitium coaptori (2). Ita omnia nec sine definitione esse possunt, quæ facta sunt : incipiunt enim et consummantur, crescunt et decrescunt. Ex quibus omnibus invenitur aliquis, qui vim infert naturæ, ut semper id ipsum vitium patiatur.

III. Cognito itaque de rationibus ipsis physicis, quibus etiam sensus humanus semper conflictabatur; nunc ad eos respondendum est, qui talem conditorem ponunt ita indigentem, ut non de suo fabricaret, sed alienum usurpando; ut non tantum indigens, sed etiam injustus inveniatur. Quid enim illi cum aliena materie, si suam potuit habere? Ita coacti videntur confiteri Deum; non tamen intelligere Dei virtutem, neque mirari eum, qui tamquam homo ex materie

(1) Codd. *dominum*, ob male intellectum olim vocabuli compendium.
(2) Codd. *scilicet*.
(3) Codd. *sui miraculo*.

(1) Codd. *ei*.
(2) Codd. *coaptatur*.

Digitized by Google

proposita fabricaret. In tantum dignitatem ejus, ut putant, deponunt, ut ipsi materiam æqualem Deo per nativitatem efficiant, quæ vim patiatur ab eo et faciat. Patitur enim, quando generat; facit, quando dissolvit; et uterque in irritum ducuntur. Deinde ab his postulandum est, si nativitatis suæ uterque proprietatem conservant? Nam (1) si vincitur Deus, suam propriam in nativitate virtutem perdidit. Rursus materia si a Deo reformatur, nativitatis formam amisit. Postea cum cœpto opere id egit quod numquam (2), ita ut coacta a fabricatore generet; ad tempus virtutem aliquam accepit ab eo in proferendo. Quod si accepit quod non habuit, jam æternitatis potentia excluditur per virtutem quam accepit. Propter quod rogo unde probatur innata quæ in forma nativitatis suæ non permansit? Nec in virtute nec in eadem potest esse substantia, quæ mutatur virtute, calore, forma, qualitate, viribus omnibus : innata esse non potest, quæ tot vitiis et necessitatibus succumbit. Quæ cum est et probatur non innata, reliquum est ut, id quod est, nata factaque cognoscatur.

IV. Quam quidem nec plurimi dii, sed unus fecisse dinoscitur. Non enim propter diversitatem rerum aut virtutum plurimos esse ratio permittit deos; cum in una terra diversa genera herbarum, frugum, arborum, gignuntur diversis corporibus procreata, diversis coloribus ornata, diversis virtutibus roborata. Nempe et anima nostra cum una sit, diversas artium machinationes, disciplinarum doctrinas, formas institutorum, numerum mensurarum, sonorum elationes, rerum effectus, cogitationes, judicia rationum constituit. Quod si in tam minimis rebus uni sub tantiæ (3) tot rerum effectus conceditur; quanto magis illa divinitas harum ipsarum rerum genitrix (4) una esse cognoscitur, quando tantæ majestati diversitas rerum neque vim inferre, nec auferre potestatem potuerit? Deinde interrogandum quibus generibus plurimos inducunt deos utrum ne omnium omnes creatores, an (5) singularum rerum? Conditores omnium esse non possunt quia sufficit unus, ut dictum est. Quod si plurimi dii hoc agere existimentur, omnis (6) inferre necesse est singulis rebus quod donant. Unde imperfectum est quod ab uno infertur; deestque materiæ cæterorum illatio, quia non sufficit id quod accepit ab uno. Et jam materia melior, quæ omnium virtutes sola in se susceperit.

V. Deinde non singulæ res ab omnibus constitutæ probantur : non ex iisdem subsistit lapis, quibus et arbor; neque arbor, ex quibus pecus; nec piscis genus, ex quibus feræ; nec serpentes, aut belluæ, ex quibus homo : sed necesse est minus et amplius habere confiteri. Unde non singulorum omnes conditores esse noscuntur, neque in omnibus regnare. Cum non omnibus contulerint; nec non diversis generibus illatis, neque omnibus æqualibus (alterum enim ab alio differt) necesse est eos minus et amplius inferre, cognosci. Ex qua illatione major minorque per potestatem suam invenitur : quæ distantia divinitatem nativitatis unam constitutam omnibus esse non concedit : ex quo ad unum iterum innativitas pertinet, cæteris exclusis ab innativitate : unde natos esse necesse est. Jam quoque nati, non a se, id quod sunt, habentes; nec a se virtutem habere, sed datam, comprobatur. Quod si a se non sunt, data quoque potestate utuntur; quemadmodum omnia fecisse dicentur, ipsi creaturæ esse manifestati (1)? Et hæc quidem omnia attingunt, si in singulis omnes conferant. Quod si non omnes, sed singuli singula regant, neque utatur alter alterius creatura, sed concidatur totum sæculum, singulis singula opera sua ad se trahentibus ac defendentibus, nec nos ipsi alterius creatura uti permittamus, et quemadmodum animantia vivere possunt discreta singula a cæteris? Quod si ob concordiam bonitatis suæ permittunt ipsi quidem imbecillos, qui nisi per alterius creaturam stare suum (2) facere non potuerint; nec ipsi suum (3) regunt, sed usus. Quod si usus detinet, ille non regit; ex quo non esse cognoscitur.

VI. Ac mundus ipse horum hominum insaniam comprimit, creatorem, rectorem, gubernatorem, dispensatorem suum ostendens. Quis enim pluvias alienis immittens, suæ operationis aliena emittit? Quis temporum nocivas contrarietates, temperie interposita, ad utilitatem omnes sociavit? ventorum flatus, animationis causa, nascentium creationibus subministrat? Deus (4) quidem ex omni creatura dinoscitur, sicut scriptum est : *Cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Hic rerum omnium conditor, rector, gubernator, dispensatorque reperitur : quo cognito, prava contentione quidam, infirmitate animi sui ordinem rerum non comprehendentes, nec hoc ipsum intelligentes, quod nesciunt, calliditate animi causas ingerunt Deo; aut non ita fieri debuisse dicentes, ut caderent; aut ex eo quod cadunt, ignorantiam ei vel malitiam adscribendam. Fecit enim ut sint : quod si evenit, ut non sint; aut ignoravit faciendo quod evenit; aut sciendo, volens liberare non potuit; aut cum possit, tradidit per malitiam. Quorum neutrum ad divinitatem admittitur : nec enim fas est nescisse futura divinitatem, nec volentem liberare non potuisse, nec malitiam adscribi : qui voluit et fecit, ex eo quia voluntas faciendi, excludit malitiam negligendi. Quibus sublatis, tertium crimen iniciunt impossibilitatis Deo Quæ omnia explicanda sunt. Nec enim malus est, qui voluit et fecit,

(1) Codd. *Jam.*
(2) Subintellige *egerat* vel *egisset.*
(3) Codd. *una substantia.*
(4) Ita codd.
(5) Codd. *aut.*
(6) Ita cod. pro *omnes.*

(1) Hellenismus.
(2) Sic loquitur ferreus Victorinus, a cæteris scriptis suis minime dissonans. Intelige autem *essentiam efficere non possent.*
(3) Subintellige *stare*, id est *essentiam.*
(4) Codd. *quis*, pro *Deus.*

Digitized by Google

et quia volens fecit. Qui potest omnis, aut potest quæ vult, non erit imbecillus. Ita nec ignorantiæ subjectus : qui cum semper sit, sine eo futura fieri non possunt.

VII. Jam ergo causam rerum requiramus, ne diu protrahendo sermonem, locum erroris seductoribus permittamus. Fecit omnia ut sint : sine dubio profitemur. Evenit ut non sint : nec hoc negare possumus. Sed in eodem contraria esse non possunt, ut simul esse et non esse voluntati ejus contingat. Quia si fecit ut sint, semper vult ut sint : et si vult ut non sint, desinit id velle, quod volebat : quod quidem vitium in Deum cadere non potest. Duabus vero personis in causa constitutis, conditore et condito, cum conditor est alienus a crimine, superest ut id, quod conditum est, suæ læsionis ipse sit causa, nec potuisse sine aliqua culpa ad id cecidisse ut non sit. Rursus si culpa condita voluntatem Dei evacuavit, fortior ipsa culpa quam conditor : ideoque renasci necesse est, ut ad ipsum venientes quod fuimus, id quod evenit per culpam, evacuemus ; et vincat Dei voluntas, quæ fuit ut simus. Inde ob culpam damnati revocamur, justitia Dei permanente eadem et virtute : justitia, in quo judicat ; virtute, in quo revocat : non prohibitus salvare, qui potens est ut ex eo quod cecidit, possit revocare id quod ipse fecerat ex nihilo : et qui fecit ex nihilo, multo magis revocabit ex aliquo : et cum judicio justo damnatum dicto Dei caderet, item misericordiæ ejus dicto resurgat : nec excluditur revocare, qui semper est ; et potentia ejus obtemperans voluntati, justitia potentiæ : at potentia perficiente, id agit quod velit, tempore quo vult, immo tempore competenti. Nec oberit ejus potentiæ mors damnationis ; nec damnatio vincit propositum voluntatis ; sed misericordia ejus non inanis ; nec sine ratione gratia renovandi ; his enim datur qui petunt, sicut damnati sunt non petentes.

VIII. Ea causa fuit non indulgendi primis peccantibus, quos cum interrogatione sua ad pœnitentiam provocans, suam salutem vidit repellentes, damnavit. Eos autem, qui ex his nati sunt, quique ad ipsum confugerunt, miseratus est. Etenim justum est volentes et pœnitentes, ad eum qui potest præstare, confugientes impetrare : ingratos, renitentes, facti sui culpam ingerentes Deo, damnationis causam sibi constitutos, dimittere. Ea justitia dari gratiam istam protoplastis non permisit : non ipse noluit præstare qui damnat. Ipse fuit et ante, qui modo est, et erit : qui nunc bonus, et ante bonus : qui nunc misericors, et ante misericors : in eo semper permanens, qui est immutabilis : quem cum damnavit ob culpam, culpam ipsam dinoscere (1) necesse est, quam de physicis rationibus iterum inquiramus. Homo factus non ut aliquid conditori suo præstaret (2), sed ut ipse sæculo potiatur, ex melioribus constitutus, merito rationabilis est effectus : et hoc ipsum creaturæ ratio expetebat, ita ut diversis in sæculo conditis, et ex omnium elementorum conversione constructis, hic qui melior est omnibus (1), cæterorum habeat potestatem : non tum immemor sui creatoris ; sed subjectus dominio per mandatum, cætera subjecta sibi teneat. Subjectio autem istius, qui rationabilis est, legem requirit, ne sit ipse omnium deus liber a lege : quam legem postulante ratione, in quibus danda esset, oportet pervidere. In his dandam esse legem ratio edocet, quibus positus (2) fruebatur. Quod cum cibus tunc datus maxime inveniatur, in hunc datam esse legem ratio poposcit, in hunc peccasse declaratur.

IX. Nunc nobis investigantibus causam, huc usque ratio deduxit. Cætera (3) cujus cibi, cui usui, in quem modum lex data sit, nobis requirentibus, historia necessaria est quæ conveniat his physicis rationibus jam a nobis investigatis : quæ cum nulla sit alia præter quam didicimus in divinis scripturis, ipsis physicis rationibus in eamdem nos ipsam inducentibus, requiramus si consonat legem positam esse homini abstinere se ab una arbore, cæteris largiter fruentem. Edocet scriptura hunc, transgresso mandato, morte esse multatum : quod quidem graviter quidam accusant, legem dicentes datam quæ non potuit custodiri ; ipsum præscium futurorum hoc dedisse mandatum, quod sciret eos non conservaturos ; hujus abstinentiam cibi mandasse, cujus desiderium superaret mandatum. Multa quoque alia causæ esse contraria : aut enim debuit non dedisse, aiunt, hoc mandatum, quod dedit sciens non observaturos : aut hanc arborem non interposuisset, tamquam offensionem mandati. Licebat enim in cæteris jubere, in quibus desiderium non cadebat, aut hoc dare præceptum, quod posset homo conservare. Quod si non poterat auxilio suo tueri ne peccaret, invalidus : vel non permitteret tentantem accedere, cujus persuasione incidit in culpam. Nunc vero simul omnia contraria : et faciendo talem, operatus est eum vincendum ; et arborem plantavit nocivam ; et in hac dedit mandatum, quod non observaturos esse sciebat ; et sua præscientia providens peccaturum, dimisit, et adversarium accedentem ad evertendum hominem non prohibuit ; et iracundia motus, quem ad vitam posuit, ipse damnavit ad mortem. Nunc vero liberaturum dicitis venisse, passurum pro eo, qui tunc temporis noluit indulgere. Hujusmodi verba inania suæ mentis inertia proponunt ; quibus omnibus respondendum est.

X. Et legem quidem dari oportuisse jam probavimus recte : illum Deo per legem esse subjectum, cui fuerant tanta subjecta. Hanc legem non gravem, ut aiunt, immo levem et facile custodiendam docemus. Cum enim omnibus frueretur, ab uno jussus est abstinere. Quod si uno tantum uti, cæteris interdictis, jussus fuisset, nonne justum vobis videretur, custodire

(1) Codd. *miscere*, pro *dinoscere*.
(2) Id est non factus ut Deo utilis esset, qui nullius eget.

(1) Codd. *ab omnibus*.
(2) Ita codd.
(3) Ita codd. pro *cæterum*.

Digitized by Google

mandatum ejus, qui dedit licentiam fruendi? Hoc tamen non fecit ipse qui dedit: quod etiam ipsum esse possibile declaratur. An non (1) etiam in hoc mundo, propter læsionem mortis aut morbi, a plurimis abstinemus? Ita possibile mandatum ostenditur. Quod si hoc possibile, quanto possibilius fruentem omnibus, ab uno se custodire? Et quomodo lex dari potuisset, si non vel in uno conceditur imperare? Quia ergo debuit lex dari, debuit autem in his quibus fruebatur dari, in his ipsis data esse recte dinoscitur. Non tamen offensio fuit arbor, nec in alteram magis quam in istam debuit mandatum transire: quoniam in quacumque fuisset positum mandatum, etiam in eadem ipsa desiderium sequebatur. Et non arbor occasio (2) fuit desiderii, sed ipse sibi auctor, qui voluit desiderare. Nec querela nunc existat cur voluit, cum habuerit sui potestatem rationabilis constitutus. Ipsa quoque lex expetit hanc potestatem sui habere, cui ponitur: non habenti enim agendi potestatem, lex vacat illi: et si ab aliquo naturaliter conclusus, ab eodem ipso lege posita videatur arceri, non prohibito magis lex datur quam sibi qui regit conclusum. Ergo competenter data est sui potestas: qua competenter data usus homo in quo non habuit potestatem, merito damnatur.

XI. Jam prædicta a Domino sententia transgressionis, etiam auxilium illi fuerat datum (3) ut sciret et quid deberet cavere, et quid passurus esset ex negligentia, si non cavisset. Nec invalidum fuisse natura. Serpente enim ad persuasionem mulieris aggrediente, ubi voluit vicit mulier; et in exordio verborum mendacem eum intellexit et repulit, sicut ait Scriptura: *Et dixit serpens mulieri: quid utique dixit Deus ab omni ligno non edetis, quod est in paradiso?* mendacio fallere credens; etiam oblitam divini mandati existimans. Cui statim respondens expulit ita. Et dixit mulier serpenti: *Ab omni ligno, quod est in paradiso edemus; de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus: Non edetis ex eo neque attingetis eum ne moriamini.* Judicio maximo (4) divinam jussionem præferens: quo convictus, ad aliam machinam se transtulit, *non morte moriemini, dicens: sciebat enim Deus, quo die manducaveritis de eo, adaperientur vobis oculi, et eritis tamquam dii, scientes bonum et malum.* Unde cupiditate deitatis habita (5), id quod ante providebat, jactavit (6); jam aliud videns ex concupiscentia, quam quod videbat. Tunc enim ait mulier, quia bonum est lignum in esca, et quia placet oculis; ex desiderio videns, non judicio mentis; ita ut antequam manducaret, bonum in esca esse pronuntiaret: et non naturalis aspectus arboris nec usus attraxit, quam prius videndo, abstinebat; sed desiderium deitatis illexit.

XII. Nec requirendum est quare permisit tentari, quem (1) futuri scientia prædita auxilio suo tutatus erat ne falleretur. At ille oblitus salutis suæ, atque immemor dictorum Dei, mulieris persuasiones præponendo, deceptus est. Hæc participem utique peccati virum suum effecit. Ad hæc vir suus sine interrogatione accepit et sumpsit (2). Et ipsa enim comedit, ait scriptura, et dedit viro suo, et manducaverunt. Inde damnatio justior, et judicium mortis accessit; ut admonitus, non observaverit; et vocatus ad pœnitentiam, non solum repulit, sed etiam facti sui culpam Deo imputavit, dicens: mulier quam dedisti mihi, hæc mihi dedit, et manducavi; rerum esse Dominum peccati, quod dedit mulierem, adscribendo: cum maxime portionem exiguam corporis sui sciens, cui et nomen dederat, non debuisset subjacere, undique sibi subjectam sciens; se quoque auctorem corporis, ortus, procreationis, etiam nominis ipsius, agnoscens: quam cum sibi præferre non deberet, multo minus (3) domino Deo qui mandavit. Tot criminibus una sententia data est. Non tamen motus iracundia judicavit, ut dicunt: nec enim hoc vitium in Deum cadere potest (4), ut passibilis videatur, ut excitatus iracundia conditionem mortis inferret. Is enim iracundia provocatur, qui ex peccato motus sententiam dicit: at qui ante delictum facti judicium promulgavit, non potest dici iratus fuisse, qui monuit; cum admonitio non iracundia sit, sed defensio.

XIII. Deinde in ipso eventu qualem sententiam dederit videamus. Eum qui manducavit, ut sit æternus, ut Deus id ipsum judicavit damnando; ne fieret, quod quidem homo futurum existimavit: et cum omnis esca ad roborandam substantiam pertinet, hoc utique alimentum ad dissolvendam substantiam profuit. Ita nec tunc infensus prædixit, qui monuit, nec postea damnavit iratus, quod homo præsumpserat, dissolvendo. Nec tamen invidia prohibuit manducare, nec invidia abstulit deitatem, vetando quidem cibum, qui lædebat: nec enim oportuit scire malitiam, qui se ab ea non posset observare. Mali autem cognitio ex prævaricatione mandati; in quod non ceciderat, si non manducare voluisset. Sequendo enim Dominum sine discretione, bonum ipsum reperiebat: prætereundo mandatum, sibi conscius, malum cognoscebat. Igitur mandatum sequi simpliciter, bonum est: amplius desiderando præterire, malum ostenditur. Diffidendo enim dominicis dictis, præceptum præteribat. Jam quoque boni et mali notitia esse cœpit, cogitando quod fecerat. Hac (5) implicatione eum liberabat mandatum. Igitur rationibus indicantibus, sui mali conscius fugit; et a summa sapientia in tantam stultitiam redactus est, ut

(1) Codd. *aut non.*
(2) In margine corrigitur *causa.*
(3) Notemus de gratia Dei auxiliante doctrinam antiquissimi auctoris Victorini.
(4) In margine glossa *sapientissime.*
(5) Codd. *magis.*
(6) Nempe *abjecit.*

(1) Sermo jam est de Adamo.
(2) Id est *manducavit.*
(3) Nempe *victa* Eva. Est autem hellenismus ab ἡττωμένη.
(4) Scilicet quatenus vitium est. Cæteroquin legesis Lactantii hac super re doctrinam in opusculo de ira Dei.
(5) Codd. *hæc.*

Digitized by Google

putaret se celando sub arbore Deum omnium conditorem posse latere, cui et arborum omnium frondes et herbarum comæ numeratæ sunt; quique de nobis dixit etiam capillos nostros esse numeratos. In tantum malum incurrit is qui cœpit habere scientiam mali et boni! Tanto malo Deus liberabat eo tempore quo prohibebat!

XIV. Nunc patefacto quod non invidia prohibuit manducare, superest ostendere quod non invidia abstulit deitatem: quod tamen facile comprobatur eo quod redditam demonstramus. Nam ab initio creationis usque ad damnationem mortis, recte omnia Deum fecisse cognovimus. Videtur tamen Dei propositum factum hominis exclusisse; cum ipse fecit ut sint; evenit autem non ut sint, ob culpam. Quod si in tantum res steterit ut non sint, victum est ejus propositum qui fecit. Adquin (1) si revertitur, conceitur peccatum ex revocatione, et in id ipsum restituitur res, ad quod facta est; ut vincat Dominus facta hominis, et non vincatur. Et possibilitas ejus etiam hoc requirit ut omnipotens ostenderetur. Si enim est aliquid quod non potuit, possibilitas ejus diminuta excludit omnipotentiam: omnipotentia autem omnia prævalet: et cum omnia prævalet, etiam in hoc ipso prævalere necesse est, ut qui fecit ex nihilo, revocet ex morte.

XV. Oportebat itaque reverti nos ad id quod fuimus. Sed quemadmodum, requiramus. Damnatus est ille primus ingratus, qui vocatus ad pœnitentiam, non obaudivit. Vixit tamen postea tempus aliquod post sententiam, eo quod præsentia sua Deus providebat ex his ipsis justos esse procreandos: neque justum erat mox solvi quod spem justos habuit generandi: et qui justi generantur, non naturam peccasse, sed voluntatem, ostendunt; cum isdem (2) parentibus constituti servent ipsi mandata: nec naturalis substantiæ pars voluntas, sed motus; motus tamen tamquam index (3) cogitationum aliquo sociando (4). Illi vero justi, de quibus diximus, isdem parentibus in natura; moribus eis dissimiles, pœnitendo. Ac justitia deposcit non pœnitentem, præterire; donare pœnitenti. Pœnitentiæ ordo ita procedit, ut habeat effectum, per quem placendo Deo, de possibilitate ejus sperando, gratiam petat. Petitio in absolutionem (5) suum creatorem vocat; nec alium sequitur donare revocando, nisi eum qui fecit. Si enim ipse fecit ut sint, evenit autem ut non sint, melior erit qui reparat in æternitatem, quam ille qui fecit quod cecidit. Ergo ipsum renovare, expetit (6) Deo creatori; quique fecit ex nihilo revocat etiam ex mortuo. Hic invocatur ut præstet docturus, quemadmodum gratia præstanda conservetur, ne tam magnum donum amittatur: iterum sic ut sentiens homo se liberatum sententia præsentis, ricut ante damnatum, dis-

(1) *Adquin* pro *atqui*.
(2) Ita codex antiquior pro *iisdem*.
(3) In codd. videtur *judex*.
(4) Ita prorsus codd.
(5) Codd. *absolutione*.
(6) Id est *competit*.

tet conversatione, qua usus, imitando Deum, veniat ad deitatem; et quam ante sibi usurpatam per arborem esse putavit deitatem sine Deo, hanc ipsum accipere possit a Deo. Quia et *ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* Hic qui queritur amisisse eos, quod dixit; nec ante livore abstulisse deitatem comprobatur: et qui questus est, id ipsum donare venit, quod amisimus, rogatus; ostendendo se, alloquendo, donando, revocando.

XVI. offendit tamen aliquos, quod in corpore: cum non aliter visus esset hominibus, nisi corpore; neque sui conservationem videre possent, nisi corpore: imo nec aliter a damnatione mortis liberare debuit, quam corpore; ut istud ipsum (1) liberatum ostenderet, quod perierat. Sed quemadmodum, videamus. Mulier prima peccavit: peccavit autem cum esset virgo. Hæc causa fecit postea natos omnes esse mortales. Virgo enim excepit sententiam, qua cum mortalis esset effecta, mortales cæteros procreavit. Per hanc virginem mors dominata est. Propter quod per virginem debuit venire qui vitam donaret. Mortis occasio ingressa per lignum, sed mulier ex latere viri. Ideo ligno latus Domini percutitur, ut et pro muliere patiatur. Et non totum latus mulier, sed portio lateris: una enim ex costis sumpta, ædificata est. Ideo non omne latus aperitur, sed locus ipse lateris stimulatur, unde accepta est. Spinas et tribulos sententia damnationis terra produxit: ideo spinis et tribulis coronatur: spinarum substantia, maledictum. Erat corona forma victoriæ: itaque per quæ cœpit esse peccatum, per hæc transcundo Dominus triumphavit.

XVII. Humana inspicientibus impossibile videtur esse quod dicitur, ut qui nasci debuit, contra naturam nasci prædicetur ex virgine; cum hoc in humanam rationem non cadat, ut præter cæteros ita nasceretur, et sit ex matre filius sine patre: cum tamen maxime hoc ei conveniat, ne terrenum patrem habeat qui habet patrem cœlestem. Nec negare patrem suum venerat, ut ex alio nasceretur; sed quod deerat in natura gignentis (2), mater ei sit virgo. Nec sub ista conditione nostræ generationis teneri debebat omnium procreator; cum etiam primi auctores non ex coitu sint generati. Multa quoque genera sunt in sæculo gignentium quæ sine conjugio clam multis modis generantur. Conceptus vero ratio, caste inspicienti, possibilis. Ex spiritu sancto prædicatur natus esse qui sanctus est; nihil incredibile. Sed inquinari sanctitas ejus videtur ex permixtione; cum non sit permixtio. Interroganti enim virgini et causas conceptionis requirenti, angelus Gabriel ait: *spiritus sanctus superveniet super te, et virtus altissimi obumbrabit te:* nec utroque commixtionem nominans; sed superventu spiritus, virtute altissimi, coagulatur natura; ut quod in aliis semen efficit, adjungendo sanc-

(1) Codd. *ipsud*.
(2) Codd. *gignantis* hoic et infra.

Digitized by Google

tius, ut decet Deo, per incontaminatum corpus virginis nascerétur.

XVIII. Nec incredibile hoc cognoscitur, cum in ipso sæculo sic constringi plurima cognoscimus; cum mare transeuntibus Judæis virga percussum, violenter quidem mare dividitur; undas vero ventus, spiritus mundialis, constrinxit, ut Scriptura demonstrat, quæ sic dicit: *Extendit Moyses manum super mare: et induxit Dominus mare in vento austro valido tota nocte: et fecit mare siccum*; non utique evacuatum aqua sed constrictum. Dicit enim: *et divisa est aqua; et intraverunt filii Israel per medium mare per siccum; et aqua illi murus erat dextra atque sinistra.* Ita constrictum docetur quod per austrum effectum est. Nec non et propheta psalmographus David de hoc ipso signo interpretando ait: *disrupit mare, et trajecit eos; statuit aquas sicut utrem.* Ac siquis per infirmitatem animi sui, duritiam cordis sibi parando, probamentis istis non credit, vim ventorum inspiciat, et auras mundiales hoc ipsum operantes intelligat, quæ pluvias decurrentes in stillicidiis ita constringunt, ut in ipsis lapsibus glacientur. Quid oportet enumerare cætera quæ ex uvido constituta, supradicta vi assolidantur? Nec diu morari necesse est, cum plus adsertionibus nostris rerum clament effecta, quæ cum Deo instituente eveniunt in natura, quanto magis in adventu suo tam necessario, in conformationem adsumendi corporis per spiritum sanctum stringi potuit corpus virginis, de quo fluere sperabatur?

XIX. Quod quidem (1) aliquibus immundum esse videtur, recte autem inspicientibus ita mundum probatur. Ante corporis fluxum pars adhuc corporis constituta, totoque commixta atque concreta, nomen immundi non recipit cum vivit. At cum (2) defluxerit, et ex illo mortuum effectum fuerit, tunc immundum et mortuum; quod jam alienum est a natura, neque vivificari potest: quod dum in natura est, concretum et coagulatum generat, non immundum. Ita nec immundum illud fuisse, veritas invenit. Quod si et immundum dicentes patiamur, nec sic tamen contaminari sanctitatem ab immundo potuisse declaratur: cum solem, quem creaturam ejus negare non possumus, sic immunda sordium, sentinas paludium, putredines cœni, astringere videamus, ut cum vim suam per radios super hæc emittat, non tamen polluatur. Quod si in his sordibus non polluitur creatura, multo minus (3) in vivo (4) sancto, quia (5) corpore divinitas ipsa non polluitur.

XX. Nunc manifestata necessario (6) sancta et incontaminata nativitate per corporis formam, in qua adesse salutis nostræ *ratio* poscebat, superest ut probetur cur ad similitudinem nostram parvulus natus creverit, esurierit, manducaverit, sitierit, cæteraque officia corporis susceperit, ita ut et mortem, et tam turpem mortem, pateretur: post quam mortem (quod incredibile est repugnantibus) sepultus, resurrexisse dicatur. Et quidem qui in carne veniebat salvator carnis, quod nostram debuit suscipere non alienam, manifestum est: aliena enim suscepta, salus ad nos non pertinebat. Nostra quoque suscepta carne nasci parvulus debuit ex virgine: nec enim virum consummatum per virginem nasci oportebat, quod sic docetur. Dicebatur natus, natus tamen non probabatur: quomodo enim vir consummatus nasci per virginem poterat? ut quem parvulum non creditis natum, multo magis virum editum non crederetis.

XXI. Parvitas tamen ejus quam divina sit, agnoscamus. Conceptus est homo, sed sine origine humani seminis. Natus est sicut homo, sed ex virgine, quod est sanctum. Ignobilis et deformis, sed gloriosus: in natura infans positus in cunis, sed rex ab angelis, et filius Dei nuntiatus: salvator humani generis, cœli terræque sociator gloriæ, et pacis effector. Hoc apertissime pastores edocentur. Scriptum est enim ita: *Factum est autem cum essent illic* (dicit autem in Bethleem) *impleti sunt illi* (id est, Mariæ) *dies ut pareret; et peperit filium suum primogenitum, et obvolverunt eum et collocaverunt illum in præsepio, quoniam non erat locus in stabulo. Pastores autem erant in regione illa pernoctantes et custodientes nocturnas vigilias super greges suos. Angelus autem Domini stetit, et claritas circumfulsit illos, et timuerunt timore magno: et dixit illis angelus, ne timueritis; ecce enim annuntio vobis gaudium magnum, quod est omni populo; quoniam natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Jesus in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem involutum pannis et positum in præsepio. Et subito facta est autem cum angelo multitudo exercitus cœlestium laudantium Deum et dicentium gloria in excelsis Deo, et pax in terra hominibus boni decreti.* Unus angelus enuntiat nativitatem, quod hic, qui parvulus erat ante sæculum natus est nobis hodie, quia hominibus esse tunc cœpit. Ac ne eorum rex tantum annuntiatus videatur, quibus dictum est *natus est vobis hodie* angelorum exercitus concurrit, et dicit *gloria in excelsis Deo, et pax in terra hominibus boni decreti.* Apparuit hæc ejus gloria in cœlo, et pax in terra hominibus boni decreti ab angelis nuntiatur. Utrum nostræ infantiæ similis videatur, advertitis an (1) non?

XXII. An mirum est angelos regem enuntiasse, quem sciunt Magi quoque in terra longinqua positi? Cum signum illis apparuisset e cœlo, et intellexerunt natum, et diu quæsitum adinvenerunt, inventum adoraverunt. Cujus stellæ signum cætera stellarum præibat insignia: stella enim quæ nativitatis dominicæ index fuit, non ut cæteræ lucebat in tenebris, sed per diem refulgebat in sole; et sole et die in splendore superato; non quasi quæ fixa esset in cœlo, sed præcedens specie mira magis ad inquisitionem Domini pergentibus viam in itinere demonstrabat. Denique

(1) Codd. *quoddam idem.*
(2) Codd. *adquin.*
(3) Codd. *magis.*
(4) Ita codd.
(5) Codd. *que.*
(6) Codd. *necessaria.*

(1) Codd. *aut.*

Digitized by Google

ibi supra domum constitit, ubi esse quem annuntiabat, ostendit. Quod scriptura testatur : *Nato autem Jesu in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi venerunt ab oriente Hierusalem dicentes, ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus ad orientem, et venimus adorare eum.* Quem parvulum Magi cum vidissent adoraverunt ut regem, ut hominem, ut Deum; et munera obtulerunt, e quibus muneribus etiam passurus denuntiabatur. Thus enim obtulerunt ut Deo, aurum ut regi, myrrham passuro. Talis infantia divina cognoscitur, nutritur, et educatur! Sed sine doctore omnia sciens. Mirantur hoc Judæi cum viderent litteras scientem sine doctrina; dicentes : *Quomodo iste litteras scit, qui non dedicit?* Quod sciret, confitentes; et quod non didicerit, non negantes : unde tamen hoc haberet, non comprehendentes. Judæorum doctoribus cum loquitur, doctor doctorum invenitur. Qui cum adhuc parvulus fere annorum XII sederet in medio magistrorum, doctrinam ejus cum stupore mirabantur doctores. Ita enim Scriptura dicit : *Et omnes, qui audiebant eum, admirabantur prudentiam ejus et responsa.* Hæc scripturis probantur, physicis vero rationibus amplius invenitur : Deus enim in homine natus, talia insignia infantiæ suæ debuit demonstrare.

XXIII. At vero causam adventus ejus si requiras, hominem iterum apparere oportebat. Latere debuit tanta divinitas non eos qui credebant (1), sed principem mundi, in cujus oppressionem (2) descenderat, sed nostræ causa liberationis. Is enim non ex auctoritate sua, sed ex sententia dominica tenebat, quia jusserat peccatorem, qui non pœnituit, mori. At vero pœnitentem liberare debuit misericors. Hoc justitia, hoc possibilitas divina poscebat, ut qui ex sententia tenebat reum, si non reum caperet, prætereundo sententiam, amitteret potestatem. Nemo autem non reus, cum et origine et natione sint ex mortalibus. At is qui natus est, ipse dedisse sententiam probatus est; qua sententia ipse reus non tenetur, qui cum susceperit carnem, sine peccato inter homines conversatus est. Sicut scriptum est : *Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque eo. Invenit omnem viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (3). Hic est, qui conversatus est sine peccato, ut iterum scriptum est : *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (4). Hanc carnem sine peccato produxit : quam mundi hujus princeps adversantem sibi prævidens, neque suis voluntatibus inclinatam, hominem tantum æstimans, invadere ausus est permittentem. Permisit autem Dominus, ut ipse sibi princeps causa sit amittendi; qui cum reos ex sententia sibi vindicasset, usurpando hunc qui reus non erat, contra sententiam veniens quam (1) tenebat, amitteret (2) potestatem. Ita rationis fuit officia corporis agere, ut ipse quidem eamdem esse carnem ostenderet, quam susceperat, eam quæ ante damnata est : ille vero carnis officia videndo, non intelligeret deitatem, ac sic contra sententiam Dei veniens, perderet potestatem; quia appetere ausus est, quem sine crimine pervidebat.

XXIV. Hac ergo causa factum est, officia quidem carnis ostendere, non tamen ipsis officiis esse subjectum. Ut carnem veram probaret, esuriit; non ut victus jejunio manducaret. Denique cum ad prolationem nostræ carnis ultra possibilitatem naturæ 40 dierum et noctium spatio jejunasset, invenitur quidem esuriisse, non etiam manducasse; ita scriptura dicente : *Et consummatis 40 diebus et 40 noctibus, postea esurivit.* Non tamen manducavit; esurivit autem. Quod ob (3) hanc causam manifesto factum est, ut quia 40 diebus, quibus continuis in eremo adversum Dominum tentationibus suis diabolus pugnans superatus fuerat, non esset (4); et ut ne, intellegendo Deum, diffugeret; ne perirent tam necessaria beneficia passionis suæ, esurivit. Quem mox infirmum putans, iterum ut hominem aggressus est, dicendo ei, ut vel propter necessitatem sui corporis lapides in panes converteret : quique (5) nec fecit nec manducavit. Ita esurivit ob causam; non tamen subjectus est causæ. Et non tantum in hoc loco, sed etiam discipulis offerentibus esurienti panes, ac dicentibus, Rabi, manduca; respondit : *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit, ut perficiam opus ejus.*

XXV. Sitivit, ut per sitim naturam corporis demonstraret; non quod poculis indigeret, cum ipse sit fons aquæ vivæ. Denique Samaritanam, ubi sitisse invenitur, cum aquam postulasset, atque illa judæum æstimans non dedisset, obtulit mulieri aquam per quam sitim perpetuo satiaret, sicut scriptum est : *Jesus sedebat super puteum; et fuit hora quasi sexta; et venit quædam mulier Samaritana haurire aquam. Et Jesus sedebat; et Jesus dixit ad eam : Da mihi bibere. Abierant enim discipuli ejus in civitatem ut emerent escas. Mulier tamen respondit ad Jesum, dicens : Tu, cum sis judæus, quomodo petis a me bibere, cum sim mulier samaritana? Et Jesus respondit illi : si scires donum Dei, et quis est qui tibi dixit : da mihi bibere; tu magis petiisses eum, et dedisset tibi aquam vivam. Et dixit illi mulier : Domine, neque urceum habes, et puteus altus est; unde habes aquam vivam mihi dare? Ne tu major sis patre nostro Jacob, quoniam ipse dedit nobis puteum de quo bibet cum filiis suis et cum pecoribus suis. Et Jesus respon-*

(1) Codd. *credant.*
(2) Codd. *oppressione.*
(3) Baruch. III, 36. seq. Et notemus antiquissimam Victorini nostri auctoritatem pro divina Baruchi prophetia.
(4) I. Petr. II, 22.

(1) Codd. *per quam.*
(2) Codd. *admitteret.*
(3) Codd. *ad.*
(4) Id est *cibum non cæpisset.*
(5) Mallem *qui quidem.*

Digitized by Google

dit ad illam : Omnis qui ex aqua ista biberit, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dedero illi, non sitiet in æternum ; sed erit fons aquæ salientis in vitam æternam. Ergo non sitierat accipere, sed dare, qui divinam (1) promittendo dedit. Ita ut relicta hydria sua mulier, oblita sitis veteris, Samariæ cæteris Samaritanis adventum ipsius prædicaret. Hoc sitiebat Dominus docere mulierem, quam jam sciebat esse paratam : non aquam terrenam petens, sed ex petitione dans aquam vivam, quæ fontem fecit salientem in vitam æternam.

XXVI. Sitivit iterum in cruce Jesus, et exclamavit : *Sitio.* Sed causa sitis ejus hæc fuit. Crucifixerant eum, nec tamen sic erant satiati : adhuc habebant peccare : et cum in pœna positis etiam malis hominibus communis naturæ affectus misericordia debeatur ; huic, cujus in curandis infirmitatibus beneficia senserant, quemque sine crimine appetissent, contra naturalem misericordiæ motum etiam post crucem insultabant ; in tantum impleti spiritu furoris, ut sitientem potarent aceto. Et qui prompto animo passionem suscepit, nec hoc invitus accepit : et quantum illi audaciores ad inferenda supplicia, tantum ille ad suscipiendam injuriam mitis : quorum malitiæ opera aspiciens necdum esse completa, exclamavit : *Sitio.* Qui ad cumulationem injuriæ, acetum dederunt : non tamen ipse ut acetum ingereret, provocavit ; sed quod illi ei dederunt, sponte suscepit. Talis Domini sitis. Denique accepto exclamavit : *Consummatum est. Et continuo reddidit spiritum.* Dormivit etiam Jesus, non somno victus ut videretur, sed ut esset ordo virtutis faciendæ. Dormivit enim ut incitaretur mare, ut discipuli timentes postularent auxilium, ut impleretur prophetia David quæ in centesimo et sexto psalmo pronuntiabat dicens : *Annuntientur opera ejus in exultatione. Qui descendunt mare in navibus, qui faciunt questum in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo.*

(1) Vel intellige *aquam*, vel scribe *divina*.

Dixit et stetit spiritus potestatis, et exaltati sunt fluctus ejus. Quod autem is dispensationem omnem, ita gerendo, compleverit per mortem, ascensurusque esset ad cœlos, illico (1) subjunxit dicens : *Ascendit usque ad cœlos, et descendit usque ad abyssos.*

XXVII. Et hoc tamen licet a divino spiritu dictum credendum est ; tamen, ut cætera, etiam hoc physicis rationibus paucis comprobemus (2). Liberatos a morte passione dominica nos iterum ad immortalitatis statum perduxit ; ac nos prius cœlesti impares, nunc cœlestibus sociavit. Quibusdam tamen hoc videtur injustum ; non quia non potest Deus, sed quia justitiæ suæ non convenire videatur, cum protoplastum culpa adhuc vacuum et a crimine alienum, paradisi tantum dominum præstitisset, hoc donum Dei competens judicando ; nunc post peccatum offensionemque revocato, cum non esset parum ad id rediisse quod fuerat, et cœlestia regna concesserit. Quod tamen justissimum comprobatur. Si enim prius gratia sua, nullis devotionis officiis promerenti, paradisi sedem homini concesserat ; utique nunc contra impatientiam carnis ac desideria iniquitatis jam mota, contra mundi principem et potestates ejus repugnantem, sæculo calcato ; cœleste præmium oportuit repensare ; ut et is qui, imitando Deum, vitam divinam in terris habuit constitutus in corpore, cum eodem corpore jam immortali facto cœlos habitaret, jam terrenis sublatis. Deinde ad hujus muneris causam illud accedit, quod dignum est carnem hominis cœlis inferre, cujus habitator Deus esse dignatus est : nec potest videri hominem contra meritum factum esse incolam cœli, cujus vaginam non dedignatus sit spiritus ipse Deus : justumque fuit corpus, in quo Deus habitando, terram visitare dignatus est, per quod particeps nostri ad immortalitatem genus nostrum perduxit, etiam in cœlestibus collocare. Ubi namque Dei habitatio esse debet, nisi in regno Dei ? Ubi autem regnum ejus nisi in cœlis ?

(1) Codd. *loco*.
(2) Codd. *comprobamus*.

ANNO DOMINI CCCLVI-CCCLVII.

OSIUS

EPISCOPUS CORDUBENSIS.

PROLEGOMENA.

NOTITIA HISTORICA DE OSIO EPISCOPO CORDUBENSI.

(Ex Galland. Prolegomen., caput X.)

Osium, gente Hispanum, ecclesiam Cordubensem in provincia Bœtica per annos ferme septuaginta rexisse compertum habemus. Innumera prope sunt Osii elogia, quæ apud veteres exstant. Eusebius (1) : « Vir fuit, inquit, multo omnium sermone celebratus, » ὁ πάνυ βοώμενος. Neque aliter Theodoritus (2), cui dicitur « omnium longe clarissimus senex » πάντων

(1) *Euseb.* De Vit. Constant., l. III, c. 7.

(2) *Theodor.* Hist. eccles., l. II, c. 15.

Digitized by Google

μάλιστα περιφανὴς ὁ γέρων : adeoque (1) tum ob ætatis prærogativam, tum ob confessionem fidei, tum ob tot ac tantos exantlatos labores honore ac reverentia dignus. » In eamdem sententiam synodi Sardicensis patres (2) « maxime venerabilis senectæ Osium *prædicant*, qui et propter ætatem et confessionem et tanti temporis probatam fidem, tantum laborem id ætatis pro Ecclesiæ utilitate sustinuit, ut omni reverentia dignissimus habeatur. » Sed ut omnia complectamur, Athanasium audiamus (3) : « De magno ac felicis senectutis viro et confessore, re vera Osio, loqui supervacaneum fuerit.... Haud enim obscurus, sed omnium clarissimus ille senex est. Quæ synodus enim, cui non ille præfuerit ? Quandonam sapientibus dictis suis non in suam omnes perduxit sententiam ? Quænam Ecclesia illius patrocinii pulcherrima non servat monumenta? Quis illum mœstus adiit, quin lætus ab eo recesserit? Quis aliquo egens ab eo postulavit, optatumque non abiit consecutus? » Huc usque Athanasius, cujus præclara verba Theodoritus exscripsit (4).

Perro in iis Athanasianis illud maxime omnium observare placet per Baronium (5), magnum scilicet illum Osium ob singularem doctrinæ ac virtutum præstantiam, admirabilemque in rebus agendis dexteritatem atque prudentiam, inter complura concilia quibus præfuisse perhibetur, in Nicæno potissimum omnium celeberrimo primam sedem Silvestri papæ nomine occupasse, et collegarum quidem legatorum primarium, ut ex Gelasio erudimur (6) : « Ille, inquit, Osius ex Hispaniis, nominis et famæ celebritate insignis, Silvestri episcopi maximæ Romæ locum obtinens, ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου, una cum Romanis presbyteris Vito et Vicentio aliisque permultis in eo cœtu consedit. » Gelasio concinunt scriptores alii cum Græci tum Latini. Quid quod satis aperte id quoque adstruit Gelasio multo antiquior Eusebius (7) ? Neque enim aliter ejus verborum sententiam accepere Theodoritus (8), Socrates (9) ac Sozomenus (10). Ex quibus intelligas quid sentiendum de Cavei judicio (11), qui eo insignitum honore fuisse Osium tamquam Romani pontificis legatum, inane Baronii aliorumque somnium verniliter satis appellat. Viro scilicet κριτικωτάτῳ pseudodextri chronicon ejusque enarratorem Bivarium veterum auctoritati præferre libuit. Quo quidem pseudochronico haud impari dexteritate utitur quoque semel iterumque Basnagius (12). Sed revertamur ad Osium.

(1) *Theodor.* Hist. eccles., l. II, c. 8.
(2) Apud *Hilar.* Fragm. II, § 2.
(3) *Athan.* Apol. de fuga sua, § 5, opp. t. I, p. 322.
(4) *Theodor.* Hist. eccles., l. II c. 15.
(5) *Baron.* ad ann. 305, § 19 et 20.
(6) *Gelas. Cyzic.* Hist. conc. Nic., l. II, c. 5.
(7) *Euseb.* De Vit. Constant., l. III, c. 7.
(8) *Theodor.* Hist. eccl., l. I, c. 7.
(9) *Socrat.*, l. I, c. 8.
(10) *Sozom.*, l. I, c. 17.
(11) *Cav.* Hist. litt. ad ann. 316, tom. I, p. 485.
(12) *Basnag.* ad Prosp. chron., tom. I ; Thes. Canis., p. 292 seq

II. Talem itaque ac tantum virum, confessionis gloria in primis conspicuum, ad suam pertrahere sententiam omni studio apud Constantium adhibito conabantur Ariani (1). Quorum dolis fallaciisque interceptus imperator, venerandum illum ac nobilem senem centenario majorem accivit. Accedentem vero illum rogat Constantius lenibusque dictis hortatur, ut cum Arianis communicet Athanasiumque condemnet. Verum optimus ille senex qui rei hujuscemodi vel auditum ægre ferret, indignatus quod tale quippiam vel proferre ausus fuisset imperator, virum acriter compellat, verbisque suis perculsum de sententia deduxit. Atque ita demum rebus integris, in patriam et ad Ecclesiam suam revertitur.

Sed vix dum ille aberat, quum ecce tibi Ariani quærimonias repetunt, lamenta instaurant, nullisque non machinis levissimum Constantii animum indesinenter pulsant : qui propterea eorum postulatis acquiescens, litteras minarum plenas ad Osium mittit, ipsumque contumeliis exagitans interminatur pericula, deportationes, supplicia : mox vero iteratis litteris senis animum blande sollicitat. At ille neque impudentium malorum formidine, neque blandimentorum illecebris vel tantillum dimotus, perstat in sua firmus sententia. Quin et imperatori epistolam rescribit constantiæ plenissimam, tantoque episcopo vere dignam : significans præ cæteris se jam pridem sub Maximiano pro Christi nomine passum, paratum esse ad ærumnas quaslibet, ubi opus fuerit, pro veritate perferendas. Et hanc quidem epistolam quæ una superat, ex magno Athanasio proferimus, egregium plane Osii fidei monimentum (2).

III. At vero ad ipsum a firmo ejus proposito deturbandum semper intentus Constantius, senem anno integro patria extorrem Sirmii detinuit (3). Non solum autem exilio, sed contumeliis etiam, verberibus, plagis eum adficere est ausus (4), neque Deum timens, neque viri sive canitiem sive dignitatem reveritus impius homo. Quibus tandem calamitatibus oppressus, utpote senex et corpore imbecillus, *ad horam* cessit Arianis, εἶξεν αὐτοῖς πρὸς ὥραν (5); eoque adductus fuit, ut cum Ursacio et Valente communionis societatem iniret, nec tamen umquam in Athanasium calculum ferret. Sed suum lapsum minime neglexit senex : « instante quippe morte, Athanasio teste (6), vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim anathemate feriit, vetuitque ne quis illam reciperet. » Μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν, ὥσπερ διατιθέμενος ἐμαρτύρατο τὴν βίαν, καὶ τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀνεθεμάτιζε, καὶ παρήγγελλε μηδένα ταύτην ἀποδέχεσθαι. Neque aliter Augustinus; qui Osium in ecclesiæ catholicæ communione diem

(1) *Athan.* Hist. Arian., § 42 seq. opp. tom. I, p. 368, 369.
(2) Id. ibid. § 14, pag. 370, seq.
(3) Id. ibid. § 75. pag. 372.
(4) Id Apol. de fuga sua, § 5, pag 322.
(5) Id. ibid.
(6) Id. Hist. Arian. § 45, pag. 372.

Digitized by Google

clausisse supremum agnoscit, simulque ipsum a Donatistarum calumnia defendit (1).

Porro « Abrahamicus ille senex et pater episcoporum magnus Osius » ut eum vocat Athanasius (2), vita functus fuisse videtur ut citius, desinente anno CCCLVII. Siquidem *Historiam Arianorum ad monachos* ubi Osii obitus enarratur, anno insequente CCCLVIII, scripsisse Athanasium constat, ut perhibent viri eruditissimi Montfauconius (3) et Tillemontius (4). Cæterum ejus memoria in Menæis Græcorum recolitur sub die XXVII Augusti. Utinam vero in lucem emittat aliquando Fassonius V. C. quæ suis in adversariis condita servat, ad Osium nimirum Cordubensem antistitem, reclamantibus licet historicis omnibusque theologis, ab omni impietatis labe purgandum atque tuendum comparata, ut ex ipso erudimur (5).

OSII SENTENTIÆ

IN CONCILIO SARD. CENSI.

(Conc. t. II, col. 625.)

PROŒMIUM. — *Historia concilii Sardicensis.*

Postenquam Nicæni patres, quorum auctoritas fuerat orthodoxæ fidei clypeus, impiorum terror ac luctus, ecclesiarum nexus et quies, ad capienda certaminum suorum præmia corporis vinculis evocati sunt plerique omnes; Ariana hæresis nefario quodam quasi postliminio reversa, colligere vires iterum, nec parum convalescere cœpit, auctoribus (*Socrat., lib.* I, *cap.* 18 *et seq., lib.* II, *cap.* 2 *et seq.*; *Theod., l.* I, *c.* 21, 26 *et seq., et lib.* II, *c.* 3; *Sozom., lib.* II, *c.* 20 *et seq.*) Eusebio Nicomediensi, Theognide Nicæno, Asterio Sophista, Macedonio Constantinopolitano, Ursacio Singidunensi in Mœsia, Valente Mursensi in Pannonia, aliisque id genus Arianis episcopis. Freti namque præsidiis tam (*Socrat., l.* II, *c.* 2 *et seq.*; *Athan. de synod.*; *Theod., l.* II, *c.* 3 *et seq.*; *Sozom., l.* III, *c.* 1) Constantii, qui post Constantini patris obitum toti præerat orienti; quam multorum adhuc præsidum, qui militum stipati copiis, omnibus erant formidini; Nicænæ synodi (*Socrat., l.* II, *c.* 7) fidem quam aperte convellere non audebant, occulte frequentioribus conciliis oppugnare conabantur, studebantque (*Athan., de Synod., et ep. ad solit. vit agen.*; *Socrat., Theod., ubi sup.*) catholicos pastores minis, vinculis, spoliatione bonorum, abdicationibus, exiliis perterrere: Athanasium imprimis Alexandrinum episcopum, adversus quem, ut fortissimum Ecclesiæ pugilem, et acerrimum divini Homousii propugnatorem, quot insidias struxerint, non modo solum, sed etiam superstite Constantino, longum est percensere. Concta (*Socrat. l.* I, *c.* 21; *Theod. l.* I, *c.* 30; *Sozom., lib.* II *c.* 24; *Athan., apolog.* 2) ad Tyrum synodo, Arsenii manum ab Athanasio amputatam ad usum magicæ artis criminantur: qua fraude (*Socrat. l.* I, *c.* 23, *Theod., l.* I, *c.* 31) alii-que rejectis ab imperatore per impudentissimam extorquent calumniam, ut Athanasium, quod Alexandrinum frumentum Constantinopolim convehi prohiberet, Treveris in Gallia jubeat exulare: deinde (*Socrat., l.* II, *c.* 2; *Sozom., l.* III, *c.* 2) Constantini judicioris litteris Alexandriæ restitutum, in Antiocheno rursus nonaginta episcoporum (*Socrat., l.* II, *c.* 5; *Sozom., l.* III, *c.* 5, *Athan., de Synodis*) conventu, variis confictis criminibus, eo cum primis, quod sine communi episcoporum concilio reversus ab exilio Alexandriam invasisset ecclesiam, per summam injuriam abdicant episcopatu. Athanasius (*Athan., apol. ad Constant., et apol.* 2; *et ad solit. vit. agen.*; *Socrat., l.* II, *c.* 11; *Sozom. l.* II, *c.* 7), et cum eo Paulus, qui e Constantinopolitana sede fuerat pulsus, Marcellus Ancyranus tunc catholicus (*Athan., ep. ad solit. vit. agen., et epist. concil. Sard., apud eumdem apol.* 2) habitus, Asclepas Gazæus, Lucius Hadrianopolitanus, cæterique episcopi, quos orthodoxæ fidei causa suis ejecerant sedibus Ariani, ad Romanam Ecclesiam, ut ecclesiarum omnium matrem, rectæque fidei petram, cui tunc Julius pontifex præerat, confugere. Quos ut terrerent (*Athan., apol.* 2; *Theod., lib.* II, *c.* 4) Ariani, datis ad Julium litteris ex Antiocheno conciliabulo, obsequium ac pietatem simulant; delatoque ad eum totius causæ judicio, rogant, ut synodum alteram, qua veritas accuratius explicetur, indicat. Indixit (*Athan., apol.* 2, *et ep. ad solit. vit. agen.*; *Theod., l.* II, *c.* 4) Julius, eosque, missis in orientem Elpidio et Philoxeno presbyteris, Romæ ad certam diem adesse jussit. Verum ipsi eo decreto (*Athan. ubi sup.*) perculsi, quod viderent Athanasium et socios, ut Nicænæ fidei constantissimos defensores, in Romanam communionem cooptatos, remque in urbe non sicariorum manu, quibus confidebant, sed episcoporum sententiis decernendam esse; excusant primum bellorum tumultus, deinde (*Athan., apolog.* 2) præstituti temporis angustias: dumque moras ex mora, et causas ex causis nectunt, annus et sex integri menses effluxerunt. Quo toto tempore Julius, acceptis ab Ægypto variis (*Socrat., l.* II, *c.* 13; *Sozom., lib.* III, *c.* 9) litteris, gravissimisque episcoporum testimoniis de Athanasii innocentia, coacto (*Athan., apol.* 2, *et ep. ad solit. vit. agen.*) Romæ quinquaginta episcoporum concilio, et criminibus, quæ falso catholicis episcopis objecta fuerant, palam rejectis, tam Athanasium, quam socios, et ab omni noxa liberos, et dignos qui suas reciperent ecclesias, tota approbante synodo pronuntiavi. Graviter rem tulerunt (*Socr., lib.* II, *c.* 11; *Sozom., lib.* III, *c.* 7; *et Julius in ep. apud Athan., apol.* 2) Ariani, iterumque ad Antiocheni conventus latibula regressi, litteris contumeliarum plenis tam Athanasium, quam Julium ob usurpatam potestatem dissolvendi quod ab eorum synodo constitutum fuerat, lacerarunt. Quorum audacia cum in dies ad graviores spectaret tumultus, eo potissimum, quod duabus fidei (*Athan., de Synod.*; *Socr., l.* II, *cap.* 14 *et* 15; *Sozom., lib.* III,

(1) *August.* contr. epist. Parmen. l. I, *c.* 4, § 7.
(2) *Athanas.* Hist. Arian. §§ 45, 46, pag. 371 et 375.
(3) *Montf.* ad Athan. opp. tom. VII. pag. 340.
(4) *Tillem.* Mem. eccl. tom. I, pag 321.
(5) *Fasson.* Dissertat. de Græc. sacr. litter. edit. § 24, pag. 35.

Digitized by Google

c. 9 *et* 10) formulis adversus Nicænam evulgatis, omnia susque deque miscerent, Julius, ut afflictis rebus consuleret, negotium ad Constantem (*Sozom.*, *l.* III, *c.* 9; *Theod.*, *l.* II, *c.* 5) detulit. Qui cum Constantio fratri, qui orientem moderabatur (*Socrat.*, *l.* II, *cap.* 16), per litteras ut synodus cogeretur suasisset : pontificis auctoritate (nam de (*Athan.*, *apol.* 2, *et ep. ad solit. vit. agen.*) præstituti ad concilium temporis angustia nonnulli orientales episcopi eum criminabantur) imperatorumque (*Socrat.*, *lib.* II, *cap.* 16; *Sozom.*, *lib.* III, *c.* 11) consensu apud Sardicam Illyrici urbem synodus generalis indicitur, Rufino (*Athan.*, *apol.* 2; *Theod.*, *l.* II, *c.* 7; *Socrat.*, *ubi sup.*) et Eusebio Coss., anno post obitum Constantini undecimo. Eo convenere (*Athan.*, *apolog.* 2) episcopi circiter ducenti octoginta ex occidente, et ex oriente septuaginta sex. Osius (*Athan. ead. apol.* 2, *et epist. ad solit. vit. agen.*; *Socrat. et Theod*, *ubi sup.*), Archidamus et Philoxenus Julii nomine præerant. Adfuit (*Athan.*, *loco cit.*) et Athanasius cum sociis, ad crimina quorum postulati fuerant, diluenda. Verum orientales Ario pleni, cum intelligerent rem agendam esse sine (*Socrat.*, *lib.* II, *c.* 16; *Athanas.*, *apol.* 2) Musoniano, Hesychio, et Castritio, quorum muniti lictoribus, episcoporum solebant obterere libertatem : diffisi causæ, et scelerum conscientia consternati, venturos (*Athan.*, *epist. ad solit. vit. agen.*, *et apol.* 2) se in synodi conspectum, nisi prius Athanasio et sociis de medio pulsis, palam negarunt. Quod cum Sardicenses patres de innocentibus ac sanctissimis viris, jamquo in Romanam communionem receptis, abnuerent constituere, Arianosque iterum atque iterum commonuissent, ut e palatio quo sese (*Athan.*, *ubi sup.*) abdiderant, prodirent in medium, flagitia quæ Athanasio intenderant, probaturi; alioquin ipsos reorum loco habendos esse : illi tam incorruptis judicum subselliis res suas credere non ausi, clam (*Socrat.*, *lib.* II, *cap.* 16; *Sozom.*, *lib.* III, *c.* 10) Philippopolim (*Athan.*, *ep. ad Antioch.*) Thraciæ defugere. Ubi (*Sozom.*, *lib.* III, *c.* 10) nova fidei formula, velut ad explendum quod Nicænæ deerat, edita, damnarunt Homousion; adversus Athanasium et socios sua decreta confirmarunt; Julio, Osio, cæterisque Athanasii fautoribus edixerunt anathema, et episcopale nomen (*S. Aug.*, *lib.* III *cont. Crescon.*, *c.* 54, *et epist.* 265) abrogarunt. Quæ omnia quo plus haberent auctoritatis ac ponderis, ad hæreticorum dolos conversi, tamquam acta gestaque in Sardicensi synodo, cujus abutuntur nomine, ad Donatum (*Epist. concil. Sardicen.*, *apud Athan.*, *apolog.* 2; *et idem Athan. in epist. ad solit. vit. agen.*; *Socrat. lib.* II, *c.* 16; *Sozom.*, *lib.* III, *c.* 11) tunc catholicæ Ecclesiæ infensissimum in Africa, ut ipsum suis adjungerent partibus, perscripsere; tametsi ea fraus haudquaquam fefellerit Africanos patres. Nam longo post tempore cum Donatistæ eo concilio, quod coactum fuerat ab Arianis, in suæ causæ patrocinium vellent abuti, continuo B. Augustinus ex iniquissima Julii et Athanasii condemnatione, quæ tamquam in eo concilio facta recitabatur, opus ex Ariana officina prodiisse deprehendit. Harum rerum (*Epist. concil. Sardicen.*, *apud Athan.*, *apol.* 2, *et idem Athan in ep. ad solit. vit. agen.*; *Socrat.*, *lib.* II, *cap.* 16; *Sozom.*, *lib.* III, *c.* 11) indignitate, et singulari hominum impudentia commoti Sardicenses patres, in eos ut causæ desertores, criminatores piorum omnium, et orthodoxæ fidei adversarios, justissimum anathema conclamant; Stephanum Antiochenum, Menophantem Ephesinum, Narcissum Neroniadis, Theodorum Heracleensem, Acacium Cæsariensem, Ursacium et Valentem ex episcopali gradu dimovent, Gregorium imprimis, qui in Alexandrinam sedem armatis militibus septus irruperat : Athanasium et socios honorificis judicum sententiis ac decretis ornatos, suarum iterum jubent ecclesiarum gubernacula capessere. Homousion, Nicænamque doctrinam, ut nullis egentem (*Athan.*, *ep. ad Antioch.*) assumentis, sed numeris omnibus absolutam, religiosissimis acclamationibus comprobant : tabellam vero, ac novam formulam, quam adversarii finxerant, et nomine synodi Sardicensis ediderant, ut adulterinam ac supposititiam abrogant, atque rescindunt : viginti denique canones (*Nicol.* I, *ep.* XI, *ad Photium*, *et Dionys. Exig.*, *in præfat. canonum*) græce et latine in communem Ecclesiæ utilitatem sanciunt : omniaque quo ordine gesta sunt, diligenter perscribunt, primum (*apud Crescon.*) Julio Romano pontifici, cæterisque (*apud Athanas.*, *apol.* 2) episcopis; ut iis quos Ariani injustissime vexaverant, solatio ac perfugio essent : deinde Alexandrinæ ecclesiæ, cujus tantopere interat, quæcumque ad Athanasii causam spectabant non ignorare : tum Constanti Augusto, qui (*Socrat.*, *lib.* II, *c.* 18) mox per litteras egit cum fratre Constantio, ut (quod et sancta synodus (*Athan.*, *epist. ad solit. vit. agen.*) missis ad eum Euphrata Agrippinæ, et Vincentio Capuæ episcopis, rogabat) Athanasio et sociis contra fas et jus omne depulsis suis reddi ecclesias imperaret. Atque hic fuit synodi Sardicensis exitus. Quoniam autem nihil novum, quod ad fidem pertineret, in hac synodo sancitum fuit, nec (*Athan.*, *epist. ad Antioch.*) novus fidei articulus explicatus, sed ea tantum novis suffragiis stabilita ac confirmata, quæ patres in Nicæna synodo tradiderant : propterea synodus Sardicensis, licet ex toto fere orbe collecta, semper tamquam pars appendixque Nicæni concilii fuit habita; cum omnia quæ de fide fuerunt definita, ad illius decreta servanda referantur. Itaque licet hæc synodus altera fuerit a Nicæna, tamen quia non novas suscepit fidei vel Ecclesiæ causas, sed Nicenæ tantum fidei tutelam ac patrocinium, et, ut est in concilio Chalcedonensi (*Act.* XVI), Arianorum reliquias oppugnavit : et quia ipsorum Sardicensium et Nicænorum patrum una fuit sententia, una mens, unus spiritus; idcirco Sardicense concilium Nicæni nomine a multis comprehenditur, quemadmodum urbs ac urbis propugnaculum, una res censeri solet ac nominari. Quamobrem (*epist. ad Vicr.*, *c.* 3) Innocentius et (*Carthag.*, VI, *c.* 3 *et seq.*) Zosimus Sardicenses canones appellant Nicænos, ut ex concilio sexto Carthaginensi apparet. Eamdem item ob cau-

Digitized by Google

sam S. Gregorius (*lib.* II, *epist.* 10), Isidorus (*lib.* VI *etymol.*, *c.* 16), Beda (*lib. de Temp.*, *cap.* 65), et alii patres, cum prima quatuor concilia enumerant, Sardicense, quamvis revera generale, silentio prætereunt, tanquam Nicæno inclusum. Quantam autem hæc synodus auctoritatem habeat, multis validisque rationibus probari potest. Primum enim esse generalem colligitur, tum ex magna episcoporum frequentia, qui ad eam convenerunt, ut apparet ex (*Apolog.* 2) Athanasio et aliis, qui patrum numerum protulerunt : tum quia Julii pontificis maximi auctoritate (*Socrat.*, *lib.* II, *c.* 16) convocata fuit, ejusque legati eidem præfuerunt. His accedit Constantis et Constantii imperatoris auctoritas, qui omnem dederunt operam, ut episcopi ex omnibus fere provinciis convenirent. Extat præterea Socratis, et (quod majus est) Justiniani imperatoris testimonium, qui in edicto de tribus capitulis hæc verba scribit : Quoniam ex his qui in Nicæna sancta synodo convenerunt, et expositæ ab ea fidei definitioni vel symbolo subscripserunt (1), quoniam postea contra ire sapientes apparuerunt ; alii quidem vivi, alii post mortem anathematizati sunt a Damaso sanctæ memoriæ papa antiquioris Romæ, vel ab universali Sardicensi synodo, prout testatur sanctus Athanasius. Hæc Justinianus. Cum autem ipsemet Julius (*apud Athan.*, *apol.* 2) in epistola ad Alexandrinos, suam de Athanasio restituendo sententiam a synodo approbatam esse gratuletur, perspicuum est ab eodem approbatam fuisse ; præsertim cum Osius et reliqui litteras ad ipsum dederint, eumdemque (*Sozom.*, *lib.* III. *cap.* 11 ; *Niceph.*, *lib.* IX, *c.* 12) rogaverint, ut concilii sententiam sua auctoritate confirmaret. Itaque si omnia diligenter perpendantur, exploratum erit, hanc synodum generalem esse, cum nihil ex his quæ ad concilium generale pertineant, in illa desiderari possit. Apostolica etiam sedes Sardicensi concilio semper honorem habuit : nam et in corpore canonum, quo imprimis olim in controversiis ecclesiasticis dijudicandis utebatur, Sardicenses canones collocavit : et Leo IV, in epistola ad episcopos Britanniæ, per hujus concilii canones Ecclesiæ disceptationes dissolvendas docuit. Gratus etiam Carthaginensis episcopus in Carthaginensi primo concilio idem confirmat, cujus verba hæc sunt : Memini in sanctissimo concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet : sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, et per consensum habeat. Quod in Sardicensi concilio, can. 15, decretum est. Et Nicolaus primus in epistola 4 Rhotadi causam hujus synodi auctoritate composuit : et epistola ad clerum Constantinopolitanum ab omni ecclesia Sardicense concilium receptum esse testatur.

OSII SENTENTIÆ

SIVE CANONES SANCTORUM ET BEATORUM PATRUM QUI SARDICÆ CONVENERUNT.

Gentiano Hervelo interprete.

Sancta synodus Sardicæ congregata ex diversis provinciis, definivit quæ sequuntur.

I. Osius, urbis (2) Cordubæ episcopus, dixit : Non tam mala consuetudo, quam perniciosissima rerum corruptela, est ex ipsis fundamentis penitus extirpanda : ne cui episcopo liceat a parva civitate in aliam migrare. Ejus enim causæ prætextus est manifestus, propter quem talia tentantur. Nullus enim episcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori civitate in minorem transire studuerit. Unde constat, eos ardenti plura habendi cupiditate succendi, et magis arrogantiæ servire, ut videantur majorem habere potestatem. Placetne hoc omnibus, ut ejusmodi improbitas acerbius vindicetur? Existimo enim eos ne laicorum quidem debere habere communionem. Omnes episcopi dixerunt : Placet omnibus.

II. Osius episcopus dixit : Si quis autem adeo insanus, vel audax inveniatur, ut de iis videatur aliquam afferre excusationem, asserens sibi a populo allata esse litteras ; clarum est potuisse paucos aliquos mercede et pretio corruptos in Ecclesia seditionem movere, ut eumdem utique postulent habere episcopum. Omnino ergo has fraudes et artes puniendas esse existimo ; ut nemo possit qui est ejusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi. An ergo hæc

Ἡ ἁγία σύνοδος ἡ ἐν Σαρδικῇ συγχροτηθεῖσα ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν, ὥρισε τὰ ὑποτεταγμένα.

α'. Ὅσιος ἐπίσκοπος πόλεως Κορδούβης εἶπεν· Οὐ τοσοῦτον ἡ φαύλη συνήθεια, ὅσον ἡ βλαβερωτάτη τῶν πραγμάτων διαφθορὰ ἐξ αὐτῶν τῶν θεμελίων ἐστὶν ἐκριζωτέα ἵνα μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξῇ ἀπὸ πόλεως μικρᾶς εἰς ἑτέραν πόλιν μεθίστασθαι. Ἡ γὰρ τῆς αἰτίας ταύτης πρόφασις φανερά ἐστι, δι' ἣν τὰ τοιαῦτα ἐπιχειρεῖται. οὐδεὶς γὰρ πώποτε εὑρεθῆναι ἐπισκόπων δεδύνηται, ὃς ἀπὸ μείζονος πόλεως εἰς ἐλαχιστοτέραν πόλιν ἐσπούδασε μετασταῆναι ὅθεν συνίστησι διακύρῳ πλεονεξίας τρόπῳ ὑπεικαίεσθαι τοὺς τοιούτους, καὶ μᾶλλον τῇ ἀλαζονείᾳ δουλεύειν, ὅπως ἐξουσίαν δοκοῖεν μείζονα κεκτῆσθαι. εἰ πᾶσι τοίνυν τοῦτο ἀρέσκει, ὥστε τὴν τοιαύτην σκαιότητα αὐστηρότερον ἐκδικηθῆναι; ἡγοῦμαι γὰρ μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν τοὺς τοιούτους χρῆναι κοινωνίαν. πάντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· Ἀρέσκει πᾶσιν.

β'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Εἰ δέ τις τοιοῦτος εὑρίσκοιτο μανιώδης ἢ τολμηρός, ὡς περὶ τῶν τοιούτων δόξαι τινὰ φέρειν παραίτησιν, διαβεβαιούμενον ἀπὸ τοῦ πλήθους ἐκυτὸν κεκομίσθαι γράμματα· δῆλόν ἐστιν, ὀλίγους τινὰς δεδυνῆσθαι μισθῷ καὶ τιμήματι διαφθαρέντας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ στασιάζειν, ὡς ὄχθον ἐξιοῦντας τὸν αὐτὸν ἔχειν ἐπίσκοπον. καθάπαξ οὖν τὰς ῥᾳδιουργίας τὰς τοιαύτας καὶ τέχνας κολαστέας εἶναι νομίζω, ὥστε μηδένα τοιοῦτον μηδὲ ἐν τῇ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι κοινωνίας. εἰ

(1) for. *quidam contraria sapiant.*

(2) Canones illos non secus atque Africanos latine fuisse primum editos docet Dionysius Exiguus in præfatione ad Stephanum, ep. Salonitanum.

Digitized by Google

τοίνυν ἀρέσκει ἡ γνώμη αὕτη, ἀποκρίνασθε. ἀπεκρίναντο· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν.

γ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο προστεθῆναι ἀναγκαῖον, ἵνα μηδεὶς ἐπισκόπων ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ ἐπαρχίας εἰς ἑτέραν ἐπαρχίαν, ἐν ᾗ τυγχάνουσιν ὄντες ἐπίσκοποι, διαβαίνῃ, εἰ μὴ τοι παρὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἑαυτοῦ κληθείη, διὰ τὸ μὴ δοκεῖν ἡμᾶς τὰς τῆς ἀγάπης ἀποκλείειν πύλας. Καὶ τοῦτο δὲ ὡσαύτως προνοητέον. ὥστε ἐὰν ἔν τινι ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων τις ἄντικρυς ἀδελφοῦ ἑαυτοῦ καὶ συνεπισκόπου πρᾶγμα σχοίη, μηδέτερον ἐκ τούτων ἀπὸ ἑτέρας ἐπαρχίας ἐπισκόπους ἐπιγνώμονας ἐπικαλεῖσθαι. εἰ δὲ ἄρα τις ἐπισκόπων ἔν τινι πράγματι δόξῃ κατακρίνεσθαι, καὶ ὑπολαμβάνει ἑαυτὸν μὴ σαθρὸν, ἀλλὰ καλὸν ἔχειν τὸ πρᾶγμα, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ· εἰ δοκεῖ ὑμῖν τῇ ἀγάπῃ, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, καὶ γραφῆναι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, εἰ δέοι, ἀνανεωθῆναι τὸ δικαστήριον, καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παράσχοι. εἰ δὲ μὴ συστῆναι δύναται τοιοῦτον αὐτοῦ εἶναι τὸ πρᾶγμα, ὡς παλινδικίας χρῄζειν, τὰ ἅπαξ κεκριμένα μὴ ἀναλύεσθαι, τὰ δὲ ὄντα, βέβαια τυγχάνειν.

δ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἤρεσεν, ἴν' εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς, τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσι, καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δίκαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς συνεπισκόποις καταξιώσῃ, τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσι, καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν. ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσιν. Εἰ δέ τις ἀξιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τὸ πρᾶγμα ἀκουσθῆναι, καὶ τῇ δεήσει. τῇ ἑαυτοῦ τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον δόξειεν, ἀπὸ (al. κινεῖν δόξῃ. ἴν' ἀπὸ) τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστέλλοι εἶναι ἐν (al. ἵνα ἐν), τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου. ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ, (al. ἴσως, κἂν) δεῖν ἀποστελλῆναι τοὺς μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τῆς αὐθεντίαν τούτου παρ' οὗ ἀπεστάλησαν· καὶ τοῦτο θετέον. Εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσῃ πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν, καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου, ποιήσει ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. Ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τὰ λεχθέντα ἤρεσεν.

ε'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἐὰν συμβῇ ἐν μιᾷ ἐπαρχίᾳ, ἐν ᾗ πλεῖστοι ἐπίσκοποι τυγχάνουσιν. ἵνα ἐπίσκοπον ἀπομεῖναι, κἀκεῖνος κατά τινα ἀμέλειαν μὴ βουληθῇ συνελθεῖν καὶ συναινέσαι τῇ καταστάσει τῶν ἐπισκόπων, τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίγνεσθαι τὴν κατάστασιν τοῦ παρ' αὐτῶν ἐπιζητουμένου ἐπισκόπου· χρὴ πρότερον ἐκεῖνον τὸν ἀναπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι διὰ γραμμάτων τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας, λέγω δὴ τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως, ὅτι ἀξιοῖ τὰ πλήθη ποιμένα αὐτοῖς δοθῆναι· ἡγοῦμαι καλῶς ἔχειν καὶ τοῦτον ἐκδέχεσθαι, ἵνα παραγένηται. εἰ δὲ μὴ διὰ γραμμάτων ἀξιωθεὶς παραγένηται, μή τε μὴν ἀντιγράφοι, τὸ ἱκανὸν τῇ βουλήσει τοῦ πλήθους χρὴ γενέσθαι. χρὴ δὲ καὶ μετακαλεῖσθαι καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς πλησιοχώρου ἐπαρχίας ἐπισκόπους πρὸς τὴν κατάστασιν τοῦ τῆς μητρο-

placeat sententia, respondete. Responderunt : Placent quæ dicta sunt.

III. Osius episcopus dixit : hoc quoque necessario est adjiciendum, ut nullus episcoporum ex sua provincia in aliam provinciam, in qua sunt episcopi, transeat; ni i utique a suis fratribus vocetur; ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam similiter pro videndum est, ut si in aliqua provincia episcoporum quispiam adversus fratrem suum et coepiscopum negotium habeat, neuter (*al.*, ne unus e duobus) eorum ex alia provincia episcopos cognitores evocet. Si quis autem episcoporum in aliquo negotio condemnandus visus fuerit, et existimet se non malam, sed bonam causam habere, ut etiam rursus judicium renovetur. si vestræ dilectioni videtur, Petri apostoli memoriam honoremus. ut ab iis qui judicaverunt, scribatur Julio Romanorum episcopo; et per propinquos provinciæ episcopos, si opus sit, judicium renovetur; et cognitores ipse præbeat. Si autem probari non potest, causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit; quæ semel sunt judicata, non infirmentur, sed rata sit lata sententia.

IV. Osius episcopus dixit : Placuit, ut si quis episcopus delatus fuerit, et congregati ejusdem regionis episcopi eum gradu moverint; et veluti appellans confugerit ad beatissimum Romanæ ecclesiæ episcopum, et velit ipsum audire, et justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari; coepiscopis scribere dignetur, qui sunt propinqui provinciæ, ut ipsi diligenter et accurate singula prescrutentur, et ex veritatis fide de re sententiam ferant. Si quis autem postulet suum negotium rursus audiri, et ad suam supplicationem Romanorum episcopum judicare (*al.* movere) visum fuerit, ut a proprio latere presbyteros mittat; et sit in potestate ipsius quodcumque recte habere probaverit, et si decreverit oportere eos mitti, qui cum episcopis sint judicaturi, habentes auctoritatem ejus, a quo missi sunt; et hoc ponendum est. Si autem sufficere putaverit ad rei cognitionem, et episcopi sententiam, faciet quod prudentissimo ejus consilio recte habere videbitur. Responderunt episcopi : Quæ dicta sunt placuerunt.

V. Osius episcopus dixit : Si contigerit in una provincia, in qua sunt plurimi episcopi, unum episcopum conventui non interesse, et ille per quamdam negligentiam nolit convenire, et episcoporum institutioni et electioni assentiri, congregata autem populi multitudo instet, ut fiat institutio episcopi, qui ab eis postulatur. Oportet illum, prius, qui non adfuerit episcopum admoneri per litteras Primatis provinciæ, nempe episcopi metropolitani, quod rogat populus sibi pastorem dari : et existimo recte habere hunc quoque expectari, ut adsit. Si autem litteris rogatus non adfuerit, ac ne rescripserit quidem, populi voluntati satisfiat. Oportet autem ex vicina quoque provincia accersi episcopos ad metropolitani episcopi institutionem. Non licere autem simpliciter episcopum con-

Digitized by Google

stituere in aliquo pago vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit; non necesse est enim illic episcopum constitui, ne episcopi nomen et auctoritas vilipendatur. Sed provinciæ (ut prius dixi) episcopi debent in iis urbibus episcopos constituere, ubi etiam prius episcopi fuerunt. Si autem inveniatur urbs aliqua, quæ adeo populosa evadat, ut ipsa episcopatu digna judicetur, accipiat. An hoc omnibus placet? Responderunt omnes: Placet.

A πόλεως ἐπισκόπου· μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾷν ἐπίσκοπον ἐν κώμῃ τινὶ ἢ βραχείᾳ πόλει, ᾗτινι καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. οὐκ ἀναγκαῖον γὰρ ἐπισκόπους ἐκεῖσε καθίστασθαι, ἵνα μὴ κατευτελίζηται τὸ τοῦ ἐπισκόπου ὄνομα καὶ ἡ αὐθεντία. ἀλλ' οἱ τῆς ἐπαρχίας, ὡς προεῖπον, ἐπίσκοποι ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι καθιστᾷν ἐπισκόπους ὀφείλουσιν, ἔνθα καὶ πρότερον ἐτύγχανον γεγονότες ἐπίσκοποι. εἰ δὲ εὑρίσκοιτο οὕτως πληθύνουσά τις ἐν πολλῷ ἀριθμῷ λαοῦ πόλις, ὡς ἀξίαν αὐτὴν καὶ ἐπισκοπῆς νομίζεσθαι, λαμβανέτω. εἰ πᾶσιν ἀρέσκει τοῦτο; ἀπεκρίναντο πάντες, Ἀρέσκει.

VI. Osius episcopus dixit: Importunitas nostra, et multa assiduitas, et injustæ preces effecerunt, ut nos non habeamus tantam gratiam et libertatem dicendi, quantam debebamus habere. Multi enim episcopi non intermittunt ad castra accedere, et maxime B Afri; qui, quemadmodum cognovimus a dilecto fratre nostro et coepiscopo Grato, salutaria consilia non admittunt, sed ita contemnunt, ut unus homo in castra plurimas et diversas, et quæ non possunt juvare ecclesias, preces afferat, et non (ut debet fieri et convenit) pauperibus et laicis, vel viduis opem et auxilium ferat, sed sæculares dignitates et functiones aliquibus acquirat. Hæc ergo perversitas detrimentum non sine offendiculo et condemnatione nobis conciliat. Convenientius autem esse existimavi, ut episcopus illi suum auxilium præbeat, cui ab aliquo vis affertur; vel si quæ vidua injuria afficiatur, vel si quis pupillus privetur iis, quæ ad ipsum pertinent; si quidem hæc nomina justam habeant causam et supplicationem. Si itaque, dilecti fratres, hoc C omnibus videtur, statuite nullum oportere episcopum ad castra accedere, præter eos quos pius imperator noster suis litteris accersit. Sed quia sæpe contingit aliquos qui egent misericordia, ad Ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione damnati, vel quavis alia sententia addicti sunt; iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione et dubitatione iis veniam esse petendam. Si itaque hoc quoque placet, omnes una vestrum suffragium ferte. Responderunt omnes: Decernatur et hoc.

ς'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἡ ἀκαιρία ἡμῶν, καὶ ἡ πολλὴ συνέχεια, καὶ αἱ ἄδικοι ἀξιώσεις πεποιήκασιν ἡμᾶς μὴ τοσαύτην ἔχειν χάριν καὶ παῤῥησίαν, ὅσην ὀφείλομεν κεκτῆσθαι. πολλοὶ γὰρ τῶν ἐπισκόπων οὐ διαλείπουσιν εἰς τὸ στρατόπεδον παραγενόμενοι, καὶ μάλιστα οἱ Ἄφροι· οἵ τινες, καθὼς ἔγνωμεν παρὰ τοῦ ἀγαπητοῦ ἀδελφοῦ ἡμῶν καὶ συνεπισκόπου Γράτου, τὰς σωτηριώδεις συμβουλὰς οὐ παραδέχονται, ἀλλὰ καταφρονοῦσιν οὕτως, ὡς ἕνα ἄνθρωπον εἰς τὸ στρατόπεδον πλείστας καὶ διαφόρους καὶ μὴ δυναμένας ὠφελῆσαι τὰς ἐκκλησίας, δεήσεις διακομίζειν, καὶ μὴ ὡς ὀφείλει γίνεσθαι, καὶ ὡς προσῆκόν ἐστι, τοῖς πένησι καὶ τοῖς λαϊκοῖς, ἢ ταῖς χήραις συναίρεσθαι καὶ ἐπικουρεῖν, ἀλλὰ κοσμικὰ ἀξιώματα καὶ πράξεις περιποιεῖν τισιν. αὕτη τοίνυν ἡ σκαιότης τὸν θρασυμὸν οὐκ ἄνευ σκανδάλου τινὸς ἡμῖν καὶ καταγνώσεως προξενεῖ. πρεπωδέστερον δὲ εἶναι ἐνόμισα ἐπίσκοπον τῆς ἑαυτοῦ βοήθειαν παρέχειν ἐκείνῳ, ὅστις ἂν ὑπό τενος βιάζηται, ἢ εἴ τις τῶν χηρῶν ἀδικοῖτο, ἢ αὖ πάλιν ὀρφανός τις ἀποστεροῖτο τῶν αὐτῷ προσηκόντων, εἴπερ ἄρα καὶ ταῦτα τὰ ὀνόματα δικαίαν ἔχει τὴν αἰτίωσιν. εἰ τοίνυν, ἀγαπητοὶ ἀδελφοί, πᾶσι τοῦτο δοκεῖ, ἐπικρίνατε μηδένα ἐπίσκοπον χρῆναι εἰς τὸ στρατόπεδον παραγίνεσθαι, παρεκτὸς τούτων, οὓς ἂν ὁ εὐλαβέστατος βασιλεὺς ἡμῶν τοῖς ἑαυτοῦ γράμμασι μετακαλοῖτο. ἀλλ' ἐπειδὴ πολλάκις συμβαίνει τινὰς οἴκτου δεομένους καταφυγεῖν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν. διὰ τὰ ἑαυτῶν ἁμαρτήματα εἰς περιορισμὸν ἢ νῆσον καταδικασθέντας, ἢ αὖ πάλιν οἱαδηποτοῦν ἀποφάσει ἐκδεδομένους· τοῖς τοιούτοις μὴ ἀρνητέαν εἶναι τὴν βοήθειαν, ἀλλὰ χωρὶς μελλησμοῦ καὶ ἄνευ τοῦ διστάσαι τοῖς τοιούτοις αἰτεῖσθαι συγχώρησιν, εἰ τοίνυν καὶ τοῦτο ἀρέσκει, σύμψηφοι γίνεσθε ἅπαντες. ἀπεκρίναντο ἅπαντες· ὁριζέσθω καὶ τοῦτο.

VII. Osius episcopus dixit: Hoc quoque vestra solertia judicet, ut quia visum est, ne aliquis episcopus in condemnationem incidat ad castra veniens, D si qui eorum ejusmodi, quarum superius meminimus, habeant preces, per proprium diaconum mittant. Ministri enim persona non est invidiosa, et quæ concessa fuerint, citius perferri poterunt. Responderunt omnes: Sanciatur et hoc.

ζ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο ἡ ἀγχίνοια ὑμῶν κρινάτω. ἵν' ἐπειδὴ ἔδοξε. διὰ τὸ μὴ πίπτειν ὑπὸ κατάγνωσίν τινα τῶν ἐπισκόπων ἀφικνούμενον εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴ τινες αὐτῶν τοιαύτας ἔχοιεν δεήσεις οἵων ἐπάνω ἐπεμνήσθημεν. διὰ ἰδίου διακόνου ἀποστέλλοιεν. τοῦ τε γὰρ ὑπηρέτου τὸ πρόσωπον οὐκ ἐπίφθονον τυγχάνει, καὶ τὰ παρασχεθησόμενα θᾶττον διακομισθῆναι δυνήσεται. ἀπεκρίναντο πάντες· Καὶ τοῦτο ὁριζέσθω.

VIII. Osius episcopus dixit: Hoc quoque consequens esse existimo, ut si in quacumque provincia episcopi ad fratrem et coepiscopum suum mittant preces, is qui est in majori civitate, hoc est in metropoli, ipse ministrum suum et preces mittat, præbens ei commendatitias quoque litteras, scribens videlicet per consequentiam etiam ad fratres et coepiscopos nostros, qui scilicet illo tempore in locis vel civitatibus

η'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο ἀκόλουθον νομίζω εἶναι ἵνα ἐὰν ἐν οἱαδηποτοῦν ἐπαρχίᾳ ἐπίσκοποι πρὸς ἀδελφὸν καὶ συνεπίσκοπον ἑαυτῶν ἀποστέλλοιεν δεήσεις, ὁ ἐν τῇ μείζονι τυγχάνων πόλει. τοῦτ' ἔστι τῇ μητροπόλει, αὐτὸς καὶ τὸν διάκονον αὐτοῦ καὶ τὰς δεήσεις ἀποστέλλοι, παρέχων αὐτῷ καὶ συστατικὰς ἐπιστολάς, γράφων δηλονότι κατὰ ἀκολουθίαν καὶ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ συνεπισκόπους ἡμῶν, εἴ τινες ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐν

Digitized by Google

τόποις ἢ ἐν ταῖς πόλεσι διάγοιεν, ἐν αἷς ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς τὰ δημόσια πράγματα διακυβερνᾷ. εἰ δέ ἔχοι τις τῶν ἐπισκόπων φίλους ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ παλατίου, καὶ βούλοιτο περί τινος, ὅπερ πρεπωδέστερον εἴη, ἀξιῶσαι, μὴ κωλύοιτο διὰ τοῦ ἑαυτοῦ διακόνου καὶ ἀξιῶσαι καὶ ἐντείλασθαι τούτοις, ὥστε τὴν αὐτῶν βοήθειαν ἀξιοῦντι αὐτῷ παρέχειν οἱ δὲ εἰς Ῥώμην πορευόμενοι, καθὼς προείρηκα, τῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ ἡμῶν καὶ συνεπισκόπῳ Ἰουλίῳ τὰς δεήσεις, ἃς ἔχουσιν διδόναι, ὀφείλουσι παρέχειν, ἵνα πρότερος αὐτὸς δοκιμάζῃ, εἰ μή τινες ἐξ αὐτῶν ἀναισχυντοῖεν· καὶ οὕτως τὴν ἑαυτοῦ προστασίαν καὶ φροντίδα παρέχων, εἰς τὸ στρατόπεδον αὐτοὺς ἀποστέλλοι. ἅπαντες οἱ ἐπίσκοποι ἀπεκρίναντο, ἀρέσκειν αὐτοῖς, καὶ πρεπωδεστάτην εἶναι τὴν συμβουλὴν ταύτην.

θ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· καὶ τοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω, ἵνα μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐπιμελείας ἐξετάζοιτο, ὥστε ἐάν τις πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι, μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκ τελείᾳ· ἵνα καθ' ἕκαστον βαθμὸν, ἐάν περ ἄξιος νομισθείη, εἰς τὴν ἀψῖδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη. ἔξει δὲ ἑκάστου τάγματος ὁ βαθμὸς οὐκ ἐλαχίστου δηλονότι χρόνου μῆκος, δι' οὗ ἡ πίστις αὐτοῦ, καὶ ἡ τῶν τρόπων καλοκἀγαθία, καὶ ἡ στερρότης, καὶ ἡ ἐπιείκεια γνώριμος γενέσθαι συνήσεται· καὶ αὐτὸς ἄξιος τῆς θείας ἱερωσύνης, νομισθεὶς τῆς μεγίστης (al. ἀπολαύσει) ἀπολαῦσαι τιμῆς. οὔτε γὰρ προσῆκόν ἐστιν, οὔτε ἡ ἐπιστήμη, οὔτε ἡ ἀγαθὴ ἀναστροφὴ ἐπιδέχεται, τολμηρῶς καὶ κούφως ἐπὶ τοῦτο ἰέναι, ὥστε ἢ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον προχείρως καθίστασθαι. οὔτε γὰρ ἂν εἰκότως νεόφυτος νομισθείη, ἐπειδὴ μάλιστα καὶ ὁ μακαριώτατος ἀπόστολος, ὃς καὶ τῶν ἐθνῶν γεγένηται διδάσκαλος, φαίνεται κωλύσας ταχείας γίνεσθαι τὰς καταστάσεις. τοῦ γὰρ μηκίστου χρόνου ἡ δοκιμασία τὴν ἀναστροφὴν καὶ τὴν ἑκάστου τρόπου οὐκ ἀπεικότως ἐκτυποῦν δυνήσεται. ἅπαντες εἶπον ἀρέσκειν αὐτοῖς, καὶ κατάπαξ μὴ δεῖν ἀνατρέπειν ταῦτα.

ι'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο δὲ ὁρίσαι ὀφείλομεν, ἵνα ἐπίσκοπος, ὅταν ἐξ ἑτέρας πόλεως παραγένηται εἰς ἑτέραν πόλιν, ἢ ἀπὸ ἑτέρας ἐπαρχίας εἰς ἑτέραν ἐπαρχίαν, κόμπου χάριν ἐγκωμίοις οἰκείοις ὑπηρετούμενος, ἢ θρησκείας καθοσιώσει, καὶ πλείονα χρόνον βούλοιτο διάγειν, καὶ μὴ ὁ τῆς πόλεως ἐκείνης ἐπίσκοπος ἔμπειρος ᾖ διδασκαλίας· μὴ καταφρονῇ ἐκείνου, συνεχέστερον ὁμιλῇ, καταισχύνειν καὶ κατευτελίζειν τὸ πρόσωπον τοῦ αὐτόθι ἐπισκόπου σπουδάζων· αὕτη γὰρ ἡ πρόφασις εἰώθει παράχους ποιεῖν· καὶ ἐκ τῆς τοιαύτης πανουργίας τὴν ἀλλοτρίαν καθέδραν ἑαυτῷ προμνηστεύεσθαι καὶ παρασπᾶσθαι σπουδάζῃ, μὴ διστάζων τὴν αὐτῷ παραδοθεῖσαν ἐκκλησίαν καταλιμπάνειν, καὶ εἰς ἑτέραν μεθίστασθαι. ὁριστέον τοίνυν ἐπὶ τούτῳ χρόνον· ἐπειδὴ καὶ τὸ μὴ ὑποδέχεσθαι ἐπίσκοπον. τῶν ἀπανθρώπων καὶ σκαιῶν εἶναι νενόμισται. μέμνησθε δὲ καὶ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τοὺς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι, ἵνα εἴ τις λαϊκὸς ἐν πόλει διάγων, τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδομάσι μὴ συνέρχοιτο, ἀποκωλοῖτο τῆς κοινωνίας· εἰ τοίνυν περὶ τῶν λαϊκῶν τοῦτο τεθέσπισται, οὐ χρὴ, οὐδὲ πρέπει, ἀλλ' οὐδὲ συμφέρει, ἐπίσκοπον, εἰ μηδεμίαν βαρυτέραν ἀνάγκην ἔχοι, ἢ πρᾶγμα δυσχερές, ἐπιπλεῖστον ἀπολείπεσθαι τῆς ἑαυτοῦ

agant, in quibus plissimus imperator rempublicam gubernat. Si quis autem episcopus habet amicos in aula palatii, et velit aliquid, quod sit honestum et justum, impetrare, ne prohibeatur per suum ministrum et rogare, et iis mandare, ut bonum suum auxilium ei velint præbere. Qui autem Romam accedunt (quemadmodum superius dictum est) dilecto fratri nostro et coepiscopo Julio preces, quas habent dandas, præbere debent, ut ipse prius examinet, si aliquæ earum non sint impudentes, et sic suam opem et curam præbens, eos ad castra mittat. Omnes episcopi dixerunt eis placere et esse convenientissimum hoc consilium.

IX. Osius episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura et diligentia examinetur, ut si quis ex foro sive dives, sive scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris et diaconi et presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod et fides et morum probitas, et constantia, et moderatio possit cognosci: et ipse divino sacerdotio dignus existimatus, maximum honorem assequatur. Neque enim convenit, neque scientia et bona conversatio hoc recipit, ut temere et leviter ad id accedatur, ut episcopus, vel presbyter, vel diaconus prompte ac facile constituatur (I *Tim.* III). Sic enim merito neophytus existimetur (I *Tim.* V), quandoquidem et beatissimus Apostolus, qui fuit etiam doctor gentium, prohibuisse plane videtur, ne celeres fiant ordinationes. Longissimi enim temporis probatio et conversationem, et uniuscujusque mores non improbabiliter exprimere poterit. Omnes dixerunt ipsis placere, et omnino non oportere ea subvertere.

X. Osius episcopus dixit: Hoc quoque definire debemus, ut quando episcopus ex alia civitate in aliam civitatem, vel ex alia provincia in aliam provinciam accesserit, jactationis gratia propriis laudibus serviens, aut religionis causa, et velit longiori tempore illic agere; illius autem civitatis episcopus doctrinæ non fuerit peritus: ne illum despiciat, et frequentius concionetur, studens dedecore afficere et vilipendere personam episcopi (hic enim prætextus solet turbas excitare) nec ejusmodi callidi-tate alienam sedem sibi conciliare et attrahere studeat, non dubitans sibi traditam ecclesiam relinquere, et in aliam transire. Ad hoc ergo tempus definiendum est. Nam episcopum non recipi, inhumanum et incivile existimatum est. Recordemini autem, patres nostros in tempore præterito judicavisse, ut si quis laicus in aliqua urbe agens, tribus diebus dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergo de laicis statutum est, non oportet, nec convenit, sed neque est utile episcopum, si nullam habet graviorem necessitatem, vel negotium difficilius, a sua ecclesia diutius

Digitized by Google

abesse, et sibi commissum populum contristare. Omnes episcopi dixerunt hanc quoque sententiam esse convenientissimam.

ἐκκλησίας, καὶ (al. λιπεῖν) λυπεῖν τὸν ἐμπιστευμένον αὐτῷ λαόν. ἅπαντες οἱ ἐπίσκοποι εἰρήκασι. καὶ ταύτην τὴν γνώμην σφόδρα εἶναι πρεπωδεστάτην ὁριζόμεθα.

XI. Osius episcopus dixit: Quia nihil est prætermittendum, hoc quoque definiatur. Quidam fratres et coepiscopi in civitatibus, in quibus episcopi constituuntur, videntur valde pauca, quæ sibi sint propria, possidere; in aliis autem locis magnas possessiones, ex quibus etiam possunt opem ferre pauperibus: iis igitur ita esse concedendum judico, ut si in suas possessiones venturi sunt, et fructus suos collecturi, tribus diebus dominicis, id est, tribus septimanis in suis possessionibus degant; et in ecclesia, quæ prope est, in qua presbyter populum congregat, ne congregationis expers esse videatur, conveniat, et officia divina obeat; et ne frequentius in civitate, in qua est episcopus, adsit. Eo enim modo et res ejus propter ipsius absentiam nihil detrimenti patientur, et arrogantiæ ac superbiæ crimen effugere videbitur. Omnes episcopi dixerunt: Placet hæc quoque constitutio.

ια'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἐπειδὴ οὐδέν ἐστι παραλειπτέον, καὶ τοῦτο ὁρισθήτω. Τινὲς τῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ἐν ταῖς πόλεσιν, ἐν αἷς ἐπίσκοποι καθίστανται, δοκοῦσι κεκτῆσθαι σφόδρα ὀλίγα ὑπάρχοντα ἴδια· ἐν ἑτέροις δὲ τόποις κτήσεις μεγάλας, ἐξ ὧν καὶ ἐπικουρεῖν δυνατοί εἰσι τοῖς πένησιν. οὕτως οὖν αὐτοῖς συγχωρητέον εἶναι κρίνω, ἵνα εἰ μέλλοιεν εἰς τὰς ἑαυτῶν παραγίνεσθαι κτήσεις, καὶ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν ποιεῖσθαι, τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας, τοῦτ' ἔστι, τρεῖς ἑβδομάδας ἐν τοῖς ἑαυτῶν κτήμασιν αὐτοὺς διάγειν, ἐν τῇ ἀγχιστευούσῃ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ πρεσβύτερος συνάγοι, ὑπὲρ τοῦ μὴ χωρὶς συνελεύσεως αὐτὸν δοκεῖν εἶναι, συνίρχεσθαι καὶ λειτουργεῖν, καὶ μὴ συνεχέστερον εἰς τὴν πόλιν, ἐν ᾗ ἐστιν ἐπίσκοπος, παραγίγνοιτο. τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον καὶ τὰ οἰκεῖα αὐτοῦ πράγματα παρὰ τὴν αὐτοῦ ἀπουσίαν οὐδεμίαν ὑπομενεῖ ζημίαν, καὶ τὸ ἀλαζονείας καὶ τοῦ τύφου ἐκκλίνειν ἔγκλημα. ἅπαντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· Ἀρέσκει καὶ αὕτη ἡ διατύπωσις.

XII. Osius episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut si diaconus, vel presbyter, vel etiam aliquis ex clericis sit excommunicatus, et ad alium episcopum, qui eum novit, confugerit, scientem eum a proprio episcopo esse communione motum, non oportere episcopo et fratri suo injuriam facientem, ei communionem præbere. Sin autem hoc facere ausus fuerit, sciat, cum convenerint episcopi, seipsum causam esse dicturum. Omnes episcopi dixerunt: Hoc judicium et pacem usque custodiet, et omnium concordiam tuebitur.

ιβ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο πᾶσιν ἀρισάτω, ἵνα εἴ τις διάκονος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ καί τις τῶν κληρικῶν ἀκοινώνητος γένηται, καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον τὸν εἰδότα αὐτὸν καταφύγοι, γινώσκοντα ἀποκεκινῆσθαι αὐτὸν τῆς κοινωνίας παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μὴ χρῆναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἀδελφῷ αὐτοῦ ὕβριν ποιοῦντα παρέχειν αὐτῷ κοινωνίαν. εἰ δὲ τολμήσοι τις τοῦτο ποιῆσαι, γινωσκέτω συνελθόντων ἐπισκόπων ἀπολογίᾳ ἑαυτὸν ὑπεύθυνον καθιστάναι. ἅπαντες οἱ ἐπίσκοποι εἶπον· Αὕτη ἡ κρίσις καὶ τὴν εἰρήνην πάντοτε διαφυλάξει, καὶ διατηρήσει τὴν πάντων ὁμόνοιαν.

XIII. Osius episcopus dixit: Quod autem me undequaque movet, reticere non debeo. Si inveniatur quis episcopus ad iram propensus (quod quidem ab ejusmodi homine abesse debet) et adversus presbyterum, vel diaconum cito commotus, cum ex ecclesia ejicere voluerit; providendum est, ne is repente condemnetur, et communione privetur Omnes episcopi dixerunt: Qui ejicitur, potestatem habeat confugiendi ad episcopum metropolis ejusdem provinciæ: si autem metropolitanus abest, ad finitimum concurrendi, et rogandi, ut suum negotium accurate examinetur. Neque enim non sunt aures præbendæ iis qui rogant. Ille quoque episcopus, qui jure vel injuria eum expulit, æquo animo ferre debet ut rei fiat examinatio, et vel ejus confirmetur sententia, vel corrigatur. Priusquam autem diligenter et ex fide singula examinata fuerint, qui communionem non habet, non debet ante rei cognitionem sibi communionem arrogare. Si autem clerici aliqui convenerint, et ejus superbiam et arrogantiam viderint; quia non convenit contumeliam vel injustam expostulationem pati, acerbioribus et gravioribus verbis eum debent corrigere; ut ei qui jubet quæ decent, inserviant et obediant. Sicut enim debet episcopus ministris sinceram dilectionem et affectum præbere; eo-

ιγ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Τὸ δὲ πάντοτέ με κινοῦν ἀποσιωπῆσαι οὐκ ὀφείλω. εἴ τις ἐπίσκοπος ὀξύχολος εὑρίσκοιτο· ὅπερ οὐκ ὀφείλει ἐν τοιούτῳ ἀνδρὶ πολιτεύεσθαι· καὶ ταχέως ἀντικρὺ πρεσβυτέρου ἢ διακόνου κινηθεὶς ἐκβαλεῖν ἐκκλησίας αὐτὸν (al. τινά) ἐθελήσοι. προνοητέον ἐστὶ μὴ ἀθρόον (al. ἄθῳον) τὸν τοιοῦτον κατακρίνεσθαι, καὶ τῆς κοινωνίας ἀποστερεῖσθαι. πάντες εἰρήκασιν· Ὁ ἐκβαλλόμενος ἐχέτω ἐξουσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν· εἰ δὲ ὁ τῆς μητροπόλεως ἄπιστεν, ἐπὶ τὸν πλησιόχωρον κατατρέχειν, καὶ ἀξιοῦν, ἵνα μετὰ ἀκριβείας αὐτοῦ ἐξετάζηται τὸ πρᾶγμα. οὐ χρὴ γὰρ μὴ ὑπείχειν τὰς ἀκοὰς τοῖς ἀξιοῦσι. κἀκεῖνος δὲ ὁ ἐπίσκοπος ὁ δικαίως ἢ ἀδίκως ἐκβαλὼν τὸν τοιοῦτον, γενναίως φέρειν ὀφείλει, ἵνα ἡ ἐξέτασις τοῦ πράγματος γένηται· καὶ ἡ κυρωθῇ αὐτοῦ ἡ ἀπόφασις, ἢ διορθώσεως τύχῃ· πρὶν δὲ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ πίστεως ἕκαστα ἐξετασθῇ, ὁ μὴ ἔχων τὴν κοινωνίαν, πρὸ τῆς διαγνώσεως τοῦ πράγματος, ἑαυτῷ οὐκ ὀφείλει ἐκδικεῖν τὴν κοινωνίαν. ἐὰν δὲ συνελθόντες τῶν κληρικῶν τινες, κατίδωσι τὴν ὑπεροχίαν καὶ τὴν ἀλαζονείαν αὐτοῦ· ἐπειδὴ οὐ προσῆκόν ἐστιν ὕβριν ἢ μέμψιν ἄδικον ὑπομένειν, πικροτέροις καὶ βαρυτέροις ῥήμασιν ἐπιστρέφειν τὸν τοιοῦτον ὀφείλουσιν, ἵνα τῷ τὰ πρέποντα κελεύοντι ὑπηρετῶνται καὶ ὑπακούωσιν. ὥσπερ γὰρ ὁ ἐπίσκοπος τοῖς ὑπηρέταις εἰλικρινῆ ὀφείλει τὴν ἀγάπην

Digitized by Google

καὶ τὴν διάθεσιν παρεχειν, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οἱ ὑποτεταγμένοι ἄδολα (al. ἀριδηλα) τοῖς ἐπισκόποις τὰ τῆς ὑπηρεσίας ἐκτελεῖν ὀφείλουσιν.

A dem modo et subjecti debent episcopis non fraudulentum ministerium et obsequium exhibere.

ιγ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Καὶ τοῦτο δὲ πάντες ὁρίσωμεν, ἵνα εἴ τις ἐπίσκοπος ἐξ ἑτέρας παροικίας βουληθῇ ἀλλότριον ὑπηρέτην, χωρὶς τῆς συγκαταθέσεως τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, εἴς τινα βαθμὸν καταστῆσαι, ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος ἡ κατάστασις ἡ τοιαύτη νομίζοιτο. εἴ τινες δ' ἂν τοῦτο ἑαυτοῖς ἐπιτρέψειαν, παρὰ τῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ἡμῶν καὶ ὑπομιμνήσκεσθαι καὶ διορθοῦσθαι ὀφείλουσιν. ἅπαντες εἰρήκασι· Καὶ οὗτος ὁ ὅρος στήτω (al. στηκέτω) ἀσάλευτος.

XIV. Osius episcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus, ut si quis episcopus ex alia parochia velit alienum ministrum sine consensu proprii episcopi in aliquo gradu constituere, irrita et infirma ejusmodi constitutio existimetur. Si qui autem hoc sibi ipsis permiserint, a fratribus et coepiscopis et admoneri et corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoque decretum stet firmum et immobile.

ιδ'. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· Τῆς ἐμῆς μετριότητος ἡ ἀπόφασίς ἐστι αὕτη· ἐπειδὴ ἥσυχοι καὶ ὑπομονητικοὶ ὀφείλομεν εἶναι, καὶ διαρκῆ τὸν πρὸς πάντας ἔχειν οἶκτον, ἅπαξ τοὺς εἰς κλῆρον ἐκκλησιαστικὸν προαχθέντας ὑπό τινων ἀδελφῶν ἡμῶν, ἐὰν μὴ βούλοιντο ἐπανέρχεσθαι εἰς ἃς κατωνομάσθησαν ἐκκλησίας, τοῦ λοιποῦ μὴ ὑποδέχεσθαι. Εὐτυχιανὸν δὲ μήτε ἐπισκόπου ἑαυτῷ διεκδικεῖν ὄνομα. ἀλλ' οὐδὲ Μουσαῖον ὡς ἐπίσκοπον νομίζεσθαι. εἰ δὲ λαϊκὴν κοινωνίαν ἀπαιτοῖεν, μὴ χρῆναι αὐτοῖς ἀρνεῖσθαι. πάντες εἶπον· Ἀρέσκει.

XV. Osius episcopus dixit: Meæ mediocritatis hæc est sententia: quia quieti et patientes esse debemus, et perennem in omnes habere misericordiam, eos qui semel in clerum ecclesiasticum ab aliquibus fratribus nostris promoti sunt, si nolint redire ad eas, ad quas nominati sunt, ecclesias, deinceps non admitti: Eutychianum autem ne episcopi quidem sibi nomen usurpare; sed neque Musæum ut episcopum existimari; si autem laicam communionem petiverint, non oportere eis denegari. Omnes dixerunt: Placet.

OSII CONCILIUM CORDUBENSE.

(*Conc. t.* II, *col.* 91.)

Διόπερ Κορδούβης ἐπίσκοπος ὁ πανόσιος σύνοδον θείαν καὶ ἱερὰν ἐπισκόπων ἐν τῇ οἰκείᾳ πόλει προσκαλεσάμενος, τὸ θεουργὸν ἐτράνωσε μάθημα· κατακρίνας οὓς ἡ Σαρδικὴ ἀπεκήρυξε σύνοδος· καὶ οὓς πάλιν ἐδικαίωσε προσδεξάμενος.

Quapropter Cordubæ episcopus sanctissimus Osius synodum divinam et sanctam episcoporum sua in civitate convocans, divinitus expositam illustravit doctrinam, condemnans eosdem quos Sardicensis abdicaverat synodus, et quos ea absolverat recipiens.

CORDUBENSIS EPISCOPI EPISTOLA AD CONSTANTIUM AUGUSTUM.

Apud Athanasium in hist. Arian. ad Monach. § XLIV, *Opp. tom.* I, *part.* I, *pag.* 370, *edit. BB. Paris.* 1698.)

(*Gall. t.* V, *p.* 81.)

Ὅσιος Κωνσταντίῳ βασιλεῖ ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Osius, Constantio imperatori in Domino, salutem.

Ἐγὼ μὲν ὡμολόγησα καὶ τὸ πρῶτον, ὅτε διωγμὸς γέγονεν ἐπὶ τῷ πάππῳ σου Μαξιμιανῷ· εἰ δὲ καὶ σύ με διώκεις, ἕτοιμος καὶ νῦν πᾶν ὁτιοῦν ὑπομένειν, ἢ ἐκκενοῦν ἀθῷον αἷμα, καὶ προδιδόναι τὴν ἀλήθειαν· σὲ δὲ οὐκ ἀποδέχομαι τοιαῦτα γράφοντα καὶ ἀπειλοῦντα, παῦσαι τοῦ τοιαῦτα γράφειν, καὶ μὴ φρόνει τὰ Ἀρείου, μηδὲ ἄκουε τῶν ἀνατολικῶν. μηδὲ πίστευε τοῖς περὶ Οὐρσάκιον καὶ Οὐάλεντα. ἃ γὰρ ἐκεῖνοι λέγουσιν, οὐ δι' Ἀθανάσιον φθέγγονται, ἀλλὰ διὰ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν πίστευέ μοι, Κωνστάντιε, πάππος εἰμί σου κατ' ἡλικίαν, ἐγενόμην αὐτὸς ἐν τῇ κατὰ (1) Σαρδικὴν συνόδῳ, ὅτε σύ τε καὶ ὁ μακαρίτης ἀδελφός σου Κώνστας, πάντας ἡμᾶς συνήγαγε. καὶ δι' ἐμαυτοῦ τοὺς ἐχθροὺς Ἀθανασίου προσεκαλεσάμην ἐλθόντας αὐτοὺς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ ὤκουν ἐγώ, ἵν' εἴ τι ἔχοιεν κατ' αὐτοῦ, λέγωσιν· ἐπαγγειλάμενος αὐτοῖς θαρρεῖν. καὶ μὴ ἄλλο τι προσδοκᾶν, ἢ ὀρθὸν τὸ κρίτηριον ἐπὶ πᾶσιν ἔσεσθαι. τοῦτο δὲ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον ἐποίησα, προτρέπων, εἰ μὴ θέλοιεν ἐπὶ πάσης τῆς συνόδου, κἂν ἐπ' ἐμοῦ μόνου· ἐπαγγειλάμενος πάλιν, ὅτι ἂν μὲν ὑπεύθυνος δειχθῇ, πάντως ἀποβληθήσεται καὶ παρ' ἡμῶν· ἂν δὲ ἀναίτιος εὑρεθῇ, καὶ ἐλέγξῃ συκοφάντας ὑμᾶς, εἰ παραιτεῖσθε τὸν ἄνθρωπον, ἐγὼ μετ' ἐμαυτοῦ πείθω τὸν Ἀθανάσιον ἐλθεῖν εἰς τὰς Σπανίας. καὶ

C Ego jam pridem confessus sum, cum sub avo tuo Maximiano persecutio grassaretur, quod si tu quoque me persequare, etiamnum ad quidvis potius tolerandum paratus sum, quam ut innoxium effundam sanguinem veritatemque prodam: teque eo modo scribentem ac interminantem minime approbo. Desine itaque talia scribere, ac cum Ario ne sentias, nec Orientales audias, neu Ursacio et Valenti habeas fidem. Nam quæ effutiunt illi, non Athanasii causa, sed hæresis suæ gratia loquuntur. Crede mihi, Constanti, qui per ætatem avus tuus esse possim: Sardicensi interfui synodo, quo tempore tuque ac beatæ vir memoriæ frater tuus Constans, nos omnes convocastis. Ipseque inimicos Athanasii provocavi, cum D in Ecclesiam ubi commorabar ego, advenissent; ut si quid in Athanasio culpandum haberent, id renuntiarent. Fidem dedi securitatemque promisi, ut nihil nisi rectum in omnibus judicium exspectarent. Id non semel tantum, sed et bis præstiti, hortatus, si nollent coram tota synodo, mihi saltem soli rem deferrent. Id quoque pollicitus sum: Si reus deprehendatur homo, a nobis plane abjicietur; sin innoxius, vosque sycophantas probarit, si nihilominus illum recusaveritis, Athanasio persuadebo, ut mecum in Hispa-

(1) Regius codex Σερδικήν.

Digitized by Google

nias proficiscatur. Iisque conditionibus citra repugnantiam obtemperabat Athanasius. Illi vero rebus omnino suis diffisi, æque id abnuerunt. Iteruinque ubi Athanasius ad tuum exercitum se contulit; cum tu illum litteris tuis accivisti, inimicos ille suos qui tum ibi, Antiochiæ videlicet, versabantur, vel omnes una vel singulos advocari rogavit, ut aut se convincerent, aut convincerentur ipsi; et se vel coram qualem esse dicebant comprobarent, vel absentem non calumniarentur. Verum nec tu hæc dicenti morem gessisti, immo illi abnuerunt. Cur itaque etiamnum obtrectatores ejus audis? Cur Ursacium Valentemque toleras, tametsi illi pœnitentiam egerunt, calumniamque suam scripto confessi sunt? Confessi sunt, inquam, non vi coacti, ut obtendunt illi: non urgentibus militibus, non conscio fratre tuo: non talia quippe sub illo, qualia his temporibus, agebantur, absit: sed ultro ipsi Romam profecti, coram episcopo et presbyteris hæc scripsere, cum antea amicam et pacificam epistolam ad Athanasium misissent. Quod si vim sibi illatam obtendunt, quam illicitam agnoscant: sique vim tu non approbes, desine vim inferre, nec litteras, nec comites miseris; sed exules remitte, ne cum tu vim redarguas, majorem illi vim exerceant. Quidnam ejusmodi a Constante actum est? quis episcopus exsulavit? quandonam ille ecclesiasticis judiciis medius interfuit? quis sub illo Palatinus contra quem subscribere coegit, ut Valens cum socio talia effutiat? Desine, quæso te, et memento te mortalem hominem esse: time judicii diem, teque ipse innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis: neu nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. *Reddite*, scriptum est (1), *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.* Neque nobis igitur terræ imperare licet, neque tu imperator adolendi habes potestatem. Hæc quod tuam curem salutem, scribo: quod vero res spectat de quibus scripsisti, ecce meam sententiam: Arianis minime adjungor, immo eam hæresim ferio anathemate: nec contra Athanasium scribo, quam nos et romana ecclesia, immo tota synodus insontem declaravit. Nam tu hæc cum perspecta haberes, hominem accivisti ac concessisti, ut cum honore in patriam ille et in ecclesiam suam remigraret. Quænam extitit tantæ mutationis causa? Iidem enim ipsi sunt ejus inimici qui jam ante fuere: et quæ jam susurrant (non enim ea coram illo proferunt) hæc prius etiam quam Athanasium accires, obloquebantur: hæc cum ad synodum advenissent obmurmurabant: meque, uti supra dixi, probationes postulante, proferre ipsi nequivere; nam si habuis-

(1) Hac epistola recitata, subdit Athanasius: Ταῦτα μὲν ὁ Ἀβραμιαῖος γέρων, ὁ ἀληθῶς Ὅσιος ἐφρόνησέν τε καὶ ἔγραψεν. *Hæc illa fuit Abrahamici senis, vere Osii, id est, Sancti sententia: hæ illius litteræ*

A ὁ μὲν Ἀθανάσιος ἐπὶ τούτοις ἐπείθετο, καὶ οὐκ ἀντέλεγεν. ἐκεῖνοι δὲ πρὸς πάντα μὴ θαῤῥοῦντες. ἴσως ἀνήνευον. ἐγένετο δὲ πάλιν ὁ Ἀθανάσιος εἰς τὸ σὸν στρατόπεδον, ἡνίκα μεταπέμψω γράψας αὐτῷ, καὶ παρόντας ἐν αὐτῇ τῇ Ἀντιοχείᾳ τοὺς ἐχθροὺς κληθῆναι πάντας ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἠξίωσεν, ἵν' ἢ ἐλέγξωσιν, ἢ ἐλεγχθῶσι, καὶ ἵνα ἢ παρόντα δείξωσιν οἷον λέγουσιν, ἢ ἀπόντα μὴ διαβάλλωσι. καὶ οὔτε σὺ λέγοντος (1) ἠνέσχου, ἀλλὰ κἀκεῖνοι παρῃτήσαντο. τί τοίνυν ἀκούεις ἔτι τῶν κακολογούντων αὐτόν; πῶς ἀνέχῃ Οὐάλεντος καὶ Οὐρσακίου, καίτοι μετανοησάντων, καὶ ἐγγράφως αὐτῶν ὁμολογησάντων τὴν συκοφαντίαν; ὡμολόγησαν γὰρ οὐ βίαν παθόντες, ὡς αὐτοὶ προφασίζονται, οὐ στρατιωτῶν ἐπικειμένων, οὐκ εἰδότος τοῦ ἀδελφοῦ σου· οὐκ ἐγίγνετο γὰρ παρ' αὐτῷ τοιαῦτα, οἷα νῦν γίγνεται, μὴ γένοιτο· ἀλλ' αὐτοὶ θέλοντες ἑαυτοῖς

B ἀνῆλθον εἰς τὴν Ῥώμην. καὶ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων παρόντων ἔγραψαν, γράψαντες (2) πρότερον καὶ Ἀθανασίῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν. εἰ δὲ βίαν προφασίζονται, καὶ τοῦτο γινώσκουσι κακὸν, οὐκ ἀποδέχῃ δὲ οὐδὲ σύ· παῦσαι τοῦ βιάζεσθαι, καὶ μήτε γράφε, μήτε πέμπε (3) κόμητας· ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξορισθέντας ἀπόλυσον, ἵνα μὴ βίαν αἰτιωμένου σου, μείζονας βίας ἐκεῖνοι ποιῶσι· τί γὰρ τοιοῦτον γέγονε παρὰ Κώνσταντος; τίς ἐπίσκοπος ἐξωρίσθη; πότε κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς μέσος γέγονε; ποῖος αὐτοῦ Παλατῖνος ἠνάγκασε κατά τινος ὑπογράψαι. ἵνα οἱ περὶ Οὐάλεντα τοιαῦτα λέγωσι; παῦσαι, παρακαλῶ. καὶ μνήσθητι, ὅτι θνητὸς

C ἄνθρωπος τυγχάνεις. φοβήθητι τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως, φύλαξον σεαυτὸν εἰς ἐκείνην καθαρόν, μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα, σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε, καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ· οὕτω φοβήθητι μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ· Ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ, οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν

D ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ. ταῦτα μὲν οὖν (4) κηδόμενος τῆς σῆς σωτηρίας γράφω· περὶ δὲ ὧν ἐπίστειλας. ταύτης εἰμὶ τῆς γνώμης· ἐγὼ οὔτε Ἀρειακοῖς συγκατατίθεμαι, ἀλλὰ καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἀναθεματίζω· οὔτε κατὰ Ἀθανασίου γράφω, ὃν ὑμεῖς τε καὶ ἡ Ῥωμαίων ἐκκλησία. καὶ πᾶσα ἡ σύνοδος ἐκαθάρισε, καὶ γὰρ ταῦτα καὶ σὺ συνορῶν μετεπέμψω τὸν ἄνθρωπον, καὶ συνεχώρησας αὐτῷ μετὰ τιμῆς εἰς τὴν πατρίδα καὶ τὴν ἐκκλησίαν (5) ἐπανελθεῖν. τίς τοίνυν γέγονε πρόφασις τῆς τοσαύτης μεταβολῆς; οἱ αὐτοὶ γὰρ ἐχθροὶ οἱ καὶ πρότερον ὄντες καὶ νῦν εἰσιν αὐτοῦ, καὶ ἃ νῦν ψιθυρίζουσιν· οὐ γὰρ παρόντος αὐτοῦ φθέγγονται· ταῦτα, καὶ πρὶν (6) μεταπέμψῃ τὸν Ἀθανάσιον, κατελάλουν, ταῦτα καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν σύνοδον διεθρύλλουν. καὶ ἀπαιτούμενοι παρ' ἐμοῦ, καθὰ προεῖπον, τὰς ἀποδείξεις οὐκ ἴσχυσαν παρασχεῖν· εἰ γὰρ εἶχον, οὐκ ἂν

(1) Ita Reg. et sic legendum. Editi ἠνέσχον.
(2) Sic Reg. Editi, πρότερον.
(3) Reg. κόμητας. de more.
(4) In Reg. οὖν deest.
(5) Reg. ἀπελθεῖν, minus recte.
(6) Ita Reg. Editi vero, πέμψῃ. Mox Reg. διεθρύλουν, de more cum unico).

Digitized by Google

ἔφυγον οὕτως αἰ χρῶς. τίς οὖν ἔπεισέ σε μετὰ τοσοῦτον χρόνον ἐπιλαθέσθαι τῶν σαυτοῦ γραμμάτων καὶ ῥημάτων; ἐπίσχες, καὶ μὴ πείθου κακοῖς ἀνθρώποις, ἵνα μὴ διὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους καθῆκον, σαυτὸν ὑπεύθυνον ποιήσῃς, ὧδε γὰρ τούτοις (1) καθηκατεύεις, ἐν δὲ τῇ κρίσει μόνος μέλλεις ἀπολογεῖσθαι. οὗτοι τὸν ἴδιον ἐχθρὸν, διὰ σοῦ θέλουσιν ἀδικεῖν, καὶ βούλονταί σε διάκονον τῆς ἑαυτῶν πονηρίας γενέσθαι, ἵνα διὰ σοῦ καὶ τὴν μυσαρὰν αἵρεσιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπισπείρωσιν. οὐκ ἔστι δὲ φρόνιμον δι' ἄλλων ἡδονὴν ἑαυτὸν εἰς προῦπτον κίνδυνον ἐμβάλλειν. παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ πείσθητί μοι, Κωνστάντιε· ταῦτα γὰρ πρέπει ἐμὲ γράφειν, καὶ σὲ τούτων μὴ καταφρονεῖν.

A sent, non ita turpiter aufugissent. Quis te induxit, ut post tantum temporis, litterarum juxta ac verborum tuorum obliviscerere? Cohibe te, quæso, et ne improbis hominibus morem geras, ut ne mutui commodi causa te ipse reum constituas. Quod enim jam illis indulges, de hoc in die judicii solus rationem ex redditurus. Adversarium illi suum auspicii tuis lædere optant, teque volunt esse malitiæ suæ ministrum, ut tua ope exsecrandam hæresim in Ecclesia disseminent. Non est prudentis, ob aliorum libidinem sese in manifestum conjicere periculum. Desine, quæso te, et mihi obtempera, Constanti. Hæc enim et me decet scribere, et te non vilipendere.

(1) Sic editi. Reg. καθικεύεις. Alias idem Reg. καθηκοῦσιν. In editis vero καθηκατεύειν, vulgo scribitur.

ANNO DOMINI CCCLIII-CCCLXIII.

LIBERIUS PAPA.

PROLEGOMENA.

§ I. — NOTITIA HISTORICA.

(*Ex libro pontificali.*)

Liberius natione Romanus, ex patre Augusto, sedit annis sex, mensibus tribus, diebus quatuor. Fuit au-

NOTÆ SEVERINI BINII.

Liberius. Post interregnum 25 dierum, anno Christi nati 352, Constantii imperatoris 16, pontificatum ecclesiæ invitus accepit sanctæ memoriæ Liberius, teste Ambrosio, pontifex beatissimus : cujus præter multas epistolas reperiuntur acta de curatione et lepra Constantini imperatoris conscripta : apud Ambros. lib. III de Virg. extat ejusdem integer quidam sermo, quem habuit in consecratione sororis. Tantus Athanasii defensor et Arianorum hostis fuit, ut Constantius imperator per victoriam Magnentii elatus, publico edicto sub pœna exilii mandaverit, ne quisquam deinceps Athanasium defenderet, Arianosque a communione ecclesiæ excluderet. Injusto imperatoris edicto cum pontifex furtim Roma Mediolanum adductus obtemperare nollet, post multos alios ex Mediolanensi conciliabulo relegatos, in Thraciam deportatur. Postquam biennio exulasset, ad subscribendum Sirmiensi confessioni primæ, ad condemnandum innocentem Athanasium, et denique ad communicandum cum Arianis vi metuque tormentorum, tædio exilii et calamitatum, denique spe recuperandæ pristinæ sedis atque dignitatis inductus, infelix infeliciter labitur, sibique vitæ ac morum turpissimam maculam inurit. Relaxatum ab exilio Valens et Ursacius auctoritate imperatoris quidem in urbem introduxerunt, Felicemque sede pontificia amoverunt : sed ne pontifex de fide suspectus cathedram Petri coinquinaret, singulari Dei providentia accidit, ut dum verus pontifex catholicus cum Arianis communicando laberetur, et pontificatu excideret, Felix exulante Liberio schismaticus et Arianorum communione pollutus, compaginem illam abrumperet, Constantium, Valentem, Ursacium, omnesque Arianos tanquam hæreticos excommunicaret, justoque Dei judicio verus pontifex esse inciperet. A cujus communione catholici, post Liberium ab exilio restitutum, ne quidem per vim et martyrium dimoveri, cumque Liberio Arianæ communionis labe et macula coinquinato, quamdiu Felix in vivis erat, conjungi potuerunt. Cum autem post martyrium Felicis, majore Dei beneficio, Liberius vicissim Arianorum communionem præscidisset, Ariminensis conciliabuli formulam reprobasset, fideique vexillum vicissim erexisset, non modo a clero Romano præsul et pontifex legitimus haberi cœpit, verum etiam turpissimam illam maculam vitæ ac morum, ante contractam, omnino eluit, et tandem anno Domini 367, sanctissime ex hac vita discessit. Unde est, quod S. Ambrosius, Epiphanius et Basilius, beatissimum virum passim appellent, quodque eumdem Siricius pontifex, epistola ad Hymerium, venerandæ memoriæ prædecessorem suum nominet. Liberium, quod calumniantur hæretici, Ariana hæresi infectum fuisse, falsum est, siquidem nihil orthodoxæ fidei contrarium scripserit aut docuerit. Cum Arianis communicantem, Athanasium injuste condemnantem, fideique formulæ, nomine *consubstantialis* carenti, quantumvis catholica esset, subscribentem peccasse, suspicionem hæreseos justam in foro exteriori incurrisse, justaque de causa a catholicis vitatum fuisse, libenter concedimus. Vide Baron. ann. 355, num. 53 et seqq., et 357, num. 46 et seqq. Bellarm. de Rom. pont. lib. IV, c. 9.

Sub hujus pontificatu exortæ fuerunt hæreses Anomianorum, qui Filium Dei Patri dissimilem esse docebant : Macedonianorum, Spiritus sancti divinitatem negantium : Massalianorum, qui ex monachis exorti, cæteris omnibus neglectis, soli orationi semper vacandum esse docebant. Lucifer Calaritanus episcopus, legationibus pontificiis aliquoties functus, decretum Alexandrinæ synodi de lapsis episcopis recipiendis improbans, factus est (proh! dolor) schismaticus. Donatistæ per edictum Juliani ab exilio reversi, funestissimas illas, quas enarrat Optatus, lib. II, altarium demolitiones, calicum contractiones et direptiones, clericorum et laicorum plurimorum trucidationes, virginum et matronarum raptationes, horrendas denique sacramentorum omnium violationes patrarunt. E quibus illud memorabile, quod sacra eucharistia canibus projecta, iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, tamquam ignotos et inimicos, dentibus suis laniave-

Digitized by Google

tem temporibus Constantii filii Constantini usque ad Constantium Augustum octavum (*mel.*, tertium). Hic a Constantio deportatur in exilium, eo quod noluisset A hæresi Arianæ consentire : et fuit in exilio annos tres. Et congregantes sacerdotes concilium (*al.*, congregans sacerdotes cum concilio suo Liberius), ordi-

NOTÆ SEVERINI BINII.

rint : quodque ampullam chrismatis, per fenestram ut frangeretur jactatam, manus angelica ita sustinuerit, ut inter saxa illæsa consederit, hæc ex Optato aliisve Baron. in Annalibus.

Sedit annos sex, mensib. trib., diebus quat. Liberium annis 15 mensibus 4, et uno die pontificatum obtinuisse, certo colligitur ex temporibus, quibus cœpit ac desiit. Anno 352, octavo Maii, sedem pontificiam adeptus, ut ex præcedentibus patet, tenuit eam deinceps usque ad 9 diem Septembris, anni 367. Cum enim testimonio Ammiani lib. XXVII, sævum Ursicini schisma adversus Damasum sub præfectura Viventii exortum fuerit, constetque ex l. XII de Pœnis C. Theod. illius præfecturam sub consulatu Lupicini atque Jovini contigisse, anno nimirum Christi 367, certum est illo anno Liberium pontificatu ac vita defunctum esse, atque Damasum illi successisse. Nono Septembris sepultum refert auctor pontificalis. Quibus ita firmiter constitutis, verum esse patet, quod de tempore Liberii supra diximus.

Fuit autem temporibus. Errat libri pontificalis auctor. Præfuit enim Ecclesiæ sub Constantio, Juliano, Joviano, Valentiniano et Valente imperatoribus, usque ad annum 367, qui est Valentis IV. Constantius Arianorum fautor, adhuc catechumenus, animam agens in lecto ab arianis baptizatus, eodem tempore quoper Arianorum Antiochenum conciliabulum, divinitatem Christo Domino ademerat, per Julianum imperio spoliatus fuit. Julianus, abnegata, quam metu Constantii decennio simularat, Christi fide, factus est apostata. Qui ut initio imperii Christianorum animos sibi conciliaret, omnes ab exilio exules episcopos revocavit. Hac occasione, Athanasius per Georgium Cappadocem sede Alexandrina armata manu tertio expulsus, post prædictum Georgium ab Alexandrinis illatam sibi sub Constantio injuriam vindicantibus interfectum, ab exilio, eremo et cisterna illa sicca, in qua quinquennio latuerat, Alexandriam reversus fuit. Sed cum opera reducis Athanasii omnes dii condemnarentur, Juliani rescriptis quarta vice exulare, et ab urbe recedere cogitur. Cumque hanc ob causam, commendata amicis ad breve tempus ecclesia (*bono estote animo*, dicebat, *nebula enim est, et brevi evanescet*) navigium conscendisset, ac paulo post intellexisset, esse qui se ad interficiendum insequerentur, converso in adversam partem navigio, insequentes frustratus, venit Alexandriam ; ibique toto tempore, quo vixit Julianus, delituit. Novo et inaudito genere persecutionis Christianos aggressus fuit. Gloriam martyrii invidens, id sedulo egit per suos, ne qui causa pietatis, sed tantum alicujus criminis nomine, ut facinorosi punirentur. Quod ex evangelii præcepto Christiani nequaquam divitiis affluere, sed perfectionis causa omnia erogare deberent ; fiscus bona eorum diripuit. Bona pauperum invadentes, vel lepra percussi, vel a dæmone arrepti fuerunt. Omnia privilegia Christianis ademit, neve injuria affecti audirentur in judicio, constituit. Artes eos docere vel discere vetuit. Certior factus, Cæsareæ Philippi urbis Phœniciæ præclaram esse Christi statuam, quam mulier quæ sanguinis profluvio laborabat, cum esset morbo liberata, ibi collocaverat (ex cujus basi herba quædam, quæ cujusvis generis morbis mederi solet, nascebatur) eam deturbavit, suamque in eo loco posuit. Quo facto, ignis violentus de cœlo delapsus statuam illam circa pectus dissecuit, caputque una cum collo in terram dejecit. Contumeliæ causa, et ad Christi nomen delendum publica lege præcepit, ut Christiani Galilæi vocarentur. Refert Theodoretus Julianum simul ac telum ab angelo sibi immissum corpore excepisset, manum protinus sanguine implevisse, et illum in aerem projecisse ac dixisse : *Vicisti, Galilæe.*

Jovianus confessione Christi nominis sub Juliano clarus, a ducibus exercitus, divino numine impellente, imperator electus, anno Christi 363, præ cæteris episcopis, Athanasium ab exilio quarto revocat, unum maxime catholicæ fidei propugnatorem acerrimum, fideique veritatem ab eo sibi tradi postulat. Post hunc noctu exanimatum, reliqui duo confessione clari, qui cum Joviano sub Juliano zonam militarem deponere maluerunt quam diis sacrificare, Valentinianus et Valens, imperium Dei nutu ac voluntate consecuti fuerunt, anno Christi 364. Valentiniani responsum, quod dedit Hypatiano Heraclèæ episcopo, synodi indictionem petenti, præclarum hoc est : *Sibi qui unus e numero laicorum esset, non licere se ejusmodi negotiis interponere. Ideo sacerdotes,* B inquit, *et episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, conveniant.*

Valens ad tertium annum imperator catholicus, in procinctu gothico, bono consilio salutarem baptismum expetens, uxoris Arianæ blanditiis delinitus, pessimo consilio ad Arianos transit, et ab Eudoxio Arianorum nequissimo baptizatus, ab eo juramento obstringitur, ut in impio suscepto dogmate perseveret, et diversa sentientes ubique ecclesiis exigat. Hæc ex Baronii annalibus. Plura vide infra in notis epistolarum conciliorum, et in vitam Felicis.

Hic a Constantio deportatur in exilium. Hac in re auctorem libri pontificalis aberrare patet ex notis conciliabuli Mediolanensis infra. Nolens, quod jubebatur, Athanasium condemnare, relegatus est in Thraciam.

Fuit in exilio annos tres. Cum anno Christi 355 relegatus, anno 357 ab exilio liberatus fuerit, biennio tantum completo, vel tribus inchoatis, exulasse necessum est.

C *Congregantes sacerdotes concilium, ordinaverunt.* His dictis libri pontificalis, testimonia clarissimorum hujus temporis scriptorum refragantur. Hier. de script. eccles. in Acacio, de ipso loquens : *In tantum,* inquit, *sub Constantio imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem episcopum constitueret.* Rufinus lib. I, cap. 22 : *In Liberii locum Felix diaconus suus ab hæreticis subrogatur, et non tam sectæ diversitate, quam communionis et ordinationis convenientia maculatur.* Athanasius epist. ad solit. addit, eumdem Felicem molitione Epicteti, a tribus Arianis episcopis ordinatum esse. Ea igitur, quæ de Felicis ordinatione auctor pontificalis scribit, nequaquam subsistere posse videntur. Accedit, quod Liberio adhuc vivente, pontificiamque dignitatem gloriosæ confessionis titulo illustrante, pontifex creari non potuerit, ne unius catholicæ ecclesiæ duo essent episcopi, uniusque corporis duo capita turpiter eminerent. Si dicas eum a concilio sacerdotum, Liberio procurante, coepiscopum duntaxat Romanæ ecclesiæ delectum fuisse, non D admodum repugno : quamquam id neque testimonia prædictorum Patrum dici patiantur, neque ab Arianis hoc permissum fuisse videatur.

Felicem ab Arianis subrogatum, non Arianum, sed catholicum fuisse, in primis Rufini testimonio constat ; secundo apertis verbis idem testatur Theodoret. lib. I, cap. 17, dum ait : *Successum est Liberio a fideli quodam illius diacono, nomine Felice : qui tametsi fidem a Nicæno concilio expositam ipse servavit integram, tamen cum illis, qui eamdem labefactare studebant, libere communicavit, ac propterea nemo ex habitatoribus in ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* Sozom. denique lib. IV, cap. 10 idem testatus, addit : *Romanæ ecclesiæ episcopatui præficitur Felix illius cleri diaconus, quem aiunt fidei concilii Nicæni*

Digitized by Google

naverunt in locum ejus episcopum Felicem presbyterum venerabilem virum. Et fecit concilium Felix, et invenit duos episcopos (*potius* presbyteros) consentientes Constantio Augusto Ariano, nomine Ursacium et Valentem, et damnavit eos in concilio quadraginta octo episcoporum. Post paucos autem dies, zelo ducti Ursacius et Valens rogaverunt Constantium Augustum, ut revocaret Liberium de exilio, ut una tantum communione participaret, extra secundum baptismum (*al.*, unam tantum communionem participaret excepto rebaptizare). Tunc missa auctoritate per Catulinum agentem in rebus, simul et Ursacius et Valens venerunt ad Liberium. Qui Liberius consensit præceptis Augusti. Tunc revocaverunt Liberium de exilio. Rediens autem Liberius de exilio habitavit in cœmeterio sanctæ Agnetis apud germanam Constantii Augusti, ut quasi per ejus interventionem aut rogatum rediret Liberius in civitatem. Tunc Constantia Augusta, quæ fidelis erat Domino Jesu Christo, noluit rogare Constantium Augustum germanum suum, quia senserat consilium. Eodem tempore Constantius imperator, una cum Ursacio et Valente, convocaverunt aliquos qui ex fæce Ariana erant, et quasi facto concilio, misit et revocavit Liberium de cœmeterio beatæ Agnetis, ubi sederat. Et ingressus Romam, in ipsa hora Constantius Augustus fecit concilium cum hæreticis, simul etiam cum Ursacio et Valente, et ejecit Felicem de episcopatu, qui erat catholicus, et revocavit Liberium. Ab eodem die fuit persecutio maxima in clero, ita ut intra ecclesiam presbyteri et clerici plures necarentur, et martyrio coronarentur. Qui Felix, depositus de episcopatu habitavit in prædiolo suo, via Portuensi, ubi et requievit in pace quarto kalendas Augusti. Ingressus Liberius in urbem Romam quarto Nonas Augusti, consensit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est, sed consensum præbuit. Et tenuit basilicas beati Petri et beati Pauli, et basilicam Constantinianam annis sex (imo, *septem*). Et persecutio magna fuit in urbe Roma, ita ut clerici et sacerdotes, neque in ecclesiam, neque

NOTÆ SEVERINI BINII.

semper consensisse, et omnino, quantum ad religionem pertinebat, reprehensione caruisse, atque ob id solum in crimen vocatum esse, quod non modo Arianos ministros ecclesiæ ordinaret, verum etiam quod eorum communione uteretur. Sic intelligendum est quod ait Socrat. lib. II, cap. 29, Felicem Arianæ sectæ addictum fuisse: nimirum, quod illis communicaret, et ex eorum voluntate sententiæ in Athanasium latæ subscripsisset. Si, quod aiunt Rufinus et Theodoret. Felix fuerit diaconus Liberii, dubium nullum esse potest, ipsum catholicum fuisse. Nam ut Liberius Arianum nomen semper aversatus, Arianum diaconum sibi ministrare passus fuerit, non est credibile. Quod apud Hieronym. de script. eccles. in Acacio nomen *Arianum* Felici additum reperiatur, mendosum esse patet ex chronico aliisve codicibus antiquioribus, et Græco Sophronii textu. Vide Baron. an. 355, n. 54 et seqq. Bellarm. de Rom. pont. lib. IV, cap. 9.

Ursacium et Valentem, et damnavit eos. Circa illud tempus, quo Liberius cum Arianis communicans turpiter labitur, Felix eorumdem communione ante pollutus, mirabili Dei consilio ac providentia a lapsu erectus, Constantium, Ursacium, Valentem, omnesque Arianos condemnando, et excommunicando, communionem eorumdem abrupit, ne Liberio substituendus, cathedram Petri vel hæreseos suspicione coinquinet.

Post paucos dies. Vide notas epistolarum Liberii ad orientales.

Una tantum communione participaret extra secundum baptismum Hæc quomodo intelligenda sint, vide infra verbis: *consensit Constantio hæretico, non tamen et baptizatus est.*

Liberius consensit præceptis Augusti. Per vim minirum, tormenta atque tædium exilii inductus, Sirmianam confessionem primam, atque Athanasii condemnationem subscribendo approbavit, et cum Arianis communicavit.

Rediens de exilio habitavit in cœmeterio S. Agnetis. Ea, quæ de habitatione Liberii in cœmeteriis suburbanis S. Agnetis ab auctore libri pontificalis referuntur, male cum primo Liberii exilio conjunguntur. Nam teste Sozomeno lib. IV, cap. 10, Liberius ab Arianis binis diversis vicibus graviter est vexatus. Primum quando Roma furtim abductus est Mediolanum, atque recusans subscribere sententiæ in Athanasium per Mediolan. conciliabulum pronuntiatæ, inde in Thraciam est relegatus. Secundo, dum nolens Arimininensem formulam approbare, per Valentem episcopum Arianum, qui eam potestatem ab imperatore acceperat, Roma expulsus fuit. Prior vexatio exilium: posterior simplex tantum ab urbe expulsio fuit. Prior contigit Mediolani anno Christi 355, posterior contigit Romæ post Arimininense concilium, anno Christi 359. Priore vexatione liberatus, teste Hieronymo in chronic. *Romam quasi victor intravit*: maxima enim pompa per Constantii ministros in urbem introductus fuit. Itaque quod hic in suburbanis commoratus fuisse dicitur, non nisi post secundam illam a Valente illatam vexationem contigisse potuit. Vide notas Sirmiensis et Arimin. concilii. Item Baronium anno 359 num. 46, 47, 48.

Ejecit Felicem de episcopatu. Sozom. lib. IV, cap. 14 ait scriptum esse *Felici tum Romanæ ecclesiæ antistiti, et clero ejusdem ecclesiæ, uti Liberium recipiant, et ambo pariter sedem apostolicam administrent, communique consensu, et concordia sacerdotio illo fungantur*, etc. Quod hic asseritur ab auctore libri pontificalis, probabilius esse videtur.

Ab eodem die fuit persecutio maxima in clero. Ideo quod Liberium manifesta communione Arianorum pollutum, atque adeo a pontificatus functione plane alienum, universus clerus Romanus aversaretur, seque Felici vexillum fidei catholicæ extollenti conjungeret, ut supra diximus.

Martyrio coronarentur. Tunc contigisse videtur, ut Eusebius Romanus presbyter e ministris Constantii intra cubiculum clausus, illic mensibus septem perseverans, fame consumptus spiritum exhalarit. Baron. in mart. notis die 24 Augusti.

Qui Felix depositus. De exitu Felicis aliter hic, aliter in Vita ejus auctor pontificalis seutit.

Consentit Constantio hæretico, non tamen rebaptizatus est. Hoc videtur indicare, quod etsi Liberius cum Arianis communicaverit, non tamen factus fuerit Arianus per secundum baptismum, quo solerent illi catholicos ad se deficientes iterum baptizare. Sed hæc quidem superflua, et ab aliquo addita; nondum enim Ariani rebaptizabant: quin et ecclesia hoc tempore non respuebat Arianorum baptismum, ut testatur S. Hieronymus adversus Luciferianos; Baronius anno 357, n. 41.

Persecutio magna fuit in urbe Roma, etc. Illi qui Liberio non communicabant, non tantum ab Ecclesia, sed etiam a balneis publicis abstinebant; ne scilicet una cum illis lavarentur, ut qui scirent ex sententia Joannis evangelistæ, neque baluei lotione cum hæreticis participandum esse. atque ideo in hos a magistratu sævitum est. Baron. anno 357, n. 58.

Digitized by Google

in balnea haberent introitum. Hic Liberius ornavit de platoniis marmoreis sepulcrum S. Agnetis martyris. Omnes itaque anni Felicis in ejus ordinem dinumerantur. Hic fecit Basilicam nomini suo juxta macellum Libyæ. Hic fecit ordinationes duas in urbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diacones quinque, episcopos per diversa loca decem et novem. Qui sepultus est via Salaria in cœmeterio Priscillæ, quinto Idus Septembris, alias octavo (*imo*, septimo) kalendas Maii. Et cessavit episcopatus dies sex.

DE EODEM.

(*Ex D. Coust.*)

I. In catalogo (1) Bucheriano, qui in hoc Papa desinit, ideoque eo supersite conclinatus creditur, istud tantum legere est : *Liberius fuit temporibus Constantii ex die* XI *Kalendas Junias in diem... a consulibus Constantio* V *et Constantio Cæsare.* Ex quo docemur cum anno 352, mensis Maii 22 die, feria sexta fuisse ordinatum. Aut si placet Ant. Pagii conjectura, qua pro *die* XI *Kalendas Junias*, legendum esse opinatur *die* XI *Kalendas Julias*, in Junii 21 diem, quæ Dominica erat, cadet ejus ordinatio.

II. Cum pro fidei causa multos labores strenue fortiterque suscepisset, anno 355 exeunte exsul factus, post biennium exilii tædio fractus victusque, Arianis nonnihil ad tempus concessit. Attamen circa anni 358 initia Romam reversus, Ecclesiæ curam non deseruit. Nam post cassatum Ariminense concilium, ut loquitur Siricius epist. 1 ad Himerium n. 2, generalia destinavit ad provincias decreta. Et quod a synodis Alexandriæ anno 362, ac deinde in Achaia habitis de episcopis qui Arimini lapsi fuerant definitum est, iis nimirum damnatis qui aliis labendi auctores per fraudem fuerant, cæteris parcendum esse, confirmavit. Sub finem vitæ Orientales, cum Nicænam fidem professi essent, damnassentque Arianam hæresim, admisit ad communionem suam. Eum VIII *Kalendas Octobris Gratiano et Dagalaifo consulibus*, hoc est anno 366, Septembris 24 die e vivis exemptum Marcellinus et Faustinus Presbyteri in præfatione precum ad Valentinianum, Theodosium et Arcadium imperatores tradunt. Eodem die in martyrologio Bedæ, at in Hieronymiano et nonnullis aliis die 23 prædicti mensis, memoria ejus recolitur : et in primo quidem diem quo mortuus, in cæteris autem eum quo sepultus fuit, indicari Pagius arbitratur.

DE EODEM.

(*Ex bibl. Gall.*)

I. Liberius, Romanus, Julii papæ successor, anno CCCLII, die XXII mensis Maii pontifex ordinatur, ut ex Bucheriano catalogo ediscimus (2). Accepto vix nuntio de ipsius electione, eum in suam pertrahere sententiam adversus Athanasium frustra conantur Ariani. Ad Constantium imperatorem legatos mittit summus hic pontifex, postulans in primis ut de fide, deque Athanasii causa ingenue atque integre agatur; simulque ab eo « veram pacem requirens, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ, sed præceptis evangeliorum rationabiliter confirmata. »

(1) Abhinc usque ad § II hujus NOTITIÆ linearum interstitium coercere coacti sumus, scilicet ut documenta quæ prius omissa fuerant, postea, paginis jam inter se coaptatis, ad perficiendum primum paragraphum intruderentur. Nobis procul dubio assentiet lector, ipsius utilitatem etiam elegantiæ typographicæ anteponentibus. ED.

(2) *Bucher.* de Doctr. temp. pag. 273.

Quam quidem æquissimam postulationem ægerrimo ferens Constantius, nunquam deinceps ab exagitandi Liberii mente destitisse comperitur. Verum imperatoris neque minis fractus neque iram veritus sanctus pontifex, multis pro fidei causa laboribus animo susceptis interrito, in exilium pellitur : quanquam ægre, populi metu qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari, » ut scribit Ammianus (1). Contigit autem Liberii exilium, « Arbetione et Lolliano consulibus » (2), id est anno CCCLV.

Pulso Liberio, atque in ejus sedem intruso Felice, nunquam adduci potuerunt Romani cives, ut cum istiusmodi homine societatis quippiam vel communionis haberent. Quin eo tandem deducta res est, ut « Liberius paulo post Urbi redditus fuerit ob seditiones Romanas, » teste Sulpicio Severo (3). Neque aliter Socrates (4) : « Liberius, inquit, haud multo post ab exilio revocatus, sedem suam recepit : cum populus Romanus seditione facta, τοῦ ἐν Ῥώμῃ λαοῦ στασιάσαντος. Felicem ecclesia expulisset, et imperator licet invitus assensum illis præbuisset, ὅ, τε βασιλεὺς καὶ παρὰ γνώμην τούτοις ἐγένετο σύμψηφος. His concinit Theodoritus (5).

Ab exilio autem reversus ineunte anno 358, ac Romam ingressus « victor illustris et strenuus veritatis athleta », ὁ νικηφόρος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστὴς, ingenti omnium plausu exceptus est atque lætitia : suæque jam sedi restitutus, fidem Nicænam quam exilium passus fortiter asseruerat, postea redux magnificentius adhuc prædicavit. Siquidem, ut ex beato Siricio papa erudimur (6), « post cassatum Ariminense concilium, generalia misit ad provincias decreta ». Deinceps vero synodos Alexandriæ atque in Achaia coactas, earumque sanctiones de recipiendis episcopis qui Arimini lapsi fuerant, confirmavit. Orientales autem post fidei Nicenæ professionem, postque synodi Ariminensis acta damnata ad communionem admisit. His aliisque præclare gestis, ut ex ejus epistolis potissimum liquet, anno tandem 366, die 24 Septembris, sive ut perhibent Marcellinus et Faustinus presbyteri (7), *octavo Kalendas Octobris Gratiano et Dagalaifo cos.*, humanis rebus exemptus est Liberius.

II. Quantum vero fide, sanctitate ac doctrina excelluerit summus hic pontifex, quantoque in pretio apud præstantissimos quosque viros habita sit ejus memoria, jam satis constat. Sanctus Athanasius inter celebres Ecclesiæ scriptores ipsum recenset, et cum viris apostolicis comparat (8) : « Si quæ, inquit, scribunt (Ariani) ea scriberent orthodoxi, ut — Julius et Liberius Romæ episcopi : Εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ γραφόμενα, οἷα ἂν ἐγεγόνει παρὰ — Ἰουλίου καὶ Λιβερίου τῶν ἐπισκόπων Ῥώμης — nullus profecto in illorum scriptis esset suspicionis locus : simplex enim ac candidum est virorum apostolicorum ingenium. » Basilio magno dicitur (9) « beatissimus episcopus Liberius, » ὁ μακαριώτατος ἐπίσκοπος Λιβέριος : Epiphanio autem (10) « beatæ memoriæ Romanus episcopus. » Siricius item papa « venerandæ memoriæ prædecessorem » suum, ipsum appellat (11). Et sanctus Ambrosius sororem suam Marcellinam allocutus (12),

(1) *Amm. Marc.* lib. XV, cap. 7.
(2) *Sulp. Sev.* Hist. sacr. lib. II. cap. 39.
(3) *Id.* ibid.
(4) *Socrat.* Hist. eccl. lib. II. cap. 37.
(5) *Theodor.* Hist. eccl. lib. II, cap. 17.
(6) *Siric.* epist. I ad Himer., § 2.
(7) *Marcell.* et *Faust.* in præfat. ad libell. prec.
(8) *Athan.* epist. ad episc. Ægypt., § 8, opp. tom. I, pag. 278.
(9) *Basil.* epist. 263, al. 74, § 3, opp. t. III, p. 406.
(10) *Epiph.* Hær. 75, § 2.
(11) *Siric.* epist. I ad Himer., § 2.
(12) *Ambros.* de Virg. lib. III, cap. 1, § 1.

Digitized by Google

« Tempus est, inquit, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere; ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. » Et infra (1) post recitatam integram orationem ejusdem Liberii Marcellinam dato virginitatis velamine consecrantis, quam nos epistolis Liberianis subjecimus : « Hæc tecum, subdit, sanctæ memoriæ Liberius. » Theodoritus denique, « celeberrimi Liberii fiduciam et admirabiles sermones, » Λιβερίου τοῦ πανευφήμου τὴν παῤῥησίαν καὶ τοὺς ἀξιαγάστους λόγους, memorat (2), quos pro veritatis defensione coram imperatore Constantio habuit; eumque præterea, ut paulo ante vidimus, celebrat tanquam « gloriosum veritatis athletam (3): » quin et ab exilio reducem, virum admirabilem vocat (4) : « Reversus est, inquit, admirandus ille Liberius » : Ἐπανῆκε μὲν Λιβέριος ὁ θεσπέσιος. Cujus propterea memoria in Bedæ martyrologio, et in eo quod metrice Wandelbertus conscripsit, nec non in Hieronymiano atque in additionibus ad Usuardum recolitur.

III. Ex ecclesiasticæ antiquitatis monimentis complura quidem litteris consignasse Liberium ad catholicam religionem adstruendam confirmandamque intelligimus : sed quatuordecim tantum epistolas adhuc superstites, ab eo revera fuisse conscriptas, ex veterum Patrum fide atque auctoritate agnoscimus et profitemur. Alias vero nonnullas quæ sub ejus nomine circumferuntur, easque præcipue quæ summi hujus pontificis lapsum prodere existimantur, tamquam spurias et subdititias rejiciendas jure optimo ducimus. Neminem sane latet homines hæreticos sub ementitis sanctorum Patrum, in primis vero pontificum Romanorum sive aliarum sedium præsulum nominibus, scripta plurima confingere consuevisse; quibus ecclesiæ catholicæ fucum facerent, incautos securius deciperent, eaque ratione impia sua dogmata facilius spargerent validiusque firmarent. Quod quidem ævo maxime Liberiano contigisse novimus, quo genuinis adulterina intermixta deprehendere haud insolens. Compertum habemus enimvero, Fidei expositionem κατὰ μέρος sancti Gregorii Thaumaturgi nomine insignitam, auctorem habere Apollinarium; quemadmodum Eulogius Alexandrinus (5), Leontinus Byzantynus (6) et Palestini monachi sub Leone I imperatore, aliique Chalcedonensis concilii assertores comprobarunt. Norunt præterea eruditi viri (7), Eutychianos laudasse Julium et Felicem Romanos pontifices, Athanasiumque atque alios Ecclesiæ Patres, ceu Christo naturam unam vindicantes. Quid memorem famosam illam epistolam ab Apollinari confictam ac Julio I suppositam? Qua de fraude præ cæteris testis est locuples Leontius (8) modo laudatus. Quid quod Ariani non modo Athanasii aliorumque orthodoxorum, sed etiam imperatorum nomine epistolas confingebant, ut ex ipso Athanasio (9) erudimur?

IV. Sed ut ad propositum nostrum cum viro doctissimo (10) propius accedamus, an non amœbeas Liberii et Athanasii epistolas quæ in perantiquis Athanasii codicibus tanquam germanæ habebantur (11), jam quisque vir prudens adulterinas agnoscit? Quidni ergo et quatuor epistolas inter Hilarii fragmenta (1) Liberii nomine prænotatas ipsiusque lapsum prementes, Ariani confinxerint? Ex iis certe primam Orientalibus inscriptam et adversus Athanasium exaratam (2), fictam esse ac subdititiam primus omnium magnus Baronius multis argumentis comprobavit (3): ejusque sententiam plerique viri docti, Coustantius (4), Montfauconius (5), alii, si Tillemontium excipias, fuere assectati! » Et miramur quidem tantum virum eo usque processisse (6), ut istiusmodi epistolæ sinceritatem adstruere tentarit. Impostoram namque detegere cuivis licet tum ex ipsius contextu cum chronotaxi Liberiana composito, tum vero ex appendice huic epistolæ statim adjecta, ubi sic legimus : « Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex meta Dei eveniens est. » Ex quibus plane intelligas, ut cum Baronio loquar (7), non esse Hilarii verba ista, quibus probatur Athanasii condemnatio per Liberium facta; sed Ariani alicujus, Athanasii damnationem præ cæteris omnibu aliis rebus optantis. Neque enim placet Montfauconii conjectatio, hæc scilicet εἰρωνικῶς Hilarium scripsisse. Sive enim spectes temporis notas quo conscripta fuisse perhibetur epistola, sive rem de qua in ea potissimum agitur : utrumque arguere fas est, et epistolam Arianicam esse, et appendicem eidem epistolæ adjecisse hominem Arianum, qui simplicioribus ac imprudentibus securius illudere intenderit.

V. Quandoquidem vero primam illam epistolam inter Hilarii fragmenta extantem, et spuriam esse et Arianum prodere auctorem certo constat; quid vetat quominus et tres modo laudatas ab Ariana manu fuisse confictas, atque in illam Fragmentorum farraginem congestas existimemus? Neque enim alio nomine appellaverim cum viris doctis Fragmenta illa Hilariana : quamvis enim ea inter præclara multa vetustatis ecclesiasticæ monimenta occurrant, eorum tamen collectionem monstruosam quamdam rerum faciem, indigestamque congeriem exhibere nemo jure inficias ierit : ut proinde aliqua saltem ex parte operis auctoritas subleste fidei esse videatur : in eo siquidem non solum falsa nonnulla veris immixta, sed etiam depravata corruptaque ab hæreticis haud pauca reperias. Hinc Rufinus (8) : « Hilarius, inquit, cum ad emendationem eorum qui Arimineusi perfidiæ subscripserunt, libellum instructionis plenissime conscripsisset; cumque libellus ipse in manus inimicorum et malevolorum ipso ignorante venisset : ita ab eis corruptus est, illo sancto viro nihil penitus sentiente, ut postea talis inventus sit, quem ipse non agnosceret. » Hæc ille. Haud equidem repugnaverim, huic narrationi nonnulla intexuisse Rufinum, quæ a vero abludant; ut propterea Hieronymus ipsum merito redarguerit (9). At « operis denum Hilariani depravatio, ut viri docti verba usurpem (10), in causa fuerit cur ea finxerit Rufinus. Et vero Arianorum nequitia dignum erat, ut Hilarii operis integritatem nobis inviderent. » Quid porro,

(1) *Ambros.*, de Virg.. lib. III, cap. 4, §. 1.
(2) *Theodor.* Hist. eccl. lib. II, cap. 15.
(3) *Id.* ibid. cap. 17.
(4) *Id.* ibid. sub fin.
(5) *Eulog.* apud Phot. biblioth. cod. 230.
(6) *Leont. Byz.* lib. adv. fraud. Appollin. in Thes. Canis. tom. I, pag. 608.
(7) *Lequien.* Dissert. Damasc. II, § 1 seq. pag. 32.
(8) *Leont. Byz.* lib. de Sect. Act. VIII, tom. XI Bibl. PP. Paris. pag. 526.
(9) *Athan.* Apol. ad Constant. §§. 11, 19, 20, opp. tom. I, pagg. 301, 307.
(10) *Montfauc.* Animadv. ad tom. II, collect. PP. Græc., pag. 47.
(11) *Athan.* opp. tom. II, p. 667 seqq.

(1) *Hilar.* Fragm. IV, num. 1; et 6, numm. 5, 8 et 10.
(2) *Id.* Fragm. 4, num. 1.
(3) *Baron.* ad ann. 352, § 12 seqq.
(4) *Constant.* ad Hilar. fragm. et in append. ad epistt. Rom. pontif. pag. 93.
(5) *Montf.* ad collect. PP. Græc. animadv. 20, pagg. 43.
(6) *Tillem.* Mem. eccl. tom. VIII, pag. 695, not. 65 sur S. Athan.
(7) *Baron.* ad Ann. 352, § 14.
(8) *Rufin.* de adulter. libror. Origen. in append. ad tom. IV opp. Origen. edit. Paris. 1759, pag. 53.
(9) *Hieron.* lib. II adv. Rufin., § 19, opp. tom. II, pag. 512, edit. Veron.
(10) *Constant.* præf. ad Hilar. fragm. § 8.

Digitized by Google

si ea omnia ipsemet Hilarius congesserit Fragmenta, sive Arianica, sive orthodoxa, quibus deinceps historiam contexeret, ubi a nothis genuina secerneret; ut illa quidem falsitatis coargueret, horum autem veritatem ostenderet firmaretque ?

VI. Sed inquies : Esto : depravata fuerint corruptaque malo Arianorum consilio Hilariana fragmenta, conflictæque ab Arianis epistolæ illæ quæ Liberii lapsum enuntiant : quid porro sentiendum de Athanasii, Hieronymi aliorumque scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, ex quibus Liberius defecisse comperitur ? At his demum peropportune occurrit vir eruditione ac doctrina plurimum præstans, dominus Corgneus ecclesiæ Suessionensis canonicus ; qui haud ita pridem edita singulari dissertatione cui titulus : *Dissertation critique et historique sur le pape Libère, dans laquelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé*, præcipuorum veterum scriptorum auctoritate ductus, simulque aliorum loca objecta discutiens atque ad crisin revocans, Liberii lapsum fictitium esse luculentissime comprobavit. Hujus autem clarissimi viri sententiam deinceps egregie asseruit purpuratus pater (1), compendio usus : eamque præterea ex iis quæ hactenus edisseruimus, magis adhuc firmatam existimamus.

Præclarum autem hujusmodi opus Gallicum, quod auctore nescio Parisiis primum prodiit anno 1732, ab ipso postmodum recensitum et auctum, ibidem fuit iterum evulgatum anno 1736. Quam quidem dissertationem summo ingenii ac judicii acumine elucubratam, quisquis attente perlegerit, is enimvero causæ Liberianæ jure optimo aptandum statuat necesse est effatum illud Livianum. « A veritate laborare nimis jus sæpe, extingui nunquam. »

§ II. — Notitia epistolarum non existantium, aut supposititiarum quæ ad Liberium papam attinent.

(*Ex D. Constant.*)

I. *Ægyptiorum ad Liberium litteræ circa exitum anni 352 missæ.*

1. Ex Ægypto atque Alexandria, quales pridem ad Julium de reddenda exulanti Athanasio communione erant scriptæ, tales Liberio pontificatum ineunti datæ sunt litteræ de tuenda ea, quam eidem præsuli Julius ac deinde Sardicensis synodus reddiderant. Has litteras Hilarius fragm. IV, n. 2, memorat, easque ibidem subjiciendas pollicetur ; sed indè divulsæ sunt. Litteræ autem, quæ ab Alexandrina synodo ex Ægypto omni ad Julium, teste Athanasio apolog. cont. Arian. n. 20 missæ sunt, integræ habentur in eadem Athanasii apologia n. 3, ac deinceps : ex quibus augurari licet quales illæ fuerint, quæ ad Liberium circa exitum anni 352, datæ sunt. Harum litterarum meminit ipse Liberius epist. 4, n. 2, ubi et eas episcopis Italis recitasse se atque insinuasse docet.

II. *Orientalium ad Liberium litteræ circa idem tempus scriptæ.*

2. Eodem tempore Liberius, ut rursum ipse epist. 4, n. 2, testatur, ab Orientalibus, hoc est ab Arianis adversus Athanasium litteras accepit, per Eusebium quemdam, qui in Africam festinabat, sibi relictas, in quibus eadem omnino continebantur crimina, quæ accusatus præsul sive in concilio Romano, præsente Julio, sive in Sardicensi jam dilucrat. Has litteras non suppressit Liberius, ut nonnulli calumniati sunt, sed ecclesiæ legit et concilio.

III. — *Liberii ad Orientales epistola anno 353 data.*

3. Ad mox dictas Orientalium litteras Liberius rescripsit eo ipso tempore, quo illas accepit, significans sibi traditum esse octoginta episcoporum scriptum, quod ipsorum de Athanasio sententiæ repugnabat ; atque contra legem divinam sibi visum esse, cum major episcoporum numerus pro Athanasio existeret, ipsorum dictis adversus eum aliquatenus commodare consensum.

IV. — *Liberii ad Ægyptios epistola eodem tempore scripta.*

4. Vix dubitare licet quin Liberius, qui ad Orientales contra Athanasium scribentes rescripsit, simul et ad Ægyptios qui pro eodem sibi scripserant, quorum etiam epistolam episcopis Italis pariter insinuandam curavit, litteras miserit, quibus se decessoris sui Julii vestigiis penitus hæsurum significaret.

V. — *Liberii ad Constantium epistola ann. 353 scripta.*

5. Liberius multorum Italiæ episcoporum conventu habito, Vincentium Capuensem et Marcellum pariter ex Campania episcopum Arelaten destinavit ad Constantium cum epistola, qua hunc Imperatorem rogabat, ut concilium Aquileiæ, quemadmodum ipsi dudum placuerat, congregari præciperet : ubi cum primum fidei causa fuisset diligenter tractata, tum demum cæteræ possent finiri. Simul et ea, quæ sive ab Orientalibus adversus Athanasium, sive ab Ægyptiis pro Athanasio acceperat scripta, legatis tradidit ad Constantium perferenda, ut optatum concilium facilius impetraretur.

VI. — *Legatorum Liberii ex Arelatensi concilio litteræ.*

6. Arelaten cum pervenissent Vincentius ac Marcellus Liberii legati, prævio cum episcopis qui ibi erant tractatu, propter ecclesiarum omnium turbationem, Orientalium, qui Athanasium damnaverant, succumbere se velle testati sunt sententiis, ea tamen conditione, ut et ii, qui istud ab ipsis flagitabant, prius Arii hæresim condemnarent. Tum placito scriptura firmato, itum ad concilium, adhibitaque deliberatione, Liberii legatis ab Athanasii adversariis est responsum, Arii doctrinam damnare se non posse ; sed hoc solum, ut Athanasius communione privetur, exigere. De his autem omnibus Liberium confestim Vincentius ac Marcellus litteris certiorem fecerunt.

7. Hæc porro gesta sunt, dum Arelate Constantius degeret. Atqui hunc Imperatorem in illa civitate saltem ab octavo mensis Novembris anni 353 die ad vernum tempus anni 354 permansisse vetera monimenta fidem faciunt. Unde sequitur ut Arelatensis

(1) *Orsi*, Histor. eccl. tom. VI, pag. 201, § 72.

Digitized by Google

tunc habita synodus vel ad annum 353 exeuntem, vel ad ineuntem 354 referenda sit.

VII. — *Eusebii Vercell. ad Liberium epistola anno 354 missa.*

8. Eusebius Vercellensis episcopus a Liberio rogatus ut legatis suis Lucifero, Pancratio et Hilario ad obtinendum a Constantio concilium sese adjungeret, voluntati ipsius se libenti animo obsequi renuntiavit. Epistolæ hujus notitiam nobis præstat Liberii epistola ad Euseb., adeoque paulo ante hanc anno 354 scripta est.

VIII. — *Liberii ad Fortunatianum epistola, eodem tempore data.*

9. Liberius in eadem epistola ad Euseb. memorat litteras a se ad Fortunatianum Aquileiæ episcopum scriptas, quibus cum rogabat, ut ipse pro sinceritate pectoris et pro fide, quam se sciebat etiam cum discrimine vitæ præsentis custodisse, cum legatis ad Constantium missis dignaretur excubare.

IX. — *Constantii ad Liberium litteræ anno 355.*

10. Constantius paulo post Mediolanense concilium anno 355 habitum minaces ad Liberium litteras cum muneribus per Eusebium eunuchum misit, quibus eum ad damnandum Athanasium et ad communicandum cum Arianis flectere tentabat. Harum litterarum mentio exstat apud Athanasium histor. Arian. ad monach. n. 35, ipsis autem minis admixta fuisse blandimenta cum innata Constantii indoles, tum adjuncta munera facile persuadent.

X. — *Liberii ad clerum Rom. litteræ anno 357 scriptæ.*

11. Liberius statim ut exilii tædio ac miseriis fractus Imperatoris voluntati consensit, priusquam de hoc consensu Imperator certior fieret, se ab Athanasii nomine et communione recessisse clero Romano significavit. Quocirca et hujus mutationis suæ testem clerum suum epist. ad Ursacium n. 2, appellat.

XI. — *Ejusdem litteræ ad Constantium eodem tempore.*

12. Eodem tempore Liberius litteras super Athanasii nomine per Fortunatianum Aquileiensem episcopum ad Constantium perferendas dedit, ut epist. ad Orientales ipse loquitur. Litteras easdem indicat et epist. ad Ursacium, n. 2.

XII. — *Liberii epistola decretalis per provincias missa circa ann. 362.*

13. Siricius papa epist. ad Osium, n. 2, eos, qui ab Arianis baptizatos denuo baptizabant, vehementer improbat, cum alias ob causas, tum ob hanc nominatim, quod istud post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. Unde colligere est, Liberium post infaustum Ariminensis concilii exitum celebrata synodo, concilium illud irritum declarasse, ac varia sanxisse decreta, quæ universæ Ecclesiæ utilitati conducerent, eaque per synodalem epistolam in provincias misisse.

XIII. — *Litteræ Lampsacenæ synodi et aliarum ad Liberium et Occidentales ann. 365 missæ.*

14. Orientales e Lampsacena synodo variisque conciliis in Asia, Pamphylia, Isauria et Lycia celebratis litteras Eustathio, Silvano ac Theophilo legatis tradiderunt ad Liberium et episcopos Occidentales perferendas, quibus, ut summatim perstringit Sozomenus lib. VI, c. 11, « eos hortabantur, ut legatos suos omni ope adjuvarent, et cum illis quid agendum esset perpenderent, et statum Ecclesiæ prout ipsis videretur corrigerent; quippe qui probam ac stabilem fidem retinerent, ac præ cæteris omnibus religionis curam gerere deberent. » Litteras illas Liberio a prædictis legatis redditas esse Socrates et Sozomenus tradunt. Cum autem Lampsacena synodus quæ prior legatos destinavit, et cujus instar aliæ synodi litteras suas eisdem crediderunt, anno 365 circa mensem Septembrem absoluta sit, sequitur ut omnes illæ litteræ ad eumdem annum jam labentem pertineant.

XIV. — *An Liberius litteras ad Orientales scripserit de Spiritu Sancto.*

15. Sozomenus controversiam de Spiritus sancti deitate in Oriente excitatam notans, ita lib. VI, c. 22 loquitur : « Cum hæc quæstio agitaretur, et contendendi studio magis magisque in dies cresceret, episcopus urbis Romæ, re comperta, scripsit ad Orientis ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem et honore gloriaque æqualem una cum Occidentalibus episcopis confiterentur. Quo facto, utpote controversia judicio Romanæ ecclesiæ terminata, singuli quievere : eaque quæstio finem accepisse videbatur. » Quibus dictis Sozomenus, cap. 23, Liberii mortem narrare incipit his verbis : « Per idem tempus mortuo Liberio, Damasus Romanæ sedis administrationem suscepit. » Quocirca si res secundum accuratum temporis ordinem Sozomenus narrat, censendus est Liberius aliquanto ante mortem ad ecclesias Orientis litteras dedisse, quibus et Trinitatem consubstantialem, et Spiritum sanctum Patri et Filio æqualem esse definiebat; nisi forte ad Liberii tempora id quod a Damaso sit gestum, præpostere Sozomenus retulerit; quod videtur probabilius.

XV. — *Liberii Sermo.*

16. Tacendus hic non est Sermo a Liberio, cum in Salvatoris natali, « ad Apostolum Petrum, » Marcellinam Ambrosii sororem dato virginitatis velamine solemniter ac publice consecraret, habitus, et ab Ambrosio ipso lib. III de Virginibus c. 1, 2 et 3, sed, ut eruditis placet, mutata dicendi ratione relatus. Hoc in tractatu Liberius primo Marcellinam quæ ad fidem attinent docet, tum ei præcepta tradit virginibus congrua : quæ quidem Ambrosius ideo revolvere se ait; « ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. »

XVI. — *Scripta Liberio supposita.*

17. Præterea unam Liberii ad Orientales epistolam ab Arianis suppositam, item scriptum Liberii ad Athanasium, et Athanasii ad eumdem rescriptum,

Digitized by Google

necnon antiqua, sed falsissima Liberii gesta, tomi hujus appendix exhibebit.

18. Eidem papæ Isidorus Mercator supposuit Athanasii et Ægyptiorum nomine ex Alexandrina synodo scriptam epistolam, cui æque fictitium adjecit Liberii ipsius ad eosdem rescriptum. Utrumque opus cum cæteris ejus figmentis alii tomo servamus.

Decretorum Liberio adscriptorum Censura.

19. In editionibus conciliorum tria referuntur Liberii nova decreta ex codice vetusto 16, librorum lib. XIII, cap. 9, 10 et 12. Eadem eodem nomine et a Burchardo lib. XIII, c. 13, 14 et 18, necnon ab Ivone p. 4. c. 46, 47 et 50 laudantur.

Ex his primum, quod ita incipit : « In his jejuniorum diebus nullæ lites, » est Capitularis Theodulfi Aurelianensis episcopi capitulum 42.

Alterum, cujus est hoc initium, « Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a conjugibus, » est Capitularis ejusdem sequens capitulum.

Tertium, quod enuntiatur in hunc modum, « Si evenerit fames, inæqualitas aeris, pestilentia vel alia qualiscumque tribulatio, statim jejuniis, eleemosynis et obsecrationibus Domini misericordia deprecetur, » expressum ex libro I Capitularium, c. 118, ubi legimus : « De hoc si evenerit fames, pestilentia, inæqualitas aeris, vel alia qualiscumque tribulatio, non exspectetur edictum nostrum, sed statim deprecetur misericordia Dei. »

OPERA QUÆ EXSTANT.

ORATIO MARCELLINAM S. AMBROSII SOROREM DATO VIRGINITATIS VELO CONSECRANTIS.

(Ex Biblioth. Galland.)

I. Bonas, filia, nuptias (1) desiderasti. Vides quantus ad natalem Sponsi tui populus convenerit, et nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina convertit (*Joan.* II, 9). In te quoque sinceram sacramentum conferet virginitatis, quæ prius eras obnoxia vilibus naturæ materialis elementis. Hic est qui quinque panibus et duobus piscibus quatuor millia populi in deserto pavit. (*Luc.* IX, 13. *et seq.*). Plures potuit, si plures jam tunc qui pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit : sed jam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur e cœlo.

II. Hodie quidem secundum hominem homo natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex Patre : qui matrem corpore, virtute referat Patrem. Unigenitus in terris, unigenitus in cœlo : Deus ex Deo, partus ex virgine : justitia de Patre, virtus de potente, lumen ex lumine : non impar generantis, non potestate discretus : non verbi extensione, aut prolatione confusus, ut cum Patre mixtus, sed ut a Patre generationis jure distinctus sit : ipse est fraternus tuus, sine quo nec cœlestia nec marina nec terrestria consistunt. Verbum Patris bonum (*Cant.* V, 1), quod *erat*, inquit, *in principio* (*Joan.* I, 3 *et seq.*) : habes ejus æternitatem. *Et erat*, inquit, *apud Patrem* : habes indiscretam a Patre, inseparabilemque virtutem. *Et Deus erat Verbum* : habes ingenitam ejus divinitatem ; de compendio enim tibi fides est haurienda.

III. Hunc, filia, dilige, quia bonus est : *Nemo* enim *bonus nisi unus Deus.* (*Luc.* XVIII, 19). Si enim non dubitatur quia Deus Filius, Deus autem bonus est : utique non dubitatur, quia Deus bonus Filius. Hunc, inquam, dilige. Ipse est quem Pater genuit ante luciferum (*Psal.* CIX, 3), ut æternum : ex utero generavit, ut Filium : ex corde eructavit (*Psal.* XLIV, 2), ut Verbum. Ipse est in quo complacuit Pater (*Matth.* XVII, 5) : ipse est Patris brachium, quia creator est omnium : Patris sapientia, quia ex Dei ore processit (I *Cor.* I, 30) : Patris virtus, quia divinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo (*Coloss.* II, 9). Quem Pater ita diligit, ut in sinu portet, ad dexteram locet ; ut sapientiam discas, virtutem noveris.

IV. Si igitur virtus Dei Christus, numquid aliquando sine virtute Deus? Numquid aliquando sine Filio Pater? Si semper utique Pater, utique semper et Filius. Perfecti ergo Patris perfectus est Filius. Nam qui virtuti derogat, ei derogat cujus est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta divinitas. Dilige igitur quem Pater diligit : honorifica, quem honorificat Pater : *Qui* enim *non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Et qui negat Filium, nec Patrem habet* (*Joan.* V, 23). Hæc quantum ad fidem.

V. Sed interdum etiam cum fides tuta sit, juventus suspecta est. Modico itaque vino utere, ne infirmitatem corporis augeas (I *Tim.* V, 23), non ut voluptatem excites ; incendunt enim pariter duo, vinum et adolescentia. Infrenent etiam teneram ætatem jejunia, et parcimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Ratio revocet, mitiget spes, restringat metus. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, is sicut equis raptatus indomitis, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.

VI. Quod aliquando juveni ob amorem Dianæ contigisse proditur. Sed poeticis mendaciis coloratur fa-

(1) Huic loco ista præmittit S. Ambrosius, sororem suam alloquens : « Tempus est, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere ; ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Namque is, cum Salvatoris natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares, adstantibus etiam puellis Dei compluribus quæ certarent invicem de tua societate : *Bonas*, inquit, *filia, nuptias desiderasti*, etc.

Digitized by Google

lula, ut Neptunus prælati rivalis dolore incitatus, equis dicatur furorem immisisse, quo ejus magna potentia prædicetur; quod juvenem non virtute vicit, sed fraude decepit. Unde etiam sacrificium quotannis instaurant Dianæ, ut equus ad ejus immoletur aras. Quam virginem dicunt, quæ (id quod etiam meretrices erubescere solent) amare potuit non amantem. Sed habeant, per me licet, fabulæ suæ auctoritatem; quia licet scelestum utrumque, minus tamen sit juvenem amore adulteræ sic flagrasse ut periret, quam duos, ut ipsi dicunt, deos de adulterio certasse: Jovem autem dolorem scortantis filiæ in medicum vindicasse adulteri, quod ejus curarit vulnera, qui Dianam in silvis adulteraverit, venatricem sane optimam, non ferarum, sed libidinum; sed ferarum etiam, ut nuda venaretur.

VII. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, ut adstruant crimen incesti amoris. Dent Dianæ regnum in silvis quas incolebat, ut confirment adulterium quod gerebat. Dent Æsculapio quod mortuum reformaverit, dummodo profiteantur quod fulminatus ipse non evaserit. Dent etiam Jovi fulmina quæ non habuit, ut testificentur quæ habuit opprobria. Sed a fabulis ad propositum revertamur.

VIII. Escis quoque omnibus quæ gignant membris calorem, parce utendum puto: carnes enim etiam aquilas volantes deponunt. In vobis quoque ales interior illa, de qua legimus: *Renovabitur sicut aquilæ* (1) *juventus tua* (*Psalm.* CII, 5), sublime tenens, virgineo præpes volatu superfluæ carnis nesciat appetentiam. Conviviorum devitandæ celebritates, fugiendæ salutationes.

IX. Ipsas visitationes in junioribus esse parciores volo, si forte deferendum sit parentibus aut æqualibus. Teritur enim officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas: interroganti non respondere, infantia: respondere, fabula est. Deesse igitur sermonem virgini, quam superesse malim. Nam si mulieres etiam de rebus divinis in Ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare (I *Cor.* XIV, 34): de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?

X. An vero mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca cum veniret ad nuptias, et sponsum vidisset, velamen accepit (*Gen.* XXIV, 63) ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel; quemadmodum extorto osculo (2), flevit et gemuit (*Gen.* XXIX, 11 *et* 12): nec flere desiisset, nisi proximum cognovisset? Ita et pudoris servavit officium, et pietatis non omisit affectum. Quod si viro dicitur: *Virginem ne consideres, ne quando scandalizet te* (*Eccli.* IX, 5) quid dicendum est sacratæ virgini, quæ si amet, animo peccat: si amatur, et facto?

XI. Maxima est virtus tacendi, præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod revocare velis, proferas: sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum (*Prov.* X, 19). Homicidæ dictum est: *Peccasti, quiesce* (*Gen.* IV, 7), ne peccaret amplius: sed virgini dicendum est: Quiesce, ne pecces. Conservabat enim Maria, ut legimus, omnia in corde suo quæ de Filio dicebantur (*Luc.* II, 19): et tu cum legitur aliquod quo Christus aut venturus annuntiatur, aut venisse ostenditur; noli fabulando obstrepere, sed mentem admove. An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium (3)?

XII. Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt. Unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore, mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam judicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut natura vinceretur. Atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, quos si idem ignis contigisset, arsissent?

XIII. Quanto melius quod quidam (4) in convivio patris adolescens jubetur, ne meretricios amores indiciis insolentibus prodat? Et tu in mysterio, Dei virgo, gemitus, screatus, tussis, risus abstine. Quod ille in convivio potest, tu in mysterio non potes? Voce virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginem mihi prius gravitas sua nuntiet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto; et prænuntia integritatis anteeant signa virtutis. Non satis probabilis virgo est, quæ requiritur, cum videtur.

XIV. Frequens sermo est: cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi; tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes,

(1) Ita mss. fere ad unum: nonnulli tamen, et omediti, *sicut aquilæ*.

(2) Versio Vulg. et aliæ cum textu Hebræo, *osculatus est eam; et elevata voce flevit, et indicavit ei*, etc. E quibus verbis quod hic de fletu pudicum illud osculum consecuto narratur, eleganter quidem et apposite ad materiam, tribuitur Racheli; cum tamen ad Jacob referri oporteat. Et certe utesset aliqua in aliis idiomatis ambiguitas, aperte apud LXX legere est, *καὶ βοήσας τῇ φωνῇ αὐτοῦ, ἔκλαυσε*.

(3) Omnes editi, *depr. omnium, cum gentiles.... deferant*. Mss. autem magno consensu nobiscum faciunt. Porro subjectam ephebi hujusce barbari historiam memorat V. Maximus lib. III, cap. 3 *de Patientia*.

(4) Editi, *Quid quod quidam*. Et infra, *in ministerio.... tusses, risus abstine... in ministerio Dei non potes? Vocis*, etc. Mss. vero ut intextu, nisi quod aliqui pro *mysterio* legunt cum editis *ministerio*. Cæterum hic indicatur Terentianæ fabulæ quæ inscribitur *Heautontimorumenos*, Actus II, ubi sub finem scenæ III, admonetur Clitipho adolescens, ut præsente patre modestiam in convivio retineat: quoin loco ea verba leguntur: *Gemitus, screatus, tussis, risus abstine*.

Digitized by Google

homines non silebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat : hominum tanta est immodestia, ut plerique deferre

A nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati (1)?

(1) Hujusmodi Liberianam orationem ita concludit S. Doctor : *Hæc tecum sanctæ memoriæ* LIBERIUS.

EPISTOLÆ ET DICTA.

(*Const. col.* 421-464.)

EPISTOLA (1)

LIBERII PAPÆ AD OSIUM EPISCOPUM CORDUBENSEM.

(Anno 353 exeunte, aut 354 ineunte.)

De Vincentii episcopi Capuani legatione et lapsu.

Quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire : multi ex Italia episcopi convenerunt, qui mecum religiosissimum imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum, concilium ad Aquileiam congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello æque ex Campania episcopo legationem nostram suscepisse sanctitati tuæ insinuo. De quo cum multa sperarem, quod et causam optime retineret, et judex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset; credideram (2) integrum Dei Evangelium sua legatione posse servari. Non tantum nihil impetravit, sed et ipse in illam ductus est (3) simulationem. Post cujus factum duplici mœrore confectus, mihi moriendum magis pro Deo decrevi, ne viderer novissimus delator (4), aut sententiis contra Evangelium accommodare consensum.

B

EPISTOLA (5).

C

LIBERII PAPÆ AD CÆCILIANUM SPOLETINUM EPISCOPUM.

(Eodem tempore.)

De eadem re.

Nolo te factum Vincentii ab intentu boni operis revocet, frater carissime.

EPISTOLA (6)

LIBERII PAPÆ AD EUSEBIUM VERCELLENSEM EPISCOPUM.

(Eodem tempore.)

De legatione Luciferi Calaritani episcopi ad Constantium imp. ut concilium, quo res Ecclesiæ componantur, ab eo postulet. Ut Eusebius ipse illius adjutor sit quo petitionem impetret.

Liberius (7) episcopus dilectissimo fratri Eusebio.

I. Me, frater carissime, ad solatium vitæ præsentis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum præcepta, nullo genere a consortio sedis apostolicæ discrepasti : quod credo non sine Dei impulsu, qui digno (*F.* dignos) sibi in sacerdotio detinet, benevolentia complesse. Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus (8) est simulationem, reliqui per Italiam episcopi publica conventione coacti fuissent sententiis Orientalium obedire; Deo procurante, frater et coepiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit, qui cum latebras causæ interioris cognovisset, et pervenisset ad ejus conscientiam, sub occasione nominis Athanasii hæreticos hæc velle tentare; pro devotione fidei suæ subire voluit justum laborem, et ad Comitatum religiosi principis pergere : ut tandem exposito ordine totius causæ, impetraret ut omnia, quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari.

II. Itaque quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum ejus animo concordare, prudentiam tuam peto, ut si procurante Deo habuerit te præsentem, per quoscumque potueris, sollicite excubare contendas, ut possitis universa, quæ fides catholica exigit, clementissimo imperatori insinuare : ut tandem aliquando deposita animi indignatione, faciat quod et quieti

D

(1) Exstat inter fragmenta Hilarii fragm. VI n. 2, necnon apud Baronium ad ann. 353, n. 9, edita. Integram non esse, prima ejus verba apud Hilarium, *Inter hæc*, persuadent. Scripta est post recentem Vincentii in Arelatensi synodo lapsum; adeoque circa exitum anni 353 aut circa initium anni 354.

(2) Apud Baron. desideratur *integrum*. In duobus mss. habetur *integrum jus Evangeliorum*.

(3) In illa simulatione eum ad id saltem tempus, quo Liberius et Osius in exilium ejecti sunt, perseverasse colligitur ex verbis Athanasii apolog. ad Constant. n. 27. Postea tamen a Damaso e synodo Romana ad episcopos Illyrici scribente laudari meruit, *ut qui tot annis sacerdotium illibate servasset*. Notandum est Athanasium loco mox citato paucis perstringere, quæ tum Arelatense, tum Mediolanense concilium consecuta sunt; adeoque licet de Vincentii simulatione loquens, Fortunatianum Aquileiensem, Heremium Thessalonicensem, omnesque occidentales episcopos ei adjungat, minime inde sequi, ut hi omnes Arelate lapsi sint; sicut nec ex eo quod ibidem simul Liberii, Osii, Paulini, Dionysii, Eusebii, Luciferi, etc. exilia commemorat, consequens est ut quia Paulinus ab Arelatensi synodo in exilium pulsus est, cæterorum exilium non sit serius disserendum.

(4) Apud Baron. *delator existere : nam videtur sententiis accommodasse consensum.*

(5) Hanc epistolæ tenuem particulam nobis transmisit Hilarius fragmento VI, n. 2. Epistola autem eo ipso tempore, quo superior, scripta est.

(6) A Baronio ad annum 353, n. 20, et a Stephano Ferrerio Vercellensi episcopo ex ipsius Vercellensis ecclesiæ archivo exscripta atque edita est. In hac ut in superioribus Liberius Vincentii simulationem deflet; at solatii, quod nunc ex Luciferi Calaritani episcopi magnanimitate percepisse se memorat, in superioribus minime meminit : adeoque hanc illis aliquanto posterius scriptam esse liquet. Ad annum 354 videtur referenda.

(7) Ita Ferrerius. At Baron. *Liberius fratri Eusebio.*

(8) Orationis integritas postulat, *ductus esset simulationem et reliqui.* Ad hanc violentiam episcopis Italis factam referre licet quod Athanasius apolog. ad Constant. n. 29 : *Occidentales episcopos vi non minima, imo violentia maxima gravibusque injuriis affectos esse, donec pollicerentur se in posterum nobiscum non communicaturos.* Communionem igitur Athanasio negare, hoc erat Orientalium placitis obedire.

Digitized by Google

nostræ et saluti (1) suæ possit in omnibus convenire. Ex superfluo autem credidi, ordinationem causæ totius honorificentiæ tuæ litteris insinuare, cum supradictus frater meus vel ejus comites (2) in præsenti possint omnia relatione sua referre. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime.

EPISTOLA (3)

MISSA AD CONSTANTIUM IMPERATOREM A LIBERIO EPISCOPO URBIS ROMÆ PER LUCIFERUM EPISCOPUM.

(Anno 354.)

Constantium sibi placare, et concilium quo paci ecclesiarum consulatur, ab eo impetrare conatur.

Gloriosissimo Constantio Augusto Liberius episcopus.

I. *Constantii erga Liberium implacabilis animus. Concilium petitum.* — Obsecro (4), tranquillissime imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possit mansuetudini tuæ mentis meæ propositum apparere. De Christiano enim imperatore et sanctæ memoriæ Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, quia repetita satisfactione placabilem etiam circa (5) reos animum tuum in gratiam meam revocare non possum. Sermo enim pietatis tuæ, jamdudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat : sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui numquam, ut scriptum est, in occasum diei iracundiam servat, retinere circa me indignationem miraculo mihi est: Ego enim, religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ; sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerunt propter quæ concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus : ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio, cum fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset tractata, (6) ne eorum, qui nostram circa Deum observantiam mirari debent, possent finiri. Et dignum fuerat Dei cultore, dignum Imperio tuo, quod Christi pietate regitur et augetur, specialiter hoc ipsum pro reverentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare.

II. *Liberius de suppressis Orientalium litteris falso postulatus.*—Sed multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confinxerunt me litteras suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse apud omnes paterent. Quas (7) illas litteras? Episcoporum Orientalium, et Ægyptiorum, quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina continebantur? At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse ecclesiæ, legisse concilio, atque (8) hæc etiam Orientalibus respondisse : qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore (9) octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem (10) debet Eusebius qui missus fuerat festinans ad Africam, nobis reliquit : quæ tamen postea omnia scripta, ne ad impetrandum forte concilium deessent, Vincentius qui cum cæteris missus fuerat Arelatum pertulit.

III. *A criminibus sibi oblatis se purgat.* Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare.

(1) Apud Baron. *saluti tuæ*. Rectius apud Ferrer. *saluti suæ*.

(2) Scii. Pancratius presbyter et Hilarius diaconus, uti declaratur in epistola sequenti.

(3) Ex Hilarii fragmento v nobis suppeditatur. Ibi *epistola legatorum*, hoc est, quam legati perferendam acceperunt, inscribitur. Ipsis una cum superiore tradita est. Baronius ad annum 354, n. 2, eamdem ex bibliotheca Patrum edit. Paris. exscripsit.

(4) Apud Baron. *Opto :* et mox, *quo possim... aperire*, pro *quo possit...., apparere*.

(5) Alludit ad id quod Athanasius in historia Arianorum ad monachos n. 68, sic explicat : *Dum episcopi ablegarentur in exilium, accidit quosdam alios cædis vel seditionis vel furti reos pro sceleris modo condemnari : quos quidem post menses paucos rogatus ille, quemadmodum Barabbam Pilatus, a pœna absolvit : servis autem Christi..... immortale se malum exhibuit.*

(6) Apud Baron. *nec eorum*. Malleinus *tunc eorum* supplendo *causæ*. Hoc enim sibi vult Liberius hic, quod infra epist. seu § 9, Eusebium spadonem alloquens repetit : *Primum omnis de fide dissensio abscidenda est, ac deinde alia negotia excutienda.*

(7) In ms. Pith. hoc est in archetypo fragmentorum Hilarii, *quasi illas*. Ex hoc loco liquet Orientales, hoc est Arianos, statim ut Liberium Julii loco suffectum rescierunt, litteras ad eum misisse calumniis adversus Athanasium refertas, vicissimque Ægyptios, missis eodem tempore litteris, calumnias illas deprehisse. Id nimirum tunc ab utraque parte repetitum, quod Julio pontificatum ineunte tentatum jam fuerat. Hoc de Ægyptiis nominatim Hilarius frag. IV, n. 2, testatur : *Quales litteræ ex Ægypto omni atque ab Alexandria ad Julium pridem de reddenda exsulanti Athanasio communione erant scriptæ, tales nunc.... ad Liberium datæ sunt de tuenda.* Quemadmodum etiam Julius epist. I, n. 9, quominus Athanasium ex Eusebianorum testimonio damnaret, inde se prohiberi affirmabat, quod innocentiam illius Ægyptii longe plures testabantur, ita et nunc Liberius eadem ratione Arianorum expostulationes refellit. Quocirca is papa Orientalium Ægyptiorumque litteras minime inter se consentientes exstitisse, atque ut eadem adversus Athanasium crimina continerent, procul abfuisse ostendit. Ille quidem litteras calumniis tam apertis plenas supprimere iis rationibus poterat, quibus antea Cyprianus epistolis 1 et 2, ad Cornelium cavisse se dicit, ne schismaticorum libellus conviciis refertus publice coram populo legeretur : sed querimoniæ cuilibet præcludere voleus aditum, earumdem partium litteras in ecclesia recitari curavit.

(8) Apud Baron. *ad hæc;* abundat præpositio *ad*. Mox magis placeret, *quia iis fidem :* ut hic indicet Liberius quid Orientalibus responderit.

(9) Apud Baron. *septuaginta quinque :* exemplaribus Hilarii ut et epistola in synodi Sardicensis ad Julium n. 2, refragantibus.

(10) In bibl. PP. *debet Theoscbius*. Baron. habet

Digitized by Google

Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide et metu in Deum meum cuncta mundana, ita ut evangelica et apostolica ratio præcepit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed constitu o atque observato jure divino, atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat implevi : et ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi ; in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere. Et nunquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata et custodita, perfeci. Secutus morem ordinemque majorum, nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum : et illam fidem servans, quæ per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto.

IV. *Cum Orientalibus cur communicare nequeat.* — Denique jam me aperire causam pietati tuæ sollicitudo ecclesiastica atque ipsa devotio persuadet. Significant Orientales paci nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante (1) annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio animis iratis exierunt? Horum, si fas est sententiis, quale sit, aut quid periculi habeat, commodare consensum, æquitas et clementia tua poterit æstimare. Non est novum, quod nunc subtiliter et sub occasione nominis Athanasii attentatur. Manent litteræ (2) Alexandri episcopi olim ad Silvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit ante ordinationem Athanasii, undecim tam presbyteros quam etiam diaconos, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse : ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius (3) in Alexandria per litteras communicare. Quæ ergo pax potest esse, tranquillissime imperator, si (4) exhibitis episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire?

V. *Athanasii damnatio qua conditione in Mediolanen-*

A *si synodo proposita.* — Accipe aliud, quia tranquillitas tua patienter admittit. Manent legatorum (Vincentii et Marcelli) litteræ, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt, quibus significant, propter turbationem quidem omnium ecclesiarum, se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum, ut ipsi significant, scriptura teste firmatur, itur in concilium ; accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse ; Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum. Hinc jam clementia tua hoc quoque consideret, recte catholicæ religionis jure servato, an hominis causa
B debeat diligenter excusseque tractari.

VI. *Liberius concilium enixe postulat.* — Unde iterum atque iterum mansuetudinem tuam atque animum tuum Deo devotum rogamus, per ejus virtutem qui se in defensione tua (5) quantus sit universis mortalibus approbavit, ut habens ante oculos ejus beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit, hæc in cœtu episcoporum diligenter facias cum omni consideratione tractari : ut pacatis per te, Deo favente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositionem
C fidei quæ inter tantos episcopos apud Nicæum præsente sanctæ memoriæ patre tuo confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possint in posterum custodiri : ut ipse Salvator, qui desuper mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei et pacis etiam reipublicæ necessitatibus non immerito præposuisse.

VII. *Legatos commendat.* — Ad exorandum igitur tuam, mansuetudinem ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem et coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio (6) presbytero et Hilario diacono placuit proficisci. Quos credimus de clementia tua ad pacem omnium ecclesiarum catholicarum non difficulter posse concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime Auguste.

D

Theosebius, et ad marg. *Theobadius*. Num is notatur Eusebius eunuchus, qui et postea ad Liberium cum muneribus missus est, ut eum ad obsequendum Constantii voluntati induceret.

(1) Post Athanasium lib. de Synod. Socrates lib. II, c. 19, narrat, Orientales triennio post concilium Antiochiæ, anno 341 habitum, prolixam fidei formulam conscripsisse, eamque per Eudoxium, Macedonium et martyrium ad episcopos Italiæ misisse Ex horum legatorum adventu, et concilii apud Mediolanum celebrandi, et ab ipsis legatis, pro Occidentalium more, ut Arianam hæresim prædamnarent exigendi, probabiliter nata est occasio, uti jam apud Hilarium in hunc locum observavimus.

(2) Encyclicæ scilicet, quas Socrates lib. I, c. 9, Historiæ suæ inseruit. Exstant et apud Athanasium nov. edit. t. I, p. 397. Quos autem Alexander in his litteris Ecclesia ejectos a se memorat, hos ab omnibus, qui ad Nicæum synodum convenerunt, anathemate damnatos fuisse Julius epist. I, n. 3 et 4 scribit.

(3) Forte Laodiceæ episcopus. Hic certe alius notatur ab eo Georgio, qui anno duntaxat 356 adeoque longe postquam hæc epistola scripta est, in Alexandrinam sedem invasit.

(4) Apud Baronium desideratur *exhibitis*. Hic notatur ejectum, ab imperatore, ut narrat Sulpicius lib. II, propositum, *ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur*.

(5) Adversus Magnentium anno 353 deletum.

(6) Baron. *compresbytero meo* : qua quidem locutione utitur infra Liberius, epist. 6.

Digitized by Google

EPISTOLA (4)

LIBERII PAPÆ AD EUSEBIUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

(Anno 354.)

Ut legatis ad Constantium pergentibus se adjungat.

Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio.

Remeante filio meo (2) Callepio ad patriam suam, optimum credidi per hanc sanctitatem tuam salutare, domine frater charissime, orans Dei clementiam, ut salvus atque hilaris litteras meas accipias. Sane quia scio invictum animum tuum fideliter agere quæ Deus præcepit, commendo tibi fratrem et coepiscopum nostrum Luciferum, sed et charissimos filios meos Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum, qui pro statu Ecclesiæ animo virili et virtute deifica, tempore tempestivo, aggressi sunt (3) contra inimicos Ecclesiæ, quos Deus spiritu oris sui destruet. Scio enim ferventem spiritum Dei esse in te, ut simul cum eisdem aggrediaris : ut fides, quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ catholicæ, nullo modo irrumpi possit (certe dignaris retinere si leges publicæ absentem non (4) condemnant) : ut eorum consortio jungat se fides tua, et similis ubi fuerit, adsit sanctitas tua, uno colloquio, uno consilio id agatis, quod Deo et angelis ejus placet, et Ecclesiæ catholicæ expedit. Pro hoc labore præmium cœleste, coronam immarcescibilem, hæreditatem regni cœlorum Christus Dominus noster retribuat vobis. Salutamus omnes qui tecum Deo fideliter serviunt. Salutate omnem clerum... Deus te incolumem custodiat, domine frater charissime.

EPISTOLA (5)

LIBERII PAPÆ AD EUSEBIUM EPISCOPUM VERCELLENSEM.

Quanta lætitia affectus sit Eusebii litteris, quibus cum se legatis ipsius adjunxisse didicit. Fortunatiano Aquileiensi episcopo se pariter scripsisse eis, ut cum excubet, et si opus sit, suam eis præsentiam non neget.

Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio.

I. *Laus pietatis Eusebii.*— Sciebam, domine frater charissime, quod Spiritu Dei fervens in causa fidei, quæ nos potest Domino commendare, fratri et coepiscopo nostro Lucifero, et Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exhibere, nec te posses iis denegare, quos sciebas pro devotione fidei suæ tantum laborem itineris suscepisse. Magnum itaque levamen animus meus ex lectione litterarum tuarum accepit : imo causam ipsam in melius proficere posse, Deo favente, quod fratres nostros deserere noluisti, jamjamque confido. Labora itaque ut bonus miles, qui præmium æterni imperatoris exspectas, et virtutem animi, qua te scio mundi hujus illecebras contempsisse, adversus eos qui Ecclesiæ quidem luce orbi sunt, præbere (*seu*, exserere) contende. Habens utpote contemptum vitæ istius, veridicum te sacerdotem ostende : ut laborantibus vobis pro Ecclesiæ statu, concilium possit celebrari; ut omnia, quæ in præjudicium fidei subtiliter e diverso venientes machinati sunt, possint in melius reformari. Hunc laborem, quem egregia fides tua melius novit, æterna præmia comitantur : cui quemadmodum insistere debemus, etiamsi exhortatio frigesceret, fervens Spiritus sanctus, qui in te est, propter unitatem sanctæ Ecclesiæ per momenta animum tuum stimularet ad majora solatia.

II. Etiam ad fratrem et coepiscopum nostrum Fortunatianum (6), quem sciebam neque personas hominum vereri, et futura magis præmia cogitare, litteras erogavi ; ut et ipse pro sinceritate pectoris, et pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitæ præsentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare. Quem quidem scio pro sanctitate pectoris sui indubitanter et consilio suo prudentiam vestram firmare, et si ita vobis placuerit, præsentiam suam in nullo dilectioni vestræ negare. Deus te incolumem custodiat, domine frater charissime.

EPISTOLA (7)

LIBERII PAPÆ AD EUSEBIUM, DIONYSIUM ET LUCIFERUM IN EXILIO CONSTITUTOS

(Anno 355.)

Iis de confessionis gloria gratulatus, illorum orationibus se commendat, et ut de universis quæ Mediolani gesta sunt se certiorem faciant rogat.

I. *Liberius exilium desiderat gloriansque de falsorum fratrum persecutione.* — Quamvis sub imagine pacis,

(1) Tabulis ecclesiæ Vercellensis hanc debemus epistolam, quam Baronius ad annum 354, n. 6, et Stephanus Ferrerius exinde vulgarunt. Scriptam esse apparet post legatorum profectionem, sed antequam hi in Gallias pergentes Vercellis transissent, adeoque non longe post duas superiores.

(2) Baron. ad marg. *Calepodio*. Sardicensi concilio Calepodius Neapolitanus episcopus subscriptus legitur : sed ecclesiastico more Liberius episcopos *fratres*, non *filios* appellare solet. Neque de episcopo ad ecclesiam suam redeunte, sed de laico *ad patrium* remeante hic videtur loqui.

(3) Addit Baron. ad marg. *pugnare*. Nullum verbum hic desiderari suadet eadem mox repetita locutio, *ut simul cum eisdem aggrediaris*.

(4) Hoc est, condemnari non vetant.

(5) Ex eodem Vercellensis ecclesiæ archivo primum apud Baronium, ad ann. 354, n. 8, tum apud Steph. Ferrerium prodiit. Scripta est postquam Eusebius, a Liberio ut se legatis ipsius adjungeret rogatus, voluntati ejus parere se rescripsit, sed antequam Liberius legatos suos ad imperatorem pervenisse resciret, ut ex eo colligitur quod de Fortunatiano scribit. Pertinet igitur et hæc epistola ad annum 354.

(6) Apud Ferrer. *Fortunianum*, mendose. Is est Fortunatianus Aquileiensis episcopus, qui postea Liberio ipsi labendi auctor fuit. Hunc in imperatoris comitatu tum exstitisse, aut non procul abfuisse, aut etiam legatos Vercellis vel alibi in itinere moram aliquam fecisse, Liberius innuit, ubi se Fortunatiano ut cum legatis excubet, ac si ipsis placuerit, præsentiam suam non neget, scripsisse significat.

(7) Apud Hilarium exstat frag. VI ex mss. Remig. et Pith. necnon apud Baronium ad annum 355, n. 32, et Stephanum Ferrerium e tabulis ecclesiæ Vercellensis et Vaticano codice exscripta. Non longe post Mediolanensem synodum, quæ anno 355 et, ut eruditis quidem videtur, ineunte habita est, antequam Liberius ipse Mediolanum vocaretur, immo et antequam quæ prædicta in synodo fuissent acta certo et accurate didicisset, adeoque circa medium annum 355 scripta est. Baronius ad an. 355, n. 34, *tum ad Euse-*

Digitized by Google

humani generis inimicos vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus; vos tamen (1) acceptissimi in Domino sacerdotes, egregia et singularis fides et hic probabiles Deo ostendit, et jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ et gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum: nisi quod scio hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi: ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse credatis; atque eo me affectu absentem non esse sentiatis; et intelligatis dolere me satis, quod sum interim a vestro consortio disparatus. Quantam denique gloriam fueritis consecuti, hinc magis scire potestis, quod si qui in persecutione coronati sunt, solius (2) persecutoris cruentos gladios sentire potuerunt: contra vos, devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidia victoriam pertulistis: quorum quanto violentia in sæculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre.

II. *Confessores Deo proximiores fiunt.* — Estote itaque de promissione cœlesti securi: et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem, famulum Dei ad Dominum sublevate, ut supervenientes impetus, qui de die in diem cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus: ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ catholicæ, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa congressione (3) fidelius scire; obsecro sanctitatem vestram, universa fideliter litteris intimare dignemini: ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ jam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire. (*Et alia manu*), Deus vos incolumes custodiat (4), domini fratres.

LIBERII PAPÆ DICTA (5)

AD EUSEBIUM SPADONEM, DUM IPSUM, UT IN ATHANASIUM SUBSCRIBENS IMPERATORI OBTEMPERARET, HORTABATUR.

(Anno 355.)

Quî, quæso, adversus Athanasium id fieri possit (quod suades)? Nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque jure declaravit, quemque Romana (6) synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Aut quis nos probaturus est, si quem præsentem dileximus,

Πῶς οἷόν τε τοῦτο γενέσθαι κατὰ Ἀθανασίου; ὃν γὰρ οὐ μόνον μία, ἀλλὰ καὶ δευτέρα σύνοδος πανταχόθεν συναχθεῖσα καλῶς ἐκαθάρισε, καὶ ἡ Ῥωμαίων δὲ ἐκκλησία μετ' εἰρήνης ἀπέλυσε, πῶς δυνάμεθα κατακρῖναι; ἢ τίς ἡμᾶς ἀποδέξεται, εἰ ὃν παρόντα ἠγαπήσαμεν, καὶ εἴχομεν τῇ κοινωνίᾳ, τοῦτον ἰὰν ἀποστραφῶμεν ἀπόντα; οὐκ ἔστιν

bium tum ad reliquos episcopos exsules, Dionysium et alios omnes, datam in codice Vaticano legi testatur. Optandum erat ut propria exemplaris verba exscripsisset. Nam vereor ut non aliud præ se ferat hic codex, quam quod apud Hilarium, *Liberius antequam ad exilium iret, hanc uniformem epistolam confessoribus scripsit, id est, Eusebio, Dionysio et Lucifero in exilio constitutis.* Cujus inscriptionis litteræ si hæreamus, non *ad confessores omnes diversis in locis exsultantes encyclica*, ut scribit Baronius, sed ad unos Eusebium, Dionysium et Luciferum *uniformis*, seu tribus unius formæ exemplis, quod postea dictum est *a pari*, conscripta est. Aliquando quidem probabile existimaram, eamdem et ad Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum missam esse: at cum in epistola eos alloquatur quos in principio *acceptissimos in Domino sacerdotes*, sublinde *sanctos sacerdotes*, et in fine *dominos fratres* appellat; cumque episcopum atque in primis Romanum minime deceat, proprios clericos honorificis hisce titulis compellare, veri videtur similius singularem epistolam Pancratio atque Hilario ut filiis a Liberio scriptam esse. In tabulis ecclesiæ Vercellensis propria Eusebio servata est inscriptio in hunc modum, *Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio:* sed in epistolæ serie nihil immutatum.

(1) Ita Baron. At ms. Pith. *acceptissimos sacerdotes.* Apud Ferrer., *acceptissimos Deo sacerdotes.*

(2) Apud Ferrer. *quod qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris fructus gl..dio.* In tribus hisce postremis verbis concinit et ms. Pith. Baronius vero præfert, *quod qui...solius persecutionis cruentos gladios.* Retinendum *persecutoris*, cui opponantur *fratres falsi*, a quibus persecutionem sustinere ut gravius erat, ita et de ipsis triumphare gloriosius esse Liberius ducit.

(3) Baron. *congregatione*, rejecto in marg. *congressione*, quod præferunt alii libri, et quidem concinnius.

(4) Clausulæ istius loco hæc apud Ferrerium legitur: *Deus te incolumem custodiat, domine frater charissime. Item ipse et mei memor esse digneris.* Ibi nempe hæc epistola ut uni Eusebio inscripta exhibetur.

(5) His dictis, utpote quæ ejusdem generis, cujus epistolæ sunt, quæque Liberii animum atque sententiam non secus atque illæ patefaciunt, locum hic dandum esse duximus. Eamdem ob causam et Liberii cum Constantio dialogum infra subjiciemus. Nempe statim ut Liberii legati cæterique confessores Mediolano in locum exilii profecti sunt, Constantius sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris et muneribus spadonem quemdam Eusebium nomine destinavit, ut blandiretur donis, litteris vero minaretur. Is Romam profectus, primum Liberio auctor erat, ut contra Athanasium subscriberet, cumque Arianis communicaret, id enim imperatorem velle, id ut faceret jubere: tum *ostensis muneribus, manuque Liberii contrectans aiebat, imperatori obtempera, et hæc accipe.* Quæ quidem spadonis verba secuta est Liberii responsio, quam ex Athanasii epistola ad solitarios, seu historia Arianorum ad monachos, n. 36, hic exhibemus.

(6) Quæ scilicet anno 342 sub Julio habita est quinquaginta constans episcopis. Secuta est anno 347 Sardicensis ex toto orbe congregata. Hanc excepit anno 349, Jerosolymitana, quæ Athanasium pariter insontem declaravit. Trium illarum synodorum litteras Athanasius apolog. cont. Arian. n. 21, 37 et 57, t. I, p. 365, exscripsit. Nec dubium quin saltem duas priores Liberius hic commemoret.

Digitized by Google

οὗτος ἐκκλησιαστικὸς κανών, οὔτε τοιαύτην πώποτε παράδοσιν ἔσχομεν παρὰ τῶν πατέρων, τῶν καὶ αὐτῶν παραλαβόντων παρὰ τοῦ μακαρίου καὶ μεγάλου ἀποστόλου Πέτρου. ἀλλ' εἴπερ ἄρα μέλει τῷ βασιλεῖ περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εἰρήνης, εἰ κελεύει λυθῆναι τὰ παρ' ἡμῖν περὶ Ἀθανασίου γραφέντα, λυέσθω καὶ τὰ παρ' ἐκείνων κατ' αὐτοῦ γενόμενα, λυέσθω δὲ καὶ τὰ κατὰ πάντων· καὶ γενέσθω λοιπὸν ἐκκλησιαστικὴ σύνοδος μακρὰ τοῦ παλατίου. ἐν ᾗ βασιλεὺς οὐ παρέστιν, οὐ κόμης παραγίνεται, οὐ δικαστὴς ἀπειλεῖ, ἀλλὰ μόνον ὁ τοῦ θεοῦ φόβος ἀρκεῖ, καὶ ἡ τῶν ἀποστόλων διάταξις· ἵν' οὕτως προηγουμένως, ἡ μὲν ἐκκλησιαστικὴ πίστις σώζηται, καθὼς οἱ πατέρες ὥρισαν ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ. οἱ δὲ τὰ Ἀρείου φρονοῦντες ἐκβάλλωνται, καὶ ἡ αἵρεσις αὐτῶν ἀναθεματισθῇ· καὶ τότε λοιπὸν κρίσεως γενομένης περὶ ὧν Ἀθανάσιος, καὶ εἴ τις ἕτερος ἐγκαλεῖται, καὶ περὶ ὧν ἐγκαλεύονται καὶ αὐτοὶ οἱ μὲν ὑπεύθυνοι ἐκβάλλωνται. οἱ δὲ καθαροὶ παῤῥησίαν ἔχωσιν. οὐ γὰρ οἷόν τε συνόδῳ συναριθμηθῆναι τοὺς περὶ πίστιν ἀσεβοῦντας· οὐδὲ πρέπει προκρίνεσθαι πράγματος ἐξέτασιν, τῆς περὶ πίστεως ἐξετάσεως. χρὴ γὰρ πρῶτον πᾶσαν περὶ τῆς πίστεως διαφωνίαν ἐκκόπτεσθαι· καὶ τότε τὴν περὶ τῶν πραγμάτων ἔρευναν ποιεῖσθαι καὶ γὰρ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς οὐ πρότερον ἐθεράπευε τοὺς πάσχοντας, πρὶν ἂν δείξωσι καὶ εἴπωσιν ὁποίαν πίστιν εἶχον εἰς αὐτόν. ταῦτα παρὰ τῶν πατέρων ἐμάθομεν, ταῦτα ἀπάγγελλον τῷ βασιλεῖ· ταῦτα γὰρ καὶ αὐτῷ συμφέρει, καὶ τὴν ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ. μὴ ἀκουέτω (Forte, ἀκουέσθω) καὶ Οὐρσάκιος καὶ Οὐάλης· καὶ γὰρ ἐν τοῖς προτέροις μετενόησαν, καὶ νῦν λέγοντες, οὐκ εἰσὶ πιστοί.

A et ad communionem admisimus, absentem aversemur? Non est illud ecclesiastici canonis, nec talem unquam accepimus a patribus, qui et ipsi a beato et magno apostolo Petro acceperunt, traditionem. Sed si imperator ecclesiasticæ pacis est studiosus, si jubet abrogari quæ apud nos pro Athanasio scripta sunt; abrogentur pariter quæcumque ab illis adversus eum gesta fuerint, abrogentur et quæ adversus omnes sunt acta: ac demum ecclesiastica synodus procul palatio cogatur, ubi nec imperator compareat, nec comes accedat, nec judex communetur; sed tantum Dei timor sufficiat cum apostolorum constitutione, ut cum primis ecclesiastica fides eo modo servetur, quo a patribus in Nicæna synodo definita est. Ejiciantur arianæ pravitatis sectatores, eorumque hæresis anathemate damnetur: ac tum demum de criminibus quæ B Athanasio vel alii cuipiam inferuntur, nec non de iis quibus accusantur illi, judicio facto, expellantur rei, et innoxii cum fiducia et securitate degant. Neque enim fas est synodo eos annumerari, qui fide impii sunt: neque alterius cujusque negotii inquisitionem inquisitioni fidei anteferri convenit. Primum quippe omnis de fide dissensio abscidenda: ac deinde excutienda alia negotia. Nam Dominus noster Jesus Christus ægrotos non prius curavit, quam ostenderent verbisque declararent quam erga se haberent fidem. Hæc a patribus didicimus, hæc imperatori renuntia: ei enim et Ecclesiæ ædificationi hæc conducunt. Ne audiantur Ursacius et Valens: qui cum de rebus a se ante gestis pœnitentiam egerint, quidvis nunc dicant, C minime fide digni sunt (1).

DIALOGUS (2)

LIBERII EPISCOPI ROMANI ET CONSTANTII IMPERATORIS, TRIDUO ANTEQUAM LIBERIUS IN EXILIUM DEPORTARETUR HABITUS.

(Anno 353.)

Α'. Κωνστάντιος ὁ βασιλεὺς εἶπεν· Ἡμεῖς καὶ διὰ τὸν χριστιανόν σε, καὶ ἐπίσκοπον τῆς ἡμετέρας πόλεως, ἄξιον ἐκρίναμεν, καὶ τοῦτο μεταστειλόμενοι παραινοῦμέν σοι, τῆς ἀπορρήτου ἀπουσίας τοῦ ἀνοσίου Ἀθανασίου τὴν κοινωνίαν ἀρνήσασθαι. Τοῦτο γὰρ ἡ οἰκουμένη εὖ ἔχειν ἐδοκίμασε, συνόδου τε ψηφίσματι ἀλλότριον τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἔκρινε. Λιβέριος ἐπίσκοπος εἶπε· Βασιλεῦ, τὰ ἐκκλησιαστικὰ κρίματα μετὰ πολλῆς δικαιοκρισίας γίνεσθαι ὀφείλει. διόπερ εἴ σου δοκεῖ τῇ εὐσεβείᾳ, κριτήριον συσταθῆναι κέλευσον· καὶ εἰ ὀφθείη Ἀθανάσιος ἄξιος καταλύσεως, τότε κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τύπον, ἐξενεχθήσεται ἡ κατ' αὐτοῦ ψῆφος. οὐδὲ γὰρ οἷόν τε καταψηφίσασθαι ἀνδρὸς, ὃν οὐκ ἐκρίναμεν.

I. *Iniqua fuit tum sententia tum subscriptio Athanasium damnantium.*—Constantinus imperator dixit: « Nos, quoniam et Christianus es, et episcopus nostræ civitatis, ideirco te evocandum duximus, et admonendum, ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias. Id enim æquum esse orbis terrarum censuit, eumque ab ecclesiastica communione alienum esse synodali sententia decrevit. » Liberius episcopus dixit: « Judicia ecclesiastica, o imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quare si placet pietati tuæ, judicium constitui jube: et siquidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc secundum ecclesiastici ordinis formam in il-

(1) Addit Athanasius, eunuchum his verbis indignatum, obliumque se coram episcopo stare, graviter interminatum cum donis ablisse, tum rem perpetrasse quæ a christianis abhorreat; Saulis quippe prævaricationem imitatum, dona illa in martyrio Petri apostoli apposuisse: Liberium vero re comperta, graviter succensuisse adversus loci custodem, quod non prohibuisset hominem, et ipsa dona velut illicitum sacrificium projecisse.

(2) Cum nihil profecisset apud Liberium Eusebius eunuchus, mox Imperator Romam litteras ad Præfectum misit, ut Liberium urbe subductum ad se transmitteret. Mandatum Constantii, ut Ammianus Marcellinus, lib. xv, auctor est, perfecit Leontius, qui præfectus Urbis munus anno 355, Julii 6, iniisse dicitur. Liberius vero Mediolanum missus, seu, ut loquitur Athanasius, hist. Arian. ad Monachos n. 39. *tructus*, sequentem cum imperatore dialogum anno 353, tabente habuit. Hunc Theodoretus, lib. II hist. eccl., c. 16, descripturus, cap. 15 ita præfatur: *Jam vero celeberrimi Liberii pro veritate fiduciam et admirabiles sermones, quos coram Constantio habuit, scripto mandare libet. Descripti sunt enim a pis viris, ut idonei qui stimulent et excitent ad æmulationem rerum divinarum studiosos.*

Digitized by Google

lum sententia proferetur. Neque enim a nobis condemnari potest vir, quem non judicavimus (1). » Constantius imperator dixit : « Totus terrarum orbis de ejus impietate sententiam tulit ; et perinde atque ab initio tempori illudit. » Liberius episcopus dixit : « Quicumque subscripserunt, res gestas ipsi non (2) viderunt : sed propter gloriam ac metum, neve ab te ignominia afficerentur, subscripserunt. » Imperator dixit : « Quænam est gloria, quis metus, quæ ignominia ? » Liberius respondit : « Quicumque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum quem ipsi non viderant, nullo judicio prævio condemnarunt; quod alienum est a christianis. »

A Κωνστάντιος ὁ βασιλεὺς εἶπε· Πᾶσα ἡ οἰκουμένη κατεψηφίσατο περὶ τῆς ἀνοσιότητος αὐτοῦ, καὶ ὡς ἐξ ἀρχῆς τὸν καιρὸν διαπαίζει. Λιβέριος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ὅσοι ὑπέγραψαν, οὐκ αὐτόπται τῶν γεγενημένων ἦσαν, ἀλλὰ διὰ δόξαν, καὶ φόβον, καὶ ἀτιμίαν τὴν παρὰ σοῦ ὁ Βασιλεύς· Τί ἐστι δόξα καὶ φόβος, καὶ ἀτιμία; Λιβέριος· Ὅσοι τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀγαπῶσι, τὰς παρὰ σοῦ μᾶλλον δωρεὰς προτιμήσαντες, ὃν μὴ ταῖς ὄψεσιν εἶδον, οὐ κρίναντες κατεδίκασαν· ὅπερ ἐστὶν ἀλλότριον χριστιανῶν.

II. *Athanasius absens judicatus est.* — Imperator dixit : « Atque præsens judicatus est in concilio Tyri et omnes orbis terræ episcopi eum in concilio damnarunt. » Liberius dixit : « Nunquam ille præsens judicatus est. Quotquot enim tunc congregati Athanasium damnarunt, post illius e judicio discessum, absque ratione eum condemnarunt. » Eusebius eunuchus dixit : « In concilio Nicæno alienus a catholica fide (3) demonstratus est. » Liberius dixit : « Quinque (4) soli judicarunt ex iis qui cum Ischyra navigarunt in Mareotem : quos quidem illi miserant, ut adversus accusatum acta conficerent. Ex iis qui tunc missi fuerant, ex hac luce migrarunt duo, Theognius scilicet et Theodorus : tres autem reliqui adhuc superstites sunt, nempe Maris, Valens et Ursacius. Contra hos, qui missi erant, Sardicæ eam ob rem lata est sententia. Qui postea in synodo (5) libellos obtulerunt, veniam poscentes ob acta quæ per calumniam una duntaxat parte præsente adversus Athanasium in Mareote fecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri et communicare debemus, imperator? hisne qui cum prius condemnassent Athanasium, postea veniam petierunt; an illis qui nuper istos condemnarunt (Sardicæ) ? » Epictetus episcopus (Centumcellensis) dixit : « Non fidei causa, nec pro defensione judiciorum ecclesiasticorum Liberius hodie verba facit, o imperator, sed ut apud Romanos senatores glorietur, imperatorem a se esse superatum. »

Β'. Ὁ Βασιλεύς· Καίτοι κέκριται κατὰ πρόσωπον ἐν τῇ γενομένῃ συνόδῳ ἐν Τύρῳ. καὶ ἐν τῇ συνόδῳ κατεψηφίσαντο πάντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς οἰκουμένης. Λιβέριος· Οὐδέποτε κατὰ πρόσωπον κέκριται ὁ ἄνθρωπος. ὅσοι γὰρ τότε συνελθόντες κατεψηφίσαντο αὐτοῦ, ἀναχωρήσαντος Ἀθανασίου ἐκ τοῦ κριτηρίου, κατεψηφίσαντο ἀλόγως. Εὐσέβιος ὁ εὐνοῦχος εἶπεν· Ἐν τῇ συνόδῳ κατὰ Νίκαιαν ἀλλότριος ἀπεδείχθη τῆς καθολικῆς πίστεως. Λιβέριος· Πέντε μόνοι ἔκριναν τῶν συμπλευσάντων αὐτῷ ἐν τῷ Μαριώτῃ, οὓς ἀπέστειλαν κατὰ τοῦ ἐγκαλουμένου συστήσασθαι κατ' αὐτοῦ ὑπομνήματα. ἀπὸ τούτων τοίνυν τῶν ἀποσταλέντων, οἱ δύο τεθνήκασι, Θεόγνιος καὶ Θεόδωρος· οἱ δὲ λοιποὶ τρεῖς ζῶσι, τουτέστι Μάρης καὶ Οὐάλης καὶ Οὐρσάκιος. ἀπὸ τούτων τῶν ἀποσταλέντων κατὰ Σαρδικὴν τοῦ πράγματος τούτου ἕνεκα συνεκροτεῖτο ψῆφος· οἱ ἐν τῇ συνόδῳ βιβλία ἐπιδεδώκασι, συγγνώμην αἰτοῦντες, ἐφ' οἷς ἐν τῷ Μαρεώτῃ κατὰ συκοφαντίαν ἐκ μονομεροῦς συνεσθήκαντο κατὰ Ἀθανασίου ὑπομνήματα. ἅ τινα βιβλία αὐτῶν νῦν ἔχομεν μετὰ χεῖρας· τίνι τούτων δεῖ πείθεσθαι ἡμᾶς Βασιλεῦ, κοινωνεῖν; τοῖς πρότερον καταψηφισαμένοις, καὶ ἐν δευτέρου συγγνώμην αἰτήσασιν, ἢ τοῖς νῦν τούτων καταψηφισαμένοις; Ἐπίκτητος ἐπίσκοπος εἶπε· Βασιλεῦ, οὐ πίστεως ἕνεκεν σήμερον, οὐδὲ κριμάτων ἐκκλησιαστικῶν ἀντιποιούμενος Λιβέριος τὸν λόγον ποιεῖται, ἀλλ' ἵνα τοῖς ἐν Ῥώμῃ συγκλητικοῖς καυχήσηται, ὡς συλλογισάμενος τὸν βασιλέα.

III. *Quo pacto Liberius Ecclesiæ paci consultum velit.* — Imperator Liberio dixit : « Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, et orbis ac mundi totius pacem dissolvas? » Liberius dixit :

Γ'. Ὁ Βασιλεὺς εἶπε Λιβερίῳ· Πόστον εἶ μέρος τῆς οἰκουμένης, ὅτι σὺ μόνος συναίρῃ ἀνθρώπῳ ἀνοσίῳ. καὶ τῆς οἰκουμένης τὴν εἰρήνην καὶ ὅλου τοῦ κόσμου λύεις; Λιβέριος· Οὐ διὰ τὸ εἶναί με μόνον, ὁ τῆς πίστεως ἐλατ-

(1) Qui recolent quod Julius epist. I, n. 22 scribit, hanc scilicet esse consuetudinem, ut si quid suspicionis in Alexandrinæ urbis episcopum cadat, primum ad Romanam ecclesiam scribatur, ac deinde quod justum est decernatur, et hic Liberium, et infra, ubi eamdem non condemnandi Athanasii causam repetit, ad eam consuetudinem respicere suspicabuntur. Forte etiam hic papa simpliciter non judicatum ait Athanasium, quia nullo hactenus legitimo judicio fuerat condemnatus.

(2) Non solum non viderunt qui Mediolani in Athanasium subscripserunt, sed ne i quidem qui Tyri eum condemnarunt : quos Julius epist. I, n. 9, sic alloquitur : Si *vestris litteris* (contra Athanasium) *fidem haberi postulatis, consentaneum est et iis qui pro illo scripserunt fidem non abnegare : maxime quia vos de iis quæ procul a vobis gesta sint scribitis.* etc.

(3) Liberius ad absurdam adeo interpellationem, ut et infra ad alteram Epicteti non alsimilem respondere dedignatus eis qui de religione disputant, temporis in tricis supervacaneis non terendi exemplum præbuit.

(4) Si nullum est mendum in Alexandrinæ synodi epistola apud Athanasium apolog. cont. Arian., n. 13, sex judicasse dicendi sunt, atque infra nominati est addendus Macedonius. Sed neque is inter eos, qui in Sardicensi synodo nominatim damnantur, recensetur.

(5) Apud ipsam urbem Mediolanum habita, ut ipsi Valens et Ursacius epist. VII ad Julium declarant.

Digitized by Google

τοῦται λόγος· καὶ γὰρ κατὰ τὸ παλαιὸν, τρεῖς μόνοι εὑρίσκονται ἀντιστάντες προστάξει. Εὐσέβιος εὐνοῦχος εἶπε· Τὸν Βασιλέα ἡμῶν Ναβουχοδονόσορ ἐποίησας; Λιβέριος εἶπεν· Οὐχί, ἀλλ' οὕτως ἀλόγως καταδικάζεις ἄνθρωπον, ὃν οὐκ ἐκρίναμεν. ἀλλὰ κἀγὼ ἀξιῶ πρότερον οἰκουμενικὴν ὑπογραφὴν προχωρῆσαι, βεβαιοῦσαν τὴν πίστιν τὴν κατὰ Νίκαιαν ἐκτεθεῖσαν· ἵν' οὕτως ἀνακληθέντων τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν ἀπὸ τοῦ ἐξορισμοῦ, καὶ ἀποκατασταθέντων τοῖς ἰδίοις τόποις, εἰ ὀφθείησαν οἱ νῦν θορυβοῦς ἐγγενῶντες ταῖς ἐκκλησίαις, συγκατατεθέμενοι τῇ ἀποστολικῇ πίστει, τότε ἐπὶ τὴν Ἀλεξανδρέων οἱ πάντες ἀπαντήσαντες, ἔνθα ὁ ἐγκαλούμενος καὶ οἱ ἐγκαλοῦντές εἰσι, καὶ ὁ ἀντιποιούμενος αὐτῶν, ἐξετάσαντες τὰ περὶ αὐτῶν συμπερανεχθῶμεν. Ἐπίκτητος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἀλλ' ὁ δρόμος τῶν δημοσίων οὐχ ὑποστήσεται τὴν χρείαν τῆς τῶν ἐπισκόπων παρόδου. Λιβέριος· Οὐ χρείαν ἔχει τὰ ἐκκλησιαστικὰ δημοσίου δρόμου. αἱ γὰρ ἐκκλησίαι ἱκαναί εἰσιν ἕως τῆς θαλάσσης διακπέμψασθαι τοὺς ἑαυτῶν ἐπισκόπους.

Δ'. Ὁ Βασιλεύς· τὰ ἤδη τύπον ἰσχηκότα, ἀναλύεσθαι οὐ δυνατόν ἐστι· τῶν γὰρ πλειόνων ἐπισκόπων ἡ ψῆφος ἰσχύειν ὀφείλει. σὺ μόνος εἶ ὁ ἀντιποιούμενος τῆς φιλίας τοῦ ἀνοσίου ἐκείνου. Λιβέριος εἶπεν· Βασιλεῦ οὐδέ ποτε ἠκούσαμεν μὴ παρόντος τοῦ ἐγκαλουμένου, κριτοῦ ἀνοσιότητα καταγγέλλοντος, ὡς ἰδίαν ἔχθραν εἰσφέροντος πρὸς τὸν ἄνθρωπον. Ὁ Βασιλεύς· Πάντας μὲν κοινῶς ἠδίκησεν, οὐδένα δὲ οὕτως ὡς ἐμέ. ὅς τις μὴ ἀρκεσθείς ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τοῦ μειζοτέρου μου ἀδελφοῦ, οὐδὲ τὸν μακαρίτην Κώνσταντα ἐπαύσατο παροξύνων εἰς ἡμετέραν ἔχθραν, εἰ μὴ ἡμεῖς πλείονι ἡμερότητι ὑπηνέγκαμεν τὴν τοῦ παροξύνοντος καὶ τοῦ παροξυνομένου ῥοπήν. οὐδέν δέ μοι τοιοῦτον κατόρθωμα, οὐδὲ τὸ κατὰ Μαγνέντιον καὶ Σιλβανὸν, ὡς τοῦ μιαροῦ ἐκείνου περιαιρουμένου τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων. Λιβέριος· Μὴ διὰ τῶν ἐπισκόπων ἀμύνου τὴν ἔχθραν Βασιλεῦ. αἱ γὰρ χεῖρες τῶν ἐκκλησιαστικῶν εἰς τὸ ἁγιάζειν εὐκαιρεῖν ὀφείλουσιν. ὅθεν, εἴ σοι δοκεῖ, κέλευσον ἀνακληθῆναι τοὺς ἐπισκόπους εἰς τοὺς ἰδίους τόπους. καὶ εἰ ὀφθείησαν ὁμόφρονες τοῦ σήμερον ἀντιποιουμένου τῆς κατὰ Νίκαιαν ἐκτεθείσης ὀρθοδόξου πίστεως, τότε συνελθόντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἴδοιεν ὑπὲρ εἰρήνης τοῦ κόσμου, ἵνα μὴ τὸν μὴ ἁμαρτήσαντα ἄνδρα χαραχθῆναι δοκιμασθῇ. Ὁ Βασιλεύς· Ἔν ἐστι τὸ ζητούμενον. Βούλομαι γάρ σε ἀσπασάμενον τὴν πρὸς τὰς ἐκκλησίας κοινωνίαν, πάλιν εἰς τὴν Ῥώμην ἀποστέλλαι. διὰ τοῦτο πείσθητι τῇ εἰρήνῃ, καὶ ὑπογράψας ὑπόστρεψον εἰς τὴν Ῥώμην. Λιβέριος· Ἤδη τοῖς ἀδελφοῖς τοῖς ἐν Ῥώμῃ ἀπεταξάμην. μείζους γάρ εἰσιν οἱ ἐκκλησιαστικοὶ θεσμοὶ, τῆς ἐν Ῥώμῃ διατριβῆς. Ὁ Βασιλεύς· Οὐκοῦν τριῶν ἡμερῶν ἔχεις σκέψεως διάστημα, εἰ βούλει ὑπογράψας ὑποστρέψαι εἰς τὴν Ῥώμην, ἣ ἐννοῆσαι ἐν ποίῳ τόπῳ μετατεθῆναι βούλει. Λιβέριος· Τὸ τῶν τριῶν ἡμερῶν ἢ μηνῶν διάστημα οὐ μετατίθησι λογισμόν· ὅθεν ὅπου βούλει ἀπόστειλόν με.

A « Etiamsi solus sim, fidei causa non idcirco minuitur: nam et olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato resisterent. » Eusebius eunuchus dixit: « Imperatorem nostrum Nabuchodonosor facis? » Liberius dixit: « Nequaquam, sed tu temere hominem condemnas, quem non judicavimus. Ego vero postulo ut primum generalis præcurrat subscriptio, quæ fidem Nicææ expositam confirmet: deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris, et in sedes suas restitutis, si ii, qui tumultus in ecclesiis nunc excitant, visi fuerint apostolicæ fidei consentire, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus et accusatores sunt, et defensor eorum, examinata illorum causa, concordem sententiam proferamus. » Epictetus episcopus dixit: « Verum cursus publicus haud quaquam B sufficiet episcoporum subvectioni. » Liberius dixit: « Ecclesiastica negotia non indigent publico cursu; ecclesiæ enim episcopos suos ad mare usque perducere suis sumptibus facile possunt. »

IV. *Non accusandus absens. Indignum est episcope privatas vindicare principis inimicitias.* — Imperator dixit: « Quæ jam formam excepere, ea resolvi amplius non possunt: valere enim debet plurium episcoporum sententia. Tu solus es, qui impii illius amicitiam retineas. » Liberius dixit: « Nunquam audivimus, imperator, judicem absenti reo impietatem objicere, quasi privatas inimicitias cum eo gerat. » Imperator dixit: « Omnes quidem ille in commune affecit injuria, neminem tamen æque ac me, qui non contentus exitio fratris mei majoris natu, etiam felicis memoriæ Constantem ad suscipiendas nobiscum inimicitias (1) incitare nunquam destitit: nisi nos majori mansuetudine incitantis et incitati impetum sustinuissemus. Nullam itaque victoriam tanti facio, ne illam quidem quam de Magnentio retuli ac de Silvano, quanti ut hic sceleratus ab Ecclesiæ administratione submoveatur. » Liberius dixit: « Noli, imperator, inimicitias tuas per episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad sanctificandum et benedicendum vacare debent. Jube igitur, si placet, ut episcopi ad proprias sedes revocentur, et si visi fuerint consentire cum illo qui fidem orthodoxam Nicææ olim expositam tuetur, tunc in unum convenientes, paci orbis terrarum provideant; ne virum qui nihil deliquit, notatum esse comprobetur. » Imperator dixit: « Unum est quod quæritur: te namque, ubi ecclesiarum communionem amplexus fueris, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, et subscribe, atque ita Romam revertere. » Liberius dixit: « Fratribus, qui Romæ sunt, jam vale dixi. Potiores enim sunt ecclesiasticæ leges, quam domicilium Romæ. » Imperator dixit: « Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum utrum subscribens Romam redire velis, aut ad cogitandum quem in locum cupias deportari. » Liberius dixit: « Trium dierum vel mensium intervallum non mutat sententiam: quocirca mitte me quo voles. »

(1) Hanc calumniam Athanasius apolog. ad Constantium pluribus depellit, ab eaque sese purgare n. 3 incipit in hunc modum: *Extensa manu, ut ab Apostolo didici, Deum testem advoco in animam meam, et, ut in historiis Regum scriptum habetur, testis est Dominus, testis et Christus ejus (quod et mihi quæso dicere concedas), me nunquam de tua pietate in malam partem verba fecisse apud fratrem tuum beatæ memoriæ Constantem piissimum augustum, neque illum, ut calumniantur isti, in te concitasse.*

Digitized by Google

V. *Munera sibi lata respuit.*— Biduo post imperator, A cum Liberium accivisset, et is de sententia non decederet, eum Berœam, Thraciæ urbem, relegari præcepit. Cumque egressus esset Liberius, imperator quingentos ei solidos misit ad sumptus faciendos. Liberius vero dixit ei qui attulerat : « Abi, redde hos imperatori; opus enim his habet ut præbeat militibus suis. » Similiter et Augusta totidem ei misit. Liberius dixit : « Redde hos imperatori; hisce enim opus habet ad stipendium militum. Quod si imperator his opus non habet, det Auxentio et Epicteto, his enim opus habent. » Cum igitur ab his noluisset accipere, Eusebius eunuchus alios ei attulit. Cui Liberius dixit : « Ecclesias orbis terrarum vacuas ac desertas fecisti, et mihi tanquam noxio eleemosynam affers : abi, et primum christianus fias (1). » B

Ε'. Καὶ ὁ Βασιλεὺς, μετὰ δύο ἡμέρας κληθέντος Λιβερίου, καὶ μὴ μετατεθέντος τοῦ λογισμοῦ, εἶπεν ἐξορισθῆναι εἰς τὴν Βέροιαν τῆς Θράκης· ἐκβάντος δὲ Λιβερίου, ὁ Βασιλεὺς ἀπέστειλε πεντακοσίους ὁλοκοτίνους αὐτῷ εἰς δαπάνας. Λιβέριος εἶπε τῷ κομίσαντι· Ἄπελθε, δὸς αὐτὰ τῷ Βασιλεῖ, χρείαν γὰρ ἔχει δοῦναι τοῖς στρατιώταις αὐτοῦ. Ὁμοίως καὶ ἡ Βασίλισσα ἔπεμψεν αὐτῷ τὰ αὐτά. Λιβέριος εἶπεν Ἀπόδος αὐτὰ τῷ Βασιλεῖ· χρείαν γὰρ αὐτῶν ἔχει εἰς τὴν τῶν στρατῶν ἐξοδίασιν. ἐὰν δὲ μὴ χρείαν ἔχῃ ὁ Βασιλεὺς, δότω αὐτὰ τῷ Αὐξεντίῳ καὶ Ἐπικτήτῳ· χρείαν γὰρ ἔχουσιν τούτων. Ὡς δὲ παρ' αὐτῶν οὐκ ἔλαβεν, Εὐσέβιος ὁ εὐνοῦχος προσφέρει αὐτῷ ἑτέρους. Λιβέριος δὲ εἶπεν αὐτῷ· Τὰς ἐκκλησίας τῆς οἰκουμένης ἠμήμωσας, καὶ ὡς καταδίκῳ ἐλεημοσύνην μοι προσφέρεις. Ἄπελθε, πρῶτον γενοῦ χριστιανός.

EPISTOLA (2)

LIBERII PAPÆ AD ORIENTALES.

(Anno Christi 357.)

Se ab Athanasii defensione destitisse, pacem vero cum ipsis habere, ac fidem Sirmii expositam sibi a Demophilo oblatam suscepisse. Laborent et ipsi ut ab exilio dimittatur.

Dilectissimis fratribus (3) presbyteris et coepiscopis Orientalibus salutem.

I. Pro deifico timore sancta fides vestra Deo cognita est et hominibus bonæ voluntatis. Sicut lex loquitur : *Justa judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII, 2), ego Athanasium non defendo : sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, verebar ne ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi agnovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine ejus (4) per fratrem nostrum Fortunatianum (5) dedi perferendas ad imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio (6) a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis et cum universis Orientalibus episcopis seu per universas provincias pacem et unanimitatem habere.

II. Nam ut verius sciatis me (7) vera fide per hanc epistolam ea loqui, dominus et frater meus commu-

(1) His adjungit Theodoretus : *Et post triduum relegatus est, cum nihil accepisset.* C

(2) Epistolam hanc cum duabus subsequentibus nobis transmisit Hilarius fragm. VI, n. 5 et seqq. Easdem Baronius ex duplici collectionis, ut vocat, Cresconianæ exemplari ad annum 357, n. 34 publicas fecit. Has autem in prædictam collectionem, cujusvis sit, non aliunde nisi ex Hilariano opere translatas fuisse, ipsemet Hilarii vel interpositæ vel subjectæ notæ, quas Baronius in suis exemplaribus offendisse se in secundis editionibus fassus est, palam faciunt. Tempus, quo tres illæ epistolæ scriptæ sunt, satis indicat Athanasius in historia Arian. ad monachos, n. 41, ubi ait : *Liberius exterris factus, post biennium demique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit* Theodoretus quoque lib. II, c. 17, ubi Liberii lapsum, si non ignoravit, prorsus dissimulat, cum postquam exul duos annos exegisset, petentibus nobilium Romanorum conjugibus in urbem revocatum esse tradit. Liberium autem anno 355 labente relegatum esse superius probatum est. Hæ igitur D litteræ circa exitum anni 357 consignandæ. Eas epistolis ad Constantium scriptis paulo posteriores existimat vir eruditus; sed si additamentum admittatur, quod in epistola XI, n. 2, ex mss. fide supplemus, in confesso esse debet unum eumdemque Fortunatianum cum epistolæ hujus X exemplar., tum Liberii ad Constantium litteras simul pertulisse. Et probabile quidem est, Imperatorem illum in Pannonia tum extitisse, atque Ursacium, Valentem et Germinium in illius fuisse Comitatu. Quod si ita est, etiam quæ sequitur ad hos Arianæ factionis antesignanos Liberii epistola, per eumdem Fortunatianum transmissa commode intelligitur. Porro in hoc toto negotio, ut Athanasius loco mox citato observat, *comprobatur tum violentia Arianorum, tum Liberii in hæresim illam odium ejusque pro Athanasio suffragium, quam din liberam habebunt voluntatis suæ potestatem. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita.*

(3) Apud Baron. *fratribus et episcopis.*

(4) In mss. ut et apud Baron. hic adjungitur, *id est de condemnatione ipsius :* quod ex Hilarii interpretatione insertum Nicolaus Faber judicavit. Et Liberius quidem epist. 3, n. 1, et epist. 11, n. 1 et 2, rursum suas *de nomine ipsius* ac *super nomine ejus* litteras nulla interpretatione addita commemorat. In his autem locis τὸ *nomen* personam potius vel causam, quam condemnationem, per se sonat. Certe de condemnatione hoc vocabulum nemo interpretetur in eo quod idem Liberius epist. 12, n. 2, scribit, se *de contentione illa a nomine Athanasii recessisse.* Huic affine est quod Zozimus papa, apud Augustinum lib. II, contra duas epist. Pelag., c. 4 ad Cœlestium ait : *Illa omnia damnas quæ jactata sunt de nomine tuo;* quodque Augustinus mox subdit : *Inter cætera autem quæ de nomine ejus jactata fuerant.* Et post pauca : *Quomodo ergo quæ de nomine ejus jactata sunt . . . se damnasse respondit?*

(5) Non alio, sed eodem tempore. Neque vero summis pontificibus id insolens est, ut cum plures litteras de eadem re ad diversos scribunt, eos ad quos scribunt et quorum interest, de cæteris simul datis eadem loquenti ratione moneant. Is Fortunatianus Aquileiensis episcopus Hieronymi de script. eccl. c. 107, judicio, *in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit.*

(6) Apud Baron., *amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum cum sede apostolica suscipienda sunt, dico,* etc., mox vero *unitatem,* non *unanimitatem.*

(7) Apud eumdem, *veram fidem per epistolam meam proloqui.* Post verbum *loqui*, seu *proloqui*, orationis int gritas postulat, *quam proposuit*, aut quid simile.

Digitized by Google

nis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem (1) vestram et catholicam exponere, quæ Sirmio, a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita et (2) suscepta est ab omnibus qui in præsenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi; hanc sequor, hæc a me tenetur. Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, et ad sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar (3).

EPISTOLA (4).

LIBERII PAPÆ AD URSACIUM, VALENTEM ET GERMINIUM.

(Anno 357, sub fine.)

Se ab Athanasii communione esse separatum, et cum Orientalibus necnon cum Auxentio et Epicteto pacem habere. Ut ipsum ad ecclesiam suam a Constantio remitti curent.

Liberius de exilio Ursacio, Valenti et Germinio.

I. Quia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam et unitatem Ecclesiæ catholicæ; ideirco non aliqua necessitate (5) compulsus, Deo teste dico, sed pro bono pacis et concordiæ, quæ martyrio præponitur, his interim convenio vos, domini (6)

(1) Ita codex Pith. At exemplaria Baron. et Sirm., *verum fidem*.

(2) Inter verbum *suscepta est*, et id quod sequitur, Hilarius inseruit, *Hæc est perfidia ariana : hoc ego notavi, non apostata : Liberius sequentia.* Quæ nota fulti eruditi nonnulli existimant, eam a Liberio susceptam esse fidei formulam, non quæ Sirmii anno 351, contra Photinum scripta, sed quæ anno 357, in eadem urbe Osii nomine vulgata est : cum hanc Hilarius lib. de synodis, n. 10, non alio nisi *blasphemiæ* nomine tertio nuncupet, et contra formulam adversus Photinum conscriptam excusare videatur. At advertant, quæso, no hic ab Hilario dici : *Hæc est blasphemia Osii et Potamii*, sed : *Hæc est perfidia ariana.* Deinde recolant quod idem sanctus confessor, lib. in Constant. n. 24, adstruit : *Quidquid præter fidem unam est*, PERFIDIA, *non fides est*, adeoque et primam Sirmiensem, utpote quæ præter Nicænam est, non fidem, sed perfidiam ab illo existimari. Neque secum pugnat pius præsul, cum hinc Orientalibus Dei filium non jam ex nihilo, sed substantia Patri similem prædicantibus, ac veram fidem tamen nondum profitentibus, ad eam tamen propius accedentibus, ejusque revocandæ spem afferenti ut gratulatur illuc Liberium a fidei Nicænæ defensione recedentem, et ad Orientalium placita suscipienda deficientem, perfidiæ insimulat. Porro *hæc fuit perfidia ariana* : quia Liberius fidem suscepisse se testatur sibi expositam a Demophilo ; qui quidem ex iis erat, qui homœusion hæretice intelligerent, et de quibus Hilarius lib. de Synod. n. 74, ait : *Nec me fallit, f. c. quosdam esse, qui similitudinem confitentes, æqualitatem negant.* Eo quippe intellectu *homœusion* susceptisse censebatur, quo hanc vocem intelligebat qui ipsi auctor fuerat ut illam susciperet : quemadmodum postea Ariminenses synodi patres, ubi fidei sibi ab Arianis oblatæ etsi catholica mente subscripserunt, consubstantialitatisque consensum et silentio, velut Ariani atque orthodoxæ fidei desertores, Hieronymo teste, ubique audierunt.

Sed ut certo sciamus, primæne Sirmiensi formulæ an secundæ Liberius sub crip eri, qui orientales dicantur, quamque hi fidem profiterentur, expendendum : nam Liberius Orientalium fidem, pacem atque communionem suscepisse se idem idem repetit. Atqui Hilarius toto in libro de Synodis Orientales vocat, non qui Sirmiensem blasphemiam, anno 357, conscripserunt, sed qui fidem Antiochiæ, anno 341, Sardicæ seu potius Philippopoli, anno 347, et Sirmii, anno 351, expositam amplectentes, tandem Ancyræ, anno 358, prædictæ blasphemiæ vehementer adversati sunt, atque ejus auctores ad illam supprimendam continuo coegerunt. Ergo Liberius Orientalium fidem Sirmi expositam suscepisse se dicens, non hanc blasphemiam, sed fidem adversus Photinum conscriptam indicat. Præterea Sirmiensis blasphemiæ auctores nulli alii ab Hilario, lib. de Synod. n. 11, nominantur, nisi Valens, Ursacius et Germinius; quibus et adde, si lubet, Osium et Potamium, quamvis ibi ab his, non quia composuerint, sed quia subscripserint, conscripta dicatur. Ad vero Liberius primum scribens Orientalibus, ipsorum se fidem suscepisse ac sequi divertis verbis declarat : deinde distinctis litteris ad Ursacium, Valentem et Germinium missis, cum nihil omittat quo eorum sibi gratiam conciliet, nec verbo tamen sese fidei formulæ, quæ ipsis præsentibus apud Sirmium tractata et discussa dicitur, assensum præbuisse significat. In iis enim hoc unum maxime affectat, ut descriptis ad Orientales litteris, ac de pace cum illis inita certiores fiant. Ei ergo fidei, quam Orientales, etsi non eodem sensu, vulgo profitebantur ; non ei quam tres Occidentales episcopi emiserant, quæque plurium Orientalium studio statim proscripta atque suppressa est, Liberius assensit. Plura argumenta, quibus hunc papam primæ tantum Sirmiensi formulæ subscripsisse conficitur, quia copiose apud Hilarium in hunc ipsum locum tractata sunt, referre supersedeo.

(3) Ad calcem epistolæ subjicitur hæc Hilarii nota : *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus*, etc. *omnes hæretici.* Quos omnes Sirmiensis blasphemiæ auctores vel fautores nemo rerum hunc temporis gestarum non rudis suspicetur, cum acerrimi ejus adversarii nominatim Basilius et Silvanus extiterint.

(4) Hanc Baronius ad annum 357, n. 53, ut genuinam admisit : sed postmodum in appendice pag. 25, sententia retractata, falsa depravati loci interpretatione seductus, ut nota b. ostendetur, adulterinam esse voluit, et ab iis ipsis, qui alteram supposuerant, quam in appendicem amandavimus, confictam. Postremæ huic sententiæ Binius subscribit, nec repugnat Labbeus. Verum eadem in hanc, ut in superiorem, Hilarii notæ, quibus anathema prævaricatori pariter dicit, ambigere non sinunt, quin unum utriusque parentem crediderit. Et vero quid tum opus erat flectis litteris, cum abundarent sinceræ, quibus Liberius Athanasium damnabat ? Is Romæ revisendæ impatiens, Orientalium operam implorasse non contentus, etiam Ursacii, Valentis et Germinii, qui plurimum apud imperatorem poterant, et, ut videtur, in ejus tum comitatu versabantur, favorem sibi captandum duxit.

(5) Adversus Athanasium, ut ex Athanasio ipso in historia Arian. ad Monachos, n. 41, jam observavimus : Liberius *minis mortis perterritus subscripsit* : adeoque minime libere. Suspicio est hanc ab eo clausulam non tam nutu suo quam eorum a quibus evictus atque territus est, adjectam esse : ita ut illi acciderit, quod postea Vigilio papæ, qui cum Constantinopoli detentus multa violenter pateretur, Galliarum et Scythiæ episcopis scribere nihil permissus est, nisi quod Justiniano imp. arrideret.

(6) Apud Baron. *domini mei charissimi* Nostra lectio magis consentanea est Liberii stylo. Nam in tribus

Digitized by Google

fratres charissimi. Cognoscat itaque prudentia vestra Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus fuit, priusquam (1) ad comitatum sancti imperatoris secundum litteras Orientalium episcoporum (*adde*, scriberem, *aut quid simile*). et ab ecclesiæ Romanæ communione separatus est (*leg.* separatum esse), sicut (2) teste est omne presbyterium Romanæ ecclesiæ. Sed hæc causa fuit, ut tardius viderer de nomine ipsius litteras ad fratres nostros Orientales dare, ut legati (3) mei, quos ab urbe Roma ad comitatum direxeram, seu episcopi qui fuerant deportati, et ipsi una cum his, si fieri posset, de exilio revocarentur.

II. Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii, [ut litteras meas (4) ad clementissimum imperatorem perferat, quas ad orientales episcopos feci, ut scirent ipsi una secum Athanasii A communione me esse separatum. Quas credo quod pietas ipsius pro bono pacis gratulanter (5) accipiet. Quarum exemplar etiam Hilario imperatoris fideli direxi. Pervideat charitas vestra, hæc me benigno et innocenti animo gessisse. Quapropter his litteris meis convenio vos et adjuro per Deum omnipotentem, et Christum Jesum filium ejus (6) Deum et Dominum nostrum, ut dignemini ad clementissimum imperatorem Constantium augustum pergere, et petere ut bono pacis et concordiæ, in qua pietas ejus semper exultat, me ad ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti: ut temporibus ipsius Romana ecclesia nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem habere, his litteris meis æquo et simplici B animo scire debetis, fratres charissimi. Magnum (7) solatium enim vobis in die retributionis acquiretis,

epist. ad Eusebium supra citatis constanter legere est, *domine frater charissime*, non *domine mi charissime*.

(1) Tres in hunc locum suppetunt diversæ lectiones: quibus diligenterque ponderatis, mendosam quam ex archetypo Pith. Nicolaus Faber ediderat, duabus aliis, quæ integriores videntur, sed interpolationis suspicione non vacant, præferendam duximus. Quomodo autem hæc resarciri valeat, e latere ipsius annotavimus. Alteram Baronius sic exhibet: *Priusquam ad comitatum sancti imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium episcoporum ab ecclesiæ Rom. communione esse separatum.* In qua quidem ad orationis integritatem nihil desiderandum: sed verbum *pervenissem*, quod ille addidisse videtur de suo, cum historica veritate componi non potest; adeo ut idem Cardinalis annalium tomum tertium recognoscens, propter unum illud verbum, quod C nulla veterum codicum auctoritate additum fuisse tum forte oblitus fuerat, totam epistolam, quam suo loco inseruerat ut genuinam, in ejusdem tomi appendice rejecerit ut spuriam. Certe ex hujusmodi lectione sequitur, ut epistola ista non minus suppositionis arguenda sit quam altera, in qua Liberius initio pontificatus sui Athanasium damnasse fingitur. Sed istud pro certo ponenti quærendum superest, an verbum *pervenissem* cum subnexis cohærere ullo modo valeat. In subnexis enim tempus, quo Liberii legati Lucifer, Pancratius et Hilarius, necnon episcopis Eusebius, Dionysius aliique in exilium deportati fuerant, notari manifestum est. Atqui circa ea Liberii tempora, quibus ille pontifex Athanasium damnasse in supposititia epistola fingitur, nec legati nec episcopi illi exules erant. Ad aliud igitur tempus pertinet istud, *prius quam ad comitatum*. Ad quod, quæso, nisi ad illud, quo Liberius ut et sibi et aliis ob eamdem causam relegatis ab exsilio revertendi D copia fieret, laborabat? Hinc Baronii correctio, eaque ut ice niga censura, qua epistolam istam fictitiam putat, probari prorsus nequit.

Tolerabilior est nec penitus respuenda lectio, quam olim Jac. Sirmondus e Remigiano exemplari, quod nancisci nobis non licuit, collegit in hunc modum: *Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus fuit, a me esse damnatum prius quam ad comitatum sancti Imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum, et ab ecclesiæ Romanæ communione esse separatum.* Et eam quidem in nova operum Hilarii editione prætulimus, non ut indubitatam, sed ut quæ locum medica manu egentem *utcumque* sanatum exhiberet. Restat tamen scrupulus de eo quod ibi Liberius Orientalium litteras ad Comitatum destinasse dicitur, cum hoc ipse aliis in litteris taceat, et huic lectioni neque Pithœanus, neque Baroniani codices suffragentur. Imo istud, *secundum litteras Orientalium*, quod in his asservatur, cum historica veritate aptius videtur consentire.

(2) Apud Baron., *testis*. Retinemus cum ms. Pith. *teste*. Unde *testis et teste* sic dixisse videtur Liberius, quomodo etiam nunc *fidelis et fidele* dicitur. Deinde *presbyterii* nomine *tam presbyterorum et diaconorum, quam totius etiam cleri conventum* appellari ex Siricii papæ epistola 6 jam probavimus. Quales igitur Liberius post defectionem Vincentio Capuano ac forte aliis litteras dedit, tales etiam tunc Romano clero scripsisse hinc intelligitur, ut pristinum illius in se affectum revocaret. Ipsi enim ante exsilium adeo addictus erat ille clerus, ut *eo die, quo ad exilium proficiscebatur*, quemadmodum Marcellinus ac Faustinus presbyteri in præfatione precum narrant, *clerus omnis, id est presbyteri et archidiaconus Felix* (in ejus locum intrusus) *et ipse Damasus diaconus, et cuncta ecclesiæ officia, omnes pariter, præsente populo Romano, sub jurejurando firmaverint, se vivente Liberio pontificem alterum nullatenus habituros.* Quod Hieronymus in Chronico paucis perstringit in hunc modum: *Omnes clerici juraverunt ut nullum alium susciperent*

(3) In ms. Pith. et exinde apud Nic. Fabrum, *ut legati et quos*. Melius apud Baron. *ut legati mei*, Lucifer scilicet, Pancratius et Hilarius, quos ad Constantium, ut concilium peterent, destinarat. Quomodo igitur Liberius ante exilium in dialogo cum imperatore, n. 3, institit, ut ab exilio revocarentur ipsius fratres, ita neque exul hoc erga eosdem studio abstitit, non sine ipsis, quantum in se erat, cupiens ad ecclesiam suam reverti.

(4) Quæ uncinis clauduntur, ex Baron. et Sirm. mss. expressa sunt. Horum loco tantum in ms. Pith. habetur: *Petii ut cum litteris meis ad clementissimum imperatorem Constantium pergeret, petere.* Quæ lectio cum sit multo brevior, nihil tamen ad orationis integritatem desiderandum videtur relinquere. Superioris etiam epistolæ 10, n. 2, dictis est satis consentanea. Verum cum supplemento nostro aptius cohæret quod subjicitur: *Magnum solatium enim.*

(5) Apud Baron., *accepit, quarum exemplar etiam Philagrio imperatoris eunucho prodat charitas vestra, hæc me*, etc., corrupte. Hilarii notarii, quo Constantius utebatur, meminit Athanasius in historia Arian. ad Monachos n. 48 et 81.

(6) Baron., *ejus et Dominum nostrum et Spiritum sanctum, ut.*

(7) Apud eumdem, *magnum etiam præmium vobis.* Ipse Pithœanus codex retinet, *magnum solatium enim robis*, quamvis nihil antecedat quo ista particula *enim* referatur, nisi supplementum ex mss. Sirm. et Baron. descriptum admittamus.

Digitized by Google

si per vos pax ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem per vos volo etiam fratres et coepiscopos nostros Epictetum (1) et Auxentium, pacem me et communionem ecclesiasticam cum ipsis habere, quos credo gratanter hæc susceperuros. Quicumque autem a pace et concordia nostra, quæ per orbem terrarum volente Deo firmata est, dissenserit, sciat se separatum esse a nostra communione (2).

EPISTOLA (3)

LIBERII PAPÆ AD VINCENTIUM EPISCOPUM CAPUANUM.

(Anno Christi 357.)

De solatio, quod ex Urbici ope percipiebat, sibi sublato. Se ab Athanasii nomine recessisse, et cum Orientalibus pacem habere. Hac de re Vincentius Campaniæ episcopos certiores faciat, et cum his ad imperatorem scribat, quo ab exilio revocetur.

De exilio Liberius Vincentio.

I. Non doceo, sed admoneo sanctum animum tuum, frater charissime, eo quod *colloquia mala mores bonos corrumpunt* (I *Cor.*, xv, 33). Insidiæ hominum malorum bene tibi cognitæ sunt, unde ad hunc laborem perveni : et ora ut det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius meus (*Baron. noster*) Urbicus diaconus, quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est.

II. (4) Sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa (5) a nomine Athanasii recessisse, et ad fratres et coepiscopos nostros Orientales litteras dedisse desuper nomine ejus. Unde quia Deo volente, et (6) pax vobis ubique est, dignaberis convenire cunctos episcopos Campaniæ, et hæc illis insinuare, et ex ipsorum numero una cum epistola vestra, de unanimitate nostra et pace ad clementissimum imperatorem scribere, quo possim et ego de tristitia magna liberari. (*Et manu ipsius*) : Deus te incolumem custodiat, frater. (*Item manu ipsius paginæ* (7) *perscriptæ*) : Cum omnibus episcopis orientalibus pacem habemus, et vobiscum. Ego me ad Deum absolvi, vos videritis : si volueritis me in exilio deficere, erit Deus judex inter me et vos.

EPISTOLA (8)

LIBERII EPISCOPI URBIS ROMÆ FACTA AD CATHOLICOS EPISCOPOS ITALIÆ.

(Anno 363.)

Veniam iis, qui Arimini lapsi sunt, negandam non esse. Qua conditione admittendi sint.

Liberius episcopis catholicis per Italiam consistentibus in Domino æternam salutem.

I. Imperitiæ culpam oblitterat resipiscens. Hoc autem et de Scripturis sanctis advertere est. Pietatem ad omnia utilem esse legimus (I *Tim.*, iv, 8); cui cedit corporalis exercitatio, quamvis et ipsa utilitatis retineat fructus, quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. Non enim si aliqui (9) forte, qui hoc studii gerunt, ratione provisam præclarissimi culpa minueretur. Hæc autem multo erit levior, si Liberius eo ipso tempore, quo victus atque confectus erat exilii tædio, intentato mortis metu, tot litteras nomine suo indignas seu conscripserit ipse, seu a Demophilo oblatas subscripserit, quam si intervallo identidem interjecto nunc ad clerum, subinde ad Orientales, postea ad imperatorem, etc., scripsisse ponatur.

(1) Constantio quam familiaris fuerit Epictetus iste; probat superior ejusdem imperatoris cum Liberio dialogus, ubi utrumque non semel interpellasse legitur. De Auxentio vero sic Athanasius histor. Arian. ad Monach. num. 75, scribit : *Auxentium vero quemdam litigatorem magis quam christianum, ex Cappadocia Mediolanum* (Constantius) *transmisit*, in locum scilicet Dionysii, quem relegaverat. Simul igitur Liberius Ursacium, Valentem, Epictetum et Auxentium sibi devincire conatur, ut qui Mediolani in Constantii comitatu assidui, plurimum apud hunc imperatorem poterant.

(2) In omnibus mss. hic subjicitur : *Prævaricatori anathema una cum Arianis a me dictum.* Quæ verba non ipsius Liberii, ut existimavit Baronius, sed Hilarii sunt. Iste quippe præsul constanti fidei fervore abreptus, ne prævaricationi assentiri videretur, cui in epistola superiore prævaricanti anathema jam dixerat, etiam in hac prævaricationem iteranti anathema iterato dicendum censuit. A Paulo enim Gal. I, 2, didicerat, ipsum etiam apostolum aut angelum de cœlo anathema esse debere, si aliter, atque evangelizarat antea, postea evangelizaret.

(3) Per eum ipsum, ut videtur perlata, quo usus est Liberius, ut alteram ad presbyterium, hoc est clerum suum, de eadem re epistolam mitteret. Quod si ita est, litteræ Liberii ad Constantium ad orientales, ad Ursacium, ad socios, ad clerum suum, atque ad Vincentium eodem tempore scriptæ datæque sunt. In his enim, ut in cæteris, litterarum ad Orientales mentio fit. Nec repugnat, quod in epistola superiori n. 1 Athanasii a communione Rom. ecclesiæ ante separati, quam ea de re litteras ad imperatorem mitteret, ipsum clerum suum testem appellat. Eum enim rei hujus testem vocare commode potuit, si ex litteris simul conscriptis eas, quæ ad clerum attinebant, prius cæteris ipsi reddendas crederet. Istud forte scrupulosius examinasse videamur. Sed nihil negligendum duxi, unde pontificis, tot antea gestis

(4) Lab. post Baron., *Et ideo sanctitati.*

(5) Apud Baron., *illa nominis.*

(6) Baron., *pax nobis*, omisso prius, *unde quia Deo volente*, etc. : corrupte.

(7) Sirm., *pagina perscripta.* Apud Baron., *domine frater charissime. Item manu ipsius in eadem pagina conscripta.* Post verbum *perscriptæ*, subauditur *adjectum est.*

(8) Inter Hilarii fragmenta nobis asservata est, mendis quidem obsita, sed in novissima Hilarii editione ita illustrata, ut quid Liberius edisserat, quidve probet aut damnet, jam non lateat. Eam nonnulli a Siricio epist. 1, ad Himer., n. 2, laudari putant, ubi hic papa, *post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a reverendæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta* memorat. Sed ibi Siricius ea decreta laudat, quibus nominatim prohibebatur, ne quis Arianos ad catholicam fidem redeuntes denuo baptizaret : nihil autem hujusmodi in hac epistola habetur. Non, ut existimavit Baronius, ante Alexandrinam synodum, sed post scriptam esse liquet : siquidem Ægyptiorum in hac synodo congregatorum, et Achivorum qui postea convenerunt, sententia diserte in illa approbatur. Imo et Luciferi, cui Alexandrinæ synodi moderatio displicuit, discordia non obscure in eadem notatur. Hinc anno 363 anterior haberi nequit.

(9) Forte, *Non enim si aliqui forte, qui hoc studii gerunt* (rem scil.), *ratione provisam destruere impudenter sæviori censura, hoc existimaverint* (se posse) *exauctorare* (aut *renovare*) *quod jam ex apostolica auc-*

Digitized by Google

destruere imprudenter sæviori censura, hoc æstimaverunt et novare, quod jam (1) ex apostolica auctoritate munitum est de pietate, cum dictum est non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt. Quibus nescire illicitum, fuit captum errori incidere, idcirco veritas repedanda est. Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et Achivi accusati sententiam receperunt, multis parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus, auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna subtilitate et caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati, tenebras lucem, et lucem tenebras venditantes.

II. Igitur si quis ignorationis captum resipiscens sermonis nostræ advocationis (2) brevissima illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat, condemnet, vehementiusque in auctores ejus insæviat quos in se violentos expertus est, totumque se fidei apostolicæ et catholicæ usque ad Nicænæ synodi (3) conventum de integro mancipet. Per quam professionem, etiamsi quibusdam leve et remissum videtur, recuperet id quod per astutiam rectitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidæ mentis, quod haud credo, fuerit inventus, qui non solum nolit converti, antidotum recipiens sanitatis (4), venenum virusque noxius sese vindicare crediderit; et ratione vincetur, et auctori perfidiæ perdite deputatus, Ecclesiæ catholicæ spiritali vigore plectetur.

teritate munitum est de pietate, contendentes non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt (seu *erraverunt*), *quibus nescire* quod *illicitum* erat, *fuit captum* (seu laqueum) *erroris incidere; idcirco eis severitas* (disciplinæ) *repetenda est. Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et Achivi adunati sententiam* (hanc) *receperint, visum est parcendum quidem his de quibus supra tractavimus*, qui scil. in erroris laqueum ita inciderunt, ut illæsa conscientia hæreticis consenserint. Deinde quod de impietatis auctoribus dicitur, non ita intelligendum, quasi eis venia etiam negetur: sed quia eis in clero permanendi spes sublata sit. Hoc est Athanasius in epistola ad Rufinianum tradit, non solum in Ægypto, sed in Græcia, in Hispania, in Gallia et ubique episcopis placuisse, *ut iis qui lapsi sunt, si impietatis fuerint auctores, venia concedatur, siquidem resipiscunt, nec detur tamen in clero locus; iis vero, qui iniquitati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuere, et venia concedatur et detur in clero locus.*

(1) Seu *jam sedis apostolicæ auctoritate munitum est.* Hinc de recipiendis lapsis decretum ab Alexandrina synodo primum sanctum, quod ubique placuisse in superiori nota ex Athanasii ad Rufinianum epistola probavimus, etiam a Romanis receptum esse conficitur. Hoc et ipsa et Athanasii epistola, qualis in Nicæno II concilio act. I, apud Lab., t. VII, pag. 73 et 680, lecta est diserte testificatur. Ibi enim relatis Alexandrini decreti verbis, subjicitur: *Hæc et Romæ* (seu ut habet antiqua interpretatio Lab., pag. 680, *Romam*) *scripta, et a Romanorum ecclesia sunt recepta.* Istud quidem sodales nostri in veteribus Athanasii codicibus, quos recognovere, desiderari observarunt: sed his præferenda videtur auctoritas antiquorum Nicæni II concilii, cum græcorum tum latinorum exemplarium id exhibentium;

MONITUM IN DUAS EPISTOLAS SEQUENTES.

I. Primam ex duabus epistolis subsequentibus Socrati, lib. IV, c. 12, simul et Sozomeno, lib. VI, c. 11, alteram soli Socrati ibid. quamvis et hujus etiam Sozomenus meminerit, debemus. Quæ autem illarum scribendarum occasio exstiterit, ex utroque hic præfibare operæ pretium fuerit. Nempe cum Eudoxius, Valentis imperatoris auctoritate fretus, Macedonianos vexare aggrederetur, hi malorum impendentium metu, missis inter se per singulas urbes legationibus, satius esse judicarunt ut ad Valentinianum et ad episcopum urbis Romæ confugerent, eorumque communioni jungerentur, quam ut cum Valente Eudoxiique asseclis in fidei doctrina communicarent. Mittunt igitur de suo numero tres episcopos. Eustathium Sebastiæ, Silvanum Tarsi et Theophilum Castabalorum cum litteris, tum ab urbe Smyrna in Asia, tum ex Pamphylia, Isauria ac Lycia ubi concilia celebraverant, ad Liberium romanum episcopum et Occidentales antistites scriptis, « quibus, » inquit Sozomenus, « eos hortabantur, ut legatos suos omni ope adjuvarent, et cum illis quid agendum esset perpenderent, et statum Ecclesiæ prout ipsis visum esset corrigerent: quippe qui probam ac stabilem fidem ab apostolis traditam retinerent, ac præ cæteris omnibus religionis curam gerere deberent. » Prolixæ erant hæ litteræ, ideoque a Socrate prætermissæ. Unde contigit ut ad nos minime pervenirent. Legati Romam venientes, cum Valentinianum bello in Galliis detentum adire ipsis non licuisset, litteras suas Liberio porre-

maxime cum et id ipsum postulet quodam modo ibidem subnexa interlocutio Sabbæ, et aliorum monachorum de Alexandrino decreto dicentium: *Non est vox Athanasii tantum, sed et synodorum; nam idem pater dicit, quia et Romani et Græci receperunt.* Ibi enim *Romanorum* nomine etiam Romanam ecclesiam intelligendam esse iste Liberii locus persuadet. Præterea Liberium ac Romanam ecclesiam circa episcopos Arimini lapsos Alexandrinæ synodi decreto stetisse tum ex hac ipsa epistola, tum ex Hilarii fragmento XII, n. 3, tum est Historia Rufini lib. I, cap. 30, constat.

(2) In Pithœano ms. *benissima*, forte pro *lenissima* aut *benignissima*. Mox in ms. Sirm. *latebrosum*, non *tenebrosum*. Minus vero obscura erit oratio, constructa in hunc modum: *Igitur si quis illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum* (seu *latebrosum*) *fuerat expertus, ignorationis captum* (seu *ab ignorationis captu*) *resipiscens, sermonis nostri lenissima adhortatione reparatus* illud jam *exhauriat et condemnet.*

(3) Hoc est, id præstet, quod Macedoniani episcopi in epistola sequenti, jussu Liberii, profitentur: *Hanc autem catholicam et apostolicam fidem esse agnoscimus, quæ usque ad conciliam Nicænum integra et inconcussa permansit.* Uterque ille locus opinionem profligat eorum, quibus patres, qui Nicænam synodum præcesserunt, Arii placitis favisse visi sunt.

(4) Forte, *Verum etiam venenum virusque potius se se.* Locum hunc illustrat alter subsequentis epistolæ 15 quam rursum Liberius sic claudit: *Si post hoc concilium, perversæ doctrinæ virus evomere, et omnes Arii blasphemias rejicere, easque anathemate damnare noluerint, sciant se pariter cum Ario ejusque discipulis, cæterisque serpentibus... extraneos esse et alienos a communione Ecclesiæ.*

Digitized by Google

xerunt. « Et ille quidem initio eos admittere recusabat, arianarum partium illos esse dicens, nec ab Ecclesia suscipi posse, utpote qui Nicænam fidem abrogassent. At illi se dudum resipuisse et veritatem agnovisse responderunt; et Anomœorum quidem doctrinam ejurasse jam pridem; Filium vero Patri per omnia similem confessos esse, nec differre similem a consubstantiali. » Tum Liberius ab iis sententiæ suæ professionem scripto comprehensam exegit. Qui cum libellum obtulissent, in quo sese Arii et aliorum hæreticorum pravam doctrinam necnon Ariminensis synodi gesta damnare, et consubstantialis Nicænique concilii libello suo insertam fidem suscipere tum proprio, tum eorum quorum legationem obibant, nomine profitebantur, communionem a Liberio atque eas litteras obtinuerunt, quas ex Socrate descriptas exhibemus.

II. Præter has litteras, si quis verbis hæreat Basilii Magni, epist. 74, ad occidentales, facile adducetur ut cum Baronio ad ann. 365 credat, aliam a Liberio datam esse epistolam, qua Eustathium nominatim in suam sedem restitui præcipiebat; Eustathium vero Orientalibus in synodo Tyanensi congregatis epistolam illam, quæ sibi faveret, obtulisse contentum, litteras alias celasse. Sic quippe de illo Basilius, ep. 74, scribit : « Quæ vero sint illi a beatissimo episcopo Liberio proposita, quæve ipse pactus sit, clam nos est, nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur, quam ubi synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est. » Quocirca idem Basilius mox rogat, « ut scribatur ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit; simul vero adjiciatur, quo pacto jam immutata sententia gratiam, a patribus qui tum erant (cum Liberio) acceptam, irritam reddat. » Sed nullus huic suspicioni locus relinquitur, cum pervenitur ad ejusdem doctoris epistolam 82. Ibi enim Basilius de rebus gestis jam certior factus, pag. 153 diserte docet, « Eustathium Sebastenum Roma Tyanam attulisse chartam, in qua consubstantialis fidem profitebatur. » Quæ autem fuerit illa charta, ibid. pag. 152 explicat, de eodem Eustathio ac sociis sic disserens : « Hoc non cogitant, quod scriptum ipsorum, quo Nicænam fidem confessi sunt, Romæ asservatur; nec quod Tyanensi synodo propriis manibus tradiderunt Roma allatum libellum, qui et penes nos est, in quo eadem illa fides habetur. » Quibus verbis Basilius et libellum commemorat, quem Liberius ab Eustathio et sociis exegit, et litteras quas exinde illis ad Orientales perferendas idem pontifex dedit, quibus nimirum prædictus libellus subnectebatur. Simul etiam tradit, litteras illas Tyanensi synodo ipsa Eustathii ac sociorum manu fuisse redditas. Cum igitur in his Liberius, qua conditione ad communionem admissus sit, aperte exponat; planum est Basilium, cum epistolam 74 scriberet, Tyanensis synodi gesta ex incerto duntaxat rumore didicisse; adeoque levi admodum ac labili fundamento niti eos, qui uno hujus epistolæ allato loco freti, epistolam aliam desiderant, A qua Liberius Eustathium in sedem suam restitui juberet : maxime cum Socrates et Sozomenus, qui de toto hoc negotio satis accurate scripserunt, de altera illa epistola prorsus siluerint. Id tamen ex dictis memoratæ epistolæ 74 conficitur, Tyanensem synodum, ubi Eustathium a Liberio in communionem suam admissum esse litteris ipsius comperit eidem episcopo et communionem et sedem suam reddidisse. Sed et hoc certum cum ex prædicta Basilii epistola 74, tum ex 82 Eustathium fidem Romæ datam continuo fefellisse.

III. Neque vero propterea culpandus erat Liberius, quasi communionem legatis illis facilius indulsisset : quippe qui etiam ab eis nonnihil amplius exegerit, quam quod Athanasius epist. ad Rufinianum, secundum Alexandrinam synodum, ab iis qui ad Ecclesiam revertuntur exigendum statuit. Satis enim habet Athanasius, « ut anathemate damnent expresso nomine Eudoxii et Euzoii doctrinam, et confiteantur fidem Nicææ a patribus declaratam, nullamque aliam synodum huic anteponant. » Et quidem minime opus erat, ut Eustathius ac sorii ab Eudoxii doctrina sese abhorrere denuo profiterentur, cum concilio Lampsaci habito, cujus legatione fungebantur, id palam declarassent.

IV. Miratur vir eruditus hoc ab eis præterea flagitatum non fuisse, ut Spiritus sancti deitatem apertioribus verbis profiterentur. Id vero mirandum magis foret, si admittenda esset hæc, quæ subjectæ epistolæ 13 a Socrate præfigitur inscriptio, « Epistola Liberii... ad episcopos Macedonianorum, » hoc est, si episcopi qui legatos ad Liberium miserunt, et ad quos ille rescribit, ab auctore sectæ quæ Spiritum sanctum Deum negavit, jam cognominati essent Macedoniani. Verum cum Sozomenus hos simpliciter vocet « Orientales, » ac Liberius « universis Orientis episcopis orthodoxis » epistolam suam inscribat; liquet hos a Socrate per anticipationem quamdam Macedonianos fuisse nuncupatos, quia plures eorum, quos Liberius nominatim appellat, huic sectæ postea palam addicti fuerint. Negandum tamen non est, et ex tomo Athanasii ad Antiochenses perspicuum est, jam ab anno saltem 362 exstitisse, qui Nicænam fidem admittere se simulantes, Spiritum sanctum rem creatam affirmarent. Quam ob causam Alexandrina synodus in laudato tomo n. 3, legatis suis Antiochiam missis præscribens quibus pax danda fuerat, hæc præcipit : « Nihil amplius ab illis exigatis, quam ut arianam hæresim anathemate damnent, fidemque a sanctis patribus Nicææ promulgatam profiteantur : condemnent item eos, qui Spiritum sanctum affirmant creaturam esse, et a Christi substantia divisum... Nam qui simulant quidem se Nicænam fidem profiteri, atque interea contra Spiritum sanctum blasphemare non dubitant, nihil aliud præstant quam quod arianam hæresim verbis quidem negant, animo autem et sententia retinent. » Quocirca in fine tomi profitetur Paulinus : « Anathemate damno eos, qui fidem Nicææ promulgatam vilipendunt, et qui negant Filium

Digitized by Google

ex substantia Patris et Patri consubstantialem esse. Anathemate quoque damno eos, qui dicunt Spiritum sanctum creaturam esse a Filio factam. » Nec dicere licet novam hanc hæresim in Oriente natam, tardius in Occidente notam fuisse : cum Alexandrinæ synodi gesta, quibus manifesta fit, celebria etiam in Occidente fuerint, sintque a Liberio ipso epist. 13 laudata ; ac præterea ex legatis ab eadem synodo Antiochiam missis primarii ac præcipui fuerint Eusebius Vercellensis episcopus et Lucifer Calaritanus, qui sane Liberium nihil eorum quæ tum gesta sunt ignorare permiserunt. Superest igitur ut dicamus, Liberio hujus novæ hæresis minime suspectos fuisse eos qui ad se scripserant, adeoque illum nihil ab eis aliud exigendum duxisse, quam quod ab Occidentis episcopis pacem ipsius et communionem petentibus exigere soleret : quamvis nonnulli eorum, statim atque Liberii communionem ac litteras obtinuerunt, omni simulatione posita, Spiritus sancti divinitatem impugnare non distulerint. De Eustathio nominatim id testatur Basilius, epist. 74. Iste jam fidem eam, in quam receptus est, depopulatur, cumque illis facit, qui homousion anathemate percellunt, et hæresis Pneumatomachorum (*qui scil. Spiritus sancti deitatem impugnant*) est antesignanus.

V. De tempore, quo scriptæ sunt duæ epistolæ sequentes, nihil est cur diutius disseratur. Primam Romæ emiserunt ac Liberio obtulerunt legati a Lampsacena synodo missi, alteram iidem legati a Liberio non ita multo post acceptam reddiderunt episcopis Tyanensi in synodo congregatis. Ex quo sequitur, ut eo tempore, quod inter utramque synodum intercedit, scriptæ sint. Atqui Lamsapcena synodus secundum Socratem, lib. IV, c. 4, anno 365, et quidem secundum peritiores criticos autumno appetente, Tyanensis autem vere ineunte anni 367 habita est. Restat igitur ut prædictæ litteræ, anno 366. intermedio conscriptæ fuerint.

EPISTOLA (1) LEGATORUM LAMPSACENÆ SYNODI AD LIBERIUM PAPAM.

(Anno 366.)

TUM PROPRIO, TUM EORUM A QUIBUS MISSI SUNT NOMINE PROFITENTUR SE FIDEM NICÆNAM TENERE AC SERVATUROS ESSE, AC, SI QUIS IPSOS ACCUSAVERIT, SE CORAM EPISCOPIS, QUOS LIBERIUS PROBAVERIT, CAUSAM ESSE DICTUROS.

Domino fratri et consacerdoti Liberio Eustathius, Theophilus et Silvanus in Domino salutem.

I. Propter insanas (2) suspiciones hæreticorum, qui offensionum causas catholicis ecclesiis inferre non cessant, nos omnem illis occasionem adimere cupientes, profitemur et adseveramus episcoporum orthodoxorum synodum, quæ Lampsaci, Smyrnæ, variisque in locis celebrata est, cujus legatione fungentes, tum ad tuam benignitatem, tum ad universos Italiæ et Occidentis episcopos litteras afferimus, catholicam fidem tenere et custodire, quæ in sancta synodo Nicæna beati Constantini temporibus a trecentis decem et octo episcopis (3) confirmata, hac tenus integra et inconcussa perpetuo permansit, in qua consubstantialis vocabulum adversus Arii perversitatem sancte ac pie positum est. Similiter et nos cum supradictis eamdem fidem tenuisse, et tenere, et usque ad extremum spiritum servaturos esse propria manu profitemur : condemnantes Arium et impiam doctrinam ejus cum discipulis illius ; necnon (4) omnem hæresim patropassiani Marcionis, Photini, Marcelli et Pauli Samosateni, horum doctrinam, et omnes qui eadem atque illi sentiunt, omnes denique hæreses adversantes prædictæ sanctæ fidei, quæ pie

Κυρίῳ ἀδελφῷ καὶ συλλειτουργῷ Λιβερίῳ Εὐστάθιος, Θεόφιλος Σιλβανὸς ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Α'. Διὰ τὰς τῶν αἱρετικῶν μανιώδεις ὑπονοίας, αἳ οὐ παύονται ταῖς καθολικαῖς ἐκκλησίαις σκάνδαλα ἐπιφέροντες, τούτου χάριν πᾶσαν ἀφορμὴν αὐτῶν ἀναιροῦντες, ὁμολογοῦμεν τὴν σύνοδον τὴν γενομένην ἐν Λαμψάκῳ καὶ ἐν Σμύρνῃ, καὶ ἐν ἑτέροις διαφόροις τόποις τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, ἧς συνόδου πρεσβείαν ποιούμενοι, πρὸς τὴν χρηστότητά σου καὶ πάντας τοὺς Ἰταλούς τε καὶ δυτικοὺς ἐπισκόπους γράμμα κομίζομεν, τὴν καθολικὴν πίστιν κρατεῖν καὶ φυλάττειν, ἥτις ἐν τῇ ἁγίᾳ Νικαίων συνόδῳ ἐπὶ τοῦ μακαρίου Κωνσταντίνου ὑπὸ τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἐπισκόπων βεβαιωθεῖσα, ἀκεραία καὶ ἀσαλεύτῳ καταστάσει ἕως νῦν καὶ διηνεκῶς διαμένει, ἐν ᾗ τὸ ὁμοούσιον ἁγίως καὶ εὐσεβῶς κεῖται ὑπεναντίως τῆς Ἀρείου διαστροφῆς. ὁμοίως καὶ ἡμᾶς καὶ τὰ τῶν προειρημένων τὴν αὐτὴν πίστιν κεκρατηκέναι, καὶ κρατεῖν, καὶ ἄχρι τέλους φυλάσσειν, ἰδίᾳ χειρὶ ὁμολογοῦμεν· κατακρίνοντες Ἄρειον καὶ τὴν ἀσεβῆ διδαχὴν αὐτοῦ σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ πᾶσαν αἵρεσιν πατροπασσιανοῦ Μαρκίωνος, Φωτεινοῦ, Μαρκέλλου. καὶ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, καὶ τούτων τὴν διδαχήν, καὶ πάντας τοὺς ὁμόφρονας αὐτῶν, καὶ πάσας τὰς αἱρέσεις τὰς ἐναντιουμένας τῇ προειρημένῃ ἁγίᾳ πίστει, ἥτις εὐσεβῶς καὶ καθολικῶς ὑπὸ τῶν ἁγίων

(1) A Socrate quidem βιβλίον, quod proprie *libellus*, appellatur : sed nihil vetat quominus nuncupetur et *epistola*, quo nomine ab Epiphanio hær. 72, n. 1, donatur similis libellus, quem Marcellus Ancyranus Julio coram tradidit Contra epistolam sequentem, quam Liberius legatis perferendam dedit, quamque illi Tyanensi synodo reddiderunt, Basilius Magnus epist 82 βιβλίον vocat. Quodam modo igitur promiscua vocabula sunt βιβλίον et ἐπιστολὴ seu γράμμα.

(2) Vertit Valesius *opiniones* : sed quod græca vox proprie sonet, malumus etiam latine retinere. Notum est id semper hæreticis solenne fuisse, ut adversantes sibi hæreseos alicujus suspicione infamarent.

(3) Loco ἐπισκόπων, apud Sozomenum exstat, θεοφόρων πατέρων, id est, *Deiferis patribus*.

(4) Apud Socratem, καὶ τοὺς ὁμόφρονας αὐτοῦ καὶ πᾶσαν αἵρεσιν Σαβελλίου, Πατροπασσιανούς, Μαρκιωνιστὰς Φωτεινιανούς, Μαρκελλιανούς καὶ Παύλου. Hoc est *qui idem atque ille sentiunt, necnon omnem hæresim Sabellii, Patropassianos, Marcionistas, Photinianos, Marcellianos et Pauli*. Sozomenum sequimur. Quanquam ex Socrate placebat revocare vocem *Sabellii* ante *Patropassiani* ; sed advertentes Liberium in epistola sequente *Sabellianos* et *Patropassianos* distinguere, Sozomeni textui nihil addendum esse duximus. Aut certe legendum cum hac interpunctione, *Sabellii, Patropassiani*.

Digitized by Google

ἐξετίθη πατέρων ἐν Νικαίᾳ· ἀναθεματίζοντες ἐξαιρέτως Ἄρειον καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀριμίνῳ συνόδῳ ὅσα ὑπεναντίως τῆς προειρημένης ταύτης πίστεως τῆς ἁγίας συνόδου Νικαίων ἐπράχθη· οἷς δόλῳ καὶ ἐπιορκίᾳ ὑποπεισθέντες ἐν Κωνσταντίνου πόλει κομισθεῖσιν ἀπὸ Νίκης τῆς Θρᾴκης ὑπεγράψαμεν. ἔστι δὲ ἡ πίστις ἡμῶν, καὶ αὐτῶν ὧν καὶ προείρηται, ὧν καὶ τὴν πρεσβείαν ποιούμεθα, αὕτη.

et catholice a sanctis Patribus Nicææ exposita est : in primis (1) anathema dicentes Ario, atque iis omnibus quæ in Ariminensi synodo adversus prædictam fidem sancti concilii Nicæni gesta sunt : quibus ab oppido Thraciæ Nice (2) Constantinopolim allatis, dolo ac perjurio circumventi, subscripsimus. Fides autem nostra ac supradictorum (3), quorum legatione fungimur, hæc est.

Β'. Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν καὶ ἀοράτων ποιητήν, καὶ εἰς ἕνα μονογενῆ Θεὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς, καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νέκρους. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τοὺς δὲ λέγοντας. ἦν ποτέ ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ.

II. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum unigenitum Deum Dominum Jesum Christum, filium Dei, genitum ex Patre, id est, ex Patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam quæ in cœlo, quam quæ in terra ; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus, homoque factus est (4) ; passus est etiam et resurrexit tertia die, adscendit in cœlum, et venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt : Erat aliquando, quando non erat, et antequam gigneretur non erat, et quia ex nullis exstantibus factus est ; aut qui dicunt ex alia substantia vel essentia, aut mutabilem et conversioni obnoxium esse Filium Dei, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia Dei.

Γ'. Ἐγὼ δὲ Εὐστάθιος ἐπίσκοπος πόλεως Σεβαστείας, καὶ Θεόφιλος καὶ Σιλβανὸς πρεσβεῖς συνόδου Λαμψάκων, Σμύρνης καὶ τῶν λοιπῶν, ταύτην τὴν ὁμολογίαν χερσὶν

III. Ego Eustathius, episcopus urbis Sebastæ, et Theophilus et Silvanus, legati synodi Lampsacenæ et Smyrnensis et aliarum, hanc professionem propriis

(1) Totus hic locus apud Socratem ita effertur : Ἀναθεματίζοντες ἐξαιρέτως καὶ τὴν ἐν Ἀριμίνῳ συνόδῳ ἀναγνωσθεῖσαν ἔκθεσιν, ὡς ὑπεναντίως ; ac subinde πραχθεῖσαν, pro ἐπράχθη, et κομισθεῖσαν, pro κομισθεῖσιν, necnon ὑπέγραψαν, pro ὑπεγράψαμεν legitur. Sozomeno, quem ei præferimus, suffragatur Liberius in epistola sequente, ubi cum narret quid cum legatis gestum sit, hi ab eo exhibentur ut ἀναθεματίσαντες Ἄρειον καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀριμίνῳ πραχθέντα κατὰ τῆς πίστεως τῆς ἐν Νικαίᾳ θεσπισθείσης.

(2) Gesta illa Nice in Thracia habita, apud Hilarium, fragm. 8, n. 4, Octobris 10, die anni 359 consignantur ; a legatis autem Seleuciensis synodi ultimo ejusdem anni 359 die, ut Sozomenus, lib. IV, c. 23, tradit. Constantinopoli subscripta sunt. Et hi quidem prius perjurio circumventi sunt, quia, ut Sozomenus ibid. narrat, *cum constanter asseverarent substantiæ vocabulum se nunquam repudiaturos, Acaciani interposito jurejurando eis persuaserunt se nequaquam dissimilem substantia Filium asserere, paratosque esse eam asserere.* Perjurio dolum adhibitum ipsi Orientales apud Hilarium, fragm. 10, n. 1, in hoc ponunt, quod Aetii damnationi ita consenserint, *ut Aetius auctor hujus hæresis ipse potius, quam hæc impietatis dicta damnentur, magisque in hominem, quam in doctrinam sententia lata esse videatur.* Alter eorum dolus in hoc erat, quod formulam, cui tandem defatigati ac minis imperatoris perterriti, ut loquitur Hilarius, fragm. 8, n. 4, decem legati Ariminenses Nice Thraciæ subscripserant, veluti totius Ariminensis synodi fidem venditarunt. Alios eorum dolos Hilarius fragm. 10 retegit : sed is præcipuus, quo primum fefellerunt Occidentales, eosque ad usiæ silentium coegerunt, per impudentissimum mendacium eis affirmantes Orientales ab hac voce sic abhorrere, ut ad eam suscipiendam adduci nunquam possent. Quocirca Parisiense concilium, apud Hilarium, fragm. XI, n. 1, ad Orientales ita scribit : *Plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ* (Thraciæ) *adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad usiæ silentium sunt coacti.* Idem et Sozomenus, lib. IV, cap. 19 confirmat. Tum Orientalibus, ut formulam Nice allatam ad Occidentalium imitationem susciperent, persuaserunt. Vide Hilarii fragmentum IX. De hujusmodi autem fraude sicut Parisiis Galli, ita nunc Eustathius ac socii expostulant, immo expostulationem iterant. Jam enim, uti Basilius, epist. 82, pag. 152, narrat, alio in cœtu *conquesti erant de fraude, qua seducti tomo ab Eudoxii factione composito assenserunt. Quocirca lapsus hujus purgandi hanc excogitarunt rationem, ut Romam abeuntes patrum inde fidem acciperent, ac per melioris inductionem corrigerent noxam qua ecclesias ex multi consortio læserant.*

(3) Prætermittit quidem Sozomenus sequentem fidei Nicænæ expositionem ; hic tamen subnexam fuisse monet in hunc modum : *Cum hæc professi essent, fidem Nicææ editam iisdem plane verbis confessioni suæ subjunxerunt.*

(4) Non sine divino nutu concilium Nicænum post verbum σαρκωθέντα, addidit : καὶ ἐνανθρωπήσαντα ; si tamen Arius nondum pravam illam promulgarat doctrinam, quam postea discipuli ejus professi sunt. Quippe Eudoxius in Collectaneis antiqui scriptoris contra Severianos apud Canisium, t. IV, part. 1, pag. 133, credere se declarat in Christum *ut primarium in creaturis, incarnatum, et non humanatum ; non enim humanam animam assumpsit, sed factus est caro.* Subduntur et ibidem hæc Lucii Alexandrini Ariani verba : *Idcirco clamat Johannes : Verbum caro factum est, pro eo quod compositum est cum carne, non cum anima.* Apollinarii quoque hæresi Nicæna synodus hoc duplici verbo additum præcluserat : sed ejus discipuli, teste Gregorio Naz., ep. 2 ad Cledon., ἐνανθρωπήσεως *vocem improbe et versute* usurpantes, vim ejus eludere nitebantur.

Digitized by Google

manibus et nostra sponte conscripsimus. Si quis autem post hanc fidei nostræ expositionem adversus nos, aut adversus eos a quibus missi sumus, aliquam criminationem (1) inferre voluerit, cum litteris sanctitatis tuæ coram orthodoxis episcopis, quos probaverit sanctitas tua, veniat, et apud illos judicio contendat nobiscum, ac si quid criminis convictum fuerit, in auctorem animadvertatur (2).

A ἡμῶν καὶ οἰκείαις προαιρέσεσιν ἐγράψαμεν. εἰ δέ τις μετὰ τὴν ἐκτεθεῖσαν παρ' ἡμῶν πίστιν καθ' ἡμῶν, ἤτοι τῶν ἀποστειλάντων ἡμᾶς ἔγκλημά τι προσενεγκεῖν θελήσει, μετὰ γραμμάτων τῆς σῆς ἁγιοσύνης, πρὸς οὓς ἂν δοκιμάσῃ ἡ σὴ ἁγιότης ὀρθοδόξους ἐπισκόπους ἔρχεσθαι, καὶ ἐπ' αὐτῶν μεθ' ἡμῶν διαδικάζεσθαι. καὶ εἴ τι ἐγκλήματος ἕνεκεν συσταθῇ, εἰς τὸν αἴτιον ἐπιστραφείη.

EPISTOLA (3) LIBERII URBIS ROMÆ EPISCOPI AD UNIVERSOS ORIENTIS ORTHODOXOS EPISCOPOS

(Anno 366.)

LEGATOS EORUM FIDEM NICÆNAM PROFESSOS ESSE; FIDEI HUJUS ROBUR IN SUBSTANTIÆ ET CONSUBSTANTIALIS VOCABULIS SITUM ESSE. PRAVORUM CONATUS, UT ARIMINI HÆC VOCABULA SUPPRIMERENTUR. ARIMINENSIS SYNODI GESTA AB IPSORUM LEGATIS DAMNATA ESSE, ET AB IIS QUI DECEPTI TUNC FUERANT SUMMO CONSENSU DAMNARI.

Dilectis Fratribus et comministris Evethio (4), Cyrillo, Hyperechio (5), Uranio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Heortasio, Neoni, Eumathio, Faustino, Proclino (6), Pasinico, Arsenio, Severo, Didymioni, Britannio, Callicrati, Dalmatio, Ædesio, Eustochio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Marciano, Sthenelo, Johanni, Maceri (7), Charisio, Silvano, Photino, Antonio, Anytho (8), Celso, Euphranori, Milesio, Patricio, Severiano, Eusebio, Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Menodoro, Dioeli, Chrysampelo, Neoni, Eugenio, Eustathio, Callicrati, Arsenio, Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lucio, et (9) omnibus Orientis orthodoxis episcopis Liberius episcopus Italiæ et Occidentis episcopi in Domino (10) sempiternam salutem.

B Τοῖς ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς καὶ συλλειτουργοῖς Εὐηθίῳ, Κυρίλλῳ, Ὑπερεχίῳ, Οὐρανίῳ, Ἥρωνι, Ἐλπιδίῳ, Μαξίμῳ, Εὐσεβίῳ, Εὐκαρπίῳ, Ἑορτασίῳ, Νέωνι, Εὐμαθίῳ, Φαυστίνῳ, Προκλίνῳ, Πασινίκῳ, Ἀρσενίῳ, Σευήρῳ, Διδυμίωνι, Βρεττανίῳ, Καλλικράτει, Δαλματίῳ, Αἰδεσίῳ, Εὐστοχίῳ, Ἀμβροσίῳ, Γελωνίῳ, Παρδαλίῳ, Μακεδονίῳ, Παύλῳ, Μαρκέλλῳ, Ἡρακλείῳ, Ἀλεξάνδρῳ, Ἀδολίῳ, Μαρκιανῷ, Σθενέλῳ, Ἰωάννῃ, Μάκερι, Χαρισίῳ, Σιλβανῷ, Φωτεινῷ, Ἀντωνίῳ, Ἀνύθῳ, Κέλσῳ, Εὐφράνορι, Μιλησίῳ, Πατρικίῳ, Σευηριανῷ, Εὐσεβίῳ, Εὐμολπίῳ, Ἀθανασίῳ, Διοφάντῳ, Μηνοδώρῳ, Διοκλεῖ, Χρυσαμπέλῳ, Νέωνι, Εὐγενίῳ, Εὐσταθίῳ, Καλλικράτει, Ἀρσενίῳ, Εὐγενίῳ, Μαρτυρίῳ, Ἱερακίῳ, Λεοντίῳ, Φιλαγρίῳ, Λουκίῳ καὶ πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἀνατολῇ ὀρθοδόξοις ἐπισκόποις Λιβέριος ἐπίσκοπος Ἰταλίας καὶ οἱ κατὰ τὴν δύσιν ἐπίσκοποι ἐν κυρίῳ παντότε χαίρειν.

C

1. Optatissimum nobis pacis et concordiæ gaudium attulerunt litteræ vestræ, fidei lumine resplen-

Α'. Τὴν εὐκταιοτάτην ἡμῖν χαρὰν τῆς εἰρήνης καὶ τῆς ὁμονοίας ἤνεγκε τὰ ὑμέτερα γράμματα, τῷ τῆς πίστεως

(1) Ursacius et Valens simile quid Julio papæ epist. 5 jam polliciti fuerant, scribentes ei: *Profitemur etiam quod si aliquando nos Orientales voluerint, vel idem Athanasius, malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos.* Sed nunc legati, Orientalium a quibus missi fuerant nomine, longe plus spondent, ipsumque idoneum agnoscunt judicem, qui et judices constituere possit, apud quos etiam Orientis episcopi se sistere debeant.

(2) His subjicit Socrates: *Hoc libello quasi cautione quadam cum legatos Liberius obligavisset, eos in communionem suscepit, datisque hujusmodi litteris* (quæ scil. subsequuntur) *dimisit* Et ipsum quidem autographum libellum Romæ asservatum fuisse jam ex Basilii epistola 82 observavimus.

(3) Apud Socratem inscribitur: ἐπιστολὴ Λιβερίου τοῦ ἐπισκόπου τῶν Ῥωμαίων πρὸς τοὺς ἐπισκόπους τῶν Μακεδονιανῶν. Quæ inscriptio cur non retinenda sit, ex iis quæ in Monito epistolæ 14, n. 4 præfixo præfati sumus, satis liquet.

(4) Ita Valesius. Epiphanius vero hist. tripart. lib. 7, c. 25, *Eustathio*. Baron. legit *Hypatio*, et ad marg., cum priscis Socratis editionibus, *Hythio*. Hinc Blondellus mallet *Hypsio*, qui nimirum in Galatiæ conciliabulo anno 375 exeunte ab episcopatu dejectus fuit. Demum Tillemontius *Hypatiano*, qui Heracleæ episcopus fuit, legendum esse conjectat. Quin episcoporum hic appellatorum nominibus conscriptæ subscriptæque fuerint litteræ, quas Eustathius, Silvanus atque Theophilus ad Liberium pertulerant, nulli ambigendum.

(5) Epiphan. *Hypericio*

(6) Idem *Proclo*.

(7) Baron. *Macario*, et ad marg., cum priscis Socrat. edit., *Macari*. Vales. *Macro*. Revocamus Epiphanii lectionem ut litteræ græcæ tenaciorem.

(8) Epiphan. *Antho*. Baron. *Aytho*.

(9) Epiphan. *universis Orientalibus orthodoxis Liberius episcopus et Occidentales episcopi in Domini semper salutem*, omisso vocabulo *Italiæ*, quod supervacaneum quidem videtur, quia Italiæ episcopi ad Occidentem pertinent. Sed hæc salutatio exacta est ad verba legatorum, in superiori epistola n. 1, dicentium: *Asseveramus orthodoxorum episcoporum synodum... cujus legatione fungentes, tum ad tuam benignitatem, tum ad universos Italiæ et Occidentis episcopos litteras afferimus.* Sicut autem hæ Orientalium litteræ, quamvis Liberio et Occidentalibus inscriptæ, uni tamen Liberio a Socrate, lib. IV, c. 12, et Sozomeno, lib. VI, c. 10, dicuntur traditæ, ita et quæ præ oculis est epistola, tametsi Liberii et Italiæ atque Occidentalium episcoporum nomen præ se ferat, a Sozomeno ibid. uni Liberio adscribitur, ac legati cum litteris Liberii, nulla Occidentalium episcoporum mentione facta, rediisse dicuntur.

(10) Vales. post Epiphan. *in Domino salutem*, voce παντότε non expressa. Græcam litteram reddere sic liceret: *Gaudere in Domino semper*, quasi hæc dicta sint ad imitationem verborum Pauli. Phil. IV, 4: *Gaudete in Domino semper.* Hilarii exemplum habemus, episcopis quibus contra Auxentium scribit, *in Domino æternam salutem* pariter in scripti sui fronte optantis.

Digitized by Google

φωτὶ προλαμπόμενοι ἀδελφοὶ ἀγαπητοί, τὰ ἀποδοθέντα ἡμῖν διὰ τῶν τιμιωτάτων ἀδελφῶν τῶν ἐπισκόπων Εὐσταθίου Σιλβανοῦ καὶ Θεοφίλου, καὶ ταύτῃ μάλιστα, ὅτι τὴν ὑμετέραν γνώμην καὶ τὰ ὑμέτερα φρονήματα συμφωνεῖν καὶ συνᾴδειν πρός τε τὴν ἐμὴν ἐλαχιστότητα καὶ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ δυτικῶν πάντων διεβεβαιώσαντο καὶ ἀπέδειξαν. καὶ ταύτην εἶναι γινώσκομεν τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικήν, πίστιν ἥτις μέχρι τῆς κατὰ Νίκαιαν συνόδου ἀκεραία καὶ ἀσάλευτος διέμενε. ταύτην τε αὐτοῖς ἔχειν ὡμολόγησαν, καὶ χαρᾶς ἀναπλησθέντες, πᾶν ἴχνος καὶ ζώπυρον ἀτόπου ὑπονοίας ἐκβαλόντες, οὐμόνον διὰ λόγου. ἀλλὰ καὶ ἐγγράφως ταύτην ἐξέθεντο. ἧς καὶ τὸ ἀντίτυπον ἀναγκαίως τούτοις τοῖς γράμμασιν ὑποτάξαι ἡγησάμεθα δεῖν· μή τινα πρόφασιν τοῖς αἱρετικοῖς εἰς ἐπιβουλὴν αὖθις καταλείπωμεν, ἐν ᾗ πάλιν τὰ ὑπεκκαύματα τῆς ἰδίας κακίας ἀνακινοῦντες, πυρκαϊὰς διὰ διχοστασιῶν συνήθως ἐξάπτοιεν. A B

dentes, fratres dilectissimi, redditæ nobis per charissimos fratres et episcopos Eustathium, Silvanum et Theophilum; idque eo maxime, quod sententiam vestram atque doctrinam cum tenuitate mea cumque omnibus Italis et Occidentalibus consentire prorsus et concinere affirmarunt simul ac demonstrarunt. Hanc autem fidem catholicam et apostolicam esse agnoscimus, quæ usque ad Nicænum concilium integra et inconcussa permansit. Et hanc legati vestri se habere professi sunt, et cum inæstimabili gaudio omne vestigium ac fomitem absurdæ suspicionis abolentes, non sermone solum, sed et scripto eam exposuerunt, cujus (1) etiam exemplum his litteris necessario subjiciendum esse existimavimus, ne quam hæreticis occasionem ad struendas rursum insidias relinquamus, quibus de integro incentiva malitiæ suæ commoventes, discordiarum ignes pro suo more excitent.

Β'. Ἐπεί τε καὶ τοῦτο ὡμολόγησαν οἱ τιμιώτατοι ἀδελφοὶ ἡμῶν Εὐστάθιος καὶ Σιλβανὸς καὶ Θεόφιλος, ἑαυτούς τε, καὶ τὴν ὑμετέραν ἀγάπην, παντότε ταύτην τὴν πίστιν ἰσχηκέναι, καὶ ταύτην μέχρι τέλους διαφυλάξειν, δηλαδὴ τὴν ἐν Νικαίᾳ δοκιμασθεῖσαν ὑπὸ τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων· ἥτις τὴν τελείαν περιέχει ἀλήθειαν. καὶ πάντα τὰ τῶν αἱρετικῶν πλήθη ἐπιστομίζει τε καὶ ἀνατρέπει. οὐδὲ γὰρ ἀπὸ ταυτομάτου, ἀλλὰ θείῳ νεύματι, ὁ τῶν τοσούτων ἀριθμὸς ἐπισκόπων συνέκροτήθη κατὰ τῆς Ἀρείου μανίας. ἀλλ' ἐν ὅσῳ ἀριθμῷ ὁ μακάριος Ἀβραὰμ τοσαύτας χιλιάδας διὰ πίστεως κατεστρέψατο, ἥτις πίστις ἐν τῇ ὑποστάσει καὶ τῷ ὀνόματι C

II. Insuper et hoc professi sunt carissimi fratres nostri Eustathius Silvanus ac Theophilus, tum se, tum vestram charitatem, semper eam fidem habuisse, et ad extremum usque spiritum servaturos esse, quæ scilicet Nicææ a trecentis decem et octo orthodoxis episcopis comprobata est: quæ et perfectam continet veritatem, et omnes (2) hæreticorum catervas confutat et evertit. Non enim fortuito casu, sed divino nutu adversus Arii insaniam tantus episcoporum numerus congregatus est, quanto numero beatus Abraham tot millia per fidem profligavit. Quæ quidem fides (3) in substantia et consubstantialis vocabulo

(1) Epistolæ seu libelli superioris exemplar his litteris a se subjectum esse hic Liberius monet. Hujusmodi exemplum, in quo Liberii litteris legatorum libellus subnexus erat, penes se esse Basilius, epist. 82 testatur.

(2) Epiphanius: *Os totius hæreticæ multitudinis obstruit et dissolvit* Hilarii de Nicæna fide eadem, quæ hic Liberii, erat sententia, siquidem ab eo fragm. II, n. 27, *conscripta a* CCCXVIII *episcopis contra omnes hæreses* inscribitur. Idem quoque Hilarius, lib. de Synod., n. 86, quomodo hic Liberius, patrum Nicænorum numerum cum numero famulorum, quorum subsidio Abraham reges impios devicit, comparat; eosque hac in re imitantur Ambrosius, prologo in lib. I de fide, n. 5, ac vulgatus Paschasius diaconus, seu potius Faustus Regiensis episcopus, præfat. in lib. I de Spiritu sancto.

(3) Valesius græcum vocabulum ἐν ὑποστάσει, latine non mutavit, sed retinuit *in hypostasi*. Liberium hic respicere liquet ad ea Nicænæ synodi verba, quibus damnantur qui dicunt Filium ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, quæ quidem Hilarius, fragm. II, n. 27 latine sic reddit: *ex altera substantia vel essentia*. Ubi præferendus videtur Basilio, qui epist. 78, οὐσίας ὑποστάσεως voces Nicæno concilio synonymas non fuisse contendit, ac primo ἐξ ἑτέρας οὐσίας adversus Arianos dictum, deinde ἢ ὑποστάσεως contra Sabellianos. *qui*, inquit, *hypostasim et essentiam idem esse sentiebant*, adjectum esse censet. Et vero doctor ille verba invertit Nicæni concilii, cum hæc synodus in symbolo, quale ab ipsomet in eadem epistola refertur, præmittat ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ac deinde subjiciat ἢ οὐσίας. Hæc autem ideo adjecta est, non ut nova impugnaretur hæresis, sed ut qui prioris vocabuli vim non satis percepisset, de genuino ejus intellectu ambigere prorsus cessaret. Quocirca nihil hic valet istud Basilii argumentum: *Si voces illæ unam et eamdem significationem haberent, quid opus fuisset utramque ponere?* Præterea Sabellianorum in eo non erat hæresis, quod Filium *ex altera hypostasi*, prout hæc vox *subsistentium* ac *personarum* sonat, affirmarent, sed in hoc potius, quod istud negarent, Patris et Filii personas confundentes. Ut igitur Nicæna synodus Arianos simul et Sabellianos damnasse, ac voces οὐσίας et ὑποστάσεως non una ratione usurpasse judicaretur, dicendum ei fuerat anathema tum iis qui filium ἐξ ἑτέρας οὐσίας affirmant, tum iis qui eumdem ἐν ἑτέρᾳ ὑποστάσει negant. Denique Ariani prospicientes irritam fore Nicænam fidem, si *substantiæ* seu *usiæ* supprimeretur vocabulum, cum Arimini, tum Nicææ in Thracia, tum etiam Seleuciæ atque Constantinopoli nihil non moliti sunt, ut prorsus rejiceretur. Et ut id facilius obtinerent, vocabulum istud ideo a se respui obtendebant, quod a sacris litteris alienum esset. Contra catholici, ac nominatim Hilarius, lib. I de Trinit., n. 18, ejusque æqualis Phœbadius Agennensis episcopus *substantiæ* nomen sacris in litteris inusitatum non esse demonstrabant hoc Jeremiæ XXIII, XXII. sec. LXX, loco, si ἔστησαν ἐν ὑποστάσει verba ἐν ὑποστάσει latine *in substantia* reddendum esse non ambigentes; quomodo re ipsa reddiderunt, et ante eos Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ, et post eos vetus auctor, quæst. vet. ac nov. Testam. apud Augustinum, append. t. III, pag. 91. Ambrosius, lib. III de fide, cap. 15. Africani episcopi apud Victorem Vit. initio lib. III. Gregorius vero Naz. Or. 34, in eodem Jeremiæ loco cum Theodotione legens ἐν ὑποστήσαντι, addidit καὶ οὐσίᾳ κυρίου. Quo pacto concilium Nicænum imitatus, ne in ambiguo ὑποστάσεως vocabulo inderent aut simplicibus imponerent hæretici, cavit. Idem enim vocabulum etiam a nonnullis patribus Nicæno concilio antiquioribus pro subsistentia seu persona usurpatum esse supra, probavimus. At apud longe plures ejus

Digitized by Google

comprehensa, tamquam firmum et inexpugnabile munimentum, omnes impetus et pravas machinas Arianæ dementiæ reprimit ac repellit.

III. Quocirca cum omnes Occidentalium partium episcopi Ariminum convenissent, quo illos Arianorum improbitas convocaverat eo consilio, ut aut persuasione aliqua, aut, quod verius est, sæcularis potentiæ auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat tollerent, aut oblique negarent, nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam ab ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, et catholicæ fidei apud Nicæam promulgatæ subscripserunt, et communione nobiscum inita, adversus Arium ejusque discipulos graviori indignatione commoventur. Cujus rei argumentum cum ipsi charitatis vestræ legati viderent, vos ipsos in subscriptione sua conjunxerunt, anathemate damnantes Arium, necnon ea quæ Arimini contra fidem Nicænæ firmatam gesta sunt; quibus et vos perjuriis in (1) fraudem inducti subscripsistis.

IV. Quamobrem congruum nobis visum est, litteras ad charitatem vestram scribere, et justa petentibus (2) subvenire : præsertim cum ex professione legatorum vestrorum cognoverimus. Orientales ad sanam mentem reversos cum orthodoxis Occidentalibus consentire. Significamus autem vobis, ne sitis nescii, ariminensis consilii blasphemias ab iis, qui tunc per fraudem decepti fuisse visi sunt, nunc anathemate perculsas esse, et universos conspirantibus animis in nicænam fidem consensisse. Sed et vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim ac fraudem aliquod fidei suæ detrimentum passi sunt, nunc tandem ex hæretica caligine ad divinam catholicæ libertatis lucem valeant emergere. Qui quidem si post hoc concilium perversæ doctrinæ virus evomere, et omnes Arii blasphemias rejicere, easque anathemate damnare nolnerint, sciant se pariter cum Ario ejusque discipulis, et reliquis serpentibus, sive Sabellianis seu Patropassianis aut quibuslibet aliis hæreticis extraneos esse et alienos a communione Ecclesiæ, quæ adulterinos filios non admittit. Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

A τοῦ ὁμοούσιου περιεχομένη. ὥσπερ ἔρυμα ὀχυρὸν καὶ ἄμαχον, πάσας τὰς προσβολὰς καὶ τὰς κακομηχανίας τῆς Ἀρείου κενοδοξίας καθαιρεῖ τε καὶ ἀποτρέπεται.

3. Τοιγαροῦν πάντων τῶν κατὰ τὴν δύσιν ἐπισκόπων, τῶν εἰς τὴν Ἀρίμινον (*Legit. Vales.* τὸ Ἀρίμηνον) συνελθόντων, ὁπότε τούτους ἡ κακοήθεια τῶν Ἀρειανῶν συνεκρότησεν, ὅπως ἢ διὰ πειθοῦς τινὸς, ἢ ἵνα ἀληθέστερον εἴπω, κοσμικῆς δυναστείας, τοῦθ' ὅπερ ἀσφαλέστατον ἦν ἐν τῇ πίστει κείμενον ἀνέλοιεν, ἢ πλαγίως ἀρνήσωνται, οὐδὲν τούτων ὠφέλησεν ἡ πανουργία. Καὶ γὰρ σχεδὸν πάντες ἐκεῖνοι ἐν τῇ Ἀριμίνῳ γενόμενοι, καὶ δελεασθέντες, ἢ ὑπαχθέντες τότε, νῦν ἀναφρονήσαντες, καὶ ἀναθεματίσαντες τὴν ἔκθεσιν τῶν ἐν Ἀριμίνῳ συνελθόντων, καὶ ὑπογράψαντες τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ πίστει τῇ κατὰ Νίκαιαν θεσπισθείσῃ, οἱ καὶ ἡμῖν κοινωνήσαντες, B ἐκθυμότερον κατὰ τοῦ Ἀρείου δόγματος καὶ κατὰ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν χαλεπαίνουσιν Οὗ τινος πράγματος τὸν ἔλεγχον καὶ αὐτοὶ οἱ πρεσβεῖς τῆς ὑμετέρας ἀγάπης ἐπιγνόντες, ὑμᾶς αὐτοὺς τῇ οἰκείᾳ ὑπογραφῇ συνέζευξαν· καὶ ἀναθεματίζοντες Ἄρειον καὶ τὰ ἐν Ἀριμίνῳ πραχθέντα κατὰ τῆς πίστεως τῆς ἐν Νικαίᾳ θεσπισθείσης, οἷς καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ δελεασθέντες δι' ὁρκωμοσιῶν ὑπεγράψατε.

4. Ὅθεν ἀκόλουθον ἡμῖν ἐφάνη, γράψαι πρὸς τὴν ὑμετέραν ἀγάπην, καὶ βοηθῆσαι τοῖς δίκαια αἰτουμένοις· μάλιστα δὲ, ὅτε διὰ τῆς ὁμολογίας τῶν ὑμετέρων πρεσβειῶν ἀναφρονήσαντας τοὺς ἀνατολικοὺς συμφωνεῖν πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους τῶν δυτικῶν ἐπέγνωμεν καὶ δηλοῦμεν, ὅπως εἰδέναι ἔχοιτε, τὰς ἐν τῇ Ἀριμίνῳ βλασφημίας, καὶ ὑπὸ τῶν δοξασάντων τότε κατὰ συναρπαγὴν παραβεβλάφθαι, νῦν ἀναθεματισθείσας, καὶ πάντας πρὸς τὴν κατὰ Νίκαιαν πίστιν συμπεπνευκέναι. Καὶ χρὴ δι' ὑμῶν τοῦτο πᾶσι γνωσθῆναι, ὅπως δυνηθεῖεν καὶ οἱ κατ' ἐπήρειαν παραβλαφθέντες, ἤδη ποτὲ ἐκ τοῦ αἱρετικοῦ σκότους πρὸς τὸ θεῖον φῶς τῆς καθολικῆς ἐλευθερίας ἀνακάμψαι· οἵ τινες μετὰ ταύτην τὴν σύνοδον εἰ μὴ θελήσειαν ἀποπτύσαι τὸν τῆς κακοδοξίας ἰὸν, καὶ τὰς βλασφημίας Ἀρείου πάσας ἀνελεῖν, ταύτας τε ἀναθεματίσαι, γινωσκέτωσαν ἑαυτοὺς μετὰ τοῦ Ἀρείου καὶ τῶν τούτου μαθητῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ὄφεων, ἤτοι Σαβελλιανῶν, ἢ Πατροπασσιανῶν, ἤ οἱασδήποτε ἄλλης αἱρέσεως ἐκπτώτους εἶναι καὶ ἀκοινωνήτους τῶν ἐκκλησιαστικῶν συνάξεων, ἥτις τοὺς ἐκ μοιχείας υἱοὺς οὐ προσίεται. Ὁ Θεὸς ὑμᾶς ἐῤῥωμένους C διαφυλάξοι, ἀδελφοὶ ἀγαπητοί.

ad significandam substantiam diu perseveravit usus, nec ab eo nicæna synodus recessit.

(1) Ut ipsimet eorum legati superiori n. 1, in libello seu epistola testantur.

(2) Ut discamus quæ illa sit justa petitio, recolendum quorsum Orientales Romam miserint, legativе eo venerint. Et ideo quidem, Socrate et Sozomeno auctoribus, legatos miserunt, quia malorum sibi a Valente imp. et Eudoxio impendentium metu perterriti, ad Valentinianum imp. et Liberium sibi confugiendum duxerunt. Basilii vero epist. 82 sententia est, hanc eos excogitasse viam, ut maculam eluerent, corrigerentque noxam, quam tomo ab Eudoxii factione composito consentiendo admiserant, vel etiam, quod idem Basilius, epist. 74, de Eustathio nominatim tradit, ut prius depositi in suos sedes restituerentur. Eo pacto Liberius petitis annuit opem adversus Valentis et Eudoxii vexationes pollicendo, ipsis imperticndo pacem et communionem, et expulsos in sedes suas restituendo. Sane Eustathium, statim ut Liberii epistolam Tyanensi synodo exhibuit, in locum suum fuisse restitutum, Basilius, epist. 74, tradit.

Digitized by Google

APPENDIX.

GESTA LIBERII PAPÆ.

ADMONITIO IN GESTA SEQUENTIA.

(*Const. Append.*, *p.* 87.)

I. Silvestri pseudoconstituto in veteri collectione Langobardicis litteris exarata proxime subjiciuntur Gesta subsequentia. Eorum artifex sese ab exordio mendacem prodit atque imperitum, ubi imperatorem, qui Liberio pontifice Romæ regnabat, non modo Constantinum, Constantem, Constantiumque promiscue vocat, sed et eum appellat « Constantini Magni nepotem, » cum imperatoris hujus filium Constantium tunc Romæ imperasse constet. Deinde quod de Constantini lepra ejusque baptismo in Silvestri papæ falsis gestis ac pseudoconstituto fingitur, repetit. Quod autem Eusebius Cæsariensis episcopus de Constantini Magni baptismo Nicomediæ ab Eusebio civitatis hujus præsule suscepto tradit, de fictitii hujus nepotis baptismo stolide interpretatur. Neque minus falso hæreticam de pluribus Mariæ filiis opinionem Constantio attribuit. Quis vero eum turpiter hallucinari non sentiat, ubi exilii Liberii vel causam vel locum exponit? Liberius enim a Constantio non ideo relegatus est, quia eum deriserit aut accusarit, eique dixerit: « Non erit tuum regnum, quia non times Dominum; » sed quia Athanasii damnationi subscribere noluerit. Istud quoque ignorat nemo, eumdem non Noellæ in cœmeterio tribus tantum millibus ab Urbe distanti, sed Beroææ in Syria exulasse. Præterea sic eum in hoc cœmeterio agentem inducit, quasi Felicem loco ejus subrogatum nesciat. Damasum vero tum, cum Liberius in exilium abiit, presbyterum fuisse, atque a Liberio, priusquam Roma exiret, vicarium suum creatum esse mentitur; quamvis illum tunc tantum diaconum, atque Liberii abeuntis comitem extitisse exploratum sit ex Marcellini et Faustini ad imperatores Valentinianum, Theodosium et Arcadium precibus. Ibi enim, pag. 2, legere est: « Cum Liberio Damasus ejus diaconus se simulat proficisci: unde fugiens de itinere Romam rediit. » Sane non proficiscendi aut saltem citius redeundi legitima ei extitisset causa, si Liberii vicarius ab ipsomet institutus fuisset. Sed et aliud omnino sonat, quod in iisdem precibus statim subnectitur: « Eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, clerus omnis, id est presbyteri, et archidiaconus Felix, et ipse Damasus diaconus... sub jurejurando firmaverunt se, vivente Liberio, pontificem alterum nullatenus habituros. Sed clerus contra fas... Felicem archidiaconum ordinatum in locum Liberii susceperunt. » Tam apertis autem mendaciis refutandis diutius immorari tædet: præsertim cum cætera vel fabulis pariter constent, vel gestis perperam intellectis, vel præpostere relatis.

II. Horum gestorum architectum ab eo qui superiora Marcellini gesta et Silvestri pseudoconstitutum A confinxit, non alium esse suspicamur; idque suadent, cum locus quem in exemplaribus manu exaratis obtinent, tum barbara loquendi ratio, quamvis paulo tolerabilior, tum etiam in excogitandis mendaciis imperitia par, et in iis proferendis æqualis impudentia. Quocirca et ea prædictis adjungere inutile non erit. Ad hoc certe proficient, ut unde vitæ Damasi e ms. codice archivi Canonicorum S. Petri a Constantino Cajetano abbate exscriptæ, et Parisiis anno 1672 apud Lud. Billaine cum cæteris Damasi papæ operibus, p. 21, excusæ initia sumpta sint, compertum habeatur. Hujus quippe vitæ scriptor, quamvis nec sermonis nec eruditionis omnino expers, negari tamen nequit, gestorum illorum dictis non satis circumspecte adhæsisse. Plura quidem castigavit absurda et absona; nonnulla quoque, ab historica veritate abhorrentia, ad ejus normam revocavit: sed non ita correxit omnia ut nihil corrigendum relinqueret. Non enim emendavit quod in his actis de Liberii exilio in cœmeterio Noellæ tertio ab Urbe milliario distanti legitur. Et quamvis Felicem ei subrogatum esse non taceat, sic tamen repræsentat Liberium, at qui Damaso vices committat suas, ac subinde: « omnes catholici gradus ecclesiasticos » ad se convocet, iisque præsentibus baptismum multis millibus semel et secundo conferat. Mittimus eumdem scriptorem Luciferi episcopi Calaritani, Pancratii atque Hilarii ad Constantium legationem, nec non ejusdem Luciferi, Eusebii Vercellensis, atque ipsius Liberii exilia, quæ concilium ariminense tribus vel quatuor annis præcesserunt, hac synodo posteriora credidisse; Hilarium pictaviensem episcopum cum Hilario diacono, qui Luciferiano schismati adhæsit, confundere, et alia similia de quibus plura disserere non est hujus loci. Hic annotasse satis sit, scriptorem illum his gestis, quæ meliori forma exprimere conatus est, manifeste recentiorem apparere.

B

C

D

INCIPIUNT GESTA LIBERII PAPÆ.

(*Indidem*, *p.* 89.)

1. *Fidei confessio.* — Anno regni Constantini (1) regis nepotis Constantini magni viri erat quidam sacerdos Urbis nomine Liberius, pius præsul Christum prædicans, sicut et doctus fuerat a Marco episcopo urbis Romæ, qui eum ordinavit diaconum in civitate in gremio basilicæ Constantinianæ, semper in Trinitate fixus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum prædicans, et laudans « Deum de Deo et lumen de lumine, totum a toto, plenum a pleno; non creatum, sed genitum; non ex nihilo, sed ex Patre,

(1) Anno Christi 327, consulatum gessit Fl. Valerius Constantinus, de quo dubitatur quidem Constantino frater, an fratris filius fuerit: sed is regno numquam potitus legitur: ac certum est id, quod ab Eusebio de baptismo Constantini Magni Nicomediæ traditum est, perperam ad hunc nepotem referri.

Digitized by Google

unius substantiæ cum Patre : Spiritum vero sanctum Deum nostrum, non ingenitum neque genitum, non creatum neque factum, sed de Patre procedentem, Patris et Filii (*spiritum*), semper cum Patre et Filio coæternum veneramur : unum tamen Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris est Deus natus est Filius, et in Patre totum quod inest (*unus ms.* quod est), totum genuit Filium. Pater Filium generans, non minuit nec amisit plenitudinis suæ deitatem. Totum autem, quod Deus pater est, id esse et Filium certissime confitentes cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur. Credimus Jesum Christum Dominum nostrum Dei Filium, per quem omnia facta sunt quæ in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, propter nostram salutem descendisse de cœlo, qui nunquam desierit esse in cœlo, et natum de Spiritu sancto ex Maria virgine. Verbum caro factum non amisit quod erat, sed cœpit esse quod non erat, non demutatum, sed Deum permanentem, etiam hominem natum, non putative, sed vere, non aereum, sed corporeum, non phantasticum, sed carneum, ossa, sanguinem, sensum et animam habentem ; ita verum hominem ut verum Deum, unum eumdemque verum hominem fuisse nullo modo ambigimus confitendum. Hunc eumdem Dominum Jesum Christum adimplesse Legem vel Prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum secundum Scripturas, tertia die a mortuis resurrexisse, assumptum in cœlis, sedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos et mortuos exspectamus, et sæculum per ignem (1). »

2. *Constantinus a lepra mundatus. Constans Nicomediæ baptizatus. Liberius relegatus Noellam.* — Hoc cum legisset ex libro antiquo, edoctus a libro Silvestri episcopi Romanorum, eo quod et publice prædicaret, quia (*dele* quia) in nomine Jesu Christi a lepra mundatum fuisse per Silvestrum Constantinum patruum Constantis ; erat enim Constans non integre christianus, sed quasi tentator, baptizatus tamen in Trinitate, non tamen integre confitebatur Trinitatem. Baptizatus autem ab Eusebio Nicomediensi in Nicomedia in Aquilone villa. Hic vero dicebat, alios filios habuisse de Maria Joseph. Hoc cum audisset Liberius episcopus urbis Romæ, cœpit deridere eum, et clara voce accusare, et dicere ex omni virtute : « Non erit tuum regnum, quia non times Dominum Deum tuum. » Hoc cum multi referrent regi (2) Constantio, iratus est vehementer, et jussit eum extra civitatem habitare. Habitabat autem ab urbe Roma milliario III, quasi exul in cymiterio Noellæ via Salaria.

3. *Liberius Damasum vicarium instituit. Petri amor post negationem. Chrisma in nomine Domini.* — Veniens (3) autem dies Paschæ, vocavit universos presbyteros cives romanos et diaconos, et sedit in eodem cymiterio, et dixit : « Nolite timere quoniam vobiscum ego non habito in civitate Roma, sed habetis vicarium ; ecce fratrem et presbyterum Damasum, cujus testimonium vos mihi perhibetis, cujus corpore et mente clara voce vos prædicatis (4). » Respondit autem Dionysius presbyter ad Liberium episcopum urbis Romæ, et dixit : « Præsul sancte et innocens a corruptione et fortis in palmarium Christi, tu enim bene scis, quoniam Petrus apostolus quando negabat ægrotabat. Venit accessio, et iterum negavit. Venit tertio febris, et negavit. Recessit febris, et ploravit et amare et dulce. Medicus autem nondum venerat. Venit medicus post tertium tyfus, fecit medicamentum, et curavit. Qui defecerat ter negando ante passionem, post resurrectionem ter amando reficitur. Respice medicamentum chrismatis, chrismatis sacramentum. Non nos accuset illa columba, quoniam tu conficis chrismate (*leg.* chrisma) et in nomine ejus quem voce clara prædicabas. Ipsam vocem, quia vox Domini repeti non potest, mutari non potest, audire cum tremore potest (*f.* oportet). »

4. Respondit autem Liberius episcopus urbis Romæ, et dixit : « Domni et sancti compresbyteri, nolite cogitare de crastina. Sic enim dixit Magister : *Crastinus enim dies ipse de se cogitabit* (*Matth.* VI, 34). Hoc enim commonemus. Joannes in deserto baptizabat in pœnitentia. Ideo erat desertum, quia nondum venerat auctor baptismi. Ille enim dum venisset, descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, et mansit super aquas et super auctorem baptismi, et sacerdos quod accepit exhibet sacramentum. »

5. *Baptismus in pelve, flumine, palude.* — Respondit Damasus presbyter, et dixit : « Exhibe nobis celebrare Pascha. Ego in humilitate loquor : onus enim, quem (*leg.* quod) tu super te bajulas, nos sublevare non possumus ; quia ignoras ubi baptizes. Baptiza in pelve ubi Magister. Pelvis illa non lignum, sed totus mundus est. » Hunc sermonem accepit Liberius cum magno honore, et gaudio plorabat, et dicit ad eum : « Eris major minister, sicut et ille qui nobis dedit baptismum, sic dixit ad plebem : *Qui est vester minor*

(1) *Ex libello fidei qui in Codice Quesnelli extat cap.* 39, *et apud August., in append. tom.* V, *Serm.* 235, *nonnullis mutatis.*

(2) Vitæ Damasi scriptor, de quo in Admonitione præfati summus, de Constantio Constantini Magni filio, qui Constantino et Constante fratribus defunctis, solus imperium obtinuit, istud non minus falso intellexit.

(3) Hæc ita emendavit et amplificavit vitæ Damasi scriptor, ut longe plenior et elegantior sit Liberii oratio, ac nihil ab eo, quod summum decuerat pontificem, proferri ponat. Tantum rerum dictarum cum gestis desideratur consensio. In eo autem maxime peccat, quod Liberium exulem sic inducit loquentem, ut qui Ario recens extincto, mutationis rerum maximam inde spem capiat ; cum anno Christi 336, extinctus sit Arius, hoc est 20 annis antequam Liberius in exilium pelleretur.

(4) In memorata Damasi vita sic desinit oratio Liberii, subnectiturque Dionysii interlocutio, ut omnia sibi apte cohæreant : sed ibi nihil de negatione seu lapsu atque emendatione Petri. Hæc autem istic non alio videtur attinere, nisi ut Symmachus papa, vel potius concilium a quo absolutus erat, ex culpa eximatur. Eo quidem pacto gestorum istorum artifex Symmachum non innoxium fuisse innueret : sed virum quadam benevolentiæ specie potius, quam ulla prudentiæ laude commendatum, in id unum intendisse suspicamur, ut suam Symmacho dignitatem servari potuisse persuaderet.

Digitized by Google

fiat major ( ).» Respondit Siricius diaconus et dixit : « Juba ore meo præsul, et infunde favore. Patres nostri in typo baptismi transierunt per medium mare. Nam in fluminibus et in paludibus oportet baptizari. » Dicit Liberius episcopus : « Juste locutus es. » Erat enim ibi non longe a cymiterio Noellæ cymiterius Ostrianus, ubi Petrus apostolus baptizavit. Eodem tempore Paschæ baptizavit promiscui sexus numero quatuor millia duodecim : qui omnes Romani vel a longe, alii vicini Romanorum desiderabant ab eodem baptizari.

6. *Constantii expeditio super Danubium.* — Veniens autem (2) eodem tempore bellum super Danubium ingestissima (*an* ingentissima) pars barbarorum quasi intra octavarum Paschæ. Et audiens hoc Constans (*Leg.* Constantius) dixit : « Videte hunc sacrilegum, quia quod numquam factum est, fecit superstitionem vanitatis. Ideo hæc plaga multitudinis barbarorum ingens venit super Romania ; » et ambulavit ad bellum, et profectus est cum grandi amaritudine, et dicebat, dum exiret portam civitatis : « Sacrilegum Liberium, qui dixit patruum meum fuisse leprosum, et baptizatum a Silvestro episcopo, et mundatum, dum abiero super quadrupedes Danubii, et concidero barbaros, rediens ad urbem Romam, volucribus cœli et bestiis terræ carnes ejus immolabo ; ipsum solum Liberium, non enim alios : ne dicant et affirment me esse persecutorem. » Dum esset autem in pugna Danubii, Constans fortiter urgebatur.

7. *Liberius ut in basilica S. Petri baptizet rogatur.* — Veniens autem dies Pentecosten, satis protestatus sexus promiscuus urgebatur ad baptismum propter metum persecutionis. Dicit autem (3) Dionysius presbyter : Quare non baptizas ad primum pontificem nostrum Petrum apostolum ? Respondit Damasus et dixit : Fac ; erat enim obscurus sensus Liberii episcopi dicens : Patruus (*In actis Damasi*, pater) ejus fabricavit ecclesiam hanc, et construxit. Quoniam habet potestatem in patrui sui dare sententia. Nam et aqua ibi non emanat. Homines enim promiscui sexus renasci desiderant, non mori propter me singulum. Respondit Dionysius presbyter, et dixit : Renascantur ; et si mortui fuerint post baptismum, in cruore melius vivent.

8. *Damasus pollicetur fontes. Liberius baptizat in Pentecoste.* — Respondit Damasus, et dixit (4) : « Non tristetur cor tuum, præsul summe : quia dabo tibi venam fontis emanantem. » Gaudio consolatus est Liberius in hunc sermonem, et dicit ei : « Vade, construe affluente Spiritu : et ego veniens cum fratribus et adorabo illum quem nobis dimisit Christus, qui pro nobis est pastor. » Et tertio die venit Damasus, venit Siricius, venit Innocentius, venit Priscus et Urbanus diaconi ad beatum Petrum apostolum. Erant enim ibi monimenta, et super aqua denatabat. Fecit autem quasi cum eos (*Leg.* eis) consilium Damasus, et dixit : « Date mihi opera mysterii (ministerii), ut hæc aqua mundetur desuper cadavera hominum. » Fecit autem cuniculos duos, et exinanivit locum illum qui est a dextra introeuntibus in basilicam beati Petri apostoli. Habebat enim ibidem fontem quæ (*leg.* qui) non sufficiebat. Et cæcidit montem Damasus manu sua. Et introivit plus quam consuetum est. Et construxit fontem. Et nuntiaverunt hi omnes Liberio episcopo quid actum fuisset. Et jussit convenire omnes presbyteros, clerosque et universos (*f.* ex universis) gradibus vel fideles. Et voce clara dixit : « Vocat Petrus oves suas. Ecce homo fidem servans, Christum audiens et me peccatorem, fecit ovile ovium, et dedit eloquio meo dulcedinem mellis : propter quod ego gaudeo, quia non dimisit Petrus introire lupum, et devastare oves ejus. Sciatis baptismum me prædicare in basilica Petri apostoli. » Hoc omnes cum gaudio susceperunt. Erat enim proximus dies Pentecosten. Fecit convenire monasteria et plebem sanctam Christianorum. Et cum Lætanea (litaniis) venit ad beatum Petrum apostolum. Dedit autem, dum introisset, hanc orationem : « Deus, qui misisti Filium tuum, et ostendisti creaturæ creato-

(1) In Damasi vita istud ita explicatur, ut vaticinetur Liberius *quod beatus Damasus pro eminentia humilitatis et vigilantiæ, ad culmen sedis apostolicæ esset quandoque provehendus.*

(2) Hæc ita emendavit vitæ Damasi scriptor : *In diebus illis multitudo barbarorum super Danubium congregata est, ut fines Romanorum invaderent. Quod audiens, imperator Constantius ait : Videte hunc sacrilegum, quia quod numquam factum est, fecit, ideo hæc plaga multitudinis super regnum nostrum. Et infra dies paschales profectus est ad bellum, comminans, cum proficisceretur, Liberio episcopo, quod victor revertens carnes ejus volucribus cœli et terræ bestiis immolaret.*

(3) In vita Damasi ipsius Damasi hæc sunt verba ; in hunc enim modum locus iste restauratur : *Volente autem Liberio in præscripto cœmiterio Ostriano baptizare, ait ad eum B. Damasus : Quare opportunitate accepta non baptizas ad primum nostrum pontificem Petrum apostolum ? Respondit Liberius. Quia dubito (nam pater ejus fabricavit hunc ecclesiam, et construxit) ne ex hoc tratus ferat sententiam. Homines enim renasci desiderant, non mori.* Quasi vero si Liberio ad ecclesiam B. Petri acredere liberum fuisset, hæc idonea esset ratio cur ab iis qui baptismum expetebant, ibi baptizandis abstineret, quia hæc ecclesia a Constantii patre constructa esset.

(4) Et ista vitæ Damasi auctor sic mutavit : *Non turbetur cor tuum, pontifex summe, et si coronæ tempus advenit. Sed et de aqua ne sis sollicitus : ego dabo tibi venam fontis emanantem. Et corroboratus gaudio Liberius ad verbum ejus, ait ei : Vade itaque, construe fontem affluentem, ut renascantur omnes qui Ecclesiæ filii esse cupiunt. Et die tertio veniens Damasus presbyter cum diaconibus ad ecclesiam S. Petri, communicato consilio dixit eis : Date mihi operam ministerii hujus. Providens autem expiavit locum illum qui est ad dexterum introeuntibus basilicam B. Petri, eliminata inde omni putredine, construxitque fontes, et cæcidit montem proximum Damasus manu sua . . . et manavit aqua abundanter, ut repleret fontes quos ipse construxerat. Gavisus autem ex hoc Liberius jussit congregari presbyteros et alios ecclesiasticos gradus. Veniens ad basilicam prænotatam, cum appropinquasset ad fontem, dedit orationem hujusmodi : Deus omnipotens qui misisti, etc., filium tuum, et ostendisti omnium creatorem, respice super vineam istam, quam plantavit dextera tua . . . . fructum veritatis, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.*

Digitized by Google

rem, respice super vineam istam, et emunda ab ea spinas et tribulos, et produc palmites ejus in fortitudinem, et dona eis fructum veritatis per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum et Spiritum sanctum, qui vivit cum Deo Patre omnipotente a sæculis et nunc et usque in sæcula sæculorum. » Et respondit universa plebs : « Amen. » Et introierunt sabbato Pentecosten, et placuit Liberio fons et gaudio plorabat omnino non amare, sed favum omnibus videbatur. Ab hora nona catechizavit omnes, et ab hora quasi (1) jam ad occasum usque in Dominica Pentecosten non cessavit baptizare. Multi enim urgebantur (2) baptizare : ita ut Dominicum Pentecosten sabbati Missas celebrarentur hora quasi octava. Et baptizati sunt promiscui sexus fere octo millia octingenti decem (3). Multi eodem tempore desiderabant tangere vestimenta Liberii episcopi.

9. Alia autem die, quæ est feria secunda, audivit universa plebs, quod Constans adeptus quidem (4) victoria fecerat, clara sensu alieno dicebat : « in Nicomediam vadam, » et transivit (5) usque ad Nicomediam, et in Aquilone villa, ubi baptizatus est ab Eusebio Nicomediense, in Arianorum dogma declinat. Eodem loco mortuus est et sepultus Constante III (6) et Constantio aug. et Basso consulibus, IX Kalendas Maias. Et sedit eamdem sedem Petri apostoli annos 17, menses 13, dies 8. In ejus tempore fabricata est absis in urbe Roma in regione quinta, et requievit in pace

CENSURA EPISTOLÆ AD ORIENTALES.

(*Const. Append.*, *p.* 95.)

I. Epistolæ hujus antiquitatem probant nobis transmissa Hilarii fragmenta, et in eam subjecti ejusdem præsulis commentarii. Ejusdem vero falsitatem prima illius verba produnt. Si enim hæc audiamus, Liberius pontificatum iniens, ubi Orientalium de Athanasii nomine litteras accepit, statim missis Alexandriam legatis Athanasium citavit Romam, ac venire renuentem a romanæ ecclesiæ communione separavit. Quod adeo falsum esse evincit genuina Liberii epistola ad Orientales, de cujus veritate nemo umquam dubitavit, ut ipsi Orientales apud Constantium expostularint, quod prioribus illis litteris suis Liberius nullam habuisset fidem, easque prorsus suppressisset, « ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent. » Quis enim huic calumniæ fuisset locus, si id egisset re vera, quod hac epistola fecisse narratur. Sane hujus expostulationis iniquitatem demonstrare in promptu fuisset Liberio, si litteris Orientalium permotus, Romam vocasset Athanasium, eumque mox a communione sua segregasset. Inde enim sequeretur, ut nec suppressisset, nec sprevisset eorum litteras, sed maximam earum rationem habuisset. Verum Liberius sibi conscius a se procul esse hanc culpam, ut aut temere damnaret Athanasium, aut litteras sibi ab Orientalibus scriptas supprimeret; primo quidem se « Orientalium litteras intimasse, legisse ecclesiæ, legisse concilio atque *ipsis* Orientalibus respondisse » testatur; tum cur iis Athanasii damnationem flagitantibus assensum negasset, hanc reddit rationem : quia « eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia » petitioni ipsorum repugnabat : » et « contra divinam legem visum est; cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, » quam eorum qui eidem adversabantur, his « in parte aliqua commodare consensum. »

II. Dicendine sunt Orientales Liberii animum sic prævertisse, ut eum ad Athanasium damnandum ante induxerint, quam 80 episcoporum Ægyptiorum litteræ Romam pervenissent? At has ipse Liberius sibi « eodem tempore » traditas testificatur, quo litteras Orientalium accepit. Verum etiamsi Orientales hac in re Ægyptiis episcopis diligentiores fuisse ponerenus, nihil tamen inde conficeretur omnino, nisi simul largiremur, et Liberium, post acceptas Orientalium litteras, legatos Alexandriam destinasse, et hos legatos Alexandria Romam ante reversos esse, quam Ægyptiorum litteræ Liberio redderentur. Imo etiam tum huic papæ dicendum non fuisset sese, quominus Orientalibus « consensum commodaret. » Ægyptiorum litteris fuisse prohibitum, sed his potius inductum esse, ut consensum jam commodatum revocaret. Mittimus quod Athanasius Liberium, quam diu liber fuit, ad ipsum damnandum inflecti nunquam potuisse scribit; quod Constantii imperatoris cum Liberio dialogus, hactenus Athanasium ab ipso damnatum non esse fidem facit; quod denique ipse Liberius a defendendi Athanasii studio jam dejectus, se hac tenus in illo defendendo constantem fuisse ostendit, cum constantiæ hujus hanc reddit rationem : « Quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus; verebar ne ab aliquo prævaricator judicarer. » Hujusmodi argumenta fusius exposita, et alia nonnulla, quæ sequentis epistolæ falsitatem demonstrant, apud Hilarium fragm. IV videre licet. Et vero Hilarius in annotationibus, quasi epistolæ huic subjecit, de illa sic loquitur, ut qui eam a Potamio et Epitecto conficiam, ac deinde a Fortunatiano Aquileiensi episcopo ad diversos episcopos missam esse existimarit. Unde conficitur, ut non anno 362, quo Liberius iniit pontificatum, sed post concilium Mediolanense anno 365 celebratum, quo Fortunatianus a pristina laude excidit, divulgata sit.

(1) In vita Damasi, *quasi undecima usque.*

(2) Ibid. *urgebantur ad baptismum, ut in Dominica Pentecostes sabbati Missa celebraretur.*

(3) Ex iis quæ deinceps sequuntur, vitæ Damasi scriptor nihil arripuit.

(4) Lege, *victoriam fuerat, clara voce sensu.*

(5) Constantinus Magnus, non is imperator cujus jussu Liberius relegatus est, anno Christi 337, in suburbanis Nicomediæ baptizatus, ibidemque vita functus ab Eusebio in libro IV Vitæ ejus, cap. 61 et seqq., narratur.

(6) Constantis tertius consulatus in annum Christi 346 incidit : in quem annum neque Constantini patris, neque filii ejus Constantii, longe minus Liberii mors convenit.

Digitized by Google

EPISTOLA,

QUA ATHANASIUS ROMAM CITATUS ET A ROMANÆ ECCLESIÆ COMMUNIONE SEPARATUS FINGITUR, ORIENTALIBUS IPSIUS ADVERSARIIS A LIBERIO IN COMMUNIONEM SUAM ADMISSIS.

(*Coust. Append.*, p. 95.)

Dilectissimis fratribus et coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis, Liberius urbis Romæ episcopus æternam salutem.

Studens paci et concordiæ ecclesiarum, postea quam litteras charitatis vestræ de nomine Athanasii et cæterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi; secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum et Helianum e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret: ut in præsenti id quod Ecclesiæ disciplina exstitit (*f. exigit*), in eum statueretur. Litteras etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab ecclesiæ romanæ communione. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt eum venire noluisse. Secutus denique litteras charitatis vestræ, quas de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, scfatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram dedi, me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem habere: supradictum autem Athanasium alienum esse a communione mea, sive ecclesiæ romanæ et consortio litterorum ecclesiasticarum (1).

MONITUM

IN EPISTOLAS AMOEBEAS LIBERII ET ATHANASII.

(*Coust. Append.*, p. 95.)

I. In novissima operum Athanasii editione, to. II, pag. 667, monuerunt nostri, duas illas epistolas exstare quidem in perantiquis Athanasii codicibus; sed, ut ex verbis conjectare licet, unius ejusdemque Græculi imperiti opus sibi videri; certe quæ illic de Trinitate prædicantur, ab usitatis Athanasio loquendi formulis esse aliena: nec leve illud esse suppositicnis argumentum, quod in tanta rerum perturbatione, quanta Liberio pontificatum ineunte universa Ecclesia percellebatur, nulla de temporum iniquitate fit mentio: demum priorem, ut marginali nota indicatur codicis Coisliniani, in quo Ζήτει ἀρχήν, « Quære initium, » adscriptum est, principio carere; alteram vero nullam præ se ferre epistolæ formam, sed esse ceu ineptam quamdam et implicatam fidei expositionem.

II. His addimus, quod in utriusque fronte pro titulo et argumento proponatur, « Quod Deus Verbum perfectum hominem assumpserit; » cum in neutra harum epistolarum artifex id argumenti attingat; atque in prima de Verbo Deo « qui perfectum hominem assumpsit sine peccato, » dicere contentus, in altera de perfecto homine assumpto ne verbum quidem faciat. Unde utramque mutilam esse confirmatur. Ipsum quoque argumentum eis præfixum, quo Apollinariana exploditur hæresis, in Liberii tempora minime convenire facile probatur, utpote cum hæc hæresis in Occidente Damaso tantum pontifice innotescere ac divulgari cœperit. Sed et si prius innotuisset, quorsum ab Athanasio, qui Apollinarianæ hæreseos suspectus numquam fuit, perfecti hominis a Verbo assumpti exigenda professio? imo quid sibi vult, « Mihi rescribas, si perinde atque nos in vera fide sentias, ut confidenter ac sine discrimine quæ rogas præstare possim? » Nam licet ab Athanasii communione Liberius per vim ad tempus defecerit, de recta tamen ejus fide neque pontificatus initio (tum iis quæ sub Julio gesta erant, tum octoginta episcoporum Ægyptiorum litteris edoctus), neque umquam dubitavit. Neque etiam Liberium sapit operosa illa divinæ Spiritus sancti naturæ assertio, quæ in priore epistola habetur. Qui enim extremis vitæ suæ temporibus ab iis, qui postea Macedoniani cognominati sunt, nullam aliam de Spiritu sancto professionem exegit, quam quæ in nicæno symbolo exponitur, quanto magis sub pontificatus initia eadem professione contentus fuisset.

EPISTOLA LIBERII EPISCOPI ROMÆ AD ATHANASIUM EPISCOPUM ALEXANDRIÆ.

(*Coust. Append.*, p. 97.)

Quod Deus Verbum perfectum hominem assumpserit.

Ἔστιν οὖν ἡμῖν ἡ ὁμολογία, ἐπιπόθητέ μοι Ἀθανάσιε. λόγος θεοῦ υἱὸς κατὰ φύσιν ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς γεννηθείς, οὐ κτισθείς, ἀλλ' ἀεὶ ὢν συνάναρχος τῷ θεῷ καὶ

Hæc igitur est nostra confessio, optatissime Athanasi. Verbum Dei filius secundum naturam ex Deo et Patre genitus, non creatus; sed semper sine initio

(1) Hæc epistola adulterina est, Liberioque pontifici falso adscripta; ea occasione, ne credatur, quod aiunt, Liberium vi coactum, Athanasii condemnationi consensisse; idque his rationibus probatur. Primo: Quisquis innocentem Athanasium a catholicorum communione arceri, impios vero Arianos ad communionis vinculum admitti laudat; eum non catholicum, sed arianum esse oportet. Cum itaque is, qui hanc epistolam fragmentis Hilarii inseruit, Athanasii condemnatoriam et excommunicatoriam sententiam laudet, nemo sapiens id ab Hilario factum fuisse credit. Secundo, testimonio Athanasii constat, Liberium usque ad finem exilii, annum scilicet Christi 357, perseverasse constantem et fidelem: quomodo igitur initio pontificatus Athanasium innocentem condemnaverit, Arianisque communicaverit? Tertio, Liberius illa epistola, quam anno 354 per secundam legationem scripsit, ac misit ad Constantium, Athanasium defendit, Arianorumque communionem summopere detestatur: quæ sane ab ipso prudenter scribi non potuissent, si jam sedis suæ initio eum condemnasset. Accedit, quod hæc ipsa epistola ad orientales scripta fateatur, se, quod fecerat ante prædecessor Julius, Athanasium usque ad ultimum annum sui exilii semper defendisse. Commentum itaque esse oportet, Athanasium principio pontificatus Liberii communione ecclesiæ catholicæ privatum fuisse. Hæc Baron. prædicto loco. Severa. Bunus.

Digitized by Google

una cum Deo et Patre, et sine fine imperium habens per infinita sæcula, amen. Item (credimus) Spiritum sanctum vere ex Deo secundum naturam et natura Deum, indivisum a Deo secundum sacras Scripturas; ita ut sit vere Pater, vere Filius, et vere Spiritus sanctus. Vetitumque est sub anathematis pœna quodlibet nomen a propria significatione transferre; ita ut Trinitas sit vere Trinitas in una deitate, in una potestate, in una essentia, et in una substantia. Nequaquam enim dividitur Filius neque Spiritus sanctus a paterna substantia, quæ implet cœlum et terram. Est igitur, uti supra dixi, Trinitas indivisa in una substantia: estque substantia unum, deitate unum, potestate unum, regno unum, glorificatione unum, imagine (1) unum, Spiritu unum; Spiritus namque non dividitur. Anathema igitur pronuntio in Sabellii et Arii dogma, necnon in antea proscriptas hæreses, ad sempiternum supplicium secundum Salvatoris vocem. Si igitur, frater Athanasi, in hac confessione, quæ sola et vera fides est in sancta catholica et apostolica Ecclesia, mecum consentis; coram judice Deo et Christo, quæso, mihi rescribas, si perinde atque nos in vera fide sentias; ut confidenter et sine discrimine quæ rogas præstare possim. Illud etiam te non ignorare velim, dilecte, nimirum veritatis filios impatibilem deitatem confiteri, necnon Adventum Verbi et Dei in carne; qui perfectum hominem assumpsit sine peccato, natus ex Spiritu sancto et Maria virgine, secundum Evangelia, in Christo Jesu, amen.

A πατρὶ, καὶ ἀπαταπαύστως τὸ βασίλειον ἔχων εἰς τοὺς ἀτελευτήτους αἰῶνας, ἀμήν· καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον ἀληθῶς ἐκ τοῦ θεοῦ κατὰ φύσιν τῇ φύσει θεὸν, ἀμέριστον ἐκ θεοῦ κατὰ τὰς ἁγίας γραφάς· τοῦ εἶναι ἀληθῶς τὸν πατέρα, καὶ τοῦ εἶναι ἀληθῶς τὸν υἱὸν, καὶ τοῦ εἶναι ἀληθῶς τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἕκαστον ὄνομα μὴ μεταβαλλόμενον ἐπὶ ἀναθέματι ἐκ τῆς οἰκείας ἐπονομασίας· τοῦ εἶναι τὴν τριάδα ἀληθῶς τριάδα ἐν μιᾷ θεότητι, καὶ ἐν μιᾷ δυνάμει, καὶ ἐν μιᾷ οὐσίᾳ, καὶ ἐν μιᾷ ὑποστάσει· οὐ γὰρ μερίζεται ὁ υἱὸς ἐκ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, οὐδὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τῆς πληρούσης τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. ἔστιν οὖν, καθὼς προεῖπον, ἡ τριὰς ἐν μιᾷ ὑποστάσει μὴ μεριζομένη, καὶ τῇ οὐσίᾳ ἓν· καὶ τῇ θεότητι ἓν· καὶ τῇ δυνάμει ἓν· καὶ τῇ βασιλείᾳ ἓν· καὶ τῇ δοξολογίᾳ ἓν· καὶ τῇ εἰκόνι ἓν· καὶ τῷ πνεύματι ἓν· πνεῦμα γὰρ οὐ μερίζεται. ἀνάθεμα οὖν λέγω Σαβελλίου τὸ δόγμα καὶ Ἀρείου, καὶ τὰς προαπηγορευμένας αἱρέσεις, εἰς αἰωνίαν κόλασιν, κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος φωνήν. ταύτῃ οὖν τῇ ὁμολογίᾳ, ἀδελφὲ Ἀθανάσιε, τί οὕσῃ μόνῃ καὶ ἀληθῶς πίστει ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ, εἰ ὁμοφρονεῖς μοι, ὡς ἐπὶ κρίσει θεοῦ καὶ Χριστοῦ γράψον μοι, εἰ οὕτω φρονεῖς καθὰ καὶ ἡμεῖς, καὶ τὰ ἴσα ἐν τῇ ἀληθινῇ πίστει· ἵνα κἀγὼ πεποιθὼς ὦ, ἀδιακρίτως περὶ ὧν ἀξιοῖς κελεύειν μοι· καὶ τοῦτο δέ σε χρὴ εἰδέναι, ἀγαπητὲ, ὅτι οἱ υἱοὶ τῆς ἀληθείας ἀπαθῆ τὴν θεότητα ὁμολογοῦσι, καὶ τὴν ἔνσαρκον ἐπιδημίαν τοῦ λόγου καὶ θεοῦ, ὅτι τέλειον ἄνθρωπον ἀνέλαβεν χωρὶς ἁμαρτίας, τὸν γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, κατὰ τὰ εὐαγγέλια, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ἀμήν.

B

C

RESCRIPTUM SANCTI PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI AD LIBERIUM ROMÆ EPISCOPUM.

(*Coust. Append.*, p. 99.)

Quod perfectum hominem Deus Verbum assumpserit propter salutem nostram.

Unus Deus immortalis, qui nec videri nec tangi potest. *Spiritus* enim *est Deus* (*Joan.* IV, 24). Ipse nullo loco potest comprehendi, nec ullus est locus a quo absit. Hujus Verbum immortalis est sapientia, incorruptibilis, invisibilis, filius primogenitus, operum socius, principio carens, sub tactum non cadens, neque principium habens dierum, neque finem vitæ exspectans. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Ipse est qui hominem efformavit: ipse (2) qui rationem fabricandæ arcæ monstravit; ipse qui promissionem dedit Abrahæ; ipsequi descendit ut populum salvum faceret, qui Moysi legem dedit: hic est Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, qui in Prophetis locutus est, qui vetus et novum Testamentum disposuit, qui in novissimis diebus carnem sumpsit ex Virgine mortalem, licet non esset ipse mortalis.

Εἷς θεὸς ἀθάνατος, ἀόρατος, ἀψηλάφητος· πνεῦμα γὰρ ὁ θεὸς. οὗτος ἀχώριστος (*forte*, ἀχώρητος), μὴ ἔχων τόπον ὅπου οὐκ ἔστιν. ὁ τούτου λόγος, ἀθάνατος σοφία, ἄφθαρτος, ἀόρατος, υἱὸς πρωτότοκος, συνεργὸς, ἄναρχος, ἀψηλάφητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν ἔχων, μήτε τέλος ζωῆς προσδοκῶν. διὰ τούτου ἐγένετο τὰ πάντα, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. αὐτὸς ὁ πλάσας τὸν ἄνθρωπον· οὗτος ὁ τὴν κιβωτὸν δείξας, πῶς ἵνα γένηται. οὗτος ὁ τὴν ἐπαγγελίαν δοὺς τῷ Ἀβραάμ. οὗτος ὁ καταβὰς ἐπὶ τὸ σῶσαι τὸν λαὸν, ὁ Μωσῇ τὸν νόμον δούς· οὗτος ὁ θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ θεὸς Ἰακώβ. ὁ ἐν προφήταις λαλήσας, ὁ διαθέμενος τὴν παλαιὰν καὶ τὴν καινὴν διαθήκην, ὁ ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν σάρκα ἐκ παρθένου λαβὼν θνητὴν, οὐκ αὐτὸς ὢν θνητός· ἀσθενῆ, οὐκ αὐτὸς ἀσθενὴς· ὀφειλομένην θανάτῳ, οὐκ αὐτὸς ὀφειλόμενος· ὡρατὴν, οὐκ αὐτὸς ὁρατός. αὕτη ἔκρεμάσθη, οὐκ αὐτός.

D

(1) Quia nimirum Deus hominem conditurus ait, *Faciamus hominem ad imaginem* (non *ad imagines*) *et similitudinem nostram*.

(2) Istud ex sententia dictum est veterum Patrum, qui satis magno consensu docuerunt, Filium ab exordio mundi sese variis modis spectabilem præbuisse. Eosdem secutus Leo, epist. 30, ad Pulcheriam scripsit: *Potuerat quippe omnipotentia Filii Dei ad docendos justificandosque homines apparere, quomodo et Patriarchis et Prophetis in specie carnis apparuit, cum luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cum vel officia hospitalitatis non abnuit*, etc. Nimirum Angelorum, qui Patriarchis et Prophetis visi sunt, nomine Filium Dei intelligendum esse censuerunt. Et aliter quidem intelligentibus concilium Sirmiense anno 451 contra Photinum congregatum, can. 15, anathema dixit.

Digitized by Google

αὐτη ἐτάφη, οὐκ αὐτός. αὐτη πάντα τὰ ἀνθρώπινα πάθη ὡς ἄνθρωπος ὑπέμεινε, οὐκ αὐτὸς ἐκεῖνος δὲ δύναμις θεοῦ, τουτέστι θεὸς, ὁ τὰ ἄλυτα τοῦ ᾅδου λύσας, καὶ τὸ κράτος τοῦ διαβόλου καταργήσας, ἀνέβη ὅθεν καὶ κατέβη· ἐγείρας ἐκεῖνο τὸ ταφὲν, προσήνεγκε τῷ πατρὶ, ἐλεύθερώσας οὗ ἐκρατεῖτο θανάτου. ἐν τούτῳ τὸν πατέρα νοοῦμεν, ἐν γὰρ καὶ τοῦτο τῇ θεότητι, τῇ δυνάμει, τῇ οὐσίᾳ, τῇ ὑποστάσει, τῇ δόξῃ, τῷ ὀνόματι τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτὸν τὸν υἱὸν ἐν τῷ πατρί. οὗτος ὁ μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν σάρκα Ἰησοῦς κληθεὶς, καθότι καὶ ἄνθρωπος· τουτέστιν ἀνέλαβεν ἄνθρωπον ἐν ἑαυτῷ, ἐν ᾧ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος οἰκεῖ σωματικῶς. τοῦτον ἔχομεν οὐ διακεχωρισμένον ἀπὸ τοῦ πατρὸς, ἢ τοῦ ἁγίου πνεύματος. οὐδὲ τὸν πατέρα λέγοντες καταβεβηκέναι, καὶ ἐν ἀνθρώπῳ γενέσθαι· οὕτως εἷς θεὸς πατὴρ παντοκράτωρ παρ' ἡμῖν πιστεύεται, καὶ διὰ τοῦτο ἡ πίστις ἡμῶν ἐστιν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα ταῦτα δὲ ἐξ ἑνότητος, μιᾶς δυνάμεως, μιᾶς ὑποστάσεως, μιᾶς φυσίας, μιᾶς δοξολογίας, μιᾶς κυριότητος, μιᾶς βασιλείας, μιᾶς εἰκόνος. τῆς Τριάδος ὁμοούσιον δὲ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο οὕτως καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν πιστεύομεν, τουτέστι, τοῦ σώματος ἡμῶν κατὰ τὰς ἁγίας γραφὰς, τοῦ φθαρτοῦ καὶ θνητοῦ αὐτοῦ μεταβαλλομένου εἰς ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. ἀμήν.

A lis; infirmam, licet non esset ipse infirmus, morti obnoxiam, licet non esset ipse morti obnoxius; visibilem, licet non esset ipse visibilis. Ipsa suspensa est, non autem (1) ille; ipsa sepulta, non ille; ipsa humanas omnes passiones ut homo sustinuit, non autem ille. Ille autem est virtus Dei, id est Deus, qui cum ea quæ in inferno insolubilia erant solvisset, imperiumque diaboli evertisset, adscendit eo unde descenderat; qui corpus suum e tumulo excitavit, et postquam liberasset a morte qua detinebatur, Patri obtulit. In illo Patrem intelligimus; una enim et ipse res est deitate, virtute, essentia, substantia, gloria, Dei appellatione: et ipsum in Patre Filium agnoscimus. Hic est qui postquam assumpsisset carnem, Jesus appellatus est, quatenus erat homo; hoc est, assumB psit hominem in se ipso, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Illum credimus nec a Patre nec a Spiritu sancto separatum; neque tamen dicimus Patrem descendisse, et in homine fuisse. Ita unus Deus Pater omnipotens a nobis creditur. Ideoque fides nostra est in unum Deum Patrem omnipotentem, et in Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, et in Spiritum sanctum. Et vero (2) ex unitate, una virtute, una substantia, una essentia, una glorificatione, una dominatione, uno regno, una imagine, Trinitatis constare credimus consubstantialitatem; *per quem omnia facta sunt*. Ita et carnis resurrectionem credimus, hoc est, corporis nostri, secundum sacras Scripturas, commutato eo quod corruptibile et mortale erat, in incorruptibilitatem et immortalitatem per Deum. Amen.

EPISTOLA

LIBERII PAPÆ AD OMNES GENERALITER EPISCOPOS.

(*Conc. t.* II, *col.* 670.)

Ut nullus pro persecutionibus, dum durare potest, suam relinquat ecclesiam, nec quietem magis eligat, quam pro populo sibi commisso laborare intendat.

Dominis sanctissimis et Deo amantissimis universis episcopis, Liberius episcopus, in Domino salutem.

Nihil est quod nos diu stare faciet (*leg.* faciat), nisi Dei gratia. Cæterum nequitia diaboli, contemptibile malum, plenum veneno mortifero sævit, qui sursum atque deorsum circuit, quærens quem devoret. Unde vigilare, et sobrii esse ad orationes (*I Petr.* v, 8), et Deo propinquare debemus, et fatuas, Domino auxiliante, hominum insidias, prout Dominus posse dederit, respuere, et Patres sequi, et non transgredi terminos Patrum (id est, ut non relinquamus nostras, dum in eis persistere aliquo modo valebimus, ecclesias, ut ad alias properemus), aut populos nobis commissos negligere, ut quietem (*for.* quiescere) amplius quam pro eis elaborare, pro quibus etiam animas poC nere debemus, studeamus, ne reprobi in conspectu Dei inveniamur, sed fructuosos illi manipulos de commissis nobis gregibus, ipso adminiculante, præsentare valeamus: quamquam multi nos persequantur, et oves Christi dilacerare desiderent, qui quasi in vestibus ovium apparent, intus autem sunt lupi rapaces, quos ex fructibus cognoscimus: isti primo quidem videntur ex nobis esse, sed non sunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Quando vero suam evomuerint impietatem, dolum qui in eis est, erumpentes, et apprehendentes infirmiores, et eos qui ad eloquia divina sensus inexercitatos habent, secum eos contrahunt ad perditionem, subvertentes et injuriantes paternas doctrinas sicut et sacras Scripturas, ad perditionem suam, D quos oportet præscienter cavere, ne malitia eorum quidam seducti, abscindantur a propria firmitate: *Exacuunt enim linguas suas*, juxta prophetæ vocem (*Psal.* CXXXIX), *sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum*. Nec nos pigeat per temporales cruciatus pro Christi nomine elaborare (*S. Martinus papa ep. ad S. Amandum*), sed emolumenta futuræ remu-

(1) Vocabulum *ille* (sicut *ego* et *tu*) proprie personam sonat. Personæ autem Verbi Dei non tantum quod propriæ illius naturæ, sed etiam quod naturæ ab ipso assumptæ congruit, tribuitur; adeoque accurata hic non est locutio, qua *ille* suspensus, passus ac sepultus negatur. Vere enim suspensus, passus ac sepultus creditur Filius Dei, scilicet secundum carnem. At epistolæ hujus scriptor vocabulo *ille*, non personam sed naturam dumtaxat Verbi intellexit.

(2) Hoc est, non ex similitudine, ut volebant Homœusiani seu Semiariani, sed *ex unitate*: cui voci dum proxima *una* in prius vulgatis copulatur atque conjungitur, subinde cum orationis integritate deficit et sensus. Hic repetitur quod in epistola superiori præmissum fuerit, unu *Trinitas substantia unum, deitate unum, potestate unum, regno unum, glorificatione unum, imagine unum*, asseritur.

Digitized by Google

nerationis, hujus sæculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* CXV)? *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Tantum enim a nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare. Unde quidem tantum nos necesse est importunis prædicationibus insistere, quanto nobis perfectæ negotiationis creditur duplicata talentorum assignatio, atque dominicæ vocis, ad suscipiendam ejus requiem, persuadet assertio Suggestum namque nobis est (7, *qu.* 1, *Suggestum est nobis*), quod pro præteritis laboribus et infestationibus nonnulli vestrum assignatas sibimet, et a Deo commissas relinquunt plebes, et in futuro plures relinquere velint eas, quas tueri debent, ecclesias, et pro ovibus sibi commissis laborare negligant, et monasteriorum se quieti contradere festinent, et vacationem ab episcopatus laboribus eligere, et silentio atque otio vitam degere magis appetant, quam in his, quæ sibi commissa sunt, permanere, dicente Domino : *Beatus qui perseveraverit usque in finem* (*Matth.* X, *et* XXIV). Unde namque est beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Quoniam, secundum apostolicam prædicationem, *omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III). Ideoque, fratres charissimi, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere. Considerate namque, quanta pro absolutione nostri et liberatione Creator, Dominusque et Redemptor noster pertulerit, quibusve se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret. *Attendite itaque vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio sanguine* (*Act.* XX); ut non sit, qui vos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis, ut plebes vobis commissas relinquatis (*S. Martinus in ep. synodica post concil. Later.*), et alicui, propter malorum opprobrium hominum, quieti vos tradatis, et ut vos solummodo salvetis, et filios orphanos relinquatis. Apertissime enim Spiritus sanctus per Apostolum dicit, *quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide et charitate, attendentes spiritibus seductoribus et doctrinis dæmoniorum, et in hypocrisi mendacii eloquiorum cauteriatam habentes suam conscientiam* (*I Tim.* IV). Propter quod, *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (*Marc.* XIV; *Luc.* XXII). Quæ vero mentis transgressio operatur in his, qui non crediderint sermonibus Domini, et recesserint pro sua quiete a servitio sibi commisso, et suis se subdiderint voluptatibus? Talibus quippe et aliis pro populo Dei constricti necessitatibus, ne pereatis una cum omnibus vobis commissis, sed salvi sitis in die æternæ retributionis, hortamur vestram charitatem (*Martin. papa in cit. ep. ad S. Amandum*), exemplo ejus qui pro nobis pati voluit, promptos vos in cunctis ejus permanere servitiis, nec quidem quoquo modo a commissa cura recedere, sed totis viribus in commissis vobis negotiis fortiter usque in finem perdurare : *quoniam beatus est, qui perseveraverit usque in finem* (*Matth.* X) : nec laudatur initium, sed finis. *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Propterea enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici comparticipes eorum dogmatum, neque communicetis infructuosis verbis illorum (*Idem in cit. synodica usque fere in finem*), magis autem redarguite : *quoniam cœtus prævaricatorum sunt, et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis. Completum est in eis, qui de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Veritatem non loquentur* (*Jer.* VI). *Docuerunt enim linguam suam* persecutores ecclesiarum, earumque sacerdotum, *loqui mendacium. Ut impie agerent, laboraverunt, et renuerunt scire me, dicit Dominus.* State ergo vos, dilectissimi, super vias, et videte. Interrogate de semitis Domini antiquis, et videte, quæ est via bona sanctorum Patrum, et ambulate in ea; et invenietis requiem animabus vestris. Sed si patimini propter Christum, beati eritis (*I Petr.* III). Metum autem eorum ne timueritis, neque conturbemini. Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, ipso dicente : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos* (*Matth.* X). *Rememoramini ergo,* fratres, *eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris, deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem certavimus* (*al.*, certavistis), *adversus peccatum repugnantes* (*Hebr.* XII).

Confidimus autem de vobis, fratres charissimi, meliora et viciniora salutis, *quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* Magistro gentium docente (*Rom.* VIII), *poterit nos separare a charitate Domini nostri Jesu Christi, et quæ in ipso est, recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes adversariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conservantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his qui legitime certare deproperant. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est veniet, et non tardabit* (*Heb.* X). *Ecce enim judex ante januam assistit* (*Jacob.* V) *coronas hilariter promittens his, qui pro eo passionibus submittuntur. Quod si subtraxerit se quis, non placebit animæ suæ* (Vulg., *meæ*), *sed cadet de promissione, propter negationem. Nos autem non simus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Propter quod assumite arma Dei, ut possitis resistere in die malo,* adversus omnes inimicos sanctæ Dei ecclesiæ et vestros : *et induite vos loricam justitiæ, calceati pedes in præparationem evangelii pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula nequissimi ignita* (al, *ignea*) *extinguere : et galeam salutis accipite et gladium spiri-*

Digitized by Google

tus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem (*Ephes.* VI), radicati et fundati in solatio fratrum pro Christo Jesu Domino nostro. *Sed et nunc, fratres, commendamus vos omnes Domino, et verbo gratiæ ejus, qui potest perficere, et dare hæreditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem Deus pacis et consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, ut vobis invicem succurratis, et non sitis divisi; ut unanimes uno ore et uno* (al., *puro*) *corde honorificemus eum in concordiam et consolationem fratrum, qui potest confirmare nos secundum evangelium ejus juxta revelationem mysterii æterni, temporibus scilicet perpetuis taciti* (*Act.* XX *et Rom.* XVI), quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere etiam considerare debetis, quod hi qui fratribus invident, eosque damnare aut perducere cupiunt, per se sua dogmata destruunt. Dicit enim Dominus: *Omne regnum in se divisum, non stabit: et omnis scientia et lex adversum se divisa non stabit* (*Matth.* XII). Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus (*S. Leo, ep.* 87, *c.* 2), et nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareatis, et in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari, quatenus et nicænorum canonum constituta, et quæ a nobis vel a prædecessoribus nostris sunt provide et salubriter decreta (*Siricius, ep.* 1), intemerata permaneant in futuro. (*In mss. Justelli post plures epistolarum lacinias ex Ennodio alterove ejusdem ætatis oratore inepte consutas; legitur hæc subscriptio*): Data XV Kal. Martias Betio et Juliano viris clarissimis consulibus.

EPISTOLA (1)

ATHANASII ET ÆGYPTIORUM EPISCOPORUM, AD PAPAM LIBERIUM.

(*Conc. t.* II, *col.* 763.)

De oppressionibus Arianorum.

Domino beatissimo et honorabili, sancto patri Liberio papæ, Athanasius et Ægyptiorum episcopi, in unum synodice apud Alexandriam congregati.

Vestræ beatissimæ (2) paternitatis jura penes Deum sunt manifesta, dum prædicationibus scilicet apostolicis et doctrinis, veræ fidei cultura, universa repleta sit terra. Per divinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa Christi ecclesia, apostolica institutione fundata, et a fidelibus Patribus firmissime roborata: ad quam omnes beatissimi apostoli pari honoris et potestatis consortio prædíti, populorum agmina convertentes, pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de monte ad vitam homines divinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens merita, et perfectius implens exempla, ecclesiam Dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat, et fide sacra christianisque moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit, servans legis divinæ mandata; quia *non legis auditores justi sunt apud Deum*, sicut narrat Apostolus, *sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* II). Nos enim hæc meditari cupientes, et ea quæ a sancta sede vestra apostolorum, eorumque successorum prædicatione suscepimus, atque quæ in nicæna synodo roborata cognovimus, prædicare, et Arianorum blasphemias atque aliorum hæreticorum, repellere cupientes, quotidie ab his persequimur, et damnationi tradimur, atque morti destinamur. Qua de re precamur, ut vestris exhortationibus tam per vos, quam et per apocrisiarios vestros adjuvemur; ne, dum illi crescunt, et nos minuimur, vera fides destruatur, et eorum hæresis ultra fidem nostram crescat: quoniam timemus, *postquam abundaverit iniquitas, refrigescat charitas multorum* (*Matth.* XXIV). Pro qua re, multa vestræ sacræ doctrinæ tam apud Deum, quam apud cunctos fideles merces et laus reposita est, si vestra hæc rescecntur auctoritate. Nostram enim fidem, quam a sanctis Patribus accepimus, et tenemus, atque docemus, subter inseruimus, ut si aliquis vobis aliter nos credere, aut docere, aut accusando, aut mussitando retulerit, vel detrahendo, scriptis mandaverit, per hanc manifeste nos ita credere et docere agnoscatis.

Credimus namque in unum Patrem (3) omnipotentem, omnium visibilium, necnon et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non creatum, homousion, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, cœlestia et terrestria. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, et resurrexit tertia die: ascendit in cœlum, venturus inde judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat tempus, quando non erat, et priusquam nasceretur, non erat, et quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse treptον, hoc est, convertibilem atque mutabilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia. Hanc venerabilem fidem trecenti quidem decem et octo Patres agnoverunt et amplexi sunt, et consonantes et unanimes scriptis explanaverunt.

Sed modo, quoniam contra hæc, ut nostis, talia exurgunt, qualia non debent, venite, et nos, dilec-

(1) Hanc cum sequenti falsatis annumerandam censent non eruditi modo, sed etiam proletarii quique scriptores.

(2) Compone cum bisce laciniis Victoris Carthaginensis ep. ad Theodorum papam, quæ extat cons. 2 concilii Lateranensis sub sancto Martino.

(3) Symbolum nicænum interprete Rufino.

Digitized by Google

tissimi frartes (*S. Martinus cons. 4, conc. Lateranen-* A *sis*), cum Deo descendamus ad visitationem, id est, inquisitionem sermonum eorum, et confundamus per approbationem verissimam ibidem linguas eorum, elevatas contra scientiam unigeniti Filii Dei, et iniquitatem in altitudinem humanitatis ejus loquentes. *Disrumpamus vincula eorum* per gladium spiritualem, quod est verbum Dei, *et proficiamus a nobis jugum ipsorum* (*Ps.* II), per expugnationem profani sensus illorum. Tunc enim ipse quoque Dominus *irridebit eos et subsannabit et tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos*, (*Ibid.*) secundum B. Jeremiam, dicens: *Falso prophetæ isti vaticinantur in nomine meo. Non enim misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem et divinationem, et fraudulentiam, et seductionem cordis sui prophetant vobis. Ideo hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo mendacium: Erunt projecti in viis Jerusalem. et conculcatio omnium pie confitentium me, et non erit qui sepeliet eos* (*Jerem.* XIV). Nemo enim se abscondere potest quibusdam subreptionibus commentitiis, sicuti nec foliis fici antiquus transgressor præcepti Adam potuit, qui per propriam linguam inverecunde nudatur. *Laqueus enim fortis viro, labia ejus: et captus propriis sermonibus, et opere manuum ejus: retributio autem labiorum ejus dabitur ei, et impietatis reprehensio. Arguam te*, inquit, *et statuam contra faciem tuam. Existimasti iniqué, quod essem tibi similis. Propterea*, sicut dicit Dominus ad Gedeon, *deponamus eos ad aquam veræ discretionis, et probemus eos ibi regulari examinatione,* C *in idipsum pronos corruentes* (*Gen.* III; *Prov.* VI; *ps.* XLIX; *Judith* VII), post ostensionem pravi intellectus eorum, utrumne sint apud se sapientes, divini verbi scientiam ignorantes; quoniam *dicentes esse se sapientes, stulti facti sunt, et mutaverunt gloriam* (*Rom.* I) catholicæ ecclesiæ propria novitate et voluntate, sive per ea, quæ illicite in ejus defensione gesta sunt, hæreticam turbulentiam introducentes, illud competenter ad nos retinentes, quod bene ad Jesum filium Sirach dictum est: *Usque ad mortem certa pro veritate, et Dominus Deus pugnabit pro te.* (*Eccl.* IV.) Hujus rei gratia, universalis vobis a Christo Jesu commissa est ecclesia, ut pro omnibus laboretis, et cunctis opem ferre non negligatis: quia *dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* D (*Luc.* II). Ideoque tanta urgente necessitate, summopere comprimite vestra summa auctoritate infestos, relevate oppressos, ut absque gravi, Domino opitulante, difficultate ipsi gratanter omni tempore sacrificare mereamur illæsi. *Et subscriptio*: Æterna te servet Divinitas per multos annos, sanctissime Patrum Pater. Amen. (*Justin.* II, *ad Joannem V, papam.*)

EPISTOLA

LIBERII PAPÆ AD ATHANASIUM ET EPISCOPOS ÆGYPTIOS RESPONSORIA.

(*Conc. t.* II, *col.* 765.)

Contra perturbatores pacis et quietis ecclesiarum, et tales qualiter puniendi.

Dilectissimo filio Athanasio, et omnibus in unum congregatis, et de Trinitatis fide recte sentientibus Ægyptiorum episcopis, Liberius papa.

Olim et ab initio tantam (*S. Leo. ep.* XXIV) percepimus a B. Petro apostolorum principe fiduciam, ut habeamus auctoritatem pro universali Ecclesia, ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statutum sanctæ Ecclesiæ commovere, ad læsionem recte credentium, absque sui periculo honoris. Epistolam siquidem vestram, nobisque directam, ante nos recitari fecimus, tribulationes et persecutiones, quas pro recta fide patimini intelleximus. Super quibus et nos una vobiscum condolemus, et laborare pro vobis, ut pater pro filiis, parati sumus. Fidem vero nicæni concilii in eadem epistola rectam reperimus, super qua et Deo gratias uberrimas retulimus, pro qua non solummodo persecutiones et passiones sustinere vobiscum parati sumus, sed etiam si necesse fuerit, mori pro Christi nomine, in quantum nostra simit fragilitas, non respuimus. Igitur prædictum sanctum concilium, ut legimus, definit nicænum (*Maximus aquileiensis conc.* IV *conc. Later. anno* 649 *celebrati*), aliam fidem nulli licere proferre, aut conscribere vel componere, aut sapere vel docere aliter, nec quidquam in fide sentire, aut proferre, quod his Patrum regulis possit obviare. Qui autem præsumpserit componere aliam fidem aut proferre, docere vel tradere aliud symbolum, ad viam veritatis converti desiderantibus de quacumque hæresi, vel ex Judæis, vel ex paganis Christianos se fieri volentibus, hi si episcopi fuerint, aut clerici, alienari quidem episcopos ab episcopatu, clericos a clero: si vero monachi, aut laici fuerint, anathemate feriri. Protestatur (*S. Martinus cons.* V, *ejusdem concilii*) etenim beatus Apostolus, dicens: *Si quis certat, non coronatur, nisi legitime certaverit.* Et iterum Dominus ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (I *Tim.* VI, *Matth.* X). Videlicet, certaminibus sacris propositis nobis, pro defensione catholicæ ecclesiæ, magnaque salute ex hoc sperata ab omnium bonorum datore Deo, non deficiant manus nostræ, dilectissimi fratres, per occasionem cujuslibet desidiæ, dissolutæ: sed fortes efficiamur per gratiam Domini atque virtutem potentiæ ejus, *quoniam perfecit pedes nostros tamquam cervorum* (*Psal.* VII), et super excelsa firmius satuit intellectum summæ ejus humanitatis propter nostram salutem, maxime tantam habentes impositam sanctorum testium nubem. *Deponentes ergo omne pondus et circumstantem adversariorum novitatem, per patientiam curramus, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (*Hebr.* XII), qui in proposito nobis propter eum negotio, spiritum nobis suæ veritatis

Digitized by Google

condonet, loquentem in nobis, atque perhibentem magnalia fidei per doctrinam sanctorum Patrum, quos adversarii calumniantur quotidie. In prophetis namque (*Idem sanctus Mart. cons.* III) habetur: *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus et salvator ejus ut lampas accendatur* (*Is.* LXII). Profecto catholica Ecclesia, quæ vera consistit Sion, et civitas Christi cœlorum regis per tot annorum spatia expugnata ab aversantibus verba fidei, qui neque Deum timent, neque hominem reverentur, sed incassum perducentibus pias et canonicas de hoc verbo doctrinas, dum a diversis tantisque, scripto et sine scripto, contestationibus invitati fuissent corrigere propriam et a se pellere hæresim, sicuti et per anteriorem cognitionem luculentius demonstratum est, tam per libellos, quam per suggestiones reverendissimorum sacerdotum, et venerabilium abbatum, apostolo protestante nobis, ut *hominem hæreticum post primam et secundam correptionem evitare debeamus, scientes quia hujusmodi subversus est, et delinquit proprio judicio condemnatus* (*Tit.* III), nullo modo oportet nos deinceps tacere, aut quiescere, ne quoquo modo iniqui judicemur, odibilem Deo pacem amplectentes: quoniam scriptum est: *Zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns:* et dicat etiam de nobis: *Sacerdotes mei contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sanctum et profanum non habuere distantiam, inter pollutum et mundum non intellexerunt* (*Psal.* LXXII; *Sopho.* III; *Ezech.* XXII): sed consurgere cum Deo, et consistere prompte, induentes arma spiritus, adversus malignantes contra fidem ejus, ut approbemus spiritus sapienter, id est, verba eorum, si ex Deo sunt. Scriptum est enim in Jeremia: *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies, et probabis viam eorum* (*Jer.* VI). Multa namque nobis necessaria est vigilantia; et tanta divinæ sapientiæ rimatio, quæ occulta tenebrarum revelat, ad requisitionem hujusmodi rei et scrutationem, quoniam latet quodam modo et absconditur, visque comprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quod sibi pietatem callide blandiatur, ut valeat scrutantium mentem latere. Quod utique sciens beatus Apostolus ait: *Nam hujusmodi pseudoapostoli et operarii subdoli, transfigurant se in apostolos Christi* (II *Cor.* XI). Sed non mirum, *quoniam et ipse Satanas transfigurat se velut angelum lucis.* Et ideo non mirum, si ministri ejus transfigurantur, velut minister justitiæ, quorum finis secundum opera eorum. Sed et Dominus in hoc præmuniens nos, ait: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Ergo in idipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quæstione deprecationem, et dicentes cum David: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua: Lucerna enim pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis; quoniam ipsius est*, sicut ait B. Daniel propheta, *sapientia et fortitudo. Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est, qui sapientiam*, inquit, *et fortitudinem dedisti mihi, et ostendisti mihi, quæ rogavi te* (*Ps.* CXVIII: *Dan.* II), cum ope divina, uniuscujusque personæ conscripta eorum, qui pro novitatis commento accusati sunt, de venerabili scrinio nostro obsecundantibus, et nobis rationabiliter offerentibus solertius intendamus; ita ut qui hæc præsumpserint prævaricari, primum quidem subjaceant judicio terribili omnipotentis Dei, deinde autem qualemcumque (*Typus Constantis Aug. cons.* IV, *conc. Later. sub sancto Martino*) regalem indignationem revereantur, per quam, si quidem episcopi aut clerici sunt, a sui sacerdotii, sive a cleri sui ordine modis omnibus excidant: si autem monachi sunt, segregentur, et alieni sint de suis locis. Si autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis. Si autem sunt privati, si quidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur. Si autem ignobiles, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur: ut omnes timore Dei compressi, et comminata eis digna supplicia reverentes, immobilem et sine turbatione pacem sanctarum Dei ecclesiarum custodiant. Data rom. VIII Kalendarum Junii, Asclepio et Deodato viris clarissimis consulibus (*Consules ficti ad libitum*). Gloria Christo Jesu Domino nostro; pax vobis. Amen (1).

A B C D

DECRETA LIBERII PAPÆ,

Desumpta ex codice vetusto 16 *librorum, lib.* XIII, *cap.* 9.

Quod in diebus jejunii nulla jurgia esse debeant.

In his jejuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus et opere necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contentiones et lites quadragesimæ tempore faciunt, et qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie.*

EJUSDEM CAPITE DECIMO.

Ut in sacris diebus jejuniorum conjugati a conjugibus se abstineant.

Abstinendum est in his sacratissimis quadraginta

(1) Consules huic epistolæ superadditi, eam de fide suspectam arguunt: nusquam enim eorum nomina fastis alibi adscripta invenire potui. Ultimo loco hanc epistolam unicam in tomis conciliorum prioris editionis extantem huc retuli: quia anteriores omnes secundum ordinem temporum collocavi. Hæc si a Liberio scripta est, eam vel sub Juliano vel sub Valente scriptam fuisse oportuit. Est enim responsoria ad epistolam Athanasii, qua scribit, se ab Arianis ad mortem quotidie quæri. Sitne utraque Athanasii ad Liberium, et contra Liberii ad Athanasium, suspectæ fidei, doctiores judicent. SEVER. BINIUS.

Digitized by Google

diebus a conjugibus, et caste et pie vivendum, ut A sanctificato corde et corpore isti dies transigantur, donec perveniatur ad diem sanctum Paschæ : quia pene nihil valet jejunium, quod conjugali opere polluitur, et quod orationes, vigiliæ et eleemosynæ non commendant.

EJUSDEM CAPITE DUODECIMO.

Si evenerit fames aut inæqualitas aeris, quid agendum.

Si evenerit fames, inæqualitas aeris, pestilentia, vel talis qualiscumque tribulatio, statim jejuniis eleemosynis et obsecrationibus, Domini misericordia deprecetur.

ANNO DOMINI CCCLXVI.

POTAMIUS
EPISCOPUS ULYSSIPONENSIS.

PROLEGOMENA.

DE POTAMIO EPISCOPO ULYSSIPONENSI.

(*Galland.*, *t.* v, *Proleg. p.* xvii.)

1. Superiore sæculo edidit Acherius, monachus Benedictinus, ex codice Abbatiæ sancti Ebrulfi (1) *epistolam Potamii ad Athanasium episcopum Alexandrinum de consubstantialitate Filii Dei*, ut habet ejus inscriptio relata in indice chronologico, tomo I editionis novæ præfixo; ubi et conscripta narratur *circa annum* 355. At eo loci quo eadem exhibetur epistola, aliter effertur ejus inscriptio, ex codice quidem ms. ut videtur desumpta. Sic enim ibi : *Epistola Potamii ad Athanasium ab Arianis (impetitum) postquam in concilio ariminensi subscripserunt.* Uni vero inscriptioni fides adhibenda; quo demum quis fuerit Potamius ille epistolæ auctor, definire quodam modo valeamus? Existimarim equidem nullam posterioris inscriptionis habendam esse rationem, quippe quæ ab imperito potius librario quam ab ipso auctore profecta esse videatur. Quum enim ævo athanasiano neminem alium floruisse Potamium præter Ulyssiponensem agnoscamus; ejusmodi sane epistolam Athanasio haud inscribere ille potuit post ariminense concilium, hoc est anno 360 sive ut citius 359, qui scilicet ante quatuor aut quinque annos ad Arianorum castra transierat, quique potissimum in secunda synodo Sirmiensi anno 357, coacta inter primipilos Ariomanitas censebatur.

II. Nimirum, ut ex Marcellino et Faustino intelligimus (2), *Potamius* iste *primum quidem fidem catholicam vindicans; postea vero præmio fundi fiscalis quem habere concupiverat, fidem prævaricatus est.* Quo factum, subdunt iidem scriptores, ut *hunc Osius de Corduba apud ecclesias Hispaniarum et detexit et repulit ut impium hæreticum.* Neque tamen Potamio bonis D tanta impietate partis frui licuit : dum enim (3) *ad fundum properat quem pro impia fidei subscriptione ab imperatore meruerat impetrare, dans novas pœnas lin-*

(1) *Acher.* tom. II, pag. 366, sive tom. III edit. nov. pag 299.
(2) *Marcell.* et *Faust.* Libell. prec. pag. 13, edit. Oxon. 1678.
(3) Iidem, ibid. pag. 17.

B *guæ per quam blasphemarat, in via moritur, nullos fructus fundi vel visione percipiens.* Et justo quidem Dei judicio : nam hæreticus homo, ut satis innuit Phœbadius Agennensis episcopus (4), eam confecisse traditur fidei formulam in præfata synodo Sirmiensi editam, quæ septima numero recensetur ab Athanasio (5), quæque tanta fuit impietate referta, ut eam *blasphemiæ* nomine appellarit Hilarius (6). Quin et ejusdem in primis Ariani præsulis opera magnum *Hosium accersitum ad Constantium regem, minisque perterritum dedisse manus impietati*, ex modo laudatis presbyteris Luciferianis eruditur (7).

III. Quæ quum ita se habeant, scripserit ergo Potamius ad Athanasium epistolam quam vulgavit Acherius, dum adhuc esset fidei Nicænæ strenuus vindex, C circa annum videlicet CCCLV, ut prior præfert inscriptio. Neque porro est, cur eamdem epistolam *ingenti suspicione laborare*, jure censeat cl. Montfauconius (8) : in primis si attendamus, ipsius Potamii librum *contra perfidiam Arii* ms. exstare in bibliotheca monasterii sancti Vedasti Atrebatensis, teste Antonio Sandero (9), ut annotavit Schoettgenius (10). Cæterum Latine scripsisse hanc epistolam, prout nunc exstat, Hispanum episcopum, nos dubitare haud sinit Athanasius : siquidem verba faciens sanctus Doctor de formula fidei Sirmiana *blasphemiæ* nomine insignita, cujus auctor fuisse putatur Potamius, ut modo meminimus : « Et hæc, inquit, Sirmii latine scribunt, quæ « græce translata sunt : » καὶ γράφουσι ταῦτα ἐν Σιρμίῳ Ρωμαϊστὶ μὲν, ἑρμηνευθέντα δὲ Ἑλληνιστί : ut propterea minus recte existimarit novus Archeriani

(4) *Phœbad.* lib. contr. Arian. § 4.
(5) *Athan.* lib. de Synod. § 18, Opp. tom. I, part. II pag. 744.
(6) *Hilar.* lib. de Synod. § XI.
(7) *Marcell.* et *Faust.* l. c. page 14.
(8) *Montfauc.* præfat. ad tom. I Opp. Athan. pag. 16. § 17.
(9) *Sander.* Bibl. Belg. ms. pag. 63.
(10) *Schoettg* Bibl. Lat. med. *Fabric. t.* VI, *p.* 25.

Digitized by Google

Spicilegii editor, dum *e græco esse versam epistolam*, semel iterumque insinuavit (1).

IV. Porro hujusmodi Potamii epistolæ ad Athanasium, duos sermones præmisimus ab eodem auctore conscriptos; quorum alter *de Lazaro* inscribitur, alter vero *de martyrio Isaiæ prophetæ*. Eos autem olim sancti Zenonis episcopi Veronensis tractatibus intextos eruditissimi fratres Ballerinii, cum ex Veneta Zenoniana editione, tum ex mss. omnibus lectione uniqs loci ad sermonem I, restituta (2), genuino parenti Potamio asseruerunt (3) : qui tamen alium ab Ulyssiponensi Potamium, incertæ latinæque urbis episcopum quærunt; inhærentes nimirum, cunctabundi licet, posteriori epistolæ Potamianæ inscriptioni. Unum tamen cum epistolæ, tum sermonum auctorem agnoscunt : et stylus quidem utrobique admodum obscurus implexusque unum eumdemque scriptorem referunt. Ceterum accuratam horum opusculorum editionem Veronensem secuti sumus, notasque simul Ballerinianas quibus illustratur subjecimus.

POTAMII EPISCOPI
TRACTATUS DUO : QUIBUS ACCESSIT EPISTOLA AD S. ATHANASIUM.

TRACTATUS I. DE (4) LAZARO.
(*Gall. t.* V, *p.* 96.)

Grandi, fratres, stupore grandique miraculo per ambiguas curas hinc inde in concavo vertiginis (5) sinu pronis fluctibus torqueor. Lazarus mortuus est, Deo hic familiaris (6), ut ferunt, teste Evangelio apud Joannem (*Joan.* II, 24), cum quadragenariæ (7) voluntatis gestu carnis detrimenta pensasset. Nam sub occasu jam propero, quod terrenis artubus debebatur, hoc est ipsi humo (8) magis, quam homini, ut nobis ipsis juxta librum Genesis (*Gen.* I), optimus luti (9) liquor in causa est, longe alibi Christo censore, dum Judææ finibus salutaria fœneraret, sepultus est et humatus : hoc est, ut inciperet esse quod fuerat, lutum scilicet; dum desinit esse quod erat, forma vel fabula. Hic quippe per graves tenebrarum globos et nigri horroris umbracula, hoc est per quatuor dierum circulos, succidua incrementi et decrementi vicissitudine renascentes, octo (ut ita dixerim) cum (10) cærulis noctibus dies pendulo mandibularum rictu, elisis in ore dentibus, fœtido ore sic jacuit. Vere quia de terrena labe confectus, putris gleba marcescereet; et nervorum traduces cum corporis qualitate miserabili tabo infelix sepultura damnaret. Contractis igitur membris inter jejunas et numerabiles costas pellis tetra distenditur, et humoris rivus qui de gurgite viscerum relaxatur, fœtenti jam sentina per solum cadaveris teter et cæruleus labebatur. Heu quando non poterat cadaver quatuor diebus, et quatuor noctibus per totum oris, fellis et (11) phlegmatis flumina sentinarum, corruptis artubus fœtentia pulmonis spiramenta conflare? cum ipsa etiam rosa pudoris et venustatis fragranti folio in suo sibimet parato balsamo (ut ita dixerim) pretiosior, contra si fuerit de rosario falce pollicis vellicata, marcenti morte tristis albescat, ita ut (12) et colore floris careat, et odore? Aqua ipsa, si de flumine rapta sit in quo vivit, perit, natura dum desinit esse quod vixit. Mox ergo, quia elementi sui, dum rapitur, substantia caret; ubicumque jacuerit, limum liquor (13) abducit : mox et fœtore sordescit. Nemo ergo mirari debet, si (14) hominis, quem spiritus sapientiæ sale conditum redolenti aura servaverat, et ex cœli suavitate anima (15) vivacitate nectarea, et balsami generositate melliflua (16) rexerat, ne fieret divortio recedentis spiritus lutea moles (17) et pigra glebositas, caduca linea defunctorum repugnantibus fabricæ qualitatibus, corpus omne ad fœtoris maculam sui de putredine (18) relaxetur.

(1) *Acher.* Spicil. tom. I, in Ind. chron. ad ann. 355; et tom. III, pag. 299, not. (a).

(2) *Potam.* Serm. I.

(3) *Ballerin.* præfat. ad append. tract. S. Zenon. page 294, § 3.

(4) Ita Codices. At editio Veneta : *de Lazaro resuscitato.* Veronensis addit : *Sermo de Evangelio secundum Lucam.*

(5) Sparaverius legeret *voraginis.*

(6) *Ut ferunt* ab editis exclusum, legitur in mss. omnibus, uno ms. Spar. excepto, qui scribit *ut fertur.* Codd. Zen. Spar. Pomp. et edit. Ven. scribunt : *teste Evangelio, cum apud Joannem quadragenariæ :* sed *cum* extra suum locum librarii transposuere : *Evangelium* enim *Joannis* heic appellatur; nisi forte legendum sit ; *ut ferunt cum teste Evangelio apud Joannem quadragenariæ*, etc.

(7) *Vitæ* pro *voluntatis* Sparaverio placet. *Ætatis* emendatio a vulgata scriptura minus distat.

(8) *Magis* abest a ms. Pomp. et edit. Ven. sed retinendum credidimus, cum de sepultura sermo sit, quæ cadaveri, et *humo magis, quam homini* debebatur; ex ea scilicet Genescos sententia, qua hominem in humum de qua sumptus fuerat, conversum iri decretum fuit.

(9) Ms. Rem. *optimus liquor obducit, in causa est.* Vox *optimus* abundare Sparaverio creditur. Inferius legitur : *Limum luti liquor abducit*, vel *obducit.* Num heic quidpiam simile scribendum? Idem Sparaverius pro *censore* legendum putat *censente.* In ms. Pomp. posteriori manu deleto antiquo nomine, nescio quo, *censore* superscriptum fuit. *Absente* potius legendum crederemus, vel *existente;* cum Christo quidem alibi longe existente, Lazarus mortuus et sepultus fuerit.

(10) Ms. Pomp. corrigit *cæruleis.* Infra autem ubi alii codices legunt *cæruleus*, idem ms. habet *cærulus.* Pro *rictu* ms. Zen. et edit. Ven. *ritu.*

(11) Ms. Pomp. *fleumatis.* Zen. *phemmatis.* Pro *fragranti*, Pomp. paulo post scribit *flagranti.*

(12) *Et* additum est ex mss. Pomp. Spar. Zen. et edit. Ven.

(13) Mss. Pomp. et Spar. *obducit*, ut codex Rem. adnotat. 6. At edit. Ven. *obduxit.*

(14) In mss. Pomp. Zen. Spar. et edit. Ven. *hominem.*

(15) Ms. Tol. addit *undæ vivacitate*, quod quidem cum *balsami generositate* concinit.

(16) Sex codices Tol. Vat. Pomp. Urb. Sp. Zen. addunt *corpus rexerat.* Mox edit. Ven. *ne faceret.* Sparaverius mallet *enm* pro *ne* scribi. Sed nihil opus est immutare, cum hoc membrum referri possit ad id tempus, quo hominem anima regebat, ut proximo antecedenti membro traditur.

(17) In ms. Pomp. et edit. Ven. particula *et* abest, et forte melius, cum sic *caduca linea defunctorum* ad verbum *fieri* referri, et commode intelligi possit.

(18) Mss. Urb. Pomp. Zen. et edit. Ven *relaxatur.*

Digitized by Google

Inde est, quod per (1) distantiam rerum in unam A glomerationem compacta omnis membrorum natura torpescit. Recedente igitur anima quæ corporis floriarium recolebat, tota materies liventi gena in putredinem relaxatur; et pro voce cadaveris nigri fellis teter (2) mortui fœtor hauritur. Terra igitur, humore, frigore et calore composita corporis fabrica, quæ quatuor partes (3) semper sibimet repugnantes corpus criminum in procella subvertunt (calor frigus non amat, et frigus calore torquetur, contraria contrariis mancipantur : terra nimio humore vitiatur, et humor de terra sordescit) his quadriformibus elementis in unum quadripartita mole constantibus (4), dissociato per divortium mortis auriga, qui quatuor istis partibus loca dederat, ne quisquam (5) mobilitatem sui vehementius tolleret, et dominante flagro B divisis in unum concordanti junctura finibus agitabat (6); hæ, inquam, quatuor partes, recedente anima, in globum corporis viduati, excusso societatis auctore, miscentur. Sed quia istum juvenem (Lazarum loquor) Dominus in sæculo dilexerat, præscius futurorum Apostolis suis dormisse Lazarum dixit (*Joan.* xi, 11 et *seqq.*), quem promisit, si ad illam civitatem accederet, protinus excitandum. (7) Hunc ergo Lazarum, cui liventi errante connixu per cærulas venas membra tabuerant, quem loculatum in specu incisæ rupis, immani objectus ex pondere lapis perenni valva, gravis libra detruserat, resurgere (8) posse, si ista crederent, sacratissima vera Dei pietas intonabat. Mox sorores constipatæ (9) turba, ejulatu, æstu, jejuniis, lacrymarum ubertatibus ebriatæ, Dei C genibus stratu totius corporis miserandæ jactantur, et hebræas voces (10) græcessando fractis in unum singultibus mixtas Salvatoris in laudibus expiabant. Quantus illic, rogo vos, populi festinatus? Quæ spectantium turba? Qualis tanti miraculi potuit esse concentus, ubi essent plangentes puellæ, mortuus frater, et Christus hominem promitteret excitandum? Convenerunt (credo) ad hoc spectaculum servandæ memoriæ sempiternum milites, Judæi, gentiles, proselyti, clarissimi senatores, nobiles judices (11), servi, et omnis pene civitas certatim occurrit, ut viderent, an resurgere possit Lazarus, cujus fœtor (12) jam longius de sepulcro populos feriebat. Quo viso, tota civitas mirabatur. Qualis illic eras, Christe Jesu? quam croceus, quam decorus, fonte purior, nive candidior, sole candentior, et luna species clarior? Heu me, quid interrogo, quem tunc videre non merui? Nunc tamen, quis quantusve sis pietate, cognovi. Ecce inter hæc Jesus Christus Salvator humani generis flevisse narratur (*ibid.* 15) (13). Age, age, Potami, servus Dei vivi : si aliquid prævales, de laudibus Domini vel pauca narrato. Flebat Deus mortalium lacrymis excitatus; et cum Lazarum potestate sua fretus mortis de vinculo revocaret, præstabat pietatis officium solatio lacrymarum. Flebat Deus non quod ante se mortuum periisse cognosceret, sed quod sororum (14) fletus temperaret. Flebat Deus, quod eos quibus omnia donaverat et in potestatem redegerat, paradiso etiam, floribus et liliis sine ullo labore præposuerat, diabolus docendo peccatum de omnibus pene (15) fecit extorres. Flebat Deus, quod eos quos fecerat innocentes, diabolus per malitiam fecit inveniri nocentes. (16) Heu tenuis aura de cœlo corpus quod rexeras, succiduis artibus deserebas. Sed non te, Pater, non Filius aliquando despexit. Pro tua morte factus est et Christus ipse mortalis. Illarum ad lacrymas, (17) et sparsam crinis miserandi cæsariem Salvator pietate commotus, fletus fletibus (18) recontrabat. Et quia ipse sororum fletibus (19) movebatur, lacrymis filii sui Salvatoris nostri inter ipsos cœlos (20) ejus pa-

(1) Sparaverius *discordiam* scriberet.
(2) *Mortui* nomen abundare eidem videtur.
(3) *Semper* in ms. Rem. non legitur.
(4) In ms. Tol. *dissortiatio*.
(5) Ms. Pomp. *nobilitatem*.
(6) Ms. Urb. *hæc igitur in quatuor partes recedenti anima*, etc. *hæc* item legitur in ms. Pomp.
(7) *Huic ergo Lazaro* mss. vat. Pomp. Urb. Zen. et edit. Ven.
(8) *Posse Lazarum* additur in mss. Tol. Urb. Pomp. Zen. et edit. Ven. Omnia tamen obscura et corrupta. Post pauca *vere Dei* pro *vera Dei* in ms. Pomp.
(9) *Turba miraculi* mss. Rem. Tol. Vat. Urb. Pomp. Zen. et edit. Ven. Post non nulla *ebrietatæ* pro *ebriatæ* in mss. Pomp. et Vat.
(10) Vox *græcessando* ex omnibus mss. et edit. Ven. addita est. *Complicabant* pro *expiabant* Sparaverio magis placet, qui et particulam *in* ab ablativo *laudibus* demeret.
(11) Mss. Vat. Urb. Pomp. Zen. et edit. Ven. addunt *nautæ*, *servi*, etc. In duobus primis codicibus vox *nobiles* non legitur.
(12) *Jam* abest a ms. Pomp. et in eodem codice *populum* pro *populus*.
(13) Integra hæc sententia ab *Age* usque ad *narrato* ex mss. omnibus et editione Veneta restituta est, quam cur abjecerint editores Veronenses, ignoramus, nisi ex eo forte præjudicio, quo hunc tractatum, Zenonis fœtum habendum putabant : hæc autem sententia Potamio aperte tribuit. In mss. quidem *Phota mi* vel *Photami* per *Ph* scribitur : sed φ græcum per *P* sæpe reddi, vel promiscue per *ph*, vel *p*, multis exemplis patet. *P* autem prætulimus contra scriptionem codicum, quod hi tractatus auctorem habere videantur eumdem Potamium, cui inter monumenta ab Acherio edita ejusdem styli epistola vindicatur. Itaque vel ibi *Photamius* scribendum, vel *Potamius* hoc loco reddendum fuit.
(14) Ms. Rem. et editiones Veneta ac Veronensis *fletibus*. Cod. Pomp. idem scribit, sed in margine, *fletus*, D quod in editione patavina receptum fuit.
(15) Ms. Urb. *fecit invenire extorres*. Inferius quidem paulo absimiliter legitur in omnibus et mss. et editis, *fecit inveniri nocentes*.
(16) Tria sequentia membra in edit. Veronensi omissa ab *Heu* usque ad *mortalis*, restituimus ex omnibus mss. et edit. Veneta. Solum *tenus* pro *tenuis* scribitur in ms. Rem. *texeras* pro *rexeras* in ms. Urb. *artubus* pro *artibus* in mss. Pomp. et Zen. et *deferebas* pro *deserebas* in ms. Vat.
(17) In mss. Pomp. Zen. et edit. Ven. *et* particula deest.
(18) Mss. Rem. Vat. Urb. Pomp. Spar. Zen. cum edit. Ven. et Veron. *recontabat*. At in edit. Patav. *recontrahebat* emendatum est.
(19) Ms. Pomp. *commovebatur*.
(20) Sic omnes mss. et edit. Ven. At editores Ve-

Digitized by Google

